BIBL NAZ.
Vitt Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
F
105/2
NAPOLI

V 4
VI – 8

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex lib. P. [illegible] [illegible]

[illegible]

Digitized by Google

597778

105

DICTIONARIUM
HISTORICUM, CRITICUM, CHRONOLOGICUM, GEOGRAPHICUM, ET LITERALE
SACRÆ SCRIPTURÆ,

Cum figuris Antiquitates Judaicas repræſentantibus

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET
ORDINIS S. BENEDICTI ABBATE,

E Gallico in Latinum translatum

A JOANNE DOMINICO MANSI,
CONGREGATIONIS MATRIS DEI, LUCENSI,

Editio Veneta Tertia, cui addita ſunt, & locis ſuis inſerta ipſiuſmet Auctoris ſupplementa.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCXLVII.
Apud Sebastianum Coleti.
De Superiorum Licentia, & Excellentiſs. Senatus Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

DICTIONARIUM BIBLICUM, HISTORICUM, CRITICUM, CHRONOLOGICUM, GEOGRAPHICUM, ET LITTERALE.

M A

MAACHA, ſive *Maachati*, vel *Beth-Maachath*, parva Syriæ Regio ad orientem, & ad ſeptentrionem fontium Jordanis, ſecundùm Damaſci viam. Urbs in ea *Abel*, ſive *Abela*, quæ inde *Abel-Beth-Maacha* dicta eſt. Hujus regionis incolis parcentes Iſraelitæ, in media ditionis ſuæ quietos reliquerunt *Joſ.* 13. 13. Maachæ Rex ſuppetias Ammonitis adverſus Davidem tulit 2. *Reg.* 10. 8 9. & Seba filius Bochri, in Abelam urbem hujus regionis confugit. 2. *Reg.* 20. 15 Dimidiæ Tribus Manaſſe transjordanicæ fines uſque ad regionem Maachat protendebantur. *Deut.* 3. 14. *Joſ.* 12. 15.

MAACHA. Plures hujus nominis in Scriptura occurrunt. I. *Maacha*, filius Nachor ex *Roma* concubina (a), fortaſsè *Macetaram* in Arabia felici pater. Propè Ormuzium urbs *Maca* occurrit. II. *Maacha*, filia Tholmai Regis Geſſur, Davidis uxor, & Abſalomi, & Thamar mater (b). III. *Maacha*, filia Abeſſalom (c), Roboami Regis Juda uxor, ac mater Abiæ, qui in Regno patri ſucceſſit. Verùm 2. *Par.* 13. 2. eadem *Michaja* appellatur, Urielis Gabaonitæ filia; quare in Libris Regum fortaſsè mater, & filia confundi facilè potuere, atque utriſque idem pater Abeſſalom tribui. IV. *Maacha*, filia Abeſſalom, uxor Abiæ Regis Juda, & mater Aſæ, huic ſucceſſoris 3. *Reg.* 15. 10. Cùm Sacris Idolorum initiata eſſet *Maacha*, filius illam eo infami munere liberavit 3. *Reg.* 1. 15. 3. 14. V. *Maacha*, concubina Caleb, & mater Saber, & Tharanæ. 1. *Par.* 2. 48. VI. *Maacha*, uxor Macher, & mater Phares. 1. *Par.* 7. 16. VII. *Maacha*, pater Achis Regis Geth, Salomonis ætate. 3. *Reg.* 2. 39. VIII. *Maacha*, ſoror Machir. 1. *Par.* 7. 15. IX. *Maacha*, pater Saphatiæ, Principis Tribus Simeonis ſub Davide. 1. *Par.* 27. 16.

MAACHATI, pater Jezoniæ. 4. *Reg.* 25. 3.

MAADDI, filius Bani, qui è captivitate regreſſus, ductam contra Legis præſcriptum uxorem dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 34.

MAALA, ſive *Mahala*, filia Salphaad, cui una cum cæteris ſororibus, defectu maſculorum ſuæ familiæ, portio in diſtributione Terræ promiſſionis conceſſa eſt. *Num.* 26. 33. & 27. 1. *Joſue* 17. 3. *&* 1. *Paral.* 7. 15.

MAARA SIDONIORUM (d), quo nomine alii urbem, alii ſpecum, pratum, ſive regionem Sidoniorum intelligunt. Nos cum Junio, de amne Magora, in Mediterraneum inter Sidonem, & Berithum influente (e) dictum malumus; in Hebræo enim pro *Maara* optimè pronunciari poteſt *Magora*.

MAARATH, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 59. Vide *Maret*.

MAASAI, filius Adielis Levitæ. 1. *Par.* 15. 18.

I. MAASIAS, filius Achaz Regis Iſraelis, à Zechri per inſidias occiſus. Vide 2. *Par.* 28. 7.

II. MAASIAS, filius Adaiæ, cum quo Jojada Summus Sacerdos conſilium de reſtituendo in regnum adoleſcentulo Joas, perimendaque Athalia, communicavit. 2. *Par.* 23. 1. A. M. 3126. ante Chr. 874. ante Ær. 878.

MAASIAU, poſtremæ è 24. familiis Sacerdotalibus Princeps. 1. *Par.* 24. 18.

MABARTHA, quo nomine Joſephi ætate urbs Sichem, alio nomine Neopolis, ſive Neapolis ab incolis appellabatur. *Joſeph. de bell. l.* 5. *c.* 4.

I. MABSAN, filius Iſmaelis. *Gen.* 25. 13.

II. MABSAN, filius Sellum, & pater Maſmæ (f).

MABSAR, è genere Eſau, qui poſt Theman in Edom regnavit. *Gen.* 36. 42.

MACBENA, urbs Tribus Juda, quam Sue ſive condidit, ſive incoluit. 1. *Par* 2. 49

(MACHABÆI. Omnium probabiliſſimum judicamus etymon hujus nominis deductum è quatuor hiſce Hebraicis literis M. C. B. I. pictis in inſignibus vel clypeis Judæorum Machabæorum ætate. Solemne eſt Hebræis artificiales quaſdam voces exprimere ex conjunctis primis nominis alicujus literis; e. g. pro eo quod dicant *Rabbi Levi*, *Ben Gerſon* uſurpant *Ralbag*, ſcribuntque R. L. B. G. Ita pro Rabbi Moſes Ben Maimoni, pronunciant Rambam, ſcribuntque R. M. B. M. Nihil apud illos obtinet familiariùs, & ſine compendiarias haſce notas reſerante clave fruſtra nos ad Libros Rabbinicos conferremus. Ut viam ad id ſtudii complanaret, Librum ſcripſit Buxtorfius: *De Abbreviaturis Hebraicis*.

Quod ſuſpicionem in etymon illud moveret, illud eſt, nimirum cognomen illud, quantum intelligimus, Judæ datum fuiſſe jam inde ante cœptum bellum. In ipſo enim primi Machabæorum exordio cap. 2. 4. ubi de Matthathia & quinque ejus filiis eſt ſermo, ſingulis illis ſuum additur cognomen: *Habebat filios quinque, Joannem qui cognominabatur Gaddis, & Simeonem qui cognominabatur Thaſi, & Judam qui vocabatur Machabæus.*

Orientalium traditio, quam refert Abulfarages, tenet, matrem ſeptem fratrum martyrio abſumptorum ſub Antiocho Epiphane, appellari *Aſchmaneah* vel *Schamuaah*, nomine deducto ex Hebræo *Kaſmaaim*, vel *Kaſchmonim*, exprimente Principes ſeu viros ampliſſimos, indito Machabæis gentis ſuæ Principibus, unde à Græcis & Latinis formatum eſt *Aſmonæi*.)

MACHABÆUS. Hoc nomen primò ex Hebræo *Caba*, extinguo, derivari poteſt, veluti hoſtes Domi-

(a) Gen. 22. 24. (b) 2. Reg. 3. 3. (c) 3. Reg. 15. 2. (d) Joſ. 13. 4.
(e) Plin. l. 15. c. 18. (f) 1. Par. 4. 21.

Domini delens. Secundò, ex Hebræo *Maca-bi*, plaga in me; Deus ſcilicet me plagis afflixit; quare in Iſaia 53. 3, 4. Meſſias vir dolorum (Heb. *Iſch-macoboth*,) & percuſſus à Deo (*mucceh Elohim*) appellatur. Vide etiam 1. *Par.* 12. 13. ubi nomen viri *Machbanai* occurrit. Tertiò, Machabæus, ſive juxta Hebraicam pronunciationem *Maccabaiahu*, ex *Maccha-baiah*, Dei nomine percutiens, acceſſiri poteſt. Sunt tandem, qui illud ex Hebræo *Mechubbeh*, ſive *Mucchabeh*, abſconſus, revocent (a). Machabæi enim æſtum perſequutionis primò in ſpecubus latentes evitarunt, unde poſtea erumpentes, ſuis hoſtibus reſtiterunt; quare inditum illis in contemptum nomen, glorioſum ſua virtute effecerunt. Commode etiam idem nomen ex *Nakab*, perforare, derivabitur; *Makkebah* autem malleum, & cavernam ſignificare poteſt. Neque etiam incommodè ex *akab*, ſupplantare, deducitur; quare *Makkabai* ſupplantatores ſignificabit. Vulgò tamen Interpretes autumant, viros Machabæos in ſuis inſignibus quatuor literas hebraicas inſcriptas habuiſſe, nempe *Mem*, *Caph*, *Beth*, *Iod*, quibus ſententia iſta per compendium exprimitur: *Mi camocabe-elohim, Jehovah*; nempe: *Quis ſimilis tui in Diis Domine?* quod ex Exodo 15. 11. deſumptum eſt. Non diſſimili artificio Romani literas illas in inſignibus inſcribebant *S. P. Q. R.* quibus hæc ſententia exprimebatur: *Senatus Populuſque Romanus*. Quænam ex hiſce etymologiis præferenda ſit, nemum conſtat. Judas Machabæus nomen illud vel ante comparatum in hoſtes exercitum, obtinuiſſe videtur (b).

Quæcunque tandem ſit hujus vocis etymologia, illud ſanè conſtat, nomen Judæ Mattathiæ filio primò inditum fuiſſe, ex quo in fratres ejus Simonem, Jonatham, cæteroſque omnes devenit, qui ſui in Legem ſtudii, ſuæque virtutis in defendenda patria, atque avita Religione, ſub Antiocho Epiphane, præclara monumenta exhibuerunt. Hinc ſeptem fratres, qui una cum matre martyrium pro defenſione Legis conſummarunt, eo nomine donati ſunt; eodemque etiam inſcribitur Liber, qui hiſtoriam illorum temporum complectitur, & Liber perſecutionem Ptolomæi Philopatoris in Judæos Ægyptios, diù antè Antiochum Epiphanem Regem Syriæ, deſcribens (c).

MACHABÆUS. Eo ſolo nomine Judas Machabæus deſignatur, cujus geſta v. *Judas Machabæus* deſcripſimus.

Vide Seriem Principum Machabæorum, ſive Aſmonæorum v. *Reges Judæorum*.

SEPTEM FRATRES MACHABÆI, dicti ſunt fratres illi, qui una cum matre, & ſeniori Eleazaro coram Antiocho Epiphane glorioſo martyrio occubuerunt, eorumque hiſtoriam brevi compendio deſcriptam habemus 2. *Mach.* 7. latiuſque in libro, cui titulus: *De Imperio rationis*; & hiſtoriam Eleazari proſequitur 2. *Mach.* 6. 18. &c. (d) Porrò ſeptem fratres juſſu Antiochi Epiphanis comprehenſi, ut juſſionibus illius acquieſcerent, ſuillas carnes contra Legis præſcriptum veſcendo, nunquam induci potuerunt.

Vetus Latina Verſio Libri *de Imperio rationis*, de quo infra nomine *quarti Machabæorum* agemus, ſeptem hiſce fratribus hæc nomina tribuit: 1. *Machabæus*; 2. *Aber*; 3. *Machiri*; 4. *Judas*; 5. *Achus*; 6. *Areth*; 7. *Jacob*. Eadem nomina in veteribus Mſſ. occurrunt; ſed in Originali Græco 2., & 4. Machabæorum deſiderantur. Martyrium Hieroſolymis conſummaſſe quamvis Joſephus, aliique nonnulli autumaverint (e), nos tamen Antiochiæ obiiſſe malumus, ubi S. Hieronymi ætate eorum ſepulchrum viſebatur, & S. Auguſtino florente Templum eorum nomine extabat (f).

Primus inter fratres cùm propoſitum ſuum de morte potiùs, quàm à Lege Dei defectione eligenda coram Rege declaraſſet, lingua, atque pedum, manuumque extremitatibus mutilatus eſt (g); cute deinde capitis detracta, ſpirans adhuc in ardentem ſartaginem ſuppoſito igne conjectus eſt. Hæc in 2. Mach. referuntur; ſed Author 4. Mach. ſive *de imperio rationis*, aliter hanc hiſtoriam deſcribit; narrat enim ipſum, veſtibus exutum, manibuſque ad tergum revinctis durè flagellis cæſum, nihil tamen de priſtina conſtantia, oriſque habitudine remiſiſſe. Rotæ deindè impoſitus, toto corpore confractus, Antiochi feritatem exprobravit, manibuſque ejus conatibus inſultavit. His veluti ſtimulis exagitatus carnifex, rotæ, in qua corpus diſtendebatur, igne ſuppoſito, novo ſupplicio martyrem, voce, & exemplo ad conſtantiam fratres uſque ad extremum ſpiritum excitantem, abſumpſit.

Parem ſecundi fratris conſtantiam non abſimile ſupplicium exercuit, teſte 2. Machabæorum (h): in Libro verò *de Imperio rationis* equuleo, ferreiſque chirotecis acutiſſimis cuſpidibus armatis tortus narratur; dein ferreis ungulis capite excoriatus, tormenti acerbitate confectus eſt.

Tertio manus, & lingua amputatæ ſunt, cæteriſque fratribus non tam martyrio, quàm conſtantia acceſſit; præter hæc tamen quæſtionem ſubiiſſe, manibus pedibuſque luxatum, digitis, lacertis, atque cruribus contuſum, quin & digitorum ſummitatibus, & cute divulſis tortum, ſpiritum tandem in rotæ tormento egiſſe, quartus Machabæorum narrat.

Quarti par fuit cum tertio ſupplicium, addita linguæ mutilatione.

Nec æquior fuit quinti conditio, cujus quidem conſtantiæ licèt nulla peculiaria monumenta in 2. Machabæorum extent; in quarto tamen ultrò ſe Tyranno objeciſſe narratur. Huic verò cùm immanem crudelitatem exprobraſſet, comprehenſus illicò à tortoribus, quæſtionem primùm, compedeſque ferreos ſuſtinuit; dein rotæ cuſpidibus armatæ reſupinus alligatus, transfoſſus, diſcerptuſque animam efflavit, ea oris conſtantia, ut adverſarios percelleret.

Sextus paria ſimili conſtantia toleravit, maximè ad eam rem matris verbis confirmatus; quippe quæ ad mortem fortiter obeundam pro avitæ Legis obſervantia ſingulos fratres hortabatur. In quarto Machabæorum hæc de ſexto fratre narrantur. Cùm adoleſcentior eſſet, à Rege blandis verbis admonitus eſt, ne juventutis ſuæ florem præcidi, carnes detractando, pateretur. Cùm ille nihil ſe fratribus, nihil Legem profeſſo indignum facturum reſpondiſſet, illicò in rota diſtentus, oſſium luxationem ſuſtinuit; dein in dorſum, & latera uſque ad viſcera ferreæ laminæ candentes adactæ ſunt. Dum ita torqueretur, Tyrannum ita alloquutus eſt, ut præſentes admirarentur. Tandem in ferventem ahenum injectus, martyrium conſummavit.

Septimo tandem omnium minimo dejiciendo, Rex nihil intentatum reliquit; primò enim ingentes divitias, ſummumque apud ſe locum ſacramento pollicitus eſt. Cum nihil efficeret, apud matrem egit, ut adoleſcentulo ſaniora conſilia inſpiraret. Illa parere ſimulans, ad filium accedens, Hebraico ſermone filium enixè rogavit, ut promiſſa certantibus præmia ſuſpiciens, nihil ſe tormentorum præſentium acerbitate à Divinæ Legis tramite dimoveri pateretur. Adhuc loquente matre, filius elatâ voce: quid ultrà, inquit, ſuſtinetis? Non ego Regi, ſed latæ per Moyſem Legi obtem-

(a) 1. Reg. 14. 22. (b) 1. Mach. 2. 4.
(c) Perſecutio Ptolomæi Philopatoris cœpit A. M. 3787. Antiochi verò Epiphanis An. 3836. ante Chr. 164. ante Ær. 168.
(d) Vide v. Eleazarus. (e) Antiq. l. 22. c. 7. & Author Lib. de Imp. Rationis. Cedren. & alii quidam.
(f) Gorionides, Martyrologia &c. Lyr. Serar. Hieron. in locis v. *Modin*, Aug. ſerm. 1. de Mach 50. nov. edit.
(g) 2. Mach. 7. 2. ... 7. (h) 2. Mach. 7. 8. & c. uſque ad. v. 40. martyrium ſea fratrum narrat.

Digitized by Google

obtempero ; alia inſuper de imminenti in Antiochum Divina ultione adjiciens . His ſtimulis furor Regis exsgitatus , eandem , ac in fratres , contra illum ſententiam pronunciavit ; quam ille domeſtica conſtantia excepit.

In quarto Machabæorum , Rex poſt tentatum fruſtra adoleſcentis animum , tandem ad illum hortandum matrem accedere juſſiſſe narratur , ut & ipſa filii præſentia commoveretur . Mater tamen ſanis conſiliis hærentis animum confirmavit ; inde adoleſcens elata vincula ſibi reſolvi poſtulavit , quod coram Rege , ejuſque miniſtris ſibi eſſet colloquendum. Illicò ſolutus cùm morem Regi geſturus crederetur , ad ſuccenſum juſſu Antiochi ahenum ſtatim convolavit ; exprobrataque Tyranno crudelitate , Deique ultione præuunciata , ultrò in mortem ruit .

Mater deindè non abſimili lethi genere occubuit : quo tamen potiſſimùm ſupplicio , in ſecundo Machabæorum non exprimitur ; in quarto verò legimus , illam, ut quendam ex ſatellitibus Antiochum ad ſui necem ſollicitantem audivit , ne ab impiis tangeretur , ultrò in ignem inſiluiſſe (a). Vetera Mſſ. nonnulla hanc *Salomes* , ſive *Salomonis* nomine nuncupant , quod tamen nullo authentico monumento conſtat . Feſtum horum Martyrum die 1. Auguſti in Eccleſia celebratur , eorumque memoria , unico de Sanctis Veteris Teſtamenti exemplo , peculiari Officio , ſive Commemoratione recolitur . Soli etiam diutiùs Templorum , atque Altarium honorem obtinuerunt .

LIBRI MACHABÆORUM . Quatuor circumferuntur hujus tituli Libri , è quibus duo priores Canonici , poſteriores apocryphi habentur . Quamquam , & priorum authoritas iis non probatur , qui Tridentini Concilii decretis non deferunt, nihilque , quod apud Hebræos in Canone non ſit , ex Libris Veteris Teſtamenti Divinum agnoſcunt . Si chronologiæ ordo ſervetur , tertiùs Liber ante primum , primus poſt ſecundum recenſeri debuiſſent .

PRIMUS MACHABÆORUM LIBER , vernaculo Hebræorum, ſive Syrorum ſermone primò exaratus eſt , quod cùm ex ſtylo , & phraſibus ejuſdem ſatis colligimus , tum etiam ex titulo , olim Libro inſcripto apud Origenem (b) : *Sarbet Sar-bane el* ; nempe: *ſceptrum Principis filiorum Dei* , ſive *rebellantium in Deum* ; Machabæi enim ſceptrum Domini in Iſraelem contra adverſarios ſuſtinuerunt . S. Hieronymus eadem teſtatur in prolog. Galeat. *Machabæorum primum Librum Hebraicum reperi* . Pluribus tamen à ſæculis Hebraicus iſte Textus intercidit ; quare illius loco Græca Verſio pro Originali ſuppoſita eſt , ex qua etiam Vetus Latina Verſio , decreto Tridentini probata , adornata eſt .

Cùm rerum apud Judæos geſtarum in publicis illius populi Tabulariis documenta extarent , ut Judas inter cæteros curavit (c) , ex illis Liber collectus videtur ; ad monumenta enim Joannis Hircani Lector in fine Libri remittitur (d) , ex quo aliqui totum eundem Librum Hircano tribuerunt . Hiſtoriam 40. annorum , à Regno ſcilicet Antiochi Epiphanis , uſque ad Simonis Summi Sacerdotis obitum, complectitur , & ab An. M. 3829. uſque ad 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135. Ejus author latet ; ſcripſiſſe tamen poſt Hircanum Summum Sacerdotem , cujus exaratas memorias laudat , oportet . Supputationes annorum à Niſan , qui primus anni ſacri menſis eſt , juxta Hebræorum morem , exorditur ; cùm Syri , ſive Græci in Syria regnantes ,

nonniſi poſt ſex menſes circa Octobris initium , annum auſpicentur.

SECUNDUS MACHABÆORUM LIBER , majoris Operis à Jaſone quodam de Epiphanis , & Eupatoris in Hebræos perſequutione ſcripti , quod noſtra ætate intercidit , ſumma eſt , ab ignoto authore compilata . Utriuſque ſcripti authores Græci ſunt , Seleucidarumque ſupputationem ſequuntur ; annum verò Syrorum more circa Octobrem exordiuntur . Duo poſtrema Libri capita , ſtylo planè à cæteris diverſo , ut alium Authorem præſeferre videantur , geſta ſub Demetrio Sotero , Eupatoris ſucceſſore , complectuntur ; totum verò opus 15. annorum hiſtoriam proſequitur , quot nempe à tentata per Heliodorum , juſſu Seleuci , ærarii ſacri expilatione , uſque ad Nicanorem à Juda Machabæo devictum intercèſſere , id eſt ab An. M. 3828. ad 3843. ante Ch. 157. ante Ær. 161.

In fronte Libri duo occurrunt Epiſtolæ , quarum prima Judæi Alexandrini à Jeroſolymitanis de celebratione Feſti Expiationis , & Dedicationis Templi per Judam Machabæum , monentur ; altera verò ejuſdem argumenti , à Senatu Jeroſolymitano , Juda , & Ariſtobulo Regis Ptolemæi præceptore , data eſt . Quæ quidem Epiſtola , cùm annum Mundi 3880. præſeferat , idcircò locus eſt , ut Librum hunc circa idem tempus ſub Joanne Hircano exaratum fuiſſe opinemur. Sunt , qui ex ſtyli elegantia , Joſephi , ſive Philonis opus eſſe autumarint . Judæ cuidam Eſſeno ex Joſepho noto (e), Serarius attribuit (f) ; Simoni verò Machabæo fratri Judæ Leo Allatius (g). Omnium dubia fides. Illud conſtat , hunc Librum, ut ſupra innuimus , Canonicum eſſe , & tanquam Divinæ authoritatis vulgò ab Antiquis laudatum; quamquam in priſcis Sacrorum Librorum catalogis, quòd illi ad normam Canonis Hebræorum ducti ſint, deſideratur.

TERTIUS LIBER MACHABÆORUM , hiſtoriam motæ per Ptolemæum Philopatorem Regem Ægypti perſequutionis in Judæos ſuæ ditionis proſequitur . Cùm enim Rex de Antiocho Magno victoriam retuliſſet , Jeroſolymam petiit , poſtque hoſtias in gratiarum actionem Domino mactatas , ingreſſum in Sanctuarium tentavit . Prohibentibus Sacerdotibus, cum ille nihilò ſegniùs adniteretur , Dei virtute ſtatim proſtratus, extra Templum aliena ope , cùm ſua non poſſet, elatus eſt . Conceptum eam ob rem furorem in Judæos , in Ægypto frequentiſſimos , exeruit: quare primùm à Religione avita eos abſterrere conatus eſt . Verùm rem fruſtrà tentari ſentiens , omnes Alexandriam acceſſivit , ubi in Hippodromo concluſis , Elephantos in illos immittere decrevit . Divinitus tamen factum eſt , ut Rex eorum , quæ juſſerat, obliviſceretur ; deindè duo Angeli à Deo miſſi tantum Regi terrorem incuſſerunt , ut ille Judæos libertati reſtitutos , pluribuſque honoribus eumulatos remiſerit . Id evenit An. M. 3787. ante Ch. 213. ante Ær. 217.

Porrò Liber iſte Machabæorum nomine temerè inſcriptus eſt , cum nec ad Judam fratreſque ipſius Machabæos , neque ad perſequutionem Epiphanis ſpectet ; quin potius hiſtoriam perſequutionis ante 50. annos motæ deſcribat (h) . Hujus proindè nominis fortaſsè in cauſa fuit ſimilitudo ſtudii in Legem , & in avitam religionem , quod Ægyptii , non ſecus ac Jeroſolymitani Judæi , exhibuerunt . Quamquam autem de hac perſecutione in hiſtoria Joſephi nihil occurrit ; de illa tamen aliquid in primo Libro contra Appionem innuitur ;

(a) Eraſmus in Paraphraſi Libri *De Imperio Rationis*, veſtibus exutam , & flagellis cæſam fuiſſe tradit ; dein in ſuccenſum ahenum conjectam, manibus ad Cœlum protenſis, expiraſse . Marius Victorinus Afer in Carmine de Machabæis, gaudio obiiſse innuit: *Solverunt gaudia matrem* .

(b) Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6. c. ult. (c) 2. Mach. 2. 14.

(d) 1. Mach. 16. ℣. ult. (e) De bel. l. 1. c. 3.

(f) Serar. Proleg. 2. in Mach. & in cap. 1. & 2. ſecundi Mach. (g) Leo Allat. De Simeonibus.

(h) Edictum Epiphanis datum ſit anno 3837. ante Chr. 163. ante Ær. 167.

quod tamen ab iis, quæ in 3. Machabæorum refe-runtur, plurimùm diſcrepat.

In eo Libro inter apocrypha recenſendo, Græci & Latini noſtris quidem temporibus conſentiunt. Latinis veteribus incognitus videtur, cum nuſpiam, quantum ſcio, ab illis laudari contingat; Græcis tamen uſque ad Canonicam authoritatem probatus videtur; à quibus & prioribus Machabæorum Libros à vigeſimoquarto Canone Apoſtolorum habitus eſt. Teſtimonia illius, veluti ex Scriptura, laudat Theodoretus in Dan. 11. 7. S. Athanaſius in Synopſi, & Nicephorus in calce ſuæ Chronologiæ, inter Scripturæ Libros, quibus nonnulli refragantur, illum duoſque ſimul priores Machabæorum Libros enumerant. Porrò cum duobus illis Libris Machabæorum tertius quoque in aliquibus etiam Scripturarum catalogis legitur. Grotius ſcriptum autumat poſt duos priores ejuſdem nominis Libros, ex quo tertius Machabæorum inſcriptus eſt. Hiſtoriam hujus perſequutionis retulimus; v. *Ptolemæus Eupator*.

QUARTUS LIBER MACHABÆORUM, cujus vel argumentum ferè latet, cum in Latinis Bibliis nuſquam occurrat. In veteribus quidem Miſſ. Græcis, nonnulliſque Græcis editionibus poſt tres priores Machabæorum alter conjungitur, inſcriptus: *De Imperio Rationis*, qui Joſepho tribuitur; ſed an Liber iſte idem ſit ac quartus Machabæorum, à Veteribus laudatus, ambigunt Eruditi. Si quis tamen ea, quæ ab antiquis dicuntur, cum Libro *De Imperio Rationis* conferat, duos hoſce Libros confundendos facilè intelliget. Siquidem plura Miſſ. Græca, & edita nonnulla itidem Græca, Philoſtratus hiſt. Eccl. init. Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 10. & S. Hieronymus de Script. Eccleſ. & l. 2. contra Pelag. diſertè ſub nomine quarti Machabæorum eundem librum recenſent; treſque illi Scriptores Joſepho opus adſcribunt. S. Gregorius Nazianzenus (a), S. Ambroſius (b), S. Joannes Chryſoſtomus (c) in texendis ſeptem Machabæorum, atque ſenis Eleazari elogiis, fidem ejuſdem Libri ſequuntur. Marius Victorinus Afer, qui ſub Conſtantino Rhetoricam Romæ docuit, in ſuo de Machabæis carmine non aliam hiſtoriam frequentiùs præ oculis habuiſſe viſus eſt.

Totus hujus Libri ſcopus eo tendit, ut quæ in 2. Mach. cap. 6. & 7. per compendium referuntur, de Eleazari primùm, dein de ſeptem fratrum martyrio ea prolixius exhibeat. Quare pars Operis Jaſonis, ab Authore ſecundi Libri Machabæorum in epitomem redacti, videri facilè potuiſſet, niſi ex ampla ſatis Præfatione, Libro præmiſſa, intelligeremus non alterius Operis partem eſſe, ſed Librum de hoc tantùm argumento ſcriptum; in quo etiam non raró à ſuo exemplari, à quo hiſtoriæ veritatem mutuatus videtur, Author divertit. Tragœdiam hanc Jeroſolymis exhibet; *Apollonium* Syriæ, & Phœniciæ Præfectum, Hieroſolymam, juſſu *Seleuci Nicatoris*, ad expilandum ærarium Templi veniſſe narrat; conſtat autem, ad eam remiſſum fuiſſe Heliodorum à *Seleuco Philopatore*. Pluribus hujus generis erroribus ſcatet Liber; quos omnes in noſtra Præfatione eidem Operi præfixa, deteximus. Inter opera Joſephi hiſtorici, cujus nomen præfefert, cùm in pluribus Manuſcriptis, tum in nonnullis impreſſis Exemplaribus, recenſeri ſolet; quanquam, ut vera fatear, à Joſephi ſtylo, & hiſtoria plurimùm diſcrepat.

Cum Sixtus Senenſis fortè Manuſcriptum de Pontificatu Joannis Hircani in Bibliotheca ſui Ordinis Lugduni offendiſſet, quartum Machabæorum ſe inveniſſe ratus (d), confidenter rem aſſeruit, nec paucia perſuaſit. Temporis ſucceſſu Bibliotheca illa flammis abſumpta, Manuſcriptum, nulla data recuperandi ſpe, intercidit. Verùm cùm Cl. Le Iay in ſua Polyglotta hiſtoriam Arabicam Machabæorum à Seleuco Rege, & filio Antiochi Magni uſque ad Chriſti ætatem deductam edidiſſet, omnes in illa characteres, quos Sixtus in ſua, animadvertit. Quare P. de La Haye hanc eandem hiſtoriam latinè redditam, in ſua Biblia maxima ſub nomine quarti Libri Machabæorum recudit. Verum Sixti Senenſis judicium ſola fultum conjectura, cum nec Manuſcriptum habuerit eo titulo inſcriptum, neque ſub hoc eodem nomine quarti Libri Machabæorum ullus unquam ex veteribus vel opus illud, vel alterum, cujus Liber ille portio eſt, laudaverit, ſuſpectum eſſe debet, planèque rejiciendum. Vide quæ ſuper hoc argumento in Præfationibus in Libros Machabæorum, ac potiſſimùm in hunc Librum congeſſimus.

MACCES, urbs, uti quidem videtur, Tribus Dan (e); quam eandem credimus cum *Machtes*, ſcilicet Dens Molaris (f).

MACEDA, ſivè *Mazeda*, urbs Tribus Juda (g), octo milliar. ab Eleutheropoli, orientem verſus, authore Euſebio. Joſue ex Lebna *Macedam* proceſſit *Joſ.* 10. 29.

(MACEDO. In Libris Sacræ Scripturæ Græcè ſcriptis appellativo id ſenſu uſurpatum eſt, ut idem ſic ac Judæorum adverſarius. E. g. in Additamentis Libri Eſther 16. 10. 14. ſcriptum eſt de Amano: *Animo & gente Macedo*; atque conſpiraſſe dicitur, ut Imperium Perſarum *transferret in Macedonas*; i. e. in infeſtiſſimos Imperii hoſtes, ita rebus acceptis, quomodo ſe habebant tempore deſcriptarum ejuſmodi Additionum, i. e. facilè poſt everſum Perſarum Imperium armis Alexandri Magni. Antehac enim nihil ſibi a Macedonibus cavebant Perſæ; nec plurimùm eorum vires timebantur Suſis ætate Eſther & Mardochæi.

MACEDONIA, Græciæ regnum, ad ſeptentrionem Thraciam, ad meridiem Theſſaliam, ad occidentem Epirum; ad orientem fretum Ægæum contingens. Cethim filium Javan (h) patrem habuerunt Macedones, uti nos opinamur; quorum proinde regio intelligenda eſt, quoties in Scriptura nomen *Cethim* occurrit. Poſt everſum Perſarum Imperium, devictamque Aſiam ab Alexandro Magno, Philippi Regis Macedoniæ filio, Macedonum nomen longe lateque per totum orientem claruit; adeout non raró Græcos etiam Imperii Alexandri ſucceſſores, Macedonas appellari contigerit (i); Poſt Alexandri expeditionem (k), Macedones etiam nomine Græcorum aliquando denotati ſunt. Ut in Macedoniam prædicationis gratia tenderet S. Paulus, Angelum hujus Provinciæ, ſibi Troade viſum, hortatorem habuit (l); eoque prodigio de voluntate Dei admonitus, cujus etiam non obſcurum argumentum habuit, cum populi illius in fidem ſtudium videret. Quare duas Eccleſias, Theſſalonicenſem, & Philippenſem non condidit tantùm, ſed & florentiſſimas, atque ſpiritualibus chariſmatibus cumulatiſſimas ante obitum vidit.

MACELOTH, locus, in quo Iſraelitæ in deſerto caſtrametati ſunt (m), idem fortaſſe, ac *Malathis* 20. milliar. ab Hebrone in plaga meridionali Juda, authoribus Euſebio, & S. Hieronymo. Vide *Malatha*. Ptolemæus Maliattham ad *Eluzam*, ſive *Luzam* collocat. Vide *Luza*.

I. MACELLOTH, filius Abi-gabaon, & pater Samaæ. 1. *Par.* 8. 31. & 1. *Par.* 9. 37.

II. MACELLOTH, ex Ducibus in Davidico exer-

(a) Nazianz. orat. de Mach. (b) Ambr. de vita beat. l. 2. c. 10. 11. 12. (c) Chryſoſt. hom. 2. in Sanct. Mach.
(d) Sixt. Senenſ. Bibliot. l. 1. (e) 3. Reg. 4. 9.
(f) Vide Judic. 15. 19 & Sophon. 1. 11. *habitatores pilæ* Hebr. *habitatores Machtes*. (g) Joſue 15. 41.
(h) Gen. 10. 4. (i) Vide Eſth. 16. 10. 14 & 2. Mach. 8. 20.
(k) Vid. Dan. 8. 21. & 10. 20. & 1. Mach. 8. 18. & 2. Mach. 4. 36. &c. (l) Act. 16. 9. &c. A. Chr. 55. Ær. 9. (m) Num. 33. 25. 26.

Digitized by Google

exercitu, qui 24000. militibus præerat, ſub Dudia Ahonite 1. *Par.* 27. 4.

MACER, Ptolemæus *Macer*, ſive *Macron* filius Dorimyni (a). Vide *Ptolemæus Macron*.

MACHABANAI, vir inter fortiſſimos in Davidico exercitu. 1. *Par.* 12. 13.

MACHABENA, filius Sue, & pater Gabaæ. 1. *Par.* 2. 49.

MACHÆRA, Dux Romanorum in exercitu M. Antonii, qui duas legiones, & 100. equites in auxilium Herodis contra Antigonum duxit (b); ſed pecunia corruptus, ad Antigonum defecit. Verùm Antigonus, cui Romani Ducis fides ſuſpecta erat, venientes, non ut amicos, ſed ut hoſtes excepit; quod Machæræ animum adeò exulceravit, ut illicò in Emmaus ſe recipiens, omnes in via occurentes ſibi Judæos trucidarit. Dein ad Herodem accedens, junctis cum Joſepho ejus fratre copiis, in Antigonum bellum geſſit (c).

MACHÆRUS, urbs, arx transjordanica in Tribu Ruben ad ſeptentrionem, & orientem Lacus Aſphaltitis, duabus tribuſve leucis à Jordane, prope oſtia ejuſdem in mare mortuum. Hanc arcem ab Aſſamonæis munitam, & à Gabinio everſam (d), Ariſtobulus iterum (e), ac dein Herodes Magnus munitionibus vallatam, firmiorem effecit. In ejus vicinius aquarum calidarum mirè ſalubrium ſcaturiginesocurrebant; atque in ea S. Joannes Baptiſta in carcere detentus, dein juſſu Herodis Antipæ obtruncatus eſt (f).

MACHATI. Vide *Maacha*, *Maachati*.

I. MACHIR, nepos Patriarchæ Joſephi, author, & Princeps familiæ Macheritarum (g), pater Phares & Sares, & filiæ, quæ Eſtoni de Tribu Juda nupta, Segub filium, & Jair nepotem habuit (h).

(MACHINÆ BELLICÆ. Obſidionales machinæ recentiſſimum inventum reputandæ ſunt, ſi cum remotiſſima antiquitate comparentur. Nihil de illis Homerus; notatque Diodorus l. 2. Sardanapalum Regem Aſſyriæ, obſidentes Ninivem hoſtes ſeptennio ſuſtinuiſſe, quòd mœnibus urgendis obſidionales machinæ nondum obtinerent. Sed circa eam ætatem legimus 2. Paralip. 26. 14. Oziam Regem Juda in armamentariis ſuis comparaſſe *clypeos, & haſtas, & galeas, & loricas arcuſque, & fundas ad jaciendos lapides. Et fecit in Jeruſalem diverſi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent ſagittas & ſaxa grandia; egreſſumque eſt nomen ejus procul, eo quòd auxiliaretur ei Dominus & corroboraſſet illum*. Hoc facilè primum exemplum eſt machinarum bellicarum. Septuaginta circiter ab hinc annis (i) Nabuchodonoſor in obſidionibus Urbium Tyri & Jeruſalem arietes ac balliſtas admovit. Hebræum *Car*, quo Scriptura bellicam hanc machinam deſignat, exprimit reipſa arietem (k), & per metaphoram machinam ſuffodiendis mœnibus erigendiſque portis. Veterem obſidendarum arcium methodum deſcribit Ezechiel 26. 9. agens de obſidione Tyri per Nabuchodonoſorem: *Rex Babylonis circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro, & elevabit contra te clypeum & vineas, & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas deſtruet in armatura ſua.*

Cùm Urbium obſidionem aggrediebantur Veteres ductis circum aggeribus, foſſis, excitatiſque per intervalla turribus, eruptiones omnes & ſpem externorum auxiliorum prohibere defenſoribus conabantur. *Levare Clypeum*, non incongruè exprimeret quod Romani appellabant *teſtudinem formare*, cùm ſcilicèt conſerti milites levata ſupra caput ſcuta ita alterum alteri contexebant, ut ſquamatam teſtudinem referrent, atque ita in tuto ſuccedebant ſuffodiendis mœnibus, urgendis ſive igne deſtruendis portis. Baliſtæ vel catapultæ longius ejaculabant lapidea vel miſſilia; fortè etiam ſtupeæ machinæ, ut eſt in Hebræo, exprimunt uncos funibus commiſſos, qui in ſuperiora mœnia projecti, tracta fune ſecum pariter trahebant pinnas vel criſtas murorum (l). Manus haſce vel uncos ferreos facile agnoſcas in illo 2. Reg. 17. 13. *Circumdabit omnis Iſrael Civitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea.*)

II. MACHIR, filius Ammielis, ex urbe Lodabar, apud quem Miphiboſeth educatus fuit 2. *Reg.* 9. 5.

MACHMAS, ſive *Michmas*. Machmas apud Euſebium vicus eſt ſatis amplus, 9. miliar. ſive tribus leucis à Jeruſalem, Ramam versùs. Situs erat ad orientalem plagam Bethaven 2. *Reg.* 13. 6.

MACHMETHATH, urbs dimidiæ Tribus Manaſſe ciſjordanicæ (m), in confiniis Ephraim, & Manaſſe, è regione, & è conſpectu Sichem *Joſ.* 17. 7.

MACHTES. Vide ſupra *Lechi*, ſive infra *Pila*.

MACPHELA, vox Hebræa, duplicem ſignificans; hanc interpretationem ſequutus eſt Author Vulgatæ, de ſpecu juxta Ephron in Hebronis agro, in ſepulchrum Saræ uxoris ſuæ ab Abrahamo empto, agens, Gen. 33. 8. Alii tamen, nec immeritò, malunt vocem Macphela in eo Textu nomen eſſe agri, in quo ſpecus ſitus erat; quare ſententiam ita reddunt: *Speluncam, quæ eſt Macphelæ*; atque infra v. 17. *Ager qui eſt Macphela*. Vir Arabicæ linguæ peritus, nos monuit, vocem *Macphela*, apud Arabes ſonare *clauſum*, ſive *muris vallatum*; quare ſpeluncam illam in petra exciſam, muro ſedulò obductam fuiſſe credit, ne quid minimum violaretur. Hujus generis ſepulchra adhuc in Oriente ſuperſunt. Hujus quidem conjectura probabilis eſt, atque juxta illam reddi deberet: *Spelunca clauſa*, pro *ſpelunca Macphela*.

MACRON, ſive *Macer*. Vide *Ptolemæus Macron*.

MADABA, ſive *Medeba*, *Medaba*, *Medara*, urbs transjordanica, in ora meridionali Tribus Ruben (o), à Moabitis dein occupata (o). Sitam fuiſſe in viciniis Eſebon, ſive Cheſbon, Euſebius teſtatur. Cum ejus incolæ Joanni Gaddis, fratri Judæ Machabæi in Nabathæam proficiſcenti occurriſſent, illum trucidarunt (p); quam poſtea cædem Simon, & Jonathas fratres Joannis ulturi, filios Jambri, nuptam viri clariſſimi ſuæ regionis, in domum ſponſi traducentes, improviſò adorti, omnes occiderunt.

MADAI, tertius filius Japhet (q), quem patrem Medorum vulgò credunt: ſed ea regio nimium à cæteris filiorum Japhet regionibus diſtat, neque ſub *Inſularum gentium* nomine, quas Japhetidas frequentaſſe Moyſes teſtatur, cenſeri poteſt. His permoti rationibus Eruditi quidam (r) huic viro Macedonas tribuere malunt: Macedonia enim alio nomine *Æmathia* appellabatur, quod ex Hebræo *Ei*, Inſula, ſive ex Græco *Aia*, terra, & *Madai*, nomine hujus viri, de quo agimus, derivant, redduntque Inſulam, ſive Terram Madai. Porrò circa eam regionem populi *Madi*, ſive *Madi* occurrunt (ſ), & apud Macedonas Rex Medus nomine. Nomen Mediæ, regioni trans Euphratem, non ante Medeæ, & expeditionis Jaſonis in Colchidem tempora, inditum videtur (t).

MADAN, tertius filius Abrahami ex Cethura, Gen. 25. 2. qui una cum Madian fratre, Madianitarum (alii iſti à Madianitis ad Orientem Maris Rubri, de quibus mox) ad Orientem Maris Mortui author fuiſſe veriſimillimè creditur.

I. MA-

(a) 1. Mach. 3. 38. & 2. Machab. 10. 12. &c. (b) Joſeph. Antiq. l. 14. cap. 27.
(c) A. M. 3965. ante Chr. 35. ante Ær. 39. (d) Antiq. l. 14. c. 10.
(e) Antiq. l. 14. c. 11. (f) Antiq. l. 18. c. 7. Vide Matth. 14. 1. &c. Marc. 6. 16. &c.
(g) Num. 26. 29. (h) Vide 1. Par. 2. 21. 22. & 7. 16. (i) Circa A. M. 3416. & 3419.
(k) Ezech. 4. 2. 2. 21. 22. (l) Diod. l. 17. (m) Joſue 16. 6. (n) Joſue 13. 16.
(o) Iſa. 16. 2. (p) Antiq. l. 13. cap. 1. & 1. Macch. 9. 36. &c. (q) Gen. 10. 2.
(r) Joſeph. Medas, Salian. (ſ) Ariſt. de mirab. auſcult. Ptolem. c. 21. tab. 9. Europ.
(t) Vide noſt. Commen. in Gen. 10. 2. & v. *Medi*.

Digitized by Google

I. MADIAN, quartus filius Abrahami ex Cetbura (a). Madianitæ illi, qui filias ſuas ad ſollicitandos Iſraelitas ad crimen, & idololatriam Phegor miſere (b), ex Abrahamo per Madian originem ducebant. Adad filius Benadad Regis Idumææ, hos populos prælio fregit Gen. 36. 35.; ipſi viciſſim Iſraelitas ſub Judicibus jugo ſervitutis oppreſſerunt; quod tandem Gedeonis opera, pulſis hoſtibus, excuſſum eſt. Regionem incolebant ad orientem Maris Mortui, & ad meridiem Moabitidis, eorumque metropolis *Madian*, cujus, ætate S. Hieronymi & Euſebii, veſtigia ad Arnon, & ad meridiem Ar, ſive Areopolis ſupererant.

II. MADIAN, filius, uti videtur, Chus; Sephora enim uxor Moyſis, licèt, Madianitis, interdum *Chuſitis* appellatur (c); & Abacuc Chuſitas, & Madianitas, vel pro eodem, vel pro duobus finitimis populis uſurpat (d). Porrò Madian regionem cognominem ad orientem Maris Rubri incoluit (e); quò Moyſes aufugiens, Sephoram filiam Jethro in uxorem duxit *Exod.* 2. 15. Delatum ad eos populos nuncium, Hebræos ſicco pede Mare Rubrum pertranſiiſſe, vehementer illos deterruit (f). De urbe Madian Abulfeda ſcribit (g), ejus ruinas ad oram Maris Rubri oppoſitam Tabuc extare, à qua ſex dierum itinere diſtat. In ea verò urbe puteum eſſe, cujus aquis Moyſes pecua Schoaib (ita enim Mahometani appellant Jethro) adaquavit. Sub Iſmaelitis eadem urbs metropolis Tribus Madian habebatur. Alveus Maris Rubri eò loci ad 10000. paſſus in latum protendebatur, authore Ibulaid.

(MADIAN, MADIANITÆ. Ex Madianitis illi tantùm noti videntur Orientalibus, qui tenebant loca ad mare Rubrum juxta Sinai, quo veniens Moyſes Sephoram duxit. Arabes Scriptores reputant Madianitas exteras eſſe gentes, qui ſedem ſibi conſtituerunt in Arabia, alienas proinde à numero Tribuum veterum illarum gentium, quæ regionem illam frequentabant, & quarum inſuper hiſtoriam Scriptores illi fusè executi ſunt in Commentariis ſuis & Genealogiis (h): Id autem maximè favet opinioni referenti Madian ex parente Chus. Feruntur inſuper Madianitæ coluiſſe Idola *Abda*, & *Hinda*; miſſum autem dicunt à Deo Prophetam Jethro, impio huic cultui deſtituendo; ſed obfirmatos in impietate animos nactum fuiſſe; quare Deus latè omnes exterminavit, uti narravimus v. *Jethro*.

MADIANITÆ ex poſteris Madian filii Abraham. Decreta Madianitarum ultione merito criminis ab illis admiſſi, cùm Iſraelitas propuliſſent ad cultum Phægor, hæc Deus Moyſi intimavit Num. 31. 1. &c. *Armate ex vobis viros mille de ſingulis Tribubus, qui mittantur ad bellum. Miſit illos Moyſes cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis, vaſa quoque ſancta & tubas ad clangendum tradidit eis:* Arcam etiam fœderis additam cenſent nonnulli (i). Confertis cum hoſtibus manibus victoria ceſſit Hebræis, hoſtes fuſi ſunt, & occiſi quinque eorum Reges, Evi, Recem, Sur, Hur, Rebe, regnantes ſinguli in ſingulis Urbibus regionis Madian ad Orientem Maris mortui. Eodem ac cæteros fato obvolvit Deus impium Balamum, quem vita privavit. Ceſſerunt victoribus fœminæ, pueri, greges, & Madianitarum præda omnis; vaſtatæ ſunt incendio Urbes, arva, arces; & quidquid ex hoſtili accipi poterat totum translatum eſt in caſtra Iſraelitarum.

* In narranda ingentis hujus prælii hiſtoria multò parcior eſt Author, quam pro more conſueto; uno verbo rem expedit, quare veniam facilis impetrabo, ſi non leves conjecturas addendas ſuſcipiam. Moyſi in Madianitas arma mandat Deus: *Armate ex vobis*, injunxit ille Moyſi, *viros, qui poſſint ultionem Domini expetere de Madianitis*. Hæc ſatis ad inducendam ſpem certam victoriæ; cùm enim Dominus pro nobis certat, quis de victoria deſperet? *Igitur dederunt millenos de ſingulis Tribubus*, i. e. *duodecim millia expeditorum ad pugnam, quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis* (ſub eo ſcilicet Duce), *vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit eis*. Hæc vaſa ſancta torquent Commentatorum Scriptores, nihilo tamen ſeciùs apertè adeo diſtinguuntur à buccinis, ut buccinas illas, & vaſa ſancta unum idemque ſignificare nonniſi per errorem reputaremus. Quare pronum eſt ut credamus: Arcam hic deduxiſſe Levitas, uti non ſemel alias factum eſt (k). Profectò nihil diſcriminis ex ea re timere poterat ſacro illi pignori, fidem enim ſuam obligaverat Deus populo ſuturum ut integram de Madianitis referrent vindictam.

Sacerdotum munus erat potiſſimum, ut buccinis in prælio canerent, & Arcam, ſi fortè præſens adeſſet, defenderent. Quo ordine utraque acies inſtrueretur, ſilet Scriptura; facilè tamen à Methodo veterum populorum Aſiæ neutra receſſit, quare mihi quidem inſtruerentur Iſraelitæ in unicam lineam, è duodecim diviſa agminibus mille armatorum, in ſingulis formatam. Arcam fœderis protegebant Sacerdotes & Levitæ, quorum agmini præcedebant tibicines. Madianitæ pariter ſuam facilè exhibebant phalangem in unicam lineam; cum verò Iſraelitæ numero eſſent inferiores, majora intervalla conſtituerunt inter agmina, quò ſcilicet univerſæ quà latè pateret hoſtilis lineæ fronti ſeſe opponerent, totamque per intervalla vexarent. Hæc methodus juvabat Judæos ferè ſemper numero hoſtibus ſuis inferiores, maximè ſub Macchabæis.

Nihil hic de equitibus, quod rarum erat ea ætate belli præſidium. An ideo fortè, quod præ nobis melius de re tota judicarent; reputarentque cum Xenophonte decemmillenos equites nihil eſſe aliud, quàm decem millenos homines, neque enim certant inter ſe equi. Succeſſu dein temporis equites inundarunt in exercitus; Occidentales populi, ut Græci Romanique (cùm diſciplina apud illos vergere cœpit in deterius) frequentiſſimis uſi ſunt, eò majoribus ſemper, quò magis res abibat in pejus.

Ut ad Iſraelitas regrediamur: *Cùm pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum ..... Baalam quoque filium Beor interfecerunt gladio*. Impius hic Ariolus, qui cùm perniciosa illa conſilia Moabitis & Madianitis (l) inſpiraſſet, belli cauſam induxerat, communi ſuorum cæde ipſe pariter ſublatus eſt. Quæ poſt victoriam hanc conſequuta ſunt, multò ceſſerunt hoſtibus deteriora; deſolatio latè pervaſit regionem, Urbes, arva, arces everſæ, direptæ, crematæ ſunt. *Et tulerunt prædam, & univerſa quæ ceperant, & portaverunt ad caſtra in campeſtribus Moab juxta Jordanem contra Jericho*, ut ſpolia dividerentur inter omnes. Eſt utique prælium hoc terribile maximè ac ſævum, ut injuſti ac prædonis notam non evaderet Moyſes, niſi Deo authore hæc ab ipſo geſta ſciremus.)

MADMENA, filius Saaph. 1. *Par.* 2. 49.

MADON, urbs Chanaanitidis, cujus Rex Jobab fœdus cum Jabin Rege Aſor, aliiſque pluribus adverſus Joſue iniit (m); ſed ab eo victus, & urbs capta, everſaque eſt. Hujus urbis ſitus latet, cùm de ea mentio, præter quàm in cap. 11. 1. & 12. 19. Joſue, nuſquam occurrat. Crediderim tamen pro *Madon* legendum *Maron*, cujus nomini affinis eſt Maronia, locus in Syria, 30000. paſſibus ab Antiochia, ad ſeptentrionem Libani (n). In originali etiam Hebræo *Maron* legitur.

MAE-

(a) Gen. 25. 2. Vide *Madan*. (b) Nu. 22. 4. 7. & 25. 15. & 31. 2. &c. (c) Num. 12. 1. in Hebr.
(d) Habac. 3. 7. in Hebr. (e) Antiq. l. 2. c. 11. (f) Habac. 3. 7.
(g) Abulf. Deſcript. Arabiæ. (h) D'Herbelot. Bibl. Orient. pag. 581. & 476.
(i) Rabb. Liran. Munſter. Bonfrer. Spencer & alii paſſim.
* Animadverſiones in victoriam Iſraelitarum de Madianitis. Num. 31. 3.
(k) Joſue 6. 1. & 1. Reg. 4. 5. &c. (l) Num. 24. 14. & 31. 16.
(m) Joſue 11. 1. & 12. 19. A. M. 2554. ante Chr. 1446. ante Ær. 1450. (n) Hier. in vita Malchi.

MAELETH, vox in titulo Pſal. 52. 1. occurrens (a), pro qua nonnulla exemplaria vetera legunt *Amalech*. Sunt qui autument, *Maleth* genus eſſe muſici inſtrumenti; quod nulla conjectura probari poteſt. Nos de chorea dictum intelligimus, quod ſatis Hebraicæ vocis ſignificationi conſonat; hinc totum Pſalmi titulum ità reddimus: *Pſalmus Catechеticus David, pro eo, qui Choreis præſidet.*

MAGALA, locus, ubi Iſraelitæ caſtrametabantur, dum David, & Goliath certamen inierunt 1. *Reg.* 17.20.

MAGDALEL, urbs Tribus Nephtali Joſue 19. 38. cujus nomen redditur *Turris Dei*.

MAGDALENA. Vide *Maria Magdalena*. Sunt, qui tres fœminas, nempè Mariam Magdalene, Mariam ſororem Lazari & Marthæ, cum fœmina illa peccatrice Luc. 7. 37. &c. præpoſterè in unam confuderint. Conſulantur ſcripta de hoc argumento plura, & nos in ſuo titulo.

MAGDAL-GAD, ſcilicet *Turris Gad*, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 37.

MAGDAL-SENNA, urbs 7. milliar. à Jerichunte ad ſeptentrionem. Euſeb. in locis.

MAGDALUM, ſive *Magdala*, *Magdalum*, & *Migdol*, quæ diverſa nomina turrim ſignificant, & aliquando in Scriptura ſola, aliquando alteri nomini adjacientia occurrunt. Arcis *Magdala* propè Gamalam, è qua alii credunt Mariam Magdalene nomen obtinuiſſe, meminit Joſephus de Bell. l. 5. c. 25. Antiq. l. 18. 1. & in vita.

MAGDALUM. Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi, caſtrametati ſunt *è regione Phihahiroth, qua eſt inter Magdalum, & mare, contra Beelſephon*. An locus iſte urbs ſit, an Turris tantummodò, incertum. De Magdalo in inferiori Ægypto contra Thebaidem, frequenter ſermo eſt in Prophetis. Jerem. 53. 2. 14. Ezech. 29. 10. Magdalum 12. milliar. à Peluſio in Itinerario Antonini removetur.

MAGDIEL, locus 5. milliar. à Dora, Ptolomaidem versùs, quem eundem eſſe cum *Mageddo*, ſive *Magdolo* arbitramur.

MAGDIEL, Princeps Idumæorum, qui Masbari ſucceſſit. *Gen.* 36. 43.

MAGDOLOS, apud Herodotum (b), idem fortaſſe, ac *Mageddò* (c) de qua infra.

MAGEDAM, ſive *Majedan*, & *Madan*, in *Dalmanutide*, in cujus articulo ſatis de hoc loco egimus.

MAGEDO, vel *Mageddo*, *Megiddo*, urbs Tribus Manaſſe (d), cæde exercitus Joſiæ, ejuſque lethali vulnere, à Nechao Ægypti Rege inflicto, celebris 4. Reg. 23. 29. 30. Hanc victoriam à Nechao relatam juxta Magdolon Herodotus 1. 2. c. 159. teſtatur, ut nos alibi animadvertimus. Aquæ Mageddo laudantur. *Judic.* 5. 19.

MAGETH, urbs transjordanica, à Juda Machabæo occupata (e), in Græco *Maked* eadem fortaſſe ac *Machat*. Joſue 13. 11. 13. & 12. 5.

MAGI, qui Jeſu Chriſti incunabula veneraturi, Bethleem venerunt. De illis plura Eruditi ſciſcitantur; qui fuerint, unde venerint, quot fuerint, quo tempore Jeroſolymam pervenerint, & quid de ſidere ab illis viſo. Philoſophi, & Divini, ac Aſtronomiæ periti vulgò creduntur: additum etiam, Balaamum authorem generis, & præceptorem habuiſſe, à quo pluribus ante ſæculis oraculum pronunciatum (f) *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*, ſive *filios ſuperbiæ*. Huic opinioni favere videntur Scripturæ verba, quibus Magi *ex Oriente veniſſe* perhibentur Matth. 2. 1.; cùm Orientis nomine non rarò apud Authores Sacros Arabia deſerta, ſive Meſopotamia ſignificetur. Hinc Balaam de ſe ipſo teſtatur, *veniſſe de Aram; de montibus Orientis*; *Num.* 32. 7. cùm tamen ex *Pethora*, urbe ad Euphratem, veniſſet (g) De adventu Abrahami in Terram promiſſionis agens Iſaias 41. 2. ait: *Quis ſuſcitavit ab Oriente Juſtum?*

Arabes, Idumæi, & Chaldæi Populi Judæis orientales ſapientiam affectabant (h), hinc apud illos nomen Magi Philoſophis, & Sapientibus tributum vulgare erat. Tertullianus (i), S. Juſtinus Martyr (k), S. Epiphanius (l), & inter recentiores Toſtatus, Mariana, Barradius, Grotius, Cornelius à Lapide, aliique plures, huic noſtræ opinioni ſuo ſuffragio accedentes, trans Euphratem, ſive è Meſopotamia, ut verbo dicam, ex Oriente Judææ Magos arceſſunt. Neque vacat impræſentiarum eorum opinionem refutare, qui è Perſide, Armenia, Æthiopia, vel tandem è tribus Orbis partibus, Aſia, Africa, & Europa illos repetunt. Qui plura de hoc argumento cupiunt, adeant ſcriptos in eam rem libros, noſtramque Diſſertationem, Commentar. in S. Matthæum præfixam.

Nonnulli ex veteribus Patribus credidiſſe videntur Magos hoſce tres fuiſſe, Regnoque in ſua ſingulos regione potitos. Hanc Magorum Regiam dignitatem defendiſſe Tertullianus (m) videtur, putat enim apud Orientales Regnum Magis deferri conſueviſſe: quo nihil incertius. S. Ambroſius (n), ſeu S. Cæſarius Arelatenſis Regium illis nomen attribuit; ſed vox *Reges* in Textum irrepſiſſe videtur. Ejuſdem rei aſſertorem laudant S. Cyprianum (o) in ſermone de Baptiſmo; ſed hujus Scripti authorem Arnaldum, Abbatem Bonævallis, S. Bernardi ætate fuiſſe conſtat. Paſchaſius Radbertus, qui nono Sæculo in Monaſterio Corbejenſi floruit (p), rem eſſe exploratam in hiſtoriis Ethnicorum tradit, quòd Magi Regnum obtinuiſſent. Theophylactus in Matth. 2. inter Græcos ſe ejuſdem opinionis eſſe teſtatur. Hæc apud veteres luculentiſſima teſtimonia occurrunt; cætera, quæ laudari ſolent, nec liquida ſatis, nec expreſſa ſunt; Recentiorum verò authoritas parvi eſt ad eam rem momenti. Quæ huic ſententiæ recipiendæ contuliſſe videntur, verba ſunt Pſalmi 71. 10. Magis accommodata: *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.*

Cui potiſſimùm ſtudio Magi operam dederint, non ſatis inter authores convenit. Sunt qui curioſis, ac diabolicis artibus, divinationi, Aſtrologiæ Judiciariæ, & Magiæ vacaſſe autument (q); quinimò ſectatores fuiſſe Zoroaſtris in Veteri Evangelio infantiæ Salvatoris traduntur. Alii tamen, æquiora de Magis ſentientes (r), Magiæ naturali operam dediſſe credunt. Ex Abrahamo, & Cethura originem duxiſſe S. Epiphanius maluit, Prophetæ, & viri divinitùs inſpirati à Ruperto Abbate dicuntur. Origenes in ea fuit opinione, quòd ii, dum Magiæ vacabant, ſubitò Dæmonibus ſucciſos eſſe nervos ſentientes, cauſam ſiſcitati ſunt; quo tempore ſimul novum ſidus in Cœlo exortum aſpicientes, illudque idem eſſe putantes, de quo Balaam teſtimonium

(a) Aquila Ἐπὶ χορείᾳ Theodot. ὑπὲρ τῆς χορείας, pro choreis. Sym. διὰ χορῶ, pro choro.
(b) Herodot. l. 2. c. 159. (c) 4. Reg. 23. 29. 30. (d) Joſue 11. 17. Judic. 5. 27.
(e) 1. Mach. 5. 36. (f) Num 24. 17. An. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.
(g) Num. 24. 5. Vide Euſ. in locis Padura. (h) Vide 3. Reg. 4. 30. Jerem. 49. 7. Abdias v. 8.
(i) contra Jud. & l. 3. contra Marcion. (k) Dialog. contra Tryph.
(l) Epitom. Fidei Cathol. (m) Tertull. contra Judæos & lib. 3. contra Marcion.
(n) Serm. 139. in Appen. 5. tom. S. Auguſt. nov. edit.
(o) Serm. 2. de 7. Cardin. oper. (p) In Matth. 2.
(q) Ignat. Ep. ad Epheſ. Juſtin. Dial. Origen. hom. l. 3. in Num. & cont. Celſ. l. 1. Ambroſ. l. 2. in Luc. Tertull. de Idol. Hilar. l. 4. de Trin. n. 36. Hieron. in Matth. 2. &c.
(r) Author oper. Imper. in Matth. Author qu. ex Vet. & Nov. T. qu. 63. Vide & Mald. Vat. Brag. Eraſm. Hammond. &c.

Digitized by Google

monium tulerat, ratique ortum novi Regis Iſraelis eò indicio annunciari, illicò ad eum requirendum, colendumque ſe contulerunt (a). Eadem ferme apud S. Baſilium de hum. Chriſti gener., & S. Ambroſium in Luc. l. 2. occurrunt. S. Hieronymus in Iſai. 19. putat, Dæmonum opera, ſive potiùs ex oraculo Balaami Chriſti nativitatem reſciviſſe; Tertullianus non ex Dæmone, ſed Aſtrologia aſſequutos ſentire videtur; quippe cum de Aſtrologia judiciaria ita diſſerat (b): *Scientia iſta uſque ad Evangelium fuit conceſſa, ut Chriſto edito, nemo exinde nativitatem alicujus de Cœlo interpretetur.*

Tres fuiſſe jàmdiù crediti ſunt; eamdemque rem S. Leo non rarò exploratam ſupponit (c): S. Cæſarius diſertè teſtatur (d); idem etiam Authores duorum ſermonum S. Auguſtino olim adſcriptorum (e), quorum alter nomen Euſebii Emiſſeni aliquando prætetulit, alter S. Leoni reſtitutus eſt. Paria legas apud Bedam, Rupertum Abbatem (f), alioſque innumeros Interpretes. Ea fortaſsè opinio ex tribus oblatorum munerum generibus, auri nempè, thuris, & myrrhæ, invecta eſt. Non deſunt, qui vel nomina ipſa Magorum toti antiquitati ignota, adeoque ſuſpecta, deſignent, Gaſparis nempè, Balthaſſaris, Melchioris; ſive *Magalat*, *Galgalat*, *Saraim*, quæ nomina eſſe Græca autumant; ſive *Apelli*, *Amerii*, & *Damaſci*, quæ Hebræa dicunt: ſive tandem *Ator*, *Sato*, & *Pataorias* (g).

Inter Bedæ Opera in fine tomi tertii Liber extat, titulo: *Excerptiones Patrum &c.*, in quo hæc referuntur. *Melchior* inter Magos ſenior, albo crine, ac promiſſa barba venerabilis, tunicam geſtabat hyacinthinam, ſagum croceum, ſive aureum (*ſago mileno ſive milino*,) cothurnum cæruleum albo mixtum, Regiam tandem faſciam variegatam; hic verò aurum ad Chriſtum detulit. *Gaſpar* Magorum alter juventam imberbem atque florentem præferebat; aureà tunica, ſago rubio, cothurno hyacinthino induebatur; ex donatis verò thus, Divinitatis indicium, detulit. *Balthaſar* tertius ſuccedebat; fuſco oris colore, promiſſaque barba, rubra veſte, ſago variegato, croceo cothurno; à quo myrrha, indicando aſſumptæ à puero mortali naturæ, delata. Porrò hiſce fabellis ſcatens Liber Venerabili Authore indignus videtur, cujus etiam ætate recentior eſt.

Hieronymus Oſorius Algarbiæ in Luſitania Epiſcopus refert, Regem quemdam urbis Cranganoria in Regno Calecuti, nomine Cheriperimalem, contractum ſororio inceſtu crimen expiaturum, iter ſuſcepiſſe; cum autem in Caramaniam veniſſet, duos ibi Magos celeberrimos nactus eſt, à quibus de ortu Infantis è Virgine matre certior factus, una cum illis in Judæam ad puerum adorandum tetendit, ac deindè in ſuam ſinguli regionem regreſſi ſunt. Rex autem Cranganoris in ſua urbe Eccleſiam ædificavit, in qua Virginis, puerum in ulnis tenentis, ſimulachrum ſtatuit; juſſit quoties Mariæ nomen elata voce inclamaretur, toties ſingulos proſterni. Hanc hiſtoriam ſe didiciſſe narrat Oſorius ex viris rerum Indicarum peritiſſimis, qui ex veteribus populorum monumentis illam acceperant. Addit inſuper, apud Indos conſueviſſe Magos ita pingi, ut duo primùm ſimul euntes exhibeantur, albo ore, regiis veſtibus induti, ac munera deferentes; illos ponè ſequitur tertius ore nigerrimus Æthiopis inſtar, ſua etiam munera præferens. Hanc hiſtoriam etiam Maffejus Hiſt. Ind. l. 1. narrat, Regemque illum *Perimalem* appellat.

Author Operis imperfecti in Matthæum *hom.* 2. ex veteribus quibuſdam Libris apocryphis, Sethi nomine inſcriptis, tradit, Magos duodecim ex omnibus nationibus ſelectos fuiſſe, ſucceſſione ex patre in filium à pluribus Sæculis deducta, quorum munus erat ortum novi ſyderis, à Balaamo prædicti, ſcrutari. Quare, montis vertici inſidentes, ſedulò ſtellas ſpectabant, cùm ſubitò expectatum diù ſydus, puerum in medio, crucemque in vertice referens, apparuit. A puero autem illo humana voce moniti, in Judæam perrexere. Author Gloſsæ ordinariæ plures fuiſse Magos dicit, numerum minimè determinat. In eodem Opere imperfecto legimus, S. Thomam in Perſidem veniſse, ubi Magos baptiſmo initiavit, eoſque ad Evangelii prædicationem comparavit. Martyrium in quadam Arabiæ urbe obiiſse creduntur; quamquam Armeni martyres illos ſuos, ſuæque religionis inſtitutores jactitant (h); quare ex optimatibus Armeniæ quidam, in ſuis ad S. Ludovicum literis, Magos ad Tangat Armeniæ pertinuiſse teſtatur (i).

Præſcribendo tempori, quo Magi in Judæam venere, operoſiùs ab Eruditis laboratum eſt. Qui ab ima Perſide illos accerſunt, biennium itineri tribuunt (k), biennio ante exortum Chriſtum ſydus apparuiſſe putantes: quorum opinioni Evangelii textus favere videtur, in quo pueri omnes intra biennium nati, juxta tempus à Magis deſignatum, neci traditi aſſeruntur. Alii malunt poſt biennium ab exorto Chriſto illos Bethleem perveniſſe. Alii tandem à die nativitatis iter ſuſcepiſſe, atque dromedariis uſos intra tredecim dies viam confeciſſe arbitrantur. Non deſunt, qui tempus exorti ſideris ad diem conceptionis S. Joannis Baptiſtæ, ſive ad Incarnationis Jeſu Chriſti revocent; mihi tamen certum itineris ſuſcepti diem definire arduum videtur; confecti verò tempus omnes ferè ad decimum tertium à nativitate Jeſu Chriſti diem conſignant. Porrò ſi ab Euphrate illos accerſamus, totum iter minori ſpatio, quàm 20. dierum conficere commodè poterant, viam Arabiæ Deſertæ tenentes, atque dromedariis de more ejus regionis uſos; Euphrates enim Jeroſolyma 200. leucis diſtat.

Modo de ſtella Magorum diſſerendum. Ex veteribus nonnulli (l) ſidus illud tunc primum creatum fuiſse, nativitatique Meſſiæ annunciandæ deſtinatum credidere. Cometæ genus fuiſse in aere apparentis cenſet Origenes contrà Celſ. l. 1. Maldonatus, & Grotius. Fulgor ille Paſtoribus propè Bethleem viſus Magis etiam longè à Judæa diſtitis apparuit, ſi Lightfooto credimus. Angelum, luce fulgentem, ſideris inſtar ducem ſe Magis præſtitiſse alii maluerunt (m). Author Operis imperfecti in Matthæum, & S. Epiphanius Hær. 26. & 39. ex veteri traditione Libri apocryphi Seth, ſidus illud in medio infantem, & in vertice crucem exhibuiſſe ſcribunt. Author Libri de mirabilibus S. Scripturæ, ſub ementito Auguſtini nomine, refert ex quorundam opinione Spiritum S. ſub aſtri forma Magis apparuiſſe, ut olim columbæ ſpecie Jeſu Chriſto in ejus Baptiſmo incubuit. Fulgor autem hujus ſideris præ cæteris emicabat, authore S. Ignatio in Epiſt. ad Epheſ., ac Solem, & Lunam veluti obſequentes habebat; totum verò mundum in ſui

(a) Orig. l. 1. contra Celſ. (b) Tertull. de Idolol. (c) Leo ſer. 1. 4. 5. 6. 7. de Epiph. & Ep. 16. c. 1.
(d) Cæſar. Serm. 139. appen. S. Aug. t. 5. nov. edit.
(e) Serm. olim. 29. & 33. de temp. nunc. 133. & 136. Appen. to. 5. S. Aug.
(f) Ruper. & Beda in Matth. 2. (g) Caſaub. in Baron. Bollan. t. 1. p. 7. 8. Mail.
(h) Chardin. Voyage de Perſe t. 3. (i) Spicileg. t. 7. an. 1249.
(k) Vide ſerm. 132. & 132. in Append. tom. 5. S. Aug. nov. edit. Quidam apud Theophylact.
(l) Leo ſerm. 1. de Epiph. Chryſoſt. hom. 6. in Matth. Baſil. de Hum. Chr. Nativit. Amb. l. 2. in Luc. Fulg. Hom. de Epiph. Author. ſerm. 131. app. t. 5. oper. S. Aug.
(m) Chryſoſt. & Theophyl. in Matth. Evang. infantiæ, Author de mirabilib. S. Script. Cæſar. Dial. 20. Maldon.

in ſui trahebat admirationem, & contemplationem.

Chalcidius Philoſophus Platonicus in Commentario ad Timæum Platonis ejus ſideris meminit (a): *Eſt alia ſanctior, & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de ſtella ortu cujuſdam, non morbos, mortesque prænunciantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, rerumque mortalium gratiam, quam ſtellam cùm nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum geſtarum ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem Dei ortum, repertaque illa majeſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe.*

An verò ſidus illud Magis tantum, an omnibus ſpectabilem ſe præbuerit, ambigitur. Sunt qui ſolis Magis viſum credant (b); neque illis, ut nonnulli autumant, niſi ſemel, & iterum, aut tertiò, nempe itineris initio, & in egreſſu ab Jeruſalem, cum Bethleem tenderent (c). S. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. S. Ambroſius in Luc. l. 2., S. Auguſtinus Serm. 200. 201. 202. novæ edit. S. Bernardus Serm. 3. in Epiph., Author Operis imperfecti cenſent, ſidus illud perpetuò à Magis viſum, quouſque Hieroſolymam pervenirent; illo autem ſtatim evaneſcente, locum exorti Meſſiæ exquirere coacti ſunt. Verum S. Ignatius Martyr, & Pſeudo-Evangelium Infantiæ Salvatoris omnium aſpectui pervium fuiſſe aſtrum, atque omnibus volentibus præiturum ad Chriſtum teſtantur; cujus rei certi fuiſſe Magi videntur, cùm Jeroſolymis, palam ubique puerum requirentes, dicerent: *ubi eſt, qui natus eſt, Rex Judæorum; Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente.*

Nos quidem credimus, ſidus illud meteori genus fuiſſe, quod concepto igne in media aeris regione emicabat; hanc verò Magi obſervantes, quòd ſupra naturæ ordinem, conſuetamque legem res videretur, ſidus eſſe à Balaamo prædictum, ortum novi Regis annuncians, ſuſpicati ſunt. Fulgor autem iſte per aera diſcurrebat nebuloſæ inſtar columnæ in Deſerto. Fulgori intimus Sancti Spiritus illapſus, atque gratiæ vis acceſſit, qua ad ejus ſequelam Magi incitarentur. Vide, quæ de hoc argumento latius egimus in Diſſertatione, Commentariis in Matthæum præfixa.

(MAGI. Magi Perſarum ignis cultores præceptorem agnoſcunt Zoroaſtrem, quem cum Abrahamo confundunt. Tribus voluminibus comprehenſam Religionem ſuam univerſam (d); en titulos, *Zend*, *Pazend*, *Abeſta*: Abrahamo authori tribuunt; eſt autem Abeſta præcedentium duorum Commentarius. Magorum traditio fert, Abrahamum Librorum lectione tempus ſefelliſse, cùm in ignem juſſu Nemrodi injectus, medius inter flammas verſaretur. Magi, poſt Zoroaſtrem præceptorem ſuum, principia in Mundo agnoſcunt duo, *Oromardum*, unde bonum; *Aberman*, unde malum. Ignem colunt in Templis appellatis *Ateſch-Kanah*, vel *Ateſch Vade-Kade*, i. e. domum ignis, ubi ſolers igni ſervando cura impenditur. Ædificiorum ejuſmodi plura olim ſpectabantur in monte Alborz in provincia *Adherbrigan* in Media. Ignem appellant *Bab*, i. e. partus; quod rerum omnium principium, ut olim etiam Anaxagoras docuit apud Græcos, ignem ſtatuunt.

Myſticum ſilentium ſervant Magi cùm lavant manus, vel cibum deguſtant, verbis nonnullis antea præmiſſis (e). Inviolatum hoc ſilentium portio eſt Magicæ Religionis: nec fortè aliundè ſilentium illud ſuum expreſſit Pythagoras, qui & à Magis accepit ſummum illud, cui Diſcipulos ſuos addixit, in ignem obſequium. Singulis anni menſibus, ſingulis menſium diebus, aſtris, montibus, fodinis, aquis, arboribus, ſuos aſſignant Genios, vel Angelos illos, qui ante hominem producti, à fide & obſequio deſciſcentes exules amandati ſunt in regionem, quam denominant Geniorum, uti ſi diceretur regio Sagarum. Recurret iterum de Magis ſermo V. *Zoroaſtres*. Animadvertiſse hic juvat tres illos Libros, de quibus ſupra à Guebris vel cultoribus ignis Abrahamo tributos, reipſa tamen referendos ad Hibraim Zerdouſt alio nomine Zoroaſtrem apud Græcos; Libros, inquam, illos rariſſimos eſse & planè ignotos; ſumma enim Religione ſervantur apud Guebres, ut exterorum nulli permiſſi ſint. Vetuſto Perſico ſermone ſcriptum eſt Opus, nec uſpiam adhuc Europæis innotuit (*).

Nomine Magus expreſſum ferunt hominem abſciſſis auribus; nec ſanè aliud ſonat *Mige guſch* in vernaculo Perſarum ſermone tunc obtinente, cùm Pſeudo Smerdis, profeſſione Magus, thronum Cyri uſurpavit. Neminem ignorare arbitror caruiſse illum auribus, quo indicio proditus eſt à filia Ozanis (f), demonſtratuſque unus eſse è viris Principibus Perſidis. Alio igitur nomine diſtinguebantur olim Magi ante Smerdim, ſummamque obtinebant in Perſide authoritatem; cui plurimum derogatum eſt poſt detectum viri hujus facinus.

Agnoverint licèt Philoſophi iſti in natura duo principia, boni ſcilicet unum, & mali alterum (g), quorum illud à lumine exhibetur, hoc vero à tenebris: ambo autem Divinis honoribus, precibus, & cultu ſunt paria; nihilo tamen ſeciùs in varias abibant Perſæ illi ſententias, tenentibus aliis ambo hæc parem referre æternitatem; aliis verò aſſerentibus bonum tantùm principium ab æternitate repetendum; malum verò creatione exordium duxiſse, uti etiam apud nos dogmate conſtitutum eſt, Dæmonem creaturam eſse è primæva ſanctitate excidentem.

Convenit etiam inter Perſas, duo hæc principia nunquam inter ſe conciliari, quod inter illa diſſidium ad exitum uſque mundi duratum eſt; tunc autem bonum obtenturum ſuperiora. Poſt hæc ſuus erit utrique mundus peculiaris; bonum cum bonis & inter bonos regnabit; impius cum impiis & inter impios. Summos etiam honores deferunt Magi luci, ſoli, igni ſacro Templorum ſuorum, ſicut & domorum privatorum igni, religionis ſuæ actus omnes coram illis obeuntes.

Summus viciſſim horror in tenebras, quas perinde abominabantur ac nos Dæmones, habebantque veluti ſymbolum mali principii. Cùm fortè in ſcriptis exarandum erat nomen *Aherman*, quo malum principium deſignatur, tranſverſo id ordine ſcribebant; & cum Xerſes certior factus eſſet Themiſtoclem Athenis extorrem actum fuiſſe, preces convertit ſuas ad malum hunc Deum, & non ad *Oromardum*, rogavitque ut paria ſemper hoſtibus ſuis inſpiraret, pellendi ſcilicet, quos apud ſe habebant viros ſtrenuos.

Exhibent hæc veteres Perſarum Magos; exhibent & noſtræ ætatis Guebres vel cultores ignis apud Perſas & Indos; nec facilè alios ſub Magorum nomine deſignat S. Matthæus.

MAGUS. Magi occurrunt ſæpè in Scriptura; deſignant autem plerumque Divinum, ſeu boni ominis Interpretem &c. Id genus hominum ne conſulatur, capitali ſupplicio vetat Moyſes Levit. 19. 31. & 20. 6. *Non declinetis ad Magos, nec ab Arioliſ aliquid ſciſcitemini..... anima quæ declinaverit ad Magos, & ad Ariolos.... ponam faciem meam contra illam, & interficiam illam de medio populi ſui.* Hebræum *Oboth* & *Jedonim* exprimit ad literam, illud quidem homines Pythone vel Dæmone afflatos, qui ſe futurorum interpretes aſſerunt; alterum verò *Cognitores*, qui ſcilicet occulta pandunt. Id genus hominum ab omni latè Iſraele exterminavit Saul. 1. *Reg.* 28. 3.

Me-

(a) Chalcid. in Tim. Plat. p. 19. quo tempore floruerit, incertum, certè Chriſtianus.
(b) Author Præadamit. l. 4. c. 3. (c) Baſil. hom. de human. Chriſti nativ. Auth. de mir. S. Script.
(d) Bibl. Orient. pag. 11. Abeſta, & alibi. (e) Idem pag. 867.
(*) Idem p. 701. (f) Vide Juſtin. Herodot.
(g) Vide Thomam Hyde Hiſtor. Relig. Vet. Perſar. Hottinger. Hiſt. Orient. l. 4. c. 8. &c.

Digitized by Google

Meminit etiam Daniel 1. 20. & 2. 2. 10. 27. *Magorum* & Ariolorum Chaldææ ſub Nabuchodonoſore. Quatuor illorum genera diſtinguit: *Chartumim*, *Aſaphim*, *Meſcaphim*, *Caſdim*. Priores iſti ſunt, juxta Theodotionem. *Excantatores*; juxta Septuaginta *Sophoſtai*, juxta S. Hieronymum Arioli Genethliaci. Secundum alterum *Aſaphim* affinitatis habet plurimum cum Græco *Sophos*, ſive id Græci è Babyloniis ſive Babylonii è Græcis acceperint. Porro nominis *Aſaphim* nulla eſt radix in Chaldæo, & ex Græco deductum autumat Grotius. Theodotion & S. Hieronymus reddiderunt *Magi*, Septuaginta *Philoſophi*.

Tertium quod ſequitur *Meſcaphim* reddunt Græci cum S. Hieronymo *Malefici*, qui ſcilicet herbis & magicis medicaminibus, ſanguine victimarum, mortuorum oſſibus ad ſuperſtitioſa utuntur. Quartum *Caldim*, Chaldæi, duas præfert ſignificationes. Exprimit enim Chaldæos, quibus tunc præerat Nabuchodonoſor; exprimit & Chaldæos genus quoddam Philoſophorum, qui in ſegregato Urbis loco ſedes habebant, ab oneribus muneribuſque omnibus publicis exempti, operam dantes Phyſicæ, Aſtrologiæ, Divinationi, & futurorum prædictioni ex Aſtris, ſicut & interpretationi ſomniorum, ſcientiæ augurali, ac Deorum cultui &c. Vide Diodor. Sicul. lib. 1. & lib. 2. & Strab. lib. 6.

Artes omnes curioſæ & ſuperſtitioſæ Lege interdicebantur Iſraelitis; ut autem omnis illis præcideretur anſa imitandi cæteros Orientis populos, apud quos ſui erant Arioli, Magi, & Excantatores; Deus eorum omnium loco dederat Prophetas, futuros occultoſque pendentes eventus certa quadam tuta & aperta vaticinandi ratione; cùm interim Arioli ambigua ſemper efferrent obſcura, ænigmatica, pernicioſa quà conſultoribus ipſis, quà conſulentibus. Utroſque extremo ſupplicio damnabant Leges. Videſis v. *Jamnes & Mambres*; vide etiam *Python*.)

MAGIA, quæ cum varia ſit, & multiplex, Dei Lege ea tantummodò prohibetur, cujus vis eſt mira, Dæmonis ope implorata; omnis proinde Magia nigra, atque ſuperſtitiones, quibus Magi, Sortilegi, Incantatores, Necromaniæ, Exorciſtæ, Aſtrologi, Arioli, ſomniorum Interpretes, horoſcoporum obſervatores utuntur, ſive in hominum detrimentum, ſive in beneficium. Cautum eſt capitali pœna, ne magi conſulantur *Levit* 19. 31., & ſiquis clam illos adiverit, exterminandum è Populo Deus minitatur. *Levit.* 20. 6. Saul è tota ditione Iſraelis illos expellere conatus eſt (a), quamquam pro voto res non ſucceſſit, cum extitiſſe adhuc nonnullos, atque Iſraelitas in illud ſuperſtitionis genus adhuc inclinatos fuiſſe conſtet. Exploratum eſt, Magos Pharaonis eadem ſuis incantationibus, ac Moyſes vero miraculo, præſtitiſſe. Vide *Jannes*, & *Mambres*, & noſtram Diſſertationem, Commentariis in Exodum præfixam.

(MAGNUS uſurpatur de viro quocumque locupleti, potente, celebri, magnifico, illuſtri, ſeniori: *Filium ſuum majorem* (Hebr. *magnum*) filium natu majorem. Naaman *magnus erat vir apud Dominum ſuum* 4. *Reg.* 5. 1., ſummam obtinebat apud Regem ſuum authoritatem. *Faciam te in* gentem magnam, i. e. potentia & numero florentem Exodi 11. 3. *Fuit Moyſes vir magnus valde in terra Ægypti*; in omni regione perinde habebatur ac vir ſingularis & a Deo miſſus. *Mare magnum* excellentiæ quadam appellatione deſignabat Mediterraneum, cujus amplitudo major erat ſanè, quam maris mortui & maris Geneſareth, duorum ſcilicet lacuum. Hebræi apud cæteras gentes appellabantur *Deut.* 4. 6. *Populus ſapiens & intelligens*, *gens magna*; gens potens & magni nominis. Rex Aſſyriæ eſt *magnus Rex*; *magnum flumen* Euphrates; *magna Urbs*, Ninive; quòd Rex Aſſyriæ cæteros per Orientem potentia vinceret, inter Syriæ amnes, præſtaret Euphrates, & inter Urbes Regum Aſſyriæ, omnium ampliſſima eſſet Ninive.

Ambulare in magnis eſt incedere cum dignitate & ſuperbia *Pſal.* 130. 1. *magna loqui* eſt ſuperba, minacia, & inſultantia loqui. *A minori uſque ad majus*, formula eſt loquendi etiam in vernaculo ſermone familiari. *Non fecit ſervus tuus quidquam ſuper hoc negocio vel modicum vel grande*. *Iſai.* 9. 9. *Exod.* 15. 16. nihil penitùs.

Magnitudo cordis eſt cordis tumor; *magnitudo brachii* eſt robur & ſeveritas: *vox Domini in magnificentia* eſt tonitru. *Sedet magnitudinis*, eſt thronus majeſtatis Dei. *Magnitudo*, eſt ejus gloria, potentia, majeſtas; & mira opera ipſius.)

MAGOG, filius Japheth (b), vulgò pater Scytharum, ſive Tartarorum creditus (c). Sanè hoc Scytharum nomine olim plures populi cenſebantur, veluti Getæ, Gothi, Sarmatæ, Sacæ, Maſſagetæ, aliique. Veterem Scythiam hodiè Tartari, & Moſchovitæ inhabitant, ubi plura extant veſtigia nominis Gog, & Magog. Olim enim populi illi *Mogli* appellati ſunt; atque in Tartaria Regiones *Lug*, *Mengug*, *Cangigu*, *Gigui*, necnon urbes *Gingui*, *Engui*, *Corgungui*, & *Caigui* innoteſcunt. S. Ambroſius (d) autumavit, nomen Gog, & Magog deſignaſſe Gothos, qui Romanum Imperium quinto, & ſexto ſæculo devaſtarunt. Cenſemus eadem nomina apud Ezechielem 38. 39. Cambyſen, ejuſque exercitum deſignaſſe, in Apocalypſi verò, præter omnes Eccleſiæ adverſarios, potiſſimùm tamen Antichriſtum, ejuſque aſſeclas indicaſſe. Tandem Gog, & Magog proverbii loco uſurpantur, quibus hoſtes numero, & viribus potentes, ſævi, barbari, infideles, Deum, ejuſque cultum oppugnantes exprimantur. Vide ſupra *Gog*.

MAGRON, vicus Gabaæ proximus. Saul cum manu 600. virorum in ſpecum Remnon propè Magron ſe recepit. 1. *Reg.* 14. 2.

MAHACHALAT, uxor Roboami Regis Juda. 2. *Par.* 11. 18.

MAHALON, filius Elimelech, & Noemi, *Ruth.* 1. 2. &c. qui Ruth Moabitide in regione Moab ducta, ſinè prole deceſſit; ejuſque uxor ſocrum Noemi in Bethleem ſequuta eſt, ubi tandem Booz, viri ſui neceſſario, nupſit.

MAHANAIM, ſive *Manaim*, urbs Levitarum è familia Merari in Tribu Gad (e), ad torrentem Jabok. Nomen illud, quod *duo caſtra* ſignificat, loco inditum eſt à Jacobo, cui Angeli ibidem occurrerunt *Gen.* 32. 2. Isboſeth poſt Saulis obitum ſedem in ea Regni conſtituit. 2. *Reg.* 2. 9. 12. & David ſibi confugium elegit, Abſalomum fugiens, 2. *Reg.* 17. & 18. qui etiam filius perduellis non longè ab ea urbe interfectus eſt. Nonnunquam in Vulgata *Caſtra* appellatur. (f)

MAHARAI, è Netophat, vir inter fortiſſimos in exercitu Davidico. 2. *Reg.* 23. 28.

MAHAZIOTH, filius Heman, Princeps vigeſimæ tertiæ familiæ Leviticæ. 1. *Par.* 25. 4.

MAHELETH, alio nomine *Baſemath*, filia Iſmaelis, & uxor Eſau. *Gen.* 28. 9.

MAHELETH, ſive *Maeleth*, vox occurrens in titulo Pſal. 87. *In finem pro Maheleth*; quæ de choreis, ſive de choro, cantoribus, viriſque, ſive mulieribus choreas ducentibus dicitur. Qui de muſico inſtrumento vocem interpretantur, nulla conjectura opinionem ſuam fulcire poſſunt. Vide ſuprà *Maeleth*.

MAHIR, filius Caleb, è Tribu Juda. 1. *Par.* 4. 11.

MAHOL; ſive Machol, pater Ethan, Hemam, Chalchal, & Doræ (g). Sunt qui ſuſpicentur Mahol, non patrem, ſed matrem fuiſſe Ethan, & Heman, vel ſaltem eam vocem *chorum* ſignificare; quare Ethan,

(a) 1. Reg. 18. 3. (b) Gen. 10. 2. (c) Ita Joſeph. Hieron. Theodoret. Euſtat. alii plerique.
(d) Ambroſ. l. 2. ad Grat. 4. ad finem. (e) Joſue 21. 38. & 13. 29. 30. & 1. Par. 6. 80.
(f) Vide Gen. 32. 21. & 2. Reg. 2. 9. 12. 19. & 17. 24. & 19. 32.
(g) Vide 3. Reg. 4. 31. & v. Heman. Chalchol. & Cholcol.

Digitized by Google

Ethan, & fratres *filii chori* dicendi ſunt, ſcilicet cantores, & muſici.

MAIMAN, Sacerdos ſextæ familiæ Sacerdotalis. 1. *Par* 24. 9.

MAJOUMA, ſive *Majuma*, portus Gazæ in Palæſtina, cui Conſtantinus Imperator *Conſtantia* nomen indidit, cum ex nomine filii ſui Conſtantii, tum ea populi in fide Chriſtiana firmitate. Julianus *portum Gazæ* tantùm appellari juſſit; ac tandem ſub cæteris Imperatoribus, & *Majuma*, & *Conſtantia* æquè nuncupatua eſt (a). In S. Scriptura nunquam *Majuma*, *Gaza* frequenter nomen occurrit.

MALACHIAS, poſtremus inter Prophetas minores, cujus adeò geſta lateot, ut vel de nomine ipſo ambigamus; an ſcilicet Angelum Domini quemcuoque, nuncium, aut Prophetam ſignificet. Ex Aggæo enim 1. 13. & ex propbetia Malachiæ 3. 1. ſatis intelligimus, Prophetas tunc temporis nomine *Malach-Jehovah*, ſcilicet miſſus à Deo, non rarò appellari conſueviſſe. Septuaginta nomen Hebræum *Malachi* reddunt *Angelum ſuum*, pro eo quod Hebræus habet *Angelum meum*; & Patres quamplures (b) *Malachiam*, ſub nomine *Angeli Domini* laudarunt; quartus verò Eſdræ, & Tertullianus utrumque ſimul nomen, & *Malachiæ*, & *Angeli Domini* jungunt. Angelum fuiſſe humanis exuviis Origenes antumavit (c), ſed temere. Veriùs Veteres Hebræi, Chaldæus Paraphraſtes, S. Hieronymus (d), Rupertus Abbas, hunc Prophetam, cum Eſdra confundendum cenſent; quibus & nos adhæremus.

Pſeudo-Epiphanius in vita Prophetarum, Dorotheus, Chronicon Alexandrinum, Malachiam Sapha oriundum in Tribu Zabulon tradunt; nomenque illi inditum ex morum ſuavitate, & ex miraculo Angeli, qui poſtquam Propheta peroraſſet, ſpectabilem ſe popolo præbens, dicta confirmabat. Mortuum tradunt vix ingreſſum juventam, atque juxta patres ſuos tumulatum.

Sub Nehemia oracula tudiſſe, & poſt Aggæum, & Zachariam, vix in dubium revocatur; quo tempore cùm Sacerdotum, & populi Judæ mores corruptiſſimi eſſeot, Malachias gravioribus verbis Sacerdotes caſtigat (e). Populo etiam nuptias cum alienigenis (f), in fratres inclementiam (g), pronum in divortium animum (h), ſolvendis primitiis, & decimis ſegnitiam exprobiat (i). Innuere etiam videtur fœdus illud, quod Nehemias, Sacerdotes, & populi Optimates cum Domino ſaoxere (k). Omnium Prophetarum Synagogæ noviſſimus eſt; quippè qui 400. circiter annis aote Chriſtum floruerit. De ortu S. Joannis Baptiſtæ, & duplici Servatoris adventu luculentiſſimè agit (l). Neque Sacrificit novæ Legis inſtitutionem, ac veterum abolitionem ſilet, de quibus hæc (m). *Munus non ſuſpiciam de manu veſtra; ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus* Tradunt Judæi, regnante Dario Hyſtaſpis, concilium ex Optimatibus populi coactum fuiſſe ad Canonem Scripturæ digerendum; huic verò præfuiſſe Danielem, Aggæum, Zachariam, & Malachiam, Eſdram verò ſcribæ munere functum. Verùm Daniel uſque ad ea tempora vitam non produxit; quare eorum fides nutat. Obitus Malachiæ ad 14. Januarii in Martyrologio Romano conſignatur.

MALALAI, Sacerdotalis generis vir, è captivitate Babylonica regreſſus. 1. *Eſdr.* 12. 35.

MALALEEL, filius Cainan, ex genere Seth. Sexaginta & quinque annis natus *Jared* genuit, (o) productamque inde ad alios 800. annos vitam demum abſolvit.

(Patriarcham hunc omnium primum ſerutatum fuiſſe in terra fodinas & venas metallorum, aſſerunt Orientales (o); ſicut & ab illo omnium primo ædes conſtructas agnoſcunt. Eidem etiam conditori vindicant Urbes Schuſter & Babel. Sunt qui virum confundant cum Gigante Dondaſch, qui obſequiis Sethi addixit ſeſe, ac Prophetam & Imperatorem univerſalem egit ante diluvium. Fertur Gigas ille nullum armorum genus tractaſſe ſive ad inferendam, ſive ad propulſandam injuriam, ſed nudum à ſummo capite uſque ad infimum ventrem proceſſiſſe in prælium, ſolo brachii ſui robore confidentem.)

MALATHA, arx Idumææ, quò Agrippa Junior omnibus bonis ſuis Romæ diſſipatis, aliquandiu ſe recepit (p). Eadem videtur ac *Maceloth Num.* 33. 25. 26. De *Malatha* frequenter Euſebius in locis, quæ diverſa authoris loca ſi conferantur, intelligimus urbem ſitam eſſe in ditione meridionali Juda 20. circiter milliar. ab Hebrone. Vide etiam *Molada*, vel *Molatha*. Joſue 15. 26. & 19. 1.

MALAZAR, vir, cujus cuſtodiæ Daniel, ejuſque ſocii Babylone captivi commiſſi ſunt. Dan. 1. 11. 16. Verum *Malazar* non viri nomen, ſed œconomum, ſive architriclinum ſignificat (q).

I. MALCHUS, ſive *Malichus*, nomen ex Hebræo *Melech* derivatum, Regem ſignificans. Malchus Rex Arabum ab Herode filio Antipatri, dein Rege Judæorum magnis beneficiis cumulatus fuit (r), quare Herodes ab Antigono, viribus Perſarum aucto, Jeroſolyma ſe ſubducere coactus, ad Malichum iter meditabatur. Verum acceptis ab eo Rege nunciis, ab ingreſſu Arabiæ prohibitus eſt, coactuſque primò in Ægyptum, deinde Romam divertere.

II. MALCHUS, ſive *Malichus*, qui Antipatrum Herodis patrem per inſidias interfecit. Vide *Malichus*.

III. MALCHUS, Caiphæ Summi Sacerdotis ſervus (ſ), cui in horto Oliveti, cum Chriſtus caperetur, Petrus aurem præcidit; an totam, ut in terram caderet, an partim tantùm, ambigitur; fortaſſe tamen pars ſolùm abſciſſa, cum ſolo tactu à Chriſto reſtituta perhibeatur Luc. 22. 51. 52. Sunt, qui crediderint S. Petrum, ut ſe defenderet, ne caperetur, virum illum vulneraſſe. Profectò caput petebat, qui aurem cecidit. Cornelius à Lapide Malchum tandem Chriſtianum obiiſſe arbitratur; nonnulli etiam illum colapho Salvatoris os percuſſiſſe narrant, cùm diceret: *Sic reſpondes Pontifici?* Horum tamen opinioni verba Scripturæ refragari videntur, ex qua colaphum inflixiſſe conſtat quendam ex miniſtris, Annæ Summo Sacerdoti præſentibus *Joan.* 18. 22.; & nihil de Malcho legimus, de quo tamen in eodem capitulo actum erat.

MALCHUS, vir inter Judæos conſpicuus, & genere illuſtris, qui inito cum Romanis fœdere, Hircano contra Alexandrum Ariſtobuli filium favit (t). Adeò malum in Antipatrum patrem Herodis animum fovit, ut ſæpè veneno illi vitam adimere tentarit, ac tandem incautum oppreſſerit (o). Hanc necem Herodes ope quorumdam ea Ducibus exercitus Caſſii ultus eſt, ſive in urbe Tyri, ſive in via ad illam; non enim ſatis conveniunt Scriptores (x).

(MALEDICTA; Maledicta jecit Deus in ſerpentem Evæ ſeductorem *Gen.* 3. 14. 17., in terram, ne quid ultra produceret niſi ſpinas & tribulos, in Cainum, qui fraterno ſanguine manus ſuas fœdaverat *Gen.* 4. 11. Largitionibus cumulaturum ſe illos, qui faverent Abrahamo, maledictis inceſſuturum, qui viro illi maledicerent, ſpondet Deus, *Gen.* 12. 3. Sunt autem hæc maledicta non meræ tantùm imprecationes, vacua & inania vota; quæ enim denunciant, hæc inferunt; cùm efficiat Deus quidquid imprecando facturum ſe minitatur.

(a) Sozom. hiſt. l. 5. c. 3. (b) Clem. Alex. l. 1. Strom. Tertull. con. Judæ c. 5. (c) Orig. t. 2. in Jo. Vide Hier. in Agg. 1. & Præf. in Malach. & Ep. ad Evang. (d) Hieron. Præf in Malach. & Comm. in eumdem pluribus locis. (e) Malach. 1. 6. &c. & 2. 4. &c. (f) Malach. 2. 2. (g) Ibid. 10. & 3. 5. (h) Malach. 3. 13. (i) Ibid. 10. (k) Malach. 2. 4. &c. (l) Malach. 3.... 5. (m) Malach. 1. 10. &c. (n) Gen. 10. 25. &c. Obiit A. M. 1290. ante Ch. 2710. ante Ær. 2714. (o) D'Herbelot. Bibl. Orient. pag. 130. (p) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 8. (q) Ita Kimchi, Jun. Tremel. Polan. (r) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 15. An. M. 3964. ante Chr. 36. ante Ær. 40. (ſ) Joan. 18. 10. (t) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 10. (o) Antiq. l. 14. c. 18. 19. 20. (x) Antiq. l. 14. c. 20. & de Bel. l. 1. c. 9. A. M. 3961. ante Chr. 39. ante Ær. 43.

Vocatus Balaam ad pronuncianda in Iſraelem maledicta, præpoſuit, *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?* Maledicta mea ſicut & imprecatæ benedictiones fruſtra erunt omnes niſi, Deus alterutrum inſpiraverit, niſi ab ipſo primùm authore repetantur.

Altercaſionem Archangeli S. Michaelis in Dæmonem de corpore Moyſis, referens S. Judas ℣. 9. notat, Angelum continuiſſe ſe à maledictis imprecandis in adverſarium; dixiſſe tanſummodo contentum: *Imperet tibi Deus.* Infert ex his Apoſtolus, nefas eſſe fidelibus proferre ſive blaſphemias, ſive maledicta, ſive dira in aliquem. Exempla tamen ſuppetunt quædam Sanctorum maledicta precantium in homines. Nota ſunt in Chanaam nepotem ſuum ex filio Noemi maledicta *Gen.* 9. 25. maledixit Jacob furorem Levi & Simeon filiorum ſuorum *Gen.* 49. 7. quippe qui & Sichemitas trucidarunt, & Urbem Sichem depopulati ſunt. Præcepit Moyſes Iſraelitis, ut maledicta imprecarens in Legis violatores *Deut.* 28. maledicta & Joſue in illum, qui reſtituendi Jericho iniret conſilium *Joſue* 6. 26. Nec fruſtra precatos illos rei eventus demonſtrat; ſicut & ab eventu inducta eadem ipſa die ariditate, impleſa eſt fides maledictorum Jeſu Chriſti in ficum; eventus ſuus pariter conſtitit maledictis, ſcripto exaratis in fœminam de adulterio ſuſpectam *Marci* 11. 21. ſi enim ſulpicio vero crimini ſubeſſet, ſtatim criminis indicia prodibant, affecta muliere ægritudine, qua etiam opprimebatur.

Sed maledicta hæc vel Deus ipſe præſcripſit, vel pronunciarunt homines divinitùs inſpirati, vel oracula ſunt futurorum imprecandi formula expreſſa. Aliena ſunt illa à ſpiritu ultionis, impotentiæ, furoris, nec proinde ipſa ferit præceptum Dei in Lege & Scripturis damnantis maledicta. Ita e. g. vetat ſub capitali ſupplicio, ne quis maledicta imprecetur ſive in parentes *Exodi* 21. 17. ſive in principem populi ſui *Exodi* 22. 28. ſive in ſurdum *Levit.* 19. 14. quæ ſive de ſurdo reipſa dicta ſunt, ſive de abſenti quocumque, qui dictorum invidiam à ſe amoliri non poteſt. Blaſphemia, ſive jacta in Deum maledicta extremo ſupplicio puniuntur *Levit.* 24. 10. 11. Sicus viciſſim felices pronunciat Chriſtus ex diſcipulis ſuis illos, qui immeritò onerarentur maledictorum plauſtris *Matth.* 5. 1. jubet autem maledicta retundere benedictis; & imprecantes in ſe mala proſperis apprecatis remitti *Lucæ* 6. 28. *Rom.* 12. 14. Quod Magiſtri præceptum impleviſſe ſe profitetur erga adverſarios ſuos Apoſtolus 1. *Cor.* 4. 12. *&* 1. *Timoth.* 4. 10.

Tradunt Hebræi Barach maledicto & excommunicatione inuſſiſſe Merox, commorantem juxta torrentem Ciſſon; quippe qui jungere negaſſet arma Iſraelitis in prælio cum Jabim. Virum hunc Barach excommunicavit clangentibus interim 400. tubis, juxta fidem Textus Judicum 5. 23. *Maledicite terra Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non venerant ad auxilium Domini.* Angelus iſte Domini ipſe eſt, inquiunt illi, Barach; ſed alii malunt Archangelum S. Michaelem armorum Domini Imperatorem maledicta imprecatum fuiſſe in Meroz Angelum regionis Chananæorum.

MALICHUS unà cum Antipatro, Magni Herodis patre, totam fermè uſurpavit auctoritatem ſupremam in Judæa ſub Hircano Principe, & Pontifice Judæorum, apud quem ſupremi Imperii nomen potius erat, quàm res. Porro vir iſte diu ſe præbuit tanquam firmiſſimum munimen hujus Principis in Ariſtobulum, nihil non audenſem contra Imperium. Erat autem ingenio callido & ad omnia parato, qui Principis favore non contentus, molitus eſt ſibi & Principatum adſciſcere (a). Cùm autem æmulum unicum timeret Antipatrum, ſubducere illum è medio ſtatuis. Sed rem ſubodoratus Antipater, evitandum ſibi cenſuis diſcrimen; interim Malichus proditum conſilium ſuum intelligens, convenit hominem, & quà ſacramentis, quà proteſtationibus, quà compoſitis arte verbis innocentiam ſuam patri ac filiis perſuaſit. Nec mora; pax compoſita fide adeo ſincera, ad Antipatrum quod attinet, ut hominem è diſcrimine vitæ ſervaret, cùm Marcus intelligens mala ejus conſilia opprimere illum ſtatuiſſet.

Novo hoc beneficio, viri proditoris animus expugnatus non eſt, ſed corrupto pincerna Hircani id effecit, ut clam in appoſitis Antipatro dapibus inſtillaretur venenum, quo vit ille peremptus eſt; ſtatimque Malichus Præfecturam Jeroſolymæ invaſis, Inter hæc nihil reliquit intentatum, ut amoveret à ſe omnem rei invidiam penes Herodem & Phaſaelum filius Antipatri; fruſtra tamen apud Herodem. Decreverat ille aperta vi ultionem necis patris ſui urgere; ſed fervidum juvenis animum moderatione quadam retinendum cenſuit Phaſaelus, metuens ne res in bellum civile perrumperet. Quare conſpirarunt ambo in necem proditoris; ſed clam ſine apparatu & faſtu (b). Herodes de re tota clam fecit certiorem Caſſium, à quo & facultas exigendæ ultionis data; juſſus eſt ſimul à Caſſio Præfectus Tyri, ut ambobus fratribus opem ferret in eo conſilio executioni mandando.

Aliquaodiù poſt Caſſius Laodiceam redegit in poteſtatem, quare officii gratia ad illum convenerunt è Palæſtina viri ampliſſimi omnes, gratulaturi ſimul & munera oblaturi. Hircanus, Malichus, & Herodes in viam ejus rei gratia ſe commiſerunt, & cum Tyrum propè jam ventum eſſet, ubi & veſperis divertere ſtatuerant Herodes, itineris omnes ſocios invitavit ad cœnam, ac domeſticos apparandis rebus neceſſariis præmiſit; tum Præfectis Romanæ militiæ expoſuit, quæ à Caſſio receperat in Malichum mandata. Statim ad hæc armatorum manus ex Urbe procurrens Malichum aggreſſa eſt, trucidavitque hominem nihil ſibi tale metuentem (c) Meditabatur ille, ſiquidem incolumis ad Urbem perveniſſes, ut obſidem filium ſuum ſubduceret, rediretque in Judæam, quam ſtatim Regionem Romanorum jugum excutere ſollicitaret, occaſione autem turbarum belli civilis ipſe ſe obtruderet in Regem Judææ.

MALITIA. Latina hæc vox non de prava tantùm mentis & animæ diſpoſitione uſurpatur, ſed & pœnaa interdum atque ultiones de crimine ſignificat E. g. *Scito, quia completa eſt malitia ejus* 1. *Reg.* 20. 7. quæ Davidis ſunt ad Jonathan verba, denunciantis decretam eſſe necem ſuam à Saule. Hebræus ad literam: *Scito, quia malum conſummatum eſt ex parte ejus:* necem meam ſtatuit. 1. Reg. 25. 17. Servi Nabal ad Abigailem dominam ſuam dicebant; *Quoniam completa eſt malitia ejus adverſus virum tuum;* David ſcilicet necem viri tui ſtatuit. Vide etiam Iſaiæ 40. 2.

Salomon in Eccle, 11. 10. *Amove malitiam à carne tua*; quæ verba explicat S. Hieronymus ibidem: *In carnis malitia univerſas intelligit corporis voluptates.* Idem pariter Eccleſiaſtes 7. 4. *Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis;* Hebræus: *Malitia vultus lætificat cor;* triſtitia vultus, qua nobis alicujus vitia minus placere demonſtramus, gaudium ſolidum iniquo illi reſipiſcenti procurat. Jeſus Chriſtus, Matth. 6. 34. *Sufficit diei malitia ſua*; moleſtia ſua. Hortatur Apoſtolus Fideles 1. Cor. 14. 20. *Malitia parvuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote.*

Malitia perinde uſurpatur alicubi in Eccleſiaſtico ac pœna. Cap. 11. 29. *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ:* i. e. moleſtia pœnæ omnem è mente excutit memoriam voluptatis horæ præteritæ. Capite 12. 9. *In malitia viri amicus agnitus eſt*; amicus in adverſis agnoſcitur. Capite 30. 14. *Melior eſt pauper ſanus, quam dives flagellatus malitia*, quàm dives morbia afflictus.)

MALLE, urbs transjordanica (d).

MALLOS. Vide *Mallote*.

MALLOTÆ, cives *Malli*, urbis Ciliciæ ad *Pyramum* amnem, qui ab Antiocho Epiphane deſciverunt, quòd

(a) Antiq. l. 14. cap. 18. de Bello lib. 1. cap. 9.
(b) Antiq. lib. 14. cap. 20. de Bello lib. 1. cap. 9.
(c) A. M. 3961. ante Chr. 39. ante Æram 43.
(d) Joſeph. Antiq. l. 12. c. 12.

quòd eorum urbem, unà cum Tharſo, cuidam ex concubinis ſuis, nomine Antiochides Rex ſubdidiſſet (a). Is erat Regum Perſarum mos, ut urbes interdum in monile, ſive in cingulum amicarum deſtinarent (b).

MALOC, Levita, ex familia Merari, patet Abdi, & Haſabiæ 1. *Par.* 6. 44.

MALTHACE, uxor Herodis Magni, & mater Archelai Regis Judææ, quæ diem clauſit, dum filius ejus cauſam ſuam apud Imperatorem Auguſtum pro pro obtinendo Regno, ſibi ab Herode relicto, Romæ agitabat. Joſeph. Antiq. l. 17. c. 12.

MALUM PUNICUM, mali genus quoddam, cortice exteriùs ſubruſo, intus rubro, quod ſponte apertum, rubra grana, ſucci, veluti vini, plena, parvum nucleum habentia, oſtendunt. Mala punica polymito opere contexta Pontificiæ veſtis fimbriæ, aureo tintinnabulo malum punicum alternatim conſequente, ſuſpendi juſſit *Exod.* 28. 33. Cùm hoc Palæſtinæ familiariſſimum ſit, & pulcherrimum, varias idcircò Scriptura ex eo comparationes ducit.

(MALUS, MALIGNUS. Nomen hoc ſine addito perinde valet ac Dæmon. *Libera nos à malo*, Matth. 6. 13. Matth. 13. 19. *Venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus*. Mali in plurali exprimunt homines perverſos & impios. *Dies malus*, Epheſ. 6. 13. eſt dies tentationis & probationis; dies, qua quis in diſcrimine peccati conſtituitur. *Malignus oculus*, exprimit ſeu ægritudinem animi in aliquem, ſeu æmulationem malam, vel ſordidam auri famem ut oppoſitam liberalitati & charitati. *Malum nomen. Beati eritis cum ejecerint nomen veſtrum tanquam malum &c.* Luca 6. 22. cùm de vobis ſiniſtra ſpargetur fama, cùm occaſione mei obloquentur de vobis homines.

MALUS PUNICA, vel *Malogranatum*. Arbuſcula ejus nominis poma ferens duplicis eſt generis ſativa nempe, & ſylveſtris. Sativa pluribus ramuſculis minutioribus, anguloſis, ſpinoſis, & rubri corticis hiſpida eſt. Foliis veſtitur minimis, ad myrthum accedentibus, ſed cuſpidatis, viridi ad rubrum accedente infectis. Flore eſt ampliori, pulchro, rubro ad purpuram, foliiſque ad roſam compoſitis ac in ima calycis parte inſertis; calyx verò iſte oblongus, ſolidior, purpureos, figuram exhibet campanæ. Culta interdum arbor flores profert duplos; ſed tunc fructibus deſtituitur.

Sylveſtris, arbuſcula eſt præcedenti ſimilis, ſed aſperior & hiſpidior. Balauſtes appellant hujus flores Apothecarii, & cùm aſtringenti virtute polleant præſentiſſimi ſunt in morbos reſolventes.

In Regnis Peruanis mali punici fructus immanis ad cadi magnitudinem ſpectatus eſt, ut tanquam ſingulare aliquid Hiſpani in ſolemni SS. Sacramenti pompa publicè deferendum cenſuerint. De Terra Sancta tractantes Muſulmani perhibent ejus regionis racemos uberes fuiſſe adeò, ut ferendis vix quinque homines valerent; totidem autem commodè contineri potuiſſe intra corticem unius pomi granati. Quis hyperbolem audaciorem vel cogitando formaret?)

MAMBRE. Ammorrhæus frater Anes, & Eſcol, Abrahami amicus. Cum his tribus, eorumque domeſticis Abraham Reges Sodoma, & Gomorrha victores regreſſos, inſecutus eſt. Gen. 14. 13. 24.

MAMBRE, Vallis Mambre. Abraham diutiùs ſub quercu, ſive querceto, ſive in valle nomine Mambre (c) juxta Hebronem incoluit; ſortè à nomine viri Amorrhæi, quocum Abraham fœdus inierat, appellata. Locus iſte dein apud Chriſtianos, exteroſque celeberrimus habebatur; undique enim eò confluebant, ut ſedem Abrahami, & terram trium Angelorum, ortum Iſaaci nunciantium, viſione conſecratam venerarentur. Quarto ſæculo adhuc extabat Terebinthus, ſub qua tres Angelos a Patriarcha Abrahamo receptos ferunt (d). Terebinthus verò ab Hebrone 15. milliar., à Jeruſalem 25. diſtabat (e); quamvis Joſephus ſex tantum milliar. ab Hebrone ſitam tradat; eamque arborem à Mundi exordio ſatam fuiſſe ſcribat (f). Non deſunt, qui ex baculo unius e tribus Angelis in terra defixo, natam autument (g); addunt inſuper igne quidem admoto totum lignum emicare, ardere tamen non poſſe. Vide *Terebinthus*.

MAMBRES, alter è duobus Magis, qui ſuis præſtigiis vera Moyſis miracula eludere ſimul, & æmulari conati ſunt (h). Vide *Jannes, & Mambres*.

MAMMONA, vox Syriaca divitias ſonans, qua uſus eſt Jeſus Chriſtus, fieri non poſſe demonſtrans, ut Deo ſimul, & divitiis ſtudeamus (i); tum ait comparandos nobis amicos è *Mammona iniquitatis*, è divitiis ſcilicet, quæ malis ſæpè ſæpiùs artibus cumulantur; quin & ſceleribus patrandis non rarò adhibentur (k). Nonnullis *Mammona* Deus divitiarum (l) creditur; ſed temere omninò. *Matmon* in Hebræo ſonat abſconditum (m), & *Mammona* divitias. Mammon etiam Punicè lucrum ſignificat, authore S. Auguſtino de Serm. Dom. in monte l. 2. c. 14. n. 47.

MAMUCHAM, vir inter ſeptem Satrapas à conſiliis Regis Perſarum, qui Aſſuero Reginæ Vaſthi repudium perſuaſit. Eſth. 1. 14. 16.

MAMZER, vox Hebræa, *nothum* ſignificans; hinc *Mamzer* à cœtu populi uſque ad decimam generationem in Lege excluduntur (n). E Rabbinorum doctrina tria ſunt nothorum (o) genera; I. nati è conjugio à parentibus inito, qui cognationis vinculo in gradibus à Lege prohibitis tenebantur. II. nati è commercio criminoſo, ultimo ſupplicio in Judicio puniendo; uti filii adulterini. III. nati è congreſſu inceſtuoſo, & ſeparationis pœna in Lege interdicto. Diſtinguunt etiam Rabbini inter Mamzer certos, dubioſque, eos ſcilicet, quos è vitiato concubitu ortos liquido conſtat, eoſque à cœtu Domini excludere ne ambigunt quidem; & illos, quos ex crimine ortos eſſe penitus exploratum non eſt; ii verò, quamvis è cœtu arceri nulla Lege juberentur, à Scribis tamen removentur, ne inter illos nonnulli etiam è Mamzer certis clam inducantur.

Verùm Vulgata, Septuaginta, Canoniſtæ hanc vocem *Mamzer* de fœminæ proſtitutæ filio interpretantur. Porrò varia nothorum genera, quæ in jure diſtinguuntur, his verſibus exhiberi ſolent.

Mamzeribus ſcortum, ſed mœcha nothis dedit ortum.
Ut ſeges à ſpica, ſic ſpurius eſt ab amica,
Dant naturales, quæ nobis ſunt ſpeciales.

Ex Interpretibus nonnulli eadem voce *Mamzer* omnes quoſcunque ſpurios, ex quocumque criminoſo congreſſu ortos, intelligunt. Alii de extraneo potiùs, quàm de notho uſurpatam interpretantur (p). Jephte enim Dux fuit, & Judex Iſraelis, licèt è fœmina proſtituta editus; Phares, & Zaram filii Thamar, ex inceſtu orti, in genealogia Davidis recenſentur. Porrò mos erat apud Hebræos, ut filii matris genus ſequerentur; qui igitur fieri potuit, ut natus è matre Iſraelitica filius, ſpurius uſque ad decimam generationem è cœtu Iſraelis excluderetur, cum Idumæi, & Ægyptii poſt tertiam generationem admitterentur? Facilè igitur vox *Mamzer* majus aliquid, quàm nothum ſignificat; & nothum quidem, ſed ex alienigena, & Pagana fœmina editum. Hinc Septuaginta eandem vocem Mamzer reddunt (q) *Alienigenam*; (r) *de ſcorto natum*. Sanè hujus vocis certa ſignificatio, cùm nonniſi duobus hiſce in locis

(a) 2. Mach. 4. 30. (b) Vide Plat. in Alcib. Athen. l. 2. Tul. in Verrem. 5. (c) Gen. 35. 27. Hebr. *Elon. Mambre. Vallis Mambre*. Alii Μαμβρῆ, *quercus*, ſive *quercetum Mambre*. Alii: *Terebinthus*.
(d) Euſeb. Demonſtr. l. 5. c. 9. & de Vita Conſtant. l. 3. c. 52. (e) Sozom. l. 11. c. 4. Hiſt. Eccl. (f) De Bello lib. 5. c. 7.
(g) Vide Euſtach. edit. ab Allat. & Georg. Syncell. ex Jul. Afric. (h) 2. Timoth. 3. 8.
(i) Matth. 6. 24. Luc. 16. 13. (k) Luc. 16. 9. (l) Vide Tertull. l. 4. con. Marc.
(m) Hebr. *Matmon* Syr. *Mammona*, Chald. Mammon. (n) Deut. 23. 2. *Non ingredietur Mamzer*, vel ut vox Hebræa ſonat, *de ſcorto natus in Eccleſiam Domini*. Septuag. Ἐκ πόρνης. Zach. 9. 6. Ἀλλογενεῖς. Vulg. *Separatos*.
(o) Apud Seld. de jur. nat. & gent. l. 5. c. 16. & l. de ſucceſſ. in bona c. 3. (p) Oleaſt. in Deuter. 23. 2. Alii nonnulli. Vide Septuag. in Zach. 9. 6. (q) Zach. 9. 6. (r) Deut. 23. 2.

occurrat, definiri non potuit. Author traditionum in Libros Regum, & Paralipomenon credit Salomonem inter *Mamzer* habendum eſſe; illud autem Bethſabee ad Davidem 3. *Reg.* 1. 21. *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores*, ita explicat: Ego tanquam ſcortum, & filius meus Mamzer habebimur. Hanc idcircò ignominiam, addit, David ab utroque averſurus, Salomonem Regno præfecit.

Porrò verba illa: *Non ingredietur in Eccleſiam Domini uſque ad decimam generationem*; ita accipienda non ſunt, ut Judaicam religionem profiteri natis de ſcorto filiis vetitum eſſet; à ſolis enim Hebræorum dignitatibus, privilegiis, & muneribus arcebantur, nec niſi poſt elutam diutino ſpatio maculam, eos inter cæteros accenſere fas erat.

MANACHAS, quo nomine femoralia Summi Sacerdotis Joſephus Antiq. l. 3. c. 8. appellat. Hebræus legit: *Michneſim*, ſive *Machnes* (a). Genus illud veſtis, ait Joſephus, ex lino erat retorto: pedibus autem inſertis indutum, ad ilia conſtringebatur; atque ad eam partem uſque ad dimidium ſuæ longitudinis diviſum erat.

MANAHAT, ſive *Maniath* (b), Hebræis *Mennith, ſive Minnith* (c). Jephte de Ammonitis victor, eorum regionem ab *Aroer uſque Mennith* (Joſepho *Manniath*) excurrit.

I. MANAHEM, Rex Iſraelis, ordine decimus ſextus, filius Gaddi. Cùm exercitui Zachariæ domini ſui præeſſet, audita ejuſdem nece, Therſan movens, Samariam obſedit, ubi Sellum filius Jabes poſt Regem trucidatum regnabat (d). Recepta urbe, & Sellum occiſo, Regnum occupavit (e); dein Therſa regreſſus, cum inopinato fores urbis à civibus clauſas nactus eſſet, adeò exarſit, ut Thapſam, locum in viciniis Therſæ, eique fortaſsè fœderatum, vaſtaverit. Verſo deinde in Therſan furore, illaque expugnata, fœtarum mulierum ventres diſcidit, abreptoſque fœtus in terram eliſit. His geſtis, Regnum decennio tenuit (f) Jeroboami filii Nabath non tam Regni, quam ſcelerum hæres.

Phul Aſſyriæ Rex, Sardanapali fortaſſe pater Iſraelis ditionem ſub eodem Rege ingreſſus, perſolutis ſibi à Manahem 1000. talentis (g), regnum illi aſſeruit, liberamque regionem reliquit. Ut eam ſummam Rex colligeret, tributum 50. ſiclorum in ſingulos ejus regionis optimates indixit (h). Eam expeditionem Aſſyriorum innuit Oſeas 5. 13. illis verbis: *Vidit Ephraim languorem ſuum, & Juda vinculum ſuum, & abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem ultorem*. Alibi tamen Scriptura veniſſe Aſſyriæ Regem innuit, non ut amicum, ſed ut hoſtem 1. *Par.* 5. 26. *ſuſcitavit Deus ſpiritum Phul Regis Aſſyriorum &c.* Regem hunc expeditionem in Iſraelitas ſuſcepiſſe, emptamque ex eo pacem à Manahem pretio mille talentorum narrat Joſephus Antiq. l. 9. c. 11. His conciliandis, veriùs, Phul hoſtiles copias in Iſraelem duxiſse, ejus verò favorem à Rege Manahem ingenti pretio ſoluto comparatum, opinamur. Manahem, relicto Phaceja filio Regni ſucceſsore, interiit. 4. Reg. 15. 22.

II. MANAHEM, Chriſtianus Propheta, Herodis Antipæ collactaneus (i); quo Antiochiæ unà cum aliis Prophetis, nempè Simone Nigro, Lucio Cyrenenſi, Barnaba, & Saulo, verſante, vox Spiritus S. illis audita eſt, qua Saulus, & Barnabas in opus divinitus deſtinatum ſeparari jubebantur. His auditis, præmiſso jejunio, & orationibus, manus utriuſque impoſita eſt à ſociis, atque è cœtu dimiſſi. Hic è 72. Diſcipulis fuiſse creditur. Ejus Feſtum in Latinis Martyrologiis (k) ad diem 24. Maii conſignatur, & Antiochiæ obiiſse traditur. Hujus geſta latent.

III. MANAHEM, vir ſecta Eſſenus (l), qui Herodi Magno adhuc adoleſcenti Regnum prædixit, monuitque, ut juſtitiæ, & clementiæ ſtuderet; quamquam ſcire ſe dixit in contrarias planè vias ab illo abeundum, omniaque Religionis, & humanitatis jura peſſundaturum. Addidit etiam futurum, ut glorioſo, & felici regno potiretur; verùm, ait, oculis Dei omnium conſiliorum tuorum latebræ patebunt, qui labentibus vitæ tuæ annis pœnas de illis exiget acerbiſſimas. Herodes primò prædictiones contemnere; dein Regno potitus, Manahem quærendum juſſit, inventumque interrogavit, quantum ſibi annorum in Regno ſupereſſet. Cum alter interrogationem eludere videretur, quæſivit Rex, an ſaltem decennio eſſet regnaturus. Et viginti, & triginta reſpondit ille; nihilque ulteriùs adjecit. Inde Herodes illum dimiſſurus, in amicitiæ ſignum manu apprehendit, eamque benevolentiam poſtea non in illum tantum, ſed & in totam Eſſeniorum gentem extendit. De Manahem quodam Propræſide Sanhedrii ſub Hillel, Judæi loquuntur (m); quem virum eundem cum noſtro credimus.

(Manahem, qui Herodi Regnum prædixerat, Præſidis vices gerebat apud Hillel, de quo nos alibi. Vir erat pro ætate doctus, magnique apud gentiles ſuos nominis. Beneficium agnoſcens Herodes, & qua erat de viro opinione, inter domeſticos ſuos adſcripſit, deduxitque è loco, quem tenebat in Sanhedrino; quare in vacuum ejus locum, Præſidis nempè ſecundarii, ſuffectus eſt à Judæis Schammai.)

IV. MANAHEM, ſivè *Manaim*, filius Judæ Galilæi, ſivè Gaulonitæ, de quo in ſuo loco egimus. Hic adjunctis ſibi viris quibuſdam potentiſſimis, atque prædonum nebulonumque manu, arcem Maſſadam expugnavit (n), direptoque relicto olim ab Herode Magno armamentario, milites ſuos inſtruxit; quos deinde recta Hieroſolymam ducens, pulſis Romanis, urbem, Regiumque nomen invaſit An. Chr. 69. Ær. 66. Verum nece Summi Sacerdotis Ananiæ, aliiſque perpetratis ſceleribus, adeò populariuum animos exaſperavit, ut perſuaſionibus & exemplo duorum virorum, Eleazari partibus faventium, omnes in illum concitarentur. Impetu in illum facto, primò nonnihil reſtitit; dein à ſuis relictus, in abditum locum, nomine Ophla, ſeceſſit. Verùm manè tandem inventus, ſupplicio abſumptus.

MANAIM vide *Mahanaim*.

I. MANASSES, ſivè *Menaſſes*, filius natu major Joſephi, & Patriarchæ Jacobi nepos (o). Porrò nomen Manaſſe oblivionem ſonat, inditumque illi eſt a Joſepho, quòd Deus avitæ domus illi oblivionem injeciſſet. Jacob è vivis migraturus duos filios Joſephi coram ſe à Patre conſtitutos, ut illis bona precaretur, inter filios ſuos juſſit enumerari, utque adoptione adſcitos, in hæreditatis jus, non ſecùs ac Ruben, & Simeonem, vocavit (p). Dein propiùs ſibi ambos admoveri jubens, oſculo excepit, amplexatuſque ſingulos, Deus, ait, duplici me beneficio cumulavit, ut te nempè tuiſque filiis fruerer. Tum Joſeph ſemotis nonnihil filiis, coram Patre provolutus, ſtatutoque Ephraim ad lævam decumbentis, & Manaſſe ad dexteram, ut omnibus ſimul bona imprecaretur, obſecravit. Jacob igitur benedictionem pronunciaturus, dexteram manum ſuam ſuper Ephraim, ſiniſtram ſuper Manaſſe impoſuit. Id cum per errorem factum Joſephus putaret, patrem monuit, ut manuum ordinem inverteret. Cui Jacob ſcire ſe dixit, quid de utriuſque Divino decreto ſtatutum eſset; futurum nimirùm, ut filius natu major, quamvis plurium populorum pater, florentiſſimæ tamen poſte-

(a) Exod. 28. 42. Septuag. περισκελῆ Vulg. Fœminalia. (b) Joſeph Antiq. l. 15. c. 60. (c) Judic. 11. 33. 34.
(d) An. M. 3232. ante Chr. 768. ante Ær. 772. (e) 4. Reg. 15. 14. &c. Joſeph. Antiq. l. 9. c. 11. (f) An. M. 3233. ante Ch. 767. ante Ær. 771. uſque ad 3243. ante Ch. 757. ante Ær. 761. (g) 1000. talenta argenti ſummam conficiunt 4867. 187. librarum, ac ſolidorum 10. (h) 50. ſicli reddunt 80. librarum & 10. denariorum ſummam. (i) Act. 13. 1. An. Chr. 44.
(k) Uſuard. Adon. Vide Bolland. 24. Maii. (l) Joſeph. Antiq. l. 15. c. 13. (m) Lib. in. Chaſim. fol. 19. apud Ligtfoot.
(n) Joſeph. de Bel. l. 2. c. 32. in Græco. (o) Gen. 41. 50. 51. ortus An. M. 2290. ante Chr. 1710. ante Ær. 1714.
(p) Gen. 48. 1. &c. An. M. 2315. ante Chr. 1685. ante Ær. 1689.

Digitized by Google

poſteritatis gloria à fratre vinceretur. Dein benedictionem proſecutus, Iſraeli, ait, fauſta de veſtra felicitate homines precabuntur, proverbii enim loco uſurpabitur: ea tibi Deus bona, quæ Ephraim, & Manaſſe, largiatur.

Tribus Manaſſe ex Ægypto redux (a) 32200. milites viginti annis majores enumerabat, Duce Gamaliele filio Phadaſſur Num. 2. 20. 21. In ipſo Terræ promiſſionis limite, ea Tribus diviſa eſt, partimque regionem transjordanicam, partim cisjordanicam obtinuit; transjordanica regio Baſan à Jabok uſque ad Montem Libanum data eſt (b); cisjordanicæ terræ tractus inter Tribum Ephraim ad meridiem, Iſſachar ad ſeptentrionem, Jordanem ad Orientem, Mediterraneum ad Occidentem aſſignatus eſt. *Joſue* 16. & 17.

II. MANASSES, decimus quintus Rex Juda, Ezechiæ ex Haphſiba filius, & ſucceſſor. Duodennis rerum potitus (c) 55. annis regnavit: quare 67. annis natus occubuit. Scelera ſectatus, Idola nationum jam olim deletarum à Deo invexit; fana in editis collibus ab Ezechia everſa reſtituit; aras, & lucos Baali, cæteriſque numinibus conſecravit, Achabum Iſraelis Regem imitatus; militiæ Cœli cultum exhibuit, & ſacrificia; filium ſuum in honorem Moloch per ignem traduxit; quin & aras prophanas in ipſomet Templo Domini erexit, ſimileſque toti militiæ Cœleſti in atrio ejuſdem Templi dedicavit, ac tandem in Domum Dei Idolum Aleræ, ſive Aſtartes invexit. Divinationi verò, Magiæ, & hujus generis ſuperſtitionibus plurimùm addictus erat, peſſimoque illius exemplo tota externorum vitiorum eluvio in Regnum Juda erupit, ut corrumpendis populis magis Manaſſis ſcelera, quàm Chananæorum valerent. His criminibus velut ultimam manum ſævities impoſuit; ſiquidem innocentum ſanguine urbs tota Jeruſalem exundavit.

Tot ſceleribus tandem Divinus furor excitatus, primo ingentium malorum minis Prophetarum voce Regem terruit, iis ſe calamitatibus Jeroſolymam, totumque Regnum afflicturum denuncians, quorum vel ſola narratio terrorem incuteret. Urbem enim ſe iis malis percuſſurum, quibus olim Samariam, totamque Achabi domum mulctaverat; deleturum etiam Jeruſalem, ut è tabulis ſcriptura deletur; ſtylumque iterum, atque iterum traducturum, ne quid de veteri ſcripto remaneret. Tandem hæreditatem ſuam ſe, populo hoſtium furori, & direptioni permiſſo, derelicturum.

Inter eos Prophetas potiſſimum locum Iſaias obtinuiſſe creditur, utpotè Regis Socer (d), qui ſummo olim honore apud Ezechiam patrem Manaſſis habitus fuerat; cùm nec generis claritas, regaliſque ſanguis viro deeſſent: quibus ſane titulis præ cæteris obſtrictus videbatur, ut Manaſſem ad rectam viam adduceret, atque imminentem ultionem everteret. Verùm ejus officia Rex indignatus, illum in carcerem conjecit, ac tandem lignea ſerra medium juſſit abſcindi (e). Prænunciata demùm à Prophetis mala anno 22. Regni Manaſſis cœlitus immiſſa ſunt An. M. 3328. ante Chr. 672. ante Ær. 676. ſiquidem Rex Aſſyriæ duces ſuos cum exercitu in Judæam miſit (f), a quibus Rex comprehenſus, ferreiſque vinculis, manibus, pedibuſque conſtrictus, Babylonem ductus eſt. Hunc Regem fuiſſe credimus Sargonem, ſive Aſſaradonem Aſſyriæ Regem, qui miſſo in Palæſtinam duce ſuo Thartano, Axotum cepit, catenisque onuſtum Manaſſem, non Ninivem, ſed Babylonem traduxit: Urbem enim illam Aſſaradon occupaverat, atque duo Imperia Aſſyriorum, & Chaldæorum conjunxerat.

Detentus in vinculis Manaſſes, tandem reſipuit; quare lachrymis, & gemitibus veniam à Deo expoſtulans, regreſſum in Jeruſalem impetravit. Reſtitutus autem Regno, nihil antiquius habuit, quàm ut collapſam diſciplinam repararet *Iſai.* 20. Ejus Regis oratio, quam in carcere dictatam ſciunt, adhuc extat; ſed inter Apocrypha rejicitur ab Eccleſia, quamquam in Euchologio, ſive in Libro orationum Græcorum inſerta. Tradunt Rabbini (g) Manaſſem projectum in vas æneum in imo perforatum, atque incenſæ pyræ ſuperpoſitum, inter hasce anguſtias omnium Numinum, quibus olim cultum impenderat, opem implorasse; cum autem fruſtra ſe orare ſentiret, inanes eſſe ſpes ſuas tandem agnovit. Interim Regi occurrit lemma à Patre ſuo identidem uſurpatum *Deut.* 4. 29. 30. *Cum invocabitis me*, nempè in rebus arduis, & corde ad Deum converſo, *ego exaudiam vos:* quare ad Dominum confugiens, illicò è captivitate liberatus in ſuum Regnum reductus, eo planè prodigio, quo Habacuc e Judæa Babylonem, ac tandem Babylone in Judæam translatus eſt. Hanc Hiſtoriam aliter refert Author Operis imperfecti in Matthæum tom. 1. Manaſſem enim in carcere detentum arcto, ac paupere cibo, hordeaceo nempè pane, & aqua aceto miſta, paſtum fuiſſe narrat; quare in anguſtiis conſtitutus, divinam opem quæſivit; ſtatimque ſubita flamma obvolutus, vinculis abſumptis, liberatus eſt. Fabulæ!

Manaſſes igitur libertati a Saoſduchi Aſſaradonis ſucceſsore, uti veriùs credimus, Regnoque reſtitutus, evertendis Numinum aris, totique Idololatriæ eliminandæ pro viribus incubuit; quamvis deſtinatos cultui veri Dei colles permiſerit; ſivè quòd veterem morem abolere non poſset; ſive quòd nimis eſset in ea re populo indulgentior. Unum hunc nævum in Rege poſt egreſsum è captivitate Scriptura deprehendit. Cæterùm mœnia urbis reſtituit, auctis munitionibus, noviſque item mœnibus ſecundam urbem ad occidentem Hieroſolymæ eo primùm tempore cœptam, atque ab ejus regno nomine ſecundæ urbis in S. Scriptura appellatam (h), vallavit. Tandem Duces urbibus munitiſſimis Juda præfecit; quodque præcipuum eſt, ſubjectis ſibi populis colendi quærendique Dei author fuit.

Reliqua hujus Regis geſta, orationem ad Deum, minas Prophetarum Dei juſſu ad illum factas, ſcriptæ Ephemerides Regum Juda latè proſequebantur, ut orationem in carcere effuſam, relatamque à Deo opem, ejus crimina atque ſuperſtitiones fusè enarrabat Liber Prophetæ Hozai, ejuſdem, ac Iſaias, viri juxta quorumdam opinionem: ſive Liber videntis juxta phraſim Septuaginta, vel Liber *Hanam*, juxta Syriacum, & *Saphan*, juxta Arabicum. Manaſſes diem clauſit Hieroſolymis (i), & in horto domus ſuæ tumulatus relicto Amone filio ſuo Regni ſucceſſore An. M. 3361. ante Chr. 639. ante Ær. 643.

Hiſtoriam Judith, & Holofernis poſt regreſsum Manaſſis è captivitate contigiſse plures affirmant: quòd autem nihil de illo Rege in eodem Libro occurrat, in cauſa fuit, ſivè quòd neutri parti favere e re ſua duceret, ſive quod omnibus Regni curis in alios remiſſis, totum ſe pœnitentiæ addixiſset. Vide Præf. in Lib. Judith.

III. MANASSES, vir Judith, è Simeonis Tribu, qui poſt breves annos cum uxore exactos, offenſo ſolis æſtu capite, cùm meſſi hordeaceæ adeſſet, morbum contraxit, ac tandem abſumptus eſt, triennio ante cœptam ab Holoferne Bethuliæ obſidionem (k). Hæredem bonorum ſuorum Judith ex aſſe reliquit, atque Bethuliæ, in patria ſua, ſepulturæ mandatus eſt.

(a) An M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491. (b) Num. 32. 33. &c. Joſue 13. 7. &c. (c) An. M. 3306. ante Chr. 694. ante Ær. 698. 4. Reg. 20. ult. & 21. 1. &c. & 2. Par. 33. 1. &c. (d) Hieron. in Iſai. l. 3. in c. 20. (e) Orig. in c. 23. in Matth. & Epiſt. ad Jud. Afric. & hom. in Iſai. Tertull. l. de patient. c. 14. & Scorpiac. c. 8. Juſt. in Dial. Chryſoſt. ad Cyriac. Hier. in Iſai. l. 15. Aug. l. 18. de Civit. c. 24. (f) 2. Par. 33. 11. 12. &c. (g) Vide Tradit. Heb. in libb. Par. & Targum 2. Par. 33. 2. (h) Vide 4. Reg. 22. 24. & 2. Par. 34. 22. Sophon. 1. 10. & 2. Par 33. 20. (i) 4. Reg. 21, 18. & 2. Par. 33. 20. (k) Judith. 8. 2. 3.

IV. MANASSES, Summus Sacerdos Judæorum, filius Joannis, & frater Jaddi. Sacris præfectus eſt poſt Eleazarum fratrem Avi, & ante Oniam II. nepotem ſuum; hiſce autem artibus ea dignitate potitus eſt. Cum Nicalo filiam Sanaballat (a) Samariæ Satrapæ, Religione à Judaica alienam duxiſſet, iis nuptiis offenſi Judæi, & Sacerdotes, ni fœminam dimitteret, à Sacris abſtineret, indixerunt. Ille civium ſuorum, ac fratris etiam, Summi tunc temporis Sacerdotis, invidiam declinaturus, ad ſocerum divertit, eique poſt exaggeratum amorem erga Sponſam ſuam, graviter tamen ferre ſe dixit, quod ejus cauſa ab avita Sacerdotii dignitate abſtinere cogeretur. Sanaballat re audita, ſe facturum ſpopondit, ut nedum priſtinum Sacerdotii munus, ſed & Summum Pontificatum, & primas in tota Provincia obtineret; ſe etenim in monte Garizim par Hieroſolymitano Templum excitaturum, cui ipſe Summus Sacerdos præficeretur.

Tanta ſpe illectus Manaſſes apud Socerum ſubſtitit; ejuſque exemplum ſequuti plures ex Iſraelitis, qui cum alienigenis connubia miſcuerant, omnes illuc confugere; quibus ſibi promerendis, Sanaballat domos, & agros largitus eſt. Interim Alexander Magnus Syriam ingreſſus in obſidione Tyri verſabatur; quare Sanaballat collecta manu 8000. militum validiſſimorum, illum adiit, ſeque ſuoſque omnes, totamque Samariam, cujus erat Præfectus, ejus ditioni ſubjecit. Ab eo Rege facultas erigendi in monte Garizim Templum conceſſa, in quo Manaſſes ſummam dignitatem obtinuit. Quamquam autem Judæorum Deus ibidem colebatur, Judæiſque quamplurimis frequentabatur, ea tamen fuit Hieroſolymitanorum in ipſum invidia, ut in illo adorantes, tanquam Schiſmaticos haberent. Huic ſchiſmati Manaſſem renunciaſſe oportuit, ut poſt obitum Eleazari Summus Pontifex eligeretur (b); quamvis ejus electionis, atque ejurati ſchiſmatis hiſtoriam Joſephus omittat. Sacris præfuit ab An. M. 3745. uſque ad 3771. ante Chr. 229. ante Aer. 233. annis ſcilicet 26.

(MANASSE filiæ Sanaballat conjux. In Dictionario Biblico notavimus, hunc virum poſt geſtam ſacram dignitatem Samariæ in Templo Garizim, appellatum fuiſse Jeroſolymam, ut ſacris ibi præeſſet poſt obitum Eleazari fratris avi ſui; hæc autem dedimus juxta fidem Joſephi. Sed hiſce ægrè admodum aſſentiri, ſuadet aliquid, quod hic diſſimulandum non arbitramur. In ſecundo Eſdræ 13. 28. ubi de Sanaballat Oronite, qui filiam ſuam elocaverat filio cuidam Summi Sacerdotis Jojadæ filii Eliaſib, legimus Nehemiam coactum fuiſse extorrem agere à ſacra Urbe hunc virum filiæ Sanaballat maritum, quòd exteram fœminam duxiſset; nec tamen viri nomen nec reliquos ejus eventus notat. Sed Joſephus Antiqu. l. 11. c. 7. 8. appellat Manaſsem, aſſeritque receptiſse ſe Samariam ad patrem uxoris ſuæ, regnante Dario Condomano inter Reges Perſidis poſtremo. Sentitur error temporis. Nehemias ſuppar eſse Dario Condomano utique non potuit; venit enim in Judæam ſecundò A. M. 3555. ſub Artaxerſe Longimano; obiit autem A. 3580. cùm Darius Condomanus Regnum non inierit niſi circa annum 3670.

Viris quibuſdam doctis ſuccurrit, ut geminos admitterent Sanaballat, totidemque Manaſses; quorum duo priores ſub Nehemia, poſteriores ſub Dario Condomano viverent. Maluerunt alii confuſam à Joſepho hiſtoriam atque chronologiam, quippe qui ad tempus Alexandri Magni & Darii Condomani retulerit, quæ diu ante geſta fuerant ſub Nehemia. Poſtremam hanc ſententiam defendit D. Prideaux Hiſt. Jud. tom. 2. lib. 6. pag. 288. &c. Gallice. Defendit enim ille Joſephum confudiſse Jojadam ſummum Sacerdotem, cum abnepote ejus Jaddo; corrigendam eſse autem hiſtoriam hujus Scriptoris ad fidem eorum, quæ leguntur in Nehemia. Hæc ſi admittamus, diſtinguendus eſt planè Manaſses iſte Summus Sacerdos poſt Eleazarum à viro filiæ Sanaballat, cujus nomen ſilet Nehemias.)

V. MANASSES, filius Halom, qui ductam contra Legis præſcriptum fœminam à Babylone redux repudiavit 2. *Eſdr.* 10.

MANDANE, Aſtyagis Regis Medorum filia, uxor Cambyſis, & Magni Cyri mater (c).

MANDIA, locus propè Bethlem, quo Joannes filius Caree interfectorem Godoliæ Iſmaelem aſſequutus eſt (d). Hunc locum appellat Jeremias 41. 17. *Gheruth Chamaam*, quod à Vulgata redditur; *Peregrinantes in Chamaam*.

MANDIBULA; de loco hujus nominis vide *Lechi*.


MANDRAGORA, arbuſcula ſtuporem & quandoque mentis emotionem inducens, quam in philtris etiam amatoriis, nec fruſtra, adhibitam ferunt. Inter eas plantas, quæ nigrum præfert colorem, fœmella creditur; ea verò graveolenta eſt, foliis ad lactucæ ſimilitudinem, quamvis brevioribus, & anguſtioribus, veſtitur, ac ſuper terram extenditur; pomis vero ſorbi inſtar fœta eſt, pallentibus & olentibus, quæ grana pyrorum granis ſimillimam recondunt. Radices non ultra duas treſve ſimul complicatas emittit, exteriùs nigras, interiùs vero albicantes, craſſoque cortice obductas. Quæ maſculus dicitur, ab effectu nomen ſortita, *morion*, id eſt ſtulta, nempè ſtultitiam inducens appellata eſt; pomis duplò quàm fœmella craſſioribus, croceis, nec inſuavi odore. Ejus folia ampla, lata, albeſcentia, nitentia, fagi inſtar; radix altior, & productior quàm fœmellæ. Si quis ea planta utatur, continuò hebeſcit, nec rarò mentis ſtatus emovetur, turbataque capitis œconomia, totum obrigens corpus, ne prompto remedio laboranti ſuccurratur, agitatum opprimitur.

Ea, quæ de radicibus mandragoræ feruntur, quaſi corporis humani figuram exhibeant, ficta eſse, & fabuloſa Matthiolus oſtendit. Quod enim mandragoræ *Anthropomorphos*, ſcilicet humanæ figuræ, nomen obtinuerint, illud in cauſa fuit, quod earum radices ut plurimùm in inferiori parte bifurcatæ ſint, ut coxas referant; quæ ſi colligantur, cùm primùm mandragoræ fœtæ ſunt, truncum hominis corpus exhibent. Eas inſuper radices in hominis figuram conformatas, quas Circulatores mandragoras eſse, & fœcunditati conciliandæ utiles jactitant, artificio elaboratas ex cedroſtinis, arundineis, ſimiliſque generis radicibus eſse teſtatur. Audiviſse ſe etiam à quodam ex iis teſtatur, hordei, ſive milii grana inſeri ab illis conſueviſse certis hujus figuræ locis, ubi pilos exhiberi volunt; dein totam terra obruunt, donec grana radices emiſerint, quod ſpatio trium hebdomadum conficitur. Illa tandem producta, radices è granis emiſsas in pilorum modum efformant, ſcitamque barbæ, & crinium ſimilitudinem exhibent.

Refert Moyſes *Gen.* 30. 14., accidiſse quondam, ut Ruben filio Liæ in agro vaganti mandragoræ occurrerent, quas collectas ad matrem detulit. Earum appetitu titillante, Rachel petiit à Lia, ut ſibi aliquid de illis concederet; quod ab altera ea conditione obtinuit, ſi viro in ſequenti nocte frui permiſiſſet. Vox *dudaim*, qua Moyſes uſus eſt, ignotum noſtra ætate ſenſum habet; quare nonnulli *violas*, alii *lilium*, alii *jaſminum*, Junius *flores elegantes*, Codurchus *tubera* reddunt. Nos in Commentariis in Geneſim 21. 14. adductis conjecturis, de malis aureis dictum interpretamur. Ex Scriptura apparet dudaim genus eſse fructus in Meſopotamia, & Judæa frequentis (e), qui circa tempus meſſis triticeæ matureſcat, odore jucundo, non facilè putreſcentis, & unà cum malis

(a) Antiq. l. 11. c. 7. (b) Antiq. l. 11. c. 3.
(c) Juſt. Xenoph. l. 1. (d) Antiq. l. 10. c. 10.
(e) Cant. 7. 13.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Mandragora cum suis floribus et fructu
delineata ex planta in Viridario Regio Parisiensi extante
a. Malum Mandragorę
b. Malum dimidium sectum
c. Mandragorę semen

Digitized by Google



Dudaim seu Mauz Arabum

Digitized by Google

Digitized by Google

malis puniceis ponitur (a). Qui de *mandragoris* volunt, his rationibus opinionem ſuam fulciunt. Cum Rachel filiorum deſiderio teneretur, facilè ad eam rem mandragoras à Lia quæſiviſſe creditur; mandragoris enim Veteres *mali Cupidinis*, & Veneris *Mandragoritidis* nomen indiderunt. Julianus Imperator in Epiſtola ad Calixenem ſcribit, ſe mandragoræ ſuccum potaſſe, ut in venerem excitaretur. Hebræum *dod*, ex quo *dodaim*, ſive *dudaim*, amorem, ſive mammas ſignificat (b).

(Ludolfus in ſua hiſtoria Æthiopica lib. 1. cap. 72. refutavit opinionem, quæ Hebræum *Dudaim* reddit Mandragoras, expreſſum illo cenſet fructus quoddam genus; *Manz* Syri appellant (c), cujus & ſapor & figura plurimùm accedit ad *Ficum Indicam*; magnitudine parvum cucumerem æquat, atque interdum ad quadraginta ex uno eodemque frutice pendent. Referunt Itinerantes in Sinarum Inſula *Haiuan* arbuſculam quandam increſcere, quæ brevi 15. dierum ſpatio ſurculum emittit ornatum 6. vel 7. amplioribus foliis, onuſtumque amplioribus veluti ficubus; addunt autem folia illa patula eſſe adeò, ut totum hominem obvolverent; ex quo conjectura ſimilis arboris folia tegendis nudis ſuis poſt peccatum adhibuiſſe primos hominum parentes. Nec deſunt etiam qui ſuſpicentur (d), fructum illum pellectu ſuo allicientem Evam, ipſiſſimum hoc fuiſſe genus ficus; nec alios aſſignant *Dudaim* à Ruben detectos. Quod attinet ad Mandragoram, *Abronzanam*, i. e. hominis figuram, ideò appellant Perſæ, quòd Orientales & maximè Judæi, ſcitè adeò componunt radicem Mandragoræ cum pendentibus ex illa filaminibus, ut non malè referat hominis figuram. Luſtallah affirmat, non ſine diſcrimine plantam illam vel ſecari vel evelli, evellendo autem tutò frutici, alligandus eſt canis, qui deinde verboribus incitatus, fugam adnitens, plantam evellit.

Plus aliquid addens Joſephus de Bello lib. 7. cap. 25. in Græco 23. plantam hanc appellat *Baara*, quòd non multum abludit ab *Abron* Perſarum, vel *Jabron* Arabum. Affirmat ille creſcere genus hoc in valle ad ſeptemtrionem arcis Macheruntis ab Herode conditæ. Ad veſperam, ait ille, tanquam ſol micat; ſi quis forte evellendæ accedat, recipitur ſtatim planta illa in ſe, tentans veluti fugam; conſtitit tamen ſtatim ac ſive menſtruali ſanguine, ſive urina fœminæ inſpergitur. Nec tamen adhuc tutum eſt evellendæ accedere, niſi ſimul id tentans facinoris ſuſpenſam gerat ad brachium ejuſdem plantæ radicem; qua non adhibita cautione, certum mortis diſcrimen incurritur.

Eſt tamen ars alia inita ſalvis omnibus plantam evellendi: effoditur altè terra circum ejus radicem, ut radix illa ſolum non contingat niſi unica tantum extremitate ſua; tum admotus canis fune radici jungitur, quo ſequi herum tentante, facilè planta evellitur; ſed luit ſtatim brutum illud morte ſua criminis pœnam, heruſque admovet ſecurus manum capiens admirabilem plantam. Cæterùm radicis hujus uſus tanti laboris uſuram reddit ampliſſimam; Dæmones enim, Spiritus nempe illi, qui viros inſigniter famoſos afflarunt, corpus quoddam hominis inſidentes, miſerumque ita torquentes, ut ſtatim ſuffocaretur, niſi prompta admota eſſet ops; Dæmones, inquam, illi nec odorem nec aſpectum ejus plantæ ſuſtinent; ſed fugam ſtatim arripientes, liberum hominem relinquunt. Hæc Joſephus de planta, quam appellat *Baaras*; quibus ferè omnibus itinerator quidam à me lectus ſuffragio ſuo fidem aſtruit (e).

Mandragoram appellant interdum Arabes *Serag-al-cothrob*, candela Dæmonis, quòd lucem emittit per noctem; ſed lux iſta omnis debetur vermibus luminoſis plantam illam amantibus; & Lutfalla-al-halimi (f), qui medicinam profitebatur, affirmat quæcunque ſupra fidem de mandragora venditantur, otioſorum fabellas eſſe; contuliſſe ſeſe non ſemel evellendæ plantæ incolumem ſemper, nec deterritum fuiſſe à fragore lamentantis, cùm avellitur è ſolo, nec enim mutit; quæcunque tandem de uſu ejus plantæ exaggerata ſunt, hæc omnia ad fabellas & ſuperſtitioſa amandat.

Aſgedi, Vates Perſa, ſcribit apud Sinas plantam *Aſterenk*, nempe mandragoram, creſcere in hominis figuram; ceſeruntque in provincia Pekin apud Sinas creſcere reipſa genus quoddam mandragoræ adeo pretioſum, ut radicis ipſius libra tribus argenti vendatur; affirmant enim vitales ſpiritus adeo ſeparari radice illa admota morientibus, ut ſatis tunc temporis ſuppetat adhibendi, nec fruſtra interdum, pharmaca. *Ginſeng* appellant Sinæ. Affirmat P. Tachard radici illi interdum hominis figuram ineſſe; malunt alii datum huic nomen Ginſeng, quòd hominem referat divaricatis cruribus, cujuſmodi Sinæ appellant *Gin* Scriptor alius derivat nomen Gin-Seng è *Gin* quod Sinicè eſt homo, & *Sem* planta, veluti ſi diceretur planta hominem referens.

Ita verò plantam deſcribunt: Radicem emittit albam & aſperiorem, duplo vel triplo culmo ſuo craſſiorem & ſenſim in anguſtius ſeſe redigentem. Sæpiſſimè poſt aliquot à capite digitos divaricatur in duo veluti brachia, ex quibus ſimilitudo aliqua hominis, cùm brachia hæc non malè exprimant crura. Ad utrumque radicis latus magno numero veluti fibræ quædam hinc inde ſuccreſcunt, ex quibus terræ alimentum tranſmittitur in plantam. Surgit è radice truncus perpetuus, rotunduſque ad circinum, ſubrubro ſaturo. E ſuperiori trunco demittuntur quatuor veluti brachia, æquè inter ſe divaricata. Singula hæc brachia quinque folia ornant, dentata, viridique ſaturo tincta, atque in cuſpidem deſinentia. E centro ramorum plantæ rectiſſimus ſurgit truncus alius perpetuus, cujus extrema ora ferunt faſciculum 24. fructuum plùs vel minùs rotundorum, atque vivido rubro gratiſſimorum. Fructus intimum centrum tenet nucleus ad lenticulam maximè accedente forma. In nucleo germen plantæ. Porro cadit planta illa reſurgitque ſingulis annis. Cujus ſit floris ignoratur; nec aliud habetur in pretio quàm ejus radix, de qua mira prædicant, ut jam inſinuatum eſt. Demonſtrant hæc omnia Mandragoræ genus quoddam plantam illam referre. Vide Dictionarium univerſale Trevoltianum V. *Genſeng*.

MANDUCARE. In cibis deguſtandis Hebræi non omnes indiſcriminatim admittebant ſocios; maculæ quid & probri inducturos in ſe rebantur, ſi haberent commenſales ſive alterius Religionis, ſive probroſæ cujuſque profeſſionis homines. Ætate Joſephi Patriarchæ abſtinebant ab Ægyptiis, ſicut Ægyptii viciſſim ab Hebræis *Geneſ.* 43. 31. Quo tempore agebat in vivis Jeſus Chriſtus, *non coutebantur Judæi Samaritanis Jo.* 4. 9. & Jeſum Chriſtum vitii arguebant, quòd cibos caperet cum publicanis & peccatoribus *Matth.* 9. 11. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Cùm enim vetita eſſent Hebræis plura ciborum genera, res ipſa poſcere videbatur, ut in deguſtandis ſocios non haberent cæteros, quibus nihil erat interdictum, metu ne fortè maculæ aliquid contraherent, ſive tactu vetiti alicujus, ſive quòd ex inauſpicatis cibis aliquid fortè ſuper illos caderet.

Itaque ſpectare licet in conviviis veterum Hebræorum ſingulis appoſitas fuiſſe menſas; Joſeph fratres ſuos in Ægypto habuit commenſales, & ſingulis menſam ſuam aſſignavit; ſicut & aliam ſibi habebat poſitam ſeor-

(a) Confer. Cant. 6. 10. cum 7. 12. 13.
(b) Vide Bahuin. Hiſt. plant. c. 3. Matthiol. in Dioſcor. & Brodæum in Theophr.
(c) Herbelot Biblioth. Orient. pag. 17. & 140.
(d) Vide Baſnag. Repub. Hebr. tom. 2. pag. 340. 341.
(e) R. P. Eugenius Rogerus Recollectus Deſcript. Terræ Sanctæ 4. Gallicè.
(f) D. Herbelot. Bibl. Orien. pag. 141.

ſeorſom, in qua cibos caperet cum *Ægyptiis*: ex appoſitis autem ſibi dapibus portionem ſuam ad ſingulos fratres tranſmittebat *Geneſ.* 43. 31. *&c.* Elchana, pater Samuelis, geminis uxoribus portionem utrique ſuam, ſeorſum divisit 1. *Reg.* 1. 4. 5. Apud Homerum Odyſſ. 14. ſingulis convivis ſua eſt menſa appoſita, & Architriclinus ſuas in ſingulos diſtribuit dapes. Paria hodie uſque apud Sinas obtinere affirmant; & apud Indos plures nunquam ex eadem paropſide, ſicut nec menſa ſimul capiunt cibos (a); quod ſibi vetitum non officio tantùm, ſed & religione cenſent. Retinent eoſdem mores non in ſua tantum regione, ſed & in alienis atque in itinere, cùm aliò diverterint.

Porrò veteres mores apud Homerum expreſſi, ad ritum menſæ quod attinet, iidem exhibentur pariter in Scriptura. Abundant dapes, ſed nihil vel parum delicatum; obſequium in hoſpites ſummum in eo poſitum arbitrabantur, ut largior, quàm cæteris, ſufficeretur potus cibuſque. Tres Angelos convivio excipiens ſub tentorio ſuo Abraham, pavit appoſito integro ac pingui vitulo, lacte, botyro, pane ſubcinericio, cui conficiendo tres menſuræ ſimilæ nempe ultra 28. pintas farinæ, affuſæ ſunt. Portione quam ceteros fratres quintuplo majori Benjaminum fratrem ſuum donavit Joſeph; ſicut & vituli totam quartam partem Sauli apponi Samuel præcepit. Plerumque inter viros convivas, commenſales fœminæ non aſſidebant; id enim perindè inofficioſum habitum fuiſſet ac in Italia, Hiſpaniis, atque Oriente hodie etiam reputatur.

Condiebantur cibi ſale, melle, oleo, butyro. Aromatum noſtræ ætati pleraque ignorabant; norant tamen aniſa, crocum, gingiberem, & herbas nonnullas, quarum ſæpe mentio in Scriptura; nec ſanè ambigimus confecta ex illis condimenta. Melle hodie pariter apparantur cibi ferè omnes in Palæſtina. Solemnium conviviorum augebant Feſta chori ludentium voce & inſtrumentis. Helluones Ephraimitas reprehendit Amos 6. 5. quòd in conviviis ſuis inſtrumentorum luſus adderent ad voluptatem, tanquam ſi adeo ſcitè tangere inſtrumenta illa noſſent ac David. Unguenta & ſuffimenta pretioſa in omnibus æquè Feſtis valebant. Fœmina peccatrix in Evangelio balſamum affudit pedibus Jeſu Chriſti *Luca* 7. 37. quo pariter officio Jeſum ſibi promeruit Maria ſoror Lazari *Joan.* 12. Prandendi hora in meridie deſtinata, hac enim Joſeph fratres ſuos habuit convivas *Gen.* 43. 25. S. Petrus è ſuperiori ſolario ædium Simonis coriarii capiendo cibo ad meridiem deſcendebat *Act.* 10. 7. Judices Babylonii ſeducere tentantes Suſannam receperunt ſeſe in ædes ſuas ad meridiem prandendi gratia *Dan.* 13. 7. 8. Docent RR. diebus feſtis cibos ante meridiem deguſtare nefas fuiſſe (b); qua eadem hora cæremoniæ omnes abſolvebantur. Notat Thalmud (c) undecimam horam matutinam veluti capiendo cibo aptiſſimam, ſi quis ultra differat incommodum id illi futurum arbitrantur; deſtitutum enim corpus eo, quo indiget, cibo, ipſum ſe abſumit, ſuoque ſe diſpendio nutrit, velut urſus hyeme.

Aſſidebant olim Hebræi menſæ pro more noſtrorum familiari; adoptarunt poſt hæc mores Perſarum & Chaldæorum, diſcumbendi ſcilicet jacentes ſuper lectulos. Sed menſalium lectulorum mentio nihilo ſecius quædam eſt in Proverbiis Salomonis 23. 1. in Amos 6. 4. 7. in Ezechiele 23. 41. & in Tobia 2. 4. Sed hæc peculiaria erant quorumdam, non generatim omnium. Simul enim apud Authores ſacros coævos phraſes quædam occurrunt, ſeſſionem in menſa exprimentes. In conviviis Aſſueri diſcumbebant invitati in lectis, Eſther 1. 6. ſicut & in altero quo Eſther Regem & Amanum excepit; diſcumbebat pariter in lectis Jeſus Chriſtus, cùm Magdalena linivit ejus pedes pretioſo unguento *Matth.* 26. 7. ſicut & cùm in Cœna S. Joannes Evangeliſta caput ſuum ſuper pectus Magiſtri reclinavit *Joan.* 13. 25.

De ciborum diſcrimine apud Hebræos agemus alibi. Religioſè obſervant Legem interdicentem uſum ſanguinis, adipis, & nervi femoris. *Levit.* 3. *ult.* Veteres Hebræorum Doctores vetuerant uni eidemque convivio apponi ſimul carnes & piſces; ſed Hebræi hodie religionem hanc totam poſuerunt, indiſcriminatim omnibus veſcentes, iis exceptis, tam ex animantibus quàm ex piſcibus, quæ à Moyſe interdicta ſunt *Levit.* 11. p. 12. Decoqui vetat Legiſlator hædum vel agnum in lacte matris ſuæ *Exod.* 23. 19. & 34. 26. quod Judæi explicant ſervantque de lacte, butyro vel caſeo, una ſimul cum dapibus non deguſtando.

Antequam menſæ aſſideant nihil habent antiquius, quàm ut manus lavent; eamque cæremoniam veluti religioni planè neceſſariam & magni momenti reputant. Poſt cibum nova iterum lotio. Manibus lotis ſtatim accumbunt, & Paterfamilias, ſive honoratiſſimus inter convivas, aſſumens panem frangit, non dividit (d); tum appoſitis pani illi manibus benedictionem hanc pronunciat: *Benedictus ſis, Domine Deus noſter Rex mundi, qui producis panem è terra.* Dicentem excipiunt adſtantes reponendo *Amen.* Tum diviſo inter convivas pane, calicem aſſumit ſeu cerviſiæ, ſeu alterius cujuſque liquoris, elevanſque dextera manu apprecatur: *Benedictus ſis, Domine Deus noſter Rex mundi, qui produxiſti fructum e vinea.* Intonat poſt hæc Pſalmum 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco paſcuæ ibi me collocavit.* Diſcrepant nonnihil in rebus hiſce referendis Buxtorfius & Leo Modena, ideò ſcilicet quòd Buxtorfius Germanorum Judæorum, & Leo Modena Italorum ritus proſequuntur.

Cura illis eſt maxima, ut poſt cibum panis reliquiæ quædam remaneant in menſa; tum Paterfamilias lotum calicem accipit, affundit vinum, elevat, atque pronunciat: *Domini, benedicamus illum, de cujus bonis nos deguſtavimus.* Acclamatum ſtatim ab omnibus: *Benedictus ſit ille, qui nos bonis ſuis repievit, & bonitate ſua pavit.* Tum alter prolixam orationis formulam recitat, qua gratiæ Deo aguntur de largitionibus ſuis in Iſraele, rogaturque, ut miſeratione tangatur Jeruſalem & Templi; reſtituat thronum David; mittat Eliam & Meſſiam; jugum diuturnæ adeò captivitatis tandem amoliatur, ne cogantur de Chriſtianorum largitionibus precario vivere. Dira autem in Chriſtianos illos expreſſos nomine populi carnalis & creaturarum maledictarum precantur. Claudunt precem adſtantes reponendo *Amen.* Recitantur ſub hæc, verba Pſalmi 33. 10. 11. *Timete Dominum omnes ſancti ejus.* Tum vini tantillo à ſingulis convivis tranſmiſſo circùm, liquoris aliquid libant, reliqua potat princeps, atque ita ſolvitur convivium. Vide Dictionarium Biblicum.

MANE valet idem ac promptè. *Mane exaudies vocem meam. Pſal.* 54. 18. maturè ſatis. *Veſpere, & mane* diem referunt juxta Moyſem, quòd Hebræi olim dies *à veſpera in veſperam* inirent *Geneſ.* 1. 5. *Mane* exprimit etiam in re aliqua facienda ſollicitudinem. Surrexiſſe ſe primo mane dicit Dominus, ut populum ſuum revocaret *Jerem.* 6. 13. & 11. 7. Perhibet de ſe Pſal. 5. 5. & 58. 17. & 91. 3. laudaſſe ſe Deum *mane*, nempè ſollicitum ſe exhibuiſſe officio ſuo præſtando.

Ezechiel 46. 14. 15. *Faciet ſacrificium ſuper eo cata mane mane*: Sacerdos pro vice ſua offert Domino mane ſingulorum dierum Sacrificium conſuetum agni. *Cata mane, mane*, phraſis eſt è Græco in quo præpoſitio *cata*, juncta nomini exprimenti annum, diem,

vel

(a) Renaudot Not. ad Iter duorum Arabum in Sinas, pag. 123. 124. Gallicè.
(b) Vide Hammond. ad Matth. 12. 8. (c) Tract. de Sabbatho. *Buxtorf.* Synag. cap. 6.
(d) Vide Buxtorf. Synag. Leo Moden part. 2. cap. 10.

vel horam deſignat id de quo agitur iterandum ſingula ſeu annis, ſeu diebus &c. *cata mane*, mane ſingulorum dierum.

Sophonias 3. 5. *Mane mane judicium habet in lucem;* eaeret Dominus juſtitiam ſuam ſummo mane duplicatum mane exprimit primum mane. Amos 5. 3. *Convertens in mane tenebras;* Deus ſcilicet noctem vertit in diem. Joel. 2. 2. *Quaſi mane expanſum ſuper montes.* Quemadmodum eaorientis Solis primi radii vertices montium totos occupant; ita pariter locuſtæ totam ſubito regionem tenebunt.

De mane uſque ad veſperam, exprimit tempus breviſſimum. *De mane uſque ad veſperam ſuccidentur.* *Job.* 4. 20. & Pſalmiſta Pſal. 89. 6. vitam hominis comparat flori, qui mane expanditur, langueſcit ſtatim, areſcit tandem veſpere: *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat; veſpere decidat, induret, & areſcat: Pluvia matutina & veſpertina, ſeu potiùs pluvia verna & autumnalis.* Vide V. *Pluvia.*)

MANE vos Chaldæa, quæ redditur *dinumeravit*. Cum Balthaſſar ſacrilego convivio miniſtros ſuos, & concubinas excepiſſet, vaſa ſacra, è Templo Jeroſolymitano a Nabuchodonoſore aſportata in medium deferri juſſit (a). Iis allatis, continuò manûs ſimilitudo in pariete apparuit, ſcribentis: *Mane*, *Thecel*, *Phares*, ſcilicet Deus dinnumeravit, appendit, diviſit. Horum verborum ſenſus convivas latebat, quare Daniel accitus Regi declaravit, dies omnes vitæ ipſius a Deo dinumeratos eſſe, jamjamque explendos; appenſa ejus geſta, & inania inventa; tandem ait, Deus Regnum tuum inter Perſas, Medoſque diviſit. Eadem nocte Balthaſſar interfectus eſt. Vide *Balthaſſar.*

(MANETHON, Scriptor Ægyptius, & Sacerdos Heliopolitanus in Ægypto. Cum viri hujus hiſtoriam ſæpè laudet Joſephus, non abs re facturos nos arbitramur, ſi de illo aliquid attingamus. Scripſerat Græcè hiſtoriam Dynaſtiarum ab inito Ægyptiorum Imperio aduſque Nectanebum, poſtremum inter Ægypti Reges ex Ægyptiorum genere, & uſque pariter ad tempus, quo Darius Ochus eam ſibi regionem occupavit 15. annis ante cœptam ab Alexandro Magno in Perſas expeditionem. A ſecretis ſive Scribam ſe dicit Templorum Ægypti; vivebat autem ſub Ptolomæo Philadelpho, cui Opus ſuum inſcripſit; quare multum abeſt, ut rebus, quas ſcriptis conſignat, coævus Author reputetur. Admittit ille 30. Dynaſtias è 130. generationibus, quæ regnarunt in Ægypto ab inita Monarchia aduſque Nectanebum. In hac Principum ſerie cum Regibus ſuus eſt locus Diis, Semideis, & hominibus, ſinguliſque ſua datur annorum periodus, quarum ſumma plurimum excedit chronologiam, de qua in Libris Hebræorum.

Synopſim veteris hujus hiſtoriæ vindicavit ab oblivione Syncellus. Totum opus diſtribuit in quinque partes; prior exhibet Deorum hiſtoriam, ſecunda Semi-Deorum Regum Ægypti; tertia Regum ejus regionis. In Synopſi illa, quæ tantùm ſupereſt, mera nomina Principum cum annis regni adnotata ſunt; nec illos etiam alterum poſt alterum in ſeriem diſtribuas, ſed in variis Ægypti partibus eodem ſimul tempore plures regnaſſe cenſendi ſunt. Joſephus in priori libro Operis contra Appionem prolixa recitat ejuſdem Authoris fragmenta, ſolerter diſtinguens, ſive quæ Scriptor ex fide veterum monumentorum Templorum Ægypti, ſive quæ de ſuo aut è libellis per Ægyptum obtinentibus accepta retulit. E ſacris illis monumentis narrat Hebræos ſuperfudiſſe ſeſe Ægypto, validis inſtructos copiis, totumque Regnum ſubegiſſe; pulſos deinde, Judæam vi occupaſſe, ubi & condidiſſe Jeroſolymam ac Templum. Vera ille hucuſque. Sed addit, ſub Rege quodam Amenophi ab Ægypto illos ſeſe recepiſſe, cum admixta turba leproſorum & languentium; ſubtexit deinde plura fabuloſa prorſus & conficta. Hiſce nulla debetur fides, utpote è murmure quodam vago & confuſo petitis.)

MAN-HU, nempe *Quid eſt hoc?* Quam exclamationem viſa primum manna Hebræi reddiderunt Exod. 16. 15. Vide *Man*, ſive *Manna*.

MANILIUS. T. Manilius & Q. Memmius Romanorum Legati Antiochiam juſſu Senatus venerunt; unde ad Senatum Jeroſolymitanum ſcribentes omnia ea rata ſe habere ſignificarunt, quæ Rex Lyſias illis conceſſerat; ſi quid aliud vellent, Antiochiam venirent, æqua obtenturi (b).

MANIPULUS. Poſtera Paſchatis die (c) manipulus, veluti hordeaceæ meſſis primitiæ, ad Templum deferebatur; qua in oblatione hi ritus ſervabantur. Decimaquinta menſis Niſan, cum prima Paſchatis dies prætериiſſet (d), jamque ſecunda dies, qua minimè feriabatur, cœpiſſet, Domus Judicii tres eligebat, qui ſolemniter manipulum hordei legerent, finitimis urbibus convenientibus, ut cæremoniis adeſſent. Hordeum in agro Hieroſolymitano legebatur. Cùm ii tres electi ter, an ſol exortus fuiſſet, petiiſſent, terque exortum à reſpondentibus audiſſent, ter iterum hordeum metendi facultatem poſtulabant; qua ter conceſſa, illud in tribus agris, tribus diverſis falcibus metebant, ipſumque tribus arculis conditum ad Templum deferebant.

Cùm manipulus, ſivè tres manipuli ad Templum delati fuiſſent, in atrio excutiebantur; graniſque excuſſis, & torria gomur, ſcilicet tres pintas circiter, implebant. Ea deinde *log* olei, ſcilicet ſemi-ſextario, & octava pintæ parte, & aliquantò amplius inſpergebant. Thuris pugillus addebatur; quæ omnia Sacerdos accepta coram Domino, quatuor mundi partibus in crucis formam ſiſtens, agitabat. Deinde parte ſuper Altare injecta, reliquum Sacerdoti cedebat. Inde cuique metere fas erat.

(MANNA plerumque deſignat Iſraelitis ſuffectum in Deſerto alimentum, de quo nos ſtatim. Uſurpatur etiam in Baruch 1. 10. pro oblatione Hebraicè appellata *Mincha*: *Facite manna, & offerte pro peccato*. Id monent captivi Babylonis in literis ad Judæos Jeroſolymitanos fratres ſuos datis, ſignificantes mittere ſe pecuniam emendis holocauſtis & victimis; quare offerrent panem, placentulas, ſimilam, vinum &c. Hæc omnia exprimunt nomine *manna*. Vide *Oblatio*.)

MANNA, ſive *Man*, cibi genus, quo Iſraelitæ in deſerto Arabiæ divinitus paſti ſunt, toto itinere annorum 40. ab octava caſtrametatione in Deſerto Sin *Exod.* 16. 13. Mannæ illapſus mane Veneris diei, decimæſextæ ſecundi menſis, dein *Jiar*, appellati, incepit, quæ dies juxta ſupputationem Uſſerii, Veneris diei, quintæ Junii reſpondet. Singulis poſtea diebus ad auroram pluebat, excepta die Sabbathi; nec antea deſiit, quam poſt Jordanis tranſitum, & in Paſchate quadrageſimi anni poſt egreſſum ab Ægypto. Totum hoc ſpatium definiri poteſt à die Veneris quinta Menſis Junii anni 2513. uſque ad quintam diem Mercurii menſis Maji, & ſecundam Paſchatis anni 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451.

Hujus mannæ figura ad granum album ad inſtar pruinæ acceſſit magnitudine, & rotunditate coriandri (e). Super rorem ſtratum mane ſingulorum dierum defluebat; & cum ros calore Solis evanuiſſet, tunc manna ſuper arenam, & ſaxa (ſed circa caſtra Iſraelitarum tantummodò) apparebat. Ea verò cibi hujuſce ubertas fuit, ut illendis 40. annorum ſpatio

(a) Dan. 5. 25. &c. An. M. 3448. ante Chr. 552. ante Ær. 556.
(b) 2. Machab. 11. 34. 38. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.　(c) Levit. 23. 10. &c.
(d) Cod. Menachot. 6. 3. Vide Maimon. Temidim, & Moſaphim.
(e) Exod. 16. 14. Num. 11. 7.

Digitized by Google

ſpatio ultra 1000000. hominibus ſola, & abundè ſufficeret, ſingulis plenum gomor, 3. pintas Pariſienſes excedens, quotidiè referentibus. Die Veneris duplo majorem portionem colligebant, cujus pars in alteram diem Sabbathi tutò ſervabatur. Quæ autem ſub dio relicta, Solis calore liqueſcebat manna, domi ſervata adeò obdureſcebat, ut in mortario contunderetur, atque in ſartagine frixa, ſive in placentas ſubacta, ignem pateretur. *Num.* 11. 8.

Panis Cœleſtis & Angelorum eſca in Pſal. 77. 25. appellatur, ſivè quòd Angelorum miniſterio præpararetur, exhiberetur que; ſivè quod ea eſset cibi hujuſce ſuavitas, ut Angeli, ſi cibo uterentur, alium non quæſiſſent. Author Sapientiæ 16. 20. 21. tradit, omnium guſtui mannam accommodari conſuevisse, ut ſingulis ſaperet; quin & ciborum ſapores varios diſſimileſque in ſe conciliaſse; cujus verba non deſunt qui ad literam intelligenda autument (a); adduntque nonnulli vel ipſam ciborum, quibus veſcentes delectarentur, formam exhibuiſse. Joſephus tamen Antiq. l. 3. c. 1. planiori interpretatione uſus, hanc eſcam omnium delicatiſſimam fuiſse perhibet, nihilque, ea guſtata, ſuavius quærendum remanſiſſe; & S. Auguſtinus (b) ſcitè animadvertit, hanc cibo virtutem, ut ſe omnium guſtui attemperaret, nonniſi pro filiis Dei inditam fuiſse; quod ex verbis Sapientiæ colligit: *Ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares.* Nec ſanè alia fuit querimoniæ Iſraelitarum ratio, niſi quòd cibum jam faſtidirent, quaſi minùs guſtantibus ſaperet. Num. 11. 6.

Noſtra etiam ætate, certis in locis manna dilabitur, ut in Arabia, Polonia, Calabria, in Monte Libano, Delphinatu, aliiſque. Arabica, cæteris præſtantior, concreti mellis ſpeciem exhibet, æſtivoque tempore ſuper arbores, lapides, herbas, arenam Arabiæ Petrææ apparet; figura verò à Moſaica non abludit. Quæ juxta montem Sinai colligitur, acrem ſpirat odorem, è ſubſtratis herbis derivatum; facilè evaneſcit, ut ſi in aperto vaſe ea 30. librarum pondo reponatur, exactis 15. diebus vix 10. ſuperſint. Proſtat hæc merx in Apothecis Cairi in Ægypto. Salmaſius, cui etiam nonnulli ex Recentioribus accedunt, putat Arabicam mannam eandem cum Moſaica fuiſse; quanquam laxandi potiùs ſtomachi dejiciendique, quam nutriendi, ac ſuſtentandi vim habet, aſſuetudine tamen cibi difficultatem vinci potuiſse cenſet, quod etiam in venenis contigiſse ſcimus. Moſaicæ tamen mannæ vim aliquam divinitùs acceſſiſse conſtat, quia poſt eam occaſionem ſublata, in priſtinum reſtituta eſt (c).

(De origine nominis *manna* in varias abitum eſt ſententias; ſunt qui *Man* ſubſtitutum arbitrentur Hebræo *Mah* exprimente: *Quid eſt hoc?* Ad inuſitatum aſpectum enim nunquam eatenus viſæ mannæ alter alterum Hebræi compellabant: *Man-hu*, pro *Mah-hu: Quid eſt hoc?* Maluut alii Hebræos Mannam planè noſse, quam ingenti imbre decidentem circa caſtra ſtupentes, alter alteri indicabat dicentes: *Man-hu*, en mannam. Poſteriorem hanc ſententiam tuentur cum D. Salmaſio Recentiores quidam, rati mannam à Deo Iſraelitis affuſam, nihil fuiſse aliud, quàm rorem ipſum craſsum denſumque hodie pariter in Arabia pluentem, qui ſtatim à lapſu concreſcens cibum populis illis omnibus ſufficit. Ipſiſſimum eſt mel ſylveſtre, quo victitabat S. Joannes: *Matth.* 3. 4. tota autem prodigii, de quo Moyſes, ratio non inde quidem petebatur, quaſi ſcilicet novum aliquod alimenti genus Deus populo creaverit; ſed quòd ita res diſpoſuerit, ut ſingulis recurrentibus diebus, certoque ſervato ritu, plueret, ejuſdem etiam quantitatis ſemper; quanta ſcilicet immani huic multitudini alendæ ſufficeret.

Sed prodigio mannam deputant Hebræi, & Orientales omnes. Appellant illam Arabes *ciceremomnipotentiæ* (d), & Judæi tanta religione prodigium illud tuentur, ut maledicta precentur (e) in aſſertores contrariæ opinionis. Ex concreto ac in materiam condenſato, quo alendo homini ſerviat, cæleſti lumine coaluiſſe mannam tuetur Akiba (f); quam tamen opinionem rejicit atque refutat R. Iſmael hoc urgens argumentum, nempè mannam appellari in Scripturis *panem Angelorum*. Nutriuntur autem Angeli, inquit, non denſata in materiam luce, ſed luce ipſa Dei. Ha a Judæi de manna ſibi formant ideas.

Quæ in officinis apothecariis venditur manna, appellaturque *manna Calabriæ*, liquor eſt albus, dulcis, ſive ſponte fluens, ſive ex inciſis ramis, & foliis quercus, qua ſativæ qua ſylveſtris. Regnante canicula & paulò ante nullibi colligitur niſi è quercubus, nec ubique, ſed tantùm in Calabria & circa Brigantium; colligitur autem cùm incalente ſole denſatur excocta. Menſe Julii ſponte fluit ex arbore; menſe verò Auguſti ex inciſa arbore aliquid pariter ſtillat, eodemque menſe cùm manna illa prior ceſſaverit, tertii generis alia concreſcit, tanquam ſudor e nervoſa parte foliorum quercus expreſſus. Jure carnium manna liquata leniter purgat. Scribit Furchius incolas montis Libani mannam in regione ſua provenientem, uti mel alii, deguſtare.)

MANUE, pater Samſonis, ex urbe Saraa inter Daniticas. Cum ejus uxor Angeli viſione filium ſe edituram ſciſſet *Judic.* 13. 1. Manue re audita, ſivè de conjugali uxoris fide dubius (g), ſivè ut grato eſſet in Angelum animo (h), Dominum exoravit, ut vir idem, qui antea uxori, ſibi videretur, ut quid de filio mox orituro faciendum intelligeret. Vota Manue expleturus Angelus, iterum uxori ſpectandum ſe præbuit; ab illa continuo accitus vir, interrogavit, num ipſe eſſet, qui antea fœminæ infantem promiſiſſet; ecquam filio educationis rationem præſcriberet? Cui Angelus, Jubeo, ait, uxorem ab iis omnibus abſtinere, quæ antea ſignificavi, ab impuris nempè eſcis, à vino meraciſque. His auditis, oravit Manue, ut tantiſper ſuſtineret, donec hædum in cibum pararet; renuit verò Angelus, monuitque, ut eam victimam potiùs in holocauſtum Domino mactaret. Quæſo te ſaltem, ſubdidit Manoe, neſciens ſe cum Angelo colloqui, ut vel numen tuum indices, ne, ſi promiſſiones impleantur, condigno à nobis honore frauderis. Ad hæc Angelus quid, ait, nomen meum quæris, quod eſt admirabile? (i).

Manue igitur allato & hædo, & libationibus, Domino litavit, rei interea eventum una cum uxore opperiens. Joſephus Antiq. l. 5. c. 10. & vulgò Commentatores referunt Angelicæ virgæ contactu ignem ſubito proſiliiſse, quo holocauſtum abſumeretur: nil tamen ea de re apertè Scriptura. Cum fumus ſuſtolli cœpiſset, Angelus inter flammas elatus, in Cœlum aſcendere viſus eſt; quo indicio Manue Angelum eſse agnoſcens ſignificavit uxori metuere ſe, ne ſibi Angelo viſo, lethum immineret. Deſpondentem animo uxor confirmavit oſtendens, ſi gravius aliquid in illos Deus ſtatuiſset, neque holocauſtum acceptnrum fuiſse, neque filii ſpem facturum. Id evenit An. M. 2848. Natus eſt Samſon An. M. 2849. ante Chr. 1151. ante Ær. 1154.

MANUS. Impoſitio manuum, ritus in Veteri, & No-

(a) Cantacuzen. in Sap. Salom. Heſſel. de Euchar. *de Saintes* Repert. 7. Boſ. da Not. Eccl. l. 13. c. ult.
(b) Retract. l. 2. c. 10. Vide & Greg. Moral. l. 6. c. 9.
(c) Vide Diſsert. Salmaſ. Buxtorf. Bochar. de manna & Altumar. de Man. & noſt. Commen. in Exod. 16. 14. &c.
(d) D'Herbelot. Bibl. Orient. pag. 547. (e) Abenezra in Exodi 16. 15. (f) Vid. Buxtorf. de Manna cap. 2. pag. 351.
(g) Ita Joſeph. Antiq. l. 5. c. 10. (h) Ambroſ. Ep. 70.
(i) Judic. 13. 18. Textus Hebr. reddi poteſt. *Quid quæris nomen meum, quod eſt Peli?* ſivè *Quid quæris nomen meum? & fuit admirabilis*; ſivè. *Et, Deus eſt admirabilis.*

& Novo Teſtamento frequentiſſimus . Vide *Impoſitio Manuum*.

MANUS interdum de re eatenſa uſurpantur : *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus* (a). *Terram ſpatioſam manibus* in Hebr. Monumentum etiam Abſalomi non longe à Jeruſalem erectum, *Manus* appellatur ; 2.Reg. 18. *Abſalom erexerat ſibi, dum adhuc viveret, tumulum in valle Regis... & appellatur Manus Abſalom uſque ad hanc diem*. Interdum vim, & illapſum S. Spiritus in Prophetas ſignificat : *facta eſt ſuper eum manus Domini*. Hinc Deus legem dediſſe *per manus* Moyſis, & præcepta *per manus* Prophetarum dicitur, nempè eorum miniſterio locutus eſt.

Manus elevata, virtutem, & authoritatem ſignificat ; quare Deus extenta manu, nempè vi, & authoritate ſua, populum ex Ægypto reduxiſſe dicitur, nequidquam Ægyptiis renitentibus. Peccatorum arrogantia contra Deum cervicem erigens, eadem phraſi exprimitur : *peccare elata manu*. Deut, 32. 27.

(Manus uſurpatur interdum pro ultione Dei in aliquem. 1. Reg. 5. 6. 7. *Aggravata eſt manus Domini ſuper Azotios* ; cùm ſcilicet Arcam fœderis recepiſſent captivam, denunciatum illis fuiſſet, nunquam ab oppreſſione relevandos fore, niſi remiſſa Arca cum muneribus.

Manus etiam valet pro *vicibus*. Ita Daniel & ſocii inventi ſunt *decem manibus* ſapientiores, quàm Magi omnes & Divini regionis. Hinc fortè deductum Gallicum *Maint mainte* multò plures.

Fundere aquas ſuper manus, eſt obſequiis alicujus addici ; ita de Eliſæo ſcriptum eſt, 4. Reg. 3. 11. affudiſſe ſcilicet aquam ſuper manus Eliæ, obſequiis ſcilicet illius addixiſſe ſeſe.

Lavare manus. Lavit manus Pilatus, ut culpam omnem à ſe amoliretur, damnandi ſcilicet morte Jeſu Chriſti, viri, ut ipſe quidem rebatur, innocentis *Matth.* 27. 24. *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris Pſal.* 57. 11. ; approbat juſtus ultionem à Deo exactam de impiis. Juſtus *lavat inter innocentes manus ſuas Pſal.* 25. 6. ; amicitia cum illis jungitur.

Oſculari manus, ſignificatio eſt cultus: *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & oſculatus ſum manum meam ore meo Job.* 31. 27. & 3. *Reg.* 19. 18.

Replere manus, eſt Sacerdotium inire, Sacerdotaliſque muneris jus capere, & explere officia (b) ; cùm enim dignitas illa adiretur, recens initiati Sacerdotis manus opplebantur partibus victimæ offerendæ.

Incumbere in manu alicujus 4. *Reg.* 7. 17., eſt habere aliquem in familiarem, & in ſervum fidiſſimum. Rex Iſrael fidiſſimum quendam habebat apud ſe, in cujus manu innitebatur 4. *Reg.* 5. 18., ſicut & Rex Syriæ innitebatur in manu Naaman, cùm ad Templum Dei Remmon ſe conferret.

Manus valent etiam interdum pro extrema ora, latere, cardinibus valvarum, fulcris ſeu fulcimentis throni &c.

Levare manum ritus eſt Sacramenta præſtandi apud omnes æquè gentes obtinens.

Dare manus, eſt in pacem conſentire, amicitiam jurare, ſecuritatem polliceri, componere fœdus : *Dexteram dedit, accepit, & abiit.* 2. *Machab.* 13. 22. Lamentabantur Judæi coactos ſe dare manus Ægyptiis & Aſſyriis, ut ſibi panem procurarent *Thren.* 5. 6. ; i. e. coactos dedere ſe, componere cum illis fœdus, ut ſubſiſterent, ut vitam ſuam ab extremo diſcrimine liberarent.

Manus dextera. Eſt apud Hebræos plerumque plaga meridionalis. Vide ſupra *Dextera*.)

MAOCH ; pater Achis Regis Geth. 1. Reg. 27. 2.

MAON, urbs Meridionalis Tribus Juda (c), in cujus deſerto Nabal Carmelius longum regionis tractum poſſidebat, & David diutiùs delituit, ut perſecutionem Saulis evitaret. Hanc urbem Mæoniorum Metropolim fuiſſe credimus, de quibus in textu Hebræo 1. *Paral.* 4. 40. 41. & 2. *Paral.* 20. 1. quo ultimo loco tamen in Vulgata legimus ; *Ammonitas*, & in altero eſt, *habitatores* ; apud Septuaginta vero, *Minæos*. Urbs Maon, unde deſerto nomen, eadem videtur, ac *Mænois*, ſivè *Maonis* (d), quam Euſebius propè Gazam collocat. Eandem etiam credimus cum *Meneo*, de qua in Codice Theodoſiano, propè Berſabee, ſive *Verſabinum caſtrum*, ſito. In ſubſcriptionibus Concilii Chalcedonenſis A. 451. *Minois* appellatur (e).

MAONATHI, Othonielis filius, & Ophræ pater è Tribu Juda 1. *Par.* 4. 13. 14.

MAOZIM, Antiochus Epiphanes præcurſor, & imago Antichriſti, ait Daniel 11. 39. *Deum Maozim in ſuo loco venerabitur, & ... colet auro, & argento Deum, quem ignoraverunt patres ejus*. De hoc numine variæ circumferuntur ſententiæ. Sunt, qui de Jove Olympico dictum interpretentur, cui Antiochus in loco patribus ſuis incognito, nempe in Templo Hieroſolymitano, thus adolevit ; ſunt, qui Martem ſignificatum velint nomine Maozim, ſive Dei fortium ; verùm qui fieri potuit, ut Mars extraneum eſſet Numen Epiphani ? S. Hieronymus ex Porphyrio tradit (f), Numen Maozim in urbe Modin, patria Machabæorum, cultum obtinuiſſe. Alii cenſent ità legendum eſſe textum Danielis 11. 37. : *adversùm univerſa, conſurget, & contra Deum Maozim* (Deum ſcilicet fortem, Deum arcium, & exercituum), *& ejus loco Deum venerabitur, quem ignoraverunt patres ejus*. Porrò Epiphanes erecta in Deum fortiſſimum, Deumque Iſraelis fronte, ejus loco in Templo Hieroſolymitano Jovis Olympici ſimulacrum, patribus ſuis, priſtinis ſcilicet Regibus Syriæ, qui poſt Alexandrum Magnum regnarunt, ignoti, erigi juſſit. Frequenter ſanè Deus Iſraelis nomine *Maoz*, ſive fortis in Daniele deſignatur (g).

MAPSAM, filius Sellum, & pater Maſinæ 1. *Paral.* 4. 21. Vide *Mabſam*.

MAPSE. Hujus nominis urbem in Idumæa, & ad occidentem Jordanis Ptolomæus collocat. Mapſe, ſive Mapſis inter urbes tertiæ Palæſtinæ recenſetur in veteribus notitiis Eccleſiaſticis. Nulla hujus nominis urbs in S. Scriptura occurrit, quamquam Mabſam filium Iſmaelis legimus, à quo fortè nomen loco inditum.

MARA, vox *amaritiem* ſignificans, qua Iſraelitæ poſt egreſſum de Ægypto locum appellarunt, in quo adeò amaras aquas nacti ſunt, ut vel ipſa jumenta potum refugerent *Exod.* 15. 23. Ea occaſione deficientibus in potum aquis, murmur in Moyſem excitatum eſt, quod brevi Moyſes compeſcuit, indicatum à Domino lignum in aquas conjiciens, quo earum ſaporem correxit.

(MARA. Lignum illud, quo injecto in aquas Mara, ingratum earum ſaporem correxit Moyſes, appellabatur Alnah juxta Orientales ; tenent autem hæreditate quadam à Noe, qui ſibi illud in Arca ſervaverat, ad Moyſem uſque tranſmiſſum veniſſe.)

MARA. Noemi è Moabitide redux, cùm proprio nomine, quod pulchram ſonat, à civibus compellaretur, ne, quæſo, ait, pulchram me, ſed potiùs Maram,

(a) Pſ. 103. 26. Vide Iſ. 22. 18. Gen. 34. 21. Et 2. Eſd. 7. 4.
(b) Judic. 17. 5. 12. Vide Levit. & 3. Reg. 13. 33.
(c) Joſue 15. 55. Vide & 1. Reg. 23. 24. 25. & 25. 2.
(d) Euſeb. Onomaſt. v. Medebena. (e) Vide Cellar. & Reland. v. Minois, ſive Menois.
(f) Hieron. in Dan. 11. & 10 Iſa. 30.
(g) Dan. 8. 10. 11. & 11. 31.

Digitized by Google

Maram, ideſt amaritiem, appelletis, cum in me Dominus ærumnas omnes, ac mala congeſſerit Ruth. 1. 20.

MARAI, Nethophathites, ex genere Zarai, Dux 24000. militum, quibus, tempore Davidis, Regiæ domus cuſtodia decimo Menſe, nempe Januario, commiſſa erat. 1. Paral. 27. 13.

MARAIA, filius Saraiæ, è genere Sacerdotali, qui Babylone Hieroſolymam rediit. 2. *Eſdr.* 12. 12.

I. MARAIOTH, filius Achitob Summi Sacerdotis Judæorum 1. *Paral.* 9. 11.

II. MARAIOTH, filius *Zaraie*; idem fortaſsè ac ille, de quo paulò ſuperius (a).

MARAIA, urbs Zabulon. (b) Vide *Merala*.

MARAN-ATHA, vox Syriaca, quæ redditur, *Dominus venit*, ſivè *pervenit*. Genus erat anathematis apud Judæos, quod S. Paulus in eos pronunciat, qui Jeſum Chriſtum non diligunt 1. *Cor.* 16. 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, maran-atha*. Vulgo tradunt interpretes anathema illud omnium eſſe maximum apud Judæos (c), & alteri anathemati reſpondet *Scham-atha*, ſive *Schem-atha*, nomen venit, ideſt Deus venit, ac ſi diceretur: Diris omnibus, atque ſupremi Judicia animadverſioni devoveate; Dominus illicò veniat, ut in tuum caput omnia ultionis fulmina intorqueat. Verùm Seldenus de Syned. l. 1. c. 8. & Ligtfootus (d) vocem *maran-atha* numquam eo ſenſu apud Rabbinos uſurpari demonſtrant. Porrò ea vox abſolutum hunc ſenſum commode patitur: *ſi quis non amat &c. Anathema ſit*. Dominus venit, Meſſias apparuit, qui illum fateri renuerit, diris devoveatur; Apoſtolus enim his verbis Judæos incredulos arguit (e).

MARATHA, urbs Phæniciæ, ultra, & ad ſeptentrionem Eleutheri inter Balaneam & Antaradum.

I. MARCUS, S. Marcus Evangeliſta, juxta Papiam, & S. Irenæum, alioſque tum Veteres, tum Recentiores (f), S. Petri Diſcipulus, & interpres, quem plures ex antiquis (g) ſpectaſſe credunt eundem Apoſtolum (h), ubi filium ſuum illum appellat, fortaſſe quòd illum Chriſto genuerit. Inter 70. Diſcipulos enumeratus, antequam Apoſtolo Petro ſocium ſe adderet, vulgò creditur. Verùm nonnulli ex Patribus addunt, hunc ex illis fuiſſe, qui à Chriſto receſſerunt, cum illa verba audiſſent; *niſi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis Jo.* 6. 55. & S. Petri labore ad bonam frugem rediiſſe, cujus in fide æmulum, & itineribus comitem fidiliſſimum ſe præbuit; cùmque Romam cum ipſo veniſſet, ibidem Evangelium exaraſſe. (i)

Non deſunt, qui Joannem Marcum, in Actibus, & in Epiſtolis Pauli notum cum noſtro confundant; ſed horum ſententia jam obſolevit. Nonnulli genus illi Sacerdotale adſcribunt, mitramque Sacerdotalem induiſſe narrant, quod ab Anonymo Scriptore ejus Actorum acceptum eſt. Tandem ex ſorore nepotem fuiſſe S. Petri apud aliquos vulgatum eſt (k). Cùm Apoſtolus Petrus iter Romanum iniiſſet, Marcum ſibi comitem junxit, qua in urbe Marcus à fratribus exoratus, ut ea, quæ à Petro audierat, ſcripturæ traderet, Evangelium exaravit (l).

Cùm Apoſtolus rem omnem intellexiſſet, Diſcipulum laudavit, ſimulque probatum Evangelium legendum per Eccleſias veluti authenticum, & Canonicum tradidit. Scriptum illud Tertullianus l. 4. contra Marcion. S. Petro adſcribit, ejuſque ore dictatum narrat Pſeudo-Athanaſius in Synopſi; quin & manu ejuſdem Petri ſcriptum tradit Eutychius Patriarcha Alexandrinus. Nonnulli apud Chryſoſtomum hom. 1. in Matth. 15. exaratum putant à S. Marco, dum in Ægypto verſabatur; alii poſt mortem S. Petri compoſitum ferunt; quæ diverſæ de eadem re ſententiæ nihil certi de tempore & loco, quo ſcriptum ſit Evangelium, definiri poſſe demonſtrant.

Quo verò idiomate dictatum ſit, non ſatis liquet; alii enim Græco, alii Latino exaratum volunt. Veterum, atque Recentiorum turba Græcum aſſerunt, Græcuſque Textus Originalis putatur; ſed exemplaria nonnulla Mſſ. Græca Latinum teſtantur, quibus Syriaca, & Arabica conſentiunt. Nec ſanè alius ſermo eum decebat, qui Romæ, & pro Romanis ſcriberet; quare eam opinionem Baronius, & Seldenus veriorem cenſuere (m). Cæteris tamen ferè omnibus contrarium viſum eſt. Folia quædam Venetiis ſervantur Originalis S. Marci manu deſcripti, ut vulgò creditur, quæ ſi vera eſſent, ſola hujus Mſ. inſpectio litem hanc dirimere potuiſſet; verùm an ſuppoſititium ſit opus ambigitur, lenioque, & vetuſtate ita obliteratum eſt, ut unius literulæ linea vix diſcernatur. Omnium noviſſimus, qui ſcripti hujus meminit, D. Bernardus Montfaucon (n), qui Latinè ſcriptum aſſerit, atque tantæ vetuſtatis opus nunquam ſe vidiſſe teſtatur. Author, qui ante Montfaucon librum inſpexerat, Græcos characteres ſibi deprehendiſſe viſus eſt. Vide noſtram Præfat. in Marcum.

Quorundam Recentiorum fide, S. Marcus, juſſu Petri, Aquilejam (o) veniſſe dicitur, ubi ultra biennium ſubſiſtens, Eccleſiam condidit; quæ tamen hiſtoria Veterum authoritatem deſiderat. Lato per Claudium edicto Anno Imperii nono Chr. 92. Judæi omnes Roma pulſi; eademque occaſione S. Petrum, & Marcum ſolum vertere coactos ferunt (p). Hinc Marcus, jubente Apoſtolo, in Ægyptum iter direxit, ac primò Cyrenem in Pentapoli veniens, plurimos baptiſmo initiavit. Inde Alexandriam divertens, Anianum ad fidem duxit, quem Epiſcopum ejuſdem urbis dedicavit. Aucti in immenſum Fideles ea ſanctioris vitæ ſpecimina exhibuerunt, ut Philo Judæus (ut plures (q) ſentiunt) veluti gentis ſuæ, illorum elogium ſub Therapeutarum nomine intexuer (r). Vide *Therapeuta*.

Secundis Eccleſiæ rebus Ethnici tandem invidentes, in S. Marcum, quaſi Numinum everſorem, conjurarunt, quorum ille furorem declinandum ratus, tantiſper ſecedens, Cyrenem rediit, ubi biennio ſubſtitit. Inde Alexandriam reverſus, ingentique plauſu, & gaudio à Fidelibus exceptus, novis in dies acceſſionibus, cùm populorum numerum, tum chariſmatum donis auctam Eccleſiam inviſit. Poſthæc iterum egreſſus, Romam venit, ſi Chronico Alexandrino ſit fides, in quo Petro, & Paulo martyrium conſummantibus Marcus adſtitiſſe narratur An. Chr. 66. Roma digreſſus, iterum Alexan-

(a) 1. Eſdr. 7. 3. Vid. noſtr. Comment. in hunc locum. (b) Joſue 19. 11. (c) Grot. ad 1. Corint. 16. 22. & ad Luc. 6. 22. Druſ. ad Joan. 9. 22. Hieron. Ep. 137. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. in 1. Corint. 16. 22.

(d) Diſſert. ſingul. de Maran-atha. (e) Vide Commentatores, & Seldenum, ac Ligtfootum loc. cit. Eliam Weihemai. de Paulin. anathematiſ. ad 1. Cor. 16. 22. Joan. Renner. Maran-atha in Theſauro Theologico philologico p. 2.

(f) Pap. apud Euſ. l. 2. c. 14. hiſt. Eccl. Iren. l. 3. c. 1.

(g) Orig. apud Euſ. l. 6. c. 26. hiſt. Eccl. Hieron. in Catal. Theophyl. in Marcum.

(h) Petr. 5. 13. *Et Marcus filius meus*.

(i) Orig. de recta in Deum fide. Doroth. in Synopſi, Procop. Diac. apud Bolland. 26. Apr.

(k) Niceph. l. 2. c. 43. (l) Clem. Alex. apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 15. Epiph. hær. 51. Nazian. car. 34. & Orat. 25. Hieron. de Viris Illuſtr. &c.

(m) Bar. Annal. A. 45. n. 41. Selden. notæ in Eutychii orig. Alexand.

(n) Iter Italicum c. 4. (o) Vide Bolland. 25. Apr.

(p) Vide Euſeb. l. 2. c. 16. Hiſt. Eccl. Epiph. hæreſ. 51. Hieronym. de Viris Illuſtr. Eutych. Alex. t. 1.

(q) Euſeb. l. 2. c. 17. Hieron. de Viris Illuſtr. Epiph. hæreſ. 29. &c. (r) Philo de vita contempl.

Digitized by Google

Alexandriam petiit, ubi prodigiorum copia Ethnicorum invidiam in ſe concitans, quorum etiam furorem Chriſtiani Idola deridentes non modicè augebant, vitæ diſcrimen ſubivit. Dei ope protectus, aliquandiù delituit, donec cùm Dominica die 24. Aprilis, A. Chr. 68. Sacrum offerret, comprehenſus, fune ad collum alligato, tota die per urbem pertractus eſt, miniſtris interim bubalum ad loca bubali (loca erant ad mare ſcopulis præruptis) trahi clamantibus. Veſpere in carcerem detruſus eſt, ubi gemina viſione eadem nocte recreatus, altera nempe Angeli, à quo nomen ſuum in Libro Vitæ deſcriptum eſſe monitus, altera Jeſu Chriſti, qui pacem S. Viro nunciavit. Mane alterius diei, die 25. Aprilis A. Chr. 68. iterum per vias raptatus eſt, donec animam efflaret; quanquam non deſunt (a), qui igne obiiſſe tradant; fortaſsè tamen defuncti corpus igni traditum eſt.

Veterum Hæreticorum nonnulli, authore S. Irenæo *l. 3. c.* 2. nullum, niſi Marci, Evangelium probabant. Erant inter Catholicos, qui 12. poſtremos verſus ejus Evangelii, ab illo nempè: *ſurgens autem mane &c.* rejiciebant; quòd fortaſſe Evangelio S. Matthæi, aliorumque Evangeliſtarum diſſentiri viderentur. Verùm Patres, & Verſiones Orientales vetuſtiſſimæ, Exemplaria omnia Latina, & Græca, tam MſS. quàm impreſſa, miro conſenſu ea omnia probant, & cum cæteris Canonica eſſe fatentur.

Ex collatione duorum Evangeliorum S. Marci, & Matthæi, primus alterius hiſtoriam in compendium redegiſſe videtur; non rarò enim eaſdem phraſes, eaſdem hiſtorias, iiſdem circumſtantiis, in utroque Evangelio deprehendas: interdum novi aliquid S. Marcus relatis à S. Matthæo hiſtoriis addidit; quod Evangelio S. Matthæi intelligendo commodiſſimè accidit. Duo etiam vel tria miracula apud S. Marcum occurrunt (b), quæ fruſtra alibi quæras. Illud autem animadverſione dignum eſt, hunc Evangeliſtam veſtigiis S. Matthæi uſque adeò inhærentem, narrationis ſeriem à capite 12. uſque ad 14. 13. S. Matthæi deſeruiſſe, ut inſtitutum ab aliis Evangeliſtis ordinem ſequeretur. Hinc Chronologiſtis geſtorum ſeries à SS. Luca, Marco, & Joanne deducta præ S. Matthæi probatur. Hiſtoriam ſuam à prædicatione S. Joannis Baptiſtæ exorditur, nec pauca in ejus decurſu omittit, quæ apud S. Matthæum occurrunt, uti parabolas cap. 20. & 21. & 25. & verba Chriſti ad Diſcipulos, & Phariſæos in cap. 5. & 6. & 7. & 16. & 23. De geſtis hujus Sancti conſule Bollandiſtas, Tillemontium, & Spanhemium.

(Codex Mſ. Evangelii S. Marci deſcriptus eſt in papyro Ægyptia multò tenuiori, quàm quæ alicubi ſervatur (c). R. P. Montfaucon Antiq. explic. lib. 13. credit non temerè judicaturum illum, qui Opus eſſe ad minus quarti ſæculi arbitraretur. Reconditus fuit A. 1564. in loco quodam ſubterraneo, cujus vel ſuperior fornix exteriores habet circùm obſidentes aquas, eſt autem in proximo mari depreſſior; ſtillat proinde aqua ſuper illos, quos rei novitas ad latebras illas deducit. Lectio ex eo exprimi poterat adhuc, cùm in locum illum occultum illatus eſt A. 1564.)

II. MARCUS. Joannes Marcus, conſobrinus S. Barnabæ. Vide *Joannes Marcus*.

MARCELLA, quo nomine nonnulli ancillam quandam S. Marthæ appellatam volunt; eandemque, audita Chriſti prædicatione, clamaſſe: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti*, Luc. 11. 27. Addunt illam cum Martha, & Maria ad Aquas Sextias in Provinciam veniſſe. Ejus nomine inſcriptus eſt Liber de geſtis S. Mariæ Magdalenæ, qui ab illa Hebraicè, uti narrant, exaratus, in Latinum à Synthero tranſlatus eſt. Scripto tamen illi nulla fides.

M. ANTONIUS JULIANUS, Judææ Procurator An. Chr. 70. qui obſidioni Hieroſolymitanæ adfuit, Templique evertendi una cum aliis nonnullis author fuit, ne Judæi iterum deſciſcerent (d). Minutius Felix teſtimonio Joſephi, & Antonii Juliani (ejuſdem fortaſsè cum noſtro) Judæorum ærumnas nonniſi poſt derelictum à populo Deum immiſſa fuiſſe demonſtrat; nullíſque ſub ærumnis eos ingemuiſſe, niſi quæ antea prædictæ fuerant, ſi Divinis præceptis non paruiſſent.

MARDOCEMPADUS, Rex Babyloniæ, alio nomine *Merodac Baladan*. Vide *Merodac*.

MARDOCHÆUS, è ſtirpe Saulis, filius Jair, & ex Optimatibus Tribus Benjamin. Captus à Nabuchodonoſore una cum Jechonia Rege Juda (e) in Babyloniam tranſlatus eſt. Suſis verſatus, donec anno primo Cyri Hieroſolymam, uti creditur, una cum pluribus captivis rediit (f). Verùm Templi ædificatione prætermiſſa, ſuæque gentis rebus in Judæa non proficientibus, Suſas iterum contendit. Captivitatem ineunte adhuc ætate ſubiiſſe videtur, cùm à tranſlato Jechonia per Nabuchodonoſorem, uſque ad trigeſimum Darii Hyſtaſpis annum, quo nuptiæ ejuſdem Regis cùm Eſther contigere, 80. annorum ſpatium intercedant, ab An. 3405. uſque ad 3490.

Sunt qui Mardochæum in Patre captivum abductum fuiſſe credant (g); ipſum verò ejuſdem captivitatis tempore natum. Cur tamen hæc quæramus, nulla ratio cogit: ille enim, cùm tranſlatus eſt, annum fortaſsè duodecimum ætatis egit; quibus ſi 80. addantur, tempore conjugii Eſther & Aſſueri, 92. annos circiter ætatis attigit; non impar ſanè vir gerendis diutiùs ſummis muneribus à Rege ſibi commiſſis, ſi 120. annorum, ne dicam 198. ut Judæi tradunt, grandævus obiit. Hic germani ſui filiam Edeſſam, ſive Eſther, patre orbatam in filiam adoptarat, ejuſque educationem curaverat.

Cùm Aſſuerus puellam illam duxiſſet (h), ut ſuo loco narravimus, Mardochæus, ne indicata quidem ſua cum Regina neceſſitudine, fores tantùm palatii frequentabat, ut de illius rebus moneretur. Accidit intereà, ut duo ex Regis Eunuchis in Regem conſpiraſſent *Eſth.* 2. 21. quorum conſilia Mardochæus ſubodoratus, illicò ad Reginam, illa ad Regem detulit. Capti ſtatim proditores, ultimo ſupplicio damnati ſunt, totiuſque rei hiſtoria in Regios Annales relata. Sub hæc, Aman Regio favore protectus, ſuper omnes aulæ Principes adeò elatus eſt, ut omnes ante ſe genua flectentes ſpectaret (i). Unus Mardochæus, quòd ſibi indignum videretur, delatum Regibus Perſarum à ſubditis Divinum cultum privatum affectare, cæteris proſtratis, ſtabat (k).

Eam injuriam ulturus Aman, impetrato ab Aſſuero Edicto, omnium Judæorum necem, ac bonorum publicationem indixit. Cùm Mardochæus pro impe-

(a) Eutych. Alex. in Chron. Hyppol. in Mſ. Bodlei, & Anonym. apud Mill. in cap. Evang. ſecundum Marcum.
(b) Vide Marc. 1. 23. & 1. & 5. & 9. & 16.
(c) Codicem eſse hunc bombycinum nemo hodie dubitat poſt ſedulam ejus inſpectionem per D. Scipionem Maffeium. Vide ejus Hiſtor. Diplomatic. tom. 1. in 4. Mantuæ 1727.
(d) Joſeph. de Bel. l. 6. cap. 24.
(e) Eſth. 2. 6. A. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599.
(f) Vid. 1. Eſd. 2. 2. Abenezra, Corn. à Lap. & alios A. M. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536.
(g) Rupert. l. 8. c. 5. Grot. Scalig. Cajet. Bellar. Canus. Menoch. &c.
(h) An. M. 3490. ante Chr. 510. ante Ær. 514.
(i) Eſth. 3. 1. &c. An. M. 3495. ante Chr. 505. ante Ær. 509.
(k) Vid. Eſth. 13. 12. &c. Vide, ſi lubet, Xenoph. l. 8. de Inſtit. Cyri, Arrian. l. 4. de Geſt. Alex. Judith. 1. 2. 23. in Græco

impetranda à Rege Legis abrogatione apud Eſther inſtaret, res accidit interea Amano moleſtiſſima. Rex noctem agens inſomnem (a), Annales Regni coram ſe legerentur, imperavit. Cùm hiſtoriam proditæ per Mardochæum conſpirationis inter legendum audiſſet, petiit, ecquodnam vir ille fidei ſuæ præmium retuliſſet? Audiens verò indonatum adhuc permanſiſſe, introduci juſſit Amanum, quem præ foribus conclavis expectantem novit. Aman ſupplicium de Mardochæo petiturus advenerat. Introductum rogavit Rex, ecquid honoris impendi poſſet viro, quem Rex cuperet honorari? Ille ſe eum eſſe ratus, reſpondit, decere, illum Regia chlamyde indutum, Regio equo inſidentem, ac diademitum à clariſſimo ex Optimatibus manuduci, clamante interim: *Sic honorabitur, quem Rex honorari deſiderat*. Tunc Rex, Fac igitur, ait, ut omnia Mardochæo præſtes.

Aſſueri juſſa Aman, invitus quidem, explevit; dein regreſſus domum, mœrore & invidia contabuit; Mardochæus verò foribus Regii Palatii iterum ſe reſtituit. Interim Eſther jejuniis, & orationibus præmunita, ad Regem ſe contulit; primoquo cùm illo alloquio petiit tantummodò, ut eundem Regem & Amanum convivas habere in ſuis ædibus liceret. Cùm Rex invitatus veniſſet, iterum ea petiit, ut altero illos convivio excipere permitteretur. Ea tandem occaſione omne Amani conſilium in Judæos, in ſuum nempè, & Mardochæi patrui ſui populum, Regi aperuit (b); ſimulque Edicti abrogationem impetravit. Tunc Aman ejuſdem crucis ſupplicio, quod in Mardochæum paraverat, ſublatus eſt, ejuſque bona, & dignitates Mardochæo adjudicatæ. Novo dein Edicto ultio in hoſtes ſuos per omnem latè Perſarum ditionem Judæis permiſſa eſt, ea ſcilicet die 14. Niſan, qua Judæorum exitium decretum erat. Hujus poſtea diei memoriam ſolemni Feſto populus coluit. Vide *Eſther*, & *Purim*.

Vulgò Critici, & Interpretes, Librum Eſther Mardochæo tribuunt (c); illum enim authorem eſſe conſtat cujuſdam Epiſtolæ, qua Eſther, & Mardochæus Feſtum *Sortium*, ſivè *Purim* celebrandum indicunt (d). Hanc verò Epiſtolam eamdem eſſe ac Librum Eſther cenſemus, niſi quòd Epiſtolæ in Librum transformandæ addi nonnihil oportuerit (e). Vide *Eſther*.

MARE, Græcè *Thalaſſa*, Hebraicè *Jam*. Apud Hebræos maris nomen amplis etiam lacubus, paludibus, omnibuſque multarum aquarum receptaculis tribuitur; hinc Mare Galilææ, Tiberiadis, Cinereth, quanquam re quidem vera non maria ſint, ſed lacus. Ita plane mare mortuum, mare deſerti, Orientis, Sodomæ, ſalis ſivè ſalſum, Aſphalticum ſivè bituminis, diverſa unius lacus Sodomæ nomina ſunt. Mare Semechon, lacus eſt ejuſdem nominis; *Mare Jazer* (f), lacus item ad urbem Jazer transjordanicam; *Mare Suph*, eſt mare Rubrum. Tandem mare occidentale, magnum, inferum, eſt Mediterraneum. Vas etiam amplum à Salomone conflatum ad ulam Templi, lavandis ſcilicet pedibus, & extis victimarum, nec non abluendis Sacerdotibus, *mare* appellabatur. Porrò de ſingulis hiſce maribus diſſerendum.

(Arabes & Orientales generatim communi *maris* nomine deſignant interdum ampliſſimos quoſque amnes (g), uti Nilum, Euphratem, Tigrim, & cæteros id generis, qui ingenti diffuſi ſeu alveo, ſeu inundantium aquarum alluvione, ſpeciem præferunt quaſi maris cujuſdam vel lacus. Hujus rei documenta exhibere neceſſarium ideò arbitramur, quòd plures S. Scripturæ Textus vix aliter explicarentur. Iſaias 11. 15. *Deſolabit Dominus linguam maris Ægypti, & levabit manum ſuam ſuper flumen* (illud) *in fortitudine ſpiritus ſui* (ſeu impetu exſiccantis venti,) *& percutiet eum in ſeptem rivis, ita ut tranſeant per eum calceati*. Hæc omnia nonniſi de Delta exponenda ſuccurrunt; eſt autem Delta veluti lingua Nili, hìc appellati *maris Ægypti*. Scitum eſt enim ad latera Mediterranei, quà Ægyptum alluit, nullam eſſe terræ vel maris linguam; conſtat inſuper Prophetæ verba omnia colliniare in Nilum & ſeptem ejus ramos: *Septemplicis oſtia Nili*.

Nomine etiam maris idem Propheta 18. 1. 2. Nilum deſignat: *Væ terræ cymbalo alarum* (i. e. alis ſiſtrorum repercuti circum omnia facientes) *quæ eſt trans flumina Æthiopiæ* (Hebr. *Chus*.) Ideò autem hoc nomine mare Rubrum deſignatum eſt, quod populi Chus orientale ejus litus tenebant.) *Qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas*. Nilum hic habes *Mari* nomine expreſſum. Porrò ex junco texti lintres Ægyptiis familiares erant, ait Plinius l. 6. c. 22. *Ex ipſa papyro navigia texunt, & ex libro vela*: Proſequitur Iſaias verſo ſermone ad Legatos, amnem ſulcantes papyraceis navigiis. *Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus*. Quadrant hæc ita cum Ægypto, ut cum alio non meliùs; erat enim regio civilibus diſciſſa bellis corraſa & deſolata inundationibus Nili; regio funiculorum & menſurarum, quòd ſcilicet ſubſidente in ſolo limo poſiti limites tegerentur, ut ſæpè diſtinguendis poſſeſſionibus ad funiculos & menſuras recurrendum fuiſſet.

Regio Babylonica ab Euphrate irrigata deſignatur ab eodem Propheta 21. 1. nomine *deſerti maris*, ſeu maris deſerti, ſive inſinuando miſero illi ſolitudinis ſtatui, quo redigendam terram hanc norat; ſive ironia quadam & antiphraſi, quòd ſcilicet Babylon Urbs erat incolis frequentiſſima. Jacens Urbs ſuper magnas aquas, *ſuper mare*, quæ ſedes eſt immeolæ gentis. In hanc ſententiam loquitur Jeremias 51. 36. 46. *Aſcendit ſuper Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus operta eſt*; & paulò ante: *Deſertum faciam mare ejus*. Iſaias 27. 1. Regem Babylonis appellat *Leviathan, qui in mari eſt*. Eodem nomine deſignat Ezechiel. 32. 2. Regem Ægypti, ſedem habentem ad Nilum.

Agens Daniel. 11. 45. de Antiocho, qui exercitum ſuum duxit trans Euphratem, & caſtra locavit in agro Meſopotamiæ, notat, ſubſtitiſſe illum ad Padam *inter maria*; i. e. inter Euphratem & Tygrim. Nomine *filiorum maris* deſignat Oſee 11. 10. Babylonios & Ægyptios. *Formidabunt filii maris & avolabunt quaſi avis ex Ægypto, quaſi columba de terra Aſſyriorum*; Judæi in Babylonia & Ægypto captivi ad propria redibunt. Sermonem habens Nahum de Urbe Noammon, quam alii *Thebas* ſive *Dioſpolim* credunt: *Aqua*, ſcribit, *in circuitu ejus, cujus divitiæ mare; aqua muri ejus*. Nihil hic aliud nomine maris & aquarum intelligas præter Nilum.)

MARE MAGNUM, *mare Occidentis, inferum, & Philiſthinorum*, diverſa ſunt nomina unius Mediterranei, Palæſtinam ad occidentem alluentis; quod proinde orientem ſpectantibus à tergo reſpicitur. Hebræi pro eodem hominis ad orientem converſi ſitu, dextrum, & ſiniſtrum, anteriorem, & poſteriorem locum determinant. *Mare* interdum *occidentalem* plagam ſignificat (h); ut *dextra* pro meridie uſurpatur. Huic mari Jonas ſe commiſit; perque illud ex Libano ad portum Joppe ligna in uſum Templi devecta.

MARE RUBRUM. Vide *Mare Suph*.

MARE SUPH, ſcilicet junci, idem eſt, ac mare rubrum;

(a) Eſth. 6. 1. &c. A. M. 3495. ante Chr. 505. ante Ær. 509. (b) Eſth. 7. 1. &c. & 8. 1. &c.
(c) Clem. Alex. l. 1. Strom. Abenezra, Sanct. Bonfrer. Serrar. & alii. (d) Vide Eſth. 9. 20. &c. & 11. 1. & 12. 4.
(e) Vide Eſth. 9. & noſtr. Præf. in Eſth. (f) Jerem. 48. 32.
(g) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 672. col. 1. (h) Gen. 12. 8. & 13. 14. & alibi paſſim.

rubrum; cui ex ulgis, & juncis in ripa, & in profundo virentibus, nomen inditum. Hodie ab herba *ſufo*, quam alit, *Bahrſuf* appellatur. Virentem colorem ex herbis hiſce referre, Diodorus teſtatur Bibl. l. 3. alii teſtes oculati alicubi albeſcere, rubeſcere alicubi, ac tandem hinc indè vireſcere pro arenarum hic rubeſcentium, albeſcentium illic, atque vireſcentium herbarum colore, quibus fundus inſternitur, animadverterunt. Hi tamen colores, nonniſi ubi aquæ demiſſiores ſunt, exhibentur; eaque de cauſa conſpiciuntur, quòd aquæ illæ admodum pellucidæ ſint. Joannes de Caſtro Indiarum Prorex *Rubri* nomen mari inditum putat ex coralli rubri copia, quod in imo fovet. Nec ſanè in Hebræo Veteris Teſtamenti *rubrum* unquam, ſed tantùm *mare Suph* appellatur. Plinius nomen illud *Rubrum*, Græcè *Erythreum*, ex nomine cujuſdam Regis Arabiæ, cujus extabat ſepulchrum in Inſula Tyrina, ſivè Agyri, derivat (a).

Porrò Regem *Erythron* non alium fuiſſe, quàm *Eſau*, ſive *Edom*, (quod nomen Hebraicè idem ſonat, ac *Erythros* Græcè) Eruditi quidam cenſuere. Eas tamen regiones, vel viciniam ſinus Perſici, quod aliquando Mare Rubrum dicitur, nunquam Eſau incoluiſſe videtur, cùm perpetuò ad orientem Chananitidis propè Boaram, ſedem habuerit. Qui rubras in illo maculas ſedulò inſpexerunt, nullas in loco tranſitus Iſraelitarum animadvertiſſe teſtantur, toto ſcilicet tractu à *Tor*, ſito è regione montis Sinai, uſque ad *Suez* ad extremitatem Septentrionalem ejuſdem maris. Quare nomen Maris Rubri tunc primò inditum opinor, cùm Idumæi, poſteri Edom, totum regionis tractum ab oriente ad occidentem, uſque ad Mare rubrum occuparunt; tunc enim audiri cœpit *mare Edom*, Græcè *Thalaſſa Erythrea*. Hinc in Libris Regum, & Paralipomenon (b) legimus: *Mare Suph in terra Edom*; quòd noſtram conjecturam mirè confirmat.

Mare Kolſum, ſivè rubrum, Abulfeda ita deſcribit (c). Mare illud nomen trahit ex urbe Kolſum, ad extremitatem oræ ſeptentrionalis, ſitu ſub 44. & $\frac{1}{4}$ longitudinis (alii malunt 46. $\frac{1}{2}$ & 23. $\frac{1}{3}$ latitudinis gradibus. Ex ea urbe ad meridiem, paulò tamen ad orientem declinans, uſque Kaſir, quæ eadem eſt, ac portus Kous, ſub 49. longitudinis, & 26. latitudinis gradibus excurrit. Indè producto aliquantulùm ad meridiem curſu, tandem ad occidentem nonnihil divertit, propè Aidad, ſub 48. longitudinis & 21. latitudinis gradibus. Poſt hæc, recta iterum ad meridiem Savvacham urbem Æthiopiæ ſub 48. longitudinis, & 17. latitudinis grad. pertingit. Ab illa, meridionali ſemper tractu, Inſulam Dahlac, paulò à ripa occidentali ſejunctam ſub 61. longitudinis, & 14. latitudinis grad. ambit. Nec tamen meridiem deſerit, donec Æthiopiam ſiluens, ad promontorium Almandab perveniat, quod terminus ſive potiùs caput maris rubri ad oram meridionalem ſtatuendum eſt, non longè ab oſtio, in oceanum Indicum, ſive Orientalem. Mons Almandab, & deſerta Aden freto adeò anguſto dividuntur, ut duo viri in ripis oppoſitis mutuò ſpectari poſſint. Fretum illud appellant Bab-al-Mandab. Quorumdam itinerantium relatione compertum habui, Ba-bal-Mandab infra Aden ſitum eſſe, ex qua diurno, ac nocturno navis itinere, Corum versùs diſtat. Hic Oſtium Maris Kolſum breviſſimum eſt, uti narravimus. Montes Almandab in Abyſſinorum regione ſunt, & ex montibus Aden, quamvis remotiſſimi, conſpiciuntur. Aden ad orientem, & meridiem Bal-al-Mandab ſita eſt; nec alia in ora occidentali maris rubri à Kolſum, uſque Mandab, occurrunt.

Modò oram, quæ ab altero latere montis Mandab porrigitur, ſcilicet Terram Aden, deſcribamus. Ex Aden igitur mare rubrum ad ſeptentrionem excurrit. Porrò Aden ſub 66. longitudinis, & 11. latitudinis gradibus ſita eſt. Inde per Yemen litora ſerpit uſque ad extremitatem oræ ejuſdem nominis, ſub longitudine 67. grad. & 19. 50. m. latitudinis. Producto verò ad ſeptentrionem curſu, Giuddah ſub longitudine 70. grad. & latitud. 21. pervenit. Ex Giuddah Corum versùs declinans, & Algiahalah Ægyptiorum ſcaenam ad 65. longitudinis, & 22. latitudinis grad. alluens in boream verſus uſque ad ripas Yambsak ſub 64. longitudinis, & 26. latitud. grad. decurrit. Deindè inter occidentem & ſeptentrionem alveum flectens, relicta Madian, Ailah ſub 51. longit. & 29. latitud. (ſivè juxta Almoshtaree in Kanum 56. & 40. m. longit. & 28. 50. latitud.) aſſequitur. Flectens dein ad meridiem, ad Altour, ſcilicet ad montem Sinai, excurrit, ubi porrectu in aquas promontorio, bipartito alveo fluit; reſumptoque poſtea ad ſeptentrionem curſo, ad Kolſum pertingit, de qua ſupra egimus. Quare Kolſum & Ailah mare rubrum utrimque terminant; illa ad orientem; hæc ad occidentem. Mons Altour, nempè Sinai, duas inter haſce urbes jacens, peninſulæ ſpeciem præſefert; unum enim illius ſeptentrionale latus continenti adhæret, cætera mare alluit.

Quæ in tranſitu Iſraelitarum per Mare rubrum prodigia Deus operatus eſt, cùm nempè diviſis aquis per medium alveum via 600000. viris, præter fœminas, ſenes, & parvulos, patuit, omnibus explorata eſſe non dubito. Rabbini, veterumque Patrum complures (d) duodecim mare vias aperuiſſe, ſingulas ſingulis Tribubus, tradunt, iis verbis freti Pſal. 135. 13. *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones*. Alii verò (e) Moyſem diutina ejuſdem maris inſpectione, cùm in Madianitide verſaretur, æſtum illius ſtatis horis, ut in Oceano, contingentem ſedulò obſervaſſe; quarè tempus, quo aquæ recederent, nactum, copias per ſiccum alveum traduxiſſe narrant; Ægyptios verò hujus rei ignaros, iter poſt Hebræos tentantes, refluentibus aquis demerſos. Hanc hiſtoriam Sacerdotes Mempheos, Artapano teſte, narrabant; quæ compluribus etiam noſtræ ætatis Scriptoribus probatur. Poſt narratam ejus tranſitus hiſtoriam, juxta Scripturæ fidem, addit Joſephus, nihil in ea ſe ſupra Dei virtutem contigiſſe; potuit enim Deus, ait, per medias aquas Hebræis viam ſternere, ut diu poſt Macedones ſub Alexandri ductu, Mare Pamphiliæ trajecere. Porrò Hiſtorici hunc Macedonum tranſitum narrantes, tradunt (f), illos mare ingreſſos litus raſiſſe, ubi ſanè aquarum altitudo tanta non erat, ut ſupra pectus militum aſſurgeret. Addit Arrianus, tranſitum illum impervium fuiſſe flante vento Meridionali, ſed vento ſubitò immutato, iter pervium fuiſſe. Ex illa fortaſſe comparatione Joſephi veteres nonnulli (g), S. Thomas in 1. Cor. 10. Toſtatus, Burgenſis, Grotius, Genebrardus, Vatablus, ac Rabbini plures ſuam opinionem derivarunt, Iſraelitas videlicet ad adverſam maris ripam recta non perveniſſe; ſed raſiſſe tantum litus; occaſionem enim recedentium aquarum nacti, relicto priori loco, alterum remotiorem petiere, deſcripto veluti in maris alveo ſemicirculo.

Ne ſingulas haſce ſententias diſcutiamus, vel refutemus, neve æſtum Maris Rubri denegemus, iis ſimul

(a) Plin. l. 6. c. 28. Vide Strab. l. 16. Q. Curt. l. 10.
(b) 3. Reg. 9. 26. & 2. Paral. 8. 17. (c) Abulfeda Deſcriptio Arabiæ.
(d) Orig. in Exod. ho. 5. Euſeb. in Pſ. 135. Epiph. hær. 64.
(e) Artapa. apud Euſ. Præp. l. 4. c. 17. alii & ex Chriſtian.
(f) Strab. l. 14. Arrian. l. 1. de expedit. Alex.
(g) Quidam apud Greg. Turon. l. 2. c. 10. hiſt.

omnibus Moyſis Textum, Sacrorumque Scriptorum authoritatem opponimus, qui tranſitum illum nonniſi Divino miraculo contigiſſe ſignificant. Quorum ſi teſtimonio deferamus, nulla ſanè ſententia probanda erit, quàm quæ Hebræos amplum ſatis maris alveum medium pertranſiiſſe, recedentibus utrinque aquis, defendit. *Exod.* 14. 16. *Dixit Dominus ad Moyſen: tu eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare; & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum .... Cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & urenti tota nocte* (Hebræus vento *Cadim:* ſcilicet orientis) *& vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris; erat enim aqua, quaſi murus à dextra eorum, & lævæ.* Ingreſſis verò Ægyptiis in mare: *ait Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam ſuper mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios &c. Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum; fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus &c. Filii autem Iſrael perrexerant per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris, & à ſiniſtris.* Et Moyſes in Cantico, quod pro gratiarum actione cecinit. *Exod.* 15. 8. *Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio maris.* Et Pſalmiſta Pſal. 77. 13. *Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas, quaſi in utre.* Alibi etiam canit mare coram Domino refugiſſe; Deum iter ſibi in mari inter medias aquas aperuiſſe (a). Iſaias 63. 12. ait, Deum aquas coram populo diviſiſſe, eumque per medias abyſſos deduxiſſe, non ſecùs ac equus per medium campum deducitur. Habacuc 3. 15. ſcribit, Deum iter per mare curribus, & equitibus ſuis inſtraviſſe per lutum aquarum multarum. Recedentibus aquis arentem terram ſubitò appariuſſe tradit Author Sapientiæ (b), ut iter ſubitò per medium maris ſiccum pateret, atque in mediis abyſſis agrum ſubitò virentem emerſiſſe (c). Vulgò creditur locus tranſitus Hebræorum duobus, ſive tribus leucis ab inferiori extremitate ſeptentrionali hujus maris, ſitus eſſe ad Colſum, ſive Clyſma; quo in loco veterum nonnulli ſua ætate fragmenta rotarum, curruum Pharaonis, eorumque veſtigia ſuperfuiſſe narrarunt (d).

MARE MORTUUM, *mare ſalſum, Orientis, Sodoma, deſerti, & planitiei;* quæ diverſa nomina lacum Aſphaltidem deſignant. Hujus tractus authore Joſepho, 580. ſtadiis longitudinis, 150. latitudinis, (ſcilicet 25. leucis longitudinis circiter, & 5. aut 6. latitudinis) definitur. Jordanis in lacum illum influit. Ejus aquæ ſale, & bitumine ita exſaturatæ ſunt, ut ſalſiſſimæ ſint, & acres, nulliſque piſcibus fovendis aptæ. Totam eam regionem occupat lacus, quam olim urbes Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, eorumque agri fœcundiſſimi tenebant. Porrò non mare eſt, ſed lacus; mari enim nuſquam, quod appareat, conjungitur. Vide *Aſphaltites*. Maris Mortui nomen nunquam in Scriptura occurrens, inditum videtur, quòd nullum ex animantibus foveat. Nomen maris ſalſi, ſive ſalis, tantundem valet, ac *mare Aſphalti*, cùm Hebræi Aſphaltum, ſeu bitumen, & nitrum ſalis nomine comprehendant. Quod Orientem ſpectet, & Mediterraneum Occidentale habeat, idcircò *mare orientis* appellatur. Tandem mare deſerti, ſive planitiei, Hebraicè *araba*, inde dicitur, quòd *arabath*, ſive planities deſertas tranſjordanicas, ad occaſum, & ſeptentrionem contingat.

MARE SEMECHON, nunquam in S. Scriptura, ſed tantùm apud Rabbinos occurrit. Vide *Semechon*.

MARE JAZER. Lacus eſt, huic urbi adjacens. Vide *Jazer*.

MARE ÆNEUM, vas à Salomone in uſus Templi conflatum (e), cujus diametrum 10. cubiti, nempè 17. pedes; & pollex (pro ſingulis Hebraicis cubitis 20. pollicibus ac dimidio computatis) metiebantur; ambitus verò 30. circiter, ſeu 50. pedes, ac tres pollices. Rotundum erat, atque 5. cubitis profundum. Labrum ornabat ænea faſcia, pomis, ſphærulis, & boum capitibus anaglyphico opere inſculpta. Bathos (f) ſive 3000. ut in 2. Paralipom. 4. 5. legitur, ſivè 2000. ut habetur 3. *Reg.* 7. 26. capiebat; ſivè, ut ambo hæc loca concilientur, præter 2000. bathos, qui vaſis ambitum implebant, pro baſi concava 1000. adhuc ſupererant, quare ſuperficies convexa duplex, concava ſimplex erat. Baſis illa ſpeciem amplæ ſatis columnæ exhibebat, quam ſuſtinendo vaſi æneo boves duodecim mediam excipiebant, tres utrinque ad quatuor latera, ut quadruplex inter illos tranſitus hauriendæ aquæ per epiſtomia baſi inſerta pateret (g).

MARE ÆGYPTI, idem eſt, ac Mediterraneum, qua Ægyptum alluit. Iſai. 11. 15.

LINGUA MARIS, quod nomen apud Hebræos & Arabes obtinet, portio maris intra continentem excurrens; ut & nos portionem continentis in mare productam, *linguam terræ* appellamus (h).

MAREON, urbis nomen, quam Græci Samariam appellant, ait Joſephus Antiq. l. 8. c. 7. Confer Joſue 12 10. ubi *Schomeron-maron* denominatur.

MARES, ex optimatibus unus in aula Aſſueri. Eſth. 1. 14.

MARESA, filius Laadæ, quamquam fortaſſe Laada pater Mareſæ dicitur, quòd urbem ejus nominis incoluit, & frequentavit 1. *Par.* 14. 21.

MARESA, urbs Tribus Juda (i), alio nomine *Mariſſa*, *Mareſcha*, *Mareſeth*, *Moraſthi*. Michæam Prophetam civem habuit, juxtaque ipſam in valle Sephata initum eſt prælium inter Aſam Regem Juda, & Zaram Regem Chus, quem 1000000. militum exercitu ſtipatum Aſa fregit, fugavitque, nec non Geraram uſque inſequutus eſt (k). Pro *Mariſſa* in Textu I. Machabæorum 5 66. legitur *Samaria*. Poſtrema Reipublicæ Judæorum ætate ea urbs, non ſecus ac plures aliæ Meridionales in Tribu Juda ad Idumæam pertinebant (l). Sub Joanne Hircano Judæis fœderatiſque populis frequentabatur (m). Alexander Jannæus, pulſis Arabibus, illam recepit (n); veteribus incolis reſtituit Pompejus (o); Gabinius reſtauravit (p); Parthi, fervente bello Antigoni adverſus Herodem, averterunt (q); ac tandem Euſebii ætate deſerta urbs duobus milliaribus ab Eleutheropoli cernebatur.

MARETH, urbs Tribus Judæ. *Joſ.* 15. 59.

MARGARITÆ. Chriſtus veritates, ſanctaque Religionis myſteria impiorum, pertinaciumque ludibrio non exponenda præcipiens, ad Apoſtolos ait

Matth.

(a) Pſal. 113. 3. 5. & 76. 15. (b) Sap. 19. 7. 8. Vide & Sap. 10. 17. 18.
(c) Vid. Interpp. in Exod. 14. Cler. Diſſ. de tranſ. Mar. Rub. & noſtr. Diſſert. de hoc argum. ante comment. in Exod.
(d) Paul. Oroſ. hiſt. l. 1. c. 10. Greg. Turon. hiſt. l. 1. c. 10. Coſmas Monach. l. 5.
(e) 3. Reg. 7. 23. 26. &c. (f) Bathus pintas 29. & dimidiam, ſemiſextarium, & amplius aliquid capiebat.
(g) Vide 3. Reg. 7. 23. &c. & 2. Par. 1. 2. &c. (h) Vide Joſue 15. 5. & 18. 19. Iſa. 11. 15.
(i) Joſue 15. 44. & 2. Paral. 14. 9. Mich. 1. 15. Joſeph. Antiq. l. 8. c. 3. & 6.
(k) 2. Paral. 14. 10. &c. A. M. 3063. ante Chr. 937. ante Æn 941. (l) Antiq. l. 13. c. 17.
(m) Antiq. l. 13. c. 18. (n) Antiq. l. 14. c. 2.
(o) Antiq. l. 14. c. 8.
(p) Antiq. l. 14. c. 10.
(q) Antiq. l. 14. c. 27.

Matth. 7. 6. *Neque mittatis margaritas ante porcos*. Idem ſentire videtur Eccleſiaſticus 32. 6. cùm loquitur *Ubi non eſt auditus, ne effundas ſermonem*. Quas Latini *margaritas*, *uniones*, ſeu *perulas*, Græci tantùm *margaritas*, Hebræi *peninim* appellant. *Margaritum* in Proverbiis 25. 12. legimus; Hebræus tamen legit *chali aureum*, quod fortaſſe torquem ſignificat. Plures Scriptura (a) *peninim* meminit; quibus in locis Septuaginta, & Vulgata reddunt *lapides pretioſos*, ſivè res cuſtoditas, vel ebur. Cæterum peninim certò margaritas ſignificat; & *pinna*, vox, quæ teſtaceum piſcem ſonat, ex quo uniones naſcuntur, ex *peninim* fortaſsè derivatur. Margaritæ in conchis marinis proveniunt, pretioſi lapides in fodinis. Hæc duo toto cœlo diſtant, quamvis ſæpiſſimè confundantur.

(Margaritis deſignandis utuntur Arabes, Perſæ, Turcæ nomine *Merovarid*; ex quo facilè expreſſum eſt Græcorum illud & Latinorum *Margarita*. Elegantiſſimas ſufficit Sinus Perſicus, hodie mare Catif ex Urbe Catif ad ejus litus ſita. Piſcatu pariter apprehenduntur in Inſula *Kis*, & ad litus *Bahren*, ex Urbe ejus nominis in Arabia. Cùm autem Idumæa & Palæſtina ad mare illud ſatis accedant proximè, innotuiſſe Margaritas Jobo & Hebræis cur admiremur nihil eſt. Sed tractu temporis varia etiam loca margaritis piſcoſa detecta ſunt; & hodie plures ex America advehontur. Feruntur minores margaritæ, i. e. piſces teſtacei margaritarum nomine appellati, qui majores, quas margaritas matres appellant, velut apes ducem ſequuntur. Porrò Margaritis fœtæ conchæ hoc judicio diſtinguuntur, quòd utroque latere ſunt gibboſæ.

Margaritæ Orientales colorem præferunt ad carneum accedentem: Americanæ ad viridem; Septemtrionales ad album ſubrubrum. Margaritas ſufficiunt Bohemorum amnes, ſicut & Sileſiæ atque Lotharingiæ; ſicut nonnullæ pariter interdum oſtreis communibus deprehenduntur. Veteraſcentes margaritæ flaveſcunt, tandemque atteruntur ſpatio 80. vel 100. annorum. Formantur in ſinu conchæ, noviſque ſuperinductis ſpoliis veluti cœpæ augeſcunt. Detectæ ſæpè in oſtreis quibuſdam ad 150. margaritæ, ſed non omnes abſolutæ; inter alias enim formatas, plures adhuc ſpectabantur informes; perficiuntur autem in concha. Sæpè in relicta e mari arena pellucent. Porro è rore concipi margaritas, & quandiu detinentur in mari, molleſcere veteri errore tenetur. Egimus de natura margaritarum in Diſſertatione de hoc argumento, quam impreſſam referunt Ephemerides Trevoltianæ.

Quod attinet ad Textus Scripturæ, in quibus de margaritis, habes illas expreſſas Job. 28. 18. legit enim Hebræus: *Attractio ſapientiæ præ margaritis*. Pulchritudini atque pretio ſapientiæ relevandis nihil habet ſive pulchrius, ſive pretioſius Salomon, quàm margaritas. *Prov.* 3. 15. & 8. 11. & 20. 15. qui & deductam è margaritis ſimilitudinem ad exprimendum pretium ſapientiæ tertiò uſque inculcat. Addit Prov. 31. 10. Fœminam fortem mercem eſſe adeo è longinquo deductam, adeo inventu difficilem & pretioſam, ac margaritam. Jeremias de Nazaræis Jeroſolymitanis agens, Thren. 4. 7. affirmat rubicundiores eſſe margaritis (Vulgata *ebore antiquo*.) Scitum eſt quidem margaritas nullo purpureo infici, ſed ut antea inſinuatum eſt, Orientales roſei aliquid præferunt, quod mirè quadrabat Prophetæ, inſinuanti hiſce vividum ſanumque Nazaræorum colorem.

I. MARIA, ſoror Moyſis, & Aaronis, Amrami ex Jocabed filia nata An. M. 2424. ante Chr. 1576. ante Ær. 1580. Quo tempore Moyſes mergendus in Nilo expoſitus eſt, 10. ſivè 12. ætatis annos Mariam egiſſe oportuit, cùm fratri excubias egerit, & filiæ Pharaonis quærendi nutricem puero operam ſuam obtulerit Exod. 2. 4. Cùm igitur juſſu ejuſdem nutricem exquireret, matrem ſuam ad eam rem adduxit, cui pueri nutriendi cura commiſſa eſt. Fertur Maria nuptias celebraſſe cum Hur (b), viro è Tribu Juda; nec tamen eo conjugio filios retuliſſe ſcimus. Porrò Hur una cum Moyſe & Aarone montem aſcendit, manuſque ejuſdem Moyſis elatas ſuſtinuit, præliante interim Joſue cum Amalecitis (c).

Maria Prophetico lumine illuſtrata fuit; ut ipſa de ſe ſignificavit. *Num per ſolum Moyſem locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Num. 12. 2. Poſt tranſitum Maris Rubri inter choreas pſallentium, & canentium fœminarum, Maria ſimul canticum illud cecinit Exod. 15. 20 *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt &c.* alterum ſimilem hymnum canente interim Moyſe inter virorum choros. Cùm Sephora uxor Moyſis in caſtra veniſſet, ſuborta inter illam, & Mariam ſimul cum Aarone controverſia, ambo in Moyſem obloquuti ſunt, jactantes, ſe non ſecùs ac Moyſem Domini alloquio decoratos. Quibus verbis Dominus indignatus, Moyſi, Aaroni, & Mariæ ſimul Tabernaculo ſe ſiſterent, imperavit. Cùm præſto eſſent, Dominus in columna nubis deſcendens, atque pro foribus Tabernaculi adſiſtens, Aaroni, & Mariæ dixit, cæteris ſe Prophetis per latebras, & ænigmata; Moyſi verò tantùm revelata facie, atque ambagibus, & ænigmatibus remotis locuturum. Quid igitur, ait, vos in tantum Prophetam obloquimini? Quibus dictis, Dominus evanuit, & Maria continuo lepra nivis inſtar reſperſa apparuit. Eo aſpectu Aaron territus, Moyſem oravit, ut pœnam illam ab utriſque deprecaretur, neve ferret, ut ſororis corpus, cadaveris, & abortivi fœtus inſtar, tabe conſumeretur.

Moyſi in preces effuſo reſpondit Dominus, oportere, ut ſoror ipſius integram ſaltem hebdomadam extra caſtra compleret, cùm totidem ſaltem diebus abſtinere debuiſſet, ſi in os illi pater inſpuiſſet. Igitur Maria per hebdomadam extra caſtra ſe continuit, nec populus inde movit, donec illa regrederetur. Cætera hujus fœminæ geſta latent; illud conſtat, quadrageſimo ab egreſſu Ægypti anno obiiſſe; quo tempore Iſraelitæ in Cades in deſerto Sin caſtrametabantur (d). Defunctæ à Populo parentatum eſt, atque in eodem loco tumulata; pompamque funebrem publica impenſa curatam fuiſſe, atque luctum ad integrum menſem prorogatum Joſephus eſt author, Antiq. l. 4. c. 4. Virginem perpetuò fuiſſe S. Gregorius Nyſſenus, & S. Ambroſius teſtantur (e); quorum ſententia cum matrimonio Hur à Joſepho relato non ſatis convenit. Veterum, Recentiorumque Interpretum plures de Maria, Moyſe, & Aarone illud Zachariæ 11. 18. intelligunt: *Et ſuccidi tres paſtores in menſe uno, & contracta eſt anima mea in eis; ſiquidem & anima eorum variat* (ſcilicet non ſatis mihi fideles ſe præbuerunt) *in me*. Euſebii ætate tumulus Mariæ in Cades viſebatur.

II. MARIA, Dei Mater, & Virgo, filia Joachim, & Annæ, è Tribu Juda, Joſephi viri contribulis uxor. Parentum hujus Virginis ne nomen quidem in Scriptura, niſi *Heli*, de quo S. Lucas 2. 23. eundem cum Joachim credamus. Quæ de ortu Virginis, ejuſque parentibus circum feruntur, nonniſi è Libris apocryphis derivata ſunt, vetuſtiſſimis tamen, ut v. *Joachim* oſtendimus, & diſertius in Diſſertatione de Genealogia Servatoris per S. Matthæum, & S. Lucam deducta, ſimulque conciliata explicavimus. Genus Regale è

 Davi-

(a) Job. 28. 18. Prov. 3. 15. & 8. 11. & 20. 15. & 31. 10. Lament. 4. 7.
(b) Joſeph. Antiq. l. 3. c. 2. (c) Exod. 17. 10. 11. A. M. 2513. ante Ær. 1491.
(d) Num. 20. 1. A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452.
(e) Nyſſ. l. de Virgin. c. 19. Ambroſ. Epiſt. 1. Claſ. Ep. 63.

Davide Maria, ſimulque Joſeph, ducebant. Aaronis propagini eandem Virginem conjunctam fuiſſe ex eo ſcimus, quòd Eliſabeth uxor Zachariæ, conſobrina ipſius nominatur. *Luc.* 1. 5. 36.

Caſtitatem ab ineunte ætate perpetuam vovit. In Libris quamplurimis ea Virgo adhuc puella in Templo oblata, Domini ſervitio addicta fuiſſe traditur (a); à Sacerdotibus vero matrimonio cum Joſepho conjuncta viro religioſo, & ſene venerabili, quem Divino miraculo ad eas nuptias vocatum fuiſſe narrant, quippe cujus virga flores, Aaronicæ inſtar, emiſerit. Porrò Joſeph Mariæ conſortium admiſit, non ut infantes gigneret, ſed ut Virginitatem ipſius cuſtodiret. Quamvis ſingula hæc ſatis certa non ſint, nonnulla tamen conſtant, uti inter cætera propoſitum Mariæ de Virginitate in matrimonio ſervanda; ſiquidem ejus Virginitatem aſſerit Evangelium, ipſaque de ſe Virgo cum Angelo collocuta, dixit: *Virum non cognoſco Luc.* 1. 34. Quare Joſephus uxorem ſuam fœtam animadvertens, ſtupore primùm, dein ſecretò re ad forum non deducta, repudiare cogitabat.

Deſponſam igitur (b), vel, ſi malimus, nuptam Joſepho Virginem Angelus Gabriel afflatus, de concipiendo ab ipſa Meſſia nuncium attulit. Cùm Maria implendæ promiſſionis veram rationem exquiſiſſet, viri commercio ſe abſtinere profeſſa, audiit ab Angelo, concipiendum ab ipſa fœtum, non viri, ſed unius Dei opus futurum; cujus prodigii pignus alterum prodigium nunciare ſe dixit, pariendum nempè ab Eliſabetha ejus cognata, effœta jam muliere, Infantem, quem jam inde à ſex menſibus in utero geſtabat. Ad hæc Maria nihil cunctata, *Ecce*, ait, *ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum*; ſtatimque S. Spiritus opera mater Emmanuelis, Dei ſcilicet nobiſcum, effecta eſt. Paulò poſt conſobrinam ſuam viſitura, Hebronem in montes Judææ venit. Eliſabeth, ad primam novæ hoſpitis ſalutationem, fœtum in utero ſuo inuſitatis aſſultibus exilire ſentiens, illicò S. Spiritus œſtro abrepta, Mariam inter omnes benedictam, ac benedicto inſlante lætam oraculo pronunciavit; dein tantæ matris viſitationem ſibi gratulans, quæ in utero ſuo de fœtus exultatione ſenſiſſet, ſignificavit; tandem Mariam ea, quæ ab Angelo didiciſſet, omnia ſtato tempore implenda admonuit. Ad hæc Virgo novo Dei ſpiritu, & gaudio perfuſa, Canticum illud concinuit: *Magnificat &c.*

Trimeſtri circiter ab adventu evoluto, Maria ad proprias ædes regreſſa eſt, ubi tandiù ſubſtitit, donec maturo jam fœtu, ut cenſum ab Auguſto indictum (c), ſingulis in urbe ſua nomen profitentibus, ſolveret, in Bethleem cum conjuge venit (d), quod familia David ex ea urbe originem duxiſset. Cum ibi duo conjuges verſarentur, impleto partus tempore, Maria Infantem primogenitum enixa eſt, quem pannis involutum, in præſepio ſpecus illius, in quem ſe receperat, inclinavit; neque enim, referta hoſpitibus urbe, commodius aliud diverſorium nanciſci potuit. Sanè Patres Græci vulgò natum in ſpecu Jeſum Chriſtum teſtantur (e); eam verò extra urbem, & illi proximam fuiſse S. Juſtinus Dialog. p. 104. & Euſebius Demonſtr. l. 7. c. 4. perhibent; & in extremitate meridionali urbis collocat S. Hieronymus Epiſt. 24. ad Marcellam. Nocte ejuſdem diei adventus parentum in Bethleem, editus puer vulgò creditur; quam ad diem 25. Decembris conſignandam eſſe, recepta ab antiquiſſimis retrò ſæculis traditione, tenemus. Prodigia, quæ in Evangelio de Infantia Salvatoris, alio nomine Evangelio S. Thomæ, referuntur, conſultò præterimus; nulla enim Libris hiſce fides. Patrum conſenſu exploratum eſt, Chriſtum illæſo virginitatis clauſtro à matre editum; quo uno in partu neque excruciata parens, neque exceptricis opera eguit, utpotè cùm in fœtu concipiendo nihil voluptatis admiſiſſet, ac ab Evæ & Adami maledictione tam filius quam mater eſsent immunes.

Dum hæc gerebantur, paſtores, excubias gregi in agro Bethleemitico agentes, ab Angelo moniti, eadem nocte ad locum convolarunt, ubi infantem nacti, pietatis, & religionis illi officia perſolverunt; quod à Maria ſolerter animadverſum, imoque in pectore conditum eſt *Luc.* 2. 19. Poſt paucos dies Magi natum puerum adoraturi *Matth.* 2. 8. ab orientalibus regionibus venérunt, à quibus myſtica donaria, aurum nempe, thus, & myrrha, delata ſunt. Mox illi in patriam regreſſuri, ab Angelo moniti, alterum a priori iter inivere. Impletis purificationis diebus, ab ortu nempè pueri 40. Maria Hieroſolymam veniens *Luc.* 2. 21. puerum Templo obtulit, delato inſuper purificationis, juxta Legis præſcriptum, ſacrificio. Inter hæc, Simeon vir Dei Spiritu plenus, qui certior factus erat, non priùs ſe vita deceſſurum, quàm natum Meſſiam videret, in Templum ſecreta Dei inſpiratione ductus venit; ubi puerum nactus, illicò in ulnas excepit; inde ad matrem converſus, futurum illum in reſurrectionem, exitiumque multorum prædixit; ab odiis hominum fore exercendum, adeo ut matris viſcera dolore filii transfigerentur, ut ſcilicet ea occaſione ſecreta multorum conſilia panderentur.

Sub hæc, ambo conjuges regreſſum in Nazareth parantes *Matth.* 2. 13. Angeli ad Joſephum monitu in Ægyptum diverterunt, Herodis furorem declinaturi. Veteri apud Orientales traditione receptum eſt, illos Hermopoli ſubſtitiſſe; atque in via inter Cairum, & Heliopolim fons oſtenditur in loco, cui nomen *Matara*; ubi & balſamo conſitus erat hortus; ibique Infantis panniculos à matre lotos ferunt; quare noſtra adhuc ætate loci religio manet. Poſt Herodis obitum, Joſeph, & Maria ex Ægypto reduces, metu Archelai, qui patri in Regni parte ſucceſſerat, Bethleem declinantes, Nazareth petiere.

Cùm ſingulis quibuſque annis Sancti Parentes Hieroſolymam in Paſchate aſcenderent *Luc.* 2. 41. duodennem Jeſum ſecum duxere. Feſto exacto, ad propria remeantes, primò puerum cum aliquo ex ſocijs rediiſſe putabant; deinde cum fruſtra apud illos quæſiviſſent, Hieroſolymam regreſſi ſunt. In ea urbe poſt triduum, puerum in Templo inter Doctores aſſidentem, varia illos rogantem, ſimulque auſcultantem nacti ſunt. Ad hæc Mater mirari primò, dein quæſivit à puero, quidnam tantoperè ipſos, fruſtra ſe quæri permittens, afflixiſſet. Cui Jeſus, nihil eſſe ait, cur illum quærerent, implendis Patris præceptis occupatum (f). Regreſſus autem cum illis in Nazareth, eorum imperio ſeſe totum ſubdidit. Porrò Maria omnia in imo pectoris condidiſſe traditur; nihilque de illa ulteriùs ante celebratas in Cana nuptias occurrit.

Cùm igitur Jeſus Divinitatis ſpecimen Mundo exhibere ſtatuiſſet, baptiſmate Joannis initiari primùm, dein ad nuptias in Cana Galilææ cum Matre, &

(a) Vide Evang. de ortu Virg. & Protevangel. S. Jac.
(b) Matth. 1. 18. Græcus & Latinus habent. *Deſponſata*: Μνηστευθείσης & in hoc ſenſu intelligunt Orig. in divers. Evang. loc. hom. 2. S. Hilar. 10 Matth. 1. 18. S. Hieron. in Matth. 1. 16. 18. 20. S. Baſil. de hum. Chr. gen. S. Epiph. hær. 78. S. Chryſoſt. ho. 10 Matth. S. Bern. hom. 2. n. 12. ſuper Miſsus eſt. Alii verò nuptam Joſepho Virginem autumant. Deſponſæ apud Hebræos tamquam apud nos nuptæ habebantur; atque in ſponſam eadem viro poteſtas erat, quæ in nuptam, fractaque ſponſalium fides adulterii pœna multabatur. Complendo verò matrimonio nihil deerat poſt ſponſalia, quàm cæremoniæ quædam, & ſolemnis Sponſæ in domum Viri traductio.
(c) A. M. 4000. Ch. 1. ante Ær. 3. (d) Luc. 2. 1. &c.
(e) Epiph. hær. 51. Nyſs. de Ch. nativ. Origen. Athan. Theodoret. &c. Vide Evan. Infantiæ.
(f) Luc. 2. 49. Ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με. *Oportet me in domo Patris mei, ſive in negotiis Patris mei, eſſe.*

tre, & Diſcipulis invitatus, conſerre ſe voluit (a). Ibi deficiente convivis vino, Mater ea de re filium monuit: ille nihil ſe commune habere cum illa, neque horam ſuam adhuc veniſſe reſpondit. Hujus reſponſionis ſenſum explicaturus S. Chryſoſtomus (b), ejuſque in expoſitione Scripturarum clientes autumant, inanis glorioſæ aliquid Virginem admiſiſſe, Matrem ſe Filii prodigiis corruſcantis prodere affectantem; à filio proinde duriuſculis verbis caſtigatam. Verùm vulgò Patres, & Interpretes æquiora de Virgine ſentientes, verba illa de charitate, & miſericordia in proximos expreſſa eſſe interpretantur: quòd autem Jeſus in hæc verba reſponderit, in cauſa fuiſſe dicunt, quòd non ut homo, ſed ut Deus loquutus (c), nihil ſe ex illa recepiſſe dixerit; ſcire propterea ſe, quod oſtendendæ omnipotentiæ ſuæ tempus adeſſet; nec ab illa tempus illud præſcribi oportere.

Aderant ſex hydriæ lapideæ ſatis amplæ, quas Jeſus aqua oppleri, atque inde hauſtum poculum, ad Architriclinum afferri juſſit. Deguſtatum poculum vinum meraciſſimum pro aqua exhibuit; quo primo miraculo Jeſus prædicationem ſuam exorſus eſt. Inde Jeſus una cum Matre, cognatis, & Diſcipulis Capharnaum contendit, ubi potiſſimùm Virginem ſubſtitiſſe autumamus (d). S. Epiphanius, *Hær.* 78. *c.* 9. illam filio comitem toto prædicationis tempore adhæſiſſe narrat; verum nihil de iſta in Evangelio, cum de Sanctis Fœminis Chriſtum ſecutis, ut illi neceſſaria miniſtrarent. Cum Jeſus quondam in Capharnaum in ſuis ædibus moraretur, tantus ad illum populorum concurſus confluxit, ut ne veſcendi quidem facultatem relinquerent (e); hinc ſparſa in vulgus fama, Chriſtus defeciſſe dicebatur: vox tamen Græca non defeciſſe quidem, ſed in furorem verſum fuiſſe ſonare videtur; cujus vim ſervat Vulgata: *Dicebant quoniam in furorem verſus eſt*. (f) Re audita, Mater, ejuſque fratres, ſeu neceſſarii, illum adeuntes, è turba ſubducere tentarunt. Hi profectò innocens nihil de Jeſu ſuſpicabantur; ſed vulgus, ac Phariſæi Dæmonis ſpiritu agitatom illum dictitabant. Hinc Virgo, ac cæteri fratres eò venerunt, ut quid illi contigiſſet, oculati teſtes intelligerent. Eorum adventu renunciato, reſpondit Jeſus: *Quæ eſt Mater mea, & Fatres mei?* Inde præſentibus indicatis, illos dixit, qui Patri Deo morem geſſiſſent, eos fratris, matris, ac ſororis loco habiturum.

Poſtremo vitæ Jeſu Chriſti paſchate (g) Virgo Hieroſolymam venit, ubi totam Paſſionis Chriſti tragœdiam ſpectavit; euntem ad ſupplicium comitata eſt, atque juxta crucem adſiſtens, dignum Dei Matre conſtantiæ ſpecimen exhibuit. Jeſus illam intuitus, & unà ſimul Diſcipulum ſibi charum, ait, Matri eundem Diſcipulum indicans: *Ecce filius tuus*; ac viciſſim Diſcipulo Virginem matris loco habendam commendavit, *Joan.* 14. 26. 27. Poſt Reſurrectionem videndum ſe Matri filium præbuiſſe omnium primæ, vel inter primores, nullus dubito. Maria una cum Apoſtolis verſans, euntem in Cœlum ſpectavit, ac deinde eodem cum Apoſtolis contubernio Jeroſolymis utens, Divini Spiritus illapſu repleta eſt, *Act.* 2. 14. Deinde cum Joanne Evangeliſta, cui matris loco ſupererat, permanſit (h); cumque Epheſom ſecutam, atque ibi tandem vitam in ultima ſenectute abſolviſſe ferunt (i). Porrò Epheſi tumulatam fuiſſe ex Epiſtola Concilii Oecumenici Epheſini conſtat (k).

Ea tamen traditio non uſque adeò obtinebat, cùm eodem ſæculo quinto, quo Epiſtola illa data eſt, nonnulli Authores ſcripſerint, Virginem obiiſſe Hieroſolymis, ibidemque ſepulturæ mandatam. Marcianus Imperator, & Pulcheria ſolérter undique Virginis corpus requirentes, ut in Templo, cui Blachernæ cognomen, Conſtantinopoli collocarent (l), ex literis à Juvenali Epiſcopo Hieroſolymitano reſcivere, tumulum Virginis in Gethſemani propè Jeruſalem ſitum eſſe: quem illico Conſtantinopolim aſportandum Marcianus curavit. Fertur in marmore ejuſdem ſepulchri ſimulacrum ejuſdem Virginis, non humanis illud manibus expreſſum, fuiſſe. Ex eo tempore ſepulchrum B. V. in Gethſemani in magnificentiſſimo Templo, ejus nomini conſecrato coli cepit (m); quod nec noſtra quidem ætate intermiſsum eſt. Ferunt (n) Apoſtolos, in varias Orbis regiones Evangelicæ prædicationis gratia diſperſos, illicò omnes Hieroſolymam tranſlatos fuiſse, ut obituræ Virgini ſupremum officium perſolverent. Defunctum verò corpus in valle Gethſemani ſepulturæ mandaſse, ubi per triduum Cœleſtiom ſpirituum concentus auditus eſt. Hiſce diebus evolutis, muſicæ voces ceſsarunt, & S. Thomas, qui morienti Virgini non abfuerat, cum Hieroſolymam perveniens, defunctæ corpus videndi deſiderio teneretur, ſepulchrum recluſum eſt. Verùm præter expectationem, Virginis exuviæ non apparuerunt; quo indicio ſublatas illas in Cœlum, atque glorioſæ Virginis animæ redditas Apoſtoli intellexerunt. Fatendum tamen hujus generis traditionibus plura ineſse, de quibus jure meritoque dubitemus.

Sunt, qui crediderint, Virginem martyrio vitam abſolviſse (o), illud Simeonis ad Virginem referentes: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, *Luc.* 2. 35. quæ tamen verba ad conceptum de ſupplicio Filii ſui dolorem vulgò referuntur, cùm nulla de martyrio Virginis hiſtoria uſpiam apparuerit. S. Epiphanius *hær.* 78. *c.* 11. & 23. ait, affirmare ſe non poſse, utrùm Virgo vitam abſolverit, an immortalitatis prærogativa donata ſit, an terræ mandata, demum quem illa exitum habuerit, definire poſse neminem; addit tamen credere ſe illam felici, beatoque fine quieviſse. Sententia tamen de illius obitu hodie in Eccleſia valuit.

Quo ætatis anno obierit, re ſemper incerta, fruſtrà quæreretur. Nicephorus, ex quo alii, temerè prorsùs certam Virginis ætatem definit (p); neque meliori fide ejuſdem Virginis formam, & corporis habitum deſcribit, quam, ait, ſupra mediocrem ſtaturam erectam, ore ad tritici colorem accedente, flava coma, oculis vividis, itemque flaveſcentibus inſtar olivæ, quos nigro ambiebant ſemicirculo ſupercilia, naſo obducto, rubicundis labiis, manibus, ac digitis oblongis, toto denique corporis habitu ad ingenuam gravitatem compoſita, cui laneæ veſtes, ſimplices iſtæ, nulloque adſcititio colore fucatæ, modeſtiæ laudem cumulabant. Alias Virginis imagines pictis coloribus à S. Luca expreſsas fuiſse vulgò tradunt. Nicephorus, decimiquarti ſæculi Scriptor, hiſt. Eccl. l. 2. c. 43. omnium primus rem luculentè ſatis affirmat; occurrit tamen etiam in ſexto ſæculo Theodorus, Lector Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ (q), qui miſsam Hieroſolymis ab Eudoxia ad Pulcheriam Imperatricem, imaginem B. Virginis à S. Luca pictam, teſtatur. Sanè Virum ſanctum arcta ſatis conſuetudine cum Maria Virgine conjunctum fuiſse ea eo conſtat, quod plura de illa ſcripta mandaverit à nullo ſanè commodiùs, quàm ab ipſa Virgine accepta.

Epiſtolæ tandem nonnullæ Virginis ad S. Ignatium Martyrem, & viciſſim, circumferuntur (r), teſtimonio S. Bernardi olim probatæ, nunc vero ab omnibus rejectæ. Nec ſanè æquiorem ſententiam de Epiſtolis nomine B. Virginis ad Meſsanenſes, & Floren-

(a) Jo. 2. 1. &c An. Chr. 33. Ær. 30. (b) Chryſoſt. in Jo. hom. 20. Theophyl. Euthym. in Jo. 2. (c) Orig. Cat. in Jo. Aug. in Jo. 2. & Tract. 119. & l. de Fide, & Symbolo c. 4. & l. de Fide ad Cathechiz. c. 5. Ita & Mald. Brog. Tirin. Menoch. Ligfoot. Vat. &c. (d) Chryſoſt. hom. 22. (e) Marc. 3. 21. 22. An. Chr. 34. Ær. 31. (f) Ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. Vide *Jeſus Chriſtus*. (g) An. Ch. 36. Ær. 33. (h) Epiph. hær. 78. c. 10. 11. & Nazianz. Tragœd. Cyril. Alex. in Joan. l. 12. (i) Andr. Cret. hom. 9 (k) Concil. Epheſ. tom. 3. Concil. Lab. p. 574. (l) Joan. Diac. de Aſsumpt. B. M. ſerm. 2. Niceph. l. 2. c. 23. & l. 15. c. 14 (m) Andr. Cret. hom. 9. (n) Joan. Damaſc. ſerm. 2. de dormit. Deip. ſub finem. (o) Timoth. Presbyt. Orat. de Simeon. Vide ſi placet, t. 5. Biblior. PP. p. 12. 14. & Ligtfoot. Harm. Evang. (p) Nicephor. Call. lib. 2. c. 23. Hiſt. Eccl. (q) Theodor. Lect. l. 1. pag. 551. edit. Valeſ. (r) Bernard. ſerm. in Pſal. Qui habitat &c.

Florentinos datas ferunt, quas ſcriptas dicunt Hieroſolymis, & vernaculo Hebræorum ſermone, dein à S. Paulo (de Epiſtola ad Meſſanenſes loquor) Græcè, ac tandem à Conſtantino Laſcari Latinè redditas. De cultu & Feſtis B. Virginis, quo ſpiritu, & qua ætate in Eccleſiam inductæ diſſerere à noſtro inſtituto alienum eſt.

(Judæi nominis Jeſu Chriſti oſores plures obtruſerunt fabellas de Maria in Libello inſcripto *Toledos Jeſu*, ſeu vita Jeſu Chriſti. Referunt illi, Mariam mulierem fuiſſe calamiſtrariam uxorem Johanan, quæ cùm ſeduci permiſiſſet à Pandero, genuit ex illo filium Joſuam vel Jeſum. Pandero ſive Panthero conſcientia criminis in Babyloniam dilapſo, oneri parentis ceſſit filius. Akiba contulit ſe Nazareth, ut de conditione Jeſu, cujus in ſcholis eminebat ingenium, redderet ſe certiorem; didicitque ex matre adulterium. Eo reduce apprehenſus Jeſus, decalvatus, lotuſque capite aqua prohibendis ne creſcerent capillis medicata; hinc raſio capitis in ejus Diſcipulis, nempe corona in capite Sacerdotum & Religioſorum. Addunt, defunctæ Mariæ erectum fuiſſe Jeroſolymæ cum ſepulcrali epigraphe inſigne monumentum, quam in rem operam ſuam navantes præ aliis egregie 100. Chriſtiani è neceſſariis Jeſu Chriſti, ſublati ſunt. Hoc ſpecimen fabellarum Judaicarum in SS. Virginem.

Viciſſim autem Mahometani (a) ſummum in illam profitentur obſequium ac venerationem, quanta vix in animum induci poſſet, de gentibus à via ſalutis & veritatis aberrantibus. Nullos tamen ea pariter in re ſervant veritatis & moderationis limites; certa de rebus Mariæ incertis pluribus & fabuloſis infarciunt. Narrant, e. g. Annam Mariæ parentem & conjugem Amram fœtam puella, votum nuncupaſſe Domino, addicendi ſcilicet illi, quidquid clauderet in ſinu ignorans an marem an fœminam; Deum verò natæ ſulanti indidiſſe nomen Mariæ; Annam curandam puellam commiſiſſe Sacerdoti Zachariæ, à quo in conclavi Templi clauſam fuiſſe; in conclavi, inquam, cujus oſtium altum erat adeò, ut nonniſi admotis ſcalis teneretur; ſecum verò claves ejuſdem tuliſſe Sacerdotem.

Inviſebat ſæpè puellam Zacharias, nec unquam non naneiſcebatur appoſitos ante illam exquiſitiſſimos Palæſtinæ fructus intempeſtivos ſemper; quare puellam rogabat, unde hæc accepiſſet? Cui ſtatim Maria: Quæcunque ante me vides, Dei munere accepi, Dei, inquam, abundè omnia quæcunque voluerit largè ſufficientis.

Puram à labe quà in ipſo naſcendi exordio, quà in conceptione Verbi, virginem etiam ante & poſt partum religioſè adeò tenent, quantum Chriſtianus quiſque. Docent Archangelum Gabrielem ad Mariam miſſum veniſſe annunciaturum partum Jeſu Chriſti; ita verò illum inducunt loquentem: *O Maria; Deus elegit, mundavit, ſelegitque te diligentiſſimè inter omnes per orbem fœminas. O Maria! Submittas te Domino tuo, proſtrata atque venerabunda coram illo accidas, ſimul cum creaturis omnibus illum adorantibus. Hoc ego tibi reſerandum arcanum venio: Deus annunciat tibi verbum ſuum, cujus nomen erit Chriſtus, ſive Meſſias Jeſus, filius tuus futurus, dignuſque qui in hoc mundo, ſicut & in altero ſummo colatur obſequio.*

Scribit in Dynaſtiis ſui Abulfarages recepta Orientalium Chriſtianorum traditione teneri, terdennem Mariam concepiſſe Jeſum Chriſtum; nec vitam prorogaſſe ultra 51. ætatis annos. Muſulmanorum quidam affingunt Chriſtianis opinionem adſcribentem B. Virginem in tertiam Trinitatis Perſonam, ideo fortè quòd Chriſtiani Orientales elogium illi vindicent *Al-Seidat*, i. e. Domina; inter Patres verò Græcos à S. Cyrillo appellari *Supplementum vel complementum SS. Trinitatis*. Sed calumniam hanc Mahometani cæteri à nobis abſtergunt.)

III. MARIA, mater Joannis Marci Apoſtolorum Diſcipuli, in cujus ædibus Hieroſolymis Apoſtolos poſt Aſcenſionem ſè recepiſſe (b), atque Divini Spiritus illapſu dein confirmatos fuiſſe tradunt. Ædes illas in monte Sion urbis everſionem ſub Tito evaſiſſe tradit S. Epiphanius (c); ac deinde ſucceſſu temporis in Eccleſiam conſecratas, pluribus ſæculis celebratiſſimas perſtitiſſe (d). Cùm S. Petrus in vinculis detineretur, Fideles in ea domo orantes Apoſtolus Angeli ope liberatus adivit. De hujus fœminæ geſtis nihil memoriæ proditum eſt. Vide *Joannes Marcus*.

IV. MARIA *Cleophæ*, fœmina, cujus cognomen à patre, ſive familia, vel latenti aliqua cauſa derivatum eſſe autumat S. Hieronymus *in Elvid. c. 7.* Alii tamen veriùs credunt, cognomen illud (e) fœminæ inditum ex viro, ex quo conjugio S. Jacobus Minor, & Simeon fratres Domini editi ſunt. Eadem proinde eſt apud illos *Maria Mater Jacobi* (f), & *Maria Cleophæ* (g). Cleopha, & Alphæus unum, & eundem virum deſignant, ut Jacobus filius Mariæ Cleophæ idem ſit, ac Jacobus filius Alphæi (h); quod cum Hebraicæ linguæ indole ſatis convenit, in qua duo illa nomina ratione tantùm ſcribendi, & pronunciandi apud Græcos uſurpata diſtinguuntur. Cleophæ nomen ſive ex Hebræo *Cheleph*, quod ſonat *immutare*, ac ſi diceretur, mutabilis, & inconſtans, ſive ex urbe *Cheleph* (i), in finibus Nephtali in Galilæa, unde ille fortaſſe oriundus, derivatum eſt.

Ut ad Mariam regrediamur, quamquam de ejus geſtis nihil ferè novimus, vulgò SS. Virginis ſoror fuiſſe creditur, filioſque ediditſe Jacobum Minorem, Joſem, & Simeonem, & Judam, dictos proinde in Evangelio fratres, *Matth.* 13. 55. & 27. 56. *Marc.* 6. 3. ſeu conſobrinos germanos Salvatoris. Hæc fidem inter priores recepit, atque Jeſu Chriſto in itineribus comes conſtantiſſimè adhæſit. Nec ultimo Paſchate abfuit, cùm Chriſtus neci traditus eſt, ductumque ad Calvarium pone ſequuta, unà cum Virgine juxta crucem permanſit, *Joan.* 19. 25. Cadaveri ſepeliendo adfuit, alteraque die aromata condiendo corpori paravit, *Luc.* 23. 57. verùm cum eo conſilio die Dominica ad auroram ad tumulum cum comitibus veniſset, Angelico nuncio de Reſurrectione Domini certior facta eſt; quod illa ſtatim ad Apoſtolos detulit, *Luc.* 25. 1. &c. Cum iret, Jeſum obvium habuit, cujus fœminæ illæ pedes complexæ, pronæ adorarunt, *Matth.* 28. 9. Emortualis Mariæ annus latet; ejus verò, ac ſociarum, quæ aromata condiendo corpori Chriſti detulerunt, memoria die 8. Aprilis à Græcis colitur (k); ſingularum etiam corpora Conſtantinopoli in Templo, per Juſtinum II. conſtructo, ſervari tradentibus. In Martyrologio Romano Mariæ Cleophæ Feſtum ad diem 9. Aprilis conſignatur; memoria verò tranſlati ejus corporis Veroſim in agro Romano die 25. Maji recolitur. Sunt tamen, qui ejus exuvias reconditas autumment in Provincia, in urbe, cui nomen Tres Mariæ, ad ripam Rhodani & Maris.

(Maria cujus lypſana ſervantur Veroli in agro Romano, mater erat Jacobi & Joannis, & appellabatur non *Maria*, ſed Salome, quamquam vulgò Maria etiam nuncupatur; *Maria mater Jacobi & Joannis*. Verùm S. Matthæus 27. 56. deſignat eam tantùm nomine *Matris filiorum Zebedæi*, & S. Marcus 15. 40. *Salome* denominat. Conjux igitur erat Zebedæi & Mater SS. Jacobi & Joannis. Animadverterat hæc jam D. Tillemontius, uti mihi per literas datas Romæ Menſe Januarii 1826. confirmavit D. Nicolaus Aloyſius, qui de re tota inſtruendi ſeſe occaſionem nactus eſt, ſedulo examine diſcuſſis monumentis Eccleſiæ Verulanæ.)

V. MA-

(a) Vide Alcoran. cap. de Maria. D'Herbelot. Biblior. Orient. pag. 783. 784. (b) Alexand. apud Sur. 11. Jun. §. 7.
(c) Epiph. de ponder. & menſ. c. 14. (d) Cyrill. Cathech. 16. Hieron. Ep. 27. Lucian. de Invent. S. Steph. c. 8. 10.
(e) Chryſoſt. in Galat. Theodoret. (f) Matth. 27. 56. Marc. 15. 40. Luc. 24. 10. (g) Joan. 19. 25.
(h) Vid. Bed. in Marc. l. 1. c. 16. (i) Joſue 19. 31. (k) Vide Boll. 9. April. p. 8. 14.

V. MARIA SALOME, filia Mariæ Cleophæ, & ſoror S. Jacobi Minoris, ac cæterorum, qui fratres Domini dicti ſunt, quæ proindè Chriſti conſobrina & neptis SS. Virginis reputatur. Genuinum ejus nomen *Salome*: cur autem Maria appelletur, nihil eſt. Sunt, qui eam fœminam filiam attribuant S. Joſepho, viro B. Virginis; quod Græcis Recentioribus ex authoritate S. Epiphanii *hær.* 78. *c.* 8. probatur. Vide *Salome*.

In Martyrologio Romano S. Jacobi Majoris mater Maria Salome appellatur; quod undenam acceptum ſit, ignotum eſt; ſiquidem nec in probatis authoribus, neque in Evangelio vel leve veſtigium hujus occurrit (a).

VI. MARIA, fœmina Chriſtiana, quam multùm pro fide, & Eccleſia Romana, ubi verſabatur ſub initium anni 58. laboraſſe S. Paulus, *Rom.* 16. 6. teſtatur. Cætera hujus fœminæ latent.

VII. MARIA, ſoror Marthæ & Lazari, unà cum illis Bethaniæ, vici propè Jeruſalem, morabatur (b). Eam ad domum Jeſus Chriſtus cum Diſcipulis frequenter ventitabat, quòd ſingulari amore Dominus proſequeretur. Cùm igitur illuc, & fortaſſe primùm, veniſſet, à Martha, omnia hoſpitalitatis officia in illum explere ſtagente, amiciſſimè exceptus eſt. Maria verò tota in eo audiendo detinebatur (c). Quare Martha laborem miniſterii totum ſibi à ſorore relinqui conqueſta, petiit à Jeſu, ut ſororem ad opus mitteret: cui Jeſus, *Maria*, ait, *optimam partem elegit*, qua frui per me licebit.

Succedente tempore (d) Lazari morbo per nuncium à ſororibus illius miſſum audito, Jeſus tandiù illum inviſere cunctatus eſt, ut poſt ejus obitum Bethaniam perveniret, *Jo.* 11. 1.... 45. Venienti Martha ſtatim occurrens, mali nihil paſſurum fuiſſe fratrem dixit, ſi ipſe adfuiſſet. Cui Jeſus reſurrectionem defuncti pollicitus, accerſiri deindè Mariam juſſit; quæ ſtatim occurrens, non diſſimilia conqueſta eſt. Jeſus ad hæc duci ſe ad ſepulcbrum jubens, infremere primùm, plorare, exorare Patrem, dein elata voce Lazarum accivit. Eo clamore excitatus defunctus è ſepulchro prodiit, ac ſororibus vivens reſtitutus eſt. Digreſſus deinde à vicinia Hieroſolymæ Chriſtus, non priùs rediit, quàm Paſcha immineret, *Jo.* 12. 1. *&c. Matt.* 26. 6. *Marc.* 14. 3. &c. Igitur ſex ante Feſtum diebus, Bethaniam cum Diſcipulis proficiſcens, ad cœnam in Domum Simonis invitatus venit; ubi & Lazarus inter convivas, & Martha miniſtrans aderant. Ea occaſione Maria ſumpta unguenti nardi ſpicati libra, quod omnium generis pretioſiſſimum eſt (e), caput, & pedes Jeſu perfudit, ac dein capitis ſui coma deterſit; domo interim ſuaviſſimi odoris fragantiam tota redolente. Judæ Iſchariotæ indigna viſa res eſt; ſed Jeſus patrocinium fœminæ aſſumens, ea ſe dixit morti ac ſepulturæ ſuæ imminenti præluſum fuiſſe; cùm defunctorum corpora aromatibus, & unguentis condirentur. Nihil inde de Maria & Martha in S. Scriptura; plura tamen apud eos, qui Mariam ſororem Marthæ, cum Maria Magdalene confundunt; tradunt enim illam & morienti in Cruce Domino adſuiſſe, & cadaveri condiendo aromata detuliſſe, in quibus pietatis officiis comitem habuiſſe Martham Ordo Romanus perhibet apud Bar. an. 34. n. 162. & paria Nicephorus quidam apud Coteleriu m (f) teſtatur: nihil tamen in S. Scriptura.

Utramque ſororem Hieroſolymis ad obitum uſque ſubtitiſſe Veteres Latini, ac Recentiores Græci conveniunt (g); earumque feſtum ad diem 19. Februarii plura Martyrologia conſignant. Flodoardus ſua ætate (circa annum nempe 920.) extitiſſe ſcribit corpus S. Magdalenæ, quam ipſe cum ſorore Marthæ confundit (h). Græci tamen Feſtum Mariæ die 18. Martii colunt, quòd circa eos dies Jeſu Chriſti caput unguento perfuderit. Fertur Bardilon Abbas Leuzenſis Hieroſolymis Vezeliacum corpus S. Magdalenæ circa An. 920. detuliſſe, ad cujus cultum undique ad eam urbem peregrinationes inſtituebantur. Traditione tamen jam inde ab 1552. incepta, ac noſtra ætate receptiſſima vulgatum eſt, exuvias S. Magdalenæ, quæ eadem eſſe cum ſorore Lazari pluribus retrò ſæculis creditur, in Templo Prædicatorum S. Maximini, Diœceſis ad Aquas Sextias in Provincia pertinentis, eſſe conditas.

VIII. MARIA MAGDALENE, quam plures à Maria, ſorore Marthæ, & Lazari non diſcernunt, à fœmina peccatrice, cujus nomen in Evangelio ſiletur, *Luc.* 7. 36. non diſtinguenda. Quam enim fœminam peccatricem Evangelium appellat, eandem eſſe cum Maria Magdalene, quæ moleſto ſeptem Dæmonum contubernio à Jeſu liberata in eodem Evangelio narratur, *Luc.* 8. 2. his conjecturis probari poteſt. Siquidem Jeſus poſt reſtitutam filio viduæ Nain vitam, urbem ingreſſus, apud Simonem Phariſæum cibum deguſtaturus divertit. Inter hæc, malæ famæ mulier domum ingreſſa, retrò ſecus Jeſum ſtans, quippe qui juxta morem menſæ accumbebat in lecto, fracto quod ſecum detulerat, alabaſtro, pretioſo unguento pedes perfudit, inde illos oſculata, ac lachrymis irrigans, coma tandem capitis deterſit. Eam rem Phariſæus intuitus, tacitus apud ſe reputabat, neſcire Chriſtum, quamvis ſe Prophetam jactitaret, ſe à fœmina non optimæ famæ contingi. Jeſus ſecreta cordis illius rimatus, quæſivit ab illo, ecquid de duobus debitoribus cenſeret, quorum alteri centum denarios, alteri quinquaginta creditor remiſiſſet; uter, inquam, ex illis humanum creditorem plus amaret. Illicò Simon reputare ſe ait, illum magis benevolo futurum in creditorem animo, cui majus debitum condonatum eſſet. Tunc Jeſus amorem in ſe fœminæ extollens, addidit deinde plurima illi crimina ſe condonare, quòd ab illa plurimùm diligeretur (i); cui verò minus remittitur, minus amat. Tandem converſus ad mulierem, En, ait, peccata tua remiſſa ſunt. Subſequenti capite, S. Lucas narrat Jeſum urbes una cum Apoſtolis Evangelicæ prædicationis gratia excurriſſe; comites verò itineris habuiſſe fœminas nonnullas, quas immundi ſpiritus contubernio, ſive morbis liberaverat, ac inter cæteras aderat *Maria, qua vocatur Magdalene, de qua ſeptem Dæmonia exierant*. Fatemur quidem deductam huc uſque hiſtoriam eam non eſſe, quæ ambas haſce fœminas unam eandemque eſſe liquidò demonſtrent; ſed huic opinioni ſuſtinendæ nullum validius argumentum occurrit: quare ne Lectorum conſenſum in re obſcura extorquere videamur, poſt relatam fœminæ peccatricis hiſtoriam, ea quæ ad Mariam Magdalenæ ſpectant, ſeorſùm addemus.

Maria Magdalene, cognomen ſortita videtur ſivè à vico *Magdalo* in Galilæa, trans Jordanem, non longè à Gamala (k), qui locus innuitur fortaſſe *Matth.* 15. 39. juxta Græcum; in Latino enim legitur *Magedan*, ſivè ex *Magdalo* (l) urbe ciſjordanica ad radices Carmeli, alio nomine *Megiddo* appellata, *Joſue* 17. 11. *&* 4. *Reg.* 9 27. *&* 23. 29. Duæ ejuſdem nominis fœminæ à Rabbinis memorantur (m), alte-

(a) Confer. Matth. 27. 56. cum Marc. 15. 40. & Vide Orig. in Matth. p. 206. cæteroſque Interpr. (b) Sunt apud Baronium, qui crediderint ad familiam Lazari oppidum illud ſpectaſſe, quòd in Evangelio vicus Lazari & ſororum appelletur. Bella ratiocinatio. (c) Luc. 10. 38..... 43. A. Ær. 32. (d) A. Ær. 33. aliquantò ante Paſcha.
(e) Vide v. Nardos. (f) Patr. primi ſæculi. (g) Vide Bolland. t. 1. Maii.
(h) Vide ſi lubet Florentin. Not. in Vet. Martyrol. & Laun. de Magdalena. (i) Luc. 7. 47. Plurea verba Textus paulò aliter interpretantur: *Ἀφέωνται ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησε πολύ· ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ*; reddunt, inquam, *plura peccata ei remiſſa ſunt; ideo illa plurimum amat*. Vox Græca *ὅτι* interdum redditur *ideo*. Vide Juan. 8. 29. & 14. 17. Marc. 9. 28. Geneſ. 22. 17. Pſal. 6. 7. & 116. 1. collatum cum 1. Cor. 4. 13. Jerem. 29. 16. Geneſ. 19. 52. Judic. 2. 24. (k) Joſeph. vita ſua. (l) Herodot. l. 2. c. 159.
(m) Vide Cellar. Geogr. antiq. l. 3. c. 13. & Reland. Palæſ. l. 3. p. 884. Ligtfoot. Chron.

altera uxor Rab. Pappi filii Juda; altera ejuſdem fœminæ mater, *uxor Hamehuna patris Nazareni* (a); quam non ea patriæ urbis nomine, ſed ab arte capillos comendi *Magdalam* appellatam tradunt; *Magdala* enim turrim ſignificat, veluti ſi variis ordinibus capillos inſtruens, turritas mulieres efficeret. Juvenal. Satyr. 6.

. . . . Tanta eſt quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Porrò poſteriorem hanc Magdalam eandem eſſe cum Magdalene Evangelii, quam cum Maria ſorore Lazari confundit, Ligtfootus autumavit (b).

Maria Magdalene inter fœminas itinerum Jeſu Chriſti comites, pro more Judæorum illi miniſtraturas, ab Evangeliis recenſetur. Addunt S. Lucas 8. 2. & S. Marcus 16. 9. eandem mulierem ſeptem Dæmonum contubernio ope Jeſu liberatam fuiſſe, quod alii dictum ad literam intelligunt (c); alii de ſeptemplici vitiorum tyrannide interpretantur (d). Non deſunt, qui Magdalenam virginem perpetuò manſiſſe tradant (e); quibus proinde diſtinguenda videtur à fœmina criminoſa; nec vitioſam illam, ſed Dæmoniacam (quod etiam Sanctis Viris accidit interdum) credunt. Cùm Jeſus Chriſtus è Galilæa Hieroſolymam poſtremò veniſſet, venit una & Magdalene; agentique in Cruce ſpiritum cum Virgine juxta adſuit, nec ante diſceſſit, quam cùm ſepulchro reconditum vidit; regreſſura deindè poſt comparata condiendo cadaveri aromata, & requiem Sabbati evolutam. Ad auroram igitur Dominicæ tres ſimul mulieres, Magdalene, Maria mater Jacobi, & Salome ad monumentum perrexere. Cùm irent, rationem lapidis amovendi ab oſtio ejuſdem ſepulchri inibant; cùm ſubitò terram concuti, *Marc.* 16. 1. 2. *Luc.* 24. 1. 2 (Reſurrectionis Jeſu Chriſti indicium) ſenſerunt. Cùm ad locum perveniſſent, duos Angelos nactæ ſunt, à quibus de reſurrectione Domini certiores factæ: ſtatimque ejus rei nuncia Magdalene ad Apoſtolos convolavit. Tunc Petrus & Joannes illicò ad ſepulchrum cùm Magdalene cucurrerunt, Apoſtolis tamen, poſtquam locum corpore vacuum videre, regreſſis, Magdalene ſubſtitit; quæ cùm interioribus ejuſdem ſepulchri ſervandis inclinaretur, duos ad utrumque extremum excubantes Angelos intuita, quidnam ploraret ab illis rogata eſt. Cùm reſpondiſſet, neſcire ſe ubinam locorum ſublatum Domini ſui corpus reconditum eſſet, retrò interim converſa, Jeſum ipſum obvium habuit. Maria eum virum agricolam rata, cujus ſpecimen referebat, quæſivit ab illo, an defuncti corpus, & quònam ſubſtuliſſet. Tunc Jeſus nomine illam appellans, ſtatimque agnitus, pedes oſculari volentem prohibait, nondam ſe ad Patrem aſcendiſſe ſignificans; quod tantundem erat ac ſi dixiſſet, videndi ſe majorem deindè opportunitatem habituram. Juſſit deindè ad fratres ſuos Apoſtolos referre, ſe jamjam ad ſuum, eorumque Deum & Patrem eſſe recipiendum (f). Ita planè Mariâ omnium prima è mortuis regreſſum Salvatorem intuita eſt.

Statim igitur Hieroſolymam ad Apoſtolos ſe conferens, omnia, quæ viderat, & audierat, illos edocuit; à quibus tamen mulieris relationi fides addita non eſt, niſi plurium teſtium acceſſione res confirmaretur. Huc uſque Evangelium de Maria Magdalene, altera à Maria ſorore Marthæ, quamvis per errorem duabus hiſce fœminis in unam confuſis, etiam Marthæ ſororem Mariam Magdalene pluries appellari contigerit: & peculiaris ejuſdem ſororis Marthæ hiſtoria, apocrypha tamen illa (quam ſcriptam ferunt Hebraicè à Marcella Marthæ ancilla) non raro noſtræ Magdalenæ tribuatur. S. Modeſtus Conſtantinopolitanus Præſul (g) tradit, Magdalenam, quam Jeſus à ſeptem Dæmonibus obſeſſam liberavit, poſt Virginis obitum Epheſum petiiſſe, ubi cum Joanne ad obitum uſque permanſit; additque martyrem illam occubuiſſe; quod ex ejus Actibus, ea ætate extantibus, noſtra verò deperditis, deſumere poterat. Pſeudo-Hieronymus in Marcum 15. Mariam Magdalene viduam fuiſſe ſcribit. S. Gregorius Turonenſis *de Glor. Mart. c.* 30. ac S. Modeſtus ſupra laudatus, referunt ejus ſepulchrum Epheſi eſſe, neque ad eam uſque ætatem fuiſſe recluſum; ubi etiam illius reliquias extitiſſe anno 745. cùm S. Villebaldus illac pertranſiret, memoriæ proditum eſt. Ibidem obiiſſe, ac ſepulturæ mandatam in Menæis Græcorum legimus; undè ejus Reliquias tandem Leo Sapiens Conſtantinopolim tranſtulit (h); quam tranſlationem Codinus, *Orig. C. P. p.* 63. quidem ad Mariam Marthæ refert; Cedrenus tamen *p.* 599. ad Magdalenam.

IX. MARIA, filia Eleazari, illuſtri genere matrona, quæ ſub initium Romanorum cum Judæis belli, Hieroſolymam una cum Viro, & filio infante ſe recepit, An. Ch. 68. ſive 69. ubi hoſtium obſidionem cum cæteris ſuſtinere coacta. Accidit interea, ut vir ejus, facta ab obſeſſis in aggreſſores eruptione, trucidaretur; illa verò facultatibus omnibus à Zelatoribus impunè undique per urbem graſſantibus exſpoliaretur, quare ad extremum redacta, dira nonnullos egit impaſta; tandem fame adigente ad ultimam deſperationem deveniens, filiam abreptam occidit, ejuſque carnes in cibum decoxit. Cibi odore exciti Zelatores ſtatim ad illam cucurrerunt, ut cibum apponeret exigentes. Nec fœmina cunctata, partem quam ſervaverat, occiſi filii protulit, illos, ut comederent, indignabunda adhortata; neque enim, ait, delicatiores vos fœmina, & matre indulgentiores reor. (i).

I. MARIAMNE, filia Alexandri, filii Regis Ariſtobuli, & Alexandræ filiæ Hircani Summi Sacerdotis Judæorum, fœmina omnium ſui temporis elegantiſſima, Herodis Magni uxor, & trium filiorum, Alexandri ſcilicet, & Ariſtobuli, nec non Herodis, qui immatura adhac ætate, cùm Romæ ſtudio vacaret, deceſſit; duarum inſuper filiarum, Salampſo, & Cypri mater. Hujus fœminæ hiſtoriam v. *Herodes Magnus*, necnon *Alexander*, & *Alexandra* proſecuti ſumus, quam proinde hic tantùm libabimus. Quamvis Herodes eam deperiret, mutuus tamen uxoris in virum amor deſiderabatur; quin & pro amore odium admiſit, ex quo Herodis juſſu Ariſtobulus Mariamnes frater, antea Summo Sacerdotio ab eodem Rege donatus (k), ſublatus eſt. Neque obſcura hujus odii exhibebat indicia; verùm Herodes amore captus, nunquam in animum inducere potuit ut illam repudiaret.

Antonio profligato (l), Herodes, qui Antonii partibus ſummoperè faverat, eique contra Auguſtum ſuppetias tulerat, ad Auguſti victoris clementiam confugere coactus fuit. Igitur iter ſuſcepturus, Joſephum, & Sohemum Regni adminiſtratores reliquit, imperans, ut ſi quid ſiniſtri acccidiſſe ſibi noſſent, uxorem Mariamnem occiderent (m). Hæc Regis juſſa Mariamne ſolerter à Sohemo ſcrutata, in Herodem exarſit, quare ei regreſſo, cum uxori blandiri vellet pro more, illa ſævitiem, & efferatum animum exprobravit. Nec interim a jurgiis quieſcens, iram tandem viri, quam falſæ de illa delationes fovebant, in ſe concitavit. Viri animum in uxorem acuit Regius Pincerna, qui à Salome ſorore Herodis, hoſtilis in Mariamnem animi fœmina, corruptus, ſollicitatum ſe ab eadem Mariamne teſtatus eſt, ut amatorium poculum Regi miniſtraret.

Inter-

(a) Liber Juchaſim fol. 17. (b) In Chron. & Hor. Hebr. in Matth. 27. 56.
(c) Ambroſ. de Salom. c. 5. Baron. an. 32. §. 24. Cornel. à Lapide.
(d) Gregor. M. hom. 33. in Evang. & aliis. (e) Vide Ambroſ. de Virg. l. 3. Modeſt. Polit. ſæculo 7. apud Phot. 275.
(f) Vide Matth. 28. 25. &c. Marc. 16. 6. &c. Jo. 20. 11. 17. (g) Modeſt. C. P. apud Photium cod. 275. florebat ſeptimo ſæculo. (h) Regnum init Leo an. 886. (i) Joſeph. de Bel. l. 7. c. 8. ſeu 31. in Græco.
(k) A. M. 3970. ante Ch. 30. ante Ær. 34. (l) An. M. 3974. ante Chr. 26. ante Ær. 30.
(m) Antiq. l. 15. c. 9. 12. &c.

Interrogati quæſtione Eunuchi, quorum alioqui fides Herodi perſpecta erat, nihil de poculo dixerunt, ſed vi tormentorum adacti, tandem faſſi ſunt, uxoris in virum concitandæ proditum à Sohemo ſecretum cauſam exhibuiſſe. Re comperta, Herodes ratus nonniſi pudicitiæ pretio ſecreti proditionem à Sohemo uxorem impetrare potuiſſe, vehementer excandeſcens, accito amicorum conſilio, acerrimam in illam accuſationem inſtituit. Cùm eò tendere videretur, ut uxori ſupplicium expeteret, communi ſuffragio eam necem decreverunt (a). Ad ſupplicium igitur ducta Mariamne, mirum virilis conſtantiæ ſpecimen exhibuit. Ea ſublata Herodes ſopiti jam amoris ſtimulis exagitatus, brevi extinctæ deſiderio adeo impotenter abreptus eſt, ut illam proprio nomine tanquam præſentem ſæpè vocare, indignaſque tantò Rege querelas fundere audiretur. Dimiſſis quin etiam Regni curis, habenas dolori laxavit, ut nec priſtinis voluptatibus delectari ampliùs poſſet, ac Domeſticis ſæpè compellatis, acciri Mariamnem, tanquam ſuperſtitem, juberet. Turrim etiam Hieroſolymis ereaiſſe Herodem, deque uxoris nomine appellaſſe Joſephus eſt author de Bel. l. 6. c. 6. in Gr.; addens eam omnium ejuſdem Regis ornatiſſimam fuiſſe, & 55. cubitis in longitudinem, 24. in latitudinem extenſam.

II. MARIAMNE, filia Simonis Summi Sacerdotis, & uxor Magni (b), ex qua editus Herodes Philippus, qui primò Herodiadem duxit uxorem, deinde Herodi Antipæ, *Marc.* 6. 17. *&c. Matth.* 14. 3. &c. nece S. Joannis in Evangelio notiſſimo, nuptam. Porrò hujus nominis fœminæ plures apud Joſephum occurrunt, quas prætermittimus utpotè in Scriptura ignotas. Conſule, ſi lubet, Dictionaria univerſalia, & Joſephum, qui etiam Mariam ſororem Moyſis eodem nomine appellat.

MARIMATH, Uriæ filius, qui ductam contra legis diſpoſitionem uxorem dimiſit, *Eſdr.* 10. 36. *&* 2. *Eſdr.* 3. 3.

MARISSA, urbs Tribus Juda, eadem ac *Mareſa*, ſive *Mareſebet*, vel *Moraſthi*. Vide *Mareſa*.

MARNAS, Deus Gazenſium, atque potiſſimum Philiſthæorum Numen, quod dicunt eſſe verum Jovem, Creta oriundum (c). Fanum ejus ædificio rotundo conſtabat, quod duo porticus, ſive alæ circumambiebant. Non diſſimile Templum everſum à Samſone videtur, *Judic.* 16. 23.... 26. quod Dagoni conſecratum fuiſſe tradit Scriptura.

MARSANA, vir ex ſeptem potiſſimis Satrapis, Aſſuero à conſiliis. *Eſth.* 1. 14.

MARTHA, ſoror Lazari, & Mariæ, in cujus hoſpitio in vico Bethaniæ non raro Jeſus Chriſtus exceptus eſt. De hujus ſorore, ac fratre in ſuis articulis egimus. Nomen illius perpetuò ante Mariam appoſitum occurrit, ex quo natu majorem fuiſſe arbitramur. Cùm Jeſus quondam apud illam divertiſſet, Martha parandis hoſpiti cibis ſollicita, cum Ieſu conqueſta eſt, quòd Maria ad ejus pedes otioſa ſederit, *Luc.* 10. 38.... 43. Verùm Ieſus inter quietem Mariæ, & ſollicitudinem Marthæ, Mariam optimam partem elegiſſe dixit, qua proinde illam privare durum eſſet, & iniquum. Succedente tempore, cùm Lazarus æger decumberet, ejus rei nuncium ambæ ſorores ad Ieſum trans Iordanem verſantem, miſere, qui tamdiu cunctatus eſt, donec Lazarus obiret, *Jo.* 11. 1.... 45. Poſt ejus mortem, Bethaniam perveniens, Martham illicò obviam habuit, quæ cum Salvatore conqueſta, quòd dilato adventu fratris necem, alioqui prohibendam, permiſiſſet. Ieſu verò Lazari reſurrectionem pollicitus eſt, addens ſe vitam eſſe, fidemque ſuis dictis habentes, morte licet oppreſſos, in vitam fore revocandos, deinde quæſivit à Martha, num iſtæ crederet. Annuens illa, credere ſe, illum à Deo genitum in Mundum veniſſe dixit. Inter hæc, Maria de adventu Domini certior à ſorore facta, in occurſum illius veniens, ſimilia ac ſoror, conqueſta eſt. Dein Ieſus ad tumulum tendens, Lazarum in vitam revocavit, ut alibi narratum eſt.

Sex ante paſſionem diebus, Ieſus Bethaniam ad celebrandum Paſcha veniens, à Simone Leproſo Phariſæo convivio exceptus eſt, *Jo.* 12. 1. *&c. Matth.* 26. 6. *&c. Marc.* 14. 3. Martha recumbentibus miniſtrabat; Lazarus inter convivas aderat; Maria pretioſo unguento caput, & pedes Ieſu perfudit. Hæc de Martha in Scriptura. Obiiſſe Hieroſolymis, atque ibidem, non ſecus ac Mariam & Lazarum, tumulatam & veteres Latini, & recentiores Græci conſentiunt. Earum Feſtum ad diem 19. Ianuarii conſignant vetera Martyrologia quamplurima; alia ad 17. Decembris, recentiores Latini ad 29. Iulii (d). In Monumentis quibuſdam, fidei tamen dubiæ, S. Martha unà cum Lazaro, & Maria, atque Marcella famula ruinoſæ carinæ impoſita caſu Maſſiliam appuliſſe traditur (e), unde Martha Taraſconam petiit in Provincia, ibique ejus corpus inventum anno 1187. tradunt.

MASADA. Vide *Maſſada*.

MASAL, urbs Tribus Aſer (f), quæ Levitis è familia Gerſon ceſſit, 1. *Par.* 6. 74. Sita erat ad Carmelum in littore maris, *Euſeb. in Maſon*.

MASCHIL, vox identidem occurrens in titulis Pſalmorum, quæ redditur (g) *qui docet*. Sunt inter Commentatores, qui nullo ſanè fundamento de Inſtrumento muſico explicent. Veriùs eo titulo *Cantica Catechiſtica* inſcripta ſunt. Veteres Rabbini nonnulli tradunt, inſcriptos ea voce pſalmos unà ſecum literæ intelligentiam afferre. Inter Patres aliqui vocem *Intellectus* (h), Hebraicè *Maſchil*, Pſalmi, cui appoſita eſt, ſenſum reconditum, altumque ſignificare credunt; alii planam potiùs, apertamque ſignificationem innuere (i).

MASEBIA, loci nomen, de quo 1. *Par.* 11. 46.

MASEPHA, urbs Iuda, *Joſue* 15. 38. ad meridiem Ieruſalem, & ad ſeptentrionem Eleutheropolis, & Hebronis. Hebræi pro *Maſpha* pronunciare ſolent *Mizpha*. Vide *Maſpha*.

MASEREPHOTH. Hanc urbem eandem credimus cum Sarephta; quæ duo nomina ex eadem radice derivantur. Sunt, qui aquas *Maſerephot*, *Joſue* 11. 38. *&* 13. 6. calidas fuiſſe autument; alii ſalſas è mari per canales derivatas, è quibus calore ſolis evaporatis ſal extraheretur, ut in maritimis regionibus noſtra etiam ætate fieri ſolet.

MASMA, quintus filius Iſmaelis, *Gen.* 25. 13.

MASNEPHETH, ſive *Miſnepheth*, quo nomine mitra Summi Sacerdotis in Hebræo appellatur, *Exod.* 38. 4. Hujus tegumenti forma apud Moyſem deſideratur; de utroque tamen, nempè Sacerdotali, & Pontificio v. *Cidaris* egimus.

I. MASPHA, ſive *Miſpha*, & *Maſphat*, urbs Tribus Juda, *Joſue* 15. 38. apud Meridiem Ieruſalem, & 6. leucis ab illa diſtans; ad ſeptentrionem verò Hebronis, & Eleutheropolis. Hanc eandem credo cum *Maſpha Benjamin* (k), quò Hebræi orandi gratia convenire ſolebant, & cœtus indicebantur (l).

II. MASPHA, *Miſpha*, & *Maſphat*, in montibus Galaad, & in Tribu Dan. Hic fœdus inter Labanum, & Iacobum ictum eſt, *Gen.* 31. 49. initum etiam aliud fœdus inter Iephte ejuſdem urbis incolam, & Iſraelitas transjordanicos, à quibus in ſuum ducem electus eſt. Copias igitur Iephte ibidem coegit, atque in Ammonitas deinde movens, prælio illos fregit, *Judic.* 11. 11. 29. 34. Interdum eadem urbs inter Moabiticas refertur, quòd à Moabitis occupata fuerit.

III. MASPHA. De Hevæis incolentibus regionem Maſphæ ad radices Hermon, adeoque ad fontes Iordanis,

(a) Antiq. l. 15. c. 11. An. M. 3976. ante Ch. 24. ante Ær. 28. (b) Antiq. l. 15. c. 12.
(c) Vita S. Porphyr. Gaz. Epiſc. c. 9. 19. Act. SS. l. 4. p. 655.
(d) Vide Florent. not. in vet. Martyr. S. Hieronym. Laun. de Magd.
(e) Vide Natal. Alex. l. 2. Hiſt. Eccleſiaſtic. de Magd. (f) Juſ. 12. 31. Maſchal, ſive Miſcbal, Hebraicè.
(g) Pſal. 41. 1. *In finem intellectus filiis Core*. Vide Pſal. 31. 1. (h) Euſeb. in Pſ. 41. Theodoret. in Pſal. 38. Didym.
(i) Vide Agell. in Pſal. 31. (k) Joſue 10. 17. & 21. 5. & 1. Reg. 7. 16. Joſue 18. 26.
(l) Vide 3. Reg. 15. 22. & 2. Reg. 7. 5. &c. & 10. 17. & 2. Par. 16. 6. & 2. Eſdr. 3. 7. & 1. Mach. 3. 46

dania, in Ioſue 11. 3. 8. agitur, ubi & de exercitu Iabin, atque ſociorum, qui in ſugam converſi, in eam regionem ad orientem urbis Sidonis ſe recepere; qui ſanè ſitus idem eſt cum priori.

IV. MASPHA, genericum nomen, locum in ſublimi poſitum, unde in longiora proſpectus, ubi vigiles locare ſolemus, ſignificans.

MASRECA, Princeps, ſive Dux Idumææ, ſucceſſor Adad, *Gen.* 36. 36.

MASSA, ſeptimus filius Iſmaelis, *Gen.* 25. 14. Urbs *Meſa*, & urbs *Meſada* in Arabia Petræa occurrunt.

MASSA, vox Hebræa, *tentationem* ſonans, quo nomine locus quidam, nomine Raphidim, appellatus eſt, *Exod.* 17. 2. &c. cum enim Hebræis ibidem caſtra habentibus defuiſſent aquæ, murmur in Moyſem excitatum eſt, atque tentatus Dominus, ac ſi de præſentia ipſius in caſtris dubitaſſent.

MASSADA, arx in Tribu Iuda ad Occidentem Maris Mortui, ſive Lacus Aſphaltitis, non procul ab Engaddi, in prærupto ſaxo erecta, quò penè invius eſt acceſſus; in ſummitate tamen hujus ſaxi planities ſatis ampla porrecta erat, cultus patiens, unde annona ſuppeditabatur. Jonathas Aſſamonæus frater Iudæ Machabæi, & Summus Iudæorum Sacerdos, eam arcem munitionibus firmaverat, ut armis Regis Syriæ reſiſteret (a). Veteribus novas munitiones adjecit Herodes Magnus, ut inexpugnabilem redderet; non enim parvi momenti locus videbatur. Cùm verò inaquoſus eſſet locus, plures ædificari ciſternas juſſit, ubi tantum aquæ aſſervaretur, quantum ſibi in eum locum confugienti, ſi fortè ſubditi rebellaſſent, vel ſubito aliquo infortunio cogeretur, abundè ſufficere potuiſſet.

In Bello Iudæorum poſtremo contra Romanos, Eleazarus Latronum dux, eandem arcem occupavit (b); quam proinde Flavius Sylva, cui Titius diſceſſurus reliquum Provinciæ ſubiiciendum reliquerat, obſidione cinxit. Cùm ille hoſtium impetum ſuſtinere diutiùs non valeret, Iudæos ſocios ad mutuam occiſionem hortatus eſt, ea conditione, ut qui cæteris ſuperſtes fuiſſet, arcem incenderet. Conſilium facto probatum eſt; cujus rei totam hiſtoriam duæ fœminæ in aquæductibus unà cum quinque filiis latentes, manè ad Romanos detulerunt.

(Maſſada Urbs munita præruptæ petræ & penè inacceſſibili confidens. Eleazar filius Jair, & nepos Iudæ Galilæi, viri notiſſimi, illam occupaverat, ubi & imperabat Sicariis, qui ſibi id nominis impiis pluribus & ſæviſſimis admiſſis promeruerant. Redigendis illis in fidem accedens Sylva Romanorum copiarum Imperator, nihil habuit antiquius, quàm ut milites diſponeret per omnia circumjacentia loca, ut de regione ſibi ſponderet; tum verò ducto circùm muro Urbem clauſit, diſpoſitis identidem per intervalla militibus, ut evaſio omnibus præcluderetur. Quibus peractis urſit validiùs obſidionem, incredibili planè labore atque conatu. Nec ſegnior Eleazar, qui poſt validam oppoſitam defenſionem intelligens tandem venturum ſe in hoſtium poteſtatem cum munitione, quam inſuperabilem antea arbitrabatur; agnovit tandem digitum Dei, at ſero nimis; obfirmatus enim in malitia animus virum compulit ad extremam deſperationem &c. In inſigni hac obſidione hæc animadvertenda ſuccurrunt.

* Obſidio Maſſadæ per Romanos meritò recenſenda eſt inter maximè memorabiles, de quibus veteres Hiſtoriæ. Urbs ſitu & munitione validiſſima, quam ſuſtinebant defenſores manu & animo ferrea, rei militaris peritia plurima cum animi virtute conjuncta Ducis Romani; hæc ſimul omnia labores inferunt immenſos, & quorum rara apud Veteres ſuppetunt exempla. Nihil tale exhibuerunt vel nec in mente quidem formarunt Recentiores in inſignibus obſidionibus à ſæculo decimoquarto ad noſtram uſque ætatem. Ioſephus obſidionis hujus hiſtoriam retexens exempla exhibet bellicæ virtutis, ſtratagematum, inopinatarum aggreſſionum, patientiæ & obſtinationis multo luculentiora, quàm quæ hic data fuerint; defenſio Iotaparæ, atque Ieroſolymæ admirabilior eſt planè quam Maſſadæ; ad labores exantlatos quod attinet nihil tale unquam. Specimen hoc eſt ingenii & patientiæ Romanæ; nec minus illuſtris fuit ſcientia militaris, & firmitas animi in Iudæis. Sunt equidem homines deſperati; ſed deſperati nihil omittentes eorum, quæ ingenium ſive ars ſuggerit, ut vitam ſuam cariſſimè vendant & pereant glorioſi. Si quis defenſoribus laudem prudentiæ & ſapientiæ non invideat, illis certè vindicet neceſſe eſt, qui ut ingenui potiùs interire malunt, quàm probroſam ſervitutem ſubire.

Porrò Sylva abſoluto jam adſtringente circum Urbem muro, occupavit petram ampliorem quidem altera, cui arx inſidebat, ſed humiliorem 300. cubitis (c); quo in loco urſit obſidionem. Super hanc molem aggerari juſſit terram ad altitudinem 100. cubitorum ait Joſephus de bello l. 7. c. 33. nunc 8 nov. edit. (d). *Non tamen ſpatii modus aut ſatis firmus, aut ſufficiens aſcenſus machinis videbatur; ſed ſuper eum Tribunal constructum ſaxis ingentibus factum eſt, altum itemque latum cubitis quinquaginta. Erat autem & aliarum machinarum fabrica illis aſſimilis, quas primò quidem Veſpaſianus, poſtea verò Titus ad oppida oppugnanda excogitavit; & turris ſexaginta cubitorum effecta eſt tota ferro munita, unde Romani multis ſcorpionibus & baliſtis citò eos repulere qui è muro pugnabant, & capita exerere prohibuerunt.*

Textus iſte ad digreſſionem planè neceſſariam nos cogit; concipio enim in illo neſcio quid abſurdiſſimum. Gallicus Joſephi Interpres (e) ſcribit: Non tamen aggeris modus aut ſatis firmus aut ſufficiens machinis videbatur (*le terreplain* habet Gallus, quod minus aptè poſuit). Porro ſi impar erat aggeſta illa terra machinarum ponderi ſuſtinendo; minùs certè valuiſſet ingentium lapidum Tribunal poſitum ſuſtinere cum turri 60. cubitorum ferro gravi. Corruptio igitur quædam in Textum irrepſiſſe credenda eſt, quod ſanè faciliùs accidiſſe potuit, quàm ut Joſephus abſurdè adeò ratiocinatus fuerit. Textui igitur reſtituendo, vel ſaltem ut ſalebræ utcumque tollantur, reputaverim ego à Sylva veſtitum fuiſſe muro aggerem, ut ſuſtinendæ moli & turri ſexaginta cubitorum par eſſet. Hæc ſi concipiamus plana ſunt omnia. Porro ope aggerum ejuſmodi & machinarum omnis generis urgebantur arietes mœnibus ſuffodiendis.

Cùm enim Romanus urgere mœnia non poſſet, quòd præaltæ petræ aſſiderent, eùm, inquam, non poſſet niſi elevato in immenſum aggere miri hujus operis tumulum extruxit, quo ad juſtam altitudinem elevato, ariete cæteris majore ſuccutere valeret muros. Cùm autem juſtam arcis altitudinem æquaret tumulus, valeretque tantùm inferendo in muros arieti; ideo Romanus ad defendendam aggreſſionem novum alterum propugnaculum erigendum curavit, uti jam adnotatum eſt. Sed & aliud hic occurrit implexum. Notat Author Iudæus, petram, quam Romani occuparunt, fuiſſe humiliorem 300. cubitis arce. Addendi erant igitur adhuc 90. cubiti ſubſtructioni aggreſſorum, quò ad juſtam mœnium altitudinem pervenirent. Mendum igitur in Textum irrepſiſſe oportet, ſive ſtatuendum, arcem ex eo loco multò deſcendiſſe inferiùs, ac proinde murum hic altiùs aſcendiſſe; nihil enim alioqui valuiſſet aries (f).

Quod autem jucundam adeò verſamus materiam, reli-

(a) Joſeph. de Bell. l. 7. c. 28. (b) Joſeph. ibid. An Ær. 71.

* Animadverſiones in obſidionem in Opera Romanorum ad eam Urbem. Joſeph. de bell. l. 7. cap. 31. &c.

(c) i. e. 450. pedibus. (d) Sed nova hæc editio præfert cubitos 200. (e) D. Arnaldus Andilly, ſed & Latinum Hudſonii paria fermè præfert. (f) Salebras omnes tollit nova Hudſonii Editio, quæ aggerem à Romanis extructum dimetitur non 100. ſed 200. cubitis.

Digitized by Google

reliqua Textus Joſephi proſequamur: *Simul autem ingenti etiam ariete fabricato Sylva crebrò murum pulſari jubet; ac vix quidem illum, licèt partem ejus perfregerit, funditùs evertit. Occupant autem Sicarii alium intus murum, idque celeriter, ædificare, qui nihil ſimile à machinis paſſurus erat; illum enim ut mollis eſſet, & impetum ictuum vehementer poſſet laxare, in hunc modum conſtruxerant. Trabes ingentes perpetuas in longitudinem alias aliis, quà ſectæ erant, compagebant. Bini autem ordines erant paribus intervallis diſtantes inter ſe tantùm, quanta eſſet muri latitudo; inque medium ſpatium terram ingerebant. Ne verò creſcente cumulo terra deflueret, aliis tranſverſis trabibus priores in longitudinem poſitas revinciebant. Erat igitur iſtiuſmodi opus quidem ædificio non abſimile. Machinarum verò ictus ei, quod cedebat, illati debilitabantur, & ex concuſſione deſidente materia firmiorem reddebant fabricam. Cùm hoc animadvertiſſet Sylva, igne faciliùs murum captum iri exiſtimavit, militibuſque præcepit, ut crebras faces ardentes jacularentur. Tam murus quippe magna ex parte ligneus, ignem citò concepit, & uſque ad imum ſui laxitate accenſus magnam flammam edidit.*

Obſcuriſſimus eſt Joſephus in deſcriptione hujus propugnaculi, quod tamen monſtri loco ducendum non eſt, cùm in eo peccent ferè omnes veteres Scriptores, ut ſcilicet extraordinarium aliquod Opus deſcribentes, minùs proni ſint Lectoribus. Cæſar unicus excelluit in hoc mechaniſmi genere. Certò mihi perſuadeo novum hunc murum Maſſadæ perſimilem retuliſſe ſtructuram, ac mœnia Biturìcenſia, quæ Author in ſeptimo Commentariorum ſuorum deſcribit. Judæus Scriptor affirmat muri hujus materiam ligneam tantùm fuiſſe, i.e. ex trabibus, illumque complures opinati ſunt arcæ ex trabibus contextæ, & argilla oppletæ formam retuliſſe; quæ ſi vera ſtatueremus, nunquam tantum ex illo excitatum incendium intelligi poſſet, quantum exhibet Scriptor. Conſtabat propugnaculum illud è trabibus in terram ſtratis ſecundùm longitudinem, & per certa intervalla aliis ſuper alias poſitis, excurrentibus in tranſverſo, veluti cancellato opere; vacua autem ſpatia occupabat argilla: ita ego de propugnaculo iſto.

Quod attinet ad formam ſive figuram, ego parallelum non conſtituerem cœmentitio muro, qui arietibus tundebatur; ſed exhibuiſſe credo ſinuatum receſſum vel circularem vel angularem. Notat enim Hiſtoricus, Sylvam, poſtquam opus illud inſpexiſſet, ægrè admodum ſubverti machinis munimentum illud intellexiſſe; quare igne cenſuit expugnandum, juſſis militibus crebras faces projicere, quarum ardore facilè ignem ædificium concepit, & uſque ad imum ſui laxitate accenſum eſt. Nec apud Veteres nova eſt munitionum ejuſmodi forma, quam ideo potiſſimùm amabant, quòd latera præberet. At enim faculi ne opera incenſæ iſtæ faces inter luſſoſa mœnia & receſſum hunc interiorem projiciebantur? Faciſſimum id arbitror; non enim ſine veri ſpecie conciperem, aggreſſores ſuper collapſa mœnia inſediſſe, alterum verò alteri ſuffeciſſe faces in munitionem projicendas. Plura adhuc ſuppeterent ad illuſtrandum hoc hiſtoriæ Judaicæ eximium monumentum, ſed fines nobis præſcriptos tranſgredi non vacat. Videſis Commentarium D. Equitis Folard in Polybium tom. 2. pag. 501. &c.)

MASSORA, vox Hebræa, *Traditionem* ſonans, ex verbo *Maſar* (a), nempe *tradere*, dare, offerre. Doctores Hebræorum *Maſſoretha* dicti ſunt, qui lectionem Sacri Textus determinarunt, additis punctis vocalibus, & marginalibus notis, quæ in Bibliis Hebraicis impreſſis occurrunt; qui religioſa ſedulitate verba omnia, verſus, literas cujuſcumque Libri numerarunt, ne temporis ſucceſſu aliquid mutari contingeret, eademque lectio ſemper, ac fixa perſeveraret. Cùm enim Hebræi ſæpiſſimè ſine vocalibus, ſonum determinantibus, ſcribere ſoleant, nonniſi traditionibus quibuſdam, à patre in filium derivatis, rationem quarumdam conſonantium legendi acceperant, quæ ſanè variam inducere poterant ſignificationem pro vocalium varietate; quæ ſuppleri debuiſſent. Sic tres literæ *d b r* exprimere poſſunt *dabar*, nempe verbum, vel, ipſe dixit; *dabir*, atrium; *daber*, mors, ſive peſtis, *dabber*, loquimini; *daber*, qui loquitur. Traditione igitur ſtatutum eſt, quam in ſingulis locis, ubi fortè occurrunt, eadem vocabula ſignificationem obtineant; quam ſanè traditionem Maſſorethæ firmam ratamque punctorum vocalium ope effecerunt. Unde illis nomen *Maſſoretha*, eorumque Operi *Maſſora*, ſive traditio inditum.

Puncta igitur vocalium defectum, ſiquando defuerint, ſupplent; in Textu appoſita ſonum moderantur; an quieſcentes, an exprimendæ ſint literæ; an longæ, an breves; an clare promendæ, an denique velut per curſum indicandæ. Interdum ſuper literas, potiſſimùm tamen ſub literis adſcribuntur. Vocalia 13. ſunt numero, 5. longa, brevia totidem, reliqua breviſſima. Conſule Grammaticas. Vocalibus tamen Hebræi caruiſſe nonniſi per errorem crederentur; illarum uſus in eorum tantummodò ſcriptis deſideratur. Vide *Litera*.

Accentus quoque, & puncta à Maſſorethis adjecta, illos pronunciationi, muſicæ, & lectioni dirigendæ; hæc vero diſtinguendis verſibus, atque interpungendis, eadem ratione, qua apud nos virgularum, & punctorum eſt uſus.

Quod ad literas attinet, Maſſorethæ ſedulò adnotarunt, ſiquæ in Sacro Textu ſuperfluerent, ſive deficerent, an verbum irregulariter deſcriptum ſit; an alia pro alia litera uſurpata; an longior breviorve; an inverſa, an ſuſpenſa; Hebræi enim Sacris Libris plurimùm deferunt, atque ſi fortè litera extra ordinem occurrat, illam immutare religioni ducunt. Quare Myſterium potiùs, quàm errorem, in ea ſe deprehendere ſibi videntur. Profectò veteres Hebræi ſuperſtitioſa hac religione non tenebantur, cùm Textus Sacer pluribus ſcateat mendis, ab inſcitia & incuria Amanuenſium ortis.

Denique, ſi quando variæ lectiones in Textu, ſive mendum occurrerint, rectam ejus lectionem in margine apponunt, prophana manu Sacrum Textum violare nolentes. Quod in Textu legitur, *chetib* appellant, nempe *ſcriptum*; quod in margine appoſitum, *Keri*, nempe *lectio*, ſive *lege*; ac ſi diceretur: ita quidem ſcriptum eſt, legendum tamen ita. Sic cùm nomina quædam occurrunt, alia ſubſtituunt; quod in nomine Sacro Jehovah ſervatur, pro illo enim ſubſtituunt *Adonai*, ſive *Elohim*, eademque ratione cùm turpia quædam nomina occurrunt, honeſta apponunt.

Quod ad Authores Maſſoræ, ſive ad Maſſorethas attinet, quo illi tempore floruerint, quid de illorum ſcriptis cenſendum, non eadem eſt Criticorum ſententia. Sunt, qui illorum opus ſummis laudibus extulerint, utpote quod ambages, & æquivocationes omnes, alioqui in Textu frequentes, eo uno Libro ſublatæ ſint, audaciamque Amanuenſium, & Criticorum, ne pro libito in Sacrum Textum temerariam manum inferant, nihil præterquàm ſpiritum ſuum, & ingenium conſulentes, coercuerit. Non deſunt tamen, qui ſuſceptum ab his opus criminentur, ipſis exprobrantes, quòd Sacri Textus puritatem corruperint, veteri ac genuinæ lectioni, Patrum authoritate probatæ, novas ſubſtituendo Chriſtianis minùs faventes; utpote qui vacuam à præjudiciis mentem ad ſcribendum non contulerint. Exploratum ſanè eſt, longè diverſas illos lectiones ſequutos, quàm quæ à Priſcis Interpretibus Græcis ante Chriſti ætatem probantur. Interdum neque cum Chaldæo conveniunt; omnium illo vetuſtiſſimo Interprete, nec linguæ ſatis ab Hebræo diſcrepantis. Quid? quòd nec veteres Rabbini aliquando cum illis conſonant? Quo ſanè argumento planè intelligimus, illos nunquam ſatis conſtantem traditionem, quam ſectarentur, habuiſſe; vel ſi quæ fuit traditio, eorum fides in ea referenda deſideratur.

(a) Num. 31. 5. 15. idem verbum occurrit, quod redditur, *tradidit*.

Judæorum nonnulli Opus illud à Moyſe derivatum jactitant, qui rationem Textus interpretandi Iſraelitarum ſeniores docuerit. Alii ab Eſdra, & à Scribis ejus ætatis repetunt: alii tandem à 5. Eccleſiæ ſæculo, opera Præceptorum Scholæ Tiberiadis. Porrò Moyſem in omnes Veteris Teſtamenti Libros Maſsoram non exaraſſe, nemo jure in dubium revocaverit, cùm ex iis plerique poſt illius ætatem ſcriptis mandati fuerint.

Rationem etiam legendi, atque dividendi Scripturam ad certam regulam ſub Eſdra redactam non fuiſſe, ex varia legendi, atque Sacrum Textum interpretandi ratione, pluribus poſt illum ſæculis adhuc occurrente, ut ex Septuaginta, Aquila, Symmacho, Teodotione conſtat, ſatis intelligimus. Imò nec ipſa Origenis, & S. Hieronymi ætate huic varietati modus impoſitus erat; ut ex ipſo Hieronymo *in Iſa.* 26. 14. *in Jerem.* 22. *in Habac.* 3. ſatis liquet.

Cùm igitur luculentis hujus S. Doctoris (a) teſtimoniis conſtet, vaganti Scripturæ lectioni, nunquam ad id uſque temporis modum impoſitum fuiſſe, ſuſpicio nobis ingeritur, ne Rabbini (b) inventionem punctorum ad Doctores Tiberiadis referentes, imponere nobis aliquid voluerint. Quin & in Talmud (quod opus, juxta aliquos, anno Ch. 500. (c), juxta alios verò anno 645. (d) abſolutum eſt) ne hilum quidem de punctis vocalibus, quamvis agendi de illis occaſio non raro ibidem occurrat. Quin & hiſtoriæ quædam in eo Libro referuntur, quæ vagam ad id uſque temporis Textus lectionem extitiſſe demonſtrant. Hinc de Joab duce copiarum Davidis narrat, illum ab expeditione in Amalecitas regreſſum, à Rege interrogatum, cur ab exterminandis hoſtibus deſtitiſſet, reſpondiſſe, ſe Dei juſſionibus obtemperaſſe; à Domino quippè injunctum, ut Amalecitæ omnes maſculini generis delerentur (in Hebræo *facar* (e).) Cùm David non *facar*, ſed *fecher*, ſcilicet *memoria* (quaſi omnis Amalecitarum memoria abolenda eſſet) legendum in Textu objiceret, Joab à Præceptore ſuo priorem lectionem ſe didiciſſe reſpondit. Hæc profectò fabella ſatis indicat, lectionem ſacri Textus nutantem adhuc, incertamque fuiſſe.

In Libro quodam Zobar inſcripto, in quo colloquium Regis Cozar cum Judæis quibuſdam refertur, mentio punctorum vocalium occurrit; legimus enim, conſonans ſine vocalibus, tamquam fœminas eſse ſine cultu, quæ à publico ſe abſtinent. Congreſſum verò illum ad annum 740. vulgò conſignant; ſed peritiores Critici totam hanc hiſtoriam inter fabulas amandant, & 400. ſolidis annis recentiorem ſeptimo ſæculo Librum deprehenderunt: quo ſanè tempore vocalia puncta obtinuiſse ultrò fatemur.

Sunt etiam Judæis ſua in Scripturam Commentaria, *Midraſchim* appellata, Talmud recentiora, in quibus grammaticæ obſervationes de ſpeciebus literarum, de verbis, de ratione ſcribendi, legendique quamplurimæ occurrunt; de punctis verò vocalibus, ac de Maſsorethis ſermo nullus. Liber Scribarum, ſive *Sopherim*, in quo Talmud, velut antiquus Liber, omnium conſenſu probatus, laudatur, plura ad Textum, & ad rationem ſcribendi pertinentia complectitur; veluti de genere, menſura, & ratione membranæ ad hunc uſum ſeligendæ; quid inter lineas ſpatii relinquendum; quot in ſingulis lineis verba; quot lineæ in ſingulis paginis; quot lituræ Librum prophanum efficiant; quot literæ majuſculæ &c. Inter minutiſſima hæc, & alia hujus generis, ne verbum quidem de punctis vocalibus, cæteriſque, quæ in Maſsora continentur.

Ætate etiam recentiora ſunt Scripta quædam Judæorum Orientalium, & Occidentalium, in quibus variantia Textus Hebræi ſedulò collecta ſunt. Judæi enim Occidentales, omnium primi Biblia ad Mſs. Codices examinantes, literarum numerum, verba defectiva, ac plena adnotarunt. Opus illud Judæi Orientales, Babylone ultra Euphratem degentes, ad examen revocarunt, ſimulque cum Textu Hebræo, ſuiſque Mſs. conferentes, ex collatione 216. variantia loca deprehenderunt. Ea res Judæos Hieroſolymitanos, & Babylonicos in duas ſectas diviſit, ſingulis pro ſuo Textu, & Mſ. certantibus. Hæc labente octavo ſæculo, vel ſub noni initium, contigerunt. Neutri tamen authoritatem Maſsoretharum pro ſe laudaſse videntur; quod argumento eſt maniſeſtiſſimo, numquam adhuc Maſsoram auditi cœpiſse.

Paulò poſt, inita diſputatione inter Rabbinos *Aaronem Ben-Aſer*, Principem Scholæ Occidentalis, & *Moyſem Ben-Nephtali*, Principem Orientalis, plurimum de punctis, accentibus, ac ratione legendi verba S. Scripturæ diſceptatum eſt; ex quo ſanè intelligimus, ſpatio illo temporis, quod intercedit inter annum 840. quo collectio variantium per Occidentales facta eſt, & annum 940. ſive 1030. quo Rabbini illi florebant, Maſsoretharum opus prodiiſse. Illi tamen perficiendo quamplurimos annos inſumpſiſse opus fuit. Cùm verò Aaron Ben-Aſer Scholæ Tiberiadis præſideret, idcircò ea in urbe Maſsoram incœpiſse ferunt (f). Iſaacus Voſſius teſtatur (g), ſe ultra 2000. Hebraica Mſs. vidiſse, nec ſibi aliquod occurriſse ante ſexcentos annos ſcriptum tradit, in quo punctuationis regulæ ſervarentur; additque, eos, qui ejuſdem punctuationis vetuſtatem defendunt, velle ſe, ut vel unum Mſ. majoris vetuſtatis producant: niſi forrè veteri Libro, recentiori manu, puncta adjecta ſint. Tandem hujus punctuationis recentiorem inventionem ex eo demonſtrat, quod Bibliorum exemplaria, quæ convoluta in Synagogis ſervantur, punctis careant. Quare veriſimillimum videtur, puncta in Scripturis Judæorum, nonniſi poſt ſcriptas Hebraicæ Linguæ Grammaticas, nono ſcilicet ſæculo, invecta fuiſse; tunc enim minuendæ Tyronibus difficultati, auxilio vocalium ſubventum eſt.

(MASSORETHÆ. Commodis ſe Religionis & gentis conſulturos arbitrabantur Maſsorethæ, ſi vel literulas Librorum ſacrorum referrent in numeros. Ita e. g. in Libros Geneſis recenſuerunt 12. majores ſectiones vel *Paraſcot*, 43. *Sedarim*, vel claſses, 1534. verſiculos, & 78100. literas. Quem gradum certitudinis correctioni ſuæ aſſignant, tribus iſtis vocibus diſtinguunt: *Keri*, lege; *Cetib*, ſcribe; *Sbbir*, conjice. Si verò in Textu lectio aliqua occurrat planè corrupta, ſeu vitioſa, notant: En *Chetib*. Si vox, obſequii quadam ſignificatione promenda voce non eſt, uti, e. g. *Jehovah*, aliam ſubſtituunt, cujus pronunciatio non interdicitur, uti *Elohi* vel *Adonai*; ita pariter, ſi qua vox probroſa vel obſcura, quam pronunciare modeſtia vetat, ejus loco permiſsam alteram adſcribunt: En *Keri*, lege. Tandem ambiguam Textus lectionem ita notant: *Sbbir*, vel conjecturæ.

Olim in fine Bibliorum adnotabantur criticæ iſtæ animadverſiones; hodie verò Lectoris commodis magis conſultum eſt, adnotatis illis ad infimam oram & ad marginem, ad finem Codicis rejecto, quod utrumque paginæ ſpatium non admittit. Vocalium punctorum vetuſtas vel Moyſi ipſi, vel ſaltem Eſdræ par credita eſt. Nec defuerunt viri facilis perſuaſionis, qui reputarint Authographum Bibliorum ab Eſdra reformatum ſupereſse adhuc in Cœnobio PP. Dominicanorum Bononiæ. Proteſtantes, quo tenebantur metu, ne Catholici quidquam proficerent ex hac Maſsoretharum correctione pro aſserendis traditionibus ſuis, quas inter dogmata Religionis referunt, ſtatuerunt defendere vetuſtatem punctorum vocalium, recedentes ea in re ab opinione Calvini & Lutheri Reformationis Coryphæorum.

Sed

(a) Floruit S. Hieronymus uſque ad 420. (b) Elias Levita in Exod. 20. ubi laudat Abenezra, Kimchi, Judam Levitam. (c) Rab. Gedalias, Abraham Levit. Izemah David.
(d) Abarbanel. Præfat. in Pirkeavoth, Moſ. Ægypti Præfat. in Jad. Cazakah.
(e) Heb. Secher; *memoria*, Sacher, *Mas.* (f) Vide Morin. Exercit. in Bibl. Valt. *Proleg.* Cappell. arcan. Punctuat. revel. Buxtorf. aliiſque. (g) Iſaac. Voſſ. de 70. Interpr. Tranſlat.

Sed novitatem punctorum vocalium demonſtrare adniſi ſumus in Dictionario Biblico v. *Maſſoræ* quæ verò opponunt antiquitatis illorum aſſertores diluemus v. *Puncta vocalia*.

MATER. Uſurpatur etiam de *Metropoli* 2. *Reg.* 20. 19. Urbe ſeu regionis ſeu Tribus alicujus principe; interdum etiam de univerſa aliqua gente vel populo. Synagoga mater eſt Judæorum, ſicut & Chriſtianorum Eccleſia. Iſaias 50. 1. *Quis eſt hic liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam?* nempè Synagogam, & Apoſtolus de Jeruſalem cœleſti perhibet, Galat. 4. 26. *matrem eſſe noſtram*. Babylon magna, Roma nempe Idolis addicta appellatur in Apocalypſi 17. 5. *Mater fornicationis*, vel Idololatriæ.

Mater in Iſrael exprimit mulierem fortem, cujus virtute Deus populum ſuum ſervavit; hoc elogio Judic. 5. 7. donata eſt *Debora*. Perhibet de ſapientia Eccli. 24. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis*; i. e. caſti amoris. Terra; ad quam nos omnes per mortem redimus, mater omnium appellatur, Eccli. 40. 1. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam*; i. e. antequam valeat, ſeu tentare, ſeu exprimere voces Iſai. 8. 4. Pſal. 21. 11. *De ventre matris meæ Deus meus es tu; antequam naſcerer.*)

MATERNUS, quod nomen Recentiores aliqui filio viduæ Naim, à Jeſu Chriſto in vitam revocato, tribuunt, quem in Gallias primùm; deinde in Germaniam miſſum ſerunt. Cùm in itinere obiiſſet, ad vitam iterum, ope baculi à S. Petro ad eam rem miſſi, & ſupra defuncti corpus poſiti, reſtitutus eſt, quare & ſuſceptum iter perficere, Eccleſias Trevirenſem, Legienſem, Tungrenſem, Colonienſem, Argentinenſem conſtituere potuit. Huicè hiſtoriolæ nihil præter authoritatem deeſt.

I. MATHAN, filius Eleazari, pater Jacobi, avus S. Joſephi, viri B. Virginis *Matth.* 1. 15. 16. Huic S. Lucas 3, 23. filium tribuit *Heli*, quem credimus eundem eſſe ac Joachim, patrem Mariæ, & ſocerum Joſephi, quare à S. Matthæo genealogia per Joſephum deducta eſt; à S. Luca verò per Mariam. Duas hasce genealogias conciliare tentavimus in Diſſertatione Commentariis in S. Lucam præfixa.

II. MATHAN, Sacerdos Baal, ante Numinis aram juſſu Summi Sacerdotis Jojadæ trucidatus an. M. 3126. ante Ch. 874. ante Ær. 878. 4. *Reg.* 11. 19.

III. MATHAN, pater Saphatiæ, Viri nempe illius, qui in Babyloniam captivus à Nabuchodonoſore adductus eſt, an. M. 3416. ante Ch. 584. ante Ær. 588. *Jer.* 38. 1.

MATHANA, ſive *Matthana*. locus, ubi Iſraelitæ in deſerto Caſtra habuerunt, *Num.* 21. 18. 19. quem Euſebius ad ripas Arnoni 12. milliaribus à Medaba, orientem verſus, collocat.

MATHANAI, filius Haſom. 1. *Eſdr.* 10. 33.

MATHANIA, Princeps nonæ familiæ Levitarum. 1. *Par.* 25. 16.

MATHANAIAS, alio nomine *Sedecias*, Rex Juda. Vide *Sedecias*.

MATHANIAU, filius Heman Levitæ 1. *Par.* 25. 4.

MATHAREA, vicus ſex milliaribus à Cairo in Ægypto, ubi hortus eſt balſamo conſitus, & ſons irriguus, cujus aquis panniculos infantis Jeſu lotos à Virgine, dum in Ægypto manſit, vulgò tradunt.

(In aditu Matharea ſpectatur *Makad* vel Ædicula quæ jam Turcica excitata ſuper ruinas veteris Eccleſiæ Chriſtianorum Ægyptiorum. Claudit autem ædificium illud parva quædam aquarum concha ex vario marmore, nunquam non aqua plena, liquorem ſufficiente puteo, qui prodigioſus reputatur, ad latus Makad poſitus. Eſt autem puteus prægaltus & vaſtus ciſternam ſemper latiorem dulcem tenuemque ferens, quem Niliacis præferunt Bacha. Exponitur Makad in hortum vaſtum conſitumque malis aureis citreis; atque inter cæteros ſpectantibus ſeſe offert annoſa ſycomorus ſingulis nihiloſecius annis fructus reddens. Hortum hunc olim decorabant arbuſculæ balſamum ferentes. Juxta hortum poſitus ſtat obeliſcus, locatque olim inclytum veteris magnificentiæ rudera quædam demonſtrant. Hic caſtra à Selimo locata ſunt, cùm expugnavit Cairum anno 1518.

Chriſtiani regionis incolæ tenent SS. Virginem aliquandiu ſubſtitiſſe Mathareæ, unà cum filio ſuo Jeſu, ejuſque uſu conſecratum dicunt receptaculum illud aquarum in Makad: ſicut & in excavato in pariete loculamento poſitum à matre puerum Jeſum, quietis captandæ gratia. Quare Monachi locum frequentant, & in geſtatorio Altari Miſſam interdum celebrant. Addunt, annoſam illam ſycomorum, de qua ſupra, aperto ſinu mediam excepiſſe SS. Virginem & puerum Jeſum, quò ab injuriis militum Herodis utrumque poneret in tuto. Satis convenire arbitror inter omnes traditione id populari invaluiſſe, quod ſeverum ſcriptumque examen non patitur. Conſtat utique arborem eſſe vetuſtiſſimam olim in medio apertam, nec niſi anno 1656. fruſtulam illud à reliquo trunco ſeparatum contractum fuiſſe. Veterum plures aſſeruerunt Idola Ægypti cecidiſſe confracta, quo tempore Jeſus Chriſtus in eam regionem ingreſſus eſt (a). Accommodant huic Textum Iſaiæ 19. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus.*)

MATHAT, filius Levi, & pater Heli, *Luc.* 3. 24. illius nempe, quem eundem eſſe credimus cum Joachim, Virginis Mariæ parente.

I. MATHATA, filius Nathan, & pater Mennæ, inter progenitores Jeſu Chriſti. *Luc.* 3. 31.

II. MATHATA, filius Haſom, ex iis, qui è captivitate Babylonica regreſſi fœminas, illegitimè ductas, dimiſerunt. 1. *Eſdr.* 10. 33.

S. MATTHÆUS, Apoſtolus, & Evangeliſta filius Alphæi, *Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 27. Galilæa oriundus, Religione Judæus, ante Publicanus (quid Publicani munus eſſet vide v. *Publicanus*). Apud alios Evangeliſtas *Levi*, quod Hebræum erat viri nomen, appellatur; ipſe tamen ſe Matthæum perpetuò denominat, quod fortaſſe nomen in exercitio muneris ſui, vectigalia ſcilicet exigendi, obtinebat. Neque ipſe ſibi indulgens, Publicanum ſe prodere non veretur, quò acceptam à Chriſto Apoſtolatus gratiam magis magiſque commendaret. Capharnaum verſatus telonium ſuum ad mare Tiberiadis urbi proximum ſtatuerat. Cùm Jeſu illac pertranſiiſſet, *Matth.* 9. 9. *Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 29. virum ad ſuam ſequelam invitavit; nec ille cunctatus, illicò relictis omnibus, ne ratione quidem rerum ſuarum inita, Præceptorem ſecutus eſt. Vide, Hier. & Chryſoſt. in Matth. 9.

Porphyrius & Julianus Imperator apud Hier. in Matth. 9. leve viri ingenium culpant, quod ignoto homini vix accitus adhæſerit; quibus S. Hieronymus reſpondet, miraculorum Jeſu Chriſti, ejuſque doctrinæ famam veriſimiliter ad illum jam perveniſſe; cujus etiam prædicationibus ſæpiùs fortaſſe interfuerat; ac tandem neſcio quis Divinitatis fulgor ſub humanæ naturæ velamento intermicavit; quo viri animus ſolo intuitu perſtringeretur. Validæ ſimul, ac ſuavi gratiæ attractu captum ea occaſione virum S. Auguſtinus *de grat. Ch. cont. Pelag. & Caleſt.* c. 22. & *lib. de geſt. Pelag.* &c. docet.

Cùm igitur S. Matthæus munere ſuo ſe liberaſſet; primò Jeſum, ejuſque Diſcipulos convivio in domo ſua excepit, *Matth.* 9. 10. accitis ſimul pluribus ex Publicanis, aliiſque ſibi familiaribus viris. Ex re Phariſæorum animos offendit; quare cùm Diſcipulis Jeſu conqueſti ſunt, quod cum ejuſmodi viris cibum caperet. Jeſu ad hæc reſpondit, malle ſe miſericordiam, quàm ſacrificium; veniſſe autem non juſtis, ſed peccatoribus ad ſe vocandis. Hactenus Evangelium de Mat-

(a) Vide Athanaſ. de Incarnat. Verbi. Sozomen. lib. 5. cap. 21. Cyrillum Catecheſ. 10. Auth. Oper. Imperfect. in Matth.

de Matthæo. Cùm verò in eodem Evangelio *filius Alphæi* appelletur, ideò fratrem fuiſſe Jacobi Minoris, dicti fratris Domini, à nonnullis inter Veteres (a), & à Recentioribus Græcis traditum eſt, quod ſanè ad libitum excogitatum videtur. Vide *Cleophas*, & *Alphæus*. Eodem ſimul anno; primo nempè prædicationis Jeſu Chriſti, & fide & Apoſtoli dignitate initiatus eſt; quandoque autem ſeptimus, quandoque octavus Apoſtolus appellatur.

S. Clemens Alexandrinus *Pædag. l. 2. c. 1.* perhibet, ſolis illum oleribus, & leguminibus, omni interdicto carnium uſu, victitaſſe; Perſidem, ſive regionem Parthorum, vel Caramaniam, ea ætate Parthis ſubjectam, prædicationibus & ſanguine excoluiſſe, Veteres, & Recentiores conſentiunt (b). Rufinus *l. 10. hiſt. Eccl.* Socrates *l. 1. c. 19.* Pſeudo-Abdias, aliique plures, Æthiopiam laboribus, & martyrio conſecraſſe tradunt. Heracleon Diſcipulus Valentini apud S. Clementem Alexandrinum *l. 4. Strom.* teſtatur, hunc Apoſtolum morbo, non ſanguine, è vita exceſſiſſe; quod etiam Menologium Baſilii, & Græcorum nonnulli ſenſiſſe videntur; cùm tamen ex Græcis aliqui igne abſumptum perhibeant. Hunc ignem precibus primùm extinxiſſe ſcribit Nicephorus *l. 2. c. 41.* ſed illo iterum excitato, Martyrem in pace obiiſſe. Ado, & alii Latini, Martyrium conſummaſſe dicunt, cujus hiſtoriam Pſeudo-Abdias ita deſcribit. Cùm Hirtacus Rex Æthiopiæ, frater & ſucceſſor Æglippi, unicè deperiret Iphigeniam, fratris ſui filiam, illam virginitatem ſuam Deo per votum conſecraſſe intellexit; quod proinde votum negligere nefas eſſe Apoſtolus oſtendit. Ea re incenſus in illum Rex miſſis ſatellitibus obtruncari juſſit; nec in fœminam mitior, ignem in domum illius injiciendum præcepit. Verùm flante ſubitò divinitus vento, flammæ è domo fœminæ remotæ, in Hirtaci ædes delatæ ſunt, quas ſtatim abſumpſerunt. Feſtum illius noſtra ætate apud Latinos die 21. Septembris celebratur, quibus & Martyrologium Bedæ, & Sacramentarium S. Gregorii conſentiunt. In Martyrologio S. Hieronymi, præter eam diem, dies etiam 7. Octobris, & 6. Maii, quæ illius corporis Tranſlationi in Martyrologio Romano ſacra habetur. Ex Æthiopia in Britanniam ſive in Bythiniam, primò delatum ejus Corpus, deinde Salernum in Regno Neapolitano in Italia tranſlatum (c) perhibent. Robertus Dux inſigne Templum ejus nomini conſecratum ædificavit, ubi Corpus ipſius ſub Gregorio VII. repoſitum eſt.

Nonnulli inter veteres, veluti Clemens Alexandrinus *l. 4. Strom.* & Origenes *l. 1. contra Celſum*, ſimulque ex Recentioribus aliqui (d), Matthæum à Levi filio Alphæi, de quo S. Marcus 2. 14. & Lucas 5. 27. his ducti conjecturis, diſtinguunt. I. Matthæus nunquam Levi; Levi etiam nunquam Matthæi nomine in Novo Teſtamento appellatur. II. Heracleon apud S. Clementem Alexandrinum de S. Matthæo, & de Levi, veluti de duobus viris agit; cujus opinionem improbare videtur S. Clemens, quòd illam non rejiciat. III. Origenes teſtatur, Levi publicanum à Jeſu Chriſto vocatum in numero Apoſtolorum non recenſeri, *niſi*, ait, *in quibuſdam Exemplaribus Evangelii S. Marci*. Profectò Exemplaria quædam S. Marci, inter cætera Ms. Cantuarienſe, legunt *Marci 2. 14. Jeſus vidit Jacobum filium Alphæi*; alia legunt: *vidit Matthæum publicanum*, pro eo quod in vulgatâ, & in cæteris Mſs. Græcis, itemque in impreſſis habetur; *Levi publicanus*. Grotius autumat quidem, Levi Præfectum fuiſſe Telonii, Matthæum verò miniſtrum ipſius, convivium verò non in Matthæi domo, ſed Levi inſtructum. Verùm hæ conjecturæ tanti non ſunt, ut receptam in Eccleſia opinionem frangere poſſint. Heracleonis authoritas, Origenis dubitationes, ſilentium S. Clementis, quorundam Mſs. lectio tanti ne facienda ſunt, ut contra Exemplaria omnia, tam Mſs. quàm impreſſa contra perpetuum omnium Scriptorum aſſenſum valeant? Quid? quòd Origenes ipſe in Præfatione Commentarii in Epiſtolam ad Romanos, & in Fragmento in Catena in Matthæum inſerto, communem ſententiam confirmat? Tandem Cotelerius, & Dodvellus, (e) autumant, Levi, de quo Heracleon, non eundem eſſe ac Publicanum, ſed potiùs Lebbeum, qui idem eſt, ac S. Thaddæus Apoſtolus.

Evangelium ſuum ſcripſit Matthæus, quo tempore diſceſſum è Judæa meditabatur, ut in traditam ſibi regionem contenderet; cùm enim Fideles Palæſtinæ, ut traditam ſibi doctrinam ſcripto colligeret, Apoſtolum exoraſſent, ille orantibus acquievit (f). Nonnulli inter Patres tradunt, precibus Fidelium ſuas etiam Apoſtolos addidiſſe (g). Vernaculo verò Hebræorum, qui Syrus erat, ſermone ſcriptum exaravit, inceptumque opus circa annum 41. Æræ, & 8. poſt Reſurrectionem adortus eſt, ut vetera ferè omnia Mſs. Græca in calce ejuſdem Evangelii notatum ferunt. Author Operis imperfecti in Matthæum, cui Cornelius à Lapide, & Baronius conſentiunt, occaſionem ſcribendi Evangelii primæ Fidelium diſperſioni poſt necem S. Stephani tribuit circa 3. ſive 4. annum à Reſurrectione; S. Irenæus verò eo tempore exaratum teſtatur, quo SS. Petrus & Paulus Eccleſiæ Romanæ fundamenta jaciebant circa A. Ær. 61. Veroſimiliùs tamen S. Matthæus opus ſuum ante S. Marcum, qui illud in compendium redegit circa an. 43. Chriſti, abſolverat; quare ante Æræ annum 43. Evangelium illud extitiſſe oportuit.

Originali Hebraico S. Matthæi, *Chaldaico*, ait S. Hieronymus *l. 3. adv. Pelag. c. 1. Syriaco ſermone, ſed Hebraicis literis ſcripto*, diutiùs uſi ſunt Fideles ex Judæis; quod etiam ſecum detulere, cum obſeſſa per Romanos Jeruſalem, Pellam confugiſſent. Inde hujus Exemplaria per univerſam Decapolim totamque latè regionem tranſjordanicam diffuſa ſunt, ut de Chriſtianis Hebraizantibus ſua etiam ætate tradunt S. Epiphanius *hær. 29. c. 7.* & Euſebius *l. 3. c. 2. hiſt. Eccl.* Verùm hujus Scripti apud illos depoſitum non inviolata fide ſervatum fuiſſe ex eo intelligimus, quòd plura ab ipſis, ſive ex Apoſtolis, ſive ex Diſcipulis accepta, in illo inſeruerint; quod ſuſpicionem in eum librum apud cæteros Fideles excitavit. Dein Ebionitæ ſuis fulciendis erroribus Evangelium illud etiam atque etiam interpolantes, effecerunt tandem, ut apud cæteras Eccleſias, doctrinæ depoſitum ſanctiſſimè ſervantes, atque Græcæ Verſioni ex Hebræo paulò poſt S. Matthæum adornatæ, adhærentes, prorſus contemneretur.

Origenis ætate, Evangelium Hebraicum Chriſtianorum Hebraizantium (h) nullam jam authoritatem obtinebat; & ab Euſebio inter ſuppoſititia Scripta amandatur; quod etiam ex pluribus teſtimoniis de illo apud PP. laudatis, à Græcæ Verſionis fide plurimùm diſcrepantibus, apertiſſimè colligimus. Horum locorum ſpecimen hîc exhibendum cenſuimus. Cùm Chriſtus viro illi dixiſſet: *vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*; abiiſſe dicitur in hoc Evangelio vir caput ſibi ſcalpens. Vid. apud Orig. loc. cit. Ex eodem Evangelio duas haſce ſententias laudat S. Clemens Alexandrinus *Strom. l. 2. & l. 5. Qui admiratus fuerit, regnabit; & qui regnabit, requieſcet*: & illam: *Secretum meum mihi, & omnibus domus meæ*. Origenes *in Joan. t. 2. p. 58.* loquentem Jeſum in hæc verba, ex eodem Evangelio deſumpta, inducit: *Modò accepit me mater mea S. Spiritus uno capillorum meorum, & me in montem magnum*

Thabor

(a) Chryſoſt. in Matth. hom. 33. Theodoret. in Pſ. 67. Vide Bolland. 21. Maii.
(b) Paulin carm. 26. Ambroſ. in Pſ. 40. Martyr. S. Hier. & alii.
(c) A. 954. Ubi inventum eſt A. 1080. Vide Baron. ann. 954. §. 2. & 1080. §. 43.
(d) Grot. ad Matth. 9. Vide & Clerie. ad Hammond. in Luc. 5. 27.
(e) Cotel. Not. in Conſt. Apoſt. l. 8. c. 22. Dodvel. Diſſ. 1. ad Iren.
(f) Euſ. l. 3. hiſt. Eccl. c. 24. Chryſoſt. in Matth. hom. 1. Iren. l. 3. c. 1. Hier. de Viris illuſtr.
(g) Iren. & Euſeb. (h) Orig. in Matth. hom. 8. edit. l. 11.

Thabor portavit. In Hebræo, *Ruach*, quod ſonat, *Spiritus*; vox eſt fœminina; hinc in eodem Evangelio S. Spiritus *Mater* eſſe perhibetur. Hæc etiam verba loquitur S. Spiritus, dum Chriſtus aquis baptiſmatis à Joanne ablutus eſſet. *Fili mi, ego expectabam adventum tuum in omnibus Prophetis; tu es Filius meus dilectus, qui in æternum regnas.* Illud etiam ex eodem Evangelio ſupereſt: *Et ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Joannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum, eamus, & baptizemur in eo. Dixit autem eis, quid peccavi ut vadam, & baptizer ab eo?* Vide Hier. l. 3. adv. Pelag.

Porrò Evangelium Matthæi Hebraicè ſcriptum, fraude deindè Ebionitarum, qui in fidei communione à cæteris Palæſtinæ Fidelibus deſciſcentes, plura contra Divinitatem Chriſti, & Virginitatem Mariæ effutiebant; Evangelium, inquam, illud apud Nazarenos, ſeù priſtinos Palæſtinæ Fideles diutius incorruptum ſervatum eſt. Nazarenorum nomen ætate S. Hieronymi adhuc audiebatur, quos ille viros nullius erroris Ebionitici reos arguit. *Hier. in Iſa.* 8. 9. & 29. 20. & 31. 6. Nihil illi ex Evangelio detrahere audebant; traditiones omnes Phariſæorum rejiciebant; quamquam Legis ſtudio plurimùm tenebantur. Cæterùm noſtra ætate Hebraicum Evangelium S. Matthæi nuſquam apparet; quæ enim exemplaria curantibus Sebaſtiano Munſtero, & Du Tillet excuſa ſunt, nullam obtinent authoritatem utpotè recentiora, & ex Latino, ſive Græco in Hebraicum tranſlata (a). Non deſunt tamen qui credant Evangelium Syriacum S. Matthæi; in Polyglottis impreſſum, ipſiſſimum eſſe Originale S. Evangeliſtæ; quod tamen apud accuratiores Criticos, eam Verſionem ex Græco adornatam animadvertentes, non probatur. Vide Mill. in Proleg. & noſtr. Præf. in N. T.

Verſio Græca, quæ noſtra ætate ſupereſt, atque Originalis loco habetur, jam inde ab Apoſtolorum ætate ignoti Authoris opera adornata eſt. Quòd enim alii opus illud tribuerint S. Matthæo, alii S. Jacobo Minori (b), alii S. Joanni Evangeliſtæ (c), alii S. Paulo, ſive Lucæ, ſive Barnabæ (d), id temerè prorſus aſſeruerunt. Papias apud Euſebium *hiſt. Eccl. l. 3. c.* 39. tradit paſſim omnes vertendo huic Evangelio in Græcum operam ſuam impendiſſe. Latina Verſio ex Græco ſine controverſia adornata, paulò recentior eſt, quàm Græca; quanquam de authore, ipſius tempore, & occaſione ſcribendi nihil certi poſſit afferri.

Nonnulli (e) hujuſce ætatis Scriptores ambigunt, verène S. Matthæus Hebræo ſermone, & charactere Evangelium ſuum exaraverit, Hebraico, inquam, ſermone, quali tunc temporis Judæi Palæſtinæ utebantur, Syro nempe, Hebraico, & Chaldæo admixto. Hi nimirum Scriptores Evangelium illud Græcè ſcriptum autumant, atque ea omnia, quæ de Originali Hebræo feruntur, conficta, ſive diſtorto ſenſu intellecta credunt: Origenes, S. Epiphanius, & S. Hieronymus non ſibi ſatis in ea re conſtant, quamquam enim ſcriptum illud laudant, non eam tamen authoritatem illi tribuunt, qualem debuiſſent, ſi Originale S. Matthæi crederent. Neque adeò ſegnes fuiſſent Fideles in Originali ſervando, ut prorſus intercidere paterentur. Si S. Matthæus Hebraico ſermone uſus eſſet, cur in ejus Evangelio Græca Hebræorum nominum interpretatio? Quorſum Scripturæ teſtimonia ex Septuaginta ibidem laudarentur? Græcum verò idioma vulgò tum temporis in Palæſtina, totoque Oriente, quin & in omni Romano Imperio, ac Romæ, ut conſtat ex Epiſtola S. Pauli ad Romanos, Græcè ſcripta, obtinebat. Neque enim S. Petrus, & S. Jacobus alio ſermone in ſuis Epiſtolis ad Judæos per Orientem diſperſos uſi ſunt; nec alio etiam S. Paulus in Epiſtola ad Hebræos Palæſtinæ data; eodemque cæteri Novi Teſtamenti Scriptores. Hæc illi.

Huſce tamen rationibus in promptu eſt reſponſio. I. Veterum omnium conſenſus pro adſtruenda Hebraici Evangelii S. Matthæi authoritate, plurimi ſanè faciendus, cùm Evangelium illud oculati teſtes ſpectaverint. Quorum ſi quando authoritas minùs ſibi conſtare videtur, illud intelligendum eſt, non de uno, & de eodem Evangelio illos ubique loquutos; alterum enim erat ab Hæreticis corruptum, de quo certè nullam, niſi deteriorem opinionem, habuerunt.

II. Quamvis Græcæ Linguæ uſus in aliquibus Palæſtinæ urbibus, & regionibus à Græcis frequentatis obtinere poſſet, vulgò tamen Judæi Hebraico, Syro, Chaldæo mixto ſermone uti ſolebant; quem ſanè Chriſtum etiam uſurpaſſe ex eo colligimus, quòd plura ejus verba Hebraicè prolata in Evangelio ſuperſint; eaque non præter morem à Chriſto prolata narrentur, ut eadem ſemper oratione uſum fuiſſe concludere prohibeamur. Cùm S. Paulus in Templo apprehenſus, ad populum verba facere voluiſſet, indicto ſilentio Hebraicè peroravit, quem propterea ſermonem avidiùs populus audivit. *Act.* 21. 40. & 22. 2.

III. Hebraica nomina Græcè in eodem Evangelio explicata, argumento ſunt apertiſſimo, Verſionem Græcam ex Originali Hebræo fuiſſe adornatam.

IV. Teſtimonia Scripturæ, non ex Septuaginta quidem, in eodem Evangelio laudata ſunt; ex 10. enim locis Veteris Teſtamenti in illo adductis, 7. magis ad Hebræum, quàm ad Septuaginta accedere videntur; ter tantum cum Septuaginta conſonant; ſed ideò profectò, quia Septuaginta ab Hebræo non diſcrepant. Quare S. Hieronymus *in Catal. v. Matthæo* aſſerere non dubitavit, teſtimonia Scripturæ in eodem Evangelio ex Hebræo decerpta eſſe; quamquam non illa quidem verbo ad verbum, ſed dictante tantùm memoria referuntur.

V. SS. Paulus, Petrus, & Jacobus in ſuis Epiſtolis ad Hebræos Palæſtinæ, & Orientis Græcum ſermonem uſurparunt; ergone & S. Matthæus? Poterat ille quidem eam Linguam adhibuiſſe; numquid & voluit? Negant Veteres omnes, Origenes, Euſebius, & S. Hieronymus, qui ſcriptum Originale conſuluerunt. An illud noſtra ætate interciderit, affirmare non audemus; facilè tamen ab Ebionitis corruptum, paulatim negligi cœpit, adeò ut tandem intercideret; cùm interim Græcum, quod integrum ſervatum eſt, authoritatem ſuam ratam, ſanctamque haberet.

In eo Evangelio ſcribendo S. Matthæum præ oculis habuiſſe, ait S. Auguſtinus (f), genus Regale Jeſu Chriſti, atque humanam ejus vitam inter homines actam tradere poſteritati. Nec ſanè alius Evangeliſta, ait S. Ambroſius *Præf. in Luc.* ſolertiùs geſta Jeſu Chriſti, atque diligendæ vitæ, morumque regulas ad Jeſu Chriſti mentem deſcribit. S. Petrus Damiani *Serm. de S. Matth.* autumat, S. Matthæum eundem obtinuiſſe locum apud Evangeliſtas, quem Moyſes apud Scriptores Veteris Teſtamenti; ambo enim in ſcribendo primas obtinent, alter in Veteri, alter in Novo Teſtamento. Quo tempore ad ſcribendum ſe contulit, quæſtio apud Judæos agitabatur, utrùm Chriſtus Meſſias eſſet; cui proinde veritati aſſerendæ plura congeſſit S. Matthæus; cùm prodigia ipſius Chriſti, atque Virginitatem Mariæ referens; tum veniſſe illum oſtendens, non deſtruendæ, ſed perficiendæ, atque complendæ Legi; ejus tandem miracula non Dæmoni, neque homini tribuenda eſſe, ſed Divinæ virtuti, atque miſſioni Jeſu Chriſti.

Si Evangelium iſtud cum cæteris conferatur, rerum geſtarum ſeries aliter ab illo, atque apud alios dirigitur, à capite 4. 22. uſque ad caput 14. 13. Quæ ſanè diſcrepantia Chronologos, & Interpretes torquet, aliis enim Matthæus temporum ordinem ſequutus

(a) Vide Grot. init. Comm. in Matth. Huet. de Clar. Interpp. §. 12. Mill. proleg. n. 36. (b) Pſeudo. Athan. addit. ad Synopſ. (c) Theophyl. Præf. in Matth. (d) Anaſt. Sinait. ſerm. 8. in Gen.

(e) Eraſm. in Matth. 6. 2. & 5. 22. & 8. 22. & 19. 5. Apolo. ad Stunic. Cajet. ad Matt. 1. 23. Calvin. ad Matth. 2. 6. Gemar. Diſſ. oper. 1. 3. Ligtfoot. Hor. Hebr. ad Matt. 1. 23. Fraſſen. Vittaker. Schmit. Beza ad Matth. 1. Caſaub. ad Baron. Cler. Diſſer. 3. in Concord. Evang. & alii plures. (f) Aug. de Conſen. Evang. Vide & Theophyl. procem. in Matth.

videtur, dignus proinde, quem ducem ſequantur; alii verò præpoſtere ab illo inſtitutam narrationem cenſent: faciliùs enim unus ordinem invertiſſe, quam tres, creditur: ac potiſſimùm S. Marcus, qui illum ſibi ducem in ſcribendo ſtatuens, in ea tantùm re ab ipſo deſciſcit. Sunt tamen, qui fortuitò (ſunt etiam alii, qui conſultò) S. Marcum à S. Matthæo receſſiſſe autument. Quidquid tamen ea de re ſtatuatur, illud conſtat, nihil Evangelii veritati eam diſcrepantiam nocuiſſe, cum Anthores Sacri, quid potiſſimùm ſcriberent, non quo ſcriberent ordine, ſedulo obſervarent.

Hujus Apoſtoli nomine apocrypha quædam inſcribuntur, uti *Liber Infantiæ Jeſu Chriſti*, decreto Gelaſii Papæ reprobatus (a); & alia ſcripta ab Ebionitis ſuppoſita (b), ea planè fraude, qua Evangelium Hebraicum interpolaverant. Evangelium illud laudabant Ebionitæ, Cerinthiani, aliique hæretici ſub titulo *Evangelii ſecundum Hebræos* (c); idemque fuiſſe credimus ac *Evangelium duodecim Apoſtolorum*, *Nazarenorum*, *& Evangelium ſecundum Petrum*. Ejuſdem Apoſtoli opus credunt Liturgiam Æthiopum. Pantænus Philoſophus Chriſtianus (d), cum apud Indos verſaretur, Evangelium S. Matthæi, illuc, uti ferebatur, à S. Bartholomæo delatum, invenit, authore Euſebio *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 10. detuliſſe verò Alexandriam adducit S. Hieronymus *de Vir. Illuſtr. c.* 36. & Rufinus. Exemplar Hebraicum S. Matthæi ſua ætate in Bibliotheca Cæſareæ in Palæſtina extitiſſe, idem S. Hieronymus eſt author: *Ibid. c.* 3. aliud Exemplar Evangelii S. Matthæi in ligno ſatis firmo & pretioſo, manu S. Barnabæ exarati, in Cypro, unaque corpus ejuſdem S. Barnabæ, & ſupra pectus ipſius inventum eſt (e). Liber iſte Græcè ſcriptus videtur, cum ſingulis annis Feria 5. Majoris Hebdomadæ Conſtantinopoli legeretur. Comes Joſephus tertio ſæculo exemplar Hebraicum S. Matthæi Tiberiade invenit in abdito loco, ubi Judæi Evangelium etiam S. Joannis, & Acta Apoſtolorum Hebraicè tranſlata condiderant(f).

(Scriptum a S. Matthæo Alexandriæ Evangelium autumant Mahometani; ſed Chriſtiani Orientales affirmant tantùm delatum fuiſse à S. Bartholomæo in Ægyptum Evangelium S. Matthæi, inde verò in Æthiopiam tranſmiſsum. Scribit Eutychius Patriarcha Alexandrinus, S. Joannem Evangeliſtam præter dictatum à ſe Evangelium, alterum quoque S. Matthæi ex Hebræo in Græcum tranſtuliſse.)

I. MATTHATHIAS, ſive *Mathathias*, filius Sellum è genere Core, Princeps decimæ quartæ familiæ Leviticæ. 1. *Par.* 25. 3.

II. MATTHATHIAS, filius Nebo, qui alienigenam conjugem dimittere coactus eſt. 1. *Eſdr.* 10. 43.

III. MATTHATHIAS, filius Joannis, è familia Joachib, & genere Sacerdotali, qui in perſecutione Antiochi Epiphanis duriſſima quæque glorioſè toleravit. 1. *Mach.* 2. 2. &c. Cùm enim Hieroſolymis verſaretur, dum Apollonius impia Regis juſsa detulit, ſtatim perſecutionem evitaturus, ſeu occaſionem amoris ac ſtudii ſui in Religionem, & Patriam ſpecimen exhibendi opperiens, in Modin patriam ſuam receſſit A. M. 3837. ante Chriſti 163. ante Ær. 167. Nec diù expectavit; miſſi enim Regiis juſſis urgendis viri, in eum locum venere; quorum terrore plures quidem è populo à patriis legibus deſcivere: unus Matthathias, ejuſque filii forti animo obſiſtentes, tùm ad Sacrificium omnium primus, utpote qui ea Optimatibus eſſet loci, requireretur, data voce nunquam ſe Antiocho in ea re obtemperaturum, profeſsus eſt. Vix hæc dixerat Matthathias, cum Judæus quidam, univerſo populo ſpectante, ad ſacrificandum Idolis proceſſit; cujus rei indignatione, ſimulque dolore vir fortis abreptus, in ſacrilegum irruens in ipſo Altari ſacrificia offerentem occidit. Nec mitiùs Regium Præfectum impias juſſiones urgentem excepit; ac dein everſo Altari elata voce: Quicunque, ait, ſtudio Legis tenentur, atque initum cum Deo fœdus Sanctum inviolatumque volunt, me Ducem ſequantur. Matthatiæ quinque erant filii: *Joannes*, cognomento Gaddi; *Simon*, dictus Thaſi; *Judas*, *Machabæus* appellatus; *Eleazar*, cognomento Abaron; & *Jonathas*, cognomine Apphus. Cum his filiis Vir pius in montes receſſit, atque ſub ejus ſigna dein Iſraelitæ quamplurimi convenerunt, bonis ſuis omnibus derelictis, ut à perſequutionis furore ſe ſubducentes, nihil contra Dei legem indignum efficere cogerentur. His auditis, Regiarum copiarum Præfecti Hieroſolymæ verſantes continuò contra illos moverunt; initoque conſilio, die Sabbati illos adoriri decreverunt. Stata igitur die iis impetum facientibus, Religioſi illi Viri nequid Sabbati requiem violarent, omnes impunè, otioſique trucidati ſunt. Quibus ad Matthatiam delatis, poſt ſolutas pietati fratrum lachrymas, coacto filiorum & amicorum cœtu, quid faciendum deliberarunt. Omnium ſuffragiis decreta defenſio eſt, ſiquando die Sabbati ab hoſtibus urgerentur, neque enim nefas eſſe cenſuerunt, ut ſua Religione hoſtes abutentes, impunè in ipſos baccharentur.

Igitur Aſidæi, Viri totius Iſraelis religioſiſſimi, atque ſtrenui, cæterique, qui ſtudio Legis tenebantur, ſub Matthathiæ ſigna convenientes, è quibus æquus exercitus conſtitutus, in Iſraelitas refractarios, atque à Lege prævaricatores irruere. Ea illis plures trucidati, cæteri apud exteras nationes confugere, præſidium & tutamen quæſituri. His geſtis, Matthathias totam regionem excurrens, aras omnes Numinum evertit, incircumciſos filios ritè initiavit, ac tandem abjectum, dejectumque Legis cultum reſtituit.

Demùm cum exitum vitæ imminere ſibi ſentiret Matthatias, accitos filios his verbis alloquutus eſt. Noſtra quidem ætate, filii, qua jam impietatis jura prævalent, vobis tantummodò Legis noſtræ res committuntur, vitæque veſtræ periculo fœdus inter Patres initum, ratum ac firmum ſervandum eſt. Quare in memoriam revocare vos oportet patrum veſtrorum exempla, ac fortiſſima illorum facta, ut tantorum Virorum filii contra impiorum virorum audaciam impavidum pectus objiciatis. Hac enim ad veram gloriam via patet. Simonem fratrem veſtrum, virum providum, loco patris habere vos decet, cujus verbis unicè deferatis. Judas verò Machabæus, vir ab ineunte ætate ſtrenuus, copiis præfectus res bellicas adminiſtret: cæterum moneo, ut juncto inter vos, atque cum cæteris fidelibus viris ſocietatis fœdere, nullas ſimultates, niſi tantùm contra hoſtes, admittere patiamini. His dictis, paternaque benedictione filiis donatis, diem clauſit. Cadaver ipſius luctu univerſi Iſraelis curatum, tandem in ſepulchro patrum ſuorum in urbe Modin conditum eſt. Populo unico tantum anno præfuit; nec deſunt, qui ſummum Pontificatum Judæorum egiſſe autument (g), ea ducti ratione, quod ille hoſtibus arma inferentibus obſiſtere die Sabbati permiſſum eſſe oratulò pronunciaverit. Verum ex ea definitione nihil ad intentum; nec ſanè aliud monumentum adminiſtratæ à Matthathia ſummæ dignitatis in Templo, quod tamen eo tempore violatum erat, ac Ethnicis derelictum, afferri poteſt.

(a) Mſ. Latinum hujus Libri extat in Biblioth. Regia Cod. 1697. Vide Not. Coteler in Conſtit. Apoſt. l. 6. c. 17.
(b) Epiph. hær. 30. c. 23.
(c) Orig. tract. 8. in Matth. Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 25. Hieron. in Catal. Epiph. hær. 30.
(d) Florebat Alexandriæ circa an. Ch. 184.
(e) An. 488. Theodor. lect. l. 2. Sigebert. Gemblac. ad A. 489. &c. Sur. ad 11. Junii.
(f) Epiph. hær. 30. n. 6. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ Ματθαῖον Ἑβραϊκὸν αὐτὸ &c. Non genealogiam Hebraicam, ut vult Petav. ſed genuinum opus Matthæi, nativa lingua, non è Græco verſum, ut erant Evang. Jo. & Acta.
(g) Abul. Tornel. Salian Serrar. Fuller. Genebr. Tirin. Abenez. Joſeph. Gorionid. Chronic. Hebr.

poteſt. Quid? quòd Menelaus, & Alcimus, qui eo tempore dignitatem invaluerant, nunquam alios ejuſdem poſſeſſionem obtinere tolerâſſent.

IV. MATTATHIAS, filius Simonis Machabæi, & nepos alterius Matthathiæ, de quo ſupra egimus. Hunc per inſidias una cum patre, atque altero fratre, interfecit Ptolomæus, gener Simonis, in arce Doch, ſive Dog (a).

I. MATTHIAS, qui inter Diſcipulos Salvatoris à ſuſcepto per Jeſum Baptiſmate Joannis, poſt Aſcenſionem Domini ad Apoſtoli munus adſcitus eſt. *Act.* 1. 21. 22. Nec inveriſimiliter Diſcipulum è numero Septuaginta fuiſſe perhibent, poſt S. Clementem Alexandrinum, nonnulli inter Veteres (b). Hujus geſta, & cætera, quæ ad ejus educationem pertinent, omninò latent; neque enim fabellis Abdiæ fidem ullam adjiciendam cenſemus. Poſt Aſcenſionem Domini cum Apoſtoli Jeroſolymis conveniſſent, Spiritum Sanctum opperientes *Act.* 1. 15. Petrus coactos ſimul omnes Fratres, numero 120. alloquutus eſt, oſtendens oportere virum ſeligere, qui in locum Judæ ſufficeretur; Judæ, inquam, qui juxta Davidis vaticinium è loco ſuo excidit, Domini ſui vita pretio vendita; quo ſanè pretio, criminis conſcientia adigente, Sacerdotibus reſtituto, ager comparatus eſt. Et Judas quidem, ait, commiſſi criminis pœnas luit, ipſe enim ſibi laqueo parato, diſrupto demùm ventre, effuſis viſceribus, ream animam exhalavit. Oportet igitur, addidit, ut Epiſcopatus ipſius, juxta Pſalmi prædictionem (c), ſive commiſſum ipſi munus, alteri demandetur. His à Petro dictis, Joſeph Barſabas, cognomento Juſtus, & Matthias ab univerſo cœtu ſelecti ſunt: quare poſt fuſas ad Deum preces, jactæ ſortes ſuper Matthiam ceciderunt; ſtatimque ille inter Apoſtolos cooptatus eſt (d).

Hunc Apoſtolum Colchidem luſtraſſe, ibique tandem ſpiritum egiſſe, Græci tradunt (e). Ejus vitam duodecimo ſæculo vulgavit Monachus quidam S. Matthiæ Trevirenſis ex Originali Hebræo; ſibi à Judæo communicato, atque vernaculo ſermone explicato (f); in ea verò hunc Apoſtolum in Bethleem Tribus Juda ex illuſtri genere ortum, ſanctiſſimis moribus à ſummo viro Simeone adoleſcentulum adhuc imbutum fuiſſe legimus. Poſt Pentecoſtem verò Palæſtinam illi obtigiſſe, quam univerſam prædicationibus, & miraculis obivit. Trigeſimotertio à Paſſione Domini anno, cùm Anani Junioris opera S. Jacobus Minor Jeroſolymæ ſublatus fuiſſet, ante illum S. Matthias, Galilæam tunc temporis luſtrans, adductus eſt: cumque in confeſſione Fidei firmus perſiſteret, capitali ſententia damnatus, lapidibus primum oppreſſus, dein capite obtruncatus eſt. Hæc verò hiſtoria dubiæ eſt authoritatis; nec deſunt, quibus pia fabella ad libitum conficta videatur. Ejus Sancti Reliquiæ Romæ extare creduntur; verùm inſignis Abbatia S. Matthiæ juxta Trevirim apud ſe illas ſervari, certiori, uti ferunt, fama gloriatur. Feſtum ad diem 9. Auguſti apud Græcos; ad 24. Februarii apud Latinos conſignatur.

Inſcriptum nomine S. Matthiæ ab Hæreticis Evangelium apud Patres occurrit, a quibus tamen omnibus paſſim rejectum, atque nullius eſſe in Eccleſia authoritatis traditum eſt (g). S. Clemens Alexandrinus *l.* 2. *Strom.* & *l.* 7. nonnulla laudat ex *traditionibus S. Matthiæ*. Hujus factione libros facilè Hæretici Baſilidiani, Marcionitæ, & Valentiniani, qui diſcipulos ſe hujus Apoſtoli jactitabant, conſcribere. Quæ ex traditionibus S. Matthiæ laudantur, hæc ſunt (h): *Si Electi vicinus peccaverit, peccavit Electus. Nam ſi ſe ita geſſiſſet, ut jubet Verbum, ſeu ratio, ejus vitam ita eſſet reveritus vicinus, ut non peccaſſet.* Et alibi (i): *Cùm carne quidem pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem; augere autem animam per fidem & cognitionem.*

Eodem S. Clemente authore *Strom. l.* 2. nonnulli S. Matthiam cum Zacchæo Publicano confundunt; ac ſi Zacchæum paucis ante Paſſionem diebus ad fidem converſum, *Luc.* 19. 2. 3.; Matthiam verò inter priores Diſcipulos Jeſu Chriſti extitiſſe neſciamus *Act.* 2. 21. 22.

II. MATTHIAS filius Theophili Summi Sacerdotis Judæorum, Simonis filii Boethi ſucceſſor, *an. M.* 3999. *anno ante Ch.* 5. *ante Ær.* 4., ac tandem Joazari filii Simonis prædeceſſor. Hunc Herodes Magnus amovit, ſuſpicatus illum Matthatiæ filii Sariphææ participem conſiliorum fuiſſe, in amovenda ſcilicet aquila aurea, ab eodem Rege foribus Templi ſuperpoſita (k). Idem Pontifex, referente Joſepho *Antiq. l.* 17. *c.* 8., nocte ante diem Expiationis ſolemnis pollutionem paſſus, cùm ſe propterea muneri ſuo implendo imparem eſſe ſciret, vices ſuas commiſit Joſepho filio Ellem neceſſario ſuo, qui proinde diurnum Pontificatum egit.

III. MATTHIAS, filius Anani, Summus Sacerdos Judæorum poſt Simonem Cantharum *an. M.* 4044. *Ch.* 44. *Ær.* 41. Cùm Rex Agrippa Summum Sacerdotium Jonathæ filio Anani obtuliſſet, ille imparem ſe tanto muneri, atque poſſeſſa ſemel dignitate contentum dicens fratrem Regi exhibuit (l). Quare Agrippa Matthiam fratrem ipſius Sacerdotio præfecit; cui deinde poſt annum Ælioneus Cithæi filius ſuffectus eſt, An. M. 4045.

IV. MATTHIAS, filius Theophili, Summus Sacerdos Judæorum, poſt Gamalielem *an. M.* 4068. *Ch.* 68. *Ær.* 65. Poſſeſſam triennio dignitatem Phanniæ filio Samuelis, poſtremo Judæorum Pontifici, quo regnante urbis & Templi everſio per Romanos facta eſt *An. Ch.* 73. *Ær.* 70., cedere coactus fuit. Sub eo Pontifice bellum inter Judæos & Romanos initum eſt (m); ejuſque opera accitus à populo in urbem Simon Gioræ, ut immodicæ Joannis potentiæ adverſarius opponeretur (n). Introductus Simon, poſt occupatam ſupremam in urbe dignitatem, perdendo Matthiæ animum adjecit: quare accuſatos de inita cum Romanis conſuetudine, patrem ſimul ac tres filios capite damnavit *an. ær.* 70. *Ch.* 73. *Joſeph. de Bel. l.* 5. *c.* 33.

V. MATTHIAS, Judæus, qui Macedonibus, vel Syris favens, tractandæ pro illis paci ad Judam Machabæum (o) miſſus eſt. Nomen *Matthias* velut ſyncope eſt nominis *Matthatas*, ſeu *Matthatias*; quod ſonat *donum Dei*.

MATTHUSAEL, ſive *Mathuſael* filius Maviel, & frater Lamech bigami, è genere Caïn, *Gen.* 4. 18., cujus ortus, & obitus tempus Moyſes non innuit.

MATTHUSALA, ſive *Mathuſale*, & *Mathuſalem*, filius Henoch, pater Lamech patris Noë è genere Seth (p). Diem clauſit 969 annis natus, omnium ſcilicet mortalium maximè grandævus.

S. Hieronymus tradit, quæſtionem eſſe valdè inter Eccle-

(a) 1. Mach. 16. 14. A. M. 3869. ante Ær. 135.
(b) Clem. Alex. l. 4. Strom. Beda Retract. in Act. c. 6. p. 3. Euſ. l. 1. c. 2. hiſt. Eccl. Epiph. de Chr. a. 4.
(c) Pſ. 108. 8. Καὶ τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος.
(d) De hac electione per ſortes vide noſtram Diſſert. Commentar. in Acta præfixam.
(e) Vide Bolland. 24. Febr. (f) Bolland. ibid.
(g) Orig. in Luc. hom. 1. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 21. Innoc. 1. Conc. Labb.
(h) Clem. Alex. l. 7. (i) Strom. l. 3. (k) Joſeph. Antiq. l. 17. c. 8.
(l) Antiq. l. 19. c. 9. (m) Joſeph. de Bel. l. 5. c. 33. (n) An. Chr. ſive Ær. 66.
(o) 2. Mach. 14. 19. An. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.
(p) Gen. 5. 21. &c. Natus An. M. 687. genuit Lamech. Ann. 874. obiit An. 1656. ante Ch. 2344. ante Ær. 2348. quo anno Diluvium contigit.

Eccleſiis agitatam, Mathuſalam nempe 14. poſt Diluvium annis vixiſſe, juxta Septuaginta; ſex verò annis ante Diluvium obiiſſe juxta alia Exemplaria (a). Verba Septuaginta hæc ſunt: *Et vixit Mathuſala annis centum ſexaginta ſeptem, & genuit Lamech. Et vixit Mathuſala, poſtquam genuit Lamech, annos octingentos duos* (ſive juxta alia exemplaria, 782.) *& fuerunt omnes dies Mathuſala, quos vixit, anni nongenti ſexagintanovem, & mortuus eſt.* Si igitur Lamech natus eſt anno 167. Mathuſalæ, atque 182. annis natus, nempe 315. annis ætatis Mathuſalæ, genuit Noe; ſimulque anno 600. ipſius Noe, nempe anno 955. Mathuſalæ Diluvium contigit, eundem Mathuſalam 14. annis poſt Diluvium vixiſſe oportuit.

Fatendum tamen, Exemplaria Septuaginta eo in loco corrupta eſſe, ac proinde ex Hebraico Textu corrigenda, ubi ſanè legimus, Mathuſalam 187. annis natum Lamech genuiſſe; inde verò ad alios 782. annos vitam produxiſſe. Porrò Lamech 182. annis natus, genuit Noe, cujus anno ætatis 600. Diluvium contigit. Si ergo 600. anni Noe, ac 182. Lamech, ſimulque 187. Mathuſalæ una computentur, ſumma 969. annorum conficietur, quo ætatis anno Mathuſalem obiit, atque Diluvium contigit.

Nunc 100. ſolidis annis in ſchola Henoch patris ſui inſtructum, ſapientiſſimum fuiſſe Rabbini comminiſcuntur; à quo proinde plura ſcriptis mandata, ſimulque 300. Parabolas prolatas fuiſſe fabulantur (b), Eupolemus apud Euſebium *Præpar. l. 9. c. 17.* perhibet, Angelorum miniſterio plura illum didiciſſe, quæ ad nos uſque pervenerunt. Salomon Jarchi autumat, obiiſſe illum ſeptem tantummodò ante Diluvium diebus, quò Noe ejus filius funus per hebdomadam curare poſſet; & Liber Jalkut tradit, auditam tunc è Cœlo vocem, quaſi Angeli funus lugerent.

MATRED, filia *Meſaab*, mater *Metabel*, & uxor Adar. *Gen.* 36. 39.

MAVIAEL, filius Irad, pater Mathuſael, *Gen.* 4. 18. è genere Cain.

MAUMAN. Princeps Eunuchorum, ſive Magnatum Aſſueri. *Eſt.* 1. 10.

MAUSOLEUM, vox, quæ uſurpari ſolet de ſepulchris ſplendidiſſimis Regum, ſive Principum; hinc Joſias in Mauſoleo Patrum ſuorum conditus fuit. 2. *Paral.* 35. 24. *Mauſolus* Rex Cariæ, cui uxor magnificentiſſimum ſepulchrum erexerat, hujuſce generis monumentis nomen indidit.

(Ex Mauſolo Rege Cariæ, qui obiit anno ſecundo Olympiadis centeſimæ, derivatum eſt nomen *Mauſolei* in omnia ſepulchra rari & magnifici operis. Regina Arthemiſia altè adeo doluit defunctum conjugem ſuum, ut collectos ejus cineres attritaque oſſa aquæ affuſa potaverit ſimul omnia; id intendens, ut ſi fieri poſſet, ipſa ſe exhiberet defuncti conjugis ſepulchrum. Nec diu ſupervixit; namque poſt biennium dolore extincta eſt. Antequam illa tamen è vivis migraret, conſilio perennandæ viri memoriæ inſignis operis monumentum illi erexit Halycarnaſſi, quod inter ſeptem orbis miracula reputatum eſt. Hinc nomen Mauſoleum omnibus id generis ædificiis rari ac miri operis.

Scopas, Bryaſis, & Timotheus, ac Leochares pariter, cælavere Mauſoleum. *Patet ab auſtro & ſeptemtrione ſexagenos ternos pedes, brevius eſt opus in frontibus; toto circuitu pedes quadringentos undecim gyrat. Attollitur in altitudinem 25. cubitis; cingitur columnis 36. Ab Oriente cælavit Scopas, a ſeptemtrione Bryaſis, a meridie Timotheus, ab occaſu Leochares. Priùſque quàm peragerent, Regina Arthemiſia, quæ Mariti memoriæ id opus extrui juſſerat, obiit. Non tamen receſſerunt niſi abſoluto jam, id gloriæ ipſorum artiſque monumentum judicantes, hodieque certant manus. Acceſſit & quintus Artifex. Namque ſupra pteron pyramis altitudine inferiorem æquavit 23. gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjecta 140. pedum altitudine totum opus includit.* Hæc Plinius de Mauſoleo, architecturæ miraculo, hujus hodie veſtigium nullum ſupereſt ſive Halycarnaſſi, ſive in nummis, ſive in aliis vetuſtatis monumentis.)

MAXIMINIANOPOLIS, urbs Palæſtinæ eadem ac *Adad-Remmon*, in valle Jezrael, & in agro Mageddo (c) in veteri itinerario 17. milliar. a Cæſarea, & 10. milliar. à Jezrael.

MECHARATH, patria *Epher*, viri inter Davidici exercitus fortiſſimos 1. *Paral.* 11. 36.

MECHMAS, ſive *Machmas*, urbs Benjamin. 3. *Eſdr.* 11. 31. Vide *Machmas*.

MEDABA, ſive *Medava*, urbs transjordanica in ora Meridionali Tribus Ruben, *Joſue* 13. 16. non longè ab Heſebon, authore Euſebio. Inter Moabiticas ab Iſaia 16. 2. recenſetur, quòd à Moabitis occupata fuiſſet: inter Arabicas verò ab Joſepho *Antiq. l.* 14. *c.* 2. quòd labente Judæorum Monarchia in poteſtatem Arabum devenerit. Incolæ hujus urbis Joannem Gaddis fratrem Judæ Machabæi ad Nabathæos euntem occiderunt (d). Alexander Jannæus, pulſis Arabibus, illam recepit (e). Sita erat 10. milliar. à Cariathaim, quam urbem Occidentalem habebat, authoribus Euſebio, & S. Hieronymo *in locis ad Cariathaim*; æque verò abfuiſſe à Petra, & Boara Ptolomæus teſtatur. Vide *Madaba*.

(Poſt inſignem illam injuriam illatam ab Hannone Rege Ammonitarum in Legatos Davidis 2. *Reg.* 10. 4. intellexit ſtatim Rex iſte Ammoniticus nunquam à Davide ferendum id impunè; oportere proinde omnia ad bellum diſponi. Miſſis igitur 1000. talentis in finitimas gentes, milites ex illis conſcripſit; quibus acceſſerunt & 20000. Rohob & Soba; ſicut & 10000. ex Maaca 12000. ex Iſtob; comparavit inſuper è Meſopotamia curruum militarium vim planè ingentem; ad 32000. ſupputat 1. Par. 19. 7. ſed numerus eſt adeo excedens, ut non ambigui mendoſum hinc Textum arbitremur.

Hos belli apparatus intelligens David miſit in illos Joab cùm ſelectiſſimis copiarum ſuarum. Expectandam obſidionem è re ſua eſſe non cenſuerunt Ammonitæ, ſic ut nec in aperto agro hoſtes opperiri tutum rebantur; quare diſpoſuerunt ſe in prælium juxta mœnia Urbis Medaba; auxiliares autem copias ſeorſum in agro agmen explicaverunt. Joab copias biſariam dividens partem quidem commiſit Abiſai fratri ſuo, jubens conſiſtere cum Ammonitis manus, partem quidem ipſe duxit in Syros, cæteraque externorum auxilia. Tum fratrem admonuit: *Si prævaluerint adverſum me Syri, eris mihi in adjutorium; ſi autem filii Ammon prævaluerint adverſum te, auxiliabor tibi.* Tum cœptum a Joab prælium; tantuſque Judæorum in Syros ardor fuit, ut fractis ordinibus agerent hoſtes in fugam. Effuſos Syros intelligentes Ammonitæ ipſi pariter diſſipatis ordinibus fuga ſe proripuerunt in Medabam.

* Hiſtoria ſacra miris & inſuetis fœcunda maximè in Regno Davidis, extraordinarium hic aliquid & ſingulare ponit ſub oculis. Exercitus, qui ultro ſe conſtituit medium inter duos validiores & copiarum numero robuſtiores; qui tamen exercitus nedum ex

utroque

(a) Vide Hier. Tradit. Hebr. in Gen. Aug. l. 15. c. 11. & 13. de Civ. Dei. Georgius Syncellus in Chron. autumant hunc virum prodigiosè ſervatum ab aquis Diluvii, & forte translatum fuiſſe ut Henoch ipſius pater, inde vero iterum in terris 19. annis vixiſſe. Euſeb. in Chron. vixiſſe illum tradit. 15. annis poſt Diluvium, qua tamen ratione à clade eximeretur, ſe ignoraſſe fatetur.

(b) Sgambat. Archiv. V. T. (c) Hier. ad Zach. 12. ad Oſee 1.

(d) Antiq. l. 13. c. 1. (e) ibid. c. 23.

* Animadverſiones in prælium ad Medabam, 2. *Reg.* 10. 6. *&c.* & 1. *Par.* 19. 6.

utroque latere reſiſtit utrique, ſed & ambos pariter ipſe ſimul aggreditur, abſolutamque de utroque extorquet victoriam; hæc utique rara ſunt exempla, nunquam alibi ſpectanda, ſeu in veteri, ſeu in recenti hiſtoria; quia nec ſermone unquam auditum credo factum aliud, magis rarum & ſtupendum, quàm quòd his relatum eſt. Quare meritò ſacri Scriptores dignum memoria poſterorum cenſuerunt adeo, ut literis bis traderent, ſemel quidem in ſecundo Regum, iterum verò in primo Paralipomenon, cùm de præliis Iſraelitarum in Reges Ammonitas ac Reges fœderatos.

Porrò quantum intelligimus Ammonitarum exercitus copiarum numero erat validiſſimus, quanquam Scriptura ſolos refert 32000. auxiliares cum militaribus curribus planè multis. *Qui cum veniſſent, caſtrametati ſunt è regione Medaba. Filii quoque Ammon congregati de Urbibus ſuis venerunt ad bellum.* 1. *Par.* 19. 7.

Tantum belli apparatum intelligens David eam expeditionem commiſit Joab, aſſignatis è copiis ſelectiſſimis.

Egreſſi filii Ammon direxerunt aciem juxta portam Civitatis. Reges autem qui ad auxilium ejus venerant ſeparati in agro ſteterunt 2. *Reg.* 10. 8. & 1. *Par.* 19. 9.

Joab, qui bellica virtute ſimul & ſcientia ita valebat, ut expedire ſe à re adeo difficili poſſet egregiè, ſtatuit utramque ſibi aciem formidabilem aggredi. Norat enim evitari nequaquam poſſe, quin medius ab illis exciperetur; ſed de certo prælii ſecundoque eventu ex virtute ſua, tum & robore copiarum ſibi ſpondebat.

Quo diſtribuerentur ordine tres illi exercitus nihil habet Scriptura; ſed cùm tacticen illorum probè noverimus, vix eſt, ut in hac re concipienda fallatur, quicunque ſcientiæ bellicæ expers planè non eſt. Mens tantùm advertatur deſcriptioni rei geſtæ, ſtatimque plana ſunt omnia. Adde his pariter non ſemel apud Authores ſacros explicari militarem agminis ordinem, congruentem diſciplinæ, quam cæteræ per Aſiam gentes nunquam non conſervarunt, variata tantum ordinum profunditate, quæ ſanè nihil rerum ſubſtantiæ officit. Itaque quod fallamur in aſſignanda acierum diſpoſitione, nihil eſt.

Conſtruebant Hebræi pedites in agmina ingentia in unam rectam lineam, relictis per corpora anguſtis quibuſdam intervallis, ad commodum recipiendorum ſauciatorum, ſimulque ut Ducis juſſiones deferrentur; uno verbo militabant explicantes in fronte phalangem perfectam & conſertiſſimam. Xenophon in hiſtoria Cyri lib. 6. ſcribit, pedites Crœſi ita inſtructos fuiſſe, ut tricenos in denſitate referrent. Perſuaſum habeo Judæos paria ac finitimas gentes ſervaſſe, cùm ſatis habebant virium; dum verò imbecilliores eſſent, quam ut militarem hanc diſpoſitionem tenere poſſent, inſtruebant ſe in prælium diſtributi in agmina diſcreta per columnas, quæ pluribus ſimul in locis ſuffoderent hoſtium lineam; nec id infelici ferè ſemper eventu.

Norat equidem Joab in committendo cum Ammonitis prælio infeſtos futuros ſibi à tergo Syros, in prælium tunc diſpoſitos ad baſim montis; futurum autem, ut totum circumflecterent agmen, quo medium illum obvolverent; optimam cenſuit, ſi in duas ſe lineas vel phalanges formaret, conſtitutis in centro peditibus, equitibus verò in alas diſpoſitis. Nihil quidem de equitibus in Libro Regum; ſed ſupplent Paralipomena ad *v.* 6. *Currus & equites*; & ſi nihil etiam utrinque tale legeretur, eò firmiùs id teneo, quòd magno numero equites certarent in poſtremo prælio, cùm de extrema ſorte Ammonitarum & fœderatorum Regum deciſum eſt, una vel duabus ab hinc expeditionibus. Tunc enim David 2. *Reg.* 10. 18. *Occidit de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum.* Maluerim ego vertendum, potiùs in Davidis poteſtatem veniſſe omnes illos currus, trucidatos autem aurigas; facilè enim perſuaſio induci poſſet Lectoribus, confractos à Davide atque abſumptos omnes illos currus: cùm tamen illos ſervarit quà ad uſum, quà ut victoriæ trophæa.

Sed iterum ad prælium. Aſſignant Paralipomena Ammonitis 32000. militares currus, quem numerum intolerabilem reputans D. Calmet, mendum in Textu ſuſpicatur. Ejus conjecturas promtus admitto, quin & verſor ambiguus, num reipſa 7000. ejuſmodi currus ducerentur in ſecundo prælio, quo expeditio illa confecta eſt. Multò igitur fortiùs ſuperare fidem cenſendus eſt numerus 32000. Quando enim ſingulos nonniſi duo homines aſcendiſſent, traherentque illos tantùm equorum bigæ ſingulares, referret id 64000. hominum, & equorum totidem. Quantum, rogo; terræ tractum occuparent currus iſti omnes in unam lineam diſpoſiti? Facilis eſſet ſupputatio; ſed vix induceretur in animum, frontem duorum exercituum vaſtam adeò regionem occupaſſe; explendæ enim vix ſufficerent 100000. hominum in ſex ordines diſtributi. Diu quidem militares currus retinuerunt populi Aſiæ; ſed tanto numero armaſſe quis Regum Aſſyriæ, Medorum, & Perſidis legitur unquam? Affirmat Xenophon Cyropæd. l. 1. 6. Cyrum duxiſſe in expeditione adverſum Crœſum Regem Lydiæ 300. militares currus; nec Crœſus majorem armaſſe numerum videtur, quanquam duplo validior eſſet adverſario. Inferiorem etiam numerum exhibet prælium Cyri minoris in fratrem ſuum Artaxerxem (a); ſicut exercitus Darii in Alexandrum Magnum armatus (b). Inferendum itaque ex his nunquam fieri potuiſſe Ammonitas duxiſſe in prælium tantam militarium curruum multitudinem; ac proinde vel mendum irrepſiſſe in numerali nota, vel Hebræam vocem, quæ reddita eſt currus, aliud re ipſa ſignificaſſe.

Tandem Joab fratri ſuo Abiſai commiſit alteram diviſi exercitus partem in Ammonitas ducendam; ipſe verò altera aggreſſus eſt Syros, priùs tamen fratrem illum ſuum animavit, ut fortem ſe gereret & ſtrenuum, ſpopondítque, ſi quid forte ſiniſtri contingeret, actutum accurſurum ſe; præſtaret autem paria, ſiquidem inclinare alterum agmen intelligeret. His omnibus ita diſpoſitis Joab, animo ſtrenuus & prudens miles, inſigne illud prælium aggreſſus eſt in Syros invectus, probè utique noſcens futurum, ut ſi certando illos fudiſſet, antequam Abiſai ad manus conſerendas cum Ammonitis perveniret, declinaturos Ammonitas illos ſtatim in fugam, metu ne utroſque ſimul fratres ſuſtinere cogerentur. Res ſucceſſit pro votis; fuſi ſunt fugatique Syri, quo territi eventu Ammonitæ in fugam pariter declinantes, deſertis ordinibus tumultuariò recepti ſunt in Urbem.)

MEDAD, & *Eldad*, ſive *Eldad*, & *Medad*, duorum virorum nomina, qui ſpiritu Dei repleti in populi regimine Moyſi adjutores fuerunt. *Num.* 11. 29. 30. Cùm ad recipiendum Dei Spiritum ad Tabernaculum cum cæteris non veniſſent, eodem tamen cum illis donati ſunt. Quare illicò in medio caſtrorum ipſis prophetantibus, adoleſcentulus quidam, quem Judæi Gerſom filium Moyſis credunt, rem totam ad Moyſem detulit. Joſue prohibendos cenſebat viros; ſed Moyſes, Quis mihi det, ait, ut non illi tantum, ſed populus univerſus prophetet? Fabulantur Judæi, duos illos viros eadem matre, ac Moyſes, genitos, ex Jacobed nimirum, & Elizaphan. Tradunt alii (c), Amram patrem Moyſis, repudiata Jocabed, alteram fœminam duxiſſe; ex qua Eldad, & Medad genuerit. S. Hieronymus putat, viros illos, ne ad Tabernaculum venirent, humilitatis ſpiritu, quòd indignos ſe tanto honore putarent, prohibitos.

(a) Xenoph. de Expedit. Cyri minoris lib. 5. (b) Arian. de bellis Alex.
(c) Vide Tradit. Hæbræor. 1. Paral. 4. 17.

bitos (a). Vetus quidam fabulator Librum eorum nomine inſcriptum ſuppoſuit, cujus extat apud Hermam fragmentum (b): *Prope eſt Dominus convertentibus, ſicut ſcriptum eſt in Heldam & Modad, qui vaticinati ſunt in ſolitudine populo.* Quid illi prophetaverint, inter Rabbinos non convenit; alii enim de Gog, & Magog oracula fudiſſe; alii de Coturnicibus, mox in caſtra Iſraelitarum immittendis; alii tandem de obitu Moyſis, atque electione Joſue in Ducem Iſraelis, arbitrantur.

MEDALA, urbs Tribus Zabulon. *Joſue* 15. 51.

MEDAN, alii (c) ſcribunt *Medan* idem ac Magedam, *Matth.* 15. 39. quod nomen ſonat *aqua Dan*, ſive ſons Jordanis. Porrò amnis iſte (d) originem ducit à Lacu ad radices montis Panii 120. ſtadiis à Cæſarea Philippi; hujus enim Lacus aquæ per occultos meatus propè Cæſaream delatæ, indè in amnem fluunt. Rex Agrippa exploraturus, quò Lacus hujuſce (à Græcis *Phiala* dicti, quòd patinæ, ſive phialæ ſimilitudinem referret) aquæ defluerent, ingentem paleatum vim in illas injecit, quæ ſpatio quinque leucarum emenſo, in Jordanis alveo emerſerunt.

Sunt tamen (e), qui credant, nomen *Medan*, Arabicè nundinas ſonans, loco inditum à nundinis, æſtivo tempore ibidem celebrari conſuetis, cùm loci amœnitas, atque negotiationis commodum undique populos invitaret.

MEDICINA. Hujus inventionem uni Deo tribuendam eſſe profitetur Jeſus filius Sirach. *Eccli* 38. 1. *Honora medicum propter neceſſitatem; etenim illum creavit Altiſſimus; à Deo eſt enim omnis medela.* Medici in S. Scriptura primò poſt Joſephi Patriarchæ ætatem occurrunt; ille enim Ægyptiorum Medicorum ope condiendo cadaveri Jacob patris ſui (valebant enim ad utrumque, & cadaveribus nempe, & ægrotis curandis) uſus eſt. *Geneſ.* 50. 2. Porrò medicinæ ars in Ægypto vetuſtiſſima eſt; ejuſque inventa honor Thauto, ſive Hermeti vel Oſiridi, aut Iſidi tribuitur; necnon ea inſtructum fuiſſe Moyſem, qui & arcana quoque ejuſdem artis non ignoraſſe, viri quidem docti teſtantur (f). Hinc, dicunt, plura in Lege ab illo præſcripta de lepra, fœminis menſtruatis *Levit.* 12. & 13. & 14. & 15. de animalibus putris impurisque; inde etiam aquarum Mara ſapor correctus.

Sub exordium Hebræorum, medici apud illos internorum morborum curationes neglexiſſe videntur; tractandorum tantùm vulnerum, & oſſium fracturæ, faſciis, atque, certis pharmacis adhibitis, uti reſina, balſamo, adipe, & oleo, periti. *Super contritione filiæ populi mei*, ait Jeremias 8. 21. 22. *contritus ſum, & contriſtatus: Numquid reſina non eſt in Galaad, ſivè medicus non eſt ibi? quarè igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Et 46. 11. *Aſcende in Galaad & tolle reſinam virgo filia Ægypti: fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi.* Et Ezechiel 30. 21. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi, & ecce non eſt obvolutum, ut reſtitueretur ei ſanitas, ut ligaretur pannis, & faſciaretur linteolis, ut recepto robore poſſet tenere gladium.*

Igitur pro morbis, qui intùs graſſantur, neque exterius prodeunt, uti febribus, podagra, viſcerum dolore, peſte, gravedine, nullus ſive Medicorum, ſive pharmacorum uſus occurrit. Hinc Aſa podagra laborans, 3. *Reg.* 15. 23. & 2. *Par.* 16. 12., quo nomine in Scriptura reprehenditur, quòd ad Medicorum opem confugiens, fiduciæ in Deum collocandæ veluti derogaſſe videretur. Ezechias ulcere affectus, ab inſtanti morte confecto ab Iſaia cataplaſmate liberatus fuit. 4. *Reg.* 20. 7. *Iſai.* 38. 21. Nullum etiam pro lepra pharmacum, nullum pro morbis venereis, quorum frequens nimium in Scriptura mentio *Prov.* 5. 11. Cum Job diro morbo correptus eſſet, de Medicis ne cogitatum quidem, ſed à Deo immiſſam plagam omnibus perſuaſum, eamque in pœnam criminum inflictam illius Amici pluribus oſtendere conabantur.

Rarus medicinæ uſus, & invaleſcens vulgò opinio de immiſſis Dei vindicis manu morbis, in cauſa fuit, cur Arioli, Magi, & Incantatores in morbis minùs vulgaribus conſulerentur, placandis malis Spiritibus, Deo in iis pœnis infligendis, ut ferebatur, adminiſtris; nec infrequens etiam ad Oracula Ethnicorum concurſus. Ad Prophetas etiam Domini confugiebant, ſivè impetrandæ à Deo ſanitati, ſivè futurorum diſcendis eventibus. Cùm Ochozias Rex Iſraelis è tecto domus ſuæ, inſtar ſolarii complanato, excidiſſet, ad conſulendum Beelzebub in Accaron, urbem Philiſthæorum, miſit 4. *Reg.* 1. 2. 3. De faſcino contra venenatos ſerpentum morſus hæc Jeremias 8. 17. *Ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio.* Hazael Syriæ Rex Eliſæum Prophetam de ſuo morbo conſuluit 4. *Reg.* 8. 7. ad quem etiam Naaman è Syria devenit, ſanitatem à lepra quæſiturus 4. *Reg.* 5. 5. 6. Jeſu Chriſti ætate Medici ſanè in Palæſtina non deerant, rarus tamen apud illos populorum concurſus, vel ſaltem in eorum ope fiducia nulla; quare ægroti omnes ad Jeſum, & Apoſtolos undique deferebantur.

Apud Judæorum Scriptores ſiniſtra ſatis erat Medicorum opinio (g): *Medicorum optimus*, ajunt, *infernum meretur, & laniorum juſtiſſimus, comes eſt Amalech. Medicus infertim ſua plures occidit, quos arte ſua poſſet reſtituere, miſeros plures nece permittit, quos medicamentibus levare poſſet, aliis nimirum cibum, quo opprimuntur, concedit; aliis debitam Deo fiduciam auſert, dum ſuæ arti plura pollicetur.* Tum veluti imprecantes, addunt: *Qui in Creatorem peccat, in manus Medicorum incidit.* Demùm hæc dicunt: *Medicorum optimus in inferno demergatur; ſplendidè enim vivit, nec morbum timet, neque cor ſuum coram Domino conterit, pauperumque, opem ſuam illis denegans, interficit* (h).

(Quanquam de Medicis, & de Medicina nihil habet ſatis expreſſum Moyſes ante tempora Joſephi Patriarchæ, qui Medicorum opera uſus eſt condiendo cadaveri Jacob patris ſui; non tamen inferendum inde arbitror medicinam novam eſſe artem in mundo. Adam, qui multus erat adeò in cognitione rerum naturalium, virtutis ſimplicium & ſuccorum, ſicut liquorum ac metallorum, ſibi utique non defuit, quin coleret perficeretque ſcientiam hanc ſuam, ex quo irrevocabili decreto damnatum ſe ſenſit ſubeundis morbis ac interitui. Qua ſua neceſſitate erogatus reparandi vires, valetudinem conſervandi, hac pariter inductus eſt ad requirenda naturalia remedia, adeoque ad ſcrutandam ſedulò naturam, ejuſque effectus & proprietates.

Nec oblivioni ſepulta jacuit ſcientia utilis adeò hominibus; filios enim ſuos docuit Adam, à quibus pariter cultam, & ad poſteros tranſmiſſam fuiſſe credere par eſt. Magna prædicant Veteres de ſcientia Medicinæ apud Ægyptios. Gentem illam omnes, quotquot ſunt, in Mundo, vincere peritia Medicinæ, ac totidem eſſe Medicos, quot capita affirmat Homerus Odyſ. D. quod ſanè exaggeratione ab illo dictum conſtat; ſed fatetur Herodotus lib. 2. cap. 24. frequentari ibi omnia Medicis, ut ſui peculiares eſſent ſingulis membris corporis; ſuos habere oculos, ſuos morbos dentium, ſuos capitis. Notat Diodorus l. 1. apud Gentem illam ſervari

Libros

(a) Hieron. Ep. 127. manſione 13. Ita & Hebr. tract. Sanhedr. c. 1.
(b) Hermæ l. 1. Viſione 2. c. 3. (c) Sanut. ſecr. fidel. c. 6. Brocard. deſcript. Terræ S. c. 3.
(d) Joſeph. de Bel. l. 3. c. 18.
(e) Vide Reland. Palæſt. l. 1. c. 41. Sanut. ſecr. fid. Crucis Hegaſ.
(f) Clem. Alex. l. 1. Strom. (g) Vide Buxtorf. Lexic. in Rapha mederi.
(h) Vide noſtr. Diſſert. de Hebr. medic. ad Eccleſiaſt. & v. *Morbus*.

Libros quoſdam ſacros, continentes præcepta Medicinæ in ea regione obtinentis; vetitum autem in curandis morbis à methodo illa aberrare; & ſi ea ſervata valetudo reſtitueretur, rem pro voto ſuccedere; ſin minùs, ſalva eſſe Medico omnia; dummodo præſcripta arti ſuæ tenuiſſet. Verùm ſi quid exorbitaret Medicus, extremo ſupplicio puniebatur, licèt res non ſruſtra ſucceſſiſſet ægroto.

Eruditus erat Moyſes *in omni ſapientia Ægyptiorum Act.* 7. 22. quare cum cæteris ſcientiam Medicinæ utique non neglexit, cujus rei argumentum eſt apertiſſimum, quod ille præſcribit de ratione noſcendæ atque diſcernendæ lepræ, ac illius curandæ; vel ſaltem de ſignis, quibus ſuccreſcens morbus, & quibus inveteratus, ac planè incurabilis indicaretur; quibus tandem ſuberat aliqua ſalutis ſpes. Medicinæ occultæ & myſticæ arcanum reputatur, quod ille de ligno, quo dejecto correctæ ſunt amaricantes aquæ fontis vel putei *Eccli.* 38. 4. 5.; ſicut & quæ de ſerpente æneo elevato in deſerto ad reſtituendam à morſibus anguium valetudinem *Num.* 21. 8. 9. Diſcrimen illud animantium mundorum & immundorum, vitia quibus affecti Sacerdotes à ſacro miniſterio excludebantur, & alia plurima, quæ in ejus Libris ſancita ſunt de incommodis quibuſdam marium & fœminarum, ſatis indicant arcana illum Phyſices aeri ingenio pervaſiſſe. Diſertè S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. affirmat, didiciſſe Moyſem artem medicinæ ex doctiſſimis Ægypti Profeſſoribus.

Nec mihi quidem affirmandum ſumpſerim, veteres illos Ægypti Medicos operam poſuiſſe ſuam noſcendis intimis morbis, veluti febribus aliiſque è turbata ſanguinis & humorum œconomia incommodis. Conſtat utique clariſſimos Græcorum Medicos, Chironem, Machaonem, Podalyrum, Pæonem, Æſculapium pariter, nonniſi peritos Chirurgos retuliſſe; qua enim valebant, ars id tantùm præſtabat, ut convalidaret vulnera, ut à Plinio animadverſum eſt. Notat Celſus de Podalyro & Machaone filiis Æſculapii, ad expeditionem Perſicam Regem Agamemnonem comitantibus, nunquam eorum operam adhibitam fuiſſe, ſive contra graſſantem luem, ſive contra intimos morbos; ſed tantùm vulneribus curandis.

Non eſt fortè cur perfectius aliquid de Medicina Hebræorum putemus. Salomon, qui naturæ ſecreta habebat explorata, norat ſimplicium virtutem, ſcripſerat de omnibus animantibus, avibus & piſcibus, diſſeruerat de arboribus & plantis à cedro Libani adufque hyſſopum 3. *Reg* 4. 33.; ille utique pluribus nos inſtruere poterat de Medicina, ſi Deo permittente ſcripta ejus Opera ad nos perveniſſent. Tradit Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. valuiſſe Salomonem poteſtate Dæmones pellendi, atque à morbis ab illis in homines inductis curandi, ſcripſiſſe illum præſentiſſima in morbos carmina, formulas adjurationum pellendis ex obſeſſorum corporibus ſpiritibus, prohibendiſque ne ultra regredi auderent. Addit, ætatis ſuæ Judæum quendam pharmacis hiſce uſum fuiſſe; Judæum alterum Eleazarum obſeſſos plures, ſpectante Veſpaſiano, geminis ejus filiis atque de exercitu pluribus, reſtituiſſe ſanitati.

Applicabat ille languentis naribus annulum, incluſam loco gemmæ tenentem radicem à Salomone indicatam. Simul autem exprimebat cum nomine ejus Principis præſcriptas ab illo verborum formulas. Tum ruere in terram obſeſſus, abire ſtatim Dæmon, nec regredi ultrà. Experimentum autem virtutis artiſque ſuæ exhibiturus Judæus ille, ad certum quoddam intervallum conſtitui jubebat vas aqua plenum, juſſo autem Dæmoni faceſſere è corpore, injungebat pariter ut egrediens vas illud effunderet; ſtatimque omnia.

Mentio eſt pariter apud eundem Joſephum de bel. l. 7. c. 25. de Baara, miræ virtutis radice, eoſdem producente effectus, de quibus hic; nec facilè aliam incluſam annulo geſtabat Eleazarus. Quæ tamen apud veteres Hebræos occurrunt curationum exempla aliam præferunt cauſam, quàm remedia ſuperſtitioſa. Meminit non ſemel Scriptura de carminibus in morſus anguium præſentiſſimis, de excantationibus vel ſopórandis, vel excantandis prohibendiſque ne noceant colubris. Vide Jerem. 8. 17. Job 40. 25. Pſ. 57. 5. Eccli. 12. 13. Vide & noſtram Diſſertationem de excantationibus ſerpentum Pſalmis præfixam.

His quoque moribus Græci veteres cenſebantur. Narrat de Æſculapio Pindarus Pyth. Od. 3. reſtitutam ab illo valetudinem ea omnis generis febribus, vulneribus, & doloribus, blandis recitatis carminibus, leniſque potionibus, remediis tandem quà externis, quà topicis, atque inciſionibus. Excantationibus etiam de vulnere fluentem Ulyſſis cruorem conſtitiſſe ſcribit Homerus Odyſ. T. Carmina quædam luxatis membris in priſtinum reſtituendis habes apud Catonem de Re ruſtica. Scribit Plato in Theæt. obſtetrices Athenienſes noſſe artem, qua certis quibuſdam medicaminibus & carminibus facilè procurarent promptum mulieribus partum.

Nec Hebræi minori ſive ſtudio ſive genio in ſuperſtitioſa ferebantur. Apud illos nota fuerunt ſolamini in morbos inducendo, ſeu adversùs ictus anguium, aut faſcinationes, excantamenta, carmina, artes curioſæ, Taliſmanni, phylacteria, Symphoniæ. Familiares Saulis peritum inſtrumentis canendo hominem acciverunt, ut Domini ſui agitationem Dæmonum compeſcerent. Authori Beelſebub deputabant Judæi miracula Jeſu Chriſti. Supra etiam annotatum eſt Judæum Eleazarum remedium paraſſe Energumenis, naribus oblata radice quadam, certaque verba obmurmurantem. Nidore jecoris è piſce avulſi, & prunis impoſiti Archangelus Raphael Dæmonem expulit. Ne tamen poſtremum hoc exemplum cum ſuperioribus cæteris, quæ rerum novarum ſtudium, vel ſuperſtitio à Judæis expreſſit, confundamus, Deus avertat; prodigium hic ultrò agnoſcimus, vel ſaltem fatemur; ignota quadam arte in Dæmonem Angelum egiſſe tenendum eſt.)

MEDEMENA, urbs Simeonis *Joſue* 15. 31., ad plagam meridionalem Juda (in qua olim Tribu recenſebatur) quàm proximè accedens. Euſebio ſita erat ad Gazam. Vide Iſa. 10. 31. & 1. Par. 2. 49.

MEDENA PROVINCIA. 1. *Eſdr.* 6. 2. eadem ac Media, Hebraicè *Madai*. In arce Ecbatanæ urbis Mediæ exemplar Edicti, à Cyro pro regreſſu Judæorum in patriam lati, inventum eſt.

MEDI, populi à *Madai* filio Japheti, ut vulgò creditur, derivati *Gen.* 10. 2. hinc apud Eſther, & Danielem *Madai* pro Medis, juxta receptam interpretationem uſurpatur (a). Græci nomen hujus gentis ex Medo filio Medeæ derivant (b). Sanè ſi ea, quæ de *Madai* filio Japheti in ſuo articulo diximus, vera ſunt, illum ſcilicet Macedonum authorem fuiſſe, alius Medorum pater requirendus eſt. Nec equidem facilè aſſequimur, quomodo ex filiis Japhet, *quos Inſulas gentium frequentaſſe* ſcimus *Geneſ.* 10. 5. regio Aſiæ trans Euphratem derivari potuerit; regio, inquam, adeò à regionibus cæterorum fratrum diſſita atque remota. Fatemur tamen, ex poſteris *Madai* aliquem in Mediam uſque perveniſse, ex quo regioni nomen inditum; cum Iſaiæ, ac Jeremiæ ætate, atque abductionis decem Tribuum ſub Salmanaſare *an.* M. 3283. *ante Chr.* 717. *ante Ær.* 721. Mediæ nomen audiri cœperit. Nec fortè Græcorum opinio, nomen Mediæ ex Medo filio Jaſonis, & Medeæ derivantium, à veritate diſcrepat; cum enim Medeæ raptus ad A. M. 2760. & 40. ante captam Trojam conſignetur, nihil eſt ſanè, cur nomen illud tempore captivitatis decem Tribuum uſurpari non potuerit, contigit enim ea captivitas 523. annis poſt Medeæ raptum, & Argonautarum expeditionem.

Mediæ fines non iidem ſemper; modò enim latiores, modò contractiores. Partim Mari Caſpio, partim

(a) Eſth. 1. 3. 14. 18. 19. & 10. 2. Dan. 5. 28. & 6. 9. 13. 26. & 8. 20. (b) Strabo l. 1. & l. 11.

Digitized by Google

partim montibus ejuſdem nominis, partim etiam Cadufiis ad ſeptentrionem; magna Armenia ad occidentem; Hyrcania, & Parthia ad orientem; Perſide, Suſiana, & Aſſyriæ parte ad meridiem terminatur apud Ptolomæum. Ejus regionis metropolis Ecbatana, cujus Liber Judith 1. 1. meminit; ubi etiam eandem urbem ædificaſſe, vel ſaltem innovaſſe Rex Arphaxad, quem Phraortem credimus, perhibetur. Quamquam enim Dejoces, authore Herodoto *l.* 1. illius ædificandæ opus aggreſſus eſt, veriſimiliùs tamen illius abſolvendæ curam Phraorti ſucceſſori reliquit, qui proinde in Scriptura urbis author meritò appellari potuit (a). Ad Mediam etiam *Rages* pertinebat *Tob.* 1. 16. *&* 3. 7. eæque urbes trans Euphratem, quas Salmanaſar 10. Tribubus Iſraelitarum à ſe translatis incolendas tribuit 4. *Reg.* 17. 6. *&* 18. 11.

Hos populos tanquam iræ Dei in Babylonios adminiſtros deſcribit Iſaias: *Ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, ſed ſagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum &c.* (b). Impendentia verò Medis mala Jeremias latè proſequutus, in omnes illos calicis iræ Dei fæces effundendas minitatur *c.* 25. 25. Ea fortaſsè à Cyro illata ſunt; poſt Balthaſarem namque Regem Chaldæorum Darius Medus; poſt hunc verò Cyrus, nec ſanè ſine bello, ut ex Prophetis agentibus de Medis & Babyloniis colligitur, ſucceſſit; nihil de bello innuitur in Daniele 5. 31. *&* 13. 65. apud quem hujus ſucceſſionis hiſtoria. Poſt Darium Balthaſaris ſucceſſorem, Babyloniæ Reges titulum *Regis Perſarum & Medorum*, ſivè *Medorum & Perſarum* ſibi tribuerunt.

Laterculum Chronologicum Regum Medorum.

A. M.

3294. DEJOCES electus Rex Medorum A. M. 3294. ante Chr. 706. ante Ær. 710. antè Cyri exordia 150. juxta Herodotum 37. poſt aſſertos Medos in libertatem per Arbacem A.M. 3257. ante Chr. 743. ante Ær. 747. Regnavit annis 53.

3347. PHRAORTES, filius Dejocis, Regnum adiit A. M. 3347. ante Chr. 653. ante Ær. 657. regnavit annis 22. atque in obſidione Ninives obiit.

3369. CYAXARES, filius Phraortis regnavit annis 40. ab A. M. 3369. uſque ad 3409. Cùm in obſidione Ninives occuparetur, An.M. 3370. antè Chr. 630. ante Ær. 634. Scythæ in ejus ditionem ingreſſi, 28. annis Regnum habuerunt, uſque ad A.M. 3398. ante Chr. 602. ante Ær. 606. quo tempore à Cyaxare Regnum receptum eſt. Obiit A. M. 3409. ante Chr. 591. ante Ær. 595.

3409. ASTYAGES, ejus filius, dictus Aſſuerus *Dan.* 9. 1. regnavit ab A. 3409. uſque ad 3444. ante Chr. 556. ante Ær. 560. annis nempè 35.

3444. DARIUS MEDUS, ad Regnum Medorum aſſumptus A. 3444. ad Regnum verò Chaldæorum poſt Balthaſarem nepotem ſuum A. 3448. Apud Xenophontem Cyaxares, apud Græcum Danielis 13. 65. Aſtyages appellatur. Obiit A. 3466. ante Chr. 534. ante Ær. 538. relicto Regni ſucceſſore Cyro nepote ſuo, qui duo Regna Perſarum & Medorum in unum conflavit, An. 3466. ante Ch. 534. ante Ær. 538.

MEDIA, Regio Medorum. Vide *Medi*.

MEDIATOR. Cùm inter homines mutuum fœdus, invocato Dei nomine, initur, Deus tanquam mediator, & promiſſæ obligationis teſtis, atque adſtipulator intercedit. Quare Jacob, & Laban fœdus in montibus Galaad inituri *Gen.* 31. 49... 54. Seniores Galaaditidis Jephte in Ducem ſuum electuri, ſub obteſtatione Divini nominis fidem ſuam obligarunt. *Judic.* 11. 10.

Cùm Deus Legem ſuam Hebræis daret, atque cum illis fœdus iniret in Sinai, mediator adhibendus fuit, qui mutuas utrinque referens, acciperet ab altero Legem, ab altero extorqueret aſſenſum, ſimulque receptæ jam Legi, & victimarum ſanguine, & jurejurando adſtipularetur. Munus illud Moyſes obivit, de quo proinde S. Paulus *Galat.* 3. 19.: *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt.... ordinata per Angelos in manu Mediatoris.*

In Novo tandem Fœdere Dei cum Eccleſia Chriſtiana, Jeſus Chriſtus mediationem redemptionis obivit, vadem ſe, hoſtiam, Sacerdotem, atque conciliatorem exhibens (c); quin & fœderis hujus conditiones in Evangelio deduxit, formulam propoſuit in Baptiſmo, perpetuam adſtipulationem in Sacramento Corporis & Sanguinis ſui; ac tandem ſanguine ſuo obſignavit. Iſtud mediatoris Novi Teſtamenti munus, quod Chriſtus obivit, S. Paulus *Hebr.* 4. 6. *&* 9. 15. *&* 12. 24. egregiè commendat.

Miniſtri Domini, & Sacerdotes offerendis pro populo publicis precibus, & ſacrificiis in Eccleſia Chriſtiana deſtinati, mediatoris munere, Deo litantes, funguntur; & paria nobis præſtari rogantes, piorum virorum adhuc ſuperſtitum (d), Angelorum (e), & Sanctorum orationes implorare ſolemus. 1. Machab. 10. 11. 14.

(MEDITARI. Potiſſima Juſti occupatio eſt *ut meditetur in Lege Dei die ac nocte Pſ.* 1. 2. Quæ pariter prima eſt & literalis notio verbi meditari; exprimit enim ſerio aliquid ponderare. Uſurpatur etiam de homine aliquid ſubmiſſa voce loquente; veluti cùm memoriæ aliquid mandat, ſecumque obmurmurat ea, quæ mentem ejus occupant. Job 27. 4. *Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur* (advertens mente exprimet) *mendacium*. Pſ. 34. 28. *Lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam*. Pſ. 36 30. *Os Juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium*. Prov. 8. 7. *Veritatem meditabitur guttur meum.*

Iſaias 38. 14. gemitum afflicti comparans columbæ gemitui, utrique mœrori exprimendo utitur verbo meditari: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba*. Et cap. 19. 11. *Sicut columbæ meditantes gememus*. Nec alium fermè ſenſum refert illud Virgil. Eclog. 1.

Sylveſtrem tenui muſam meditaris avena.

MEGASTHENES. Locum ſibi vindicat ſuum Megaſthenes in hoc Dictionario, quòd crebrò laudatur à Joſepho Hiſtorico, Euſebio, ſicut etiam à Strabone, Athenæo, Plinio, aliiſque ex Veteribus, quippè qui ſcriptis tradiderit vetuſtates Indicas, ſicut & plura retulerit de Imperio Babylonico, atque potentia Nabuchodonoſoris, quæ plurimùm habent affinitatis cum rebus in S. Scriptura narratis. Græcus erat Scriptor (f), & in pretio apud Seleucum Regem Syriæ, cujus nomine plura tractavit cum Sandrorotene Indorum Rege. Hanc nactus occaſionem, dum in Aula ejuſdem Principis ſubſtitit, hiſtoria ſe & moribus ejuſdem regionis inſtruxit, variaſque luſtravit Provincias, quæ deinde virum impulerunt, ut ad ſcribendam hiſtoriam illam ſe conferret. Opus integrum periit, ſola reſtant fragmenta apud Joſephum Antiq. l. 10. c. 11. in Appion. l. 1. apud Euſeb. Præpar. l. 9. Strabonem l. 15. pag. 687. &c. Annius Viterbienſis, famoſus impoſtor, natus anno 1437. vulgavit colle-

(a) Vide *Ecbatana*. (b) Iſa. 13. 17. 18. Vide & cap. 21. 2. &c.
(c) 1. Timoth. 2. 5. *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus.*
(d) Coloſſ. 4. 3. & 1. Theſſ. 5. 20. & 2. Theſſal. 3. 1. Hebr. 14 8. (e) Apoc. 8. 3. 4.
(f) Vide Voſſium de Hiſtoric. Græc. l. 1. c. 15.

collectionem veterum quorundam Authorum, quorum ipſe Scripta ſuppoſuerat, tradiditque cum cæteris Megaſthenem, quem ille Metaſthenem appellavit, quòd ita ſcriptum reperit in Verſione Latina Joſephi per Ruffinum adornata. Sed Opera illa, quæ Annio obſtetricante edita ſunt, & una cum Commentariis ab ipſo additis prodierunt in lucem, temnuntur modò ab omnibus; nec eorum authoritatem urgere quiſquam auderet.)

MEGBIS. Filii Megbis è captivitate numero 150. hominum regreſſi ſunt. 1. *Eſdr.* 2. 30. *Megbis* idem fortaſſe nomen eſt, ac Perſicum *Megbyſus.*

MEGIDDO, Vide *Maggedo.*

MEGILLAT, ſivè *Megilloth*, vox Hebræa, ſonans *volumen. Eccleſiaſtem, Cantica, Lamentationes, Ruth, Eſter*, Hebræi appellant *quinque Megilloth.*

MECPHIAS, idem vir, ac *Megbis* (a).

MEHUSIM, pater Abitob, & Elphaal 1. *Par.* 8. 11.

MEJARCON, ſivè *Me-jarcon*, urbs Tribus Dan. *Joſue* 19. 46. 36.

MEL. Apis, minima inter volucres, rem omnium dulciſſimam, ait Eccleſiaſticus 11. 3. mel ſcilicet, conficit. Inimicos acriter inſequentes apibus comparat S. Scriptura *Deut.* 1. 44. *Sicut ſolent apes perſequi*; & alibi *Pſal.* 117. 12. *circumdederunt me ſicut apes.* Deus in ſpecimen potentiæ ſuæ, unico ſibilo acciturum ſe dixit Muſcam è flumine Ægypti, & apem è regione Aſſyriorum *Iſa.* 7. 18. quibus phraſibus Reges Ægypti, & Aſſyriæ deſignantur. Porrò de cultu à Philiſthæis Muſcæ exhibito, vide *Beelſebub*, & *Muſca.*

De melle hæc cauta ſunt *Levit.* 2. 11. *nec quicquam fermenti, nec mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Cur autem prohiberetur, plures ſuppetunt cauſæ, alii, liquorem illum cum cæteris rebus in ſacrificio offerendis non congruere; panem etenim acidum efficit; deguſtatum cum aſſis carnibus non ſapit. Muſca (cujus genus ſunt apes) volucris eſt impura *Levit.* 11. 20. mel ſymbolum eſt illecebrum voluptatum; ac tandem mel in ſacrificiis offerre Ethnici conſuevere (b).

Primitias tamen mellis ſubjecta fuiſſe conſtat *Levit.* 2. 12. *primitias tantum eorum offeretis, & munera.* Neque enim primitiæ ad Altare, ſed ad Sacerdotes, in eorum victum, deferebantur. Cæterum mellis nomine non illud tantum ab apibus collectum, ſed etiam quod ex dactylis palmarum exprimitur, ipſaſque etiam dactylos Rabbini, & Dictionaria Hebræorum intelligunt; quin & primitiæ mellis, quæ offerri jubentur, nonniſi dactyli eſſe videntur, cum fructuum tantùm primitiæ perſolvi deberent.

Melle quondam abundaſſe Palæſtinam negabit nemo, qui in S. Scriptura regionem illam melle & lacte exundaſſe lectitaverit *Exod.* 3. 8. & 13. 5. & paſſim. Populum ſuum Deus introduxit in terram, cujus vel ſaxa melle, lacteque manabant, ait Moyſes (c). Mel in nemore fluebat, quod Jonathas pertranſiens virgæ extremitate captum, deguſtavit 1. *Reg.* 14. 25. &c. Neque hodie in iis regionibus rarum eſſe, ac frequenter eo condimento in dapibus eas gentes uti, teſtantur Itineraria. S. Joannes Baptiſta melle ex arborum, ſive petrarum cavis collecto veſcebatur. *Matth.* 3. 4. Eodem liquore butyro admixto alebantur infantes: *Butyrum, & mel comedet, ut ſciat*, ſive *donec ſciat, reprobare malum, & eligere bonum. Iſai.* 7. 15. Nec ſanè ante inventum ſaccharum alius ſuppetebat dulcior cibus & ſuavior; quo tamen ſi quis ingurgitaretur, facilè ſtomachi incommodum, & faſtidium contrahebat. *Prov.* 25. 16. *Mel invenisti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus evomas illud.* Queritur Deus, urbem Jeruſalem oleum, panem, & mel, annonam ab ipſo Deo acceptam, Idolis obtuliſſe *Ezech.* 16. 19.

I. MELCHA, filia Aram, ſoror Loth, uxor Nachor, neptis Abrahami, & mater Bathuelis, Hus, Buz, Camuelis, Caſed, Azan, Pheldas, Jedlaph. *Gen.* 24. 15. & 22. 20. &c. Vox hæc Reginam ſonat.

II. MELCHA, filia Salphaad. *Num.* 26. 33.

I. MELCHI, filius Janne, & pater Levi in genealogia Salvatoris. *Luc.* 3. 24.

II. MELCHI, filius Addi, & pater Neri, in eadem genealogia Salvatoris. *Luc.* 3. 28.

I. MELCHIAS, princeps quintæ inter 24. familias ſacerdotales 1. *Par.* 24. 9.

II. MELCHIAS, è genere Levitarum; filius Athanai, & pater Baaſiæ. 1. *Par.* 6. 40.

III. MELCHIAS, filius Maaſai, & pater Phaſsur. 1. *Par.* 9. 12.

IV. MELCHIAS, vir Judæus, qui ductam contra Legis præſcriptum extraneam uxorem dimiſit 1. *Eſdr.* 10. 25.

V. MELCHIAS, filius Herem, qui poſt regreſſum è captivitate Babylonica ædificandæ parti cujuſdam viæ Jeroſolymæ operam contulit 2. *Eſdr.* 3. 11.

VI. MELCHIAS, filius Rahab, Præfectus, ſivè Princeps vici Bethacaram, qui portam ſterquilinii Hieroſolymæ ædificandam curavit. 2. *Eſd.* 3. 14.

VII. MELCHIAS, filius aurificis cujuſdam, qui ædes plurimas ædificavit, nec non toti urbi faciendæ ſummoperè contulit. 2. *Eſd.* 3. 30. 31.

VIII. MELCHIAS, filius Enan, pater Achitob, & avus Judith *Judith.* 8. 1.

IX. MELCHIAS, pater Phaſsur viri potentiſſimi Jeroſolymæ, ætate Jeremiæ. *Jerem.* 21. 1.

X. MELCHIAS, filius Ammelech, cuſtos carcerum Jeroſolymæ, cujus juſſu Jeremias in ciſternam cœnoſam demiſſus, in vitæ diſcrimen veniſſet, niſi ab Eunucho Abdemelech ſtatim fuiſſet eductus. *Jerem.* 38. 6. &c.

MELCHIEL, filius Beriæ, filii Aſer, Princeps familiæ Melchielitarum ſub Moyſe *Num.* 26. 45.

MELCHIRAM, filius Regis Jechoniæ (d).

MELCHISEDECH, Rex Salem, Sacerdos Altiſſimi, de cujus parentibus, genealogia (e), ortu, & obitu ne verbum quidem in S. Scriptura, ut eo ſenſu figuram exhibeat aptiſſimam, ait S. Paulus, Jeſu Chriſti, Sacerdotis non juxta ordinem Aaronis, de cujus origine, vita, obitu conſtat, ſed juxta Melchiſedech. Cum Abraham, poſt fugatos quatuor fœderatos Reges, qui, duobus Regibus Sodomæ, & Gomorrhæ victis, domum remeabant *Gen.* 14. 17. &c. receptoque Loth nepote ſuo ab illis abducto, regrederetur, venienti ad vallem Save (exinde dictam vallem Regis) Melchiſedech occurrit, panem & vinum cum redeuntibus è bello, tum ſacrificium Domini offerens (f). Ad hæc Abrahamo fauſta è Cœlo precatus eſt; ſimulque Deo, pro victoria de hoſtibus conceſſa, benedixit. Huic Abraham, tanquam Dei ſacerdoti, receptæ ab hoſtibus prædæ decimas elargitus eſt: Hactenus de Melchiſedech Scriptura, nihilque ulteriùs de illo, niſi ſemel in Pſalmo 109. in quo Meſſias perpetuus Sacerdos juxta ordinem Melchiſedech futurus prædicitur.

Eorum, quæ de hoc viro in Veteri Teſtamento narrantur, myſterium prodens S. Paulus *Hebr.* 5. 6. 10. primò Sacerdotium æternum Jeſu-Chriſti juxta ordinem Melchiſedech commendat, qui proinde *Jeſus in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Idem Jeſus *pro nobis introivit ad interiora velaminis* (Cœlum nempè) *ſecundùm ordinem Melchiſedech Hebr.* 6. 20. *Hinc enim Melchiſedech*, addit *Hebr.* 7. 1. *& Rex Salem factus, Sacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei. Cui & decimas omnium divisit Abraham: primùm quidem, qui interpretatur Rex juſtitiæ* (hoc enim ſonat nomen Melchiſedech); *deindè autem Rex Salem, quod eſt Rex pacis; ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia: neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.*

(a) Confer. 2. Eſdr. 10. 20. cum 1. Eſdr. 2. 30. (b) Herodot. l. 1. Bochart. de anim. ſacr. p. 1. l. 4. c. 11. Vide & Ezech. 16. 18. 19. (c) Deut. 32. 13. Vide Pſal. 80. 17. (d) 1. Par. 3. 18. (e) Hebr. 7. 1. &c. (f) Clem. Alex. l. 4. Strom. Cypr. l. 2. Ep. 3. ad Cæcil. Euſeb. Demonſtr. l. 5. c. 3. Ambroſ. l. 5. Sacram. c. 1. & alii Conſule, ſi placet, Bellarm. de Miſſa l. 1. c. 6.

tuum. Intuemini autem quantus hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha . . . Sinè ulla autem contradictione quod minus eſt à majore benedicitur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem conteſtatur quia vivit. Et (ut ita dictum ſit) per Abraham & Levi, decimas accepit, decimatus (ſcilicet Levi decimas & ipſe ſolvit in perſona Abraham) *adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech.*

De hoc viro plura cùm quærunt, tum affirmant Scriptores. Urbem Salem, cui Melchiſedech præfuit, non Jeruſalem eſſe, ſed Salem juxta Scythopolim, ubi ad eam ætatem arcis ejuſdem Principis rudera extabant, S. Hieronymus *Ep. ad Evangel.* autumavit. Porrò veſtigia illa ædificii magnificentiam prodebant. Addit inſuper credere ſe, Jacob è Meſopotamia reducem, poſt tranſitum Jordanis, ad hanc urbem *Salem* propè Sichem, ut Hebræus legit, veniſſe *Geneſ.* 33. 17. cujus loco in Vulgata habetur incolumen illum Sichem perveniſſe. Non deſunt, qui credant, urbem Salem Melchiſedechi eandem eſſe ac *Salim* Evangelii, *Jo.* 3. 23. Vide Reland. *Palæſt. l.* 3. *p.* 966. *&* 833.

Sancti Epiphanii ætate fuerunt, qui parentes Melchiſedechi certis nominibus deſignarent (a). Heraclam nempe, ſive Heraclen patrem illius, matrem verò Aſtaroth, ſive Aſtariam appellantes. Catena Arabica *in Geneſ.* 9. ejus genealogiam paternam ex Sem, maternam ex Japhet derivans, Heraclam, ſive Heraclim patrem Melchiſedech, filium ſeu nepotem Phaleg, filium verò Heber facit; matrem verò, quam Salthiel appellat, filiam tradit Gomer filio Japhet. Joſephus Gorionides, Hebræus Scriptor circa undecimum Sæculum, Melchiſedecho alterum nomen, Joram nempe inducit *l.* 6. *c.* 31. ſiduſque ejus ortui præſidens, Sedech (planeta eſt Jovis) appellat; urbem tandem, cui præerat, primùm *Jebus*, dein *Sedech*, poſtea *Salem*, tandem *Jeruſalem* denominatam teſtatur.

Michael Glycas, Cedrenus, & Simon Logotheta ex Ægypto hunc Regem derivant, cui patrem tribuunt *Sidonem*, ſive *Sidam* urbis *Sidonis*, Metropolis Phœniciæ conditorem (b). Illum vero addunt, in Monte Sion urbem Salem ædificaſſe, atque poſt exactos tredecim annos in Regno, ſine liberis obiiſſe; quin & poſt annos tredecim Regni, ne ducta quidem uxore, vita exceſſiſſe tradit Suidas *in Melchiſedech*. Idem etiam Suidas teſtatur, ex genere Chananæorum maledicto Virum prodiiſſe; hinc in Scriptura ejus genealogia præteritur. Pſeudo-Athanaſius (c) tradit, hunc Regem Patrem habuiſſe Melchi Ethnicum, & matrem Salem. Cum autem, ait, Melchi Diis immolare ſtatuiſſet, ſeligendis ſeptem bobus filium miſit. Paruit ille; ſed inter eundum Divino lumine illuſtratus, vacuus ad patrem venit, cui etiam Idololatriæ vanitatem exprobravit. His dictis offenſus Melchi, filium quærendis iterùm victimis miſit; atque interim ipſe ſolemni ſacrificio filium ſuum natu majorem, alioſque plurimos mactavit. Redux Melchiſedech, cùm tantùm facinus ferre non poſſet, in montem Thabor ſe recepit, ubi ſeptennio ſubſtitit ſine indumentis, ſylveſtribuſque tantùm fructibus paſtus, rorem, quem ſuper herbas delapſum lambebat, pro potu adhibens.

Septennio elapſo, Abraham à Deo monitus, virum quæſivit; quem nactus veſtibus fovit, atque benedictionem, à Deo ita juſſus, petiit. Melchiſedech ſupplicem oleo inunxit, benedixit, nomenque Abram in Abraham commutavit. Tum Abrahamum tedeuntem toto monte comitatus eſt. Succeſſu temporis Abraham poſt cæſum exercitum Chodorlahomor, & fœderatorum, regredienti occurrit Melchiſedech, vini pateram offerens, in quam latenter panis fruſtulum injecerat; quod oblationis in noſtris Altaribus faciendæ myſterium erat. Huic hiſtoriæ nullam majorem fidem haberi volumus, quàm fabellæ: quam proinde refutare ſupervacaneum eſſet.

Auctor Quæſtionum in Vetus, & Novum Teſtamentum (d) putavit, Melchiſedechum non hominem fuiſſe, ſed Spiritum Sanctum, qui ſpecie hominis aſſumpta, Abrahamo ſe videndum obtuliſſet. Opuſculum illud Evangelius, ſive Evangelius quidam ad S. Hieronymum tranſmiſit (e), ejus de illo ſententiam rogans. Cùm igitur ea occaſione S. Hieronymus Veteres Patres conſuluiſſet, deprehendit Origenem, & Didymum in ea eſſe ſententia; ut Melchiſech Angelum crederent; verùm, ait, S. Hippolytus, Irenæus, Euſebius Cæſarienſis, & Emiſſenus; Apollinaris, Euſtathius Antiochenus diverſis quidem verbis, ſed uno ſenſu, virum Chananæum fuiſſe, & Regem Salem, alio nomine Jebus, ſive Jeruſalem ſatis conveniunt. Oſtendit inſuper S. Doctor, hunc Regem ſatis expreſſam Jeſu Chriſti figuram exhibuiſſe, utpote qui Rex Salem, ſive Rex pacis eſſet, Rex ſimul & Sacerdos; cujus quidem genealogiam, atque parentes in Scriptura, teſte S. Paulo, non indicari, non quòd ille Dei unius manu efformatus, è Cœlo dilapſus eſſet, ſed quòd in hiſtoria Abrahami illius tantum mentio fiat, ne indicata quidem ejus genealogia, atque obitus vel ortus tempore.

Theodotus Trapezita, diſcipulus Theodoti Coriarii, ineunte ſæculo tertio, hæreſim *Melchiſedechianorum* ſuſcitavit (f); qua Melchiſedech non virum eſſe, ſed cœleſtem virtutem ipſo Jeſu ſuperiorem mentiebatur; Melchiſedech enim, dicebat, mediator eſt Angelorum, hominum verò tantùm Chriſtus. Addebat eundem Chriſtum nonniſi imaginem exhibere Melchiſedechi, ejuſque Sacerdotium ad normam Melchiſedechi conformatum, juxta Pſalmi authoritatem: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quæ de hujus viri genealogia, ac parentibus apud S. Paulum leguntur, hæc ad literam intelligenda eſſe contendebat. Hiſce vero fabellis aſſerendis Melchiſedechiani libellos nonnunquam ſuppoſuerunt, quibus Canonicorum authorum nomina inſcribebant. Eandem hæreſim Hierax quidam apud Ægyptios innovans, Melchiſedechum eundem eſſe cum Sancto Spiritu venditabat. Aliud Melchiſedechianorum genus Cedrenus, & Zonaras commemorant (g), quos appellatos dicunt *Atinganos*, quaſi ſcilicet veriti, ne quid contaminarentur, alios tangere non audentes. Eorum ſedes potiſſimùm in Phrygia, errores verò præter jam recenſitos, circumciſio, & Sabbathi obſervatio. Si quid ab illis offerebatur, manu capere non audebant, quin & à quibuſlibet ex alio accipiendis abſtinebant; ſi quid enim alteri aliquid tradere, & viciſſim recipere voluiſſent, illud vel in terra deponebant; vel depoſitum capiebant. Summus apud illos Melchiſedechi cultus, cujus tamen rei gratia, ignoratur.

Judæi, authoritate S. Hieronymi *Tradit. Hebr. in Geneſ. & Ep. ad Evangel.* & Samaritæ, referente S. Epiphanio, Melchiſedechum eundem eſſe ac Patriarcham Sem filium Noe putabant, quorum opinioni noſtra ætate quamplures adſtipulantur (h). Miniſtro *Jurieu Hiſt. Crit. des Dogmes &c. l.* 2. idem eſt ac Cham. Gallo cuidam Scriptori apud Salianum *Præf. in t.* 5. *Annal.* idem eſt ac Enoch. Alter à Petavio refutatus *Theolog. Dogm. tract. de Opiſic. 6. dier. l.* 2. *c.* 4. *art.* 3. autumat, tres Magos, qui Jeſum in Bethleem adorarunt, fuiſſe Enoch, Melchiſedech, & Eliam, Judæo-

(a) Hæreſi 55. c. 2. (b) Glyc. Annal. Cedr. l. 3. Sim. Logoth. apud Cang. ad Chronic. Paſchal.
(c) Apud Athanaſ. t. 3. pag 230. nov. edit.
(d) In Append. tom. 3. Operum S. Aug. p. 106. (e) Vide in nov. edit. S. Hieron. p. 570. t. 2.
(f) Epiph. hæreſ. 55. & Theod. hæret. fab. l. 2. c. 6.
(g) Vide, ſi placet Scalig. not. ad Euſeb. & authores ab eo citatos.
(h) Vide Lyr. Abul. Cajet. Eugub. in Geneſ. 14. Rupert. in Matth. 1. Galatin de Arcan. l. 10. c. 6. Genebr. Chronic. Torniel. Annal. Moller. in Pſal. 110. Montac. Hugo Brought. & Jo. Valleſ. Suar. alii apud Thenam, & Schlegel.

Judæorum nonnulli (a) ex vitiato concubitu natum illum dictitarunt, cum ſivè de ejus genere, ſive de parentibus nihil in S. Scriptura. Damiens hæreticus Melchiſedechianus (b) Regem illum eundem eſſe Filium Dei, olim Abrahamo viſum, adoratum, atque in Meſſiam agnitum aſſerebat, cujus deinde opinio Petro Cunæo probata fuit (c), probata etiam Petro Molineo; ac tandem anno 1686. Jacobus Gaillard (d) eandem defendendam ſuſcepit (e).

MELCHISUA, tertius filius Saulis, una cum patre, ac fratribus in prælio ad Gelboe occiſus 1. *Reg.* 31. 2.

MELCHOM, Deus Ammonitarum, idem ac *Moloch*. Vide *Moloch*.

MELEA, filius Mennæ, & pater Eliachim; inter Progenitores Jeſu Chriſti *Luc.* 3. 31.

MELECH, ſecundus filius Michæ, & nepos Jonathæ filii Saulis. 1 *Paral.* 8. 35.

MELITA, inſula celeberrima in Mari Aphrico, cui olim ex mellis copia nomen inditum creditur. In longitudine, ab oriente in occidentem, in latitudine verò, à ſeptentrione in meridiem excurrit, ac 50 leucas ambitu ſuo circuit. Solo eſt petroſo, & infœcundo; fructibus tamen, & melonibus ſuaviſſimis, necnon goſſypio abundat. Ad ejus Inſulæ ſcopulos S. Paulus naufragio alliſus, ripam cum ſociis tenuit; ubi ab Incolis humaniter exceptus, excitato igne recreatus eſt. Accidit interea, ut idem Paulus ſarmentorum faſciculum igni imponeret, cujus calore concitata vipera, fortè inter ſarmenta latens, Apoſtoli manum invaſit an. Chr. 63. *Ær.* 60. *Act.* 28. 1. Nihil ea re ille conturbatus, anguem in ignem excuſſit: ſed præſentes ſiniſtrum aliquid de illo ſuſpicabantur, quippe quem evitato naufragio ultio Divina adhuc proſequeretur. Verùm ſuſpicio in admirationem converſa, cùm aliquantulum expectantes, nihil incommodi viro contigiſſe intellexerunt.

Nec minori fuit in naufragos humanitate Publius Inſulæ Præfectus; qui, toto triduo viris exceptis, mercedis loco patrem, dyſenteria & febri laborantem, impoſitione manus Apoſtoli incolumem recepit. Ejus prodigii fama in vulgus ſparſa, omnes illicò ægroti ad Paulum ducti ſunt, omneſque pari beneficio donati receſſerunt. Hinc abeuntes Paulum, & ſocios incolæ, commeatibus abundè ſuppeditatis, proſequuti ſunt. Fertur (f) ab eo tempore veneniferas belluas ſolum illud non pati, atque delatas aliunde ſtatim interficere; ibi præcipuè, ubi S. Paulus anguem habuiſſe infeſtum; in ſpecu nempè, unde tellus & petræ contra venenatos morſus præſentiſſima amuleta efferuntur. Quæ quidem virtus non inſita à natura ſoli reputanda eſt, cum ejus regionis incolæ venenato morſu Paulum occidendum expectarent; ſed omnia uni tantum Pauli in totam inſulam benedictioni accepta referri debuerunt. Cujuſdam Itinerantis teſtimonio conſtat, pueros ibidem ultrò ſcorpiones tractare. Plures ex incolis Pauli prædicationibus baptiſmo initiati ſunt (g); Publii ædes in Templum converſæ; ipſe tandem Publius primum loci Epiſcopum egit. S. Paulus 3. menſibus ibi ſem ſubſtitit.

(Melita Africæ adjungitur à Geographis, quòd ſcilicet ducta linea ab Oriente in Occidentem intra Mare Africæ continetur. Monachus quidam Ordinis SS. Trinitatis Melitæ oriundus, datis ad me literis, monuit, veterem hanc eſſe Coloniam Carthaginenſium, Africanumque vernaculum ſermonem & ſemper antehac, hodie pariter incolas retinere. Ex quo factum, ut qui cum S. Paulo venirent Græci omnes vel Latini Melitenſes illos *Barbaros* appellarent. Nunquam Romanos linguam ſuam gentibus illis adprobaſſe; hodieque pariter Arabicum ibi ſonare. In Urbe Valletta ideò obtinere italicum, quòd ibi ſedem habent Equites; ſed ruſticos ſermonem illum non percipere. Duas eſſe quidem in Civitate Græcorum Parœcias, ſed deſtinatas Græcis illis, qui unà cum Equitibus Rhodo migrarunt, atque illorum fortunam, Melitam venientes, ſequuti ſunt. Inſulam illam, varias licèt expertam vices, conſtanti ſemper fide retinuiſſe integram aſſertamque Religionem Catholicam, jam inde à S. Paulo acceptam, & ad poſteros tranſmiſſam.

Nunciavit inſuper ſocium, quò S. Paulus naufragio depulſus eſt ad litua, linguam eſſe terræ, quam mare utrinque alluit, ſitam ad ſeptentrionem Inſulæ, & ad occidentem ejus extenſionis, appellatam eandè ſemper portum S. Pauli. Vulgata Inſulæ traditione teneri, Apoſtolum reipſa viperæ ictu petitum fuiſſe; quem anguem dum excuteret in ignem, maledicta ſimul pronunciaſſe in viperas omnes ejus regionis, nec unquam poſthac viperas venenatas regionem infeſtaſſe; nec enim hodie pariter deeſſe viperas, ſed venenatas eſſe planè nullas. Rei tentandæ aliquæ Melitenſes viperæ devectæ ſunt in Siciliam, ſtatimque dum ſolum Inſulæ attingerent, avitum venenum receperunt, tranſlatæ iterum Melitam iterum innoxiæ.

Addit pariter, nunquam non occurrere viperas cæteroſque Serpentes in lapidem converſas in Inſula Melitæ, quemadmodum & id generis offerrè ſe linguas, oculos, & viſcera anguium, quorum præſentiſſimum eſt amuletum in ictus venenatorum animalium, nequid noceant geſtantibus apud ſe ex illis aliquid. Si qui verò iis caruerint, & morſu anguis venerint in diſcrimen, ſanitatem putant cum aqua raſuris boli illius vel marmoris è ſpecu, ubi S. Paulus ſeſe continuit, medicata; nec vis eſt illa tribuenda benignitati climatis ejus regionis, antequam enim eò appuliſſet S. Paulus, Melitenſes angues venenato morſu nocebant ſicut, ubique alibi.)

MELLO, nomen Hebræum ſonans *repletum*, ſuſſitum valli profundiſſimi, inter veterem urbem Jebus, ſive Jeruſalem, & novam à Davide in monte Sion ædificatam jacenti. Hanc aggeſta humo replendam curarunt David, & Salomon (h), ut in plateam cogendis populis complanaretur. Ejus partem conſtruendo palatio uxori ſuæ filiæ Pharaonis Salomon aſſignavit 3. *Reg.* 9. 24. Occaſione eorundem operum Jeroboam filius Nabat à Salomone deſciſcens 3. *Reg.* 11. 27. *&c.* ſeditionis igniculos in fratres ſuos, viros Ephraim, immiſit, quæ poſt obitum Salomonis erupit.

MELLO, urbs propè Sichem, cujus incolæ unà cum Sichimitis Abimelechum filium Gedeonis in Regem ſalutarunt *Judic.* 9. 6. Hebræum pro urbe Mello legit *Domum Mello*, quare ſunt qui credant, Mello nomen eſſe vici Sichimitæ, ſive vici urbis Sichem. Nec ſanè alia in Palæſtina urbs ejuſdem nominis occurrit.

MELLOTHI, filius Hemani, Princeps decimæ familiæ inter 44. Leviticas 1. *Paral.* 25. 4. 26.

MELLUS, vir Iſraelita, qui ductam alienigenam fœminam poſt regreſſum è captivitate Babylonica dimiſit 1. *Eſdr.* 10. 29.

MELOTES, vox Græca, vellus ovis ſignificans, quo pro veſte utebantur Prophetæ, veteres Monachi, & egeni in variis Orientis regionibus; quo ſanè ſpectat illud S. Pauli *Hebr.* 11. 37. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis*. Hujus vocis etymon ex *melon*, ovis, derivatur; nec raro pro quocumque veſtis pelliceæ, & piloſæ genere uſurpatur; ac potiſſimùm de vellere caprarum, quo pro veſtibus Ægyptii Monachi utebantur (i).

MELOTHI, urbs Ciliciæ ab Holoferne occupata *Judith.* 2. 13., eadem fortaſſe ac *Mallos* in Cilicia ad Pyramum. *Mallotæ* ab Antiocho Epiphane dominio unius ex Regis concubinis ſubjecti, rei indignitate commoti,

(a) Vide apud Selden. curis ſecundis ad ſect. 1. de decimis. (b) Epiph. hæreſ. 55. (c) De rep. Hebr. l. 3. c. 3.
(d) Vide Acta Erudit. Lipſ. An. 1686. p. 150. (e) Vide etiam Diſſert. noſtram de hoc argum. in 2. tom. Comment. in Ep. S. Pauli ante Ep. ad Hebr. & Diſſer. Schleg. in Calce Comment. Lud. Tena in Ep. ad Hebr.
(f) Quintin. Ædu. Baron. an. 58. Frumond. & alii. (g) Vide Chryſoſt. hom. 54. in Acta.
(h) 3. Reg. 9. 15. & 2. Reg. 5. 9. & 1. Par. 11. 8. (i) Caſſian. de hab. Monach. c. 11.

à Rege deſciverunt 1. Mach. 4. 30. Cæterum de *Melothi* nihil in Texto Græco Judith.

MEMMIUS. *Q. Memmius*, *& T. Manilius* Legati Romanorum ad Antiochum Eupatorem Syriæ Regem, qui ſcriptis ad Judæos epiſtolis 2. *Mach.* 11. 34. *&c.*, omnia, quæ Lyſias Syriæ adminiſtrator conceſſerat, rata habuerunt; mandantes inſuper, ut mitterent quantocyus Antiochiam viros ad tractanda ea, quæ è re toti Nationi fuiſſent.

MEMNON. Memnonis ſepulchrum (a) extare circa amnem Beleum, arenâ in vitrum liquabili celebrem, Joſephus *de Bel. l.* 2. *c.* 9. eſt author. Nec tamen ad quem virum iſta referenda ſint, ſatis intelligimus, cùm celebre illud Memnonis ſimulachrum, quod orientem Solem grato quodam ſono, uti ferunt, ſalutabat, Thebis in ſuperiori Ægypto, non in Palæſtina erectum conſtet. Alterum verò Memnonem filium Tithoni, & Auroræ in Trojæ obſidione Achilles interfecit. Fortaſsè igitur is, cujus ad Beleum ſepulchrum viſebatur, unus ex viris hujus nominis celeberrimis erat.

MEMORIA. Præcepit Deus, ne præceptorum ſuorum memoria unquam è mente excidat; & deleturum ſe *memoriam Amalech Exod.* 17. 14. penitus ſcilicet deſtructurum populum illum minitatur. Nec alio ſenſu memoriam impiorum exterminaturum ſe *Pſal.* 33. 16.; atque effeciſſe, ut eorum memoria cum ſonitu, ſive palam, omnibus ultionem animadvertentibus, periret *Pſal.* 9. 7. Memoriam tandem juſtorum in benedictionem æternam futuram pollicetur.

MEMPHIS, Hebraicè *Noph*, ſivè *Moph*, urbs clariſſima Ægypti, 1500. paſſibus ſupra locum, unde Nilus aquarum divortio Deltam exorditur (b). Supra hanc urbem ad meridiem, erectæ Pyramides ex celeberrimæ ſpectabantur, quarum duæ inter totius urbis mirabilia recenſebantur. Veteres Ægypti Reges olim ibidem ſedem Regni habuerunt, uſque ad Ptolomæi ætatem, qui decus illud Alexandriam transtulit. Porrò Memphis hodie penitus everſa eſt. De illa plura apud Prophetas (c), qui impendentia in illam mala per Reges Chaldæorum & Perſarum, pluribus exaggerarunt. Minitantur inſuper exterminium Iſraelitis, in Ægyptum confugientibus, ſive ab Ægyptiis ſuppetias requirentibus. Idola Memphеos ſe deſtructurum Dominus apud Ezechielem prædicit. In ea urbe, bos Apis alebatur à Cambyſe poſtea mactatus.

(Hanc Urbem appellant Orientale *Meſre* vel *Miſre* tanquam Ægypti Metropolim, alio nomine *Meser* vel *Misraim*; appellant pariter *Menf*, quod ſatis accedit ad Hebræum *Mof*, vel *Noph*, unde à Græcis formatum *Memphis*. Veteres Ægypti Reges ornandæ illi certarunt. Gloriam ſuam retinuit, quouſque Arabes ſub Califa Omar Ægyptum ſubegerunt anno 18. vel 19. Hegiræ. Amron Ben-as illa expugnata proximam alteram Urbem condidit appellatam *Foſtbat*(d), quòd Ducis illius tentorium diu ibi erectum manſit. Alteram addiderunt Urbem Califæ Fatimitæ, qui Ægyptum occuparunt, appellatam *Caherah*, i. e. victoriolam, quam nos hodie nomine Magni Cairi diſtinguimus.

Sultani Mammelus è Dynaſtia Circaſſiorum poſt hæc, caſtro quodam prælato ac benè munito ad ripam Orientalis Nili conſtructo, effecerunt, ut ſenſim Urbs Cairi in novum illum locum concederet; quæ verò relicta eſt Urbs opus Fatimitarum, nunc vetus Cairus appellatur. Animadvertiſſe igitur opus eſt priſcam *Meſre* vel *Memphim* jacuiſſe ad ripam Occidentalem Nili; Arabum verò ædificia omnia ſucceſſu temporis conſtructa Occidentalem plagam occupare.

Ita ſenſim & ſæculorum tractu impleta eſt fides oraculorum Propheticorum in Urbem Memphim *Iſaia* 19. 11. 12. &c.; *Stulti Principes Taneos, ſapientes Conſiliarii Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius Sapientium ego, filius Regum antiquorum? Ubi nunc ſunt ſapientes tui? annuntient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper Ægyptum. Stulti facti ſunt Principes Taneos, emarcuerunt Principes Memphеos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus. Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecit Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens; & non erit Ægypto opus quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrenantem* (jura dantem & recipientem ambos turbari continget). *In die illa erit Ægyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt, & timebunt à facie commotionis Domini exercituum, quam ipſe movebit ſuper eam. Et erit terra Juda Ægypto in pavorem.* Inſinuata hiſce credimus tempora belli Sennacheribi in Ægyptum, & quæ ſubſequutæ ſunt vices atque diviſiones poſt obitum Sethonis Regis Ægypti. Vide Commentarium ad Iſai. 19.

Apertiùs etiam hæc omnia mala Ægypti à Nabuchodonoſore inferenda exponit Jeremias 43. & 44. & 45. 46. *Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum; & ponam thronum ejus ſuper lapides iſtos, quos abſcondi, & ſtatuet ſolium ſuum ſuper eos. Veniensque percutiet terram Ægypti, quos in mortem, in mortem, & quos in captivitatem, in captivitatem, & quos in gladium, in gladium. Et ſuccendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos..... Et conteret ſtatuas* (vel columnas ſeu obeliſcos) *domus ſolis*, facilè Memphis erectæ. Mala ſunt hæc omnia, quæ luxit Ægyptus ſub Pharaone Ephræo, Rege Ægypti, à Nabuchodonoſore vita ſimul & copiis cauto. *Vaſa tranſmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti, quia Memphis in ſolitudinem erit, & deſeretur, & inhabitabilis erit.*

Fuſiùs adhuc Ezechiel proſequitur ærumnas illas Ægypti authore eodem Principe. Aſſerit traditam eſſe illam regionem à Domino manibus Nabuchodonoſoris, præſtiti ſibi ſervitii in obſidione Tyri mercedem *Ezec.* 29. 18. & 30. 13. 14. De urbe Memphеos hæc habes potiſſimùm: *Diſperdam ſimulacra, & ceſſare faciam Idola de Memphis, & dux de terra Ægypti non erit amplius, & dabo terrorem in terra Ægypti. Et Alexandria* (Hebr. No-Ammon) *erit diſſipata, & in Memphis anguſtiæ quotidianæ.*

Diu poſt caſus iſtos (A. M. 3478. ante Ch. 522.) Rex Perſidis Cambyſes, filius Cyri, Ægyptum ſubegit, & poſt redactum in poteſtatem Peluſium, quæ Urbs perinde habebatur ac regionis illius clavis (e), obvium habuit Pſammeticum Regem Ægypti, qui valido inſtructus exercitu, rebus ſuis repetundis veniebat. Cambyſes adverſarium fudit, & ex clade reliquiæ receperunt ſe Memphim, quò victor fugientes inſequutus eſt; tum per Nilum Mitylenis navigium tranſmiſit ad Urbem, deditionem indicens. Furore ſuccenſi Ægyptii arreptum caduceatorem & navigium utrumque diſcerpſerunt. Sed malo illi ſuo, nam Perſa in Urbem evadens totidem ex Optimatibus popoſcit ad ſupplicium, quot in navigio Mitylenæo nautæ perempti ſunt. In hanc miſerorum claſſem relatus eſt filius natu major Regis Pſammetici; Regem verò ſervandum cenſuit Cambyſes, & honeſto donavit proventu, quo tamen ille diu frui prohibitus eſt. Namque ſubodorantes Perſæ turbas in Regno moliri, illum coegerunt ſtatim ut potu taurini ſanguinis lethum ſibi conſciſceret.

Perſarum imperio paruit Ægyptus aduſque regnum Artaxerſis (f); tunc excuſſo jugo Regem ſibi extulerunt Ægyptii Inarum Libyorum Principem. Athenienſes in auxilium vocati, Chamaritis belli Dux electus eſt, & Artaxerſes fratrem ſuum Achemenidem redigendis in obſequium perduellibus cum 300000. miſit. Siniſter belli eventus Perſis, è quibus uno prælio cæſi ad 100000. reliqui Memphim profugerunt. Inſtarunt fugientibus victores, primoque impetu Urbis duas partes occuparunt; ſed Perſæ tertiam munientes majorem cæteris & validiorem, appellatam *Murum album*, obſidionem triennalem ita ſuſtinuerunt, ut ſubmiſſis tandem auxiliis liberarentur à metu.

Ale-

(a) Vide *Beleus ſive Cendevia*. (b) Plin. l. 5. c. 9. 9. Vide Strab. lib. 17.
(c) Vide Iſai. 19. 13. Jerem. 44. 1. & 46. 14. 19. Oſee 9. 6. Ezech. 30. 16. (d) D'Herbelot Bibliot. Orient. 580. col. 1.
(e) Herod. lib. 3. (f) Thucid. lib. 1. Cteſ. Diodor. l. 11. A. M. 3550.

Alexander Magnus erepto è Perſis Ægypto, Urbem ibi Alexandriam condidit, quam una ſimul cura Reges Ægypti ſucceſſores, novis ædificiis atque ornamentis augentes, totius regionis Metropolim conſtituerunt. Tunc Mempheos omnis gloria cecidit, & poſt plures vices tandem everſoribus Arabibus ceſſit, uti ſupra narravimus.

MEMRA. Occurrit ſæpè vox in Paraphraſibus Chaldaicis Librorum Moyſis; exprimit autem *Verbum*, reputanturque Scriptores illi inſinuare voce illa voluiſſe Filium Dei, ſecundam in Trinitate Perſonam; quod eorum teſtimonium eò majoris ponderis reputandum eſt, quòd vixerint ſive Chriſto ſuperiores, ſive coævi, ac proinde aſſertores ſint irrefragabiles opinionis gentis ſuæ. Eſt enim eorum *Turgam* vel explicatio, eſt, inquam hodie, ſicut & ſemper fuit, in pretio apud Judæos. In Textibus pleriſque referentibus nomen ſacrum *Jehovah*, Paraphraſtes ſubſtituerunt Memra, quod eſt *Verbum*; differt autem à *Pitgama*, Chaldaicè exprimente ſermocinationem, & cùm *Memra* tribuerint dotes omnes divinitatis, illatum eſt inde de Verbi Divinitate rectè illos ſenſiſſe.

Eſt equidem *Memra*, qui mundum creavit, qui ſpectandum ſe præbuit Abraham in agro Mambre, & Jacob in vertice Bethel; juravitque idem Jacob per *Memra*, dum fœdus obſtrictum eſt cum Labano: *Intueatur Verbum inter nos*. Idem hoc Verbum per viſum apparens Moyſi in Monte Sinai Legem tulit Iſraelitis; quod facie ad faciem cum Legiſlatore illo miſcuit ſermonem; quod ducem itineris ſe præbuit populo; quod victoriam illi contulit; quod tandem ignem ſe præbuit ultorem & devorantem è Lege Dei refractarios. Characteres illi omnes, quibus nomen *Memra* adjungitur a Paraphraſte, ſatis inſinuant, Numen omnia poteos. Eſt igitur Verbum hoc Deus, & hæc tandem obtinebat inter Hebræos ſententia tempore Scripti Targum.

Porrò *Memra* reſpondet *Cachema* vel Sapientiæ, de qua Salomon in Proverbiis 3. 19. 20. & 8. 11. 12. &c. & Jeſus filius Sirach in Eccleſiaſtico 1. 2. 3. Reſpondet & illi Sapientiæ 18. 15 *Omnipotens ſermo tuus*; tum & alteri 16. 26. *Ut ſcirent filii tui quoniam non nativitatis fructus* (fructus à natura dati) *paſcunt homines, ſed ſermo tuus, hos, qui in te crediderint, conſervat*. Ipſum eſt tandem *Logos*, de quo Philo de Opit c. 3. Allegor. 11. pag. 76. Lib. Quod Deus ſit pag. 248. & Lib. Quis rerum divinarum hæres, recurritque idem *Logos* in Evangelio S. Joannis ejuſdemque myſterium ab Evangeliſta divinitùs panditur.

Negotium hæc omnia faciunt negantibus Verbi Divinitatem. Authoritatem Targum elaturus Grotius contendit, Deum produxiſſe, juxta opinionem Judæorum, aliud quid à ſe ſecundarium, quo uſus eſt inſtrumento in creando Univerſo. Sed hoc ipſum quodcunque ſit, neceſſariò Deus eſt; nemo enim a Deo alienus tanta pollet virtute, quanta apud Targum valet *Memra*.

D. Clericus ſcribens in Caput primum S. Joannis paria fermè urget, defendens Logos illud Philonis Verbum eſſe quidem; ſed non tanquam diſtinctam perſonam reſpicere, perinde enim eſſe apud Judæum ac Angelum & principium quoddam Divinitate inferius. Sed quando minus exacti aliquid excidiſſet interdum Philoni de Verbo, nempe de argumento adeò ſublimi & abdito, id utique monſtri loco ducendum non eſſet, nec crimen in Verbum ipſum refundere oporteret. Sed adeant illi S. Joannem, animadvertantque, an Evangeliſta melius, quàm Philo de Verbi natura inſtructus luculentiora de ipſo tradiderit; animadvertant, num ſatis inhæreant iis, quæ docet Divinus ille Scriptor, ore ipſo Jeſu Chriſti inſtructus, ac Spiritu ejus afflatus. Vide Dictionarium v. *Verbum*.

MENDACIUM. *Mentiri*. *Mendax*. Infudit Deus

ſpiritum mendacii in os omnium Pſeudoprophetarum 3. Reg. 22. 23. permittens ſcilicet, ut mali ſpiritus, quo afflati erant, ſequerentur inſtinctum. *Ne deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii*. Prov. 23. 3. Vel juxta Hebræum præterentem cibum, quem aliquis deguſtat in menſa Principis: Ne deſideres ejus convivia, *eſt enim panis mendacii*, ſapit quidem, ſed non nutrit; panis eſt mendax, aſpectu fallens. Et Prov. 20. 17. panis mendacii eſt panis per injuriam collectus: *Suavis eſt homini panis mendacii, & poſtea implebitur os ejus calculo*. Iſaiæ 28. 15. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram*, i. e. fiduciam noſtram collocavimus in fœderatis deceptoribus, ſeu in promiſſionibus fallacibus Pſeudoprophetarum, vel tandem in ope Idolorum, quæ vos appellatis nomine vanitatis & mendacii. Proſequitur deinde: *Subvertet grando ſpem mendacii*; vanas ſcilicet ſpes illas, de quibus ſupra. Et Iſaiæ 44. 20. *Non recogitat Idololatrus in mente ſua, neque dicet: Fortè mendacium eſt in dextra mea*; fortè verſor in errore, proſternens me coram Idola lignea. Jeremias 8. 8. *Verè mendacium operatus eſt ſtilus mendax Scribarum*; i. e nonniſi mendacium ſcripſit. Appromiſerunt vobis pacem, & bellum experimini, vanæ ſunt eorum promiſſiones omnes & fallaces. Et cap. 15. 18. *Facta eſt plaga mea quaſi mendacium aquarum infidelium*. Sunt aquæ infideles, quæ non fluunt perpetuo amne; in eo enim decipiunt, quòd interdum per annum deficiunt. Meus iſte dolor, ait Propheta, qui tandem ceſſare debuiſſet, tanquam aquæ ceſſantes æſtate, perſeverat, & in dies augetur.

Mendaces colles Jerem. 3. 23. ſunt aſpectu quidem jucundi, ſed fructu vacui. Oſee 9. 2. *Vinum mentietur eis*; vindemia deficiet. Habacuc 3. 17. *Mentietur opus olivæ*, deerunt olivarum fructus. Paria apud Latinos obſerves. Horatius Epiſt. lib. 1. *Spem mentita ſeges*.

Mentiri eſt jugum excutere: *Filii alieni mentiti ſunt mihi Pſal.* 17. 46. Pſal. 65. 3. *Mentientur tibi inimici tui*. Pſal. 80. 16. *Inimici Domini mentiti ſunt ei*: fidei defuerunt.

MENDACIUM, crimen eſt in Veteri & Novo Teſtamento damnatum (a). Chriſtus enim Diſcipulos ſuos ita ad ingenuitatem, & ſimplicitatem informavit, ut eorum verbis tanquam jurato credi voluerit; Hinc ait: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*. Matth. 5. 37. *Jacobi* 5. 12. Fruſtra proinde quis mendacium quorundam virorum, quorum in Scriptura honorifica eſt mentio, defendere conaretur. Non enim in eadem Scriptura illorum mendacium, ſed amor proximorum, atque probitas commendatur; quæ enim in ſe mala ſunt, nunquam bona fiunt. Cùm Abraham Saram hortatus eſt, ut ſe non conjugem, ſed ſororem diceret; cùm Iſaac idem a Rebecca requiſivit; cùm Jacob mendacio benedictionem patris à fratre in ſe derivavit; cùm nutrices Ægyptiæ officioſo mendacio dicerent, Hebræas mulieres alienigenarum operam non quærere, dum partum emittebant; cùm Hebræi ex Ægypto digreſſuri, commodari ſibi poſtularent ea, quæ reddere non cogitabant; hi omnes nullam ex mendacio laudem referre debent; quamquam, ſi finis, mens, atque ratio rei gerendæ ſpectetur, crimen multò tolerabilius efficitur. Cæterùm mendacium damnamus, non ſtratagemata, hyperbolas, jocos, quin & verba quædam, more & conſuetudine omnium populorum uſurpata. Vide S. Aug de Mend.

MENDICARE, *Mendicus*. Moyſes populum hortaturus ad præſtandam indigentibus opem *Deut.* 15. 4. 7. *Et omnino indigens & mendicus*, ait, *non erit inter vos; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem*; & infra: *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas Civitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum*,

 nec

(a Vide Exod. 23. 1. 7. Levit. 19. 11. Prov. 12. 22. & 13. 5. & 9. 21. Sap. 1. 11. Eccli. 7. 13. & 20. 20. & 25. 23. Oſee 1. 4. Act. 5. 4. Epheſ. 4. 25. Jacob. 5. 12.

nec contrahes manum. Textus Hebræus hanc vocem, *Mendicus*, non legit; atque illud planè conſtat, apud Judæos, ut & apud alias gentes indigentes, & mendicos non defuiſſe. Quid? quod Deus ipſe ibidem dixerit *Deut.* 15. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis veſtræ.* Nonne & ex ipſo Evangelio intelligimus, plures Jeroſolymis, aliiſque in regionibus mendicos occurriſſe? Vide *Marc.* 10. 46. *Luc.* 18. 35. *Jo.* 9. 8. *Luc.* 16. 20. Quo in numero & Lazarus & cæcus ille, cui Jeſus viſum reſtituit, aliique eodem morbo laborantes recenſendi ſunt. Quare illius ſententiæ verba ita intelligenda ſunt, quaſi ſcilicet Deus adeò largis benedictionibus Hebræorum agros cumulaturus eſſet ſingulis ſextis annis, ut quamvis anno Sabbatico à meſſe ceſſaretur, futurum tamen, ut indigentiæ incommoda non ſentirent, dummodo Divinis præceptis morem geſſiſſent; ſive iiſdem verbis miſericordiam in pauperes, & charitatem commendat, ut ſi fieri poſſet, nec pauperes eſſe pateretur. Quam diſciplinam Judæi adhuc exactiſſimè ſervant, præcaventes pro viribus, ne illorum quis mendicare cogatur; hinc publicas, & privatas eleemoſynas, atque collectas ad hanc rem efficiunt; & rari ſunt, qui inter Judæos etiamſi frequentiſſimi in loco degant, mendicare videantur. (a).

Sunt qui crediderint, Jeſum Chriſtum, & Apoſtolos victum emendicare coactos fuiſſe. Ældredus Abbas Rievallis Ordinis Ciſtercienſis in Anglia, qui ſæculo duodecimo florebat, in quodam Sermone, nomine S. Bernardi olim inſcripto (b), tradit, Jeſum Chriſtum eo triduo, quo Jeroſolymæ manſit, duodennem adhuc, & inſciis parentibus, *quaſi unum è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicaſſe.* Cùm Guillelmus de Sancto Amore contra Fratres Prædicatores mendicantes calamum acuiſſet (c), quippe quod neque Jeſus Chriſtus, neque Apoſtoli mendicaſſent unquam; S. Thomas *l.* 17. *Opuſc.* 19. *c.* 7. ſcripto contra illum libro, Jeſum Chriſtum victum emendicaſſe demonſtrare conatur; adducto ejus exemplo, qui cùm Hierichunte eſſet, à *Zachæo* prandium requiſivit, *Luc.* 19. 5. Ut vera tamen fateamur, exemplum illud nunquam Jeſum Chriſtum mendicum egiſſe demonſtrat; atque Ældredi authoritas, ſola conjectura, eaque dubia fulta, nullius eſt momenti. Conſtat tamen, Jeſum plures religioſas mulieres in comitatu habuiſſe, *Luc.* 8. 3. *quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Communis etiam erat illi loculus, ubi delatæ ſpontè ab aliis pecuniæ colligebantur: *Judas loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat Jo.* 12. 6. Tandem Jeſus artis cujuſdam exercitio ante prædicationem ſuam vitam toleraſſe una cum Joſepho ſcimus, *Marc.* 6. 3. *Nonne hic eſt faber?* Nec diſſimili ope victum ſibi procurabant Diſcipuli ipſo etiam prædicationis tempore. Hinc Paulus (d): *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Vide *Pauper.*

MENELAUS, alio nomine *Onias IV.* poſt Jaſonem, & ante Alcimum Summus Sacerdos Judæorum (e). Ejus hiſtoriam lege v. *Onias V.*

MENI. Dea *Meni* eadem eſt, ac *Luna*; quam Jeremias 7. 18. & 44. 17. 18., *Reginam Cæli* & Iſaias 65. 11. *Meni* appellat. Ejus cultum receptiſſimum eſſe in Palæſtina, neque ab illo Hebræos alienos fuiſſe, ex utriuſque teſtimonio intelligimus. Hanc verò cognitam credimus à Phœniciis, & Carthaginenſibus ſub nomine *Aſtharti*s, & *Veneris Cœleſtis*; qui ſanè cultus in Iſraelitas ex Phœniciis, & Chaldæis derivatus videtur. Porrò Hebræos caſtigat Iſaias, quòd menſam *Gad*, nempe Soli inſtruerent; libationes verò *Meni*, *qui ponitis Fortunæ* (Hebr. *Gad*) *menſam, libatis ſuper eam* (Hebr. *libatis Meni*). Reginæ Cœli colendæ viros ignem excitaſſe, fœminas verò placentas confeciſſe, ac tandem pueros ligna illis coquendis comportaſſe explorat Jeremias. Neque ejuſdem Prophetæ querelis temperatum eſt à ſacrilego Deæ cultu, quam Religionem, acceptam à parentibus, ſe integrè ſervaturos Iſraelitæ profeſſi ſunt, cùm ſe experimento cognoviſſe ſcirent, fame & gladio fuiſſe conſumptos, ſi quando ab iiſdem ſacrificiis ceſſaſſent. Legimus apud Strabonem plura in Aſia Minori, & Perſide fuiſſe templa *Men*, Meni ſcilicet, ſive Lunæ dicata, atque per Men Regis, nempe per fortunam Regis jurari conſueviſſe (f).

MENNA, filius Mathatæ, & pater Meleæ, inter progenitores Jeſu Chriſti *Luc.* 3. 3.

MENNI. Reges Menni, Ararat, & Aſcenez invitat Jeremias 51. 27., ut expeditionem contra Babylonem ſuſcipiant. De *Ararat*, & *Aſcenez* ſuis locis egimus; *Menni* verò eamdem credimus, ac *Miniadem* Armeniæ Provinciam, & fortaſſe Armeniæ nomen ex *Aram* & *Minni* derivatum eſt, quod Syrum eſt nomen ejuſdem regionis Minni, ſive Miniadis, ut innuit Nicolaus Damaſcenus apud Joſeph. Ant. l. 1. c. 4.

MENNITH, urbs transjordanica, quatuor milliar. ab Eſebon, in via Philadelphiæ, authore Euſebio *Onom. in Minnith.* Olim ea urbs ad Ammonitas pertinebat, tempore ſuſcepti contra illos à Jephte belli *Judic.* 11. 33. *Frumentum Minnit* ad nundinas Tyri Judam advexiſſe, tradit Ezechiel 27. 17. *in Hebr.*; ſed Vulgata pro Minnith, legit *Frumentum primum*, nempe electum.

MENOIS, idem fortaſſe, ac *Minois*, de qua frequenter in ſubſcriptionibus Conciliorum (g). Ea urbs, juxta Euſebium *Onomaſt. in Meneben*; haud procul à Gaza ſita erat; neque alia videtur, ac *Menoenum caſtrum*, de quo in Codice Theodoſiano *L.* 30. *de Erog. milit. Annon.* Metropolis erat *Maoniorum*, ſive *Maniorum*, de quibus Scriptura (h).

(MENSA PANUM PROPOSITIONIS. Vide *Ara*.

MENSA DOMINI eſt Ara Holocauſtorum. Vide ejus articulum. Dominus in Templo ſuo perinde reſpiciebatur, ac Rex in Aula. Inſtruebantur illi menſæ, & ſuper menſas panes, vinum, ſal & dapes; incendebantur veluti domum regiam colluſtraturæ lampades, dabantur ſuffitus. Eſt autem *Menſa Domini* peculiariùs appellatum Altare panum propoſitionum, quòd ſuper illud inferretur panis, vinum, ſal. Queritur Malachias 1. 7. 12. *Menſa Domini deſpecta eſt*; quòd ſcilicet in altari Holocauſtorum immolarentur hoſtiæ viles, & dotibus à Lege requiſitis deſtitutæ. In Libris novi Teſtamenti *Menſa Domini* eſt Altare offerendo incruento Sacrificio corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti deſtinatum. 1. Cor. 21. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Jeſus Chriſtus Luc. 22. 30. ita exhibet Regnum ſuum, Regnum cæleſte, tanquam convivium, cui electi aſſident invitati: *Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.*)

MENSIS, Græcè *men*, Hebraicè *chodeſch* vel *Jerach*. Apud veteres Hebræos certa nomina deſignandis menſibus deſiderabantur, ſed illos primum, ſecundum, & tertium, &c. appellantes diſtinguebant. Apud Moyſem *Exod.* 13. 4. & 23. 15. & 34. 18. *Deut.* 16. 1. occurrit menſis *Abib*, ſeu novatum ſpicarum, vel fructuum, quod nomen videtur ab Ægyptiis inditum menſi illi, apud Hebræos poſtea Niſan dicti; cæteros verò menſes nunquam Legiſlator, niſi numero primi, ſecundi, &c. deſignat. Eadem in Libris Judicum, & duobus prioribus Regum ſervantur.

Sub

(a) Leo Moden. part. 1. c. 14. & Selden. de Jur. Nat. & Gent. l. 6. c. 6.
(b) Vide in Edit. Oper. S. Bern. t. 2. c. 578. Edit. Mabillon. & Bibl. PP. t. 23. pag. 154.
(c) Guill. de Sancto Amore de Periculis poſter. temp. (d) Act. 20. 34. Vide etiam 1. Cor. 4. 12. Epheſ. 4. 28. Act. 18. 2. &c. (e) Electus an. 3832. & an. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162. occiſus.
(f) Strabo l. 12. Vide & noſtra Comment. in Iſaiam 65. 11.
(g) Concil. Calced. An. 451. Epiſcopus Minuidis ſubſcripſit.
(h) Vide Paralip. 4. 40. 41. & 2. Paralip. 20. 1. in Hebr. Vide etiam verbu Maon.

Digitized by Google

Sub Salomone 3. *Reg.* 6. 1. legitur menſis *Sio*, ſivè *Sif*, qui menſi *Jiar*, ſecundo anni ſancti, reſpondet. Ibidem etiam *c.* 6. 8. eſt menſis *Bul*, cum octavo anni ſancti, nempè *Marſchevan*, & noſtro Octobri conveniens. Tandem in cap. 8. 2. ejuſdem Libri occurrit menſis *Ethanim*, ſivè Fortium, ad Tizri, ſeptimum anni ſancti, revocandus.

Horum nominum originem alii aliter deducunt. Scaliger *De emendat temp.* l. 3. ex conſuetudine cum Phœnicibus à Salomone accepta credit; Grotius ex Chaldæis; Harduinus (a) ex Ægyptiis derivat. Illud ſanè conſtat, ea nomina nec ante, nec poſt Salomonem uſpiam occurrere. Poſt captivitatem Babyloniceam, Chaldæa, & Perſica menſium nomina, ex longa cum illis gentibus conſuetudine, apud Hebræos audiri cæpere. Horum autem ſeriem, juxta anni ſancti & civilis ſucceſſionem, ſubjicimus.

Nomina menſium Hebræorum juxtà ordinem anni ſancti.

1. *Niſan*,	reſpondens	Martio.
2. *Jiar*	. . . .	Aprili.
3. *Sivan*	. . . .	Majo.
4. *Thammuz*	. . . .	Junio.
5. *Ab*	. . . .	Julio.
6. *Elul*	. . . .	Auguſto.
7. *Tizri*	. . . .	Septembri.
8. *Marſchevan*	. . . . . .	Octobri.
9. *Casleu*	. . . .	Novembri.
10. *Thebet*	. . . .	Decembri.
11. *Sebat* vel *Sabat*	. . . . .	Januario.
12. *Adar*	. . . .	Februario.

Nomina menſium Hebræorum juxtà ordinem anni civilis.

1. *Tizri*,	reſpondens	Septembri.
2. *Marſchevan*	. . . .	Octobri.
3. *Casleu*	. . . .	Novembri.
4. *Thebet*	. . . .	Decembri.
5. *Sebat*	. . . .	Januario.
6. *Adar*	. . . .	Februario.
7. *Niſan*	. . . .	Martio.
8. *Jiar*	. . . .	Aprili.
9. *Sivan*	. . . .	Majo.
10. *Thammuz*	. . . .	Junio.
11. *Ab*	. . . .	Julio.
12. *Elul*	. . . .	Auguſto.

Primò Hebræi eandem anni diſpoſitionem ſervant, quam Ægyptii; 12. menſibus, ſingulis ex 30. diebus, excepto duodecimo menſe, 35. diebus conſtante, ac proindè 365. diebus anni periodum abſolventes: quæ ſupputatio ex hiſtoria diluvii luculenter colligitur. Vide *Gen.* 7. Singulis 120. annis, cùm annus 30. diebus exorbitaret, menſem intercalarem addebant.

Poſt egreſſum ex Ægypto, menſe Martii (b), juſſit Deus, menſem illum, Niſan ſcilicet, ſeptimum anni civilis, primum anni ſancti, dirigendis ſolemnitatibus, & cæremoniis Religionis ſtatui; intacto interim manente anno civili, quem Hebræi perpetuo à Tizri (Septembri reſpondente) exordiuntur. Poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, Judæi, utpotè parva gens in medio frequentiſſimarum nationum, moribus eorum, quibus ſubdebantur, in digerendis anni rationibus ſe conformare coacti ſunt. Primò igitur ad Chaldæos, ſecundò ad Perſas, tandem ad Græcos acceſſerunt, ex quo factum eſt, ut conſueta apud Chaldæos, & Perſas menſium nomina, & fortaſſe etiam eandem anni, & menſium ſupputationem uſurparent. Quis tamen in ea re Chaldæorum mos eſſet, non ſatis conſtat; illud ſcimus, ætate Authoris Eccleſiaſtici, Machabæorum, Joſephi, & Philonis (c), ad Græcorum conſuetudinem acceſſiſſe: *Græci* autem *annos juxta Solem, menſes verò, & dies juxta Lunam agebant. Gemin. Iſago. c.* 6.

Lunares iſti menſes 29. diebus, & dimidio conſtabant; ſivè ut accuratius loquamur, alterno ordine 29. & 30. diebus, ut menſis cavus pleno ſuccederet. Novilunia in exordio ſingulorum menſium recurrebant; qui dies *Neomenia* Græco nomine appellabatur, ſcil. nova luna, ſive novus menſis. Hæc autem novilunia non à conjunctione ſyderis cum ſole, ſed ab ejus phaſi ſupputabant; cujus phaſis inſtanti accuratius obſervando ſerunt, certos viros in editis quibuſdam ſpeculis deſtinatos fuiſſe, qui ſtatim ejus rei nuncium ad Synhedrium deferrent. Hoc nuncio accepto, ſtatim *Feſtum novæ Lunæ* omnes inclamabant, atque indè novi menſis exordium buccinarum clangore annunciabatur. Cum verò cæremoniæ quædam in capite menſis præſcriptæ eſſent, veriti, ne quid in earum obſervatione errarent, duos Neomeniæ dies celebrabant; alterum *Feſtum Lunæ prodeuntis*; alterum *Feſtum Lunæ delitescentis* appellantes. Hæc narrant Rabbini; quorum ſi quid valet authoritas, de Provinciis fortaſſè à Jeruſalem remotis fidem adſtruere poteſt; in Templo enim & in urbe certum erat Calendarium, vel fixum Synhedrii conſultum Feſtivitatibus dirigendis.

Quamvis autem menſes Judæorum noſtris reſpondiſſe ſupra diximus, uti *Niſan*, *Martio &c.* non ita tamen dicta intelligenda ſunt, quaſi ex integro convenirent, cum lunares menſes ſolaribus plenè congruere non poſſint. Æquinoctium verum inter diem 20. & 21. Martii incidit, juxtà ordinem anni ſolaris; in anno verò lunari Neomenia Martio, Plenilunia Aprili reſpondent. Hinc Hebræorum menſes duos ex noſtris attingunt.

Cùm 12. lunares menſes ſummam 355. dierum, & 6. horarum conficiant, hinc Judæorum annus 12. diebus Romano brevior erat. Verùm redigendis in ordinem Æquinoctiis, quibus ex diſcrepantia anni ſolaris, & lunaris exorbitantibus, Neomenia à prima menſis die revellebantur, Judæi ſingulis triennis decimumtertium menſem intercalarem, dictum *Veadar*, ſive *ſecundum Adar*, addebant; ex quo ſolaris & lunaris annus iterum conciliabantur, cùm 36. menſes ſolis 37. lunaribus congruant. Hanc intercalationem dirigebat Synhedrium; ac menſis intercalaris inter *Adar* & *Niſan* addebatur, ut Paſcha ſemper in novilunium poſt æquinoctium incideret (d).

MENSURA. In calce hujus Dictionarii, tabulam ponderum, menſurarum, & nummorum Hebræorum dedimus, eorumque vel pretium, vel capacitatem ſub cujuſcumque nomine dedimus, quid ſcil. menſura cava, quid longa quæque contineat. Sic talenti & ſicli valorem ſub *ſicli* & *talenti* nomine; quid *batbus* & *ephi* capiant, ſub eorum articulis diximus; & ſic de reliquis.

(MENSURÆ. *Homines menſuræ*, ſunt, uti vertit S. Hieronymus Numerorum 13. 33. homines *proceræ ſtaturæ*. Pſal. 79. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura*; Hebræus, *tripliciter ſeu tribus menſuris*: aquam nonniſi ad menſuram bibemus, & non ad ſatietatem *Ezech.* 4. 11. Vide Judith 7. 11. Michææ 6. 10. *Menſura minor iræ plena*. Hebræus: *Epha minor eſt in abominatione*; ſcitum eſt autem Epha menſuram eſſe cavam apud Hebræos.

Jeſus Chriſtus Joan. 3. 34. docet: *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum*, nempe Filio ſuo; ſed cæteris nonniſi ad menſuram largitur, uti Apoſtolus non obſcurè ad Romanos 12. 3. *Unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*; & ad Epheſios 4. 7. *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Idem pariter in ſecunda ad Corinth. 10. 13.

Nos

(a) Grot. ad 3. Reg. 6. 1. Harduin. Chron. V. N. T. ad A. M. 2993.
(b) Scalig. de emendat. temp. l. 3.
(c) Eccli. 43. 6. Joſeph. Antiq. l. 3. c. 10. Philo vit. Moyſ. l. 3.
(d) Vide Lamy Introd. ad Bibl. inſt. Diſſert. in Chron. ante Commen. in Gen. Scalig. de Emend. temp. & Calviſ. Introd. ad Chronol.

Digitized by Google

Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus. Et ad Epheſios 4. 13. *Donec occurramus omnes .... in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Hanc menſuram ætatis plenitudinis Chriſti ætatem eſſe, quam attigit ille dum viveret, quam pariter homines poſt reſurrectionem præferent, multi autumarunt. Eccleſiarum traditione receptum id teneri affirmat S. Hieronymus. Vide Auguſt. lib. 2. cap. 15. de Civit. Hieron. Epitaph. Paulæ, Anſel. D. Thom. &c. Malunt alii dictum accipere de perfectione, quo mortales tandere par eſt, ut forment in ſe Jeſum Chriſtum in ætate perfecta.

In Iſaia 28. 17. ſpondet Deus; *Ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura*; pœnas metietur pro culpis, & ſicut antennis onorantur criminibus, ita pariter & pondere judiciorum Dei prementur impii. Et cap. 27. 8. *In menſura contra menſuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eum*; rejecit Deus adverſarios populi ſui, judicavit, atque punivit plena & conferta menſura.)

MENTHA, hortenſis herba notiſſima. Hujus, aliarumque ejus generis decimas ſolvere nullum erat in Lege Præceptum, cùm ea tantùm, quæ proventus nomen complectebatur, vectigalia effeciſſet. Pharisæi tamen, qui ſtudio Legis ſervandæ præ cæteris tenebantur, decimas etiam menthæ, anethi, & cumini ſolvebant. Neque illorum religionem in ea re Chriſtus reprehendit; queritur tamen, quod præſcripta à Lege implerent, potiſſima interim præcepta negligerent, *Matth.* 23. 23.

MEPHAAT, urbs Ruben, Levitis ex familia Merari conceſſa. *Joſue* 13. 18. & 21. 36. Regionis ſecuritati conſulendo, Romani in ea urbe præſidium detinebant, Euſebii ætate.

MERAJOTH, Sacerdos è genere Aaronis, filius Zaraiæ, & pater Amariæ; inter Summos Sacerdotes recenſitus, 1. *Par.* 6. 6.

MERALA, ſivè *Marala*, urbs Tribus Zabulon, *Joſue* 19. 11.

MERARI, tertius filius Levi, pater Moholi, & Muſi, *Exod.* 6. 19.

MERARI, filius Idoa, pater Judith, è Tribu Simeonis, *Judith.* 8. 1.

(MERCENARIUS. Jubet Moyſes Levit. 19. 13. *Non morabitur opus Mercenarii apud te uſque mane*. *Dies vel annus mercenarii*, proverbialis eſt formula, exprimens annum plenum, de quo nihil detrahitur. Deut. 16. 18. *Juxta mercedem Mercenarii, per ſex annos ſervivit tibi*; Job. 7. 1. *Sicut dies Mercenarii dies ejus*; quibus ſcilicet nihil addas, demas nihil. Et capite 14. 6. *Donec optata veniat, ſicut Mercenarii dies ejus*; uſque ad tempus mortis ſuæ quam opperitur, ſicut Mercenarii exitum diei. Vide pariter Iſaiæ 21. 16. *In anno uno, ſicut in anno Mercenarii*; & capite 16. 14. *In tribus annis, quaſi anni Mercenarii*.

Mercenarius apud Moyſem eſt interdum Opifex vel ſervus alienigena non Judæus; e. g. vetat Exodi 12. 45. Ne cum *advena Mercenario* deguſtetur Paſcha. Alibi vero exprimit vox illa Mercenarium Judæum, ſed à genere Sacerdotali diverſum, quocum vetitum deguſtare carnes ſanctificatas immolataſque Domino. *Levit.* 22. 10. Joan. 10. 12. 13. *Mercenarius* opponitur genuino Paſtori oves amanti pariter & curanti; cùm Mercenarius ille gregem temnat & negligat.

Mercenarii, quos Paterfamilias, nempe Deus, in vineam tranſmittit ſuam, deſignant Prophetas, Apoſtolos, Judæos, & Chriſtianos. Poſteriores prioribus ſucceſſerunt; omnibus tamen in exitu laboris ſua merces data eſt. *Matth.* 20. 2. 8.

Opifex ſeu Mercenarius dignus eſt mercede ſua, pro opere præſtito; proverbio id obtinet, Matth. 10. 10. & 1. Timoth. 5. 18.)

MERCURIUS, filius Jovis ex Maja, fabuloſum Numen, & Deorum legatus, qui negotiationi, eloquentiæ, & eruditioni præfuiſſe credebatur. Apud Græcos *Hermes*, ſcil. Interpres, appellatus eſt, quòd Deorum voluntatem hominibus exponeret. Hinc fortaſſè Lyſtrenſes, audita S. Pauli & Barnabæ prædicatione, *Act.* 14. 11. viſoque prodigio reſtitutæ ægro ſanitatis, rati Divinum aliquid iis ineſſe, ſacrificiis illos colere decreverunt, exiſtimantes *Barnabam Jovem; Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi*. Apud exteros Scriptores geſta Aaronis fratris Moyſis Mercurio tributa videntur. Mercurius enim Interpres, & Legatus Deorum habetur; ut Aaron Dei & Moyſis; de virga Mercurii mira narrantur; prodigium Aaronicæ, quæ ad latus Aræ poſita flores emiſit, neminem latet: ille Deus eſt furtis ſtudens; hic, cæterique Judæi divitias Ægyptiorum abſtularunt: primus lyram invenit; alterius poſteri, & Levitæ organis in Templo Dei canebant: Mercurius tandem iter habentibus præeſt; Moyſes, & Aaron ductores in populi itinere fuerunt, &c.

In Proverbiis 26. 8. hæc legimus: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ita qui tribuit inſipienti honorem*: ideſt, hebeti alicui viro dignitatem conferre tam ſtultum eſt, quam ſi quis lapidem projiciat ante ſtatuam Mercurii, in bivio erectam; quod tantundem eſt, ac ſi ſupervacaneum ſupervacaneo addatur. Porro ſuperſtitio illa projiciendi lapidem ante terminum, ſivè truncam Mercurii effigiem pectore tenus apud Veteres frequens eſt: an verò Salomon hic morem illum ſpectaverit, ambigitur. Sunt enim qui Textum Hebræum ita reddant: *Qui alligat lapidem in funda, ſimilis eſt ei, qui dat imprudenti gloriam*: ſanè lapis alligatus fruſtra jacietur; ſicut fruſtra honor inſenſato confertur. Alii legunt: *Sicut qui mittit fragmentum in acervum lapidum; ita &c.* nempè lapidem in acervum injicere fruſtraneum eſt. *Rugum*, quod radix eſt hujus vocis *margemach*, ſonat lapidibus obruere (a). Eundem locum Rabbini interpretantur de acervo lapidum in honorem Mercurii, ut author Vulgatæ expreſſit. Verùm Septuaginta reddunt *fundam* (b). Ego tamen cæteris Chaldæum prætulerim, qui de lamina intelligit, ſive de fragmento auri, vel argenti in funda appoſito, quod ſanè tam abſurdum eſt, ſicuti abſonum inſenſato honorem conferre. Hebræum *zeror-eben*, quod redditur faſciculus lapidum, ſignificare etiam poteſt faſciculum laminarum auri, vel argenti coticula probati, ſive in lance contra petram juſti ponderis appenſum; Hebræi enim ad eam rem lapidibus utebantur pro ponderibus. Hinc *Prov.* 20. 10. 23. juxta Hebræum, legitur: *Lapis, & Lapis* pro *pondus & pondus*. Vide etiam *Deut.* 25. 13.

(MERCURIUS vel *Hermes Triſmegiſtus*, i. e. *ter magnus*, cujus nomen ſeu in veteri ſeu in novo Teſtamento nuſpiam. Nos verò hic aliquid de illo, quod & Mercurium iſtum, & alios etiam viros cognomines confundunt plures cum Patriarchis, de quibus in Scriptura. Ad quinque Mercurios diſtinguunt Cicero cum Lactantio, poſtremum ſtatuunt Triſmegiſtum. De ſcriptis ab illo Lucubrationibus crebra apud Authores eſt mentio; ſed de illis noſtra ætate nihil ſupereſt. Vulgati ſunt quidem ſub ejus nomine gemini Dialogi *Pimander & Aſclepius*; ſed Opera ſunt planè ſpuria: Porrò ejus volumina ad 42. recenſet S. Clemens Alexandrinus, qui & ſingulorum argumentum exponit; ad 36000. adnumerata affirmat Jamblichus; ad 20000. Julius Firmicus, qui etiam numerus, minor licèt, fidem tamen ſuperat, niſi fortè ſingulos verſiculos in Libros computatos reputaremus, quæ eſt nonnullorum ſuſpicio; ſeu potiùs autumemus Ægyptios in ejus cenſum tuliſſe quæcunque ſuppetebant Opera Theologica

(a) Vide Levit. 20. 2. 27. & 24. 14. 16. 23. &c. Deut. 21. 21.
(b) Prov. 26. 8. Ὡς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, ὅμοιός ἐστι τῷ διδόντι ἄφρονι δόξαν.

logica & Aſtrologica, ut illis authoritatem conciliarent.

Qua potiſſimùm ætate vixerit, varii varia. Tenent Orientales (a) primum hunc Hermetem ſeu Mercurium vixiſſe 1000. circiter annis poſt Adam., confundendumque cenſent cum Edri vel Enoch, quem virum Chaldæi cognominant Ouriai vel Ouvanai, i. e. Magnus Magiſter; eodemque donant elogio clariſſimos, quicunque per varias ætates viaerunt, Philoſophos vel Sapientes.

Patuit Mercurius alter ineunte ſecundo millenario ſolari, appellaturque *Hermes Thani*, ſecundus Mercurius, vel ſecundus *Ouriai*, aut *Ouvanai*, i. e. Mundi Præceptor, idemque ipſe vir appellatur à Græcis *Triſmegiſtus*, ab Arabibus ter magnus in ſcientia. Ipſe pariter *Orus Ægyptiorum*, nomine deducto ſive ex *Ourai* Chaldæorum, ſive Chaldæorum illud ex *Ora* derivandum eſt. Vulgatus eſt apud Chaldæos Liber inſcriptus *Aſrar Hermes*, arcana Hermetis, huic nempe authori tribuitur. Legas ibi natum eum virum in magna conjunctione Solis cum Mercurio. Sed non ambigui autumamus hunc librum, quemadmodum & alia, ſuppoſititium eſſe Opus Arabica fraude obtruſum, quemadmodum & apocrypha plura a Græcis ſub ſpecioſo *Hermetis Triſmegiſti* nomine ingeſta ſunt.

Abulfaragez in ſuo Opere de Dynaſtiis trea invehit Hermetes, quorum primum confundit cum Edri vel Enoch, ſecundus eſt Hermes Chaldæus vel Babylonicus, ſæculis nonnullis diluvio poſterior, & Calovaz Urbe Chaldææ commorans. Illo magiſtro didicerunt Chaldæi quæ norant de aſtris potiſſima, nec ambigentes affirmabant eodem authore reſtitutam fuiſſe Babelem à Nemrodo fundatam, ejuſque ætate everſam. Tertius Hermes magnus eſt *Triſmegiſtus*, de quo modo.

Prior Hermes tribus diſtinguitur nominibus *Enoch*, *Edris*, *Hermes*, quæ triplici dignitate ſibi vindicabant Reges, Philoſophi & Prophetæ. Appellant Arabes Hermem Hermorum, vel magnum Hermen, eoque imprudente licèt & invito inductam idololatriam, cenſent Orientales. Erexerat enim Præceptori ſuo defuncto Aſclepiades ejus Diſcipulus ſimulacrum, & cùm pone illi aſſideret veluti perpetuus cultor, ſpecimen exhibebat quaſi Numen adoraretur; ejus exemplum ſuperſtitioſè alii imitati ſunt.

Liber Arabicus *Aſtar Kelam Hermes*, verba occulta Hermetis, Triſmegiſto authori tributum Opus illud agit de magnis conjunctionibus planetarum & de ipſorum effectibus. Præfert Operis titulus Authorem Hermetem ſecundum, cognomento apud Græcos *Triſmegiſtum*, apud Chaldæos *Ouvanai*. Interpres Arabicus notat Ouvanai, Chaldaicè *Mokhalles Albaſchar* exprimere Servatorem mundi, quo ſcilicet nomine appellatus eſt Mercurius ex præſervatis è malorum diſcrimine hominibus, ſive nempe monitis ut adverterent imminentia, ſive ut evitarent incuſſa, viam indicans. Porro elogium illud Servator mundi datum etiam Joſepho Patriarchæ ſuſpicionem induceret, confuſum eum virum Triſmegiſto. Priori Hermeti vel Enoch tribuitur liber Arabicus: *Tractatus de exortu ſideris appellati Syrius*; ipſe eſt canis major. Sed ingenuè agnoſcendum eſt quæcumque de tribus hiſce Mercuriis narrantur, incertiſſima eſſe maximè, neque conanti facilè ſucceſſurum, ut res tanta antiquitate obſcuras in apertam lucem revocet.)

MEREMOTH, Sacerdos è captivitate Babylonica cum cœteris regreſſus, qui vaſa aurea, & argentea à Rege Artaxerſe Templo reſtituta detulit(b).

MERGALUS, urinator; avis fluviatilis, ſive paluſtris in Lege inter impuras rejecta, *Levit.* 11. 17. *Deut.* 14. 17. Hebræum *Schalach* ſonat impetu projicere; quam etiam ſignificationem exhibet vox *Cataractes* apud Septuaginta occurrens. Nonnulli Recentiorum explicant de ſmergo.

MERIBAAL, filius Jonathæ, pater Michæ 1. *Par.* 8. 34. & 9. 40. idem eſt ac *Miphiboſeth* 2. *Reg.* 4. 4. & 9. 12. Cùm enim Hebræi nomen Baal pronunciare nefas ducant; pro *Miphibaal*, ſivè *Meribaal* uſurpant *Miphiboſeth*, ſive *Meriboſeth*. Quæ vox *Boſeta* ſonat horrorem, confuſionem, ſordes; & *Baal*, Dominum, virum, Deum Baal.

MEROB, filia Saulis natu major, quæ Davidi deſponſa in præmium relatæ de Goliath victoriæ, à patre datæ fidei violatore, Hadrieli filio Berzellai Molathitæ nuptui tradita eſt 1. *Reg.* 14. 49. & 18. 17. 19. Ex eo matrimonio nati ſex filii, qui deinde Gabaonitis conceſſi, in ultionem illatæ à Saule in illos injuriæ, omnes crucis ſupplicio abſumpti ſunt (c). Textus Scripturæ habet quidem ſex illos filios ad Michol filiam Saulis, & uxorem Hadrielis ſpectaſſe; ſed mendum ibi eſſe, & pro Michol legendum Merob ex eo conſtat (d). I. quòd Michol non Hadrielem, ſed Phaltielem duxerit; II. nec liberos totidem genuerit. Sunt tamen, qui credant (e), eos filios de Merob natos ad Michol jure adoptionis pertinuiſſe.

MERODACH, vetus Rex Babylonis, Divinis honoribus à Babyloniis cultus. Hinc Jeremias everſionem Babylonis prædicens c. 50. 2. ait: *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia ejus*. Nomen *Merodach* in nonnullis Regum Babylonis nominibus deprehenditur: *Evilmerodach*, *Merodach Baladan*. Porrò Evilmerodach parentem habuit Nabuchodonoſorem Magnum, & ſucceſſorem Balthaſarem, impium Regem. Merodach-Baladan alterius Baladan Regis Babylonis filius erat; à quo Legati & munera ad Ezechiam miſſi ſunt, de recepta ab illo divinitus ſanitate gratulatum, cujus ſpem certam accepiſſet, ſole ad ſuum ortum regrediente, *Iſa.* 39. 1. Hunc Regem Ptolomæus appellat *Mardocempadum*, Regnumque iniiſſe dicit Babylone 25. annis ab exordio Nabopolaſſaris, ideſt *An. M.* 3283. *ante Chr.* 717. *ante Ær.* 721.

MERODACH-BALADAN, qui & *Mardocempadus filius Beleſis*, ſivè Nabopolaſſaris. Vide articulum præcedentem, & *Uſſer. ad An. M.* 3283.

MEROE, Inſula, ſivè potiùs peninſula ſuperioris Ægypti; quam duo Nili rami utrinque alluunt. Olim *Saba* appellabatur; quare facilè regnum in ea ſuum obtinebat Regina Saba (f), quam ſapientiæ Salomonis fama Jeroſolymam accivit, 3. *Reg.* 10. 1. Cur verò Meroe appellaretur, in cauſa fuiſſe urbem Meroe, à Cambyſe in honorem ſororis ſuæ Meroes ædificatam, Joſephus eſt author *Antiq. l.* 2. *c.* 3. Huic regioni fœminas præfuiſſe conſtat (g); non deſunt tamen, qui Reginam Saba, non ex Meroe, ſed ex Arabia felici accerſant. *Joſue* 11. 5.

MEROM, ſive *Marom*. *Aqua Merom* vulgò creduntur eſſe lacus Semechon; cùm enim Jabin, fœderatique Reges ad *aquas Merom* caſtra contra Joſue ſtatuiſſent; eo nomine lacum Semechon deſignari autumant, cui urbs Haſor metropolis Jabin adjacebat, authore Joſepho *Antiq. l.* 5. *c.* 6. Verùm hujus argumenti vis pauca; etſi enim Haſor ad Semechon ſitam diaerimus, quid inde? an oportuit juxta eam urbem prælium iniri? Veriſimilius ſanè exercitus uſque ad torrentem Ciſon proceſſiſſe potuit, ut anguſtiis itineris obſeſſis, ingreſſus in ditionem Jabin defenderetur; atque in regionem ab hoſtibus jam occupatam bellum inferretur. Si autem ad Semechon exer-

(a) D'Herbelot Biblior. Orient. pag. 449. (b) 1. Edſr. 8. 33. A. M. 3537. ante Ch. 463. ante Ær. 467.
(c) 2. Reg. 21. 8. an. M. 2986. ante Ch. 1014. ante Æ. 1018. (d) Ita Salian. Cajet. Capell. Oſiand. Canus &c.
(e) Ita Chald. Rabb. Auth. Qu. Hebr. in 2. Reg. alii.
(f) Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2. Orig. hom. 2. in Cant. Grot. in 3. Reg. 10.
(g) Strabo l. 16. & 17. Plin. l. 6. c. 26.

exercitus continebatur; tota Galilæa, totuſque regionis tractus à torrente Ciſon uſque ad Semechou, hoſtibus impunè permiſſus fuiſſet.

Quæ verò ſuadent conjecturæ, ut Merom, Merome, & aquas Merom juxta Ciſon, Carmelum, Thanac, Megiddo, ſivè Mageddo collocemus, ſunt: I. quod urbs *Merom*, ſivè Merrus, 12. milliar. a Sebaſte, Dothaim verſùs, Euſebio authore, ſita perhibeatur. II. quod prælium contra Siſaram in planitie Merome initum à duabus Tribubus Zabulon, & Nephtali dicitur *Judic.* 5. 18.; quod tamen juxta Ciſon, Mageddo, & Thanac contigiſſe exploratum eſt *Judic.* 5. 19. Porrò Thanac, Merom, & Mageddo ad radices Carmeli citra Ciſon jacent, qui proindè locus duobus initis præliis Joſue contra Jabin, & Barac contra Siſaram inſignis habetur. Nec iter illud exercitu defendiſſe, parvi erat momenti, cùm alibi vix tranſitus pateat euntibus ex Judæa in Phœniciam, vel in Galilæam, ſivè viciſſim è Phœnicia in Judæam.

MEROME. *In regione*, ſivè juxta Hebræum, *in campis Merome*, *Judic.* 5 18. duæ Tribus Zabulon, & Nephtali belli aleam ſubierunt. Vulgò creditur *Merome* eadem eſſe cum *Merom*, ad cujus aquas Joſue exercitum Jabin, & fœderatorum Regum delevit. Hoc autem prælium Interpretes commiſſum autumant ad lacum *Semechon*, in ſuperiori Galilæa, cui, authore Joſepho, urbs Heſebon, metropolis Jabin, adjacebat. Joſephus tamen Chananæos fractos non deſignat ad radices Thabor, qui ſanè locus plurimum diſtat à Semechou. Hinc nos aquas Merom ad radices Carmeli, circa Thanac, Legionem, & Mageddo collocamus. Vide *Merom* (a).

MEROTH, terminus occidentalis Galilææ authore Joſepho *Antiq. l.* 3. *c.* 2. cujus aquæ in ſanguinem vertendæ ſub adventum Meſſiæ dicuntur in Tract. *Sunhedrim*.

MEROZ *Judic.* 5. 23. locus erat in viciniis torrentis Ciſon, cujus incolæ ultionem denegatæ fratribus opis, in prælio contra Siſaram, anathemate inuſti ſunt: *Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quià non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus*. Sunt, qui locum confundendum cenſuerint cum *Merro*, ſivè *Merom*, de quo in articulo ſuperiori; quod veriſimillimum eſt. Alii *Meroz* nomen eſſe viri potentiſſimi in viciniis Ciſon autumarunt, qui denegata certantibus ope, ab Angelo Dei quatuor clangentibus buccinis devotus eſt (b). *Angelus Domini*, juxta aliquos, eſt Barac Dux exercitus Domini; juxta alios verò eſt Summus Sacerdos, ſivè Propheta quidam, vel S. Michael, aut alius quicumque Angelus. Alii tandem Meroz nomen eſſe credunt Angeli Chananæorum, ab Angelo S. Michaele, Iſraelitarum patrono, anathemate inuſti.

MERRA. Vide *Marub Sidoniorum*. *Joſue* 13. 4.

MERRHA, cujus negotiatores, ſicut & Agareni, atque incolæ Theman, Arabes omnes, ſapientiam (c) affectabant. Situs *Merrhæ* ignoratur; ſed *Marana* ad mare Rubrum; *Mariaba* in Arabia Felici; *Marace* emporium ejuſdem regionis occurrunt.

MES, quartus filius Aram *Geneſ.* 10. 23. dictus etiam *Meſech* 1. *Par.* 1. 17., & *Moſoch* apud Septuaginta. Hunc ſedem habuiſſe in Monte Maſio Meſopotamiæ, & nomen indidiſſe amni *Mazecha*, cujus ibidem ſunt fontes, Bochartus autumat. Incolas hujus regionis *Maſienos*, ſivè *Maſianos* Stephanus appellat.

I. MESA, Rex Moabitarum, cui opimus adeò grex erat, ut 100000. agnos, totidem arietes cum vellere Regibus Iſraelis tributo perſolveret. Cùm poſt obitum Achabi à Joram deſciviſſet (d), ab illo, adjuncto ſibi Joſaphat Rege Juda, & Rege Idumææ Regi Judæ ſubjecto, commiſſo prælio victus, Areopoli Regni metropoli obſidione concluſus fuit. Jamque ad extrema devenerat, atque fruſtra in caſtra Idumæorum facta eruptione, ubi minus exercitus robur, adeòque facilior evaſio videbatur, ſupremo rebus deſperatis remedio, filium ſuum Regni ſucceſſorem arripiens, ſuper mœnia præ hoſtibus ſtatuit, ſtrictoque paterno gladio illum immolavit. Hujus facinoris indignitatem horrentes Hebræi, ſoluta ſtatim obſidione, poſt vaſtatam tantummodò regionem, in patriam regreſſi ſunt. Vide *Joram*, & *Joſaphat*.

MESA, filius natu-major Caleb filii Heſron, (alter ille à Caleb filio Jephone) pater Ziph, ſivè Ziphæorum, in Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 42.

MESELEMIA, filius Core, & pater Zachariæ, Jadihelis, Zabadiæ, Jathanaelis, Ædam, Johanan, Elioenai, janitorum Templi 1. *Par.* 26. 2. 9.

MESOPOTAMIA, Regio notiſſima, inter Euphratem, & Tigrim, quam Hebræi appellant *Aram Naharaim Gen.* 28. 5. & paſſim, ſivè Aram duorum fluminum; *Aram* etenim pater Syrorum, eam regionem, inter duos fluvios ſitam, frequentavit. Hominum ante, & poſt Diluvium ſedes fuit, ſimulque ex illa prodierunt Phaleg, Heber, Thare, Abraham, Nachor, Sara, Rebecca, Rachel, Liah & filii Jacob. Babylon urbs celebris totta ejus fines olim claudebatur; antequam duo amnes Tigris, & Euphrates conſtructis operibus in confluentem redigerentur. Ejus etiam portio arva Sennaar habebantur. Interdum *Meſopotamia Syriæ* appellatur *Gen.* 38. 5. & 46. 15. *Deut.* 23. 4. *Pſ.* 59. 2., quòd ab Aramæis, vel Syris teneretur; interdum *Padan Aram Gen.* 28. 1. 2. 6. 18. 33. 18. & 35. 9. ſcilicet planities Aram, ſive *Sede-Aram Oſee* 12. 13. nempè arva Aram, ut ab aſcendentibus ejuſdem regionis montibus diſtingueretur. Balaam filius Beor è Meſopotamia prodiit *Deut.* 23. 4. *Cuſan Raſathaim* Rex Meſopotamiæ, jugo ſervitutis Judæos aliquandiù poſt obitum Joſue oppreſſit. *Judic.* 3. 8.

(Præter regionem nomen præferentem, Græcè quidem *Meſopotamia*, Hebraicè vero *Aram Naharaim* in Syria intra duos amnes, ſunt, qui cognominem aliam agnoſcant Provinciam (e) in Syria inter Marſyam & Orontem mediam. Hæc autem opinionis argumenta. 1. Vox Meſopotamia exprimit tantùm regionem inter amnes; quare eadem pariter cenſeri poſſunt regiones, quas amnes quicunque hinc & illinc alluunt. 2. Titulus Pſ. 59. habet: *David cùm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ & Sobah*. Scitum eſt autem Davidem bellum ideo intuliſſe Regi Soba, ut ditionem ſuam protenderet uſque ad Euphratem, cujus citeriora tenebat Syria Soba. 3. Legimus Judith 2. 14. de Holoferne: *Et tranſivit Euphratem, & venit Meſopotamiam, & fregit omnes Civitates excelſas, quæ erant ibi*. Veniſſe illum conſtat in Aſſyriam. Quæ peculiari Meſopotamiæ nomine innoteſcit regio parebat Domino Holofernis Nabuchodonoſori; is igitur tranſmiſſo Euphrate venit in Meſopotamiam Syriæ, de qua nos modo, aliam planè à regione cognomine, Græcis & Latinis nota, intra Euphratem Tigridemque media.

Ut in hoc ſententiarum diſſidio judicium noſtrum feramus, animadvertendum eſt, num, quæ huc uſque producta ſunt, valeant ſatis ſeirahendis nobis à communi Geographorum, tenentium ſummo conſenſu hucuſque unam eſſe ſingularem Provinciam, Græcis & Latinis *Meſopotamiam*, Hebræis *Aram-Naharaim* appellatam. Etenim ſi probabili ſaltem reſponſo argumenta illa in contrarium diluantur, altera Meſopotamia non admiſſa, eſt utique, cur vetera præjudicia ſequamur. Titulus Pſalmi 59 authoritatem præfert ſanè modicam, cùm enim pleríque tituli Pſalmis præfixi ſunt, & diu etiam poſt ſcriptas lucubrationes illas à ſuis Authoribus. Commodè pariter exponeretur illud:

(a) Vid. & Comment. in Judic. 5. 18. (b) Ita Rabbin. Gemar Babyl. ad tit. Moed. Catan. 2. 3. Jarchi, &c.
(c) Baruc. 3. 23. (d) 4. Reg. 3. 4. A. M. 3109. ante Chr. 891. ante Ær. 895.
(e) Harduin. Chronol. V. T. pag. 522.

illud: *Cum ſuccendit Meſopotamiam* David, reputando illum auxiliares Meſopotamiorum copias ferro atque igne deleviſſe, auxiliares, inquam, copias ferentes opem Adarezer & Ammonitis, uti non obſcurè 2. Reg. 10 16. 19. *Miſit Adarezer & eduxit Syros, qui erant trans fluvium & adduxit eorum exercitum* (℣. 19.) *Videntes autem univerſi Reges, qui erant in præſidio Adarezer, ſe victos eſſe ab Iſrael, expaverunt, & fugerunt &c.*

Ad Textum Judith quod attinet, Holofernes facilè bis tranſmiſit Euphratem, ſive ipſe per ſe, ſive per ſuos Duces. Primo ſcilicet cùm veniens in Syriam & Ciliciam, utramque Provinciam ſubegit; quibus expeditionibus abſolutis, iterum tranſgreſſus Euphratem venit reducendis ad imperium Nabuchodonoſoris cæteris gentibus, quæ jugum adhuc non ſubierant. Nec ita reputamus, quaſi ipſe per ſe Dux omnes eas regiones percurrerit, de quibus in Libro Judith; ſatis eſt enim, ſi per miſſos à ſe Præfectos eas expeditiones confecerit. Cur igitur ex utroque Textu alteram Meſopotamiam Geographis huc uſque incognitam admittere cogamur, nihil eſt.)

MESPHE, urbs Tribus Benjamin *Joſue* 18. 26. eadem ac *Maſphath*, ſivè *Maſpha*. Vide *Maſpha*.

MESRAIM, ſive *Miſraim*, filius Cham, *Geneſ.* 10. 6. & pater *Ludim*, *Anamim*, *Laabim*, *Nephtuim*, *Phetruſim*, & *Caſluim*. *Mezer*, ſivè *Miſor*, poſteros habuit *Mizraim*, ſive Ægyptios, è quibus ipſe nomen *Mezraim* ſortitus videtur; cùm enim nomen illud plurale ſit, veriſimilius Ægyptiis inditum, atque ex illis in eorum authorem derivatum credimus. Quandoque etiam *Mezraim* de tota regione uſurpatur; ut proindè ſimul Ægypti nomen ſit, Ægyptiorum, & illius gentis Authoris; quod confuſionis non rarò occaſionem, & fomitem præbet. Cùm verò nomen illud duale ſit, ſuperiorem, & inferiorem Ægyptum, ſivè partem citrà, & partem ultra Nilum complectitur: Cairus adhuc Metropolis Ægypti, totaque regio apud Arabes *Mezer* appellatur; apud incolas verò nomen *Chemi* obtinet, ac ſi diceremus *Terram Cham*, quomodo etiam apud Hebræos interdum ſignificari contigit, *Pſal.* 77. 1. & 104. 23. & 105. 22. *Mezer* apud Michæam 7. 12. eſt Ægyptus; ſicut & Rabbi Kimchi, aliique nonnulli eruditi Interpretes de Ægypto intelligunt ea, quæ in 4. Regum occurrunt de aquis *Mezer* 4. *Reg.* 19. 24 & *Iſa.* 19. 6.

MESSA. Filii Jectan, referente Moyſe, totum tractum à Meſſa uſque Sephar, Montem Orientalem, tenuerunt. *Geneſ.* 10. 27. 28. 29. De *Meſſa* filio Aram antea narravimus, indidiſſe illum nomen ſuum monti Maſio, quem eundem credimus cum *Meſſa*; quare filiis Jectan tota ea regio tribuenda eſt, quæ montem Maſium & montes Sapharvaim, vel Sapirorum interjacet.

MESSA, ſive *Meſſach*. Jojada Summus Sacerdos, avitum Regnum Joas Regi Judæ reſtituturus, milites in varias Templi partes diſtribuit, potiſſimùm tamen in domo Meſſa: *Cuſtodietis excubias domus Meſſa*, 4. *Reg.* 11. 6. quo nomine idem ſignificari credimus, ac *Muſach*, de quo infra (a).

MESSAL, urbs Tribus Aſer, *Joſue* 19. 26. propè Carmelum, authore Euſebio, ac maritima.

MESSALEMETH, fœmina urbis Jethabe, filia *Harus*, & conjux Manaſſis Regis Juda, 4. *Reg.* 21. 19.

MESSIAS, vox ex Hebræo *Maſach*, ſcilicet inungere; quo potiſſimùm nomine, excellentiæ & honoris gratia, appellatur ſummus Judæorum Reparator, quem fruſtra hodiè expectant, cùm prætorito divinitùs tempore, Jeſus Chriſtus Dominus noſter in Mundum venerit, ut Meſſiæ munus impleret. Porrò unctione initiabantur Reges, Summi Sacerdotes, & interdum Prophetæ. Hinc Saul, David, Salomon, & Joas Reges Juda inuncti ſunt; inunctus & Aaron, ejuſque filii, Sacerdotio initiandi; inunctus tandem in Prophetam Eliſeus, Eliæ diſcipulus, vel ſaltem Deus Eliæ præcepit, ut *Eliſeum filium Saphat unges in Prophetam pro ſe* 3. *Reg.* 19. 16. (neque enim inunctum illum legimus.) Interdum tamen vox ungere, non unctionem quamdam, ſed demandatum tantùm alicui munus (b), ſive ſelectum aliquem ad aliquid ſignificat. Ita arbores conveniſſe perhibentur, ut *ungerent Regem ſuper ſe*, *Judic.* 9. 8. 15. Abſalom etiam inunctus dicitur ab Iſraelitis in Regem populi, quamvis nulla adhuc regali unctione initiatus fuiſſe legatur. 2. *Reg.* 19. 10. Elias miſſus eſt à Deo, ut Hazaelem in Regem Syriæ inungeret; 3. *Reg.* 19. 15. quod ille mandatum executioni nunquam commiſiſſe videtur, ſed ſucceſſor ipſius Eliſeus, Regnum Hazaeli prædixit; inunxiſſe tamen oleo nec unquam legimus, 4. *Reg* 8. 2. 13. nec eum morem apud Reges Damaſci obtinuiſſe ſcimus. Rex Cyrus, qui Judæos liberavit, atque Imperii Perſarum primus author fuit, his verbis apud Iſaiam 45. 1. compellatur: *Sic dicit Dominus Chriſto ſuo Cyro.* Apud Ezechielem 28. 14. nomen *Meſſiah* Regi Tyri inditum occurrit. *Tu Cherub Unctus protegens.* Eliſeum Reges ad pœnitentiam, ſive in miniſtros ultionis Domini inunxiſſe legimus in Eccleſiaſtico 48. 8. *Qui ungis Reges ad pœnitentiam*, in Græco, *ad vindictam*. Jehu enim Rex Iſraelis inunctus eſt opera cujuſdam Prophetæ ad eam rem ab Eliſeo miſſi; 4. *Reg* 9. 2. 3. ac Eliſeus ipſe Hazaeli Regnum Damaſci, & Syriæ pollicitus eſt, quos duos Reges Deus ad ultionem de domo Achabi exigendam deſtinavit.

S. Petrus, cæterique Fideles in cœtum congregati, Deum hiſce compellabant: *Act.* 4. 27. *Convenerunt Reges terræ adverſus Sanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti*; juxta Scripturæ prophetiam: *Aſtiterunt Reges &c. adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Cum Jeſus in Synagogam Nazareth veniſſet, accepto libro Prophetiæ Iſaiæ, in illud incidit *Luc.* 4. 18. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, &c.* quod Prophetæ oraculum de ſe dictum demonſtravit. Per Jeſum, *quem Deus unxit Spiritu Sancto, & virtute*, miſſam divinitùs ad homines pacem, dixit S. Petrus, Cornelium Centurionem alloquens. *Act.* 10. 36. 37. Tandem S. Paulus 2. *Cor.* 1. 21. 22. hæc ſcribit: *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

Nuſquam ſanè legimus, Chriſtum oleo fuiſſe initiatum, neque eundem ritum ſervaſſe unquam Apoſtolos erga Fideles audivimus: quare ſi Chriſtus, ejuſque Diſcipuli inuncti, ſive in Veteri, ſive in Novo Teſtamento dicantur, de myſtica unctione per gratiam, & Spiritum Sanctum dicta intelligenda ſunt, cujus quidem unctionis oleum illud Regum, Sacerdotum, & Prophetarum typus erat, & argumentum. Porrò Chriſtus Regis, Prophetæ, & Sacerdotis munera omnia unus implevit; ſimulque excellentiſſima quæque in Veteri Teſtamento, ſive promiſſa, verbis, aut figuris, re Chriſtus explevit. Fideles deinde, & Diſcipuli de authoris, & Magiſtri ſui privilegio, uncti appellari ſunt, quos etiam Regali & Sacerdotali unctione (in corde tamen per gratiam) in Baptiſmo initiari conſtat: *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.*

Hinc Reges, & Summos Sacerdotes Hebræorum non rarò *Meſſiah*, Græcè *Chriſti*, uncti ſcilicet, nomine appellari contingit: *Teſtis eſt Dominus, & teſtis Chriſtus ejus*, 1. *Reg.* 12. 3. 5. nempè Rex ab eo electus. David etiam frequenter: *Propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini.* 1. *Reg.* 26. 11. Patriarchis interdum, & Prophetis idem eſt nomen; *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*, 1. *Par.* 16. 22. *Pſal.* 105. 15. De Meſſia tamen

(a) Vide etiam 4. Reg. 16. 18.
(b) Vide Theodoret. in Iſai. 45. 1. & in Pſal. 105. 13.

tamen per antonomaſiam uſurpari ſolet, in quem ſpes omnes, & vota Sanctorum collimabant. Illum ſpectavit Anna mater Samuëlis, quæ canticum pangens, cùm nullus eſſet in Iſraële Rex, occinuit: *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu* (gloriam, virtutem, & potentiam) *Chriſti ſui*; 1. Reg. 2. 10. & Pſalmiſta: *Quare fremuerunt gentes adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*; Pſal. 2. 2. & Pſal. 44. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis*. Jeremias 4. 20. *Spiritus oris noſtri* (vita noſtra) *Chriſtus Domini*. Daniel 9. 26. *Occidetur Chriſtus, & non erit*. Habacuc 3. 13. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Teſtimonia ex Novo Teſtamento in hanc rem congerere ſupervacaneum ducimus, cùm in ſingulis ferè paginis Jeſus Chriſtus verus Meſſias eſſe perhibeatur. Ex Veteri autem illa tantum protulimus, in quibus nomen illud *Meſſiah*, luculenter exprimitur utpote quæ ſola hujus loci eſſe videbantur.

Quod Hebræis *Meſſiah*, hoc Græcis *Chriſtos*, undè *Chriſtus*, & *Chriſtianus*. Eadem ſignificatione vox *Eleimmenos* apud Græcos uſurpatur.

Veteres Hebræos à Prophetis edoctos, rectè de Meſſia ſenſiſſe conſtat; ſed paulatim in errorem veritas degeneravit, adeòut adventus Chriſti tempore, venturus in Mundum Meſſias Regis, ac domitoris orbis gloriâ, atque apparatu crederetur; ex quo factum eſt, ut humilis abjectuſque externo corporis habitu Salvator, contemptui neglectuique, facilè homines in expectationem gloriæ alterius Meſſiæ intentos, præteriret. Exindè novi ſemper veritati fuci inducti, adeòut novum protius Meſſiam ab illo, quem Veteres deſignarunt, comminiſcerentur.

Veteres ſanè Prophetæ Meſſiam Deum ſimul & hominem futurum prænunciarunt, in quo majeſtas pariter, & abjectio, Domini & ſervi, Sacerdotis & victimæ, Regis & ſubditi, mortalis & triumphatoris mortem, divitis & indigentis, Triumphatoris Regiſque ac viri ex infima plebe, omnibus obitis infirmitatibus, rationes admirabili fœdere ſociarentur. Nec ſanè alterum virum ipſe Jeſus Chriſtus exhibuit. Audiebant Prophetæ, oriturum Meſſiam ex Virgine parente; Virgine, inquam, de Tribu Juda, è domo Davidis, ac de vico Bethlem; æternitate donandum illum, cujus adventus mortales lateret, quamvis ipſe de Propheta Magno in Lege prænunciato de filio Dominum & Davidis oracula impleret. Prodigia verò patraturum plurima, ſeparaturum collapſa; ac tandem poſt toleratam mortem, denuo ad vitam rediturum. Venienti Eliam præceſſurum, advenientes verò, leproſorum emundationem, mortuorum reſurrectionem, Evangelii ad pauperes annunciationem, indicio futurum. Legi non deſtruendæ, ſed perficiendæ operam daturum, exhibiturum ſe tanquam lapidem, in quem plures offenderent; tanquam ſignum, quod maledicta omnia collimarent; everſurum illum Idololatriæ, & impietatis Regnum, atque externos populos unà Legis ac diſciplinæ fœdere ſibi conjuncturum.

Hæc ſanè tempore adventus Chriſti, adhuc in Judæorum mentibus verſabantur; quare idem Chriſtus non ſemel ad ipſorum judicium provocat, teſtificans, nempe ea, quæ ipſe exhiberet, ſigna eſſent venturi Meſſiæ. Hoſce etiam characteres ſolerter deſcribunt Evangeliſtæ, ut Jeſum Chriſtum verum eſſe Meſſiam apertiſſimè demonſtrent. Hinc Prophetias, tunc controverſia Judæis tunc temporis probatas, de quibus tamen noſtra ætate ambigunt, in medium adducunt. Eaſdem prophetias laudant primi Eccleſiæ Patres, & veteres Judæi, ſub ipſum Eccleſiæ exordium; neque apud illos in dubium revocari unquam earum veritatem contingit. Nimiùm proinde temporis ſucceſſu, Judæis viſum eſt, apertæ veritati tenebras dubitationis effundere, eaſdem prophetias de Meſſia intelligendas eſſe negantes; quibus proinde ſemel excogitatis, alias de Meſſia ideas, & cogitationes commenti ſunt.

Alii enim, nempe celeberrimus Hillel, quem Judæi vixiſſe dicunt ante Chriſtum, veniſſe jam Meſſiam, nec alterum fuiſſe, quam Ezechiam Regem, jactitant. Alii de adventu Meſſiæ dogma inter articulos fidei recenſendum non eſſe autumant; quod proinde ſi quis negaverit, Legem modicè tantùm offendit; ſicuti modicè omnino læderetur arbor, abſciſſo ramo, ſed illæſa radice. Hanc ſententiam propugnavit Judæus Joſephus Albo, in collatione habita in Hiſpania coram Pontifice Benedicto XIII. Noſtræ ætatis Judæi, pluribus retrò ſæculis Meſſiam veniſſe autumant (a), ſed latere illum in ignota Orbis regione, atque Judæorum crimina in cauſa eſſe, ne prodeat. Veteres Hebræos credere diem everſæ Jeroſolymæ per Romanos, atque ortûs Meſſiæ unum eundemque fuiſſe, Jarchi animadvertit. Interim verò ſedem illi aſſignant alii in Paradiſo terreſtri, alii Romæ, ubi, addunt Thalmudiſtæ, præ foribus urbis inter leproſos, ægrotiſque deliteſcens, adventum Eliæ, quo indicante ſe legatum, opperitur.

Plures tamen nondum veniſſe credunt; quamquam in aſſignando futuro hujus adventus tempore, atque rationes inter ſe diſſident. Sunt enim, qui ſub exitum ſexti millenarii venturum polliceantur; quibus proinde adhuc 522. annos expectandum eſt, jam etenim, juxta eorum computationem, anni 5478. elapſi ſunt, è quibus 3761. ante annum exorti illius viri, quem nos Chriſtum dicimus, deputant; poſt illum verò uſque ad hunc, quo ſcribimus, annum, 1717. effluxerunt. Kimchi, ſcriptor duodecimi ſæculi, in proximo fuiſſe adventum Meſſiæ credidit; nihil tamen niſi ineptum pro eâ re determinanda attulit. Maimonides ex quibuſdam oraculis ab avis hæreditate acceptis, affirmabat, amiſſum oracula fundendi privilegium reſtituendum fore Iſraëlitis, poſtquam tantùmdem temporis effluxiſſet, quantum ab exordio Mundi uſque ad Balaamum, nempè ad annum, ut ipſe ſupputabat, 2486. interceſſiſſet. Hinc annus Mundi 4976. qui juxta eum calculum, in annum Chriſti 1216. incidit, prophetiæ reſtitutione celebris haberi debuit. Spem tamen fefellit eventus. Alii finem ærumnarum expectabant anno 1492. alii 1598. alii 1600, alii etiam ſerius. Tandem poſt tot variantium opinionum ludibria, Meſſiæ annos ſupputare anathemate prohibuerunt (b). Conciliandis oraculis ſpeciè tenùs repugnantibus, ſunt, qui duos Meſſias ordine ſuccedentes inveherint; quorum alter omnibus ærumnis, egeſtate, ac incommodis exantlandis deſtinatus eſſet; alter regio apparatu, bonorumque affluentia prodiret, uterque intrà puri putique hominis cenſum. Primum Nehemiam appellatum, atque Huarcle patre ortum, ad tribum Joſeph, & familiam Ephraim ſpectaturum affirmant; quem dicunt exercitum ex univerſis Tribubus Ephraim, Manaſſe, Benjamin, & Tribus Gad parte coactum, in Idumæos adducturum (quo nomine Chriſtianos, & Romanos, intelligunt;) eorumque imperio everſo, Judæos triumphantes more Jeroſolymam reducturum.

Alter Meſſias, dicunt, ex genere Davidis prodibit, qui præcedenti Meſſia ad vitam revocato, univerſum Iſraëlem congregabit, mortuos reſtituet, reparabit Templum, ac tandem in univerſum Orbem jus dicet. Uxores illi plures, nec filii pauciores; quibus poſt obitum ſuum (commune enim cum cæteris hominibus fatum habebit) Regni ſucceſſionem relinquet (c).

MESSIS. Meſſem hordeaceam in Paleſtina ſtatim a Feſto Paſchatis inibant. Exoriente enim die hujus.

(a) Buxtorf. Synag. Judic. c. 36. (b) Gemar. tit. Sanhedr. c. 11.
(c) Vide Imbonat. Diſſert. de Meſſ. ad calcem l. 5. Biblioth. Rabb. Bartoloc. t. 3. ejuſdem Biblioth. Baſnage t. 4. hiſt. Jud. Edit. Pariſ. noſtram Diſſert. de Charact. Meſſiæ, ante Comment. in Jer.

hujuſce Solemnitatis, ſeù potiùs veſpere diei 15. Niſan, undè dies 16. ejuſdem menſis (qua die minimè feriæ erant) incepiſſe cenſebatur, Judices Domus miſſis viris, extra Jeruſalem manipulos novi hordei, offerendis Domino primitiis, colligendos curabant. Cum viri illi ad agros venirent, ſtatim ex adjacentibus vicis multitudo collecta, totius cæremoniæ teſtis adſutura, conveniebat. Ineunte nocte, viri illi ter adſtantes interrogabant, an ſol occidiſſet; ſemel verò, iterum, ac tertiò de ea re certiores facti iterum ter meſſem legendi facultatem petebant, terque illis concedebatur. Hinc tres viri tribus falcibus diverſis manipulum hordei (nempe tria ſata) metebant, quod in tribus arculis reconditum in Templum deferebatur, ubi virgis excuſſum, atque cribratum, demùm parabatur, ut mane alterius diei ſacrificio Domini offerendo par eſſet (a). Parùm differebat ritus hujuſce oblationis, Joſephi teſte (b); hordei enim granum excutiebatur, ſpicarum ſummitate igne toſta. Dein hordeum purgatum in mortario, ſive mola conterebatur; ex quo demum plenum aſſaron (menſura trium circiter pintarum) ad Sacerdotem ferebatur, cujus uſibus totum cedebat, poſt crematum ex eo tantillum, quantum pugillum impleret.

Quamquam autem primitiæ frumenti in Solemnitate Pentecoſtes offerebantur; *Exod.* 23. 16. & 34. 22. meſſis tamen antea colligebatur. Judæi namque exordium illius meſſis ad 18. Menſis *Iiar*, nempe die 33. à Paſchate conſignant.

In colligendis ex agro meſſibus, intactum aliquid à meſſoribus prætermitti, in uſum indigentium, in Lege jubebatur (c). Quæ tamen portio relinquenda in Lege quidem non præſcribitur; ſed Rabbini ſaltem ſexageſimam totius meſſis partem determinant; quam etiam doctrinam ad vindemiam, fructus, & frumenta quæcumque extendunt (d). Præcipitur etiam meſſoribus, *Levit.* 19. ne ſpicas fortè excidentes ſolerter nimiùm legant; neque ſi caſu manipulus in agro per oblivionem relictus ſit, iterum repetatur, ſed omnia pauperibus ſpicas quæritantibus permittantur. *Deut.* 24. 19.

MESSIAS. *Pſeudo-Meſſiæ*. Diſcipulos ſuos monuit Jeſus Chriſtus *Matt.* 24. 24. *Marc.* 13. 22. *Surgent Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Sua fides & plus etiam nimiò conſtitit oraculo. Paruerunt ſubinde apud Judæos per ſæculorum tractum Pſeudo-Prophetæ & Pſeudo-Chriſti, qui incautis ſanè pluribus perſuaſerunt. Paruerunt & ipſa Jeſu Chriſti ætate. Simon Magus perinde ſe obtrudebat Samaritanis, quaſi Dei virtutem, *Act.* 8. 9. Succedenti ſæculo Barcochebas impoſturis ſuis in ſe totamque gentem mala provocavit adeò ingentia, quanta alio tempore nunquam. Vide v. *Barcochebas*, & v. *Impoſtor*.

Quinto ſæculo, circa annum 434 in Inſula Creta Moyſes quidam, Pſeudo-Meſſiæ gerens impoſturam, venditabat ſe tamquam gentis Legiſlatorem, qui è Cælo deſcenderit, procurandis Gentilibus ſuis novam è ſervitute libertatem, atque per tranſverſum mare reducendis iterum in Terram promiſſionis (e). Judæi Cretenſes vana hac ſpe lactandos ſeſe præbuerunt, nec rari projecerunt ſe in pelagum, rati ſtatim aquas reſiliituras in partes, ut liberum præberent tranſitum. Ita demerſi aquis plures, alii, ægrè licèt, evaſerunt in tutum; quæſitus ad ſupplicium impoſtor evanuit; unde ſuſpicio, num ſeducendis Judæis hominem ſimulaſſet malignus aliquis Genius.

Altero ſuccedenti ſæculo (*A.* 530.) Palæſtinam tenebat in Meſſiam arrectam Julianus quidam, Meſſias triumphator, miſſuſque à Deo liberandis vi armorum gentilibus ſuis à Chriſtianorum oppreſſionibus. Placuerunt vana hæc Judæis, qui arrepta ſtatim armà Chriſtianis plures trucidarunt; ſed Juſtinianus Imperator miſſis copiis & ſeductos diſſipavit, & Principem Julianum ſupplicio affecit.

Anno 714. Serenus, vir Judæus, (f) ſanctè obteſtatus eſt Judæis Hiſpanis, miſſum ſe ſeducendis illis in Palæſtinam, ubi & imperium ſuum ſe reſtituturum norat; ſtatim Judæis in novum Meſſiam credulis; quare dimiſſa patria boniſque, ejus ſequelæ addixerunt ſeſe: brevi tamen & impoſtura detecta, & errorem pœnitudo conſecuta eſt.

Fœcundum malis hiſce ſegetibus ſæculum duodecimum (g) impoſtorem unum protulit in Gallia, cujus merito & in ipſi caput & in ſectatores ejus omnes provocatum eſt malum ingens, inferente Rege Ludovico Juniore. Ejus nomen & patria ignoratur; & ab iis, à quibus apprehenſus eſt, neci pariter traditus periit. Spectant hæc ad A. 1137. circiter. Succedenti anno ſimilis alius in Perſide validum adeò comparavit exercitum, ut juſto prælio decertare potuerit cum copiis Regis Perſidis, ſed Princeps Judæos ditionis ſuæ coegit, ut hominem ad ponenda arma inducerent; repoſuit Impoſtor ſuis, priorum eventuum felicitatem de futuris reſpondere; quare confirmarentur animis. Nihilo tamen ſeciùs pollicitus eſt continere ſe ab armis, dummodo impenſæ belli reficerentur. Conditionem acceptavit Rex, ſed inermem Impoſtorem nihil ultra metuens, coegit iterum Judæos reducere in Ærarium, quæ antea receperant.

Ejuſdem ſæculi ſeptem vel octo Pſeudo-Meſſiæ in Hiſpaniis, Arabia, Perſide, & Moravia Judæos occuparunt. De Moravo illo ferunt artem calluiſſe evaneſcendi ex oculis adſtantium pro voluntatis arbitrio, ſicut & faſcinandi oculos ſectatorum ſuorum. Impoſtor alius David Al-roi magiam profitebatur, cujus ope grandi prodigiorum ſpecie deceptos Judæos impulit ad arma. Victoriarum illius celeritatem, tum & ſectatorum multitudinem Rex admiratus, juſſit conferre ſe ad Aulam, pollicitus illi obedientiam, ſiquidem argumentis evincere poſſet, eſſe ſe genuinum Meſſiam. David illicò ad Regem; detruſuſque ſtatim in carcerem, nihilo tamen ſeciùs evaſit; fugientem milites inſecuti ſunt; evanuit ille ex oculis, ut vox loquentis audiretur, nemo tamen cerneretur. Tum Rex copias ſuas in illum duxit, aſſecutuſque hominem ad ripam amnis Goram, inſonantem auribus vocem ejus audivit clamantem: O ſtultum; ſed nihil præter vocem Regii tenuerunt. Momento poſt apparuit dividens pallio aquas amnis, mediumque tranſvadans; ponè illum ſecutus eſt exercitus; ſed nullibi apparuit. Rex ad hæc datis ad Judæos ditionis ſuæ literis, denunciavit, ut traderent Impoſtorem, alioquin miſerè omnes trucidandos. Scripſit ad illum Zacchæus Princeps captivitatis, rogans, ut traderet ſe Regis manibus, eximendo a diſcrimine populo, ſed precantem deridiculo habuit David. Tandem uxoris illius pater, ingenti auro corruptus, virum invitavit ad propria, propinatoque largiùs mero ebrium obtruncavit. Ineunte ſæculo 16. Judæi Mediæ & Perſidis quà celeritatem, quà promptum felicemque expeditionum exitum Iſmaelis Sophi Principis ejus domus, quæ uſque hodie regnavit in Perſide, admirantes, in ſuſpicionem venerunt, num perſonam referret ipſe Meſſiæ, quem venturum opperiebantur. At ſincerus ille Muſſulmanus & honores reſpuit; & ab hominibus abhorruit. Obiit ille anno 1523.

Jacobus Zieglernus, qui fatis ceſſit anno 1559. annunciabat altè adventum Meſſiæ, natumque profitebatur

(a) Lev. 23. 10. 11. Cod. Menachoth. 6. 7. 4. (b) Antiq. l. 3. c. 10.
(c) Lev. 23. 22. & 19. 9. Hebr. *Non metes angulum agri tui.* Vulg. *Non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ, ſeu agri.*
(d) Vide Miſna l. 1. art. Miſchat. Peah. (e) Socrat. lib. 2. cap. 38.
(f) Marca Hiſt. Bearn. l. 2. (g) Maimon. Epiſt. de Auſtral. Region. apud Voſtium not. in Zemach. Salom. Ben Virga Schevet Juda pag. 169.

ſam inde à 14. annis, quem & vidiſſe ſe Straſburgi affirmabat. Habebat autem apud ſe conditum gladium ſuum cum ſceptro, conſignandos manibus hujus pueri, dum præ ætate ad bellum par redderetur. Spondebat tum evertendum ab illo Antichriſtum cum Turcarum Imperio, protendendos Monarchiæ fines uſque ad Mundi extrema, cogendum Conſtantiæ Concilium 12. integris annis perſeveraturum, quo Religionis omnia componerentur. Meſſias nullibi apparuit, & fraus detecta eſt. Ejuſdem farinæ vir alius Philippus Zieglerius in Hollandia anno 1624. Meſſiæ à ſe omnia ſpectati promovit ſpem, aſſerens nihil aliud opperiri illum, quò ſe publico permitteret, quàm converſionem cordis Judæorum.

Nec tamen adhuc hiſce convaluit Judæorum morbus, ad futurum Meſſiam quod attinet. Judæus alter, Aleppo natus (a), poſtremo ſæculo, nomine Zabatai-Tzevi obtrudere ſe in Meſſiam credulis Judæis aggreſſus eſt anno 1666. Maturè fatis & conſilium illud ſuum inivit, formavitque ſe ad omnia, quæ gerendæ perſonæ neceſſaria arbitrabatur. Conciones habebat in aperto agro coram Turcis Oratorem deridentibus, cùm interim Diſcipulos haberet ad omnia admirantes. Jactitabat valere ſe nubium vehiculo ſuſtolli in aera, ut olim ab Iſaia 14. 14. prædictum fuit; interrogavitque Diſcipulos ſuos, num unquam per aera diſcurrentem ſe vidiſſent, eorum cæcitatem reprehendit, qui ſincerè negaverant. Coram Principibus Synagogæ Smyrnenſis, ubi tunc verſabatur, dies illi dicta, damnatuſque capitali ſupplicio; ſed cùm executioni mandaturus latam ſententiam nemo occurreret, ſatis habuerunt Judices, ſi hominem exilio mulctarent.

Tertiò duxit uxorem, nunquam tamen conſummavit conjugium; poſt decurſam Græciam venit Alexandriam, inde Gazam, ubi Judæum Nathan Levi vel Benjamin impulit perſuaſionibus ſuis, ut perſonam aſſumeret Eliæ Prophetæ, Meſſiæ Præcurſoris. Venerunt igitur Jeroſolymam, ubi Nathan indicavit Tzevi, tanquam expectatum ad id uſque Meſſiam, Judæorum pars ſeducta eſt; ſed viri graviores inſurgentes, anathemati hominem devoverunt. Tum ille Conſtantinopolim, inde Smyrnam, ubi Nathan Levi quatuor miſſis legatis Impoſtorem agnovit in Meſſiam. Ea legationis ſpecies impoſuit & vulgò omnibus, & Doctorum etiam pluribus, ſalutatus eſt in Regem, certatumque ab omnibus, ut collatis muneribus adjumenta Regiæ dignitatis afferrent. Fruſtra viri graviores novis hiſce reſiſtere authoritate ſua conati ſunt. Capitales in illum ſententiæ ad decem pronunciatæ ſunt: omnes contempſit vir callidiſſimus, noſcens, neminem futurum, qui illas mandaret executioni. Convenit Cadi Smyrnæ, in cujus patrocinium exceptus eſt. Tzevi per ora populi ferebatur, thronum ſibi erigendum curavit, ſicut & alterum uxori ſuæ, appellabat ſe *Regem Regum Iſrael*, & Joſephum Tzevi fratrem ſuum *Regem Regum Judæ*. Doceri juſſit in Liturgia nomen Othomani Imperatoris, & proprium ſuffici. Ante cœptam in Imperium illud expeditionem, quaſi felicem exitum manu teneret, Regni munera & dignitates inter amicos diſtribuebat.

Movit tandem Conſtantinopolim verſùs; ſed venturum intelligens magnus Turcarum Imperator, Viſirem ſuum mandatis oneravit, capi hominem & egregiè fuſtigari. Nec mora omnia; interrogatuſque cur ſibi nomen vindicaſſet Regis, reſpondit à Judæis coactum ſe. Ad Æchinades Inſulas deportari captivum præcipit Viſirius. Judæi perſuaſum habuerunt ideo remiſſam fuiſſe Tzevi pœnam, quòd inferre majorem injuriam nequiſſent Barbari. Corruptus auro Arcis Præfectus permiſit captivum ſuum omni honorum genere à Judæis coli. Inter hæc magnus Turcarum Imperator accitum ad ſe Andrinopolim Tzevim mandavit jaculo & gladio transfodi, experimento probaturus, num ſeipſa vulneri eſſet impervius. Maluit Tzevi Mahometanam ſuperſtitionem amplecti, quàm mortem oppetere; ea ſcena hujus exitus. (b)

METABEEL, filius Dalajæ. 2. *Eſdr.* 6. 10.

METATRON. Hoc nomine appellant Hebræi Angelorum Principem, quo deductore iter per deſertum monſtratum eſt, de quo pariter apud Moyſem ſcriptum conſtat, Exodi 23. 20. *Ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi; obſerva eum & audi vocem ejus.* Munus igitur gerebat Angelus apud Iſraelitas idem, quod *Metator* apud Romanos. Locum metandorum caſtrorum, formam, dimenſiones & extenſionem notabat. Eſt autem *Metatron* non obſcurè ex Latino *Metator*. Porro qui populum duxit in deſerto creditur Archangelus S. Michael, quem pariter cum Angelo collucſtatum ferunt, appellatumque faciem Dei Exodi 33. 20. *Præcedet te facies mea.* Mediator ipſe eſt Deum inter & homines, proba mortalium opera refert in cenſum.

METEMPSYCHOSIS. Metempſychoſis dogma nullibi occurrit; quà in Veteri, quà in Novo Teſtamento, quidquid blaterent recentiores Judæi. Quin potiùs contraria patent in Lege, Prophetis, Authoribuſque ſacris N. T., docentibus ſcilicet animas hominum poſt obitum manere ſtatum quemdam certumque ſtatum, nihil habentem affine cum præſenti hac ſupertali vita. *Pſ.* 77. 39. Eccle. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Exprimunt Judæi Metempſychoſim ex illo Jobi 33. 29. *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos?* Veluti ſcilicet hiſce inſinuaretur triplex circumvolutio, ſeu triplex reditus animarum in corpora; ſeipſa tamen exprimitur Deus à diſcrimine caros ſibi homines liberare uſque tertiò, i. e. iteratis vicibus. Vero propiùs autumaremus, Judæos opinionem hanc adoptaſſe è Chaldæis, quibus tempore apud illos captivi detinebantur; vel ex commercio cum Græcis, qui tamen ante ipſam eandem opinionem ab Orientalibus acceperant.

Illud conſtat Chriſti ætate apud Judæos vulgò dogma illud invaluiſſe, quod non obſcurè demonſtrat Evangelium, Matth. 16. 14. narrans, à nonnullis Jeſum Chriſtum reputatum Joannem Baptiſtam; ab aliis Jeremiam, Eliam, ſive ex Prophetis quempiam. Delato de miraculis Jeſu Chriſti murmure ad Herodem, reputabat ille apud ſe: *His eſt Joannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis Matth.* 1. Joſephus & Philo Judæorum omnium, poſt ſacros Scriptores, vetuſtiſſimi pariter & ſapientiſſimi, ita de metempſychoſi agunt, quaſi de receptoque communi inter ſuos dogmate. Phariſæi, authore Joſepho Antiquit. lib. 18. cap. 2. de bell. lib. 2. cap. 12. tenebant proborum animabus reditum in aliud corpus poſt obitum prioris ad manus fuiſſe. Idem pariter Scriptor de Bello lib. 7. c. 25. &c. perhibet, impiorum animas irrepere interdum in corpora viventium, quæ & angunt & diſtorquent miſerrimè. Docet Philo de Somno pag. 586. & de Gigan. pag. 285. animas ex aere in corpora, hunc maximè depereuntes, delabentes, recipi pariter in aera poſt corporum interitum; inſtitum nonnullis perſeverare quidem in materiam horrorem, ut nova obtrudi in corpora perinde ac malum aliquod metuant; alias autem viciſſim propenſionem in illud fovere, qua pariter & revocari ſe in corpora permittunt.

Doctores Judæi, qui metempſychoſim docent, minùs perſpicua, & aperta affectant ſententiam hanc enim ambiguis myſticiſque vocibus occultantes, tradunt (c): Tenent Deum præſtituiſſe ſingulis animabus certum quendam perfectionis gradum, quò tamen fruſtra adniterentur toto unius vitæ

(a) Sunt qui natum affirment Smyrnæ.
(b) D. Baſnage Hiſt. Jud. tom. 9. l. 5. c. 26.
(c) Jaſaac Lorienſ. de Revolut. anim. c. 4. Cabbalæ denudat. part. 3. pag. 258.

vitæ tempore. Quare coactæ ſæpius remeant in terram, in nova item & nova corpora migrantes; quò tandem conſtitutum juſtitiæ penſum reddant, impleant præcepta affirmativa pariter & negativa, quibus neglectis nunquam ſtatum illum, ad quem deſtinatæ ſunt à Deo, attingerent. Undenam, rogo, interrogant illi, viri probi interdum acerbiſſimo fato intereunt? Inde profectò, quòd ſatis maturè totum juſtitiæ penſum reddiderunt, ut proinde cur in corpore fragili & mortali adhuc laborent nihil ſit. Alii, uti Moyſes, inviti decedunt, quòd non omnia impleverunt vitæ officia. Viciſſim alii, uti Daniel (a) læti recedunt, & mortem ſummis exoptant votis; quòd nihil ſit præſtandum ſibi reliqui in hoc mundo.

Metempſychoſis ſive animarum revolutio duplici ratione conficitur. 1. Cùm anima corpori viventi nova ſupervenerit. Hæc reputabat Herodes Tetrarcha, cum ſcilicet animam Joannis Baptiſtæ, non diu antea à ſe obtruncati, autumabat migraſſe in corpus Jeſu Chriſti ad prodigia patranda. Interdum animæ ideò ſubeunt corpora, ſuo jam ſpiritu vivificata, ut illum ſibi comparent perfectionis gradum, cui adhuc defuerunt, vel ut adjumento ſint priori animæ, implendis operibus, quæ Deus repoſcit. Docent, e. g. animam Moyſis unius contubernii ſocietatem habituram eſſe cum anima Meſſiæ.

Alter circumvolutionis ritus ille eſt, cum anima remeat in corpus recens formatum, ſive expiandis commiſſis in altera vita criminibus, ſive ut primam ſanctitatem augeat. Sublimioris naturæ animæ quædam abhorrent illæ quidem à materia, nec niſi ægrè propelluntur in corpora. Aliæ craſſiores inſito quodam pondere inclinatæ in corpus, ſæpè ad illud ventitant, ſolo voluntaris deſiderio ad eam conditionem impulſæ. Tenent Judæi revolutionem hanc tribus vel quatuor circulis confici. Porrò transmigrationem extendunt uſque ad bruta, & res quaſcumque inanimes, quam ſententiam non rari propugnant. Celeberrimi Judæorum Doctores illam defendunt, contenduntque Pythagoram, Platonem, Virgilium, exteroſque veteres Philoſophos id pariter, acceptum è Prophetis, docuiſſe.

Inoluerunt hæc jam inde à vetuſtiſſima ætate apud Orientales. Primum apud Indos dogma invexiſſe ferunt Xekiah Indum Philoſophum natum 1000. circiter annis ante Chriſtum (b); ad Sinas inde diffuſum anno 65. poſt Chriſtum. Porrò Xekiah octies millies natum affirmant Sinæ; & cùm poſtremò naſceretur formam retuliſſe albentis Elephantis. Ea occupati perſuaſione Sinæ ac Indi, faciles ſibi natiſque manus inferunt violentas, cùm alimenta rei familiaris anguſtia negat. Fertur gentis illius Rex quidam variolarum puſtulis horrendum vultum ſuum diutius ferre impatiens, jugulum ſibi præcidi mandaſſe à filio fratris ſui, qui poſt hæc rogum ſubivit. Philoſophi Calani, qui rogum ſpontè aſcendit ætate Alexandri Magni, hiſtoria tam nota eſt, quàm quid aliud.

Interitum perinde habent Indi ac rem in medio poſitam, horrorem tollente dogmate, quod ſanctum tenent & inconcuſſum, de Metempſychoſi. Ea eodem dogmate formati ſunt crebri in Oriente Impoſtores & Pſeudo-Meſſiæ ſpiritu ſe Adam, Moyſis &c. animatos jactitantes. Ex his unus Akemben-Asba paruit anno 162. Hægiræ, ſpargebatque in vulgus poſt obitum Adami Deum ſpectandum ſe præbuiſſe mortalibus plurium inſignium virorum & Prophetarum aſſumpta forma; poſtremo omnium mortales induiſſe artus in Abu-Moslem Principe Koraſan; poſt cujus viri obitum in ſe transmigraſſe Numen. Ex eodem fonte derivati ſunt Fanatici illi, qui divinis cultum honoribus volebant Abon-Giafar-Almanſor ſecundum Caliſam generis Abaſſidarum, in quem virum Mahometi vel alterius ex Prophetis migraſſe animam rebantur. Tandem non aliundè petitur ratio, quare ab animatis omnibus abſtineant, metu ne ſimul cum bruto violent contubernium animæ ſeu parentis ſeu neceſſarii alicujus; quin nec defenſionem ſibi parant vel in belluas in ſeſe inſilientes, & caro etiam pretio redimunt animalia è manibus exterorum, ſi quos viderint necem inferre brutis paratos. Vide ſupra v. *Anima*, & infra v. *Reſurrectio*.)

METHA, locus inter Thare, & Heſmona, ubi Iſraelitæ caſtrametati ſunt in deſerto; *Num.* 33.28.29. idem fortè ac *Metheg*, de qua 2. *Reg.* 8.1. Confer 1. *Par.* 8.1. ubi legitur David cepiſſe *Geth*, *& filias ejus*; in Libris enim Regum legimus cepiſſe illum *Metheg*, *& matrem*, ſcilicet *Metheg*, *& Geth*. Porrò hæ duæ urbes non longè erant ab Heſmona, atque intra plagam Meridionalem Terræ promiſſionis. Pro *Metheg*, *& matrem*, in Hebræo occurrit *Meteg amma*, quod S. Hieronymus reddit, *frænum tributi*; quamquam S. Interpretem ſcripſiſſe *frænum cubiti* maluerim, atque nonniſi Amanuenſium oſcitantia irrepſiſſe *frænum tributi*. Verùm præſtat nomen *Meteg* de loco quodam accipere, qui ſanè locus idem videtur, ac *Methca*.

METRETA, vox ex Græco *Metretes*, quæ menſuræ nomen eſt, bis in Vulgata occurrens, 1. *Par.* 2. & 4.5. utrobique tamen in Hebræo legitur *Bathus*, quæ menſura erat 29. pintas, cum dimidia, ſemiſextario, & octava pintæ parte, & paulò amplius capiens. Metreta Græcorum, juxta nonnullos, 100. libras, juxta alios 90. libras liquoris continebat. Verùm cùm Athenienſium libræ à librarum Pariſienſium pondere nonnihil deficerent, 90. illorum libræ ad 60. Gallicas libras referri poſſunt; hinc Metreta Græcorum batho Hebræorum ferè reſpondebat. In nuptiis Canæ ſex ampliſſimæ hydriæ appoſitæ erant, quarum ſingulæ 3. Metretas capiebant; has Jeſus aqua impleri, ac dein prodigio vinum fundere juſſit. *Joſ.* 2. 6.

METRI, è Tribu Benjamin, Princeps familiæ Cis, patris Saulis. 1. *Reg* 10. 21.

MEZA, quartus filius Rahuelis, filii Eſau. *Gen.* 36.13.

MEZAAB, mater Matred. *Gen.* 36. 39.

(MEZRAIM vel *Meſraim* ipſa eſt Urbs Memphis, in Hebræo *Moph* vel *Noph*, quæ diu princeps fuit in Ægypto, obtinuitque nomen *Meſer*. Tradunt Geographi Orientales poſt victorias Alexandri Magni indictum fuiſſe illi nomen *Babylon* vel *Babylon*, in memoriam veteris Urbis Chaldææ, ac tandem in *Cairi* appellationem tranſiiſſe. Verùm tres illæ Urbes *Memphis*, *Babylon*, & *Cairus*, quanquam ſat proximæ, & altera poſt alteram è præcedentis ruinis eædificatæ, variant tamen in ſitu; jacet enim Cairus ad Orientem Nili. Memphis vetus ad Occidentem. Nec tamen abſtinent Arabes, quin interdum Cairum ipſum appellent nomine *Mezer*.

Ægyptus, juxta Orientales Geographos (c), in partes diſtinguitur tres, nempe meridionalem vel *Said*, ipſa eſt Thebais, cujus Metropolis vetus Urbs Thebarum hodie incolis deſerta; modò Metropolis privilegia tranſlata ſunt in *Aſovan*, quæ ipſa eſt *Syenes* Antiquorum.

Altera pars è Cairo protenditur ſeptemtrionem verſùs; *Ref* appellant Arabes, & *Rahab* veteres Hebræi: *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me*. *Pſal.* 86.4.

Tertiam partem, quam Arabes *Giouf*, tractus ille conſtituit, quem olim Veteres Dalta nomine appellabant, complectiturque totam eam regionem, quam definit Nilus uſque ad oſtia in Mediterraneum.

Sunt qui accenſeant Ægypto regionem Arabicè nuncupatam *Belald-Al-Tor*, regionem Tor vel montis Sinai; ex quo factum, ut Orientales quidam Geographi aſſignent Ægypto Deſertum, quod filii Iſrael decurrerunt, quanquam reipſa intra Arabiam Petræam continetur.

Veteres Græcorum Geographi partem Orientalem Ægy-

(a) Vide Dan. 12. 13. (b) Renaudot Not. in Iter Sinenſ. duorum Arabum Gallicè.
(c) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 582.

Ægypti, Arabiæ nomine nuncuparunt, quam proinde Arabiam ex eo latere prorogant uſque ad Nilum. Conſtat etiam Arabes noſtra ætate excurrere & occupare totum fermè hunc Ægypti tractum, qui incultus ferè & deſertus hodie ſquallet. Nec tamen his prohibemur quin Ægyptum definiamus ab Oriente Mari rubro. Vide quæ tulimus ſupra v. *Ægyptus*.)

MEZUZOTH, hædinæ quædam cartæ folia ſunt, quæ Judæi in domorum limitibus affigunt, ad literam ſervantes illud: *Deut. 6.9. & 11. 13. Scribes ea in limine, & oſtiis domus tuæ*. Quamquam enim ea phraſi nihil imperatur, niſi ut Divinæ Legis præcepta perpetuò, ſive domum regredientibus, ſive egredientibus in mente agitanda ſint, Doctoribus tamen Hebræis plus aliquid injungi viſum eſt. Docent tamen (ne ſive homines, ſive Divinæ Legis verba ludibrio exponantur) folium illud ſacris verbis inſcriptum non in domorum liminaribus expandi, ſed abdito aliquo in loco recondi debere. In folio igitur hædino ad hoc præparato, rotundo charactere, ſcribunt hæc verba: *Deut. 6. 4. 5. Audi Iſrael: Ego Dominus &c.* Deindè aliquantulo ſpatio relicto, ſubdunt: *Si ergo obedieris mandatis meis, &c. Deut. 11. 13.* & deinceps, uſque ad illa verba: *Scribes ea ſuper poſtes, & januas domus tuæ*. Dein folium illud convolutum in arundineo tubo, cujus extremitati nomen *Sadai* (nomen eſt Dei) inſcriptum eſt, recondunt: illum autem malleolo in poſtibus domorum, conclavium, omniumque celebrium locorum appenſum, quoties domum ingrediuntur, extenſa dextra contingunt, reductamque deindè religiosè oſculantur. Vox *mezuza* potiſſimùm quidem ædium ſtipitem ſonat; ſed de foliis hiſce hædinis etiam uſurpari ſolet. *Leo. Mod. Cer. de' Giudei p. 1. c. 2.*

MIA, vicus transjordanicus. *Joſeph. Antiq. l. 20. c. 2.* Vide *Mya, & Zia*.

MIAMIN, filius Pharos, è genere ſacerdotali, ex iis, qui poſt regreſſum è captivitate, ductas alienigenas fœminas dimiſerunt. 1. *Eſdr.* 10. 25. & 2. *Eſd.* 10. 17.

MIBAHAR, filius Agarai, inter viros fortiſſimos Exercitus Davidis. 1. *Par* 11. 38.

I. MICHA, filius Meribaal, alio nomine Miphiboſeth 2. *Reg.* 9. 6. 12. & pater Phiton, Melech, Thaaran, & Anas. 1. *Par.* 8. 34. 35.

II. MICHA, pater Achobor. 4. *Reg.* 22. 12.

III. MICHA, è Tribu Ruben, filius Joelis. 1. *Par.* 5. 5.

IV. MICHA, filius Zechri, & pater Nathaniæ, 1. *Par.* 9. 15.

V. MICHA, filius Ozielis. 1. *Par.* 23. 20.

MICHAJA, filia Urielis Gabaonitæ, & mater Abiæ Regis Juda. 2. *Par.* 13. 2. Vide *Maacha*.

MICHAS, de Tribu Ephraim, filius viduæ locupletis, & ſuperſtitioſæ, qui univerſo Iſraeli offendiculo fuit, hac potiſſimùm de cauſa. *Judic.* 17. & 18. Cùm mater ipſius 1100. ſiclos (nempe 1782. libras circiter, ac 17. ſolidos, & 8. denarios, aſſignatis pro ſingulis ſiclis 30. ſolidis, & 5. denariis) reconditos apud ſe haberet, accidit, ut ſubitò quæſiti non invenirentur; cujus rei gratia fœmina in querelas verſa, furem dirìs omnibus devovit. Michas, ſive quòd ipſe pecunias ſubripuiſſet, ſive quòd ab alio raptas recepiſſet, matrem conveniens, pecunias reſtituit. His acceptis fœmina primò fletum compeſcere, deinde filium benedictionibus cumulare; ſignificavit tandem deſtinaſſe ſe pecuniam illam cultui Divino, conflato Ephod; velle autem ſe hoc Ephod in privato ædis conclavi venerationi expoſitum, ejuſdem filii cuſtodiæ committere. Nec diù morata, Ephod, quod ſacerdotale eſt ornamentum, ac nonnulla ſimulachra ex ære conflata, in conclavi domus repoſita, Michæ cuſtodienda tradidit. Ille, ut matris voluntati obſecundaret, filium ſuum Sacerdotem conſecravit; ſed deinde juniorem Levitam nactus, abdicato è Sacerdotio filio, eumdem ſubſtituit (a).

Ea ætate nullus Rex jura dabat Iſraelitis, ſed ſinguli arbitratu ſuo regebantur; quare hanc hiſtoriam contigiſſe credimus eo temporis ſpatio, quod inter obitum Joſue, ac Seniorum, qui illi ſucceſſerunt, & regimen Othonielis interceſſit ab an. M. 2570. uſque ad 2599. ante Ch. 1401. ante Ær. 1405. Accidit interea, ut Tribus Dan, cui anguſtior regio ſorte obtigerat, miſſis 600. viris, locum ad coloniam ducendam requireret. Euntes viri illi, in montibus Ephraim Levitam in domo Michæ verſantem nacti ſunt; quem, Dominum pro itinere ſuo conſuleret, rogarunt. Illo fauſta omnia, conſulto oraculo, promittente, læti abierunt; atque expeditione impleta ad ſuos reverſi renunciarunt, urbem Lais facilè occupari potuiſſe, ſi in illam copias duxiſſent.

Ea ſpe adducti Danitæ, iter ſuſceperunt; cùmque ad Michæ ædes perveniſſent, corrupto Levita, Ephod & Idola ſubripuerunt. Michas intellecto furto, abeuntes clamoribus proſequebatur; ſed minis deindè ab illis adactus, & querelas ſupprimere, & furtum tacitus ferre coactus eſt. Occupata interim à Danitis Lais, Idolum è domo Michæ ſublatum, ibidem erectum eſt; ejuſque Sacerdotium Jonatham filio Gerſam, filii Moyſis, commiſſum. Poriò ſuperſtitio illa tamdiù urbem tenuit, quandiù Domus Dei in Silo manſit, & uſque ad tempus captæ, ſive juxta aliam Verſionem ex Hebræo, liberatæ regionis. Quæ verba alii de regionis liberatione per Sampſonem, alii de captivitate decem Tribuum interpretantur. Toto ſanè temporis ſpatio, uſque ad captivitatem decem Tribuum; urbs Lais, ſive *Dan*, ſuperſtitionibus obnoxia fuit, quà Theraphim Michæ, quà aureo vitulo Jeroboami.

I. MICHÆAS, filius Jerulæ Ephraimites, Propheta Domini. Hic, ut vulgò creditur (b), quanquam in Scriptura nomen expreſſum non eſt, quendam ex ſociis, invitum tamen, & detrectantem, coegit, ut ictum ſibi, & vulnus infligeret (c). Dein fœdato pulvere vultu, nè facilè agnoſceretur, Achabo obviam occurrit: Cùm ille veniſſet, exclamavit Michæas, ſibi cùm in prælio eſſet, captivi cujuſdam cuſtodiam fuiſſe commiſſam, impoſita vitæ, ſive talenti multa, ſi fugere permiſiſſet. Accidiſſe autem, ſe in prælii calore huc illucque verſante, ut captivus elaberetur. Achab his auditis, reſpondit, illum contra ſe protuliſſe ſententiam, ea conditione captivum cuſtodiendum ſuſcipientem. Tunc Propheta, abſterſo pulvere: Accipe, ait, Domini oraculum: Tu virum morte dignum (nempè Benadad Regem Syriæ) impunè dimiſiſti; vitam tuam pro vita, & populum tuum pro populo illo rependes. Hiſce minis nihil motus Achab, ſtridens tantummodò in Prophetam, Samariam regreſſus eſt.

Triennio circiter poſt an. M. 3107. ante Ch. 893. ante Ær. 897. Achab, decreto bello contra Benadad Regem Syriæ, quem triennio ante illæſum dimiſerat, Joſaphat Regem Juda ad expeditionem junctis viribus ſuſcipiendam ſollicitavit. Nec Rex ille, qui tunc temporis Samariæ verſabatur, recuſavit; ſignificavit tamen, optare ſe, ut de rei eventu Propheta Domini conſuleretur; cùm Prophetis Baal victoriam pollicentibus, parùm fideret. Accitus eſt ergo Michæas, filius Jerulæ, cui, cùm veniret, inſinuatum eſt, ut ad aliorum Prophetarum Baal dicta ſua conformans, læta prædiceret. Sed ille, nihil ſe dicturum, quàm quæ à Domino ſuggererentur, profeſſus eſt. Inter hæc, ad Reges pervenit, ſtatimque ab Achabo interrogatus, num in Ramoth Galaad expeditio ſuſcipienda eſſet; reſpondit primò, iret ille, victor rediturus; verùm ab Achabo ſub obteſtatione Divini nominis rogatus, ut vera proderet, compoſito ad ſeveritatem vultu, dixit, vidiſſe ſe Iſraelitas tanquam oves in montibus ſine Duce palantes; Dominum autem imperaſſe, ut quiſque ad ſuas domos in pace regrederetur.

Tunc

(a) Ex cap. 18. 30. Judic. intelligimus, hunc Levitam de genere Moyſis fuiſſe, appellatumque Jonatham filium Gerſam.
(b) Ita Joſeph. Antiq. l. 8. c. 8. & Hebræi, ita & alii.
(c) 3. Reg. 20. 35. &c. A. M. 3104. ante Ch. 896. ante Ær. 900.

Digitized by Google

Tunc Achabus ad Joſaphat converſus dixit, ſcire ſe hunc virum ſemper mali ominis fuiſſe. Michæas verò iterum ait, vidiſſe ſe Dominum ſolio aſſidentem, cœleſti militiâ hinc inde ſtipatum; audiſſe verò dicentem: Quis Regem Iſraelis decipiet, ut contra Ramoth Galaad expeditione incepta opprimatur? Diſſidentibus autem variorum ſententiis, Spiritum malum negotium ſuſcepiſſe, quod ſe ore Prophetarum ſuorum geſturum ſignificavit. Hinc, ait Propheta, Dominus immiſit ſpiritum mendacii in ore Prophetarum, ut te perderet. Hæc dicenti Sedecias filius Chanana colaphum impegit, dicens: Ergone Dominus me dereliquit, ut in te veniret? Cui Michæas ſignificavit, ipſum veritatis à ſe prædictæ teſtem futurum, cum hinc inde latebras coactus fuerit quæritare. Sub hæc, Achab Rex Iſraelis juſſit ſatellites ſuos mali ominis Prophetam Amoni Præfecto Samariæ cuſtodiendum tradere, tamdiu pane doloris, & aqua afflictionis nutriendum (a), donec ipſe in pace rediret. Cui Michæas, velle ſe dixit, ut Spiritu Dei afflatus non eſſe crederetur, ſi ille in pace rediiſſet; ejuſque rei teſtes omnes præſentes populos appellavit. Eventus oraculum oſtendit; Achab enim ſpiculo, fortuitò à Syro milite vibrato, confoſſus, animam cum ſanguine evomuit. Eainde de Michæa altum eſt ſilentium.

II. MICHÆAS *Moraſthites*, ſive è *Mareſa*, vico propè Eleutheropolim in plaga meridionali Juda, ſeptimus ordine inter Prophetas minores. Quinquaginta annorum ſpatio (b) ſub Regibus Juda Joathan, Achaz, & Ezechia oracula fudit. Non deſunt (c) qui præpoſterè hunc virum confuderint cum altero Michæa, filio Jemlæ, qui ſub Rege Achabo in ditione decem Tribuum florebat. Pſeudo-Dorotheus tradit, Michæam ſepulturæ mandatum fuiſſe in cœmeterio *Enakim*, poſt actam Hebrone, ejuſque viciniis vitam. Michæas ſuppar fuit Iſaiæ, cujus phraſim quandoque in ſuis ſcripturis uſurpat (d).

Ejus prophetiæ opus ſeptem capitibus clauditur, in quibus primum de ærumnis Samariæ, quam Salmanaſar Rex Aſſyriorum captam evertit. Oracula dein contra Judam convertit *c.* 1. 6. 7. cujus regionem vaſtandam (per Sennacherib nempe ſub Ezechia Rege) prædicit *c.* 1. 9. 15. Indè iterum contra Samariam invehitur, captivitatem decem Tribuum minitatus; ac tandem earum regreſſum vaticinatur *c.* 2. 1. Gravioribus, poſt hæc, verbis Principes Domus Jacob, & Judices domus Iſraelis, nempe, ut ego quidem puto, Optimates Regni Juda, Judices, Magiſtratus, Sacerdotes, & Pſeudo-Prophetas caſtigat *c.* 3. exprobrat enim avaritiam, injuſtitiam, dolos, quibus tandem iniquitatibus, ait, Jeruſalem in ultimam deſolationem, ac Templum in deſertum adducetur. Hanc Prophetiam ſub Ezechia Rege prolatam fuiſſe ex Jeremia 26. 18. intelligimus, qui illam ob endens, ſupplicium evitavit; idcircò contra illum decretum, quòd ſimilia, ac Michæas, in Jeruſalem prædixiſſet. Poſt triſtia prænunciata, Michæas ad lætiora converſus, Regnum Meſſiæ, atque Eccleſiæ Chriſtianæ exordium deſcribit *c.* 4. *1.-7.* 11. Cùm verò poſt regreſſum è captivitate aureum ſæculum, quod Regni Meſſiæ figuram exhibebat, incidentia cujuſdam mali, brevioris tamen, infortunio turbaretur, illud Michæas prænuncians, non diſſimili phraſi utitur, ac Ezechiel bellum Gog contrà Sanctos (quod, ut nos credimus, ad Cambyſis Regnum, ſive ad bellum Holophernis ſpectat) deſcribens. Quod ad Meſſiam attinet, ortturum illum in Bethleem, imperiumque ſuum, quà latè patet Terrarum Orbis, propagaturum prænunciat *c.* 5. 2. Suſcitaturum dixit Deum ſeptem paſtores, qui regionem Aſſur, & terram Nemrod vi occupabunt: quod nos de Dario Hyſtaſpis, ac ſeptem conjuratis, qui ſublatis Magis, Perſarum Imperium, deleta Cyri familia, invaſerunt, intelligendum credimus. Rex Judæorum florentes poſt Darii Regnum, & poſt Machabæos à capite 5. verſ. 7. deſcribit, identidem tamen quædam admiſcet, ad Eccleſiam Chriſti unicè pertinentia.

Duo poſtrema Capita longam contra iniquitates Samariæ querelam continent. Tandem Babylonis everſionem, reſtitutionem urbium Iſraelis, ditionem Iſraelitarum longè latèque prorogatam, res tandem Iſraelitarum ſub Dei auſpiciis florentes exaggerat; verbis tamen adeò magnificis, ut Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum potiſſimùm præ oculis habuiſſe videatur. Ejus defuncti corpus in Moraſthi tumulatum tradit. S. Hieronymus *Ep 27. ſeu Epitaph. Paulæ*, quod ſepulchrum Divinitus revelatum Zebenno Epiſcopo Eleutheropolis, imperante Theodoſio Magno, Sozomenus eſt author *hiſt. Eccl. l. 7. c. 29.* addens nomen ejuſdem loci eſſe Bereſſatam, qui fortè idem eſt ac Moraſthis, decem ſtadiis ab Eleutheropoli. Pſeudo-Epiphanius *de vita & morte Prophet.* refert, hunc virum liberiùs vitia Joram filii Achabi reprehendentem, ejuſdem Regis juſſu in præcepa actum fuiſſe. Verùm, ut ſupra inſinuavimus, author ille duos Michæas confundit.

III. MICHÆAS, filius Gamariæ, qui ad Principes Juda detulit, Baruch in templo coram populo legiſſe prophetias Jeremiæ in carcere detenti (e). Quare Rex Joakim, accito Baruch, ſcriptum illud ſibi tradi juſſit, & ſcalpello diſciſſum, flammis abſumpſit.

I. MICHAEL, ſcilicet, *Quis ut Deus?* Vulgo creditur hic Angelus cœleſtis exercitus Dux fuiſſe, ut Lucifer infernis copiis præeſt; Patronus etiam populi Iſraelis, à Deo ſelectus, quod etiam privilegium ſibi conceſſum Eccleſia Chriſtiana gloriatur. Porro de S. Michaele hæc in Scriptura. *Judæ verſ. 9. 10. Cùm Michael Archangelus cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ* (ſcilicet illum execratione damnare) *ſed dixit: Imperet tibi Deus.* Hæc S. Judas narrat, ut Fideles à blaſphemiis, & maledictis abſterreat, contra morem apud Hæreticos, & Pſeudo-Apoſtolos receptum, *qui quæcumque quidem ignorant, blaſphemant, quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* In eandem ſententiam ſcribens S. Petrus 2. 2. 10. 11. de hæreticis, ait: *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes; ubi Angeli fortitudine, & virtute cùm ſint majores, non portant adverſum ſe* (contra ſe invicem) *execrabile Judicium.*

Quam innuant hiſtoriam verba S. Judæ ſciſcitantur Eruditi; vulgò tamen credunt deſumptam ex Libro de Aſſumptione Moyſis (f), in quo Archangelus S. Michael inducitur, altercationem cum Dæmone inſtituens de Moyſis cadavere. Illud enim ſepulturæ mandandum contendebat, ne Hebræis idololatriæ offendiculo eſſet; cùm Diabolus in Hebræorum poteſtatem (pro inſito inſidias ſtruendi ingenio) relinquendum inſtaret (g). Oecumenius *Comment. in Epiſt. Judæ* ex altera veteri traditione refert, S. Michaelem operam dediſſe, ut Moyſi magnificum monumentum præpararet; ſed Diabolum ad ſe corpus illud pertinere contendiſſe; honore verò tumuli indignum eſſe virum, qui Ægyptium homicidio peremiſſet. *Exod. 2. 11. 12.* Philo *de Vita Moyſ.*, & S. Epiphanius *hær.* 55. tradunt, corpus illud curantibus Angelis ſepulturæ mandatum. Hodie etiam ſupereſt liber *Petiiath Moſe*, ſive *aſſumptio Moyſis*, in quo tamen de altercatione S. Michaelis cum Dæmone pro corpore Moyſis nihil occurrit.

In Apocalypſi etiam 12. 6. de S. Michaele aliquid legimus; poſt relatam enim hiſtoriam fœminæ (quæ

(a) 3. Reg. 22. 26. Pane ſcilicet & aqua arctia. Vide 2. Par. 26. ubi S. Hieronymus legit. *Date ei panis modicum, & aquæ pauxillum.* Confer. Iſai. 30. 20.

(b) Nempe ab Ann. circiter 3245. quo Joathan Regnum inivit, uſque ad 3306. quo Ezechias Regnum abſolvit.

(c) Athanaſ. in ſynopſi, Epiph. Doroth. de vita Prophet. Chronic. Alex. Euſeb. in Chronic. Sozom. hiſt. Eccl. l. 7. c. 29.

(d) Confer. Iſa. 2. 2. & Mich. 4. 1. & Iſa. 41. 15. cum Mich. 4. 13.

(e) Jerem. 36. 11. 12. 13. A. M. 3399. ant. Ch. 601. ante Ær. 605.

(f) Vide noſtr. Diſſert. de obitu & ſepult. Moyſ. Comment. in Epiſt. Canon. præfixam.

(g) Vide Chryſoſt. hom. 5. in Matth. Theodoret. q. 43. in Deut. Procop. in Deut. Aut. l. 4. c. ult.

Digitized by Google

Eccleſiam ſignificabat) in deſertum fuga elapſæ, in locum nempè ſibi à Deo deſtinatum; *Et factum eſt*, ait ſacer Hiſtoricus, *prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus: & non valuerunt; neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cælo. Et projectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum Orbem, & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.* Ex iis Scripturæ verbis vulgò colligunt, Archangelum S. Michaelem Patronum datum eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ, cujus erga nos curæ potiſſimum in perſecutionibus Ethnicorum contra Fideles ſpecimen exhibuit. Ea enim occaſione Satanæ impetus repreſſit, Fidemque Chriſtianam, perſecutorum audaciam contundens, aſſeruit.

De eodem Angelo bis Daniel; primò enim ſibi per viſum Angelum Gabrielem apparuiſſe narrat, his verbis loquentem: *Dan.* 10. 5... 13. *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum* (nempè prophetiam Jeremiæ), *ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum.* Porrò Angelus Regni Perſarum, cuſtos ejus Regionis fuiſſe creditur, qui Gabrielis, & Michaelis conſiliis obſtitit; cupiebat enim diutiùs in ditione ſua Judæos retinere, utpotè qui Ethnicis ad bonam frugem, fidemque reducendis non inutilem operam præſtarent. Quare regreſſum illorum in Palæſtinam per Cyrum totis viribus morabatur. Sunt tamen, quibus iſte conſiliorum diſſenſus non probatur; autumantes proinde Angelum malum Perſarum bonis Angelis reſtitiſſe, ne Cyrus Imperio Perſarum potiretur, quòd Judæorum captivitas optata libertate fruſtraretur (a).

Alter Danielis locus, ubi de S. Michaele ſermo incidit, ex c. 12. 1. 3. repetendus eſt; poſt narratam enim Epiphanis perſecutionem in Judæos, atque infauſtum ejuſdem Regis exitum. *In tempore illo*, ait, *conſurget Michael Princeps Magnus, qui ſtat pro filiis populi tui; & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit ſcriptus in Libro, qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti.* Miſſus igitur S. Michael, ut ſuppetias Populo ſub perſecutionum pondere fatiſcenti ferret, Machabæorum virtutem acuit, impium Antiochum percuſſit, ac tandem Judaicam Eccleſiam duris perſecutionibus oppreſſam relevavit.

Idem Angelus ductorem ſe Hebræis præbuiſſe in itinere per deſertum, vulgò creditur; de quo proindè dictum intelligunt: *Exod.* 23. 20. 23. *Ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaveris, & eſt nomen meum in illo*, ideſt, meo nomine munus gerit. Nec alter apparuiſſe creditur Moyſi, dum ex ardenti rubo Angelus Dei nomine illum alloquutus eſt, ductorem ſe populi per deſertum in columna nubis dicturos. Idem etiam fertur apparuiſſe Joſue in planitie Jerichuntis, *Joſue* 5. 13. uti & Gedeoni, ac Manue patri Samſonis. Denique ſi quæ alia in Veteri Teſtamento Angeli viſio celebris occurrit, S. Michaeli tribuitur.

Diù poſt Apoſtolorum ætatem, trium S. Michaelis apparitionum memoriam Eccleſia Chriſtiana veneratur. Omnium prima Chonis, ſive Coloſſis in Phrygia contigit; incertum quo tempore, quamquam illius Feſtum die 6. Septembris ab univerſa Orientali Eccleſia celebratur. Iterùm Archangelus videndum ſe præbuit ſæculo quinto labente in monte Gargano Regni Neapolitani in Italia. Hujus Feſtum celebrat Eccleſia die 8. Maii; Dedicationis verò illius ſpecus, ubi per viſum apparuit, memoriam colit die 29. Septembris. Tertiò tandem viſus eſt Auberto Epiſcopo Abrincenſi, ſaxo, *Tumba* appellato, inſiſtens, eo in loco, ubi hodie Abbatia S. Michaelis eſt, mari expoſita, in ſinu Normandiam, & Britanniam interjacente. Ejus rei memoria ab anno circiter 706. quo viſio contigiſſe creditur, perpetuò in Galliis die 16. Octobris celebrari conſuevit (b).

II. MICHAEL, è Tribu Aſer, pater Sthur, viri ad explorandam Chananitidem cum cæteris miſſi. *Num.* 13. 14.

III. MICHAEL, filius Jeſeſi, & pater Galaad, è Tribu Gad. 1. *Par.* 5. 13.

IV. MICHAEL, filius Oſi è Tribu Iſſachar. 1. *Par.* 7. 3.

V. MICHAEL, è Tribu Manaſſe, inter viros fortiſſimos, qui Davidis partes contra Saulem ſequuti ſunt. 1. *Par.* 12. 20.

VI. MICHAEL, filius Regis Joſaphat, poſt obitum patris una cum fratribus a Rege Joram neci traditus. 2. *Par.* 21. 2.

MICHOL, filia Saulis, cui Hebræi alterum nomen indunt, *Eglam* appellantes (c), atque matrem Jethraam 2. *Reg.* 3. 5. fuiſſe autumant; ſed temerè prorſus. Cum iſta in Davidem inclinaret, Saul ejus pater eas nuptias non morabatur, quippè qui eam ſibi occaſionem exhiberi crederet, ut virum ſibi infenſum hoſtibus expoſitum perderet (d). Submiſſis igitur viris, clam animum ipſius ad Regias nuptias diſpoſuit. David imparem ſe genere, & divitiis tanto honori profeſſus eſt. Quo viri reſponſo ad Saulem allato, renunciari juſſit, nulla ſe dote pro filia indigere (recepto enim tum temporis more viri uxoribus dotem perſolvebant, veluti conjugem ementes). Velle tamen ſe, ut pro dote 100. præputia Philiſthæorum perſolveret, quo ſibi & ultionem, & quietem de hoſtibus pararet. David nuptias redempturus, continuò in Philiſthæos proceſſit, è quibus 200. abſciſſa præputia ad Saulem deferens pretio duplicato nuptias emit. Non diù poſt (e), cum malus ſpiritus Saulem agitaſſet, atque David ante illum, furoris compeſcendi gratia, lyra caneret, Rex vibrata contra illum, quam forte tenebat, lancea, confodere tentavit. David declinato ictu, in domum ſuam evaſit; & Saul continuò eam tota nocte à militibus cuſtodiri juſſit, ut manè captus ad ſe deferretur. Verùm ope uxoris demiſſus ille è feneſtra, vim Regis evitavit. Michol verò ſtatuam (f) in lecto Davidis ſuppoſuit, cui vellere capræ in capite aptato (g), reliquum corpus ſtragulis cooperuit. Miſſi igitur manè milites, ut Davidem adducerent, ægrum in lecto detineri ab uxore audierunt; quo accepto nuntio, Saul juſſit vel decumbentem adduci. Euntes Regii miniſtri, pro Davide ſtatuam inſperatò deprehenderunt; cujus doli culpam omnem Michol in Davidem refudit, minitantem necem, niſi pareret. Paulo poſt Saul eandem filiam cum Phalti filio Lais è Gallim (h) novo conjugio copulavit.

Poſt Regnum acquiſitum, David nihil antiquius habuit, quàm ut uxorem ſuam recuperaret; primò enim Abnerum ad ſe tranſire volentem, ea conditione ſe recepturum ſpopondit, ſi Michol, & univerſum tandem Iſraelem reduceret. Dein per Legatos ad Isboſeth regnantem in Mahanaim miſſos, eandem fœminam requiſivit: quam tandem ab Isboſeth remiſ-

(a) Ruperi. lib. 9. de Victor. Verbi, Caſſian. collat. 8. cap. 13. Theodoret. in Dan. 10. Sanct. Calov. Piſcat. &c.
(b) Vide Baillet Vies des SS. 29. Septemb. (c) Vide Tradit. Hebr. 2. Reg. 3.
(d) 1. Reg. 18. 20. A. M. 2942. ante Ch. 1058. ante Ær. 1062.
(e) 1 Reg. 19. 11. &c. A. M. 2943. ante Chr. 1057. ante Ær. 1061. (f) Hebr. *accepit Teraphim*. Septuaginta, Κενοτάφια, nempè *ſimulachra*, cujus generis ſunt ſcheletia, & monumentum vacuum.
(g) Hebr. *pulvinar è pilis caprarum*. 70. *hepar*, *jecur caprarum*. Aqu. *glomerem pilorum*,
(h) 2. Reg. 25. 44. fortè A. M. 2944. ante Chr. 1056. ante Ær. 1060.

remiſſam, Phalti lugens uſque Bahurim proſequuta eſt. Illam à Phalti ſive Phaltiele intactam rediiſſe tradunt Hebræi; neque enim vir ille fœminam à conjuge invito avulſam jure duxerat. Alii tamen malunt his conjugibus quinque liberos tribuere, dein Gabaonitis permiſſos, à quibus crucis ſupplicio abſumpti ſunt, juxta 2. *Reg.* 21. 8. Quamquam mendoſus eſſe textus, ac pro *Michol* legendum *Merob* videtur; vel ſaltem pro Hadriele filio Berzellai, uti ibidem occurrit, ſubſtitui debet Phaltiel filius Lais; neque enim Michol virum habuiſſe Hadrielem unquam legimus, Vide *Merob*.

Cùm David ſtatim ab initio Regni (a), transferendæ Jeroſolymam in locum certum fixumque Arcæ, conſilium capeſſeret, dignoque religione ſua apparatu rem exequutioni mandaret, œſtro quodam pietatis, & gaudii abreptus, choreas ducens, exilienſque, pompam præcedere viſus eſt. Eam rem Michol è feneſtra reſpiciens, Regem contempſit; quare regreſſo in domum amarulento quodam ſarcaſmo exprobravit, quòd detecto capite, nudiſque pedibus non Regis, ſed ſcurræ ſpeciem coram Iſraele exhibuiſſet. Cui David velle ſe reſpondit, infimæ ſervitutis ſuæ etiam atque etiam monumenta exhibere coram Domino, à quo, rejectis patre, totaque domo Michol, ipſe electus fuiſſet; qua in re nihil regiæ majeſtati coram populo derogaturum ſciebat. Michol filiis caruit, quod in pœnam irreligioſi illius faſtus contigiſſe Scriptura innuere videtur. Hæc de Michol Scriptura.

MIGMA, Græca vox, in Vulgata, *Iſa.* 30. 24. *Commiſtum migma comedent*; reſpondet autem Hebræo *belil*, quod miſturam ſonat. Septuaginta textum illum reddunt: *comedent paleas commiſtas in hordeo ventilato*. Hebræus habet: *Miſtum forte comedent, cribratum, & ventilatum*. Porrò miſtura illa ex granis fortaſsè acidulis conſtabat, acuendo animalium palato, maximè in æſtivis caloribus (b).

MILETUM, urbs celebris Joniæ, Græcè *Miletos*, eadem fortaſsè ac *Melothi*, *Judith.* 2. 13. S. Paulus Corintho Jeroſolymam petens, Mileto pertranſivit (c); ubi & omnes Sacerdotes, ipſumque Epiſcopum Epheſium accivit, 12. circiter leucis diſtantes; neque enim maritimum iter habens, ipſe per ſe Epheſum venire potuerat. His omnibus in cœtum convocatis, vehementi oratione Eccleſiæ curam commendavit, prænuncians futurum, ut lupi rapaces ſub agni vellere deliteſcentes, in gregem forent immittendi; dixit inſuper ſe Jeroſolymam tendere, ubi nihil ſe niſi vincula, & perſecutiones manere ex plurium revelatione audierat. His dictis, poſtremum vale omnibus dicens, navigium conſcendit.

MILIUM, frumenti genus, de quo Iſaias 28. 25. *Seret triticum, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis*: & Ezechiel 4. 9. panem ex frumento, hordeo, faba, lentibus, & milio conficere à Deo juſſus eſt. Quo tamen loco nos legimus *milium*, & apud Septuaginta *Kenchron*, quod idem ſonat in Iſaia, eſt *neſmam*, & in Ezechiele *dochan*. De ſignificatione autem vocis, nuſquam alibi occurrentis, ambigitur; quam proindè alii viciam, ſive fas reddunt; alii verò cum hordeo vocem illam jungentes, interpretantur *hordeum ſignatum*, vel *inſigne*. Nec frequentius in Scriptura vox *Dochan* recurrit.

MILLE, Hebraicè *Eleph*, Græcè *Chilion*, numerus decimi centenarii, quamquam non raro pro multitudine indefinita uſurpatur; hinc Dominus miſericors eſſe in mille generationes dicitur, *Deut.* 5. 10. & 7. 9. & præſtare diem unam in atriis Domini tranſigere, quam mille dies alibi, *Pſal.* 83. 11. nec raro etiam verbum Divinum datum eſſe in mille generationes, *Pſal.* 104. 8. ideſt ſemper, legimus. Joannes in Apocalypſi ſe vidiſſe perhibet Angelum de Cœlo delapſum, habentem clavem *Abyſſi*, & catenam magnam in manu ſua, *& apprehendit draconem*, ait, *qui eſt diabolus, & ligavit eum per annos mille*. Vidiſſe etiam teſtatur Martyres, *qui vixerunt, & regnarunt cum Chriſto mille annis*. Quoad cæteros Juſtos ait, *non vixerunt, donec conſummentur mille anni*. *Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus, & Sanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis. Et cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo.*

Hæc verba perperam intellecta, abſurdam millenariorum hæreſim invexerunt, qui millenarium quoddam Chriſti una cum Sanctis Regnum in terris ante diem Judicii, commenti ſunt. Quamquam ea opinio nec hæreſim priùs, neque ſectam conſtituebat, cùm plures Eccleſiæ Patres, doctrina, & ſanctitate celebres, illius aſſertores fuerint, autumantes ſe nihil niſi ex Scriptura luculenter probatum tenere. Porrò ex Judæis ea ſententia primùm derivata: cùm illi millenarium quoddam Meſſiæ regnum in terris expectarent (d). Papiam tamen, Diſcipulum S. Joannis Evangeliſtæ, propagatorem habuit, qui recepiſſe ſe illam ex Apoſtolis eorumque Diſcipulis jactitabat (e); quamquam inventionem illius Cerintho attribuit Cajus Sacerdos Eccleſiæ Romanæ, qui ſecundo ſæculo florebat (f).

Cum verò de Millenariis nihil in Libris ſacris occurrat, ideò ſermonem de illis facere prætermittimus. (g) S. Auguſtinus, S. Gregorius (h), Andreas Cretenſis, Berengaudus, Ribera, aliique doctiſſimi Interpretes mille annorum phraſi totum illud tempus expreſſum intelligunt, quod à reſurrectione Domini, nempe ab incepto illius in Eccleſia Regno, uſque ad finem ſæculorum intercedit.

MILLIARE, menſura mille paſſuum, tertia pars leucæ. Porrò Gallicam leucam 2500. paſſus Geometrici conficiunt; octo verò ſtadia, milliare. Si quis nos uno milliari ſecum ire coegerit, eamus & altero, ſuadet Salvator, *Matth.* 5. 41. Itinerum ſpatia Romani *milliaribus*; Græci verò *ſtadiis* dimetiebantur. Stadia 125. paſſus; paſſus quinque pedes æquabat. Veteribus Hebræis pro ſtadiis, milliaribus, & paſſibus erant cubiti, perticæ, & funiculi. Rabbinis tamen frequentiſſimum eſt *milliare* ex 2000. cubitis, juxtà eorum ſupputationem, conſtans, ac quatuor milliaria *paraſam* efficiunt (i).

MILVUS, avis ex accipitrum genere, impura (k) Hebræis *daab*, quam vocem alii *picam*, alii *vulturem* vertunt. Cæterùm Hebræum *daab*, *volare* ſignificat. Milvus profectò rapidiſſimus, & celſiſſimus volat.

MINA, ſivè *mna*, Hebraicè *min*, quod ſonat *partem*, ſivè *una vice*. Genus eſt monetæ, in Libris tantummodo Regum, Paralipomenon, Eſdræ, & Ezechielis occurrens. Ex Propheta autem *Ezech.* 45. 12. colligimus, 60. ſiclos, nempè 87. libras, & 5. ſolidos Gallicos valere. Hæc de mina Hebræorum. Quod verò ad minam Græcorum, ſivè Atticam, de qua in Macchabæis, & in Novo Teſtamento, 100. drachmas, ſivè 50. libras noſtrates non excedebat; quin & alia minor ejuſdem nominis moneta 75. drachmis reſpondebat.

MINCHA, vox pura putaque Hebræa, exprimens libationes farinæ, placentas, artolagana pro more in Templo

(a) 2. Reg. 10. 15. &c. A. M. 2959. ante Ch. 1041. ante Ær. 1045.
(b) Vide Boch. de Anim. Sacr. p. 1. l. 2. c. 7.
(c) Act. 20. 14. A. Ær. 58. (d) Vide 4. Eſdr. 4. 35. &c.
(e) Vide Euſeb. l. 3. hiſt. Eccl. c. 39. (f) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 28.
(g) Vide Du. Pin. in Apocal. & noſt. Comment. in Apoc. 20. 2.
(h) Aug. de Civ. l. 20. c. 7. &c. Greg. l. 4. Moral. c. 11.
(i) Vide Reland. Palæſt. l. 2. c. 1. p. 396. 598. Vide Tabulam menſur. Hebr.
(k) Levit. 11. 14.

Digitized by Google

Templo offerenda, *Levit.* 2. 1. 3. & paſſim; Septuaginta eandem vocem interdum retinent (a); quamquam pro *Mincha* legunt *Manaa*, juxta nempè ſuorum temporum pronunciationem. Vox *manna* eodem ſenſu uſurpatur *Baruc.* 1. 10. *Facite manna, & afferte pro peccato.* Primitiæ Abelis, & Caim ex fructibus Domino oblatæ, *Mincha* in S. Scriptura appellantur, *Gen.* 4. 3. 4. uti & munera, quibus Jacob è Meſopotamia redux, fratrem Eſau donavit, *Gen.* 32. 13. 16. 18. 20. 21. ſive quæ filii Jacobi ad fratrem in Ægyptum detulerunt, *Gen.* 43. 10. 14. 24. ſive tandem quæ Aod ad Eglonem Regem Moab detulit *Judic.* 3. 15. 17. 18. Malachias de ſacrificiis novæ Legis per totum terrarum orbem offerendis agens, *Ab ortu ſolis*, ait, *uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio* (Hebr. *Mincha*) *munda*.

(MINIUM. Gallicè *vermillon*, ex Latino *vermiculus*, quòd ſcilicet vermiculorum ſanguine color iſte exprimitur. Colliguntur autem vermiculi ex arbuſcula, quæ genus eſt quercus virentis, cujus fructus *Kermes*, ſeu purpuræ grana. Vide infra *Vermis*: ſed minium, de quo modò, aliud eſt planè, nihilque habet affinitatis cum vermiculo, niſi in colore tantùm. Notus Antiquis ruber color (b) colligebatur in Hiſpaniis, petitus è præruptis & inviis petris; exhibebat autem lapillos, qui excuſſis jaculis evellebantur. Sufficiebat etiam rubrum Colchis; artificiale vero conficiebatur ex arena rubra juxta Epheſum collecta, & ſæpiùs diluta. Qui modò obtinet paratur è cinabro artificiali, ſat bene ſubacto in porphyretico marmore, redactoque in tenuiſſimum pulverem.

Meminit rubri coloris Author Sapientiæ 13. 14. quo ſcilicet colore olim perliniebantur ſimulacra Deorum: *Perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt perliniens.* Cùm è ligno quodam diſtorto ac nodoſo ſimulacrum expreſſerit artifex, totum opus rubricat, ut fuco ac pigmentis vitia omnia ligni occultet. Porrò rubrum hoc pluris æſtimabant Veteres, nec niſi parcè illo utebantur, quod cariſſimum eſſet maximè & rarum. Multò familiarius erat jam ætate Vitruvii (c), cùm picti illo exhiberentur vel integri parietes. Verrius apud Plinium lib. 33. cap. 6. affirmat ſolemni quodam ritu rubricari conſueviſſe faciem Jovis. Vidi ego pariter caput Dianæ, quod ad ſenſum referebat pigmentum, cùm aqua parùm madeſceret. Cenſores tempore Plinii locabant minus offerenti hanc curam pingendi Jovem: *A cenſoribus Jovem miniandum locari.* Camillus minio illitus triumphavit. Is erat guſtus, hic luxus veterum Romanorum. Apud Æthiopes rubricantur ſimulacra Deorum; iiſdemque pigmentis liniunt corpus viri quique apud illos ampliſſimi.)

MIMUTUM, parvæ monetæ genus, quartam ſolidi Romani partem (nempè 9. denarios noſtrates) referens: *Miſit duo minuta; quod eſt quadrans* (d).

I. MIPHIBOSETH, filius Saulis ex Reſpha concubina, quem David Gabaonitis permiſit, ut patris ſui in eoſdem populos ſævitiem, filius ſupplicio crucis expiaret, 2. *Reg.* 21.

II. MIPHIBOSETH, filius Jonathæ, alio nomine dictus *Meribaal*, ut diximus V. *Meribaal*. Acerba adhuc ætate patre, in prælio Gelboe occiſo, orbatus eſt (e); quo accepto nuncio ejus nutrix adeò expavit, ut ſubito timore reſolutis ulnis, infans in terram decideret; eoque lapſu offenſus, toto vitæ tempore claudicavit. David in Regno confirmatus (f), nihil antiquius habuit, quàm ut reliquiis domus Saulis undique conquiſitis, ſuæ in Jonatham amicitiæ ſpecimen illis exhiberet. Cùm igitur quærenti de Miphiboſeth filio Jonathæ, in domo Sibæ degente, renunciatum fuiſſet, continuò illum coram ſe accitum, & avita Saulis hæreditate, & Regiæ menſæ perpetuo honore donavit. Juſſit deindè, Sibam colendis agris ejuſdem Miphiboſeth operam dare quàm ſtudioſè, ſimulque efficere, ne quid alimenti Michæ filio ejuſdem deeſſet, de cibo patris ſe curaturum.

Diù poſt, cùm Abſalom arma in patrem moviſſet (g), fugientem Jeroſolyma Davidem Miphiboſeth comitaturus, inſterneret ſibi equum, Sibæ præcepit; neque enim claudus iter habere pedibus valuiſſet. Siba morem gerere recuſans, ſtatim ad Davidem convolavit, duos aſinos annona onuſtos adducens. Cùm veniſſet, nunciavit Regi, herum ſuum noluiſſe Regem comitari, quòd ſperaret Regnum in domo patris ſui mox reſtituendum. Quibus auditis, David omnia, quæ ad Miphiboſeth attinebant, Sibæ conceſſit. Poſt redactum in ordinem Abſalomum, Davidi Jeroſolymam regredienti, Miphiboſeth occurrit, lugubri apparatu, intonſa nempè barba, nudis pedibus, atque veſtibus neglectis. Rex illum intuitus, interrogavit, curnam ſecum venire recuſaſſet. Ille Sibam in cauſa extitiſſe dixit, qui juſſus aſinum inſternere, utpotè claudo, & gradiendo difficili, parere recuſaſſet; quin & dominum ſuum ficto crimine ad Regem detuliſſet. Adjecit tamen, Regia poteſtati ſe totùm committere, cui & vitæ, & regiæ menſæ beneficio devinctus eſſet. Quibus affectus beneficiis, quam ego juſtam de te querelæ cauſam prætendere potuiſſem? Ad hæc, David omnia, quæ a ſe conceſſa erant, rata eſſe voluit; jubere tamen ſe, Miphiboſeth, & Sibam communibus bonis frui. Acquievit Miphiboſeth, teſtatus inſuper omnia ſe libenter æmulo relicturum; hoc uno contentus, quòd dominum ſuum reducem vidiſſet. Obitus hujus viri tempus incertum; illud conſtat, filium, nomine Micha, ſuperſtitem reliquiſſe, 1. *Par.* 8. 34.

(MIRACULUM, *ſignum, prodigium, mira*, quibus plerumque verbis exprimitur in Scriptura factum quoddam vel rei eventus ſupra vulgares naturæ leges. Sunt autem miracula non ea tantùm quæ à variis Sanctis & Prophetis à Deo miſſis patrata leguntur; ſicut & quæ bonis Angelis authoribus, vel ab ipſo Deo, ſeu Dei Filio edita ſunt; ſed etiam miraculi nomen uſurpatur de præſtigiis Impoſtorum, ſeu rebus miris exhibitis opera impiorum Pſeudoprophetarum ac Dæmonum. Agit e. g. Moyſes de miraculis Magorum Pharaonis, iiſdem plane phraſibus ac de prodigiis, quæ ipſe per ſe nomine & virtute Dei operabatur; & Jeſus Matth. 24. 24. monet futurum, ut Pſeudo-Chriſti & Pſeudoprophetæ clareant prodigiis, quibus ſi fieri poſſet, Electi ipſi deciperentur. Meminit S. Joannes Apoc. 13. 13. 14. belluæ exilientis è terra (quod emblema eſſe creditur viri Eccleſiam perſequentis) adeò invaleſcentis prodigiis, ut vel ignem deducat è Cœlo ſpectantibus hominibus; ex quo factum, ut magno numero homines ſeducerentur. Et cap. 16. 14. Sermo inijicitur de Dæmonibus, qui miraculis editis pelliciunt Reges terræ in bellum adversùs Sanctos; ſicut & cap. 19. 20. legas prodigia viri Prophetam ementientis ſeducendis iis, qui belluæ ſtigmate inuſti ſunt.

Miracula igitur & prodigia aſſertæ ſanctitatis utique ſigna reputanda non ſunt; ſicut neque aperta de veritate doctrinæ ac miſſionis viri alicujus documenta. Non permiſit tantùm Filius Dei ſed & præcepit, ut attento ſibi libentur examine prodigia, quæ eduntur ab hominibus. *Si quis vobis dixerit*: ait ille Matth. 23 24. *Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudoprophetæ, & da-*

(a) Vide Græc. Jer. 17. 26. Dan. 2. 46. & 4. Reg. 8. 8. 9. & 17. 7. & 20. 12. & 2. Par. 7. 7. & 2. Eſdr. 13. 5. 9. Ezech. 45. 25. & 46. 6. 8. 12. &c. (b) Vide Plin. Theophr. Dioſcor. Vitr. (c) Vitru. l. 7. c. 5.
(d) Marc. 12. 42. Vide etiam Luc. 13. 59. & 21. 2. (e) 2. Reg. 4. 4. An. M. 2949. ante Ch. 1051. ante Ær. 1055.
(f) 2. Reg. 9. 1. &c. An. M. 2965. ante Ch. 1035. ante Ær. 1039.
(g) 2. Reg. 16. 1. 2. &c. A. M. 2980. ante Ch. 1020. ante Æ. 1024.

& dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Et Moyſes Deut. 13. 1. *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium* (propheticum) *vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius aut Somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra*. Inferendum eſt igitur deductum è prodigiis argumentum minùs certum eſſe & aſſertum; jungenda eſt illis miſſio ejus, qui miracula patrat, cum ſinceritate doctrinæ, morum innocentia, obedientia Præſulibus Eccleſiæ, unione & conſenſione cum Sanctis cæteriſque, quorum miſſio & doctrina communi Fidelium approbatione receptæ ſunt. Diſcutiendum eſt num veris clareat prodigiis, an potius præſtigiis & magicis operationibus fallat incautos; an prodigiis illis deducantur homines ad Deum, ad pacem, ad juſtitiam & ſalutem. Si characteres hi omnes in unum aliquem cohæreant miraculorum patratorem, omni poſito metu agnoſcendus eſt tanquam miſſus à Deo vir religioſus.

Conqueritur Jeſus Chriſtus, Joan. 4. 48. de Judæis: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Idem pariter Judæi Chriſtum convenientes exiguot: *Volumus à te ſignum videre Matth.* 12. 38.; repoſuit ille nullum aliud exhibiturum ſe, quàm ſignum Jonæ Prophetæ; ſicut enim Jonas triduo in ventre ceti clauſus retentus eſt; ita pariter & Filium hominis triduo in ſinu terræ recondi oportere. Ipſe etiam Chriſtus, Joan. 15. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; nunc autem omnem ſibi removerunt excuſationem poſt auditam doctrinam meam & viſa prodigia. Fatetur etiam Nicodemus, Joan. 3. 2. *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Tot utique continuata in ſeriem prodigia, quibus nec juſtitia, nec morum innocentia deeſt, nec fidem detogat pura & divina adeo doctrina; hæc utique opus ſeductionis & præſtigiorum cur cenſeantur, nihil eſt. Digitus Dei non occultè monſtratur. Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos ad prædicandum Evangelium inter Judæos atque inter gentes mittens plenam illis confert authoritatem omnis generis miracula patrandi *Matth.* 16. 17. Sanctè utique affirmandum eſt, nihil magis valuiſſe ad dilatandam longè lateque fidem, quam crebra illa Apoſtolorum eorumque Diſcipulorum miracula, quæ fulciebat & doctrinæ annunciatæ ſublimitas, moralis ſanctiſſimæ dogmata, ac tandem vita ab omni aliena cupiditate, atque ad regulas æquitatis exacta.

Ad exceſſum planè deveniſſe oportet incredulitatem, obſtinationem, & præventionem Judæorum in malum, ut victos tandem ſeſe non dederent vi & efficaciæ prodigiorum Jeſu Chriſti & Apoſtolorum. Revincendis Judæis ſigna afferenda eſſe ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 1. 22. *Judæi ſigna quærunt*. Ecquis, rogo, ſigna ſive majora, ſive crebriora, ſive apertiora præ Jeſo Chriſto edidit? Nonne gentes minùs occupatæ præjudiciis quam Scribæ, Sacerdotes, & Phariſæi, viſis Jeſu prodigiis ultrò fatebantur: *Chriſtus, cum venerit, nunquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit Joan.* 7. 31. Ipſi pariter Scribæ cùm oculos ſuos falſi arguere, nec publicum, per ora ſparſum, rumorem mendacem revincere poſſent, prodigia quidem illius noſcere coacti ſunt, ſed Beelzebub authori vindicaverunt. Recentioribus Judæis probatur Jeſus Chriſtus furto ſublato in Templo nomine Jehovah, invaluiſſe ad prodigia. Quæ ſi vera ſtatuantur, quis utique reputaret favere Deum dono miraculorum conſtanti ſerie perennium Impoſtori alicui, cujus in id curæ omnes vertuntur, ut Legem evertat & Religionem: quin & collatam illi hsoc facultatem tranſmittendam permittere in Diſcipulos, Apoſtolos, cæteroſque in ipſum credentes; nec id brevi temporis, ſed potiùs longiſſimæ ætatis tractu? Quid eſt in errorem inducare, ſi hoc non eſt?

MIRACULUM. In Textu Latino Vulgatæ non ſemper prodigium exprimit, ſed rem etiam interdum miram & ſingularem, quæ admirationem & ſtuporem exigit. E. g. Job. 33. 7. *Miraculum meum non te terreat*, Hebræus ad literam: *Terror meus non terrebit te*. Verba ſunt Eliu; Non imponetur tibi de meo eloquio, nec authoritate mea conturbaberis. Et 1. Reg. 14. 15. *Factum eſt miraculum in caſtris*; terror latè cepit caſtra Philiſtæorum, novus ſtatim & inopinatus motus excitatus eſt. Jerem. 44. 12. Erunt (Judæi in Ægyptum recepti) *in juſjurandum, & in miraculum*, in argumentum terroris. Si cui fortè homini mala imprecari contingat, illud uſurpabitur; Ita ſis infelix ac Judæi.)

MISACH, Chaldaicum nomen, uni ex ſociis Danielis inditum (a).

MISAEL, unus è tribus ſociis Danielis, cui in aula Nabuchodonoſoris nomen *Miſach* inditum eſt. Hic unà cum ſociis in ardentem fornacem injectus, uno cum illis prodigio liberatus eſt (b). Tres illi viri à Nabuchodonoſore Rege conſtituti erant ſuper opera regionis totius Provinciæ; ſed cùm in diſcrimen veniret ſivè eorum in Deum religio, ſivè Regi obedientia, Deum Regi præferre maluerunt. Vide *Daniel*.

MISAUM, filius Elphaæ è Tribu Benjamin 1. *Par.* 8. 12.

MISERICORDIA. Virtus eſt, qua nos in fratres ærumnis oppreſſos relevandos inclinamur. Ut miſericordiæ opera præmium æternæ vitæ nobis obtineant, uti Jeſus Chriſtus pollicitus eſt, *Matt.* 5. 7. non humano quodam, & naturali affectu ad illa nos excitari oportet, ſed Dei tantùm intuitu præſtanda ſunt. In Scriptura Miſericordia, & Veritas non rarò conjunguntur (c), quarum illa præveniat, iſta promiſſiones conſequatur; ſivè ut innuat oportere, miſericordiam ſociam habere fidelitatem, ut virtus ſolida ſit & ferax. *Miſericordia* interdum pro beneficiis a Deo, ſive ab hominibus acceptis uſurpatur; interdum idem eſt, ac probitas, juſtitia, bonitas. Viri miſericordes, Hebraicè *Charidim*, ſunt homines pii probique (d). Interdum etiam eleemoſynam ſignificat (e).

MISNA, Corpus eſt juris Hebraici; nomen autem *Miſna*, *repetitionem* Legis, ſivè ſecundam Legem ſignificat. Græcè *deuteroſis* appellatur, veluti ſi Lex ſecunda, ſivè ſecunda Legis Moſaicæ explicatio diceretur. Judæi enim dicunt, Deum poſt traditam in tabulis Legem Moyſi, alteram eidem viro oretenùs commiſiſſe, quæ perpetua traditione per Doctores Synagogæ, uſque ab Rabbinum Judam, virum ſanctum, deducta, ſcriptis tandem ab illo mandata ſit, anno ætatis ejus circiter 40. & Chr. 180. (f). Hic Sephori in Galilæa ortus, Princeps captivitatis electus eſt, Judæorum ſcilicet poſt totius gentis excidium, & Templi, urbiſque everſionem. Cùm autem viri integerrimi ac ſummi nomen jam obtineret, atque diutius in controverſiis Legis dijudicandis apud ſuos verſatus eſſet, veritus ne tandem Judæi per provincias diſperſi, patriæ Legis, atque rituum obliviſcerentur, ſi oretenùs tantum Legis ipſius præſcripta traderentur, operæ pretium ſe facturum cenſuit, ſi corpus integrum Legis civilis, & Eccleſiaſticæ Judæorum conderet, in quo nihil de ritibus, ac Legibus oralibus deſideraretur.

Opus integrum in ſex partes diſtribuitur, quarum prima diſtinctionem ſeminum in agros, arbores, fructus, decimas &c. continet, inſcripta: *Ordo ſeminum*. Secunda, dies feſtos, & cæremonias in illis præſcriptaa

(a) Dan. 17. A. M. 3398. ante Ch. 602. ante Ær. 606. (b) Dan. 3. 12. A. M. 3443. ante Ch. 557. ante Ær. 561. (c) Gen. 24. 27. 49. & 47. 29. Exod. 34. 6. & paſſim. (d) 2. Par. 6. 41. Pſal. 4. 4. & 16. 10. & 89. 20. & 97. 10. & 132. 9. 16. &c. (e) Prov. 14. 34. & 16. 5. Zach. 7. 9. (f) Natus eſt Judas A. Ch. 136.

Digitized by Google

ptas dirigit: *Ordo Feſtorum*. Tertia, de fœminis, & cauſis nuptialibus agit: *Ordo mulierum*. Quarta, quæ inſcribitur: *Ordo damnorum*, circa judicia ſuper differentiis commercii, & rationibus illorum agendorum verſatur. Additum ibidem de *cultu extraneo*, ſivè de Idololatria, utpote quæ Judices plurimum exercet. Quinta agit de obligationibus, de ſacrificiis, cæteriſque omnibus ad illa ſpectantibus, diciturque *Ordo Sanctorum, ſeu rerum Sacrarum*. Sexta, varia purificationum genera præſcribit: *Ordo Purificationum*. Si quis plura velit de Miſna, adeat novam editionem à Guillelmo Surenhuſio Amſtelodami anno 1703. 6. tomis in fol. adornatam, cum notis Maimonidis, Bartenoræ, & Guiſii. Vide etiam Tomum 3. Bibliothecæ Rabbinicæ per Bartoloccium, & continuationem Hiſtoriæ Judaicæ per Baſnagium.

{ Vide quæ contulimus ſupra V. *Deuteroſis*. Scitum eſt inter omnes, Judam Sanctum Miſnæ Authorem habere. Porrò ille Princeps eſt inter Doctores, quos Judæi appellant *Thanaitas*, vel Cuſtodes traditionis. Succeſſerunt Principibus magnæ Synagogæ, præeratque omnibus Zorobabel vel Malachias. Thanaitarum primus Author conſtituitur Eſdras, vir inclytus, qui è captivitate Babylonica regreſſus eſt. Hunc virum plurimo Dei favore donatum ferunt, ut ſæpiùs auſcultaverit, quod illi appellant, *Bath-col*, ſeu filiam vocis, nempe datam è Cœlo vocem, quæ perinde haberetur ceu echo vocis inſonantis auribus Moyſis ad Sinai. Succeſſit vox illa prophetiæ, magnamque conciliavit Doctoribus authoritatem; habent enim Judæi Doctores illos pares ſummis titulis, & ad invidiam uſque ambitioſis elogiis. Ex his itaque Thanaitis vel depoſitariis traditionis accepto retulit Judas, quæ contulit in Miſnam.

Thanaitis ſucceſſerunt *Gemariſtæ* vel Scriptores Commentariorum; vix enim ac in publicum paruit Miſna, ſummo apud Judæos omnes ubique excepta eſt obſequio, quippe quam nihil continere arbitrabantur, niſi merum Dei verbum à Deo in Sinai Moyſi tractum; quemadmodum nihil niſi purum putumque verbum continet Lex ſcripta. Hinc Virorum Doctorum ſtudia omnia eò collimarunt, ſcribendoſque in Miſnam Commentarios ſuſceperunt ſibi quà per Judæam, quà per Babyloniam Scriptores. Opera hæc cum Textu Miſnæ juncta referunt utrumque Thalmud, nempe Jeroſolymitanum, & Babylonicum. Commentarios illos appellant *Gemaram* vel ſupplementum, quòd illis juncta Miſna exhibeatur integrum abſolutumque Opus, omnibus perfectum numeris.)

MISOR, urbs Ruben, *Joſue* 21. 36. deindè Levitis è familiis Merari conceſſa, 1. *Par*. 6. 78. 79. Nomen *Miſor* in Hebræo utriuſque loci non legitur. Veriſimiliter autem urbs iſta eadem eſt, ac *Jaza*. Aquilæ, & Symmacho *Miſor* eſt planities, nec ſanè vox ab planitie ſignificanda abhorret, cùm aliquando de illa uſurpata occurrat (a).

MISPHA, ſivè *Mizphat*, vox Hebræa, editum locum, ubi ſpeculæ ſtatuuntur, vel unde in longiora proſpectus, deſignans. Hinc urbi Palæſtinæ Mizphat ſive Maſphath nomen inditum. Vide *Maſphath*.

MISPHATH, Rex Codorlahomor. Amraphel, ac ſocii, cùm ſolitudinem Pharan percuſſiſſet, ad *fontem Miſphath*, alio nomine *Cades*, veniſſe perhibentur, *Gen*. 14. 7. Porrò nomen iſtud aliter ſcriptum legitur, ac Mizphat, de qua ſupra; & Judicium ſignificat. Hoc illi nomen inditum eſt, poſtquam Moyſes ibidem *aquas contradictionis* è ſilice expreſſit, *Num*. 27. 13. & 20. 14. &c. Ea namque occaſio exercendi Divini judicii in Moyſem, & Aaronem data eſt; quippè qui ſtudio gloriæ Dei coram populo promovendæ nonnihil defuiſſe videbantur.

MISRAIM. Vide *Meſraim*.

MISSA, vox ſignificando ſacrificio incruento Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti in noſtris Altaribus, ſub panis & vini ſpeciebus oblato, Eccleſiæ uſu conſecrata. Quæ quidem eo ſenſu nunquam in S. Scriptura legitur uſurpata; labente verò ſæculo tertio, apud Patres Latinos, & Eccleſiaſticos Scriptores frequenter occurrit. Illius ethymon fruſtrà quidam ex Græco, & Hebræo repetere conati ſunt (b); ex Latino enim *mitto* derivata vox *Miſſa* pro *Miſſio* dicitur, ut in Suetonio *in Caligul. c*. 25. etiam uſurpata deprehenditur. Ex eo autem inditum eſt nomen, quod poſt abſolutam Miſſam Cathecumenorum, nempe Evangelio, & concione abſoluta, ſicuti etiam peracto Sacrificio, & precibus, Sacerdos, ſivè Diaconus populum dimittebat, ſolemnem illam formulam elata voce pronuncians: *Ite Miſſa eſt*; hinc tota actio, *Miſſa* dicta eſt (c). De Sacrificio Miſſæ, v. *Sacrificium*.

I. MITHRIDATES, filius Gazabar (d), ſeu potiùs *Mithridates præfectus ærarii* (id enim ſonat Gazabar), qui juſſus à Cyro, omnia Templi vaſa Saſabaſar Principi Juda tradidit; cùm Cyrus & libertatem & ornamenta Templi Judæis Jeroſolymam redeuntibus reſtituiſſet.

II. MITHRIDATES, vir, qui unà cum cæteris Artaxerxem Regem Perſarum datis literis monuit, ne Judæos mœnia Jeroſolymæ reſtituere permitteret. 1. *Eſdr*. 4. 7.

MITRA. De mitra Sacerdotali egimus v. *Cidaris*. Mitra fœminarum innuitur *Iſa*. 3. 19. *Auferet Dominus .... armillas, & mitras* (Hebr. *haraloth*, quod ſonat ornare). Apud Syros, & Arabes, fœminæ adhuc argentea quadam mitra in conum deſinente, atque nigris quibuſdam ſericeis velis, gemmis, & margaritis diſtinctis circumvoluta, comas exornant.

MITYLENÆ, metropolis Inſulæ Lesbi, quam S. Paulus, Corintho Jeroſolymam tendens, pertranſivit: ut Jeroſolymam venit, in carcerem detruſus eſt an. ær. 58. *Act*. 20. 14.

MIZNEPHETH, nomen Hebræum mitræ Summi Sacerdotis. Vide *Cidaris*.

MIZRAIM, filius Cham, pater Ægyptiorum. Vide *Meſraim*.

MNA, mina, moneta 60. ſiclorum pretio. V. *Mina*.

MNASO, *Act*. 21. 16. Diſcipulus ex Judæis oriundus; qui ab ipſo Jeſu fidem hauſit, atque inter 70. Diſcipulos ab ipſo enumeratus. In ſuis ædibus Hieroſolymis, hoſpitio S. Paulum recepit An. Ch. 58. In quibuſdam Latinis Exemplaribus *Jaſon*, in aliis *Naſon* appellatur: verum ejus nomen *Mnaſon*. Alter eſt à Jaſone, in cujus domum S. Paulus Theſſalonicæ divertit, *Act*. 17. 5.

MNESTHÆUS, pater Apollonii. Vide 2. *Mach*. 4. 21. Vide *Apollonius*.

MOAB, filius Lothi ex filia ipſius nato majori, cujus rei hiſtoriam lege *Gen*. 19. 31. &c. Natus eſt circa idem tempus, quo Iſaac filius Abrahæ, & Saræ, ideſt an. M. 2108, ante Ch. 1892. ante Ær. 1896. Author fuit Moabitarum, qui in plaga orientali Jordanis, & Maris Mortui ad fluvium Arnonienſem habuerunt.

MOABITÆ, populi ex Moab filio Loth, ultra Jordanem, & Mare Mortuum ad utramque ripam Arnon. Eorum Metropolis ad amnem ſita, Ar, ſive Areopolis, vel Ariel-Moab, & Rabbath-Moab (id eſt Metropolis Moab) ac tandem *Kirhareſeth* (nempe urbs mœnibus latericiis). Porrò eam regionem, pulſis gigantibus *Enacim*, *Deut*. 2. 11. 12. Moabitæ occuparunt, qui viciſſim Amorrhæis cedere locum partim coacti ſunt, *Judic*. 11. 13. omnibus tandem exactis, Moyſes regionem ſubegit, ac ſubactam deinde

Rube-

(a) Deut. 4. 43. Joſue 20. 8. *Terra campeſtris*. Vide hiſtor. Comment. in Joſue 21. 36.
(b) Sunt qui illam ex Hebræo Miſſa derivet de quo Deut. 16. 10. *Oblationem* (Hebr. *Miſſa*, *ſpontaneam manus tuæ*. Sed Miſſa in eo textu ſonat vectigal. Alii accerſunt ex Miſsb, Donum manus.
(c) Vide Baron. ad an. 34. num. 60. Bona de Reb. Liturg. l. 1. Du Cange Gloſſar. Latin. s. Miſſa. Martinius Lexic. v. Miſſa. (d) 1. Eſdr. 1. 8. *Gazophylax*. Ita Joſeph. Antiq. l. 11. c. 1. & 3. Eſdr. apocryph.

Digitized by Google

Rubenitis tribui. Incolis tamen Hebræi victores, Dei juſſu, pepercerunt, *Deut.* 2, 9. quanquam ex ea clementia nihil de odio inter victos, victoreſque populos remiſſum eſt, ita ut ſuccedente tempore mutuis contra ſe bellis ſævirent. Balaam Ariolus ſuis juſſis in caſtra Iſraelitarum mulieribus Moab, ad Idololatriam, & impudicitiam illos pellexit, *Num.* 25. 1. 2. quin & illis dira imprecari Balac Rex Moabitarum etiam atque etiam conatus eſt (a). Eoſdem populos à cœtu populi ſui uſque ad decimam generationem arceri Deus juſſerat, quod gens illi Iſraelitis tranſitum petentibus, ac neceſſarios commeatus rogantibus, acquieſcere noluiſſent, *Deut.* 23. 3.

Poſt obitum Joſue, Eglon Rex Moabitarum, omnium primus Iſraelitas oppreſſit; ſed occiſo ab Aod Eglone, occupatam à Moabitis Regionem Iſraelitæ vindicarunt (b). Irrogatam Legatis ſuis ab Hannone Rege Ammonitarum injuriam David ulturus, utroſque populos, Moabitas ſcilicet, & Ammonitas ſubegit, 2. *Reg.* 10. 1. &c. Anno M. 2969. ante Ch. 1031. ante Ær. 1035. qui deinde poſt ſeparationem decem Tribuum, in partem Regum Iſraelis uſque ad obitum Achabi ceſſerunt (c). Poſt hæc, Joram filius Achabi Rex Iſraelis, ſociatis ſibi Regibus Juda, & Edom, Moabitas rebelles prælio coercuit, regionem vaſtavit, eorum Metropolim obſidione cinxit; cum verò in extremas anguſtias redactus Rex Moab, in ultima deſperatione filium ſuum jam jam immolaret, per indignatione commoti hoſtes ab obſidione recedentes, in ſuam Regionem redière (d). Quis fuerit rerum Moabiticarum ſtatus ab eo tempore, incertum. Ineunte verò Regnum Ezechia, impendentia in illos mala poſt triennium Iſaias minatur (e); quod nos de bello per Salmanaſarem Regem Aſſyriæ in decem Tribus, & ingentes tranſjordanicas illato interpretamur.

Siniſtra etiam genti imminere Amos 1. 13. prædixit, armis fortaſſe ab Ozia, & Joathan Regibus Juda 2. *Par.* 26. 7. 8. & 27. 5. vel à Salmanaſare, vel tandem à Nabuchodonoſore, quinquennio poſt everſam Hieroſolymam, illata (f). Forte ab eodem Nabuchodonoſore, juxta Prophetarum Oracula, in Regionem tranſeuphrateam tranſlati ſunt (g), eiſque deinde Cyrus libertate, atque avitis ſedibus, uti & cæteros captivos, donavit (h). Poſt regreſſum è captivitate, gens illa & multitudine, & potentia aucta eſt, uti & Judæi, eorumque finitimi; Regibus tamen Perſarum paruerunt, deinde Alexandro Magno, & poſt illum, Regibus Syriæ, & Ægypti, donec à Romanis ſubjicerentur; Quin & poſtremis Reipublicæ Judaicæ annis, Regibus Aſmonæis, ac deinde Herodi Magno ſubjectos fuiſſe non immeritò credimus.

Celeberrima illius gentis Numina, *Chāmos*, & *Beel-phegor*, de quibus in ſuis articulis, ubi Chāmos eundem eſſe, ac Solem; & Beel-phegor, Adonidem, allatis conjecturis, probavimus. In Scripturis aliquando occurrit *Nebo*, (*Baal-meon*, & *Baal-dibon*, veluti nomina Deorum Moab; ſed fortaſſe nomina ſunt locorum, ubi Chāmos, & Phegor colebantur; hinc *Baal-dibon*, & *Baal-meon*, & *Nebo*, idem ſonant, ac Chāmos in Dibon, Meon; & in monte Nebo cultus.

Statim poſt extinctum Achab Moabitæ ad id uſque ſub jugo Regum Iſraelitarum ſubmiſſi, excuſſerunt cervicem, atque imperata facere recuſârunt 4. *Reg.* 3. 5. Meſa Rex Moabitarum ſolvere renuit tributum 100000. agnorum & totidem arietum; quod penſum erat vel ſingulorum annorum impoſitum, vel fortè ſemel in ſingula innovati Regis exordia; neque enim ſatis id exprimitur in Scriptura. Brevi adeò temporis ſpatio regnavit Ochozias, ut ſat commodi non haberet ad bellum illos cogendi; ſed Joram filius Achab, & frater Ochoziæ, ſtatim ac thronum aſcendit, nihil habuit antiquius, quàm ut illos redigeret in fidem. Luſtratis proinde inſtruit copiis Iſraeliticis in agro Samariæ; tum per Ablegatos ſuos certiorem factum Joſaphat Regem Juda de rebellione Moabitarum, invitavit, ut arma ſecum jungeret. Paratum ſe ad omnia ſignificavit Joſaphat, quare ambo ſimul cogunt procedere in adverſarios per deſertum Idumææ ſtatuerunt. Princeps ejus regionis utpote ſubjectus Joſaphat, & ipſe pariter acceſſit in expeditionem; omneſque ſimul Reges ſeptem dierum ſpatio iter habentes per deſertum penuria tandem aquarum laborare cœperunt in tantum, ut in extremum vitæ periculum venirent, qua homines, qua jumenta. Tum Rex Iſrael exclamavit mœſtus: Heu! Num igitur Dominus tres ſimul Reges huc nos coegit, ut ſimul pariter manibus Moabitarum traderet? Quæſivit Joſaphat, num ibi aliquis adeſſet Propheta Domini. Repoſuit è familiaribus Regis Iſrael quidam, præſto eſſe Eliſeum filium Saphat, virum è ſervitiis Eliæ. Actutum tres Reges virum conveniunt. Cunctabundus aliquandiu hæſit Propheta in auſcultando Joram; ſed tandem obſequio Joſaphat victus acquievit, reſponditque verbis Domini monere ſe, ut foderent in torrente foveas, ſtatimque ſpectaturos torrentem illum aquis redundantem, omni licet absque pluvia ſeu vento, ex quibus ſitim omnes qua homines qua bruta reſtinguerent 4. *Reg.* 3. 16. &c. Sed hæc minima, ait, præ majoribus: traditurus eſt enim Deus manibus veſtris Moabitas; quorum munitas Urbes ſubvertetis ac latè vaſtabitis agros. Sua fides Oraculo. Intumuit novis aquis exoriente mane torrens, & Moabitæ intelligentes tres Reges veniſſe ad bellum, moventes ipſi pariter hoſtes opperiri ſunt in finibus ditionis ſuæ; ſed manè ad exortum ſolem ſpectantes aquas è radiorum repercuſſione velut ſanguine infectas videre ſibi viſi ſunt. Qua decepti ſpecie reputarunt, in mutuas conruiſſe cædes tres illos Reges, quare majori confidentia in prædam potius, quàm in prælium alacres procurrerunt. Venientes igitur ſpe diripiendi caſtra Iſraelitarum, in occurſum habuerunt Iſraelitas, tanto impetu ruentes in prælium, ut cùm ſuſtinere illos non poſſent, fugam omnes arripuere.

* Nunquam non exhibetur in Scriptura Deus, exercituum Dominus favore ſuo dignari viros, quorum eſt animus ad virtutem formatus; tenor ille manibus ſuis victoriam, quam præmii loco confert viro maximè fideli, atque ſibi gratiſſimo. Graviſſimis id verbis expreſſit Eliſeus, cùm tribus præſentibus Regibus ita effatus eſt: *Si non vultum Joſaphat Regis Judæ erubeſcerem, non audiſſem quidem te, nec reſpexiſſem; ſed in obſequium Principis illius, qui fecit quod rectum erat in conſpectu Domini* 3. *Reg.* 22. 43. pollicitus eſt victoriam, & deſpondentes animis relevavit prodigio: *Non videbitis*, ait, *neque ventum neque pluviam, & alveus iſte replebitur aquis, & bibetis vos & familiæ veſtræ, & jumenta veſtra*: Manè ſtatim omnia. Sed dubitationem omnem ſummovens Propheta, ſermonem ſuum proſequitur: *Parumque eſt hoc in conſpectu Domini; inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras, percutietis omnem civitatem munitam*.

Licet autem Eliſei oraculo certam tenerent tres illi Reges de hoſtibus victoriam, nihil tamen reliquerunt intentatum, ut tantæ ſpei non deeſſent; & tranquilli licèt de eventu, adhuc tamen in caſtris non ſegnes ſeſe continebant. Quo autem uſi ſunt in Moabitas, ſtratagema familiare olim fuit Græcis & Romanis, uti ſexcentis exemplis in eorum Hiſtoriis demonſtraretur; ſed monſtri loco ducendum eſt fieri potuiſſe, ut tam frequenter incauti hoſtes deciperentur. Porro ad eas artes confugere ſolebant imbecilliores viribus Duces, quibus res eſſet cum inſtructiſſimis; nec ferè unquam non ſucceſſerunt; quemadmodum & ſucceſſu plerumque felici probatæ fue-

(a) Num. 22. 2. &c. A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451. (b) Judic. 3. 12. &c. Anno M. 2679. ante Ch. 1321. ante Ær. 1325. (c) 2. Reg. 8. 2. &c. ab A. M. 3030. uſque ad 3107. ante Ch. 893. ante Ær. 897. (d) 4. Reg. 3. 4. &c. A. M. 3109. ante Ch. 891. ante Ær. 895. (e) Iſa. 15. 1. &c. An. M. 3277. ante Ch. 723. ante Ær. 727. (f) Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11. A. M. 3409. ante Ch. 591. ante Ær. 595. Vide Jerem. 25. & 27. (g) Jerem. 9. 16. & 12. 14. 15. & 25. 11. 12. & 48. (h) Jer. 48. 47. & 49. 3. 6. 39. & 50. 16.
* Animadverſiones in victoriam Iſraelitarum de Moabitis rebellibus. 4. Reg. 3.

re fuerunt eruptiones generales obſeſſarum Urbium tam Antiquis frequentes, quam Recentioribus ignorantibus & ſcopum & commoda ejuſmodi eruptionem in rebus deploratis rariſſime.

Moabitæ autem audientes, ait Sacer Hiſtoricus, *quòd aſcendiſſent Reges, ut pugnarent adverſus eos, convocaverunt omnes, qui accincti erant balteo deſuper*; i. e. non milites tantùm conſcriptos, ſed & ſeniores & veteranos, qui ab oneribus publicis dimiſſione exempti erant, *& ſteterunt in terminis*.

Primo mane ſurgentes & orto jam ſole ex adverſo aquarum viderunt Moabitæ è contra aquas rubras, quaſi ſanguinem. Non id narrat Scriptura tanquam prodigium, quare nos à prodigio hic agnoſcendo abſtinemus; perinde hæc reputantur ac alia ſexcenta, quæ experimentum quotidianum exhibet ſub oculis. Nec id reputandum pariter, ut obſervat doctiſſimus Commentariorum Scriptor, aquas illas rubricati ſoli ſeu alvei vel contraxiſſe in ſe qualitatem, vel exhibuiſſe colorem; alioqui etenim Moabitæ talibus aſſueti nihil colorem illum moraci fuiſſent: ſed ut ille ſcitè proſequitur, impingentes in nubes ſolares radii vel exoriente aſtro vel occidente ruborem quendam inducunt; ex nubibus autem ſpecies illas coloris in aquis, quomodo in ſpeculis, novimus. Nec alia de cauſa mare interdum igneſcit, vel ſanguineo colore purpuraſcit. Ad hæc, cum torrentis alveus præcedenti die areſceret, nec interim pluviæ aliquid in nocte ſtillaſſet, facilè inde error in Moabitas: *Sanguis gladii eſt*, reputabant illi, *pugnaverunt Reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuo; nunc perge ad prædam Moab*.

Perrexerunt itaque in Iſraelitas, tanquam parta jam victoria ſecuri, eoque magis confidentes minuſque præcaventes ſibi, quò neminem habuerunt obvium. Non enim niſi vero propiùs autumaremus, Judæos continuiſſe ſe occultos in caſtris, vel procubuiſſe humi ſtratos, ne ſentirentur ab hoſtibus, quibus minus intenti procurrerent in prædam, adeoque & incautos Judæi ſecuritate deprehenderent. Quotidiano id experimento contigiſſe videmus in exercitibus, ſive qui plus nimio de ſuis viribus confidunt, ſive qui Imperatori parent minùs experto, & neminem habituros adverſarium certa ſibi perſuaſione ſpondent. *Perrexeruntque in caſtra Iſrael. Porro conſurgens Iſrael percuſſit Moab; at illi fugerunt coram eis.*

Moris erat Judæis, ut ſe munirent in caſtris, ſed hic aliter res contigiſſe videtur. Maluerim ego illos exhibere tanquam in prælium inſtructos in ipſo capite caſtrorum, ſed ſtratos in terram, ne venirent in hoſtium cognitionem, quod illis facilè ſucceſſiſſet, cùm in utroque exercitu deeſſet equitatus. Cum ambo illi populi eandem tacticem ſequerentur, diſtribuerem ego quidem Judæos in plura agmina ampliora, eodemque ordine & Moabitas opponerem. Ad funditores quod attinet, quanquam nonniſi in obſidione Metropolis Moabitarum inducuntur, non defuiſſe tamen hic credo in utroque exercitu. Hos ego locarem, uti ſæpè aliàs factum eſt, in linea poſtrema. Ex Interpretibus nonnulli arbitrantur funditores in obſidione, quæ poſt hanc victoriam formata eſt, ipſiſſimos fuiſſe, ac qui catapultas urgebant; ſed falſi illos optimè animadvertit D. Calmet. Quod autem animadverſione dignum reputamus, illud eſt Iſraelitas magna ex parte percuſſiſſe muros lapidibus è machinis ejaculatis. Sexcenta ejus rei exempla ſuppeditant Prophani, ac maximè Cæſar, ſicut & plura relata ſunt in Commentario ad Polybium D. Equitis Folard. tom. 2. ubi de machinis bellicis Veterum.)

MOBANAI de Huſath, è viris fortiſſimis exercitus Davidis 2. *Reg.* 23. 27. alio nomine *Sobochai de Huſath*, 1. *Paral.* 11. 29.

MOCHONA, urbs Tribus Juda, 2. *Eſd.* 11. 28. eadem fortaſſe, ac *Mechanum*, quam S. Hieronymus *in loco ad Beth-Maca*, inter Jeruſalem, & Eleutheropolim, 8. milliar. ab illa, collocat.

MODIN, vicus celeberrimus, in Tribu Dan, patria Matthatiæ, ac filiorum 1. *Mach.* 2. 1. 15. & 39. qui ſub Machabæorum nomine claruerunt. A mari ſanè non aberat, cùm tumulus in honorem Matthatiæ erectus, à nautis è navi ſpectantibus videretur, 1. *Mach.* 13. 30. Machabæorum ſepulchra in Modin non longè à Dioſpoli ſua ætate ſtetiſſe Euſebius teſtatur. Eundem locum *vehiculum* appellat S. Hieronymus *in Iſa.* 30. V. *Matthatias*.

(Judas Machabæus certior factus Antiochum Eupatorem venire in Judæam redigendæ in ſidem Provinciæ duriùſque habendis Judæis, quàm quod antea habuerat Antiochus Epiphanes pater ipſius, 2. *Machab.* 13. 9. &c. cum Senioribus populi conſultans decrevit, ut hoſtem prævenientes procurrerent in occurſum. Omnibus igitur Dei Creatoris univerſi manibus permiſſis, hortatus eſt ſuos Judæos, pugnarent ſtrenuè, vitamque ſuam alacres darent in diſcrimen, tutandis Legibus, Templo, Urbi, Patriæ, Civibus. Poſt hæc omnia movens cum exercitu caſtra locavit ad Modin. Ibi verò teſſeram aſſignavit ſuis *victoriam Dei*, aſſumpſitque ſecum exercitus ſtrenuiſſimos, quorum manu fultus aggreſſus eſt Regis prætorium, tantamque ibi cladem intulit 400. virorum, & inſignem elephantorum cum eorum rectoribus. Turbata hiſce hoſtium caſtra & terrore omnia completa, ſunt; Judas autem recepit ſe tutum Deique ope protectum.

* Judas Machabæus armorum ductor erat eximius; ejus geſta, atque in gerendis omnibus bellis, quæ plura ſuſtinuit in hoſtes formidabiles, militaris prudentiæ ſpecimen ſunt omnium, quotquot in eo genere, maximè inſigne & admirandum. Sertorius, Scanderbegus, cæterique id generis, nihil egerunt, quod cum geſtis inſignis hujus viri parem gradum teneat: Nihil in tota antiquitate ſpectandum offeretur ſcitum magis atque profundum, quàm methodus Judæorum, tam in inſtruendo ſe ad prælium, quàm in ipſo prælio gerendo; ſemper numero invalidiores, ſemper tamen hoſtibus ſuperiores fuit, qua ferendi audacia, qua dirigendarum partium prudentia, qua militaris ſcientiæ peritia.

Monſtri tamen loco ducendum eſt Polybium, exactum adeò & de rebus Aſiaticis probè inſtructum Scriptorem, ne verbum quidem habere ſive de Machabæis, ſive de bellis geſtis ab ipſis cum Antiocho ejuſque ſucceſſoribus; cùm tamen fusè, eademque cura qua Romanorum expeditiones, deſcribat ejuſdem Antiochi prælia. Hæc utique in mentem inducere non valeo.

Cùm dolus ad vincendum valet, vi [illegible] non eſt ad victoriam. Commune hoc axioma ſpeciem quidem habet veri; ſed non ſemper reipſa veritati cohæret, ex quo res propiùs expenditur. Stratagemata omnia Machabæorum nihil habent ſingulare, quin nec crebra ſunt, nec ſemper illis ad ſtratagemata confugiendum ſuccurrit; ſæpiùs plena die aciem ſtruunt. Plus contulit ad victoriam ſcientia, quàm artificium, atque eò potiſſimum ars eorum omnis tendebat, ut certo ordine copias inſtruerent: ars eſt igitur, cui major debetur rerum inſigniter & ſtrenuè geſtarum laus, & gloria. Cæterùm, quando calliditas præter artem hanc, [illegible] habet adjunctam aptamque tempori exercitûs diſtributionem, eò inde eam intelligas, Ducis mentem pervaſiſſe abdita omnia, & ſublimia militaris ſcientiæ arcana.

Facinus hoc Judæ Machabæi in caſtra Antiochi Epiphanis principem tenet locum inter illa, in quibus ars & ſolertia Ducis ex æquo certant. Nocturno itinere prævenit Antiochum, quod facile eſt modico agmini, nec ſanè minimi ad rei proſperum eventum momenti. Dux enim in caſtris ſuis inopinatò deprehenſus, quando etiam ſat ſpatii nactus eſſet, ut inſtrueret ſe in prælium, Dux eſt dimidio jam victus.

Certum

* Animadverſiones in prælium Judæ Machabæi cum Antiocho ad Modin. 2. Mach. 13. 13. &c.

Digitized by Google

Certum hoc certum pariter ſuo exemplo expertus eſt Antiochus, via enim accedente illo ad Judæam, Judas Domino committens totum rei eventum, audacter venit in occurſum hoſtis, cæcidit ſtrenuè 4000. atque ex elephantis inſigniores, ſummumque ex ea re terrorem in caſtra adverſariorum injecit.

Nihil habet Sacer Scriptor de Judæorum diſpoſitione; ſed methodum Judæ tenemus. Cùm plurimum numero copiarum vinceretur ab hoſtibus, certabat diſcretis, ſed confertiſſimis agminibus; ſatiſque habebat ad victoriam, ſi perrumpere valuiſſet adverſarios. Conſtat id non obſcurè verbis illis ℣. 15. *Juvenibus fortiſſimis electis*; manum enim è ſelectiſſimis aſſumens invectus eſt in prætorium Regis. Quare mihi quidem ſuccurreret totum ejus exercitum trifariam dividere. Media tenebat agmen, cui Judas præerat, id enim Duci erat ſolemne, ut medium agmen teneret. Non abs re autumaremus, Judam nactum fuiſſe reſiſtentes hoſtes, quos tamen ſudit diſſipavitque, alioqui etenim ille totum latè ſtraviſſet fugiſſetque exercitum Antiochi; ſed ingruentem majorem hoſtium numerum metuens, recipere ſe poſt expeditionem illam maluit.

Antilogiam quamdam in ſpeciem exhibent illa ℣. 15. *Nocte aggreſſus eſt Judas aulam Regiam*; tum & alia ℣. 17. *Hoc autem factum eſt die illuceſcente*. Quibus conciliandis repo averim, rem cœptam noctu, primo tandem die abſolutam fuiſſe.)

MODIUS. S. Hieronymus frequenter *modium* pro *Epha* uſurpat. In Libro Ruth 2. 17. *Ephum, tribus modiis* comparat; & 1. *Reg* 1. 24. *ephi* tres modios vertit. *Amphoram* etiam pro *Ephi* ſcribit *Zach.* 5. 6. 7. 10. Septuaginta verò menſuram vulgo dicunt. *Epha, Ephi*, vel *bathus*, cum menſuris noſtris collatus, pintas 29. cum dimidia, ſemiſextario, octava pintæ parte, & nonnihil amplius continebat.

MOHOLA, filius Rhegmæ. 1. *Par.* 7. 18.

MOHOLI, filius Merari, natu major, *Exod.* 6. 19. & Author familiæ Moholitarum, *Num.* 3. 33.

(MOLA, *Molere*. Jeſus Chriſtus Matth. 18. 16. agens de homine, à quo ſcandalum puſillis oblatum, ait: *Expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus*. Deſignat hic mola aſinaria, juxta nonnullos (*), ingentem quandam molam, cui torquendæ aſinus admovetur, oppoſitam alteri, quæ vi lacertorum gyrat. Malunt alii (a) *Molam aſinariam* eſſe molam inferiorem ſegnem & immobilem.

Extremam & ſupremam hominum conditionem hac phraſi exprimit Moyſes 11. 5. *A primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam*. Antequam enim piſtrinum pneumaticum ſeu aquarum impetu gyrans inveheretur, torquebantur molæ vi lacertorum. Huic operi applicatus fuit à Philiſtæis Samſon in carcere detentus. *Clauſum in carcere molere fecerunt*. *Judic.* 16. 21. Ad hunc morem frequenter ſpectatum eſt in Scriptura, uti Iſaiæ 47. 2. Matth. 24. 41. Lucæ 17. 35.

Vetat Moyſes, Deut 24. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam*; vel juxta Hebræum: *Non accipies utrumque molam piſtrini, & plauſtrum*. Sermo eſt illic facilè de piſtrinis ad uſum Hebræorum in deſerto, plauſtro vectis in commodum itineris. Ambo Paraphraſtes Chaldei ad figuratum ſenſum ſententiam torquent: *Neque eris vir ligans Sponſos & Sponſas incantationibus*. Rabbinorum nonnulli eodem fermè ſenſu exponunt illud, quòd de Samſone coacto in carcere molere legitur in Scriptura, ut idem ſit ac coactum fuiſſe ſcortari, quo ex illo ſtirpis aliquid haberetur. *Molere* obſcœno ſenſu uſurpatur interdum apud Authores prophanos, & in Job. 31. 10. *Scortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii*; Hebræus: *Molat alteri uxor mea &c.*)

MOLADA, ſive *Molatha*, urbs Tribus Simeonis a *Joſue* 15. 25. & 19. 2. quamquam primò inter urbes Tribus Juda recenſebatur. Eamdem credo, ac *Mumathem*, ſive *Malathem*, de qua in Notitiis Imperii; eamdemque ac Maceloth, *Num.* 33. 25. Nulla erat in Tribu Juda urbs meridionalior. V. *Malatha*.

MOLCHOM, filius Bale, & Hodes, 1 *Par.* 8. 9.

MOLOCH, ſive *Melchom*, Deus Ammonitarum. *Moloch* Regem ſonat; & *Melchom*, eorum Regem. In Lege cautum eſt, ne Iſraelitæ liberos per ignem in honorem Moloch traducant, *Levit.* 18. 24. & 20. 2 &c. cujus Legis refractarii & capitali pœnæ ſubjiciuntur, & gravi Dei vindicis manu è populo delendi denunciantur. Ante egreſſum ex Ægypto, Judæos in Moloch inclinaſſe ex Amos, ac deinde ex S. Stephano illud exprobrante: *Portaſtis tabernaculum Moloch veſtro* (nempè in itinere per deſertum,) intelligimus, *Amos* 5. 26. *Act.* 7. 43. In honorem illius, Salomon Templum in monte Oliveti dedicavit, 3. *Reg.* 11. 7. cujus deinde veſtigia relegens Manaſſes, filium ſuum per ignem traduxit, 4 *Reg.* 21. 3. 4. Huic ſuperſtitioni certus locus, vallis nempè Tophetti, ad orientem Jeruſalem, deſtinatus erat, *Jerem.* 19. 5. 6 *Sophon.* 1. 4. 5.

Porrò filii in honorem Moloch excitatum ignem tranſilire cogebantur, juxta aliquorum opinionem, ut eo ritu initiarentur, ac luſtrarentur, more apud Ethnicos conſueto. Alii vero malunt, inter duos ignes hinc inde flagrantes, medios traduci parvulos eamdem ob rem conſueviſſe. Alii tandem autumant, igne parvulos illos abſumptos fuiſſe, ut Idolo litaretur. In S. Scriptura, frequenter idem ritus innuitur (b), ibique luculenter ſanè *immolati* Dæmoni, ſivè Moloch liberi perhibentur. Quin & de incolis Sepharvaim, 2 *Reg.* 17. 31. traditum eſt, filios igne concremaſſe in honorem Anamelech, & Adramelech Deorum ſuorum, quæ certè Numina eadem ſunt ac Moloch Ammonitarum. Nollem tamen fidem meam obligare, eandem conſuetudinem natos igni tradendi ſemper obtinuiſſe: fortaſsè ubi tantùm *tranſlati*, ſeu *luſtrati per ignem* filii dicuntur, mitiùs cum illis actum eſt, quam ut nece abſumpti crederentur. Quamquam conſuetus colendi Numinis ritus obtinuiſſe videtur, ut pueri igne abſumerentur.

Ex Rabbinorum fide, Idolum hoc fuſo ære conſtabat, quod æreo throno aſſidens, bovino capite regium diadema ſuſtinebat; brachiis verò protenſis veluti ad amplexus invitabat. Cùm parvuli erant immolandi, ſubjecto igne ſtatua candeſcens miſeros pueros in ulnis oblatos excipiebat; qui ſtatim, æſtu corripiebantur. Ne verò parvulorum decedentium clamor exaudiretur, ſonitu tympani, aliorumque muſicorum inſtrumentorum circa Idolum ingens ſtrepitus excitabatur. Alii verò dicunt, ſtatuam illam inclinatis in terram brachiis, pueros in ulnis poſitos, in ſubjectum ignem ſtatim demiſiſſe. Alii tandem narrant, totam intùs inanem fuiſſe, atque in 7. cellulas diviſam, quarum in prima farina, in ſecunda turtures, in tertia ovis, in quarta aries, in quinta vitulus, in ſexta bos, in ſeptima infans recondebantur: Omnia autem illa ardente ſtatua conflagrabant.

David regione Ammonitarum armorum vi acquiſita, Melchom Dei illorum populorum, ſive coronam Regis illius gentis, aurei talenti pondo, obtinuit (c), ex qua Regium ſibi diadema conflavit. Porrò talentum Hebraicum 3000. ſiclos, ſivè 125. libras Rumanas æquabat; pondus ſatis pro regia corona immane. Quare diadema illud non capitis ornamentum fuiſſe, ſed throno ſuſpenſum, ut capiti immineret,

(*) Hilar. in Matth. Ambroſ. Maldonat. Grot.
(a) Camer. in Matth. Flacc. Illyric. (b) Vide Pſal. 105. 37. Iſai. 57. 5. Ezech. 16. 21. & 23. 39.
(c) Par. 20. 2. Melchom ſignificare poteſt vel Numen Melchom, vel eorum Regem. S. Hier. vertit, Regis eorum. 2. Reg. 12. 30. & Melchom, 1. Par. 20. 2.

veriſimiliùs credimus; vel ſaltem talentum aureum; de quo Scriptura, non pondus denotat, ſed valorem. Illud enim non auro tantùm conflatum, ſed gemmis etiam ornatum ex Paralipomenis conſtat: *Invenit in eâ auri pondo talentum, & pretioſiſſimas gemmas*; quibus ſanè gemmis diadematis pretium multum augebatur, quamvis pondere cætera diademata non excederet. Hæc nonnullis Interpretibus viſa ſunt. Vide Commen. in 2. Reg. 12. 30.

Quod potiſſimùm Paganorum Numen Moloch referret, non una eſt Eruditorum ſententia. Sunt, qui ad Saturnum acceſſiſse credant, cui humano ſanguine litabatur; alii ad Mercurium, alii ad Venerem, alii ad Martem, ſivè Mithram. Nos Solem, ſivè Regem Cœli expreſſiſse, allatis conjecturis probavimus (a).

(MONETA. Mentio eſt frequens in Scriptura de argento, auro, ære, certiſque argenti ſummis, de emptione pretio argenti, de argento vulgari, de argento certi ponderis; at de argento cuſo ſignatoque nonniſi ſeriùs maximè ſermonem factum eſſe animadverto; quod in eam me perſuaſionem inducit, priſcis Hebræis in uſu fuiſse aurum & argentum ad pondus, & metallum ipſum purum ne eſſet vel ſecus, curaſse tantùm, figuram penitùs neglexiſſe. Evincere hæc conati ſumus in Diſſertatione de hoc argumento, præfixa noſtro Commentario in Geneſim, cujus hìc epitomem damus.

Vetuſtiſſima tranſigendi apud homines ratio commutationem mercium perficiebatur; quidquid ſibi redundabat ului ſuperfluum, alteri dabant, ut ab altero viciſſim, quidquid maximè ſibi expediret, acciperent. Tum in commercium invehi cœpta ſunt pretioſa metalla, ceu quorum æſtimatio magis obtineret apud homines. Poſtremò omnium ſuccurrit, metallum illud certa quadam nota ſignare, certo pondere, certo gradu, ut & valor illius determinaretur, & commodis negociatorum ſerviretur, ne cogerentur ſive metalli pondus ſive valorem examinare.

In obſidione Trojæ ſignatæ monetæ nulla mentio; valorem rei, quanti valeret, tantus boum numerus dimetiebatur (b). Emendo e.g. vino ex æquo pendebantur boves, mancipia, ferrum, corium &c. (c). Cùm apud Græcos obtinere cœpit pecunia, rem totam conficiebant veruli quidam ferrei vel æramei, oboli appellati, quorum pugillus referebat dracma(d). Cenſet Herodotus lib. 1. cap. 94. Lydios, omnium primos, monetam auream vel argenteam ſignaſſe, qua uterentur in commerciis. Rei inventæ honorem tribuunt alii Ithoni Regi Theſſaliæ, filio Deucalionis(e); alii Erichtonio, quem puerum nutrierunt filiæ Cecropis Regis Athenarum (f); alii Phidoni, Regi Argeos.

Apud Perſas Darius filius Hyſtaſpis primus author creditur cuſæ alicujus aureæ monetæ (g). Edicto vetuit Lycurgus ne in Republica Lacedæmonum aurum & argentum obtineret, admiſitque tantùm gravioris ferreæ monetæ, aceto temperatæ, genus quoddam; Janus, ſeu potius Reges Romani, æneas ampliores monetas induxerunt, exhibentes in antica quidem duplicem faciem Jani, in poſtica verò roſtrum navigii.

De moneta ſignata apud Ægyptios, Phœnices, Arabes & Syros ante expeditionem Alexandri Magni quærenti mihi nihil occurrit. Fruſtrà autem ageremus hìc de Scythis, Germanis, Gallis, & Hiſpanis, apud quos ſignatæ peculiares monetæ diu poſt invaluerunt. Apud Sinas hodie pariter cuſa pecunia aurea vel argentea nulla eſt; ænea tantùm valet. Aurum & argentum perinde habentur ac merces, & emuntur non expenduntur in commerciis. Si quis emendis rebus offerat aurum vel argentum, excipiunt illud ad pondus uti cæteras merces; quare apta ad id novaculis ſecantur in fruſta, ſuuntque appenſos cingulo lances ponderandis ejuſmodi metallis. Æs verò cudunt in monetam admixtum vario gradu externo alio metallo. Notam præfert illa characterum quorundam Sinenſium deſignantium valorem; foramen habet in medio quadratum, unde filum inſertum (h).

Illyrii gentesque ad Araxim, & pecunia ſignata deſtituebantur, & ponderibus & menſuris, neque ultra centum numerando aſcendebant (i). D. Tournefortius, Itiner. tom. 2. pag. 827. affirmat hodiè pariter Georgianos, qui gentibus illis ſucceſſerunt, temnere argentum, nec niſi rerum permutatione merces ſuas vendere. Permutatione etiam commercia fiunt in Mingrelia (k); in Æthiopia & Bengala nullæ monetæ, ſed loco inferioris monetæ expenduntur oſtreæ maris Inſularum Maldivarum; quod etiam obtinet apud Maldivas, & pluribus in locis apud Indos; ſicut etiam in lateribus Guineæ Regniſque Congii & Siami.

Sed modò ad Hebræos. Ponderavit Abraham 400. ſiclos, emendo ſepulcro uxoris ſuæ *Gen.* 23. 15. 16. notat Scriptura ſolutum ab illo pretium *argenti probatæ monetæ publicæ*, vel juxta Hebræum argenti admiſſi apud Mercatores. Joſephum vendiderunt fratres Madianitis recepto pretio viginti argenteorum *Gen.* 37. 28. Hebræus: *Viginti ſiclorum argenti*. Ejuſdem Joſephi fratres retulerunt ad illum in Ægyptum inventum in ore ſaccorum argentum ejuſdem ponderis ac priùs ſolverant; *Argentum in pondere ſuo Gen.* 43. 21. Armillæ ab Eliezer muneris loco datæ Rebeccæ pondus referebant decem ſiclorum *Gen.* 24. 22. ſicut & inaures duorum ſiclorum. Aſſumi jubet Moyſes myrrham 50. ſiclorum pondere & cynnamomum pondere item 50. ſiclorum Sanctuarii, conficiendo thymiamati adolendo ſuper Altare aureum Domino *Exodi* 30. 24. Refert ille pariter Exodi 28. 29. oblata ad opera Tabernaculi 72000. talentorum æris. Legimus 2. Reg. 14. 26. pondus comæ Abſalomi æquaſſe 200. ſiclos ponderis publici ſeu Regis, cùm ſingulis annis comam illam præcideret. Exhibet Iſa. 46. 6. impios ponderantes argentum in lance, ut Idolum conflarent; & Jeremias 32. 10. ponderat in lance 17. argenteos pretium agri, quem emebat. Iſaias 55. 1. 2. *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* Mercatores exhibentur apud Amos 8. 3. mutuis conſpirantes: *Imminuamus menſuram, ad vendendum, & augeamus ſiclum, ad ſolutiones excipiendas, & ſupponamus ſtateras doloſas*; nempè in commerciis.

In his omnibus Textibus tria tantum apparent 1. Metallum, aurum vel argentum, nunquam æs; neque enim loco monetæ expendebatur tunc in commerciis; 2. Pondus, talentum, ſiclus, obolus, vel gerah, pondus Sanctuarii & pondus Regis; 3. Metalli certus gradus, aurum vel argentum purum à Mercatoribus admiſſum. Nullibi verò ſeſe offert cuſæ monetæ imago; occurrit ſæpè argentum appenſum, appenſa omnia pondere ſicli & talenti. Siclus igitur & talentum non certæ quædam erant & conſtitutæ monetæ, ſed pondera indiſcriminatim rebus omnibus accommodata in commerciis. Hinc ſtateræ doloſæ nego-

(a) Vide noſtr. diſſert. in Moloch, ante Comment. in Levit. & Selden. de Diis Syris, Spencer. de Leg. Hebræor. Rit. l. 2. c. 10. Voſſium de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 5.
(b) Homer. Iliad. S. (c) Idem Iliad. E.
(d) Plutarc. in Lyſandro.
(e) Lucan. Pharſal. lib. 6. (f) Arab. lib. 8.
(g) Herodot. lib. 3 cap. 89. & lib. 4. cap. 166.
(h) Martini Hiſtor. pag. 328. Renaudot Not. in Iter. duorum Arabum ad Sinas, ſæc. 9. pag. 198. 199.
(i) Strabo l. 11. pag. 352.
(k) Bernier tom. 2. Renaudot loc. cit. pag. 119.

negociatorum molientium augere ſiclum, i. e. pondus, quo utebantur recipiendo ab aliis auro vel argento, ut majus exciperent; hinc *pondus Sanctuarii*, pondus nempè princeps & probatum, quod in Templo ſervabatur ad normam cæterorum, fraudum evitandarum gratia; hinc lex vetans Deut. 25. 13. *Non habebis in eodem ſacculo diverſa pondera*; hinc ſtateræ, quas Hebræi ad cingulum ferebant *Deut.* 25. 13. & Chananæi geſtabant in manibus *Oſee* 12. 7. uti nunc quoque ad cingulum habent paratas Sinenſes, ponderando auro vel argento, habent enim metallum illud grave non ſignatum.

Animadvertiſſe juvat in Textu Originali nullum fieri ſermonem ſive de moneta, ſive de re quacunque ad monetam pertinente. Aurum & argentum oblatum Moyſi in Deſerto in opus Tabernaculi, ſicut & alterum collatum Aaroni ad conflandum aureum vitulum, ac tandem Gedeoni ad formandum Ephod; atque illud quod furto ſuſtulit Acham, ſicut & divitiæ à Davide relictæ Salomoni; quod Giezi recepit ex Naamano pretium: metallum erat conflatum ſeu in annulos, ſeu in armillas, inaures, vaſa & lingulas. De moneta ſeu de metallo cuſo ne verbum quidem; nulla de figura illi impreſſa ſive de forma mentio. Plerumque enim cuſis monetis nomen dabatur ſeu Principis, ſeu animalia, ſeu floris, quod exhibebant expreſſum. Noti ſunt apud Græcos Philippici, Jaculatores, boves, noctuæ, cujus nominis ratio ex cuſa imagine Regis Philippi, jaculatoris, &c. Nihil tale apud Hebræos.

Legitur quidem in Hebræo Gen. 33. 19. emiſſe Jacob agrum ſoluto pretio 100. *Keſitah*; ſicut & amicos Jobi reſtitutum valetudini amicum ſuum donaſſe in ſingulos ſingulo *Keſitah*, cum inaure aurea *Job* 42. 11. ibi pariter legas Daricos in Hebræo appellatos *Daremonim* vel *Adaremonim*; habes etiam expreſſas minas, ſtateres, obolos. Sed poſtrema hæc monetarum genera extranea ſunt atque ſubſtituta aliis vocibus in Hebræo, exprimentibus tantùm non ſignatum ſed rudis metalli pondus. De *Keſitah* nihil habemus ſat exploratum; alii deſignare vocem hanc malunt ovem vel agnum; alii pecuniam agno vel ove cuſam; nobis probatur dictum accipere de certi cujuſdam ponderis argento. Vide V. *Keſitah*.

Daremonim vel *Darici* monetæ ſunt Regum Perſidis; ſatiſque inter omnes conſtat ſub Dario filio Hyſtaſpis cœpiſſe metallum ſignari. Tradit Ezechiel 45. 12. minam reddere 60. ſiclos; revocat ille monetam hanc extraneam ad notum Hebræis pondus. Fieri utique potuit minam ab origine genus fuiſſe Perſicæ monetæ, quam ſibi deinde adoptarint Græci pariter & Hebræi. Porrò Perſarum Imperio ſubjecti Hebræi via pares fuiſſent monetæ peculiari emblemate cudendæ; cum & alienæ ditioni ſubeſſent, regionemque tenerent pro reliqua Provincia minimam. Minus id etiam valuiſſent dum Chaldæis parebant, premente captivitate Babylonica, nec tandem rerum potientibus Græcis, quibus ſubjecti fuere aduſque ætatem Simonis Macchabæi 1. *Macch.* 15. 6. Huic tandem Antiochus Sidetes Rex Syriæ cudendæ peculiaris monetæ facultatem elargitus eſt: *Permittimus tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua.* Porrò monetæ illæ inter Hebraicas omnium primæ noſcuntur; exhibebant ſiclos vel hemiſiclos argenteos.)

I. MONOBAZES, Rex Adiabenes, maritus, & frater Helenæ, quæ Judaicæ Religioni nomen dedit, uti in ſuo articulo diximus. Ex eo conjugio Monobazes, & Izates geniti. Regnum verò Izati, obeunte patre, relictum, quem Judaica Religione initiatum fuiſſe diximus v. *Izates. Joſeph. Antiq. l.* 20. *c.* 2. Obiit Monobazes A. Ær. 38.

II. MONOBAZES, filius alterius, de quo egimus. Hic teſtamento Patris tantum detulit, ut natu licèt major, Regni jura fratri permiſerit; cui etiam, tempore obitus quam longiſſimè abſenti, idem Regnum religioſè conſervavit.

MONOCEROS, bellua unum cornu gerens, cujus generis plura ſunt animantia; alia enim cornu gerunt in fronte, alia in naſo, alia in capite. In Scriptura tamen eo nomine unicornis tantùm ſignificatus videtur. Vide *Unicornis*.

MONTES. Judæa montuoſa erat, ſed montibus ut plurimùm amœnis, feracibus, & cultum patientibus, ut fructus, oleas, vineas, & paſcua exhiberent. Eos ſanè adeò feraces fuiſſe conſtat, ut Moyſes figurata locutione uſus, melle, & lacte vel ſaxa montium manaſſe diceret, *Deut.* 32. 13. Alibi etiam, *Deut.* 8. 7. 9. montes Palæſtinæ excellentiſſimis fontibus ſcatere, ærifodinis divites eſſe innuit. Porrò æris fodinas in Palæſtina, & Libano olim fuiſſe ex hiſtoriis didicimus. Ariſteas in relatione Septuaginta Interpretum tradit, eaſdem fodinas uſque ad Perſarum Regnum permanſiſſe; deinde verò, referentibus Provinciæ Præfectis plùs eſſe in illis diſpendii, quàm lucri, derelictas fuiſſe. Moyſes Dominum enixè rogavit, ut *Montem iſtum egregium* (nempè Montes Judææ) *& Libanum* videre permitteretur. *Deut.* 3. 25.

Catalogum Montium, de quibus in Scriptura, ac de ſingulis nos in ſuo articulo, hic ſubjiciendum duximus.

Catalogus Montium celeberrimorum, quorum Scriptura meminit.

Mons Seir, *Gen.* 36. 8. ſivè Idumææ.

Mons Horeb, *Deut.* 1. 2. ad Sinai in Arabia Petræa.

Mons Sinai, *Deut.* 33. 2. in Arabia Petræâ.

Mons Hor, *Num.* 20. 22. in Idumæa.

Mons Gelboë, 2. *Reg.* 1. 21. ad meridiem Vallis Jezrael.

Mons Nebo *Num.* 32. 3. pars Montium Abarim.

Mons Thabor, *Jud.* 4. 6. in Galilæa inferiori, ad Septentrionem Magni Campi.

Mons Engaddi, *Joſue* 15. 62. ad Mare Mortuum.

Mons Libanus, *Deut.* 3. 25. & Antilibanus.

Mons Calvariæ, *Luc.* 23. 33. ubi Chriſtus crucifixus eſt, & ad Occidentem ſeptentrionalem Jeroſolymæ.

Mons Garizim, *Jud.* 9. 7. ubi Templum Samaritanorum erectum erat.

Mons Hebal, *Joſue* 8. 30. juxtà Garizim.

Mons Galaad, *Gen.* 31. 21. ultra Jordanem.

Mons Amalech, *Jud.* 12. 15. in Tribu Ephraim.

Mons Moria, 2. *Par.* 3. 1. ubi Templum conſtructum eſt.

Mons Pharam, *Gen.* 14. 6. *Deut.* 1. 1. in Arabia Petræa.

Mons Gaas, *Joſ.* 24. 30. in Tribu Ephraim.

Mons Olivarum, *Luc.* 21. 37. alio nomine Mons ſcandali.

Mons Phaſga, *Num.* 21. 20. *Deut.* 34. 1. ultra Jordanem.

Mons Hermon, *Joſ.* 11. 3. ultra Jordanem, & juxta Libanum.

Mons Carmeli, *Joſ.* 19. 26. ad Mediterraneum inter Doram, & Ptolemaidem.

Præter eos Montes, plures ſunt, qui urbibus ibidem ſitis celebrantur, ut Hebrone, Samaria, Nazareth, Gabaone, Sophim, Silo, &c.

Montes Juda potiſſimùm ad meridiem ejuſdem Tribus, Idumæam versùs, protenduntur.

Montes Ephraim totam ferè eandem provinciam occupant, exceptis locis ad Orientem Jordanis, & aliis ad Occidentem Mediterranei ſitis.

Montes Galaad à ſeptentrione ad meridiem, à Libano nempè, ſive à monte Hermon, uſque ad montem Seir, ſive Idumææ excurrunt.

Montes Abarim, Phaſga, & Nebo juga montium ſunt, perpetuo nexu conjuncta ab Oriente ad Septentrionem, a montibus Galaad, ſivè Seir, uſque ad intima planitiei Moab, ad Orientem Jordanis.

De Montibus intrà Jeruſalem, ſivè in ejus pomeriis, egimus v. *Jeruſalem*. Hebræi frequentiſſimè Montibus *æterni* epithetum adjungunt, *Gen.* 49. 26; *Deut.*

Digitized by Google

26. *Deut.* 33. 15. *Pſal.* 74. 5. quod mundo fuerint coævi.

(Philoſophis nonnullis incidit ſuſpicio, num ante diluvium in mundo prominuerent montes. Reputant enim montes tunc ſuccreviſſe cum aquæ impoſitam ſuper ſe terram protruderent, ut ſuperiora obtinentes terræ faciem omnem tenerent. Tunc enim terræ ſuperficies variis intimiſque agitata ſuccuſſionibus hinc inde protuberavit, ſubſiditque viciſſim alicubi, ut montes redderet & valles. Proponit ſyſtema iſtud Author Operis inſcripti *Telluris Theoria ſacra*. Videſis quæ hac de re diſputavimus V. *Diluvium*.

Sed vero propius autumaremus montes ab exordio ſtetiſſe. Agens Moyſes de diluvio affirmat: *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*; nihil autem addit de agitatione iſta & ſubverſione ſoli. Deſcribit ille pariter hortum Eden, & curſum amnium ex eo defluentium, ea plane ratione, qua modo etiam ſpectantur. Si verò ſubverſio illa terram agitaſſet, nulla hodie remanerent prioris mundi veſtigia. Ad hæc notat Moyſes aquas illas, quæ in exordio mundi terræ faciem tegebant, ad imperium Domini morigeras in unum omnes defluxiſſe locum, ex quo aridum elementum relevavit. Erant igitur ex tunc ſublimiora loca viciſſim & humiliora, quo ſcilicet aquæ in inferiorem locum defluentes, ſuperiora relinquerent. Tandem meminit idem Scriptor montium ſemel & iterum, tanquam ſubſiſtentium ante diluvium. Scribit aquas 15. cubitis ſuperaſſe vertices celſiſſimorum montium. *Gen.* 7. 19. & Arcam Noe ſubſediſſe in monte Ararat, *Gen.* 8. 4. 5. Erant igitur ex tunc montes. Donat inſuper montes epitheto veterum & æternorum; *De vertice montium antiquorum, de pomis collium æternorum*. *Deut.* 33. 15. Quibus inſinuatur parem illos ætatem cum mundo tuliſſe.

Agens Pſalmiſta de creatione mundi non obſcurè addit & montes: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus*. Luculentius etiam Pſ. 103. 6. 8. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus, ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt; aſcendunt montes & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis*. Salomon Prov. 8. 25. ita loquentem inducit Sapientiam: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, necdum fontes aquarum eruperant. Ante colles ego parturiebar*.)

MOPHIN, alio nomine *Supham*, ſive *Schephuphan*, *Num.* 26. 38. filius Benjamin. *Gen.* 46. 21.

MORASTHI, alio nomine *Mareſa*, ſive *Moraſeth*, patria Michææ Prophetæ. Vide *Mareſa*.

MORBI. Morborum in S. Scriptura genera quamplurima deſignantur, de quo argumenti genere conſulendi Franciſcus Valeſius *De Sacra Philoſophia*, Thomas Bartholinus *De Morbis Biblicis*, Guillelmus Aderus de eodem argumento, Chriſtianus Warlitzius *De Morbis Biblicis è prava diæta, animique affectionibus reſultantibus*; & noſtra Diſſertatio de Medicina Hebræorum Commentariis in Eccleſiaſticum præfixa. Omnes fermè morbos Hebræi Dæmonis opus autumabant. Vide *Medici*.

MORIA, mons, cujus vertici Templum Jeroſolymitanum à Salomone ædificatum inſidebat, *Par.* 3. 1. Vulgò ferunt, hunc montem immolando Iſaaco Deum Abrahamo indicaſſe, *Gen.* 22. 2. 14. quæ tamen opinio difficultate non caret. Samaritani pro *Moria* legentes *More*, miſſum à Deo Abrahamum autumant ad *More*, juxta Sichem, *Gen.* 12. 6. *Deut.* 11. 30 atque ſacrificii certum locum montem Garizim deſtinatum tradunt.

MORS. Cùm homo vetiti pomi comeſtione mortis ſententiam in ſe, totamque poſteritatem conciviſſet, ſtatim ſpirituali morte correptus, corporis letho obnoxius factus eſt; quod tamen diù poſt crimen ſubiit. Ab utraque morte, ſi Divino præcepto morem gerens, à pomo arboris vitæ abſtinuiſſet, futurum illum immunem felici, atque perpetua valetudine conſtat. Cui poſt diuturnam in terra vitam tranſlato, ſicuti Enoch, & Elias, vitam Deus indulſiſſet prorſus immortalem. Patres enim, & Concilia docent, nonniſi Adamo peccanti mortem fuiſſe obventuram, quamvis Rabbinis aliter de illo viſum ſit. Tradunt enim, Adami inſontis animam poſt diuturnam in corpore vitam, ſolutis ſponte, & ſuaviter repagulis, immortalitate, atque æterna felicitate donandam fuiſſe.

Jeſus Chriſtus morte ſua mortem devicit, æternam nobis in Cœlis felicitatem merens. Quamvis enim nullam animæ noſtræ novam contulerit immortalitatem, neque è re noſtra fore cenſuerit, à dura nos obeundi neceſſitate ſubducere, vitam tamen Gratiæ largitus eſt; ſuaque reſurrectione ſpem nobis fecit beatæ immortalitatis; ea tamen conditione obtinendæ, ſi fidei merito, mediis Sacramentis, jus illud vindicemus, quod nobis ſanguine ſuo acquiſivit; neque admiſſis criminibus, de voluntate ipſius benè nobis merendi malè mereamur. De reſurrectione mortuorum agemus v. *Reſurrectio*.

Mortis nomen in S. Scriptura de letho animæ, & corporis æquè uſurpatur. *Prima mors* eſt animæ a corpore divulſio; *Secunda mors* eſt ad Infernum damnatio; eademque phraſi imminens mortis periculum, peſtis, morbi contagioſi, venenum, malum quodcumque ingens deſignatur; *Portæ mortis*, ſepulchrum ſunt, & ſtatus mortuorum poſt hanc vitam; *vaſa*, ſive *inſtrumenta mortis*, arma necem, ſive damnum inferentia, *vincula*, ſive *laquei mortis*, inſidiæ ad occidendum adverſarium paratæ; *filius mortis*, vir morte dignus, ſeù morte damnatus; *pulvis mortis*, cinis eſt, in quem poſt obitum redigimur. *Fortis eſt ut mors dilectio*, ait Salomon, *Cant.* 8. 6. nempè in mortem, & amorem nulla vis.

(Certo dogmate tenendum eſt illud Sapientiæ 2. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; ſicut & primi Adam crimine inductam fuiſſe in illum, & in nos pariter mortem. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertranſivit*. *Rom.* 5. 12. Duo immortalitatis homina diſtinguit S. Auguſtinus Operis imperfecti in Julianum l. 6. c. 30. majorem nempe ac minorem. Major illa & abſoluta immortalitas eſt, ut quis non poſſit mori; minorem verò exhibet ſtatus ut quis poſſit non mori; fruebatur poſtremo munere illo Adam in ſtatu innocentiæ; poterat enim, ſi in fide manſiſſet Creatoris ſui, mortis diſcrimen evitare, vitam reparans deguſtato arboris fructu; ex hoc autem infimo immortalitatis gradu aſcenſus illi ad ſuperiorem patebat, qui ipſe eſt beatorum ſtatus poſt reſurrectionem; ut ſcilicet mori non poſſet. *Diſcerne immortalitatem, majorem ſcilicet à minore; nam & iſta non abſurdè immortalitas dicitur, quia poteſt quiſque non mori, ſi non faciat unde moriatur. In hac immortalitate fuit Adam. Hanc immortalitatem merito prævaricationis amiſit. Hæc ei ſubminiſtrabatur de ligno vitæ, à quo non eſt prohibitus, quando legem bonam ne peccaret accepit, ſed quando mala voluntate peccavit; tunc enim de Paradiſo ejectus eſt ne extenderet manum ad lignum vitæ & manducaret & viveret in æternum*.

Contendunt Sociniani primi hominis mortalis creati nihil conditioni immutandæ peccatum contuliſſe. Opinionem hanc ſuam adſtruere nituntur etiam authoritate Rabbinorum (a). Sed Rabbini quidem non obſcurè tuentur vitam ſuam primos hominum parentes ita prorogaturos fuiſſe, ut mortem non ſentirent, ſi quidem morum ſanctitatem retinuiſſent,

Manaſ-

(a) Baſnage Hiſt. Jud. tom. 6. c. 12. pag. 197. 198. Edit. Pariſ.

Digitized by Google

Manaſſe Ben-Iſrael (a) propugnat hanc Protoparentis immortalitatem fidem habere certam ex Scriptura, vocatque in hujus ſententiæ patrocinium ex Rabbinis magni nominis inclytos. Nec rationi ipſi hanc hominis immortalitatem repugnare demonſtrat; neque enim ait, ullam interitus cauſam in ſe continebat homo, nullum timebat rerum exteriorum incurſum; quippe qui viveret in loco delicioſo & amœno, ubi omnia ad nutum haberet; vires autem augebat valetudinemque fovebat, quo alebatur, fructus vitæ. Porro hanc arborem ingentem fuiſſe ad prodigium, evincere conantur Rabbini; omnes terræ illius aquas exilire ex ejus pedibus; ſi quis itineris quingentos annos emetiretur, vix tamen patulæ arboris ambitum expleſſet. Per exaggerationem vel figuratã quadam verborum phraſi hæc dicta eſſe quis non intelligat? Inſitam vero arbori illi à Deo datam virtutem agnoſcunt, vitam nempe fovendi, conſervandique hominem in ſtatu immortalitatis, quare prohibendum Adam, ne deguſtatione pomi vitam ſibi prorogaret perpetuam, expulſum fuiſſe à Deo è Paradiſo, recognoſcunt.

MORTUI. Status mortuorum poſt deceſſum. Vide *Anima*.

Mortui, Preces pro Mortuis. Vide *Preces*.)

MORTUUS. Eo nomine interdum ſignificatum credimus apud Hebræos Numen *Adonidis*, de quo proinde illud Moyſis explicandum, *Deut.* 14. 1. *Filii eſtote Domini Dei veſtri; non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuum*. Is enim ritus ſervari ſolebat in celebrando *Adonidis luctu*. Iſraelitæ primitias Domino offerentes proteſtabantur, *Deut.* 26. 14. *Non comedi ex eis in luctu meo, nec ſeparavi* (uſus ſui illis) *ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri*; Hebr. *nihil donavi mortuo*, nempe Adonidi. Sacrificia Mortuorum, quæ juxta Pſalmiſtam comedebant Hebræi, myſteriis Beelphegor initiati, ſacrificia videntur Beelphegor oblata (b).

MORTUUS. Cum Hebræi recta de animæ immortalitate ac futura reſurrectione ſenſiſſent, mortuos omni ſtudio curaſſe par erat. Quare honore ſepulchri privari, malorum ſummum apud illos habebatur (c); atque religioſiſſimi quique inter illos mortuis juſta perſolvere, eoſque ſepulturæ mandare, ac tandem deferre ad tumulos dapes, pro alendis pauperibus, ſtudebant *Tob.* 1. 20. & 2. 10. & 6. 18. Si quem in domo vel tentorio obire contigiſſet, tunc omnia, qua homines, qua utenſilia, maculam, integra hebdommada perſeveraturam, contrahebant, *Num.* 19. 14. 15. Quin & extra domum omnes ſive morticinum, ſive occiſum contingentes, ſtatim eadem impuritate corripiebantur. Huic eluendæ cinis vaccæ ruſæ, à Summo Sacerdote immolatæ, die Expiationis ſolemnis, *Num.* 19. 3. in vas aquæ plenum injiciebatur; aqua deinde hoc ritu præparata, faſciculo hyſſopi à viro mundo immunda omnia aſpergebantur. Hæc luſtratio tertia & ſeptima die fieri debebat. Ad hæc, qui impuritatem contraxerat, ſeptima die toto corpore, ac veſtibus lavari debebat, hiſque peractis eluebatur.

Ex Rabbinorum doctrina, nulla contrahebatur legalis macula, niſi in funere viri Iſraelitæ (d), cum Ethnicis enim, dum vivebant, conſuetudinem habere citra maculam non licebat, mortuos contingere fas erat. Iſraelitæ verò ſuperſtites, ſanctitatis & probitatis odorem ſpirant, vicinos ſanctificantem; poſt mortem verò, viduatum anima, & Sancto Spiritu corpus nonniſi corruptionem, & ſaniem fundere poſſe videtur. Earum Cæremoniarum, quibus ii luſtrantur, qui maculam in funere contraxere, poſt deſtructionem Templi abrogato Sacrificio vaccæ ruſæ, nullus fuit uſus. Hinc Judæi funeri adſiſtentes, nulla ſe macula correptos cenſent (e). Si quis ægroto animam agenti forte adſit, continuò pro veteri Hebræorum more veſtes diſcerpit, licet nonniſi oram illius ad latitudinem manus, cæremoniæ magis, quàm doloris cauſa ſcindere ſoleant. Si Cognatus veſtem illam diſciderit, exinde ſciſſionem ſarcire nefas; extraneis verò poſt triginta dies permiſſum. Ex veteri etiam conſuetudine, totam aquam, quæ fortè in eadem domo occurrerit, & in vicinia, ſpargunt; qua, dicunt Rabbini, Angelus exterminator gladium, quo Defunctum confodit, à ſanguine eluit. Ex eo contactu, addunt, aquis lethiferum virus inditum. Poſt hæc, cadaver ſuper ſtratum in terra pannium deponitur, pollex manus plicatur; cerea fax vel ad caput, vel ad pedes defuncti accenditur. Inde lotum corpus ſubucula induitur, cui altera veſtis ſuperponitur, ex tenui tela; pro die Expiationis ſolemnis deſtinata: huic additur *Taled*, pannus nempe quadratus, ornatus lemniſcis. Caput verò albo pileo obducitur, atque ita præparatum corpus feretro imponitur.

Olim in Palæſtina nonnulli ex Hebræis potentiores mortuorum corpora balſamo condiiſſe videntur; quamquam mos ille vulgò nunquam obtinuit. Hinc corpus Jeſu Chriſti linteis obvolutum, atque aromatibus conditum eſſe, *ſicut mos eſt Judæis ſepelire*, S. Joannes 19. 39. narrat. Corpus etiam cum aromatibus, vel aromata ſola juxta corpus igne combuſta fuiſſe in funere quorumdam Regum Juda, legimus 2. *Par.* 21. 19. & 16. 14. *Jerem.* 34. 5. an pro recepta hoc conſuetudine ſervatum ſit, ignoramus. Poſt relictum aliquandiu in feretro cadaver, Conſanguinei ad ipſum tumulandum conveniunt. Curandum autem, ut in pedes efferatur, juxta Rabbinos.

Olim præficas, (f) & lugubrium inſtrumentorum peritos (ſaltem duos in funere uxoris exigunt Rabbini) conducebant, eoque apparatu funus ducebatur. Hoc funus ſi quis forte in via offendiſſet, comitari honoris gratia (g), ac lachrymas lachrymis miſcere cogebatur. Hinc illud: *Lamentavimus, & non ploraſtis*, *Luc.* 7 32. & S. Paulus luctum agere ſe cum dolentibus, gaudere cum gaudentibus gloriatur, *Rom.* 12. 15.

Cùm ad locum funebris pompa pervenerit, depoſito in terram feretro, defuncti elogium, ſi ex clariſſimis gentis fuerit, pronunciatur, quo abſoluto, decies foveam circumeuntes, prolixam orationem recitant; cujus initium, *Deut.* 32. 4. *Deus fortis, cujus perfecta ſunt opera*. Sub hæc, cadaver in ſepulchro collocatur, ore ad Cœlum verſo, ac ſtatim vir inter præſentes cognatione vicinior, terram injicit, totaque demum fovea ingeſta, palis terra æquatur. Juſtis peractis, retrorſum incedentes, è cœmeterio ſe recipiunt, ter herbam decerptam retrò projicientes, illud interim repetentes: *Florebunt ſicut fœnum terræ*. Credunt autem, Judæorum corpora per meatus ſubterràneos in Palæſtinam circumvolvi (h), quòd illi *revolutionem mortuorum*, ſeu *cadaverum* appellant, reſurrectionem & beatitudinem in ea regione ſperantes. Antequam corpus in cinerem reſolvatur, animam irrequietam, & errantem vagari, quandoque etiam ad corpus in tumulo inviſendum venerare dicunt (i).

ORATIONES PRO MORTUIS. Vide *Purgatorium*.

MORUS. Author Pſalmi 77. 52. innuit, Divino flagello in Ægyptum inſuſante, vineas ejus regionis grandine, & moros pruina percuſſos fuiſſe. Hebræus reddi poteſt, juxta plures Interpretes,

(a) De Reſurrect. l. 3. c. 11. Vivebat ad medium ſæculi elapſi.
(b) Pſal 105. 28. Vid. noſtr. Diſſert. de Beelphegor, ante Comment. in Num.
(c) Jerem. 8. 2. & 22. 14. Eccle. 6. & 2. Mach. 5. 10. (d) Jo. Nicolai de ſepul. Hebr. l. 3. c. 3. Baſn. *Hiſt. de Juifs*, l. 7. c. 25.
(e) Vide Leo Modena *de' riti Ebraici* p. 1. c. 8.
(f) Vide Jerem. 9. 17. 18. Matth. 9. 23. Joſeph. de Bel. l. 3. c. 15. Miſna tit. Chetuboth. c. 4. Gemar. Babylonica, ibidem.
(g) Joſeph. contra Appion. l. 2. (h) Rab. Salom. in Gen. 47. 29. Abarban. alii.
(i) Vide noſt. Diſſer. de funer. Hebr. ante Comment. in Num.

& ſycomorus in grandine. Porrò ſycomorus, arbor in Ægypto nota, foliis ad morum, & fructu ad ficum accedit. Hinc nomen ſycomorus; *ſycos* enim ficus eſt. Hebræum *ſchikemah* radix videtur vocis *ſycaminus*, quæ ſycomorum ſonat.

Cùm Antiochus Epiphanes ingentes copias in Judæos duxiſſet (a), quos in exercitu habebat elephantes, objectis velis ſanguine mori, & uvæ infectis, ad prælium acuebat. Elephas enim, mitis alioqui ingenii bellua, ſtimulis, ſivè irritamentis, ſivè tandem objecto ſanguine, ſivè re quacunque ſanguinea perciptus, fervelcit. Ad eam rem interdum medicatis potionibus in ebrietatem adducta bellua, ſenſus ille humanitatis à natura inditus conſopitur; quod in ſupplicio Judæorum Ægyptiorum per Ptolemæum Philopatorem factum ſcimus, Vino enim aromatibus condito inebriati Elephanti, miſeros illos pedibus proculcatos contuderunt (b). Plutarchus *de fort. Alex.* & Seneca *l.* 3. *c.* 30. de Ira tradunt, viſo rubro colore tauros, viſo albo elephantes efferari. Nec tamen de veritate hiſtoriæ in primo Libro Machabæorum relatæ ambigendum unquam; ſi enim viſo ſanguine, ſeu vivido aliquo colore vulgò bruta efferari contingit, uti Valeſius *Philoſoph. Sacr. c.* 82. animadvertit; quidni & elephantes incitentur?

I. MOSA, filius Caleb ex *Epha* concubina, ſivè conjuge inferioris gradus. 1 *Par.* 2. 46.

II. MOSA, filius Bale, & Hodes, 1. *Par.* 8. 9.

III. MOSA, filius Zamri; & pater Banaæ, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 36.

MOSEL, urbs incerti ſitus, *Ezech.* 27. 19. Textus Hebræus Ezechielis non ſolùm reddi poteſt ut in Vulgata: *Dan, & Græcia, & Moſel;* ſed etiam *Dan & Javan Ozel.* Bochartus *Phaleg. l.* 2. *c.* 22. autumat, *Javan Ozel*, ſivè *Uzal*, poſteros eſſe *Javan*, incolentes Uzal Arabiæ urbem. Septuaginta pro *Javan* legerunt *Jain*, nempè vinum, ſicuti & pro *Moſel*, habent *Aſel*, ſivè *Aſael*. In Syriaco: *Dan, & Javan Uzel.* Arabs: *Vinum Ail ad nundinas tuas adducent.* Chaldæus: *Dan, & Javan turmatim mercimonia adducent.* Ego locum corruptum ſuſpicor, cùm *Dan* & *Javan* remotiores ſint, quàm ut conjungendæ videantur.

MOSERAH, ſivè *Moſeroth Num.* 20. 33. & 33. 30. idem fortaſsè locus, ac *Hazera*, & *Haſeroth*, *Num.* 11. 34. & 13. 1. & 33. 17. 18. ubi Iſraelitæ in itinere per deſertum caſtrametati ſunt. Situs erat in viciniis Cades, & montis *Hor*, ubi Aaron deceſſit.

MOSOC, ſextus filius Japhet, *Gen.* 10. 2. alio nomine *Meſech*. Vulgò creditur Mokorum (populi inter Iberiam & Armeniam) author. Alii vero, quòd nos etiam malumus, Moſchis patrem tribuunt *Moſoch* (c).

I. MOSOLLAM, filius Zorobabel è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 9. 7.

II. MOSOLLAM, filius Sephatiæ. 1. *Par.* 9. 8.

III. MOSOLLAM, filius Abigail, 1. *Par.* 5. 13.

IV. MOSOLLAM, filius Moſollamith. 1 *Par.* 9. 12.

V. MOSOLLAM, vir ex poſteris Caath ſub Joſia. 2. *Paral.* 34. 12.

VI. MOSOLLAM, filius Beſodiæ. 2. *Eſd.* 3. 6.

VII. MOSOLLAM, filius Barachiæ. 2. *Eſd.* 3. 4.

MOSOLLAMIA, pater Zachariæ, Levita, & janitor Templi. 1. *Par.* 9. 21.

MOSOLLAMITH, pater Moſollam, & filius Emmer. 1. *Par.* 9. 12.

I. MOSOLLAMOTH, pater Barachiæ. 2. *Par.* 28. 12.

II. MOSOLLAMOTH, pater Ahazi. 2. *Eſdr.* 11. 13.

MOYSES, quod nomen rectiſſimè ita ſcribitur, *Moſes*; ſivè *Mouſes*, ſivè *Moſes*: Moyſes filius Amrami & Jocabed amborum ex Tribu Levi, natus in Ægypto (d). Fratrem habuit Aaronem, & ſororem Mariam, de quibus infra ſermo redibit. Aaron triennio natus eſt ante Moyſem, Maria verò quinquennio, fortaſsè vel ſexennio ante Aaronem. Aliquandiu ante ortum Moyſis (e), Edicto à Rege Ægypti cautum erat, ne Hebræorum infantes mares vivere permitterentur, de puellis verò nihil grave ſancitum. Parentes Moyſis, quibus Regiæ juſſiones ægerrimè acciderant, tribus menſibus exequutionem diſtulerunt, infantem in domo celantes; verùm fruſtra ſe diutiùs ejus necem dilaturos ſentientes, exponere illum, commiſſa Providentiæ ejus ſervandi cura, decreverunt. Quare fiſcellæ ex juncis intextæ impoſitum, in ripa Nili dereliquerunt, tradita interim Mariæ ſorori infantis cura, ut rei eventum obſervaret, *Exod.* 2. 3. &c. Accidit inter hæc, ut filia Pharaonis Regis Ægypti ad flumen ſivè corpori, ſivè pannis lavandis veniens, *Exod.* 2. 5. ciſtellam inter arundines conſpicata, ad ſe deferri, atque aperiri juberet. Infantem in ea reconditum intuita, oris elegantia, atque rei miſeratione, ſtatim enim Hebræum eſſe intellexit, commota eſt. Maria occaſionem nacta, petiit, num nutricem aliquam Hebræam nutriendo puero quæritare ſe vellet. Nec mora: annuente Regina, Jocabed matrem pueri duxit, cui nutriendi infantis, promiſſo pretio, cura demandata eſt, indito prius eidem puero ab illa nomine *Moyſes*, quod Ægyptiorum ſermone eductum ex aquis ſonat (f). Etenim *mo*, ſivè *mou* Ægyptiis aquam; *uſes* verò eductum ex aquis ſignificare tradunt Joſephus, & S. Clemens Alexandrinus. Verùm Cl. Abbas Renaudot, poſt navatam Ægyptiacæ Linguæ operam, obſervat, aquam *Mou*, *ſi* verò eductum, ſivè acceptum ſignificare. Hanc Pharaonis filiam *Thermuthim* appellat Joſephus *Antiq. l.* 2. *c.* 5. Hæc igitur in filium jure adoptionis adſcitum puerum, omnibus Ægyptiorum ſcientiis imbuendum curavit, *Act.* 7. 22. Inſtruere verò in iis, quæ ad religionem & hiſtoriam Hebræorum, quin & ad Linguam Hebraicam pertinebant, parentum cura fuit, longè omnium antiquiſſima. Nec ſegniores fuerunt in ſuggerendis iis, quæ ad removendum pueri affectum ab aula Pharaonis conferrent; quibus altè in ejus mente inſidentibus, cùm primùm adolevit, omnibus aulæ voluptatibus, ipſaque Regia adoptione poſthabita, utpotè quibus morum innocentia, & vitæ æternæ ſalus periclitaretur, ſuæ gentis incommodis angi non recuſavit: *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remuneratorem*, *Hebr.* 11. 24. 25. 26.

Nomen *Joakim* primò à parentibus inditum puero fuiſſe, cùm ab illis circumcideretur, tradit S. Clemens Alexandrinus *l.* 1. *Strom.* Deindè *Moyſes* à filia Pharaonis appellatus eſt, quod illum ex aquis eduxiſſet. In Cœlo verò, quo poſt mortem translatum fuiſſe vivum vegetemque autumant Judæi, nomen *Melchi* obtinere ferunt. Addit S. Clemens, eumdem puerum cùm primùm adoleviſſet, ab optimis Ægypti præceptoribus Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, omnemque ſcientiam ſonitus, & harmoniæ, quin & Philoſophiam ſymbolicam per hieroglyphica auſcultaſſe. Nec prætermiſſa omnia Ægyptiæ Linguæ, & ſcripturæ myſteria; Aſtronomia inſuper Chaldæorum, & Ægyptiorum. Eadem repetit Philo *de vita Moyſis*, addens conſultò acceitos Græcos, qui puerum artibus liberalibus excolerent; Aſſyrios, ut literis. Eupolemus, apud S. Clementem, & Euſebium laudatus (g), teſtatur, Moyſem omnium Sapientum primum Hebræos Grammaticam docuiſſe; ex quibus in Phœnices, & ex illis in Græcos derivatam.

Joſephus ex recepta, ut veriſimiliùs creditur, apud Judæos ſuæ ætatis traditione, hiſtoriam Moyſis pluribus rerum geſtarum monumentis exornat. Ægyptiorum Regis, ait, filia Thermuthis, in ripa

(a) 1. Mach. 6. 34. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163. (b) Vide 3. Machab.
(c) Vide Interpp. in Gen. 10. 2. & Ezech. 27. 13. & 32. 26. & 38. 2. 3. & 39. 1.
(d) A. M. 2433. ante Chr. 1567. ante Ær. 1571. (e) Exod. 1. 8. 9. A. M. 2431. ante Chr. 1569. ante Ær. 1573.
(f) Exod. 5. 10. Joleph. Antiq. l. 2. c. 5. Vide & Clem. Alex. l. 1. Strom. (g) Strom. l. 1. & Euſeb. Præp. l. 9. c. 26.

ripa Nili fortè obambulans, fiſcellam quandam fluctuantem conſpicata, paſſis præcepit, ut ad ſe deferrent. Ut puerum in ea reconditum vidit, illius elegantia capta eſt, ſtatimque fœminis quibuſdam nutriendum commiſit. Verùm cum fruſtra ſe Ægyptias nutrices legiſſe, puero lac recuſante, & Mariæ veluti fortuitò ſtatim ſe offerentis monitu ſentiret; commiſit eidem Mariæ, operam ſuam ad eam rem pollicenti, ut Hebræam nutricem quæreret. Accita ergo Jocabed matre infantis, mammillas porrexit, ex qua puer lac ſugere non recuſavit; quare munus illius nutriendi ſtatim fœminæ commiſſum eſt.

Adeo verò blandus ridebat in puero lepor, ut intuentes faſcinare videretur; quare Thermuthis filiis carens, illum ſibi jure adoptionis adſciſcere non dubitavit. Triennali igitur ætate grandiuſculum Regi obtulit, addens ſe puerum illum optimæ ſpei in filium adoptaſſe, ipſique ſucceſſionem in Regno Ægypti votis omnibus exoptare. Hæc dicens, ſimul in ulnis Regis infantem depoſuit. Rex autem in gratiam filiæ puero blandiens, detractum capiti ſuo diadema, illi per luſum imponebat; quod vix ſenſit Infantulus, ſtatim arreptum illud in terram abjiciens, pedibus proculcavit. Ea res adeò mali ominis viſa, ut idem Sacerdos, qui olim hujus pueri ortum, fatalem Ægypto futurum prædixerat, tunc quoque exclamaret, oportere pueri illius nece Ægyptiorum ſecuritati conſulere. Thermuthis his auditis, continuò puerum ſubduxit, Rege nequaquam prohibente; atque indè oraculis Prophetæ nihil territa, veluti ad ingentia deſtinatum, liberaliter educavit.

Cùm adoleviſſet, occaſio Dei conſilio orta eſt, ut virtutis, atque dexteritatis ſuæ monumentum inſigne Moyſes exhiberet. Æthiopes enim à meridie, & in plaga ſuperiori Ægypto contermini, regionem ingreſſi, Ægyptiorum arma in ſe provocaverant. Prælio igitur inter duos exercitus commiſſo, Æthiopes, partim cæſis, partim diſperſis hoſtibus, victores proſpero ſucceſſu inflati ad interiora Ægypti uſque Memphim excurrerunt; omnia circum vaſtantes, atque ingentem prædam referentes. Inter eas anguſtias Ægyptii, conſulto Oraculo, Hebræi opem requirendam audierunt. Quare Rex Thermuthim rogavit, ut Moyſem in ducem copiarum concederet, jurejurando pollicitus, illa exigente, nihil contra eundem Moyſem gravius tentaturum. Moyſes novo ſuſcepto munere, ratus è re ſua eſſe, ſi antea hoſtes præveniret, quàm moviſſe exercitum ſcirent, relicta conſueta ſecundum amnem via, copias per interiora regionis, quà iter ſerpentum, atque venenatorum animalium frequentia infeſtum eſt, traducere ſtatuit.

Ut ea res pro voto ſuccederet, caveis quibuſdam ad id conſtructis, aves quaſdam in Ægypto frequentiſſimas, *Ibides* nuncupatas, atque anguium venatione victitantes, ſecum transferendas complures curavit. Earum avium ope in fugam actis, atque diſperſis anguibus, itinere ſatis commodo exercitus uſus eſt; qui proindè inopinatò hoſtibus ſupervenit. Turbatos igitur adorti Ægyptii facilè trucidarunt, atque victoriæ impetum ſequentes, in eorum regionem ingreſſi, ea vaſtata, urbibus quampluribus captis, hoſtium reliquias in urbe Saba (poſtea à Cambyſe *Meroe* appellata) concluſit. Hujuſce urbis ſitu, utpotè quæ in Inſula eſſet, & munitionibus, obſidio diutiùs, quàm pro voluntate Ducis, prorogata eſt; res interea accidit, capiendæ impunè urbi opportuna.

Tharbis filia Regis Æthiopiæ viſo è mœnibus inter primos ordines pugnante Moyſe, illius virtute & dexteritate, qui collapſas Ægyptiorum res, eò reſtituerat, ut paria iis, quæ paſſi fuerant, in hoſtes referrent, capta amore in illum exarſit. Clam igitur miſſis, qui nuptias ab illo peterent, acceptaque viciſſim ab eo conjugii fide, ea conditione, ut urbem traderet, ſtatim portæ hoſtibus apertæ ſunt, ac Moyſes celebratis cum Tharbi nuptiis, victorem exercitum in Ægyptum reduxit. Ut Regiam ingreſſus eſt, pro eo, quod meritas gratiarum actiones pro rebus egregiè geſtis referret, livore adverſariorum de homicidio ad Regem ſe delatum ſenſit. Pharao etiam, apud quem viri fama invidiam creaverat, ejus necem ſtatuerat; ſed Moyſes rem ſubodoratus, clam ab aula ſe ſubducens, in Madianitidem per cæcas, occultaſque vias, ut diſpoſitos ad ſe capiendum per itinera viarum milites falleret, ſeceſſit.

De hac hiſtoria ne verbum quidem ipſe Moyſes, ſed ille ita rem contigiſſe refert (a). Cùm Moyſes jam adoleviſſet, fratres ſuos inviſurus venit, nactuſque ea occaſione Ægyptium inclementer Hebræum quendam habentem, rei indignitate commotus, ſedulò priùs, an ab aliquo obſervaretur, circumſpiciens, in Ægyptium inſiliens, occidit, atque cadaver in ſabulo occuluit. Mane alterius diei, duos Hebræos mutuò jurgantes audiens, alterum ex illis admonuit, ne fratrem percuteret. Cùm ille reſpondiſſet, nihil ſe cum ipſo rei habere, illique homicidii crimen exprobraſſet; Moyſes eam rem proditam intelligens, ſibi plurimùm metuit. Et jure; cùm Pharao, ea cæde intellecta, virum ad ſupplicium quæreret. Seceſſit ergo Moyſes in Madianitidem, regionem trans Mare Rubrum, in Arabia Petræa, ad montem Sinai. Cùm eò perveniſſet, juxta puteum ſedebat; quò fortè accidit, ut ſeptem filiæ Jethro Sacerdotis Madian, adaquandis gregibus venirent, impletis jam ab illis aqua canalibus in uſum gregis, paſtores ſupervenerunt, ut mulieres abigerent; ſed Moyſes earum patrocinio ſuſcepto, injuriam propulſavit, ſimulque gregibus adaquandis operam ſuam contulit.

Acceptum ab extraneo viro beneficium, puellæ domum reduces, patri renunciarunt: à quo ſtatim Moyſes accitus, eo contubernio gratuito aliquandiù uſus eſt. Deindè firmam, ſtabilemque moram jurejurando pollicitus, Sephoram filiam Jethro conjugem duxit. Ex eo conjugio duos filios genuit, *Gerſam*, cui nomen indens pater dixit, ſe advenam eſſe in regione remotiſſima: & *Eliezer*, dicente patre, dum illud filio nomen imponebat: Deus mihi præſto fuit, ut è Pharaonis manibus ſubducerer. Diù poſt (b), Rex Ægypti deceſſit, & Iſraelitæ malorum immenſo pondere opem ad Cœlum inclamantes, pronas Dei aures nacti ſunt.

Cum igitur Moyſes paſcendis ovibus Jethro occuparetur, accidit, ut in deſerti interiora penetrans, uſque ad Horeb perveniſſet (c). Ibi rubum ardentem, intactis tamen vepribus, conſpicatus, primò miraculum obſtupeſcens hærere; deinde propius accedere, oculis cauſam rei exploraturus. Sed audita continuò Domini vox de medio rubi, ne accederet, quin & denudatis pedibus locum ſanctum majori reverentia contingeret, præcipientia. Adjecit autem vox, ſe eſſe Deum patris Moyſis, Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; qui auditis Hebræorum ſub Ægyptiis fatiſcentium clamoribus, illis relevandis, atque in libertatem aſſerendis, transferendiſque in terram lacte, & melle manantem, regionem nempe Chananæorum, Hethæorum, Hevæorum, Pherezæorum, Amorrhæorum, deſcenderat. Totum autem opus educendi è captivitate populi, atque de libertate cum Pharaone agendi, ipſi Moyſi ſe committere.

Moyſes, qui nudatis pedibus, atque cooperto vultu Dominum loquentem auſcultaverat, ut ſibi cum Pharaone agendum audivit, munus detrectabat. Sed Dominus opem illi ſuam pollicitus eſt. Ne autem deceptum ſe in ea viſione putaret, eventurum ſciret, ut poſt eductum populum, eodem in monte Domino ſacrificium eſſet oblaturus. Tunc Moyſes quæſivit à Domino, quid ſibi reſpondendum eſſet, ſi juſſu Dei verba Iſraelitis faciens, requireretur ab illis, quodnam eſſet

(a) Exod. II. &c. A. M. 2473. ante Ch. 1527. ante Ær. 1531. Moyſis anno 40. Act. 7. 23. (b) Exod. 2. 23. 4. A. M. 2512. ante Ch. 1488. ante Ær. 1472. (c) Exod. 3. 1. &c. An. M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491.

eſſet Deo nomen? Cui Deus, Nomen rogantibus, ait, reſpondebis: Deus eſt qui eſt; atque ejus, qui eſt, juſſu veniſſe te dices, ut promiſſæ patribus ſuis regionis poſſeſſionem aſſequantur. Dicenti autem, ait, fidem adhibebunt. Ire autem juſſit & ad Pharaonem, cui Dei Hebræorum nomine denunciaret, uti populum dimitteret, ut itinere trium dierum per deſertum procedens, juſſum à Deo ſacrificium offerret. Hæc autem nunquam permiſſurum Pharaonem ſcire ſe, niſi coactum, ingentibus prius malis Ægypto percuſſa.

Cùm Moyſes iterum iterumque minus deprecaretur, Deus virgam ſuam in terram projiceret, imperavit; quam ſtatim in anguem converſam, iterum manibus relevare præcepit. Paruit ille, atque in virgam reducta eſt. Juſſit deinde, manum in ſinum reponere: quæ poſita, ac deinde reducta, leproſa apparuit; iterum verò Dei juſſu, in ſinum ducta, reductaque convaluiſſe viſa eſt. Duo hæc prodigia coram populo fieri Deus mandavit. Adjecit autem ſi populum adhuc diffidentem videret, aquas è Nilo hauſtas in aera ſpargeret, ſtatim in ſanguinem convertendas. Moyſes his minimè acquieſcens, difficultatem loquelæ ſuam cauſatus eſt, quam poſt facta cum Deo verba majorem ſe experiri, novo veluti pondere oppreſſa lingua, profitebatur. Sed Deus in ore ſe illius futurum pollicitus eſt; deindè altero etiam atque etiam detrectante, adjecit, Aaronem virum eſſe eloquentem, quem proindè pro ſe interpretem, Divina ſecreta ſibi commiſſa illi aperiens, adhiberet; quare, ait, Aaron, lingua erit Moyſis; Moyſes verò, Aaroni Dei loco, *Exod.* 4 26. utrique ego loquentibus adero. Præcepit tandem, ut virgam illam ſuam ſervaret, ingentium prodigiorum inſtrumentum futuram.

Bona igitur ſoceri venia, Moyſes in Ægyptum iter cum uxore, & filiis, ſuſcepit, nullam eundi cauſam obtendens, niſi ut fratres inviſeret. Cùm ad diverſorium quoddam perveniſſet, Angelus venientibus obviam factus, necem Elieaer (a) natu minori illaturus viſus eſt; quod ſcilicet, uti ferunt, nondum circumciſione initiatus eſſet. Quare Sephora ſtatim accurrens, acuta petra filium circumcidit; dein ante pedes viri provoluta, *Sponſus*, ait, *ſanguinum tu mihi es*. Nec mora: receptis filiis in domum Jethro regreſſa eſt. Sub eodem fermè tempore, Aaron juſſus à Deo in occurſum fratris venire, juxta Horeb illi occurrens, de omnibus quoad populi ab Ægypto liberationem, ab illo certior factus eſt. Simul igitur euntes ut in regionem pervenerunt, convocatis optimatibus populi, legationem ſuam Moyſes fratris voce expoſuit; quod omnibus illico perſuaſum eſt.

Secundùm hæc ambo fratres ad Pharaonem ingreſſi, petiêrunt, ut bona ipſius venia liceret populo viâ tridui in deſertum Arabiæ procedere, ubi juſſum à Deo ſacrificium offerret. Pharao nihil ſe cum Deo Hebræorum habere jactans, nunquam ſe populum dimiſſurum profeſſus eſt; ſimulque ratus ſatis otii populum habere, ut de novandis rebus cogitaret, juſſit nullas deinceps paleas, continendis, quos fabricabantur, lateribus, illis ſuppeditari. Populus novo onere oppreſſus, exclamare palam contra Moyſem, & Moyſes cum Domino conqueri (b). Cui Dominus exculturum ſe in Ægyptios flagellum reſpondit; ſe verò cor Regis obduraturum, ut nonniſi malorum terrore coactus populum dimitteret. Iterum ergo fratres Regem adeuntes, legationem ſuam expoſuerunt, ſimulque ab Aarone projecta in terram virga prodigioſa, ſtatim in colubrum converſa eſt. Acciti continuò à Pharaone Magi; quorum Principes Jannes, & Mambres 2° *Timoth.* 3.8. fictis præſtigiis virgas & ipſi ſuas in angues tranſmutarunt, ſed illud accidit, ut coluber Moyſis ſtatim Magorum ſerpentes voraret. V. Jannes & Mambres.

Secundùm hæc, intrà modicos ſanè dies, variis Ægyptus plagis à Deo percuſſus eſt (c). Primò enim Moyſis operâ Nili aquæ ſanguine infectæ ſubito apparuerunt, quod decima-octava die ſexti menſis, deindè *Adar* dicti, & Februario reſpondentis inceptum, per hebdomadam duravit. Secunda plaga, *ranarum*, integra die 25. ejuſdem menſis, Ægyptios afflixit, *Exod.* 8. 2. 3. &c. Tertia, *pulicum*, *Exod.* 8. 17. ſivè *ſciniphum*, die 27. ejuſdem menſis. Mane alterius diei Moyſes plagam *muſcarum* (d) minitatus eſt, quam cœptam die 29. Adar, die 30. Moyſes, deprecante Pharaone, abſtulit. Quinta, *peſtis animalium*. *Exod.* 9. 1. die 2. menſis ſeptimi, deinde *Niſan* appellati, qui menſis exordium eſt anni ſancti. Die tertia ceſſavit. Sexta, *ulcerum*, ſeu *puſtularum*, *Exod.* 9. 10. 11. 12. quibus latè per Ægyptios ſerpentibus, vel ipſi Pharaonis Magi perculſi ab adeundo Rege, atque eludendis ſuis præſtigiis veris Moyſis miraculis prohibiti fuere. Biduo duravit, nempe die 14. & 15. *Niſan*, à Moyſe *Abib* appellati. Septima, *tonitruum*, *grandinis*, *imbris*, & *fulgurum*, *Exod.* 9. 17 18. integra die 5. ejuſdem menſis. Octava, *locuſtarum*, *Exod.* 10 4. ... 13. intactæ à grandine reliquias vaſtantium. Hæc plaga à Moyſe 7. die Niſan annunciata, die 8. immiſſa eſt. Nona, *tenebrarum*, *Exod.* 10. 22. 23. totam Ægypti faciem triduo occupantium, cùm interim terra Geſſen, Hebræorum ſedes, diurna luce frueretur. Cœpit 10. Niſan, qua die Hebræi ſegregare agnum, poſt quatriduum in Paſcha immolandum, juſſi ſunt, *Exod.* 11. & 12. Decima, *cædes liberorum natu majorum*, *Exod.* 12 23. quos Angelus exterminator gladio percuſſit, nocte intermedia 14. & 15. Niſan; eadem ſcilicet egreſſùs Hebræorum ex Ægypto.

Igitur Pharao, adhuc plaga tenebrarum perſeverante, accitis Moyſe & Aaron, *Exod.* 12 23. dixit, liberam ſe permittere populo facultatem, ut ad locum condictum ſacrificii offerendi cauſa pergerent, ea conditione, ut greges non abducerent. Detrectante Moyſe conditionem, Pharao, Deo ſic diſponente, obduratus illicò, à ſe eos expulit, capitali pœna indicta, ſi rediiſſent. Moyſes nunquam ſe faciem illius viſurum pollicitus eſt; neque ſanè antea rediit, quàm ab eo vocatus, ut liberam exeundi ab Ægypto poteſtatem indulgeret.

Veſpere die 14. Abib, ſivè Niſan, Hebræi immolato priùs agno Paſchæ, ſivè tranſitus Domini, ejus ſanguine ambos poſtes domorum ſuarum finxerunt, ut eo veluti ſigno filii illorum natu majores à tranſeuntis Angeli exterminatoris furore eximerentur. Circa tertiam igitur noctis vigiliam *Exod.* 12. 29. &c. Angelus Domini ſtricto gladio per Ægyptum diſcurrens, omnes filios primores natû Ægyptiorum, ne Pharaonis quidem, ſicut & mancipii vilioris, excepto, percuſſit. Excitato ea de re ingenti per Ægyptum clamore, continuò accitis duobus fratribus egreſſum populo pro eorum voto Pharao indulſit. Iter autem parentes adeo urgebant Ægyptii, ut ne dato quidem ſpatio fermentum miſcendi, ſubactam aqua farinam ſecum ferre cogerentur, è qua azymos panes inter eundum conficerent. Hinc ritus azymi tantummodo panis tota octava Paſchatis adhibendi.

Igitur pedites 600000. præter fœminas, pueros & alienigenas cum illis euntes, è Rameſſe moverunt, deferentes ſecum oſſa Joſephi Patriarchæ, quod ille mori-

(a) Hebræus Textus verſibus 24. 25. obſcuriſſimis eſt; non enim, quis ab Angelo peteretur, cujuſve pedes tetigerit Sephora, quive rectus caſus regat illud, *dimiſit eum* ℣. 26. ſatis exprimit. Qui nobis ſenſus probabilior videtur, illum ſequimur.

(b) Exod. 6 1. &c. A. M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491, Moyſis 80. Aaronis 83. Exod. 7. 5 ... 7.

(c) Nonnullis ex Rabbinis aſtruunt, eas plagas integro anno, repetitis tamen intervallis, duraſſe.

(d) Exod. 8. 21. 24. Hib. Harob Cabad. Vulgò *Omnes genus muſcarum*, ſeu *muſca graviſſima*, *Colluvies muſcarum*.

moriturus efflagitaverat, *Exod.* 13. 19. *Gen.* 50. 25. Primò in Socoth venere; inde in Ethan; unde regreſſi Pihahiroth verſùs, locum inter mare, & Magdalum, è regione Beelſephon ſitum, *Exod.* 14. Vix eò pervenerant, cum Pharaonis exercitum à tergo ſibi inſtare (Rex enim venerat, ut illos vi reduceret) conſpexere. Statim Deus in præſidium populi, nubem inter duos exercitus mediam ſtatuit, qua luce Hebræi, Ægyptii tenebris perfunderentur. Concidentes nihilo ſeciùs animis Hebræi, periculi magnitudine contra Moyſem obloqui cœperunt; ſed ille populum confirmare, ſimulque juſſu Dei protenſa in mare virga, viam inter undas hinc inde recedentes, aperuit. Huic viæ humenti adhuc exſiccandæ, urens tota nocte ventus opportuniſſimè flavit; quare Hebræi nihil cunctati, tranſgreſſi ſunt. Vide *Mare Rubrum*. Locus hujus tranſitus ſitus eſt duabus, vel tribus leucis ab extremitate maris, ubi *Colſum* eſt, ſive *Clyſma*, ibidemque diù extitiſſe veſtigia, & rudera curruum Ægyptiorum ferunt (a).

Ægyptii exorta luce, evaſiſſe Hebræos ſentientes, inſtare illis, eademque via fugientes inſequi. Ventis tamen à Deo excitatus aquarum moles hinc inde ſuſpenſas, in eorum capita induxit, ut omnes, nullo excepto, demergerent, *Exod.* 14. 28. &c. Æſtu autem maris jactata corpora, tandem in litore expoſita ſunt, quorum arma & ſpolia Iſraelitæ collegere. Tunc Moyſes Canticum in gratiarum actionem concinuit; *Exod.* 15. 1. &c. eoque peracto, iter proſecutus, triduo in Deſerto Sin penuria aquarum laboravit. Quarta die cùm in Mara exercitus caſtrametaretur, inventæ quidem aquæ, ſed amaricantes; ex quo populus in murmur effuſus eſt. Clamavit Moyſes ad Dominum, & Deus oſtenſum illi lignum in aquas injicere imperavit; quo injecto, correctus eſt aquarum ſapor, ut ſitienti populo potum exhiberent. Exindè in Elim ventum eſt, ubi duodecim fontes aquæ potabilis, ac 70. palmas invenere.

Quintadecima die ſecundi menſis, poſt menſem ſcilicet ab egreſſu ex Ægypto, Hebræi ex Elim moventes, *Exod.* 16. 1. venerunt in Deſertum Sin, inter Elim & Sinai; quo in loco longioris viæ pertæſus populus, murmur contra Ducem innovavit, ejuſdem itineris difficultatibus vel ipſam in Ægypto mortem in rerum omnium ubertate præponentes. Deus, his auditis, cibum ſe populo cœlitùs daturum promiſit; cujus promiſſionis nuncium Moyſes ad populum referens monuit, ut die ante Sabbatum, duplo quàm cæteris diebus colligerent, cùm in Sabbato nihil à Deo cibi exhibendum fuiſſet. Veſpere igitur ejuſdem diei, flante vento immenſa coturnicum copia in caſtra Iſraelitarum delata eſt; manè verò alterius diei, genere quodam pruinæ locus ille incanduit, pruinæ, inquam, granulis diſtinctæ colore bdellii, forma coriandri ſimilis. Populus rei admiratione hærens, invicem obſtupentes dicebant *Manhu*, ideſt; *Quid eſt hoc*? Ex quo pruinæ illi nomen inditum, *Manna*. Igitur omnes per caſtra effuſi; captandis coturnicibus, atque colligendæ Mannæ operam dederunt; ſed Moyſes fræno cupiditati eorum impoſito, præcepit, ne Manna plenum gomor viritim excederet. Eo cibo, toto itineris tempore paſti ſunt; perpetuò enim Manna decidebat, excepto Sabbato, integro 40. annorum ſpatio, donec Terram promiſſionis ingrederentur. Vide *Manna*. Ut autem beneficentiæ Divinæ perpetuum extaret monumentum, Moyſes Aaroni præcepit, ut plenum Manna gomor coràm Domino collocaret.

E Deſerto Sin, Hebræi *Daphcam* venere; inde in *Alus*, tandem *Raphidim*; ubi penuria aquarum conſuetum murmur in Ducem excitavit, *Exod.* 17. 1. &c. Seditioni compeſcendæ Moyſes juſſu Dei aquam è ſilice Horeb eduxit, qui toto itinere aquas populo miniſtravit. Inter hæc, Amalecitis Iſraelitas invadentibus, Moyſes Joſue præcepit, ut cum ſelectiſſimis copiis manum cum hoſte confereret. Prælium igitur committente Joſue, Moyſes in editum collem cum Aarone, & Hur aſcendens, belli exitum ſpectabat. Cùm autem vidiſſet, ſe dum elatas manus teneret, potiorem ſuorum cauſam efficere, inferiorem verò, dum manus remittebat, ſuppoſitis ab Aarone & Hur lapidibus, brachia erecta ſuſtinebat, ne pondere laſſa ſe manus remitterentur. Ita fuſi Amalecitæ, juſſuſque Moyſes a Domino rei geſtæ hiſtoriam literis conſignare, & ipſum Joſue monere; ſiquidem ait Deus, memoriam Amalecitarum ego penitùs delebo.

Tertia die tertii menſis ab egreſſu ex Ægypto, ad radices Sinai venerunt, ubi integro anno ſubſtitere, *Exod.* 19. 1. &c. Hic Lex à Deo ſcribenda erat, jacienda Reipublicæ fundamenta, eodemque Deus ex Ægypto Judæos ad ſacrificium ſibi offerendum acciverat. Moyſes igitur montem conſcendens, Deum eſt alloquutus, qui ſe paratum eſſe ad ineundum cum Iſraelitis fœdus, & in ſuam clientelam populum adſciſcendum dixit; ea tamen conditione, ut dicto populus morem gereret, fœdemque ſuam ſanctè ſervaret. His Moyſem ad populum relatis, reſpondit populus, ſe paratum eſſe Divinæ voluntati reſpondere. Deus iterum Moyſem allocutus præcepit, ut luſtrationem populo indiceret, atque in diem tertium parati eſſent, imperaret, ſe enim eo temporis articulo ineundo fœderi in montem deſcenſurum. Dictis ſua fides; flamma enim ſubitò montis verticem inſidens, reboantia tonitrua, ac ſonitus buccinæ Divinæ præſentiæ ſignum exhibuerunt. Juſſit primò Deus Moyſem terminos præſtituere, quos prætergredi, atque ad montem propiùs accedere, populo nefas eſſet. Deinde accito ad ſe Moyſi, Legem Decalogi, in qua totius Religionis Judaicæ ſumma, tradidit, *Exod.* 20. 1. &c. Vide *Lex*.

Inſuper Deus Leges cæremoniales, & politicas præſcripſit (b); quibus acceptis, Moyſes omnia ad populum retulit, tacitatis ſimul conditionibus fœderis, mox à Deo cum populo ineundis, *Exod.* 24. 3. &c. Cùm populus omnibus acquieſcere ſe dixiſſet, Moyſes erecto Altari ex lapidibus impolitis, *Exod.* 20. 25. ad radices montis, ſtatutis inſuper duodecim lapidibus pro numero Tribuum Iſraelis, ut monumentum æternum extaret, holocauſta, & hoſtias pacificas immolandas Domino præcepit. Deinde acceptum victimarum cruorem partim ſuper Altare effudit, partim in crateribus ſervavit; poſtque lectas populo Divinas juſſiones, ſcriptiſque mandatas, populum ſanguine aſperſit. Ita celeberrimum fœdus inter Deum, & filios Iſraelis ſancitum eſt.

Accivit iterum Deus Moyſem in montem, jubens adducere ſecum & Joſue famulum ſuum, *Exod.* 24. 12..... 18. vocandi autem in cauſa fuit, ut Leges, & præcepta cultui publicò dirigendo acciperet. Mandavit igitur, ut Tabernaculum, ſive Tentorium erigeretur, *Exod.* 25. 1. &c. & 26. & 27. in quo cultus, & obſequia, & ſacrificia Filiorum Iſraelis reciperet. Hujus autem Tabernaculi, Arcæ, Altarium, velorum, candelabri, omniumque utenſilium, quin & veſtium cùm Sacerdotum, tum Summi Pontificis rationem omnem tradidit *Exod.* 28. Ritum etiam præſcripſit, quo Sacerdotes initiandi erant, varia hoſtiarum genera, atque thymiamatum, tùm & rationem illa offerendi deſignavat, *Exod.* 29. & 30. Beleleelem verò, & Ooliabum iis conſtruendis elegit, *Exod.* 31. Tandem tabulas manu ſua ſcriptas tradidit, in quibus Decalogus legebatur. Cùm traderet autem, ſignificavit, populum mox ab Ægypto opera ſua eductum citò nimia beneficiorum, atque præſtitæ fidei oblitum eſſe; ſcire enim ſe, Idolum ab ipſo conflatum vulgò ab illis coli, *Exod.* 32. 7. *&c.* Adjecit ergo, ſe populum duræ cervicis deleturum; Moyſem autem ducem alterius populi frequentiſſimi conſtituturum,

(a) Paul. Oroſ. l. 1. c. 10. Greg. Turon. l. 1. c. 10. Coſmas Monach. l. 5. p. 194. (b) Vide Exod. 21. & 22. & 23.

turum, *Exod.* 33. 1. &c. His auditis, Moyſes coram Domino proſtratus, veniam pro ſuis rogavit; nec Deus roganti inexorabilem ſe præbuit; juſſit tamen quantocius in caſtra redire, poſt quadraginta dies in monte ſine cibo, & potu exactos.

Deſcendentibus ergo iis de monte, Joſue audire ſe dixit in caſtris quaſi bellantium clamorem; cui Moyſes, Non, ait, bellantium, ſed ludentium vox eſt. Interea cum in caſtrorum conſpectum jam veniſſent, viſo aureo vitulo, ac ludentium choreis, Moyſes adeo exarſit, ut projectis confractiſque tabulis, poſtea ad Idolum convolans, igne illud aſſumi, & in pulverem redigi voluerit. Pulverem autem aqua miſtum haurire Hebræos coegit. Vide *Vitulus aureus*. Deinde cùm acrioribus verbis Aaronem caſtigaſſet, quòd populo eò uſque induſiſſet; Aaron pro viribus factum excuſavit. His autem minimè acquieſcens Moyſes, per caſtra diſcurrens, omnes, qui ſtudio Dei tenerentur, ut ſecum venirent, invitavit. Congregatis ad illum omnibus filiis Levi, præcepit, ut ſinguli ſtricto enſe per media caſtra diſcurrentes, obvios quoſcunque, fratres, amicos, conſanguineos trucidarent. Quibus ab illis executioni mandatis, 23000. Iſraelitarum occiſa ſunt.

Manè alterius diei, in populi concione Moyſes criminis immanitatem exaggeravit; ſe tamen pro viribus Deum ad miſericordiam flectere conaturum promiſit. Conſcendens igitur montem, veniam pro populò precatus eſt; alioquin, ait, opto, deleas me de Libro vitæ. Cui Deus deleturum ſe ait eos, quorum criminibus offenſus eſſet: populum tamen ſuum ſe non deſerturum, ſed Angeli cuſtodiæ commiſſum, ejus ductu in poſſeſſionem optatæ regionis immiſſurum; quanquam inultum crimen nunquam ſe paſſurum profeſſus eſt, reſervata in diem certam ultione. Sciret tamen, eandè Angelum ſuum, non ſe, populo in itinere comitem futurum, *Exod.* 33. 1. &c. Dei verbis ad populum per Moyſem relatis, omnes deſpondere animo, illoſque facti pœnituit, & ornamenta ſua in luctus argumentum, ad radices Horeb depoſuerunt. Salutari hinc metui promovendo Tabernaculum extrà caſtra Moyſes tranſtulit, quo tamen in loco continuo Domini alloquio fruebatur. Hujus colloquii occaſione, exorandæ pro ſuis veniæ Vir Sanctus inſtabat; rogans, ut ipſe ſe populi ducem in itinere exhiberet. Tandem Deus exorari ſe paſſus, dixit, nunquam ſe commiſſurum, ut populum deſereret. Moyſes audacior factus, iterum rogavit, ut gloriam ipſius ſibi intueri liceret. Cui Deus, non, ait, vultum meum; (quis enim ejus majeſtatis intuitum tutò patietur?) ſed ex hiante ſaxo reſpectans tranſeuntem me à tergo videbis.

Iterum verò Moyſes conſcendens montem, novas Tabulas à ſe paratas detulit, *Exod.* 34. 1. &c. ac poſt viſam Dei gloriam, juxta Dei promiſſionem, receptumque Decalogum, & alia præcepta, exactis 40. diebus ad populum omnia delaturus, deſcendit. Veruntamen cùm ex Domini conſortio tantum oris fulgorem hauſiſſet, ut intuentium oculos præſtringeret (a), eum terrorem in Aaronem, cæteroſque injecit, ut niſi ab eo, poſt obductum velo vultum confirmati, ipſum aſpicere non auderent. Inde quæ Tabernaculo Deus juſſerat, exequutioni mandari cœpta; ſiquidem Moyſes ore præconis populum invitavit, ut ſi quæ haberet pretioſa, metalla, ligna, gemmas, linum, lanam, pelles, in uſum illius conferret, *Exod.* 35. & 36. & 37. Ad pium opus tantus rerum concurſus factus eſt, ut Moyſes à duobus Artificibus monitus, ne aliud ultra conferretur, indicto per præconem præcepto, vetuerit. *Exod.* 36. 5.

Præter donaria à ſingulis ſpontè oblata, ſingulis Iſraelitis indictum erat tributum dimidii ſicli; nempè 16. ſolidorum, 2. denariorum, & aliquantò amplius. Huic exactioni curandæ cenſus totius populi, ſupra annum 20. ætatis inſtitutus eſt; in quo 603550 capita recenſita ſunt, ac collecta ſumma 1775. ſiclorum ſupra 100. talenta argenti. Elaborando poſt hæc Tabernaculo ſex menſium tempus impenſum eſt (b). Die autem prima Niſan, quæ 25. Aprilis reſpondet, juxta Uſſerium, abſoluto jam operi gloria Domini inſedit, *Exod.* 40. 2. 17. 34. Die 14. ejuſdem menſis ſecundum ab egreſſu ex Ægypto Paſcha celebratum eſt, *Num.* 9. 1.... 14. nec diù poſt latæ à Moyſe Leges in prioribus 7. capitibus Levitici deſcriptæ. Inter hæc, initiatus Aaron, ejuſque filii, inunctum, & dedicatum Tabernaculum, vaſa, & cætera ad illud pertinentia.

Prima die ſecundi menſis ejuſdem anni, novus populi cenſus à Moyſe factus eſt, ſeorſim tamen recenſiti Levitæ, in uſus Templi deſtinati; quorum ordinata munera, & onera in itinere per deſertum a ſingulis vehenda, *Num.* 1. 1. 2. &c. & 3. 3.... 34.... 51. & 8. 5.... 26. Certus etiam ordo præſcriptus eſt, ſivè in caſtrametationibus, ſivè in itinere, à ſingulis Tribubus ſervandus, ut ſua eſſet in tanta multitudine diſciplina, *Num.* 2. 1. &c. Secundùm hæc, Principes Tribuum pro ſuo ſinguli ordine, & die, intra 12. Dedicationis dies, munera ad Tabernaculum detulerunt, *Num.* 7. 1. 2.... 83. Tandem Moyſes ſanctis ſanctè tractandis regulas, pro evitandis Legalibus maculis, atque rationem accedendi ad Tabernaculum, præſcripſit.

Labente anno, quo Iſraelitæ ad radices Sinai morati ſunt, Jethro Socer Moyſis, in caſtra ſuperveniens, uxorem ipſius Sephoram, duoſque filios Gerſom, & Eliezer reduxit (c). Novum hoſpitem Moyſes honorificentiſſimè excepit, eoque authore, ſuam jam judiciorum diſciplinam nonnihil immutavit. Immenſo enim judicandarum cauſarum ponderi minuendo, Judices ſubſidiarios judicandis minoribus cauſis, ſibi reſervatis iis, quæ majoris indaginis eſſent, conſtituit. Paulò poſt, columna nubis, quæ Iſraelitis præcedebat, è Sinai movente, exercitus Pharam verſus iter inſtituit. Inter Sinai, & Cades duo tantùm caſtrorum nomina occurrunt apud Moyſem, ſcilicet *Tabeera*, nempe incendium, & *Kiberoth-hattaavah*, ſcilicet Sepulchra Concupiſcentiæ, de quibus in ſuo articulo.

Cùm Sephora jam in caſtra veniſſet, occaſione fœminæ Ethiopiſſæ (d), uxoris Moyſis, accepta, *Num.* 12. 1. Aaron & Maria de Moyſe obloquebantur, ſe quoque uti & Moyſem Deum alloquutum eſſe jactitantes. Hujus murmuris exitus, & cauſa ignoratur; illud conſtat, Deum patrocinio Moyſis, viri omnium hominum mitiſſimi, ſuſcepto, è columna nubis Mariam, & Aaronem ad oſtium Tabernaculi alloquentem dixiſſe, cæteris quidem Prophetis ſe in viſione & per quietem loquutum fuiſſe; cui tamen ore ad os loqueretur, neminem eſſe, excepto Moyſe, quem etiam ſuo aſpectu non per ænigmata, & figuras recreaſſe. Debuiſſe proinde eos tantùm virum vereri. His dictis, columna nubis diſceſſit, & Maria continuò lepra infecta eſt. Aaron ſtatim ad Moyſem convolans, pro ſororis valetudine fratrem rogavit. Ille annuens, ſtatim in preces effuſus eſt. Verùm roganti dixit Deus, oportere illam per hebdomadam extra caſtra manere, qua evoluta, eam ſe reducturum; tantundem enim temporis ſpatio tranſigare pudore ſuffuſa debuiſſet, ſi in illius vultum pater ipſius excreaſſet. Vide *Maria*.

Sedi-

(a) Ad literam; *cornuta erat facies ejus*. Sed interpretes de fulgore in vulto coruſcante interpretantur.

(b) A ſexto menſe anni Sancti, & ab egreſſu ex Ægypto, A. M. 2513. uſque ad 1. menſis primi ſequentis anni 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.

(c) Exod. 18. 1. &c. Deut. 1. 9.... 18. Num. 10. 29. A. M. 2514. ante Ch. 1486. ante Ær. 1490.

(d) Hanc fœminam vulgo credunt fuiſſe Sephoram Madianitidem, ea enim regio proxima erat regioni, quam Hebræi appellant Cus, ſive Æthiopiam. Alii fuiſſe Tharbim filiam Regis Æthiopiæ, quam Moyſem duxiſſe poſt captam Meroe tradit Joſephus Antiq. l. 2. c. 5. Vide ſupra.

Seditionem Core, Dathan, & Abiron hic referendam duximus, ne per intervalla reſumere cogeremur hiſtoriam eorum, quæ in Cades-barne contigerunt; quanquam an poſt eam caſtrametationem, ſive ante contigerit, ignoramus. *Num.* 16. 1. Core igitur ad Tribum Levi, non ſecus ac Moyſes, & Aaron, ſpectabat; Dathan, Abiron, & Hon, Rubenitæ erant. Hi ægrè ferentes, quòd omnes Reipublicæ honores duobus fratribus dividerentur, unà cum 250. ex Optimatibus Iſraelis ſeditione facta, ad Moyſem venerunt, quærentes, cur in populo à Deo electo ipſe præ cæteris aſſurgeret. Moyſes proſtrato in terram vultu, reſpondit, die craſtina Deum oſtento indicaturum, quos elegiſſet. Sumerent igitur ſinguli ſuum Thuribulum, atque coram Domino ſe ſiſterent. Verùm Dathan, & Abiron, ad quos Moyſes eadem renunciari juſſerat, ſe ituros negarunt, dicentes, ſatis eiſſe ſi ab illo è terra lacte, & melle manante educti fuiſſent, ut in deſerto perirent: an ſuis illos præſtigiis etiam luminibus orbare præſumeret.[a]

Manè alterius diei, cùm Moyſes præ foribus Tabernaculi cœtum populi coegiſſet, gloria Domini ſpectabilem ſe præbuit, & Deus ambobus fratribus præcepit, ut à populo ſegregarentur; velle enim univerſos diſperdere. Continuò, his auditis, Moyſes, & Aaron vultu in terram proſtrato, ne propter unius crimen in omnes animadverteret rogarunt. Quare Deus: Reliqui, ait, à tabernaculis Core, Dathan, & Abiron ſe ſubducant. Quibus peractis, nunciavit Moyſes futurum, ut viri illi, dehiſcente terra, viventes abſorberentur; quod ſi aliter eveniſſet, velle ſe, ut ab altero quàm à Deo miſſus crederetur. Nec mora: terra ſub eorum pedibus dehiſcens, omnes unà cùm tentoriis, omnibuſque eorum facultatibus abſorbuit. Conjuratos verò 250. ſubitus exortus ignis abſumpſit. In ejus ultionis Divinæ monumentum juſſit Moyſes eorundem virorum thuribula ænea in laminas redacta, Aræ Holocauſtorum affigi. Mane alterius diei, exortum novum in Moyſem murmur, quem cædis tot virorum inſimulabant; quo invaleſcente, novus repentè ignis in caſtra injectus, ultimum excidium minitabatur, niſi Moyſes miſſo ſtatim inter mortuos, vivoſque medio Aarone, promptè occurriſſet; eo enim orante, atque thus offerente, ignis extinctus eſt. Eo incendio 14700. viri periere, quibus omnes adjungendi viri, in ſeditione Core abſumpti. Sacerdotio verò Aaronis etiam atque etiam confirmando, Deus arentem illius virgam frondibus, & floribus repentè veſtivit. *Num.* 17. Vide v. *Aaron*.

Poſt *Sepulcra Concupiſcentiæ*, populus ad Hazeroth tranſivit; indè in Cades-barne; *Num.* 32. 8. 9. *Deut.* 9. 22. 23. *Num.* 13. 1. 2. ubi mora diuturnior. Juſſus enim à Deo Moyſes, ſelectos viros ad explorandam Chanaanitidem miſit; qui poſt 40 dies regreſſi, ubertati ejuſdem regionis demonſtrandæ, pingues ex illa fructus omnis generis, botrum inter cætera adeo immanem, ut duobus vectoribus indigeret, detulerunt. Verùm poſt recreatum eo aſpectu populum, ſparſerunt in vulgus, regioni ad miraculum uberrimæ illud incommodi accidere, quod nec urbibus munitiſſimis infrequens eſſet, atque viris proceræ ſtaturæ incoleretur, quibus reſiſtentibus nequidquam ipſi prævaluiſſent. His dictis, commota populi ſeditio: cui compeſcendæ fruſtra à Joſue, & Caleb, qui ad explorandam regionem cum cæteris iverant, adlaboratum. Omnia regreſſum in Ægyptum ſpectabant; cùm Deus in populum iratus, multitudini quidem à Moyſe rogatus indulſit; obmurmurantibus verò gravius inſtans, omnes ab anno 20. ætatis in deſerto vitam abſoluturos indixit: in Authores verò murmuris, viros nempè, qui ab exploranda regione venerant, exceptis Joſue, & Caleb (quos ſolos in Chanaanitidem ex tota illa multitudine ingreſſuros dixit) repentina cæde animadverſum eſt.

Subinde populus, Moyſe nequidquam reluctante, tranſitum in Chanaanitidem vi tentans, ab Amalecitis, & Chananæis repulſus eſt. *Num.* 14. 40....45. *Deut.* 1. 40....45. Quare poſt protractam diutiùs moram in Cades, motis caſtris ad mare rubrum, ad Aſiongaber iter converterunt. Inter Cades & Aſiongaber 18. caſtrametationes apud Moyſem enumerantur. *Num.* 33. 18. 19. &c. 1. Rethma. 2. Remnompharea. 3. Lebna. 4. Reſſa. 5. Ceelata. 6. Mons Sepher. 7. Arada. 8. Maceloth. 9. Jahat. 10. Thare. 11. Methca. 12. Heſmona. 13. Moſeroth. 14. Bene-Jacan. 15. Gadgad. 16. Jetebata. 17. Hebrona. 18. Aſiongaber. De his ſingulis, in ſuis articulis. Ex Aſiongaber, eadem fortaſſe via, iterum in Cades venerunt, ubi Mariæ ſororis Moyſis obitus contigit (a). In eo itinere ſpatium 38. annorum inſumptum eſt. Dum in Cades verſabantur, penuria aquarum laborante populo, ut illum compeſcerent; ambo fratres aquam è ſilice expreſsere. *Num.* 20. 2...23. qua tamen in re cùm de ope Dei ſibi præſtanda aliquanto diffidere viderentur, Divina ſententia ambo morte damnati ſunt, antequam Terram promiſſionis ingrederentur. Hinc loco nomen *Meriba*, ſive *Aqua Contradictionis*.

Interea Moyſes Reges Edom, & Moab (b) per Legatos rogavit, ut tranſitum populo per ditionem ſuam concederent; qui cùm inofficiosè denegaſsent, atque armis eos ſe repulſuros profiterentur, circumducere multitudinem per deſertum, ut eos populos (quos intactos præterire Dominus juſserat) evitaret, coactus eſt. Igitur ad montem *Hor* venere, ubi Aaron 123. annos natus occubuit (c). Inde in *Salmona* tranſiere, *Num.* 33. 4. ubi ænea ſerpens, curandis iis, qui ab anguibus ſubitò caſtra invadentibus, correpti eſsent, erectus creditur. *Num.* 21. 6. Vide *Serpens*. Poſt hæc ſequuntur caſtra ad *Phunon*, *Oboth*, *Je-abarim*; *torrentem Zared*; *ad excelſa torrentis Arnon*; *ad Mathana*; *ad Nabaliel*, *Dibongad*, *Helmon-deblataim*; *montem Phaſga*; & *ad deſertum Kedemoth*. Miſſi indè legati ad Sehon Regem Amorrhæorum, tranſitum rogantes, re infecta redierunt; quare Moyſes in illos populos invectus, prælio victos regione expoliavit (d), & pariter Og Rex Baſan, bello populum laceſsere auſus, paſsus eſt. *Deut.* 3. 1. *Num.* 21. 33...35.

Inde in campeſtria Moab deſcendentes, caſtra habuerunt in Setthim, ubi tandiù morati, donec poſtea, duce Joſue, Jordanem transgreſſi ſunt. Accidit interea, ut Balac Rex Moab Ariolum Balaamum, qui dira Iſraelitis imprecaretur, accerſeret. Verùm ille, invitus quidem, pro maledictis fauſta in populum precari coactus; ne tamen Regem ſua ſpe fruſtraret, hortatus eſt, ut miſſis in caſtra hoſtium Moabitis puellis, eos ad idololatriam, & fornicationem pelliceret, facilè poſt hæc debellandos. Nec ſegnior Rex in eo conſilio amplectendo fuit; nec fruſtra illud fuiſſet, niſi Moyſes promptè periclitanti populo accurrens, addictos jam cultui Beel-phegor morte multaſſet. 1. *Cor.* 10. 8. Ea occaſione 1000. deſiderati ſunt, quibus 23000. addendi, quos Divina ultio eodem tempore interemit. *Num.* 25. 4. &c. Phinees, filius Eleazari Summi Sacerdotis, ſui in Deum ſtudii monumentum inſigne exhibuit. Vide *Phinees*.

Sub hæc, juſsu Dei, bellum in Moab, tam in ultionem injuriæ illatum; quare Phinees ejus expeditionis dux unà cum 12000. ſelectiſſimis in illos irruens, prælio fudit, atque maſculis omnibus neci traditis, unà cum Balaam ariolo (e) & quinque Principibus, totam regionem ſubegit. Eam Moyſes in poſseſſionem hæreditariam tribuit Rubenitis, Gaditis, ac dimidiæ Tribui Manaſse, ſibi illam poſtulantibus, ea tamen con-

(a) Num. 20. 1. &c. A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452. (b) Num. 20. 14. &c. Deut. 2. 4. &c. Judic. 11. 17. (c) Num. 20. 23. 24. A. M. 2552. ante Ch. 1448. ante Ær. 1452. prima die quinti menſis, anni quadrageſimi ab egreſſu ex Ægypto. Num. 33. 38. (d) Num. 21. 21...31. Deut. 2. 24. 36. &c.
(e) Num. 24. 25. Vide Balaam.

Digitized by Google

conditione, ut nonniſi poſt adjutos fratres ſuos in obtinenda Chanaanitide, ſedem in illa figerent. *Num.* 32. *Deut.* 3. 12. & 31. 1. 8.

Poſt hæc, Moyſes exitum ſibi vitæ imminere, ſeque Jordanem non tranſgreſſurum intelligens, prolixa ſatis concione populum alloquutus (*a*), omnium, quæ ab egreſſu ex Ægypto contigerant, hiſtoriam percurrit; Leges nonnullas in memoriam revocavit; ac tandem poſt innovatum Deum inter & Seniores populi priſtinum fœdus, commemoratiſque tùm præmiis bonorum, tùm malorum pœnis, orationem abſolvit, tradito ſingulis Sacerdotibus, ac Senioribus exemplari Legis, jubens ejus lectionem ſingulis ſeptennis in ſolemni populi concione innovari. Secundùm hæc, Canticum cecinit, in quo futuros Iſraelitarum eventus omnes complexus; *Deut.* 32. violandæ Deo fidei illos redarguit; additis etiam minis, quarum plus nimio veritatem deinde eventus demonſtravit. Paulò verò ante obitum, *Deut.* 33. ſingulis Tribubus peculiarem benedictionem conferens, futurorum oracula aperuit. In iis benedictionibus Tribus Simeonis latenti aliqua de cauſa prætermiſſa eſt.

Tandem, ineunte duodecimo menſe, Moyſes accitus à Domino, montem Nebo aſcendit, *Deut.* 34. 1. &c. regionem trans & citra Jordanem viſurus. Cum ad verticem perveniſſet, En, ait Deus, promiſſa patribus veſtris regio. *Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuuſque eſt Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino; & ſepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem. Centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti ſunt. Fleveruntque eum filii Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus.*

Hæc Scriptura de obitu Moyſis; addit deinceps: *Et non ſurrexit ultrà Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem; in omnibus ſignis, atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret in terra Ægypti, Pharaoni, & omnibus ſervis ejus, univerſæque terræ illius; & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram univerſo Iſrael.*

Nihil autem in Scriptura frequentius, quàm ampliſſima hujus viri encomia. Jeſus filius Sirach. *Eccli.* 45. 1. &c. *Dilectus Deo & hominibus Moyſes. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum; & in verbis ſuis monſtra placavit (prodigia ſeu plagas pro libito ceſſare fecit). Glorificavit illum in conſpectu Regum, & juſſit illi (præcepta dedit) coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, & vocem ipſius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi coram (populo) præcepta, & Legem vitæ, & diſciplinæ, & docere Jacob Teſtamentum ſuum, & judicia ſua Iſrael.*

Moyſes omnium Scriptorum Canonicorum vetuſtiſſimus Pentateuchum ſcripſit, ſcilicet quinque Libros V. T. videlicet, Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium, de quibus nos in ſuis articulis. Olim unum tantummodò jugi contextu opus conſtituiſſe videntur, cujus veluti corpus, Leges eſſent; Geneſis tanquam Præfatio. Succeſſu temporis pro Lectorum commodo in Libros diviſum eſt. Omnium conſenſu, neque Judæis, atque Hæreticis exceptis, Canonicus habetur: quamquam de ejus authore nonnihil difficultatis occurrit; quippè quòd in eo quædam legantur, Moyſi minimè congrua. Verùm nos fatemur quidem, nonnulla in eo opere occurrere, aliena manu addita, quibus cùm apertior quidem efficiatur ſermo, ſed priſtinus omnino ſenſus ſervetur, inepto prorſus argumento eſſent, ut à Moyſe Liber abjudicaretur.

Præter hoc opus, undecim etiam Pſalmi à Rabbinis Moyſi adſcribuntur, videlicet 89. *Domine refugium factus es &c.* 90. *Qui habitat &c.* 91. *Bonum eſt confiteri &c.* 92. *Dominus regnavit, decorem &c.* 93. *Deus ultionum &c.* 94. *Venite exultemus &c.* 95 *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino &c.* 96. *Dominus regnavit, exultet &c.* 97. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia &c.* 98. *Dominus regnavit, iraſcantur &c.* 99. *Jubilate Deo omnis terra, ſervite Domino &c.* Verùm nulla ſatis firma conjectura hos Pſalmos ad Moyſem ſpectare intelligimus. Quamvis enim Pſalmus 89. inſcriptus legatur, *Oratio Moyſi hominis Dei*, ex quo reliqui ordine ſuccedentes eidem Authori tribuendos conjiciunt; illud tamen conſtat, hos titulos nec originales, nec ſatis veteres, ac plerumque præpoſtere inſcriptos eſſe. Quid? quòd in hiſce Pſalmis nomina virorum, atque alia quædam occurrunt à Moyſe prorſus aliena? Quare nos cum clariſſimis Interpretibus credimus, nomen Moyſis hiſce Pſalmis additum, quòd Levitam aliquem ex poſteris Moyſis authorem habeant, ſive quòd ab aliquo Propheta concinnati, à Cantoribus ex eadem familia canerentur. V. noſt. Præl. in Pſ. 89.

Liber Job ejuſdem eſt Scriptoris, ſi Veteres nonnullos (b) audiamus. Vertiſſe tantum illud opus ex Syriaco in Hebræum, aſſeruit Origenes *in Job.* Verùm Judæorum, & Chriſtianorum conſenſus eundem Librum à Moyſe abjudicat: nec ſanè ratio occurrit, cur opus à Moyſe ſcriptum ſeorſim à Pentateucho exhiberetur. Occurrit etiam *Apocalypſis*, ſeu *Revelatio Moyſis; parva Geneſis, Aſcenſio Moyſis, Aſſumptio Moyſis, Teſtamentum Moyſis, Libri myſtici Moyſis*; quorum fragmenta Veteres nonnulli in ſuis Libris ſervarunt. Ex Apocalypſi Moyſis credunt Apoſtolum derivaſſe illud: *Galat.* 5 6. & 6. 15 *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Et illud: *In Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.* Ex aſſumptione Moyſis deſumptam ferunt hiſtoriam apud S Judam v. 9. 10. de altercatione inter S. Michaelem, & Draconem pro corpore Moyſis. Vide Fabric. Cod. Pſeudepig. V. T.

De obitu, & ſepultura hujus viri plura feruntur. Cum enim, quo loco Vulgata legit obiiſſe Moyſem *jubente Domino*, Hebræus habeat: *in oſculo Domini*; ideò Rabbini Deum exſuxiſſe ſpiritum ejus viri per oſculum commenti ſunt (c). Alii non obiiſſe illum; alii obiiſſe non negantes, translatum deindè in Cœlum affirmant. Quin & translatum in Cœlum mortê evitata, ex doctrina veterum Doctorum, Maimonides aſſeruit (d). Subitò illum evanuiſſe ſcribit Joſephus *Antiq. l. 4. c. ult.* ſed, addit, veritus ne à Judæis Numinis honore coleretur, ſuum ipſe obitum in ſacris Libris deſcripſit. Cùm verò ejus ſepulchrum lateret, idemque unà cum Elia in transfiguratione Jeſu apparuiſſet, ac tandem de cadavere ipſius S. Michael cum Diabolo altercatus fuiſſet; ideò opinio, Moyſem vel prorſus non obiiſſe, vel poſt obitum animam ejus corporis contubernio in Cœlo donatam fuiſſe, vulgò increbuit (e).

Rabbini (f) geſta hujus viri recenſentes, veris in S. Scriptura relatis prodigiis, ficta quamplurima admiſcent. Narrant enim, circumciſione initiatum in lucem prodiiſſe; expoſitum verò in ripa Nili, via tacta fiſcella, in qua ipſe recondebatur, valetudinem reparaſſe Bathicæ filiæ Pharaonis lepra infectæ. Cùm verò, addunt, fœmina illa trimulum puerum ad Regem tuliſſet, continuò puer regium diadema apprehenſum capiti ſuo impoſuit. Malum omen averſurus

Ba-

(a) Deut. 1. uſq. ad 27. A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452. prima die undecimi menſis anni 40. ab egreſſu ex Ægypto. (b) Pſeudo-Orig. in Job à Perionio editum.

(c) Vide eandem ſententiam prolixè deductam in Libro Petirath. Moſe, à Gaulmin. Hebraicè & Latinè edito.

(d) Præf. in Thalmud. Ben Iſrael part. 1. (e) Vide de hoc argumento Diſſert. noſtr. ante poſtrem. tom N. T. Et de tumulo illius, qui inventus credebatur anno 1655. vide ibid. & Horn. hiſt. Eccl. n. 74. Baſn. hiſt. des Juifs t. 4. l. 6. c. 17. art. 13. Edit. Pariſ. Bartoloc. Bibl. Rabbin. t. 3.

(f) Vide Bartolocc. Bibl. Rabb. t. 1. & t. 3. Baſn. hiſt. des Juifs, t. 4. l. 6. c. 16. 17. Edit. Pariſ.

Balaam, Arjolus ex Scriptura notus, qui fortè adeſſet, enecandum illum cenſuit. Verùm Magi Pharaonis periculum facturi, num ea res caſu, ſive ex induſtria contigiſſet, adamantes, & carbones coram puero dejecerunt. Cùm ille manum in adamantes extenderet, Angelus Gabriel carbones ſumere coegit: quos proindè ſumptos, linguæ admovens, igne offenſus perpetuò deinde balbutiit. Hinc omnis de illo ſuſpicio evanuit. Delatus verò ad Pharaonem de cæde viri Ægyptii perpetrata, capite damnatus eſt; ſed obdurata ſubitò columnæ inſtar marmoreæ ejus cervice, enſem inoffenſus hebetavit. Fuga deinde ſe ſubduxit, nemine fugam prohibere valente; continuò autem Pharao linguæ impedimento captus eſt; præſentes verò omnes ſive cæcitate, ſive ſurditate, ſive eadem, qua Rex plaga percuſſi ſunt.

Cùm igitur Moyſes apud Korkon Regem Æthiopiæ, in Armenia verſantem, ſe recepiſſet, accidit ut Balaam in Æthiopia commorans, eos populos ad ſeditionem concitaſſet. Quare Moyſes partibus Regiis favens, Balaamum in Metropoli Æthiopiæ arcta obſidione concluſit. Magus, deterrendis aggreſſoribus, immenſam anguium vim præ mœnibus urbis conſtituit; ſed illis à Moyſe incantationibus hebetatis, urbem cepit, relictamque ex Rege, eo temporis ſpatio defuncto, Reginam ducens, 40. annis in Æthiopia regnavit. Eo temporis ſpatio evoluto, querelis Reginæ, quòd à viro negligeretur, excitata ſeditione ſolum vertere, & ad Jethro confugere coactus eſt: Apud illum inventa virga Dei nomine inſcripta, ex quo in illam vis prodigia patrandi, quæ olim in uſum Adami creata, dein ad Abrahamum, & poſt illum ad Regem Ægypti tranſivit; Jethro autem ab aula ejuſdem Regis ſe ſubducens, eam ablatam, in hortum ſuum tranſtulit. Propoſitis autem Sephoræ filiæ ſuæ nuptiis illi, qui eandem virgam evulſiſſet, Moyſes, impleta conditione, fœminam duxit. In eo conjugio ineundo paciſcente Jethro, conventum eſt, ut maſculus natu major circumciſioni non ſubderetur; quare miſſi continuò à Deo duo Angeli ita Moyſem deglutierunt, ut pedes tantummodò eminerent; nec niſi initiato circumciſione per Sephoram puero, Angeli illæſum evomuerunt.

Recipiendæ autem Legis apparatum mirè exaggerant Rabbini; neque enim Moyſem montem aſcendiſſe, ſed Cœlum jactitant. Siquidem, ajunt, cum montem Sinai aſcendiſſet, in Cœlum nube raptus eſt. Cùm iret, Angelum Kemuel cum manu 12000. Angelorum obvium habuit; qui omnes cum illo incedere volentes, vix ab eo pronunciato Dei nomine, decem literis ſcripto, in fugam acti 12000. receſſerunt. Inde iter proſequenti, Angelus Adamiel, deprompta terrifica voce ſub involucro 20000. ſphærarum, quas candidus ignis complectebatur, terrorem incuſſit adeo ingentem, ut Moyſem in fugam vertiſſet, niſi à Deo confirmatus, Dei nomen 72. literis ſcriptum pronunciaſſet. Eo audito, Angelus in fugam verſus, felicem illum exclamavit, qui ea noſſet, quæ Angeli ignorabant. Porrò tabulæ Legis ſapphirinæ erant, juxta illos; quibus à Moyſe dolatis, *Exod.* 34. 1. lucrum ingens ex fragmentis raſis nactus eſt. Addunt, illum conſcios ſeditionis Core perdidiſſe fumo veneni cujuſdam lethiferi in thuribulis ſingulorum injecti. Quas fabellas de obitu ipſius vendit, antea innuimus (a).

Qui Moyſis hiſtoriam cum iis, quæ narrantur de Baccho, Mercurio, & Muſæo, ſedulò contulere, ſimiles utrinque characteres deprehenderunt: unde conjecturæ locus, ſacros Libros Paganis innotuiſſe, ex quibus adſcititia Numinum ſuorum decora derivarunt. Vide Huet. Demonſt. Evang.

(Hujus viri hiſtoria jam inde à pluribus ſæculis longè lateque per Orbem adeò celebratur, ut monſtri loco ducendum non ſit, ſi variarum gentium Scriptores pro ſe quique, de illo aliquid retulerint. Orientales veteres, Græci, Ægyptii, Chaldæi, Romani certatim omnes de Moyſe in ſuis hiſtoriis aliqua. Exaggerarunt alii geſtorum ipſius, de quibus in Scriptura, prodigia, deformarunt quidam ejus hiſtoriam fictis plurimis indignisque adjectis. Damus hic brevi compendio quæ de illo Orientales (b). Natus eſt Moyſes 500. annis poſt diluvium, & poſt menſem patre eſt orbatus ſuo. Walid Rex Ægypti, tum temporis regnans uxorem duxerat Aſiah neptem Amram patris Moyſis & Legiſlatoris hujus conſobrinam germanam. Ex connubio illo magna conciliata in Aula Amramo authoritas, ſed minor tamen quàm ut valeret depellere ſuſpiciones à Nagiah matre Moyſis ob odio Pharaonis Walid in Hebræos conceptas. Porrò illa natum filium arculæ commiſſum expoſuit Nili aquis; fluentes autem undæ leniter arculam illam devexerunt adusque ædes regias; nactus Rex infantem ex aquis ſervari atque in Aula nutriri mandavit.

Degit Moyſes in Aula adusque ætatem 41. annorum; tunc autem occiſi Ægyptii reus perfugium quærere coactus eſt in Madian, ubi conjugium conciliavit cum Sephora filia Schoaib vel Jethro. Non nullis poſt annis revolutis reverſionem in Ægyptum ſtatuit; inter eundum offendit ad amnem Aimon veſtem Prophetæ cum Scipione. Propheticè ſtatim velatus eſt, ſtringenſque manu baculum; dexteram retulit albentem fulgentemque veluti aſtrum; tum per viſum apparens illi Deus omnia expoſuit, quæ educendis ex Ægypto Hebræis valerent. Hiſtoriam hanc præ oculis habent Arabes, cùm exprimendo viſo prodigioſo vel medico e. g. ad miraculum valenti uſurpant, manum habere albam Moyſis & ſpiraculum Meſſiæ. Siſtens ſe Moyſes Pharaoni expoſuit Dei mandata de Iſraelitis. Exegit Rex prodigia, quæ patentes ſunt, ait ille, Prophetarum literæ. Moyſes virgam projecit in terram, quæ ſtatim in horribilem draconem verſa, hianti ore atque terribili ſupercilio Regem minabatur, unde ſubito correptus terrore inclinabat ille in fugam. Rogavit tamen Moyſem ut ſerpentem illum revocaret, tum Moyſes extendens manum monſtravit non anguem, ſed baculum uti prius. Alia exquiſivit Pharao miracula, & Moyſes protulit primùm manum ejuſdem cum reliquo corpore coloris, tum ſub axillis poſitam reduxit, oſtenditque niveo candore albam, & rutilantem velut aſtrum. Plura inſeruint Orientales hiſtoriæ de Magis Pharaonis, quæ habes deducta V. *Jannes & Mambres*.

Contraria hiſce omnia narrant Scriptores Græci & Latini: quo enim loco Judæi & Orientales vera prodigia & inſignia Moyſis geſta falſis pluribus exaggerant, ita viciſſim illi inſertis fabellis vel extenuant vel revocant in ſuſpicionem. Ita e. g. Manethon apud Joſephum l. 1. contra Appion. pag. 1052. &c. ſcribit Moyſem Sacerdotem fuiſſe Heliopolis, appellatumque Oſarſiph, qui ducem ſe præbens manui leproſorum vitiatorumque hominum, è quorum fœce Rex Amenophis ditionem ſuam repurgari curaverat, Regis Ægypti jugum excuſſit, munivitque ſe unà cum ſuis in urbe Avaris vel Typhonis. Porro Dux ille primo omnium ſuos adjuravit ſacramento, coegitque imperata facere, tum obſtrinxit illos legibus, quorum potiſſimus ſcopus erat, ne colerent Deos, neve abſtinerent ab animantibus in Ægypto ſanctis, ac tandem ne fœdera miſcerent niſi cum gentibus, quæ in ſuas partes veniſſent. Secundùm hæc Oſarſiph veteri abolito novum aſcivit nomen Moyſes.

Tum ablegatos ſuos miſit ad Paſtores, quos Rex Themutis depulerat ex Ægypto, receperantque ſe Jeroſolymam, ut in fœderis ſocietatem venirent, junctique ſimul arma ferrent in Amenophim. Pronis id auribus exceperunt Paſtores, nec ſegnes numero 200000. venerunt ad urbem Avaris. Statim Rex Ameno-

(a) Vide Librum Petirath Moſe à Gaulm. editum, Sixt. Senen. tit. 2. l. 5. Annot. 59. 61. & l. 6. Annot. 91,

(b) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 647.

Amenophis exercitum coegit 300000. abſtinenſque à prælio in perduelles recepit ſe in Æthiopiam, ubi tutum nactus eſt aſylum, quòd ſcilicet ejus regionis Princeps fœdere ſibi conjungeretur. Ab omni metu liberati perduelles, totam latè Ægyptum inundarunt, & infeſta eluvione intulerunt perniciem, non hominibus tantùm, ſed & ſacris animantibus, incendio, cædibus & rapinis omnia vaſtantes. Evolutis 13. annis Rex Amenophis & ſuis pariter & Regis Æthiopiæ viribus fortis ceu fulgor invectus eſt in rebelles, depulitque ad extrema uſque Syriæ. Ita Manethon hiſtoriam Moyſis inſercit.

Nec meliora Juſtinus; narrat enim lib. 37. Joſephum venditum à fratribus deductumque in Ægyptum, inſinuaſſe ſtatim ſe in amicitiam Regis, ope Magiæ, quam plurimùm callebat. Pollebat inſuper virtute interpretandi ſomnia, & ſine adjutorio ipſius, totam penitus Ægyptum dira fames perdidiſſet; ingentis enim famis luem vir ille non prænunciavit tantùm, ſed & effecit, ut imminens malum evitaretur; admonuit enim recondi plurium annorum meſſes, opportunum ſterilitatis levamen. Moyſes filius ipſius & arcanorum omnium hæres, præter hanc, qua inſtruebatur, ſcientiam, valebat etiam plurimùm elegantiæ corporis venuſtate. Sed cùm lepræ morbo laboraret, metuerentque Ægyptii, ne contagione lues diffunderetur, conſuluerunt oracula, retuleruntque ab illis, ut leproſos omnes foras agerent è Provincia. Pulſus igitur cum cæteris Moyſes, digreſſuri Ægyptiorum Numina clam abſtulerunt. Illi repetere res ſuas volentes, leproſos inſequuti ſunt, ſed procellis & tempeſtatibus ſubortis coacti ſunt vacui remeare ad propria.

Moyſes igitur ducem ſe præbens exulibus, illos egit in regionem Damaſcenam, patriam parentum ſuorum Abrahami & Iſraelis. Porro ille montem Sinai occupavit poſt ſeptem dierum itineris & jejunii, quam deinde ſeptimam diem in rei geſtæ memoriam obſervant quiete Sabbati religioſa, tum & ejus diei jejunio. Veriti inſuper ne lepræ, quo inficiebantur, morbus inviſos illos redderet incolis regionis, commercium ſibi interdixerunt cum cæteris aliarum gentium, quæ politica œconomia ſenſim tranſiit in religionem. Poſt Moyſem Ariſt ejus filius, Sacerdos Numinum Ægyptiorum, in Regem ſalutatus eſt a Judæis, ex quo deinde ſacra & civilis dignitas in unum eundemque apud eas gentes coaluit. Hæc de Moyſe Trogus, cujus hiſtoriæ epitomen dedit Juſtinus; tot ſcilicet menda, quot verba. Videſis v. *Judæi* Veterum aliorum fragmenta, ubi de Moyſe & origine Hebræorum.)

MULTIPLICATIO. Alimenta prodigioſe multiplicata frequenter in S. Scriptura occurrunt; ità Elias modicam farinæ, & olei annonam viduæ Sareptanæ adeò multiplicavit, ut toto tempore, quo fames ſæviit, alendis matri, & filio una cum ipſo Elia hoſpite illorum ſufficeret. 3. *Reg.* 17. 10. Eliſeus rogatus à vidua cujuſdam Prophetæ, viri defuncti fœneratoribus obærata, ut ſibi promptam opem ferret, quæſivit, num aliquid domi haberet. Cum audiſſet, nihil ſupereſſe, quam olei pauſillum ad ungendum corpus; Vade, ait, commodatiſque ea vicinia vaſa vacua; omnia illa tuo oleo infuſo imple; ex quo demum diventio fiet, ut tantum retrahas, quantum & æri alieno ſolvendo, tuoque atque filii victui impoſterum ſufficias. Dicto ſua fides; oleum namque vaſis infuſum tunc primò defecit, quando vaſa omnia impleta ſunt. Idem Propheta 20. panes hordeaceos ſibi allatos, ita multiplicavit, ut alendis 100. Prophetis ſuperfluerent. 4. *Reg.* 4. 42.

In Novo Teſtamento, Jeſus Chriſtus quinque hordeaceis panibus, & 2. piſcibus 5000. virorum ita pavit, *Matth.* 14. 17. &c. *Jo.* 6. 5. &c. ut 12. cophini ea reliquiis implerentur. Iterum quoque *Matth.* 15. 28. ſeptem panibus, & paucis piſciculis multitudinem 4000. virorum, præter fœminas, & infantes, exſaturavit. Quod ſanè auctæ annonæ prodigium S. Auguſtinus comparat alteri prodigio, quo parvulum ſeminis granum terræ commiſſum, immenſam granorum & ſpicarum meſſem germinat. Verùm, ait *tract.* 24. *in Joan. miracula iſta aſſiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur attendere opera Dei mira & ſtupenda in quolibet ſeminis grano: ſecundùm ſuam ipſam miſericordiam ſervavit ſibi quædam, quæ faceret opportuno tempore, præter uſitatum curſum ordinemque naturæ, ut non majora, ſed inſolita videndo ſtuperent, quibus quotidiana viluerant.* Porrò hujus incrementi artificium latet; an ſcilicet creatione nova producerentur, an ex adjacente materia aliquid in panem tranſmutaretur; an aliundè tranſvectæ aliquæ ejuſdem rei particulæ, ut ſubito in manibus Apoſtolorum, annona augeretur. SS. Auguſtinus *tract.* 24. *in Jo.* & Hieronymus *in Matth.* autumant, in manibus Jeſu Chriſti panem creviſſe; S. Chryſoſtomus, Leontius, & Euthymius in manibus Apoſtolorum: S. Hilarius inter utramque ſententiam hæret.

MULUS, jumentum ex equi & aſinæ, ſive ex aſini & equæ commixtione generatum; quem ſanè inter bruta diverſi generis coitum Hebræi procurare prohibebantur, *Lev.* 19. 19. quare mulorum fœturis procurandis abſtinuiſſe debuerant. Uſus tamen mulorum non infrequens erat apud Hebræos, maximè poſt Davidis ætatem (a); ante illam ætatem etenim aſinis utriuſque ſexus libentiſſimè utebantur.

Sunt qui tribuerint mulorum procreandorum inventum cuidam Ana filio Sebeon, quod vulgò Veteribus viſum eſt (b). Verùm S. Hieronymus, qui certè eam interpretationem non ignorabat, vertendum maluit (c): *Ana invenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Græca Verſio retinet vocem Hebræam *Jamim*; quam Syriacus reddit *fontem*: alii verò intelligunt de populis quibuſdam, cum quibus congreſſus Ana, victos rediderit. Nec fortaſſe populi Jemim alii ſunt, ac populi *Emim*, *Deut.* 2. 10. 11. occurrentes.

MUNDUS, Græcè *Koſmos*, Hebraicè *Thebel*. Mundi nomine plura quidem in S. Scriptura ſignificantur; interdum enim de compage ex Cœlo, terra, aqua, elementis, Angelis, hominibus, & animantibus, quin & omnibus creaturis coagmentata uſurpatur; interdum de globo tantummodò terræ & aquæ, cæteriſque eorum ambitu comprehenſis: interdum de hominibus, ut in illo, *Jo.* 8. 12. *Ego ſum lux mundi*, & *Jo.* 17. 25. *Mundus te non cognovit*: & *Jo.* 15. 18. *Nolite mirari, ſi Mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Aliquando de illis dicitur, qui rebus hujus Mundi plus nimio ſtudent: *Jo.* 15. 19. *Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret*: & S. Paulus *Gal.* 6. 14. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Tandem S. Joannes 2. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.*

Mundi creatio plurimarum quæſtionum ampliſſimum pandit argumentum, quas ſingulas curſim prælibabimus. Sciſcitantur enim, num tota ſimul materia producta ſit, omnes ne creaturæ ſubitò ſimul effuſæ, an tantum intrà hebdomadæ ſpatium, uti Moyſes in prioribus Geneſeos capitibus liquidò aſſerit. Vulgo Interpretes autumant, è nihilo totam ſimul prodiiſſe materiam univerſi, ſimplici Divinæ voluntatis nutu. Qua in re aſſerenda omnes quidem conveniunt; diſſident autem in altera quæſtione, de productione creaturarum. Sanior enim Patrum, & Interpretum pars cenſet, creaturarum ſenſibilium opus paulatim elaboratum, intrà hebdomadæ ſpatium abſolutum fuiſſe. Horum autem ſententia cùm recenſitæ à Moyſe hiſtoriæ, tum & rationi


ſatis

(a) 2. Reg. 13. 29. & 18. 9. & 3. Reg. 1. 33. 38. 44. & 10. 25. & 18. 5. &c.
(b) Vide Hieron. qu. Hebr. in Gen. & alios plures.
(c) Gen. 36. 24. Hebr. Jamim. S. Hieron. legiſſe videtur *Chamaim*, *Balnea aquarum calidarum*.

Digitized by Google

Systema Creationis Mundi juxta Moysem · I tab.






BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III NAPOLI


Digitized by Google

Digitized by Google

Syſtema Creationis Mundi juxta Moijsem · 1 tab



Appellauitque lucem Diem.



Et tenebras Noctem.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

ſatis conſons videtur, neque enim fieri poterat, ut indigeſta rerum moles explicaretur ſtatim; imò malè cohærentibus inter ſe, diſſimilibuſque particulis in ſuum ordinem dirigendis, plurimorum, ſibique ſuccedentium motuum artificium exigebatur: quod ſanè opus unius inſtantis eſſe non poterat.

Alii verò, uti Philo, Origenes, S. Auguſtinus (a), cæterique nonnulli, veriti ne ex rerum creandarum ſucceſſione invidia in Divinam immutabilitatem, atque potentiam crearetur, eam, quæ apud Moyſem recenſetur, ſucceſſionem ordinis eſſe, non temporis cenſuerunt; quam Moyſes, addunt illi, ſucceſſionis inſtar temporis deſcripſit, ut populi captui, atque ideæ creationis ingerendæ ſeſe accommodaret. Hinc Sapiens *Eccl.* 18. 1. dixit: *Deus creavit omnia ſimul.* Sanè materia Divinis ſemper juſſionibus parata, diſpoſitionibus non indiget, ut ad morem illi gerendum præparetur. Hæ quidem ſunt conjecturæ omnium firmiſſimæ, quibus poſterior ſententia fulciri ſoleat, cui tamen nos priorem ducimus præferendam, quam etiam vulgò ſequuntur Interpretes.

Quo anni tempore Mundus inceperit, in ancipiti res eſt. Vulgò Patres (b) verno tempore conditum cenſuerunt; quibus adſtipulatur Concilium quoddam, juſſu Victoris Papæ, (uti ferunt) à Theophilo Alexandrino in Palæſtina celebratum apud Bedam de ſex ætat. M. Poetæ quoque in exordio Mundi vernaſſe omnia cecinerunt. Alii verò, nec ſanè rari, autumno creatum Mundum credidere, cùm ab autumno Hebræi, Ægyptii, ac vulgò Orientales anni exordium ducant, more, uti quidem videtur, veteri traditione à primis hominibus derivato, quos ſanè idem & anni & Mundi initium ſtatuiſſe conſtat; tùm quòd Deus conditis animantibus neceſſaria alimenta ſuffeciſſe videtur. Quid? quòd arboribus ſuos fuiſſe fructus ex illo Evæ ad ſerpentem conſtat: *Gen.* 3. 2. 3. *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus?* Qualiſcumque igitur locus fuerit, ubi Adam conditus eſt, autumnali ſanè tempore prodiit, uti compluribus eruditiſſimis Chronologis, Petavio, Scaligero, Uſſerio viſum eſt. Veteres Hebræi de Univerſi diſpoſitione longè aliud ſyſtema habuerunt, quam quod à Philoſophis noſtræ ætatis excogitatum eſt. Illud enim ſimplex prorſus, & populare fuit, quale in Scriptura deprehenditur, quæ tamen id ſyſtema proponit, non quidem ſuæ authoritatis pondere illud confirmans, ſed quaſi ad captum populi accommodatum inſinuans. Cæterùm diſceptandi liberam facultatem Philoſophis permittit; *Eccli.* 1. 13. neque ex ejus verbis momenti quidquam pro aliis contra alios afferri poteſt. Autumant Hebræi, ſub ipſum Mundi exordium Deum, facto aquarum divortio, *Gen.* 1. 6. alias ſupra firmamentum elatas pluviis, alias verò in abyſſos diffluentes pelago deſtinaſſe. Addunt, telluris tractum, amplum, & æquabilem fuiſſe, cujus globum, aquis licèt inſiſtentem (c) & circumductum, firmum tamen eſſe & immobilem (d).

Sentiunt aquarum venas per totum telluris corpus diffluere, totumque intimè pervadere, indè verò in apertum erumpentes in fontes & fluvios, avitum mare repetere. *Eccl.* 1. 7. Tres Cœlos diſtinguunt; hoc nubibus & avibus volitantibus parens; illud continendis aſtris; tertium ſedes eſt Altiſſimi, quo S. Paulus raptus ineffabilia ſcrutatus eſt. 2. *Cor.* 12. 4. Antipodas eſſe negant; quippè qui nec Cœlum telluris globum ambire, adeoque nec Solem, Lunam, & aſtra illi circumvolvi, ſive terram circa illa, in animum inducere poſſunt (e).

De Mundi ætate ab ejus exordio uſque ad exitum, diutiùs diſceptatum eſt; cùm tot ſint in ea re ſententiæ, quot variarum gentium monumenta ſuperſunt. Hinc Chaldæis, Ægyptiis, Sinenſibus, Græcis, Hebræis ſua erat ſupputandorum annorum Mundi ratio. Ne quid dicam de iis, qui plures extitiſſe Mundos, ſive plures hominum generationes ſibi ſuccedentes, vel Mundum æternitati coævum eſſe autumarunt.

Quid? quod & Chronologi quidem, ejuſdem textus Hebræi, & Vulgatæ authoritati deferentes, inter ſe diſſident? Porro inter Codices Hebræorum, & Samaritanorum de ea re non conſtat; & ab utriſque Verſio Septuaginta, ex textu Hebræo adornata, longiſſimè diſtat; nec ulla iniri poteſt ratio, ut ſententiæ adeo diſcrepantes concilientur (f). Juxta ſupputationem Uſſerii, quæ vulgò noſtra ætate obtinet, ab exordio Mundi uſque ad Chriſtum ortum, 4000. annos rotundè ſupputamus; à Chriſto verò uſque ad nos 1719. Verùm eruditiſſimi Chronologi autumant, tribus annis ſeriùs quàm par eſt, Chriſti Nativitatem conſignatam fuiſſe; adeout pro 1719. annis, 1722. ennumerandi ſint. Hinc ab exordio Mundi uſque ad nos, 5722. anni excurrerunt.

Sed quandiu Mundus iſte perſeveraturus erit? Res eſt iſta quidem incertiſſima. Ægyptii, qui poſt evolutos 36525. annos aſtra omnia ad idem punctum reductum iri comminiſcuntur, eundem Mundo terminum præſcribunt; poſt hæc enim veterem diluvio ſive incendio diſſolvendum, ut novus emergat Mundus, autumarunt. Quam quidem Mundi innovationem ſæpiùs antehac contigiſſe addunt; quibus per omnia Græci adſtipulantur, quamquam inter illos de numero annorum hujus periodi non conſtat. Alii enim, ut Ariſtarchus apud Cenſor. de die Natal. c. 18. intrà ſpatium 2484. annorum totam concludunt; alii, ut Aretas Dynachii intrà 5552. Heraclius, & Linus intrà 10800. ſive, juxta alios, 18000. Dio intrà 10881. Orpheus intrà 100020. Caſſander intrà 3600000. Plato, ejuſque ſectatores apud Aug. l. 12. c. 11. & 13. de Civit. & Origenes *de Princip. l.* 3. *c.* 5. autumarunt, poſt expletum certum annorum numerum, futurum, ut plures invicem Mundi ſuccederent. Quam ſanè opinionem S. Auguſtinus *de Civ. l.* 12. *c.* 11. 13. ſolidè refutavit.

Judæi (g) ex veteri traditione, recepta ab Elia (altero à Propheta), qui poſt captivitatem Babylonicam, 154. annis poſt reſtitutum ſecundùm Templum florebat, autumant, Mundi ætatem intra 6000. annor. ſpatium claudendam: quorum 2000. in ſtatu Naturæ ante Legem; totidem ſub Lege: reliqui 2000. ſub Meſſia tranſigendi eſſent. Hæc demùm ſententia apud plures Patres invaluit, videlicet S. Cyprianum, Lactantium, S. Ambroſium, S. Irenæum, S. Hilarium, S. Gaudentium Brixienſem, Pſeudo-Juſtinum in Quæſt. ad Orthod. S. Hieronymum, Victorinum in Apocalypſim, Rabanum Maurum in Deut., S. Iſidorum Hiſpalenſem, & noſtræ ætatis quamplures (h). In eandem inclinaſſe videtur S. Auguſtinus *de Civit. Dei l.* 20. *c.* 7. ſed alibi acriùs invehitur (i) contra illos, qui 6000. annorum numerum Mundi ætati determinant, cum certum poſtremæ diei tempus, & horam unius Patris cognitioni reſervatam eſſe Jeſus Chriſtus in Evangelio pronunciaverit (k). Juxta hanc traditionem, & noſtrum Chronologicum ſyſtema, quo 1722. annos ab exorto Chriſto numeramus, Mundi exitus 278. annis tantummodò diſtaret.

(Veterum ſanè pluribus ea ſedit perſuaſio extitiſſe mundum ab æterno, & cum æternitate parem

(a) Philo Alleg. l. 1. & de opiſ. mun. p. 6. & 41. Orig. con. Celſ. l. 6. Aug. l. 4. de Gen. ad lit. c. 18. & l. 11. de Civ. c. 7. & l. 12. Confeſſ. c. 29. (b) Ita Cyril. Hier. Cath. 14. Baſil. in Hexaem. Nazianz. orat. in Nat. Dom. Ambr. in Hexaem. Theodoret. q. 78. in Gen. (c) Pſal. 23. 2. & 1. Reg. 2. 8. Pſal. 17. 16. Jonas 2. 7. Pſal. 135. 6.

(d) 1. Par. 16. 30. Pſal. 92. 1. & 95. 10. & 103. 5. Jer. 10. 12. & 51. 15. Eccl. 1. 4.

(e) Vide de forma & diſpoſit. Univerſ. juxta vet. Heb. noſt. Diſſer. ante comment. in Eccli.

(f) Vide noſt. Diſſert. de Chronol. ante Comment. in Gen. (g) Gemar. Abodah. Zarah. c. 1.

(h) Vide Corn. à Lap. in Apoc. 20. 5. (i) Aug. in Pſal. 89. (k) Matth. 24. 36. Vide & Act. 1. 6. 7. Vide & noſt. Diſſert. de fine Mundi ante 2. tom. Com. in Ep. S. Pauli.

exitum habiturum. Sed & hi pariter in contraria ſtudia abierunt. Defendebant enim alii mundos alios prioribus aliis ſucceſſiſſe, pluries innovatum mundum; materiam quidem æternam, ſed Deum toto æternitatis tractu varias illi & varias indidiſſe formas; quod nos creationem appellamus; Moyſes verò, addunt, poſtremæ omnium creationis, quam aliæ plures præceſſerunt, deſcripſit hiſtoriam. Deus opus ſuum vetuſtate non ſuperat; cùm enim æternus ſit & nunquam non agens, nunquam pariter quietus inerſque ita manere poterat, ut nullam inderet materiæ formam & mutum. In hanc ſententiam conceſſerunt frequentes Judæi & Mahometani, velut Averroes, Avicennas, Abullarages, aliique Ariſtotelicæ Philoſophiæ Aſſertores. Non defuerunt etiam è Chriſtianis nonnulli (a), qui perſuaderentur verba illa Moyſis: *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, hunc referre poſſe ſenſum in Hebræo: *Antequam Deus formaret Cœlum & terram*, omnia in chaos erant confuſa; quibus inſinuatur præexiſtentia atque æternitas materiæ, antequam Deus illam aptè, uti modò, diſponeret.

Superſedeo hîc à Præadamitis, de quibus in Dictionario Biblico, & nonnulla etiam addemus infra, Commodè illi adjungerentur Aſſertoribus æternitatis Mundi, vel ſaltem propugnantibus mundorum alterius poſt alterum ſucceſſiones.

Quæſtio illa de vetuſtate Mundi emerſit iterum ætate Maimonidis (b), i. e. ſæculo duodeno; ſed & ipſa pariter Salomonis ætate ingenia quædam vulgaribus præjudiciis ſuperiora plauſibile ſibi de illa videntur: *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt; quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt, jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos. Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem quæ poſtea futura ſunt, recordatio apud eos, qui futuri ſunt in noviſſimo. Eccleſ.* 1. 9. 10. 11. Fautores æternitatis Mundi patrocinium ſibi quærunt ab eo Rege ſapientiſſimo. His refutandis data opera ſcripſit Maimonides; atque Hebræi rejiciunt illos tanquam Hæreticos, *vel è ſinu Iſraelis depulſos*, vel excommunicatione reprobatos, qui coæternam Deo materiam defendunt. Judæi equidem ſententiæ illius aſſertores perfugium ſibi quærunt à cenſura, ex ipſa Maimonidis authoritate, qui creationem, inquiunt, inter articulos, quos vocant fundamentales non accenſuit.

Sed facile à calumnia vindicatur Maimonides; In ea enim, quam digeſſit, fidei confeſſione, hæc legas expreſſa: *Si mundus creatus eſt, utique extat & creator; nemo enim ſe ipſum creare poteſt. Eſt ergo Deus.* Addit: *Deus unus eſt æternus, omnia autem exordium ſuum referunt.* Declarat quin etiam rerum productionem unum eſſe è fundamentis fidei, quæ credere atque firmiſſima perſuaſione retinere tenemur, niſi ſi forte, quod nunquam continget, aliqua in contrarium demonſtratio afferatur. Tandem, quod omnium validiſſimum reputamus, ipſe idem Doctor rejecit apertè opinionem de Mundi æternitate, data opera in ejus Aſſertores ſcribens.

R. Samuel Sarſa, ſæculi decimi quinti doctor (c), conciliandam ſuſcepit Philoſophiam Paganorum cum Moyſe, ad creationem Mundi quod attinet; defendebat ille Mundum non quidem eductum fuiſſe è nihilo, ſed è præexiſtenti quadam materia formatum, ex dierum ſucceſſione de qua in Geneſi. Sed vir ille ad ignem damnatus eſt urgente dictam in eum ſententiam Capantou Rabbino Hiſpano, cujus tuebantur partes ingenti numero ætatis gentiſque ſuæ Doctores. Peremptorium eſt hoc ad demonſtrandam Synagogæ ea de re perſuaſionem.

Tolerat illa tamen in ſuo ſinu tuentes, ante illum, quem incolimus Mundum, unum alterum præceſſiſſe, qui poſt volutam ſeptimi millenarii à creatione ſua periodum, deſiit; ſicut & poſt eandem temporis revolutionem claudetur idem, qui modò eſt, Mundus. Fidem huic opinioni adſtruunt argumento parùm ſolido, Moyſem ſcilicet in exordio Geneſis adſcripſiſſe literam Beth, quæ valet duo. Sentimus utique Cabaliſtarum argutias. Doctores alii tradunt creatas à Deo ante univerſum res ſeptem; nimirum; 1. *Legem* vel Sapientiam; 2. *Infernum*; 3. *Paradiſum*; 4. *Thronum gloriæ ipſius*; 5. *Sanctuarium*; 6. *Nomen Meſſiæ*; 7. *Pœnitudinem*. Adſtruuntur hæc omnia teſtimoniis Scripturæ vel detortis, vel à longe petitis.

Spinoſa, in Synagoga educatus Tract. Theolog. Politic. docet unam tantùm eſſe in univerſo ſubſiſtentem naturam, Deum ſcilicet; cætera verò, quæ ſubſiſtunt, modos eſſe tantùm naturæ illius ſubſiſtentis. Fundamentum in eo ponit, quòd nihil ex nihilo generari poteſt, nec rem aliquam tanta virtute pollere, ut in nihilo aliquid agat; quare neque operum Dei materiam & argumentum nihil exhibere poſſe. Infert ex his Mundum eo quòd exiſtat, nunquam antehac non extitiſſe, quippe quem Deus educere è nihilo non valuerit. Addit nullam eſſe ſubſiſtentem naturam, niſi unicam, nempe Deum; cùm nihil ſit ex ſeipſo neceſſariò & deſpoticè ſubſiſtens. Porro unica hæc ſubſiſtens natura, cùm attributorum & perfectionum infinitate valeat, ipſa ſibi pariter modificatur, & veluti diſcretas induit perſonas. Corpus, quatenus ſpatium vel locum occupat, ſubſiſtentis hujus naturæ quatenus extenſæ modus eſt, modus item cogitantis eſt anima.

Hoc Spinoſæ ſyſtema æquè rejiciunt Judæi, Chriſtiani, ac tandem rectè philoſophantes omnes. Surculus eſt errorum Epicuri, Democriti, & Lucretii, & perpetuis paralogiſmis tanquam ſucco alitur. Id enim ponens, Deum ſcilicet omnia eſſe in natura, genuinam Dei notionem evertit, abſurda reputare Authorem de creatione mundi demonſtrat, quippe qui impoſſibile factu defendit, Deum circa nihil operari. Cùm uſurpamus educere Deum è nihilo res, non id utique reputandum eſt, ceu nihilum conſtituamus tanquam creantis Dei materiam, agit enim ille in naturam ſubſiſtentem, quam creat, cui & formam indit, ut ſit & exiſtat.)

MURMUR, querelam ex accepta injuria ſignificat. S. Paulus murmur Iſraelitarum condemnans ſcribit: 1. *Cor.* 10. 10. *Neque murmuraveritis, ſicut quidam illorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Et Sapiens 1. 11. *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit* (impunè non erit); *os autem, quod mentitur, occidit animam.* Nec ſanè Deus Hebræis murmurantibus pepercit; quos ea de cauſa ſæpiſſimè perdere cogitavit, nec niſi precibus Moyſis à propoſito dimoveri viſus eſt. In murmure ad Sepulchra Concupiſcentiæ, coturnices quidem populus à Deo extorſit; ſed ipſos adhuc comedentes, excuſſum iræ Dei flagellum 23000. occidit. *Num.* 11. 33. 34. *Pſal.* 77. 30. Cùm exploratores Chanaanitidis rediiſſent, conflictumque in populo murmur excitaretur, Deus aditum in eandem regionem omnibus præcluſit, omneſque ut diem ſuum in deſerto clauderent, lata ſententia damnavit. *Num.* 14. 30. 31. Non abſimile crimen per immiſſos alatos ſerpentes necem plurimorum punitum eſt. *Num.* 21. 4. In Mariam ſororem Moyſis murmurantem, plaga lepræ per totum corpus integra hebdomada animadverſum eſt. *Num.* 12. 1. Tandem Core, Dathan, & Abiron, ſubita terræ hiatu abſorpti ſunt, cùm interim dilapſæ flammæ in reliquos conjuratos debaccharentur; qua pœna murmuris crimen expiatum eſt. *Num.* 16. 3. &c.

(MURUS, *Paries*. Prophetam Jeremiam redditurum ſe dicit Dominus tanquam murum æneum, ut criminibus Domus Iſrael ſeſe opponat averſum Jerem. 1. 18. & 15. 20. Summum Sacerdotem Ananiam appellat

S. Pau-

(a) Grot. Vatabl. (b) More Nebuch. part. 2. cap. 13. (c) Vide Menaſſe Ben Iſrael de Creatione problem. 3.

S. Paulus *parietem dealbatum* Act. 23. 3., viri hypocriſim deſignans. *Epheſ.* 2.14. verò ſcribit Jeſum Chriſtum morte ſua evertiſſe murum intermedium homines à Deo ſegregantem, ſeu potiùs dejeciſſe murum Judæos inter & Gentiles medium, quò ſcilicet duæ illæ gentes ad fidem Jeſu Chriſti converſæ in unam coirent.

Appendebantur olim clypei mœnibus Urbium, unde parietet cùm opus eſſet deſumebantur: *parietem nudavit clypeus*. *Iſai.* 22. 26.

Murus cocti lateris, vel *murus fictilis*. *Iſai.* 16.7. 11. exprimit Urbem *Ar*, Metropolim Moabitarum, aliò nomine *Kir-Aroſeth* i.e. Urbem lateritiam.)

MUS, Hebraicè *achar*, parvum animal notiſſimum, à Moyſe immundum ſancitur: *Levit.* 11.29. quod interdum murem in cibum adhibitum fuiſſe demonſtrat. Profectò Judæi in Jeroſolymitana obſidione adeò à Romanis preſſi fuiſſe dicuntur, ut fami murium & canum paſtu providere cogerentur (a). Iſaias 66. 17. Judæis exprobrat, quòd muribus, aliiſque impuris veſcerentur; Inter eas, quæ Moyſem ad murem inter impura rejiciendum compulerunt, rationes, ea eſt, quòd mures catnes memoriæ officiant, ſi Rabbinis credimus (b). Cur enim, ajunt, feles memoria carent? Certè ex murium eſu. Exercitus Syri ſub Sennacherib excidium muribus adſcribit Herodotus *l.* 2. *c.* 142., qui ſcutorum corta, & arcuum amenta corroſere; quare Sennacherib exercitum reducere coactus eſt. Agros Philiſthinorum à muribus vaſtatos ſcimus, cùm illi Arcam Domini in regionem ſuam tranſtuliſſent; 1. *Reg.* 5. 6 &c. eoſdemque populos muribus aureis cum Arca ad Judæos miſſis, crimen expiaſſe, Divinamque ultionem ex agris ſuis avertiſſe. Aſſyrii Bethuliam obſidentes, Hebræos ex urbe egreſſos conſpicati, mures è caveis prodiiſſe clamabant. *Judith.* 14. 12.

MUSACH, vox ad literam ſonans *velum*, *tegumentum*, ſive etiam opus aliquod ex ære fuſo conflatum (c). Quid potiſſimùm ſignificet *Muſach Juda*, *Iſa.* 22. 8. quod Manaſſes, cùm accederet Rex Babylonis, detegi juſſit; ſicuti & *Muſach Sabbathi*, 4. *Reg.* 16. 18. quod Achaz converti voluit ad Templum metu Regis Aſſyriorum, in ambiguo res eſt. Alii velum credunt, Templi pavimento ſubſternendum; alii Tentorium in Templo expanſum, pro Sacerdotibus miniſterio ſuo per hebdomadam functis; alii loculum continendis oblationibus pro Templi inſtauratione. Nos explicamus de tribunali æneo, juſſu Salomonis conflato, atque in Templo collocato, 2. *Par.* 6. 13. quod ille diebus ſolemnibus accedebat. Suggeſtum quoque, undè Sacerdos in præcipuis Solemnitatibus Legem coram populo legere conſueverat, eodem nomine appellatum eſt.

Hoc igitur opus artificio, & materia inſigne, Achaz in ſecretiora Templi transferri juſſit, veritus ne à Theglathphalaſſare urbem ingreſſuro raperetur. 4. *Reg.* 11. 6. Manaſſes itidem in anguſtiis poſitus, laminas æreas, quibus totum opus obducebatur, amóvit. Jojada Summus Sacerdos, diſpoſitis circa puerum Joas in Muſach Templi ſedentem militibus, Regem illum ſalutari curavit.

MUSCA, notiſſimum, moleſtiſſimum, & impurum inſectum: *Lev.* 11. 42 *Quicquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt*. Deus Muſca ſub *Beelſebub* nomine à Philiſthinis colebatur, ab Ægyptiis ſcarabæus, & pluribus in nummis Phœnicis muſca, uti & Diana Epheſia, videtur (d). Scriptor Sapientiæ 12. 8. cùm muſcas, & veſpas in Amorrhæos, & Chananæos a Domino immiſſas dixiſſet, addit eos iiſdem animalibus mulctatos, quibus Divinos honores tribuebant. Muſcam igitur, ut Philiſthini, adorabant. Vide *Beelſebub*. Iſraelitis Chananæam eamdem ingreſſuris (e), muſcarum, & veſparum copias in Chananæos ſe immiſſurum Dominus pollicitus eſt, quæ illos expellerent. Quod profectò præſtitit, ut Joſue, & Sapiens teſtantur. Neque dubium eſt, Chananæos ſolum vertiſſe, ut à moleſtiſſimis inſectis hiſce liberarentur.

MUSI, filius Merari, Princeps familiæ Leviticæ Muſitarum. 1. *Par.* 6. 19. *Num.* 3. 33.

MUSICA. Veteres Hebræi muſices, & muſicorum inſtrumentorum ſtudioſiores erant; quippè quibus nec ſacras cæremonias, nec publica privataque ſolemnia, nec convivia, nec luctus tandem ſine muſica eſſent. In S. Scriptura occurrunt cantica feſta, gratiarum actionis, laudis, luctus, epithalamia etiam pro nuptiis ſolemnibus concinnata, velut Cantica Canticorum, & Pſalmus 44. qui nuptiis Salomonis deſtinatus creditur. Cantica lugubria dictavit David in obitu Saulis & Abneris; Jeremias in obitu Joſiæ. Pro inito à Principe Regno elucubratus eſt Pſalmus 71. *Deus judicium tuum Regi da*. Canticorum victoriæ, & gratiarum actionis exempla habemus in Cantico Moyſis pro tranſitu Maris Rubri; Deboræ, & Barac, & aliorum. Demum Liber Pſalmorum collectio eſt Canticorum muſicorum diverſi generis, argumenti, & Authorum Canonicorum. De Poëſi Hebræorum, & carminum ratione agemus v. *Poëſis*.

Muſices ſcientia vetuſtiſſima eſt; ſiquidem, authore Moyſe *Gen.* 4. 21. Jubal vir antediluvianus, pater, ſivè princeps fuit canentium *Kinnor*, & *hugab*. Porrò *Kinnor* lyra creditur; *hugab* verò organum vetus, quòd ex pluribus fiſtulis imparibus, ordine junctis, conſtabat. Laban de Jacob genero ſuo conqueritur, quòd inſalutato hoſpite abiiſſet, ne data quidem ſibi facultate abeuntem *cum gaudio*, *canticis*, & *tympanis*, & *cytharis* proſequendi *Gen* 31. 27 Poſt tranſitum maris rubri, Moyſes canticum ſcripſit, quod ipſe in cœtu virorum, Maria ejus ſoror choreas cum aliis fœminis Iſraelitis nectens, non ſinè muſicis inſtrumentis, concinuit. *Exod.* 15. 1. 20; Argenteas tubas pro ſacrificiis ſolemnibus, & conviviis religioſis Moyſes deſtinavit. *Num.* 10. 2. Cùm poſt reductum Jeroſolymam in certam ſedem Tabernaculum, Levitæ, quibus deferendi vaſa & inſtrumenta ejuſdem munus impoſitum erat, vacare viderentur; David muſices ſtudioſiſſimus partem illorum maximam canendis in Templo cantilenis, atque muſicis inſtrumentis pulſandis deſtinavit. Univerſæ Scholæ ſub Davide & Salomone præfuerunt tres viri, Aſaph, Heman, & Idithum: eorum verò filii (Aſaph enim quatuor habebat, Idithum ſex, Heman quatuordecim) vigintiquatuor Levitarum claſſibus, ſinguli ſingulis præpoſiti ſunt. Porrò claſſes, magno Levitarum numero conſtantes, viciſſim in Templo miniſterium illud obibant, ita tamen ut ſacrarum Ædium ſervitiis frequentiſſimi ſemper, maximè in ſolemnitatibus, præſto eſſent. Stabant autem illi ordine diſpoſiti circa Altare holocauſtorum. Caathitæ medium, Meraritæ lævam, Gerſonitæ dexteram habebant. Peritiſſimos autem muſices fuiſſe eos viros ex eo colligimus, quod totum vitæ ſuæ tempus eidem diſcendæ, quà inſtrumentis, quà voce canendo, impendebant. Eorum alimentis Deus abundè providerat; quare ab eo munere exercendo inopia minimè removebantur.

Regibus etiam ſui erant Cantorum chori. Sub Davide, Regiæ muſicæ Aſaph præfuit; quare de illo Scriptura ſcribit; *Aſaph prophetantis juxta Regem* 1. *Paralip.* 25. 2. Hinc Berzellai Davidem allocutus, Numquid, ait, audire poſſum ultrà vocem cantorum,

(a) Hiſt. Hebr. templi ſecundi p. 241. (b) Beth. Jacob. fol. 181.
(c) Lev. 32. 4. Hebr. *Vitulus fuſionis*. Iſa. 25. 7. Hebr. *Velamen velatum*. 4. Reg. 16. 18. *Muſac Sabbathi*, &, *velum oſtii*. Exod. 5. 15. Item Iſai. 22. 8. *Muſac Juda*. (d) Vide Claud. Menetr. Symbolic. Dianæ Epheſiæ Statuam L. 7. Gronov. (e) Exod. 33. 28. Deut. 7. 20. Joſue 24. 12. Sap. 12. 8.

atque cantatricum (a)? Porro cantatrices etiam in ſacris cæremoniis adhiberi conſueviſſe, idque potiſſimum munus filiabus Levitarum commiſſum, conſtat. Heman duodecim fuerunt filii, filiæ tres, muſices periti. 1. *Par.* 25. 5. Pſalmus 9. inſcriptus eſt *Ben*, ſive *Banaia* Principi ſcholæ fœminarum in Templo canentium. Eſdras ducto cenſu eorum, quos è captivitate reduxerat, 200. cantatrices, ac muſicæ peritas fœminas enumerat (b). Quo loco Salomon teſtatur *feciſſe ſibi cantores, & cantatrices.* *Eccl.* 2. 8. Paraphraſtes Chaldæus de cantatricibus Templi dictum explicat. Ordini puellarum cantatricum præfuiſſe Zachariam, Ozielem, & Semiramoth legimus in Textu Hebr. 1. *Par.* 15. 20.

Quæ ad naturam hujus muſices ſpectat, cùm jam in deſuetudinem abierit, & à noſtris moribus abhorreat, nonniſi per conjecturas diſſerere poſſumus. Igitur credimus, plurium vocum concentu, omnibus uno tono, ſed vario vocis organo modulatam; neque enim ipſis notus erat noſtrorum temporum concentus, ortus ex varia tonorum, & vocum comparatione. Vocibus etiam inſtrumentorum ſymphonias addere conſueviſſe credimus. Verùm ſi de excellentia illius muſices cùm ex effectibus, tùm ex majeſtate, concinnitate, profunditate, & granditate rerum, quæ in canticis exprimuntur, liceat argumentari, excellentiſſimam illam, & perfectiſſimam fuiſſe oportet. Davidem pſalterium pulſantem, atram Saulis bilem compeſcuiſſe, undè malo ſpiritu Rex agitabatur, tam notum eſt, quàm quid aliud. 1. *Reg.* 16. 23. Cùm Saul milites ad capiendum eundem Davidem inter Prophetas in urbe Najoth Ramathæ moranti miſiſſet, illi vix audito Prophetalium inſtrumentorum concentu, veluti Divino œſtro abrepti, canentium, ac pſallentium choris ſeſe addidere. 1. *Reg.* 19. 23. 24. Poſt illos alii milites à Saule miſſi eodem œſtro rapti ſunt. Tandem Rex ipſe cùm per ſe veniſſet, contineri non potuit, quin cœtibus Prophetarum ſe admiſcens, vim ejuſdem ſpiritus experiretur (c).

Inſtrumenta muſica, quibus Hebræi utebantur, hujus argumenti rerum ex S. Scriptura minimè omnium innoteſcunt; neque ejus rei Rabbini, quàm Commentatores vulgares, peritiores ſunt. Cui enim potentoſiſſima non videantur commenta, quæ ipſi de quibuſdam vocibus, fortè in Pſalmis occurrentibus, diſſerunt? Has enim voces ignotas, nomina eſſe inſtrumentorum autumant, uti vox *neghinoth*, *hannechiloth*, *haſchemininth*, *ſiggaion*, *gitthith*, *halmoth*, *michtam*, *haieleth*, *haſchachar*, *ſchoſchanim &c.* Si tamen paulò diligentiùs rem diſcutiamus, tantus inſtrumentorum muſicorum apparatus evaneſcet, atque pauca illa, quæ ſuperſunt, ad tres claſſes revocari commodè poſſunt: I. ad ea, quæ fidibus conſtant; II. pneumatica; III. ad varii generis tympana.

Quæ fidibus conſtant, ſunt *Nablum*, *Pſalterium*, ſive *Pſannetirium Dan.* 3. 5.; quæ tria nomina unum & idem ſignificare videntur. His ſimilis eſt *harpa*, & *cythara vetus*, ſivè *haſur*, vel *decachordum*, nempè inſtrumentum decem fidibus conſtans. Utriuſque figura, Pſalterii nempè & cytharæ, Delta Græcorum referebat; ſed pſalterium in ſuperiori parte concavum, in inferiori pulſabatur; cythara verò concava inferiùs, ſuperiùs plectro, ſive digitis (quod commune erat utrique) tangebatur.

Cinnor, ſivè *lyra vetus*, quandoque tribus, interdum ſex, & novem fidibus conſtabat, quæ in longum tenſæ cum pulſarentur, in inferiorem ventrem concavum reſonabant.

Symphonia vetus à noſtra ſymphonia non abludebat. *Sambuca*; inſtrumentum erat muſicum inſtar, ut nos quidem arbitramur, pſalterii noſtratis. Hæc de organis primi generis.

Tibiarum, tubarumque varia occurrunt genera, quorum figuras arduum eſt deſignare. Inter hæc celebratiſſimum habetur *organum vetus*, Hebræis *huggab*, conſtans fortaſsè ex fiſtulis nec tenuitate nec altitudine paribus, quæ inferiori labio canentis ordine applicatæ, grato concentu reſonabant.

Tympanorum etiam varia erant genera, quæ indiſcriminatim omnia Hebræum *tuph*, undè tympanum deductum eſt, ſignificabat. *Zalzelim*, quod à Septuaginta, & Vulgata reddi ſolet *cymbala*, inſtrumentum eſt æreum inſtar pilei, & geminatum, ut ambo ſimul cymbala alliſa acutiſſimum ſonum ederent. Noſtræ ætatis Interpretes vertunt eam vocem, *ſyſtrum*, inſtrumentum muſicum, Ægyptiis notiſſimum. Ejus figura ovalem, ſeu ſemicirculum referebat, utroque latere protenſo, tranſverſum ſecabant virgæ quædam æneæ, quæ utraque extremitate in inſtrumenti craſſitie inſertæ, dum torquebantur, ſonum dabant.

In Textu Hebræo occurrit inſtrumentum muſicum *ſchaliſchim*, quod Septuaginta *cymbala*, S. Hieronymus *ſyſtra* reddidere. Porrò ea vox, licèt tantùm 1. *Reg.* 18. 6. legatur, ſatis tamen deſignat inſtrumentum illud triangulare fuiſſe; quare de muſico illo inſtrumento triangulari, in quo plures inſerti annuli, & virga agitati acutiſſimum ſonum referebant, commodè intelligi poteſt.

Mezilothaim, de quibus in Textu, ærea erant & ſoni acutiſſimi. Sunt qui eam vocem reddant *cymbala*; alii malunt *tintinnabula*. Zacharias prædicit futurum, ut in meziloſhaim equorum ſcribatur: *Sanctum Domino* (d), ex quo colligere videmur, hanc vocem de tintinnabulis intelligendam eſſe, cùm veteri more equis ad bellum deſtinatis tintinnabula appenderentur, ut ſtrepitu ſequendo aſſueſcerent (e).

MYA, vicus transjordanicus Tribus Gad (f); idem fortaſſe ac *Zia* apud Euſebium, 3000. paſſibus à Philadelphia, occidentem versùs (g).

MYGALE, *Aragne*, mus roſtro productiori, & cauda craſſa. Quatuor licet dentibus inſtructus, equos lethali morſu corripit. In cenſum impurorum relatus eſt *Levit.* 11. 30. Vox *mygale* ex Græco (quod item Latinum eſt) *mus*, & *gale*, muſtella, conflata ſatis indicat, ad utrumque illud genus *mygalem* accedere. Huic in Hebræo reſpondet vox *anac* Κα. *Levit.* 11. 30. quam alii reddunt *herinacium*; alii *hirudinem*, vel *ſalamandram*; Bochartus *lacertam*.


MYNDUS, urbs Cariæ maritima. 1 *Macc.* 15. 23.

MYRA, urbs Lyciæ, unde S. Paulus navim Alexandrinam conſcendens, Romam navigavit. Quamquam enim in Textu Latino *Act.* 27. 5. pro *Myra*, ut eſt in Græco, legitur *Lyſtra*, mendum tamen irrepſiſſe ex eo conſtat, quòd Lyſtra neque urbs maritima ſit, neque ad Lyciam, ſed ad Lycaoniam pertineat.

(MYRICA. Semel & iterum id recurrit in Jeremia. 16. 6. & 48. 1.. Hebræus legit *Aroer*, quod exprimit inutilem plantam ſponte in locis incultis provenientem, ſed incertum cujus naturæ. *Myrica* vel *Agrio-Myrica* eſt *Tamarix ſylveſtris*. Alii reddunt Aroer, *juniperum*; alii *roſmarinum*. Symmachus vertit, *lignum inutile*. Eſt Tamarix vel Myrica arbuſcula mediæ altitudinis minoribus foliis, longiuſculis, rotundis, minutis, cypariſſina referentibus, & pallenti viridi colore tinctis. Flores habet in racemos collectos, minores, purpureos exteriùs, cum autem expanduntur albos, quinque foliorum in ſingulos. Fructus fert lanuginoſos, ſemina ſubnigra continentes.)

MYRON.

(a) 2. Reg. 19. 35. Vide etiam Eccl. 2. 8. *Feci mihi cantores & cantatrices.* (b) 1. Eſdr. 2. 66. 67. & 2. Eſdr. 7. 67.
(c) Vide 4 Reg. 3. 15. & noſt. Diſſert. de muſic. Hebr. ante 2. Tom. Comment. in Pſal.
(d) Zach. 14. 20. *Tintinabula in ora veſtis Summi Sacerdotis Hebr.* appellantur *Rhaamon*, apud Septuag. *Codon*. *Tintinabulum.*
(e) Vide de muſica Hebr. noſtr. Diſſert. ante 2. Tom, Comment. in Pſal. & de inſtrumentis noſtr. Dict. in ſuis locis.
(f) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 1. (g) Euſeb. in Zem. in locis Hebr.



INSTRUMENTA MUSICA.
quorum in Scriptura mentio

Digitized by Google

Digitized by Google

MYRON, Græca vox; unguentum, ſivè oleum odoratum ſignificat. Hinc illud *Judith.* 10. 3. *unxit ſe myro optimo*; & Græci S. Chryſma, *myron* appellant.

MYRRHA, Hebræis *Mor*, *Exod.* 30. 23. gummi eſt ſtillans ex arbuſcula in Arabia notiſſima, quæ ad 5. circiter cubitos aſſurgit, lignumque habet duriſſimum, & ſpinis hirſutum. Duo in S. Scriptura *myrrha* genera diſtinguuntur; altera eſt *myrrha electa*, ad literam *myrrha libertatis*, quæ ſpontè, nec inciſo trunco fluit, eamque optimam eſſe Plinius *lib.* 12. *c.* 15. teſtatur: *Sudant*, ait de arbore myrrhæ agens, *ſpontè priuſquàm incidantur*, *ſtacten dictam* (alterum eſt ejuſdem myrrhæ nomen) *cui nulla præfertur*. altera eſt myrrha vulgaris. Hujus aromatis eſt uſus in condiendis cadaveribus, ne putreſcant. Inter cætera munera myrrham etiam Magos ex Oriente ad Chriſtum Bethleem detuliſſe conſtat. *Matth.* 2. 11.

Evangelium *Marc.* 15. 23. *vini myrrhati* meminit, quod Chriſto in ſua Paſſione oblatum fuit, ut inducto aliquo membris ſtupore, doloribus crucis ferendis par eſſet. Mos enim obtinebat apud Judæos, liquore aliquo reis oblato doloris ſenſum in illis hebetare (a). Sunt qui *vinum myrrhatum*, de quo S. Marcus, confundendum cenſeant *cum vino felle miſto*, de quo S. Matthæus. Sed alii hæc duo diſtinguenda malunt; illud enim dolori coercendo ſenſu quodam humanitatis in miſeros datum eſt; ſed milites, qua erant animi ſævitie, fel miſcuerunt; quare Jeſus oblatam eam miſtionem recuſavit. Datus etiam conjecturæ locus, S. Matthæum, qui Syriacè ſcripſit, uſum fuiſſe voce *marra*, quæ myrrham æquè, & amarum quid; veluti fel, ſignificat; hanc vero vocem Græcus Tranſlator *fel*, S. Marcus *myrrham* reddere potuit. Cæterum *vinum myrrhatum* apud Veteres laudatiſſimum fuit (b). *Lautiſſima apud priſcos vina erant, myrrhæ odore condita*. Lex 12. Tabularum vetuit, ne myrrhata potio mortuo inderetur (ſuperfunderetur).

MYRTHUS, Hebraicè *Chadas*, quæ vox æquè & arbuſculam, & florem myrthi, ac tandem unguentum ex eodem flore expreſſum ſignificat. *Myrthetum* eſt locus myrthis conſitus. Frequentiſſima erat in Judæa, & Eſdras colligi juſſit *myrthos*, ramos olivarum, & palmarum intexendis tentoriis pro celebratione Feſti Tabernaculorum (c).

MYSIA, Provincia Aſiæ Minoris, quam Bithynia ad ſeptentrionem, Troas ad meridiem, Phrygia ad orientem, Helleſpontus ad occidentem terminat. S. Paulus in ea regione fidem annunciavit. *Act.* 16. 7. 8.

MYSTERIUM, vox ex Græco *myſterion*; quod ſonat arcanum. *Denudare amici myſterium, deſperatio animæ*. *Eccl.* 27. 24. amici ſcilicet arcanum prodens, indignus eſt, cui deindè ſecretum committatur: *Ei, qui revelat myſteria* (prodit ſecreta amici), *& ambulat fraudulenter* ... *ne commiſcearis*. *Prov.* 20. 19.

Nomen illud uſurpatur aliquando de arcanis ordinis ſuperioris, quorum Deus cognitionem ſibi reſervavit; quam interdum Prophetis & amicis communicat, proindè à Daniele 2. 28. 29. 47. dictus, *Dominus Regum, & revelans myſteria*. Cum Nabuchodonoſore enim Propheta loquens ait, ſecreta & futura revelare Dei tantummodo in Cœlo regnantis privilegium eſſe. Hinc Jeſus Diſcipulorum felicitatem commendat, quòd ipſis Regni Cœlorum myſterium revelatum ſit (d). De myſterio Evangelii; de myſterio Crucis Jeſu Chriſti; de myſterio Chriſti ſuperioribus ſæculis ignoto; de myſterio reſurrectionis futuræ &c. S. Paulus frequentiſſimè agit. Myſtica Babylon, inſignis meretrix ſcriptum gerebat in fronte: *Myſterium*. *Apoc.* 17. 5. quo indicio non urbem illam ſingularem, ſed populum corruptum, & idololatram eo ſymbolo expreſſum intelligeremus.

Tandem *Myſterium*, Græcis idem valet, ac Latinis *Sacramentum*; quod de omnibus Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentis, & myſteriis uſurpatum, potiſſimùm ad Euchariſtiam ſignificandam, Sacramentorum omnium excellentiſſimum, transfertur. In S. Scriptura aliquando *Sacramentum* idem eſt ac ſecretum (e); ſæpiùs tamen in N. T. *myſterium* ſignificat. *Epheſ.* 1. 9. *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ*; nempè ſuam Incarnationem, adventum, & Evangelium. S. Paulus ſcribit, myſterium vocationis Gentium ſibi revelatum fuiſſe. *Epheſ.* 3. atque de nuptiis Fidelium agens *Epheſ.* 5. 32. *Sacramentum hoc*, ait, *magnum eſt* (Græcè *myſterium magnum*): *ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*.

Myſterium igitur æquè ſignificat & doctrinam, & dogmata Evangelii, & Sacramenta Eccleſiæ, tum quòd illa ſecreta contineant ſola Filii Dei revelatione, & Spiritus Sancti inſpiratione Fidelibus communicata; tum quòd illa paſſim omnibus prodere nefas eſſet, illo Jeſu Chriſti ad Apoſtolos conſilio ſervato: *Nolite projicere margaritas ante porcos*. *Matth.* 7. 6. Evangelii prædicatio nonniſi coram iis fiebat, qui ſeriò inſtrui cupiebant, quibus tamen cautè omninò & pro ſingulorum profectu, nec niſi cum baptiſmo initiare ſe decreviſſent, myſteria Religionis prodebantur. Hinc ſacri Oratores in ſuis orationibus, & Scriptores Eccleſiaſtici, cùm ſibi de myſteriis loquendum eſſet, ſub verborum ambagibus rem obvolvebant, ad Fidelium intellectum ſatis, ad Ethnicorum verò captum obſcuris omnino. Hinc diſciplina diutiùs in Eccleſia reſervata eſt; nec Ethnicis obvolvendis myſteriis, probroſis illis, & ridendis religionis ſuæ incognita fuit. Verùm ratio obvolvendi myſteria noſtræ Religionis ex eorum potiſſimùm excellentia, & altitudine, captum humanum lumine fidei deſtitutum excedente, repetenda eſt.

(Vox è Græco *Myo*, claudo, & ex *Stoma*, os, veluti ſi diceretur res clauſo ore tenenda, vel ex Hebræo *Satar*, occultare, *Myſtar* res occulta. Solemne eſt Religionibus æquè omnibus quà fictis, quà veris, ut ſua præferant myſteria; i. e. quædam retineant, quæ edere in vulgus religio vetat, arcana ſolis initiatis, vel iis, qui Religionem illam profitentur, communicanda. Sua erant Paganis myſteria, ſed iniquitatis & probroſa, ideo ſilentio occultata, ne invidia in Religionem crearetur. Si enim probus quiſque intellexiſſet, quid ſecretò ferrent myſteria Numinum quorumdam, horrore illa deteſtati fuiſſent. Arcana Sacerdotum Babyloniorum revelavit Daniel; illi enim credulis populis perſuadebant cibis uti Belum, & Draconem Deum ſerere. Apud Libros ſacros non ſemel mentio occurrit probroſorum myſteriorum Aſtartis, Adonidis, & Priapi, in quibus indigna plura, & probroſa quæque crimina ſacro religionis velo honeſtabantur. Habes apud Baruchum 6. 42. 43. religioſas in honorem Veneris apud Babylonios proſtitutiones; Religio omnis Ægyptiorum myſtica; ſed myſteria illa nonniſi poſt factum inducta ſunt, ut abſurda & vana Religionis illius conciliarentur. Neque enim aliter conciliare poterant venerationem cultui animalium, niſi prætendendo Deos olim ſub ementita illorum perſona apparuiſſe. In Libris Macchabæorum (f) habes myſteria Bacchi, & ſtygmata hederæ, quibus inuſti ad ſacra miniſteria deſtinabantur; ſicut & coronas hederaceas, quibus redimebantur admiſſi ad myſteriorum communionem. Ut mater ſua præeſſet myſteriis Priapi ultra non tulit Aſa Rex Juda 3. *Reg.* 15. 16. Nec ambigendi ratio eſt ulla myſticis quibuſdam & occultis rationibus hone-

.ſtatum

(a) Prov. 31. 6. Vide Talmud. Tract. Sanhedrim c. 6. (b) Plin. l. 14. c. 13. (c) Eſdr. 8. 15. Vide & Zach. 1. 8. 10. 11. (d) Matth. 13. 11. Marc. 4. 11. Luc. 8. 10.

(e) Tobiæ 12. 7. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Sap. 2. 22. *Neſcierunt Sacramentum Dei*. Vide & ſimil. Dan. 2. 18. 30. 42. &c. (f) Macch. 6. 7. & 2. Macchab. 6. 7. & 3. Macchab.

ſtatum fuiſſe à Paganis cultum Moloch exhibitum, quæque illi offerebantur ſacrificia infantium atque hominum. Expreſſum id forſan ex prava quadam ſignificatione Sacrificii Abrahami, tentantis filium ſuum Iſaac victimam mactare Sacrificii. Non diſſimili ratione velabant Phœnices immania illa Sacrificia, quibus litabant Herculi & Saturno. Vide Porphir. apud Euſeb. Præpar. Evang.

In Religione Judæorum myſteria regnabant perpetua; quin & gens ipſa myſterium erat, ait S. Auguſtinus contra Fauſt. l. 13. & alibi non ſemel, Quæcunque illis contingebant, geſta illorum omnia, quæcunque verita, quæcunque præcepta, typica fuiſſe, docet Apoſtolus 1. Cor. 10. 11. Myſteria per Jeſum Chriſtum & Apoſtolos revelata continebant ſacrificia, Sacerdotium, luſtrationes, à dapibus quibuſdam abſtinentia, & cætera id generis. Maris rubri tranſfretatio typus erat Baptiſmi; myſterium deſignans crucem & mortem J.C. exhibebat æneus ſerpens. Sara & Agar, Iſaac & Iſmaël duorum fœderum erant imagines. Tabernaculum & vaſa quid niſi typus exhibendi Deo in Eccleſia Chriſtiana cultus? Sacerdotium Aaronicum expoſuit ſcitè Apoſtolus de Sacerdotio Chriſti atque Eccleſiæ. Quid contineretur myſterii in abſtinentia à certi generis dapibus apud Judæos exponit S. Barnabas. Ipſe pariter Jeſus Chriſtus revelat abſcondita myſteria in hiſtoria clauſi triduo Jonæ Prophetæ in ſinu piſcis; ſerpentis ænei in deſertum elati; mannæ tandem emblematis corporis & ſanguinis Chriſti. Ita pariter revocat unionem Adami cum Eva ad myſterium connubii Chriſtiani; Templum Jeroſolymitanum triduò deſtruendum paríque temporis ſpatio reparandum emblema eſt mortis & reſurrectionis Chriſti. Reprobatio Judæorum & adoptio populi gentilis non ſemel recurrit expreſſa in Agar, Sara, Iſmaële, Iſaaco, Jacob, Eſau, Ephraim, Manaſſe, Saule, Davide, ejuſque filiis Abſalomo, Salomone, ſicut & in Moyſe & Aarone attingere Terram promiſſionis prohibitis.

Oracula, ſive quæ pertinent ad adventum ſive quæ ad characteres, mortem & paſſionem Meſſiæ utraque Scripturæ pagina offert; ſed myſtica omnia & typica; Geſta, verba, & vita Prophetarum perpetua erat quædam oraculi ſeries, velata quidem oculis populi non vulgaris tantùm, ſed & Prophetarum interdum; quam detecto velo reſpicere licuit apertam, ex quo tandem Jeſus Chriſtus in mundum natus atque ſupplicio ſublatus eſt. Porro myſteria illa ea providentia, ea ſapientia diſponebantur, ut priora velati baſis eſſent poſteriorum, & vetuſtioribus lux è recentioribus aliis effunderetur. Augebantur adoleſcente velut fulgore, diſpenſabatque Spiritus S. myſteria veluti per menſuram & gradus. Danielis oracula magis perſpicua luce clareſcunt, quàm veterum Prophetarum: Aggæus, Zaccharias, Malachias Jeſu Chriſti adventum, mortem, Sacerdotium, & vocationem gentium prædicunt apertiùs, quàm præcedentes Prophetæ.

Chriſtianæ Religionis myſteria, Verbi incarnatio, hypoſtatica ejus unio cum humana natura, ortus ejus utique prodigioſus, mors, reſurrectio, aſcenſio; præſentia realis in Euchariſtia, prædeſtinatio & reprobatio hominum, gratia Jeſu Chriſti, & quâ in noſtra corda agit ratio; S. Mariæ ſive ante, ſive poſt puerperium virginitas, mortuórum reſurrectio; uno verbo dogmata fidei in Symbolo Apoſtolorum expreſſa, & myſteria revelata in utroque Teſtamento argumentum ſunt Fidei Chriſtianorum.

MYSTICUS. Senſus myſticus Scripturæ ipſe eſt, qui è vocibus vel literis præter ſignificationem literalem exhibetur; e. g. *Babylon* ad literam eſt urbs Chaldææ, Regum infeſtorum Hebræis, atque Idololatriæ & criminum regia. Babylon verò myſtico ſenſu exhibet Mundum corruptum, peccatores, impios, qui probos vexant. S. Joannes in Apocalypſi 14. 8. & 16 19 & 17. 5. & 18. 2. indito Babylonis nomine traducit Urbem Romam idololatram, & veritati averſam. Ita pariter Jeruſalem eſt ad literam Urbs Judææ; myſticè verò Jeruſalem cæleſtis juſtis ſedes deſtinata *Apocal.* 21. 2. Serpens ad literam eſt reptile veneniferum; myſticè verò Dæmon, *Apoc.* 12. 2. vetus ille ſerpens, qui Evam tentavit.)

N A

NAALOL, aut *Nachalol*, aut *Nahalal*, urbs Zabulon. *Joſ.* 19. 15. Levitis ex Domo Merari tradita *Joſ.* 21. 35. quam tamen filii Zabulon non obtinuere, ſed Chananæis incolendam reliquerunt. *Judic.* 1. 30. Perſpicuum, ubinam verè ſita fuerit, non habemus.

NAAMA, mulier Ammonitis, uxor Salomonis & mater Roboami. 3. *Reg.* 14. 21.

I. NAAMA, urbs Tribus Juda. *Joſ.* 15 41.

II. NAAMA, ſeù *Naamath*, patria Sophar, unius ex amicis Job. *Job.* 2. 11.

I. NAAMAN, aut *Neoman*, filius Benjamin. *Gen.* 46. 21.

II. NAAMAN, filius Bale, & nepos Benjamin. 1. *Paral.* 8. 4.

III. NAAMAN, Dux Supremus exercitus Benadad Regis Syriæ, à quo plurimi habebatur, quòd Dominus per illum Syriam defendiſſet. 4. *Reg.* 5. 1. *&c.* Hic uxoris ſuæ obſequio ſervam puellam Hebræam addixerat, quæ quondam heram ſuam allocuta, Utinam, dixit, Dominus meus Samariam ad Prophetam Eliſeum perrexiſſet! Profectò à ſua lepra convaluiſſet; tunc enim lepra peſſima, & prorſus inſanabili afficiebatur. Quare Naaman à Rege petiit, ut bona ipſius venia Samariam ad Eliſeum pergere ſibi liceret. Annuit ille, quin & literas ad Iſraelis Regem his verbis dedit: Ubi has acceperis, ſcito ad te miſſum Naamanum, exercitus mei Ducem, ut illum cures (a). His lectis Joram Iſraelis Rex veſtes ſcidit, veritus inſidias ſibi à Rege Syriæ ſtrui, qui à ſe, quæ Dei ſolius ſunt, flagitaret.

His intellectis, Eliſeus Naamanum ad ſe mitti juſſit; ſe enim Prophetas eſſe in Iſraele, oſtenſurum. Igitur Naaman equitum, curruumque comitatu ſtipatus ut venit, Eliſei domus foribus adſtitit, vel obſequii, vel morbi cauſa, quo à cæterorum commercio arcebatur. Eliſeus neque domo prodiens, ſepties in Jordane lavaretur, illi juſſit renunciari. Indignatus Naaman, jam jam diſcedebat. Cur enim ajens, ipſe procedens lepram meam manu ſua, ut ipſe putabam, Dei tui nomen invocans non tetigit, eaque ratione curavit? Annon Damaſci Abana & Parphar ſunt (b), meliora omnibus Iſraeliticis flumina, ut in illis laver? Recedere igitur parantem ſervi remorati ſunt, rem profectò illi levem à Propheta injunctam dicentes; quam tentare non dedignaretur. Iis Naaman acquieſcens, in Jordane ſepties lotus ſanitatem recuperavit.

Ad Eliſeum igitur regreſſus, Deum Iſraelis unicum Deum credere ſe dixit; ipſumque Prophetam oravit, ut munus aliquod ea ſe reciperet. Omnibus ab Eliſeo rejectis, Naaman Prophetam invictum videns, Saltem, ait, Iſraelitica humo duos mulos onerare liceat, quam mecum deferam; nunquàm enim impoſterùm ullum, niſi Iſraelis, Deum colam. Permiſit Eliſeus, illius fidem admiratus, qui Syriæ humum ſacrificiis Domino offerendis indignam,

(a) Circa A. M. 3114. ante Chr. 886. ante Ær 890.

(b) Græci Damaſci fluvium *Chryſorrhoam*, aut auri flumen appellant. Multò poſt Syri dixerunt *Barradi*, Stephanus Geographus idem flumen vocat *Bardinem*; Oritur à Libano, dividitur deinde in geminos ramos, quorum alter mediam urbem prætergreditur, alter campos, & arva irrigat. Itinerantes *Pharphar*, aut *Farfar* vocant eum, qui urbem interfluit, & *Abanam* eum, qui arva eluit. Contra, Benjamin Tudelenſis, *Farfar*, campeſtrem; & *Abanam*, ſeu *Amman*, urbanum appellat.

gnaram, impuramque, nullamque niſi Iſraeliticam huic muneri ſufficientem putaret. Quæ tamen religio inter Judæos & Chriſtianos dudum obtinuit. Benjamin Tudelenſis refert, ab Judæis Nahardeæ in Regno Perſiæ, Synagogam ſtructam fuiſſe ea tellure, & lapidibus conſulto Jeroſolymis illuc uſque delatis. In dubium minimè revocatur juſſu Helenæ Imperatricis, Conſtantini Magni Parentis, ex iis plurimos Romam translatos, in ædificando Templo *Sanctæ Crucis in Jeruſalem* fuiſſe abſumptos. Alia quædam ejuſdem pietatis exempla memorant Gregorius Turonenſis *l. 1. c. 7. de gloria Martyr.* & Auguſtinus *de Civit. l. 22. c. 8. Vid. & Epiſt. 52.*

Antequam Naaman ab Eliſeo recederet, hoc ab illo poſtulavit: *Hoc ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo. Quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Deus ſervo tuo pro hac re. Cui Eliſeus ait: Vade in pace, & dimiſit eum.* Locus iſte maximis difficultatibus implicatur. Commentatores plerique opinantur, Naamanum, cùm ſatis jam profeſſus fuiſſet, ſe nemini cultum niſi ſoli Deo Iſraelis exhibiturum, ab Eliſeo poſtulaſſe, ut adhuc poſſet principi ſuo Benadab exteriorem ſervitutem præſtare, uti præſtare conſueverat, cùm eum comitaretur in Templum Remmon; non verò petiiſſe, ut Remmon coleret, quem execrabatur. Eliſeum verò Naamano indulſiſſe, modò nullum idolo cultum exhiberet. Rabbini volunt, domicilii Proſelyto, cujuſmodi erat Naaman, nulla lege idololatriam interdici, extrà regionem Iſraelis; quare criminis minimè arguebatur, ſi fortè idolis in terra aliena adoleret.

Plurimi interpretes (a) ſic verterunt Hebræum: *Hoc mihi ignoſcat Dominus ſervo tuo. Cùm meus Princeps, brachio meo innixus, Templum Remmon ingrederetur, ut adoraret, & ego in Templo adoravi Remmon. Quoniam ergo adoravi Remmon, ignoſcat Dominus ſervo tuo. Cui Eliſeus reſpondit: Vade in pace*, Ex quo intelligitur Naaman non poſtulaſſe ut comitaretur Regem ingredientem Templum Remmon, ſed ut Deus ſibi ignoſceret, quòd alias eſſet comitatus. Alius peccati non meminit, cujus veniam expoſceret, quia idololatria quodammodo extera complectitur, & hujus præcipuè pœnitentiam oſtendit; dum coram Eliſeo nemini unquam, niſi ſoli Deo Iſraelis, cultum ſe præſtiturum profitetur, At de his jam fuſiùs egimus (b).

Prophetæ reſponſione lætus Naaman reverſus eſt in regionem ſuam. Vix tamen *itineris pedes* 120. *abſolverat* (c), cùm Giezi ægrè ferens, quòd Eliſeus munera à Naamano oblata rejeciſſet, illum inſequutus, Domini ſui verbis duorum adoleſcentum Prophetarum adventum caulatus, talentum & duas veſtes in illorum uſum poſtulavit (d).

Naaman ſervo duo talenta largitus eſt, duoſque ei famulos tradidit, qui ea deferrent. Inclinante jam die, domum ſuam talentis ille receptis, & ad Naamanum famulis remiſſis, ſe tranſtulit, ad Eliſeum; à quo interrogatus, quò abiiſſet, domo minimè ſe egreſſum eſſe reſpondit. Tunc Eliſeus ad eum: Nonne ſpiritus meus præſens erat, quando Naaman argentum, & veſtes tibi ſuppeditavit? Eme igitur fundos, oliveta, & vineas: ſcito tamen & lepram Naamani tibi adhæſuram, & nunquam à tua progenie diſceſſuram intellige. Nec mora: lepra infectus Giezi egreſſus eſt ab Eliſeo albus ſicut nix. Vide *Giezi*. Hæc Scriptura de Naamano, cujus ulteriùs non meminit.

NAARAI, unus ex fortiſſimis exercitus Davidis. 1. *Par.* 11. 37.

NAARAN, aliàs *Noran*, urbs Ephraim 1. *Par.* 7. 28.

NAARATHA, urbs Tribus Ephraim, *Joſ.* 7. 7. Euſebius quamdam Urbem nomine *Naaroth* quinque milliaribus à Jerichunte collocat. Hæc probabiliter eadem eſt, ac *Neara*, de qua Joſephus *Antiq. l.* 17. *c.* 15. & quò aquæ ad irrigandas palmas Jerichuntis delatæ eſſe dicuntur. Hæc fortè eſt eadem, ac *Naaran*, de qua ſupra.

NAARIA, quintus Secheniæ filius, ex iis unus, qui milites 500. Tribus Simeonis, in montibus Seir ad reliquias Amalecitarum invadendas duxere, iiſque deletis, eorumque regionibus occupatis, eorum urbes incoluere. 1. *Par.* 3. 22. & 4. 41. Quando hæc contigerint, adhuc latet.

I. NAAS, Ammonitarum Rex urbem Jabes Galaad poſt menſem à denunciato Saule in Regem Iſraelis invaſit (e). Hebræi urbis Jabes viribus deſtituti, quibus hoſtes repellerent, Regi, datis utrinque conditionibus, deditionem obtulere. Cùm verò Naas reſpondiſſet, haſce à ſe exhiberi conditiones, ut ſingulis oculum dexterum erueret, eoſque velut opprobrium Iſraelis redderet (ita enim ad bellum, & ad arcus conſuetudinem ineptos eos conſtituere appetebat), urbis illius Optimates ſeptem dierum inducias petiere; infra quos niſi ſuppetiæ à quoquam ferrentur, quæ vellet ipſe, paſſuros. Gabaam igitur ad Saulem nuncios miſere; qui ea, quæ ſibi obvenerant, referentes, ea omnibus, qui ea audierant, oculis lachrymas expreſſere. Saul interea cum ex agro ſequens boves reverteretur, populumque plorantem videret, Quid habet, inquit, populus, quod plorat? Auditiſque nunciis Jabes, à Spiritu Domini correptus, cæſoque in fruſta ex bobus ſuis uno, ſingula fruſta ad ſingulas Iſraelis regiones miſit, eadem eorum armentis eventura minitatus, qui Saulem & Samuelem ſequi detrectaſſent.

Populus igitur timore correptus, ad ſtatum locum unanimes convenere; ex Iſraele 300000. ex Juda 30000. quos ipſe Saul recenſuit. Tunc Saul nuncios Jabes reverti juſſit, & oppidanis nunciare, ſe proxima die ſalutem eis allaturum, *cùm ſol incaluiſſet*. Regreſſi nuncii caverunt, ne de iis, quæ geſſerant, Naas doceretur, ipſumque, craſtina die deditionem pollicentes, feſellere. Interea Saul poſt Solis occaſum cum exercitu ſuo Jordanem trajecit, & totius noctis itinere, primo mane ad Ammonitarum caſtra improviſus pervenit. Hæc fortè fuit quarta dies induciarum, quas Naas conceſſerat. Statim Saul exercitum in tres turmas diviſit, & eò impetu Ammonitas invaſit, ut eos omninò deleverit; iis autem, quibus fugæ aditus patuit, in diverſas partes ita acti fuere, ut duo ſimul non remanſerint. Ita hoc bello quies comparata eſt. In eo certamine, ait Joſephus, ipſe Naas interfectus deceſſit. *Joſeph. Antiq. l.* 5. *c.* 7.

II. NAAS, Ammonitarum Rex, Davidis amicus 2. *Reg.* 10. 2. probabiliter filius Naas, de quo mox ſupra. Latent ejus geſta, ubi & cur David ſocietatem cum eo inierit. Veriſimile tamen eſt, cum Saulis declinaret inſidias, & ultra Jordanem progreſſus aufugeret, in ejus amorem Davidem deveniſſe. 1. *Reg.* 22. 3. *&c.* Nec procul abeſt à veritate, *Sobi filium Naas de Rabbath Ammonitarum Metropoli*, 2. *Reg.* 17. 27. eſſe eundem Naas, de quo loquimur. Utut

(a) Vide, ſi lubet, Gregor. de Valentia tract. de fide, & fidei profeſſ. diſp. 1. qu. 3. punctu 2. all 3 Joan. Andr. Quenſted Diſſert. ſingul. in 4. Reg. 5. 18. Saubert. Vivarienſ. Paraphraſt. 10 Bibl. Nuremberg. Valter. Centur. Micell. Theolog. art. 6. Glaſſius ab Hakſpan hac de re conſult. Dorſchæus Theolog. par. 6. Danhave Conſciential. t. 1. p. 2. Calov. Annot. Antigrot. in 4. Reg. 5. 18. Dilher. diſp. academic. t. 1. diſp. 16. & 22. Vautil. Medull. p. 436. Boch. Diſſert. in 4. Reg. 5. 18. t. 2. Oper. ejus edit. Lugd. Batav. an. 1692. p. 892.

(b) Vide noſtr. diſſert. de hoc argum. ante Commentar. in 4. Reg. & Supplem. in 4. Reg. ad calcem c. ult in N. T.

(c) Vulg. *Abiit electo terræ tempore*, ſcilicet totius anni optimo. Confer. Gen. 35. 16. Hebr. ad literam, *Abiit ſulcum itineris*, nempe 120. pedes. Vide Kiberath arera.

(d) Talentum libris Gallicis 4867. ſolidis 3. denariis 9. reſpondebat.

(e) Vide 1. Reg. 11. 1. &c. A. M. 2909. ante Ch. 1091. ante Æt. 1095.

Digitized by Google

Utut tamen eſt, mortuo Naas *an. M.* 2967. *ante Ch.* 1033. *ante Ær.* 1037. David ad Hanonem filium, & ſucceſſorem illius Legatos miſit, qui de parentis morte conceptum à ſe dolorem teſtarentur. Quos tamen injuriis Hanun excipiens, arma, & eos impetus in ſe vertit, de quibus nos ſupra v. *Hanon*.

III. NAAS, pater Abigail, & Sarviæ 2. *Reg.* 17. 25. idem ut creditur, ac Iſai pater Davidis. Confer. 2. *Reg.* 17. 25. *&* 1. *Par.* 2. 13. 15. 16. Naas ſerpentem ſonat, & callidum. Hoc forte cognomine appellabatur Iſai pater Davidis. Putant aliqui, Naas eſſe nomen uxoris. Prima tamen ſententia veriſimilior eſt; cui etiam plerique adhærent.

IV. NAAS, pater Sobi, amici Davidis, 2. *Reg.* 17. 27. Probabiliter idem ac Naas, ſecundus Rex Ammonitarum.

NAAS, urbs Tribus Juda, quam filii Tehinnæ obtinebant. 1. *Par.* 4. 12.

NABAIOTH, primogenitus Iſmaelis, & nepos Abrahami, & Agar. Ex ipſo Arabes *Nabathæi*. Vide *Nabathæi*.

NABAL, vir ditiſſimus quidem, ſed & ſtultiſſimus ex Tribu Juda, ex progenie Caleb, qui ut plurimùm Maonem, urbem ex Auſtralioribus Judæ, incoluiſſe videtur, quique plurimis in Carmelo, ſatis proximo urbi Maon, gregibus abundabat. Carmelus iſte alius eſt à Carmelo ad mediterraneum, inter Doram, & Ptolemaidem. Cùm David Saulis iram declinans, in deſertum (a) Pharan propè Carmelum ſeceſſiſſet, diligentiſſimè curavit, non tantùm ne ea, quæ Nabalis erant, à ſuis læderentur, ſed etiam, ut ii ejus paſtoribus in plurimis opem ferrent. Ut ergo David audivit, Nabalem ad Carmelum iviſſe, ut greges ſuos tonderet, miſit ad eum decem juvenes, qui ſalutatum rogarent, ut quidquam Davidi, & ſociis impertiretur. Hos Nabal vacuos inofficioſè rejecit, ipſos, Davidemque transfugas pleno ore compellans. Reverſi itaque Davidis nuncii, quæ Nabal dixerat, ei retulerunt.

Tunc David fervens ira, 400. ſocios armis inſtructos ſelegit, ut impetum faceret in Nabal, eumque unà cum ejus familia interficeret. Hæc inter, famulus Nabal de iis, quæ contigerant, Abigailem heri uxorem, & mulierem omni ſapientia, & prudentia conſpicuam, monuit. Retulit etiam Davidem, & ejus aſſeclas maximo ſibi, & cæteris Nabalis paſtoribus adjumento fuiſſe in deſerto Pharan, meritos propterea, quòd à Domino ſuo ſaltem non exciperentur injuria; quare verendum ſanè erat, ne David tot viribus præditus, convicium ſtatim ulciſceretur. Protinùs Abigail cibaria plurima Davidi munera præmiſit, cui & ipſa aſinum conſcendens, inſcio Nabale, obviam progreſſa, ſuis verbis ita Davidis cædem anhelantis animum emolliit, ut ipſe David gratias Deo referret, quòd ad ſe mulierem miſiſſet, quæ eum cæde, & ſanguine prohibuerit.

Ad Nabalem Abigail reverſa, ipſum domi ſuæ ſplendido ſatis convivio aſſidentem invenit; qui hilarior erat, & eo uſque biberat, ut ebrius eſſet. Nihil tunc conjugi aperuit uxor de iis, quæ geſſerat, ſed mane proximo, poſtquam dormierat, ei omnia nunciavit. His auditis ita concidit animis ut cor ejus quaſi lapis evenerit, adeòque perterritus eſt, ut decem poſt dies interierit. Quod cum intellexiſſet David, benedixit Domino, quod convicium ſibi à Nabale illatum ultus fuiſſet; ipſique Abigaili nuptias ſuas obtulit, eique nupſit. *Nabal* interpretatur *ſtultus*.

NABALLO, urbs Arabiæ, quam Judæi ab Arabibus abſtulerunt. *Joſeph. Antiq. l.* 14. *c.* 2.

NABARA, pagus Batanææ. *Euſeb. in Nebra*.

I. NABATH, ex Tribu Ephraim, & ex progenie Joſue, pater Jeroboami, primi Regis in Iſraele, qui 10. Tribus ad defectionem è domo Davidis induxit 3. *Reg.* 11. 26. Author Hebraic. Quæſt. in Libros Regum vult, Nabath eumdem eſſe ac Semei, qui Davidi maledixerat. 2. *Reg.* 16. 5. At Semei ortum duxit à progenie Saulis, propterea fuit ex Tribu Benjamin; Nabath autem ex Tribu Ephraim.

II. NABATH, conſobrinus Tobiæ ſenioris *Tob.* 11. 20.

NABATHÆI, aut *Nabathæi*, Arabes ex urbe, vel Regione *Nabajoth*. Eorum regio, Nabathæa a nomine, protenditur ultrà Euphratem, uſque ad Mare Rubrum (b); quas ampliſſimas regiones non ſoli equidem, ſed præcipui incolunt Nabathæi. Præcipuæ autem eorum urbes, Petra Arabiæ deſertæ Metropolis, Medaba, & quædam alia numerantur; ea enim regio, ut ita loquar, omninò deſerta eſt; nec Nabathæi magis quam cæteri populi Arabiæ deſertæ, aut domos conſtruere, aut in urbibus commorari curant; immò eorum plerique urbes, aut domos incolere ſervituti tribuunt, atque inertiæ. Vitam vagam, quam degunt cum uxoribus, filiis, & armentis, & libertatem, qua fruuntur, quin ulli rationem reddere teneantur, maximum vitæ bonum eſſe ducunt; maximæ eorum divitiæ, armenta ſunt. Iſaias 60. 7. Jeruſolymæ ſpondet, pingues Cedar, & Nabajoth arietes fore in Templum Domini transferendos, & ſuper Templi altare immolandos. Nabathæorum parum meminit Scriptura, niſi tempore Machabæorum. In bello, quo Judæi à Syris petebantur, omnibus ferè finitimis in Judæos conjurantibus, ſoli Nabathæi undique oppugnantis amoris argumenta exhibuere. Cùm Judas Machabæus ad fratrum ſuorum auxilium pergeret in regionem Galaad, humaniſſimè exceptus eſt a Nabathæis (c). Non multò poſt (d), Jonathas Machabæus Joannem fratrem ſuum ad Nabathæos miſit, ut exercitus ſui ſarcinas, quæ impedimento ipſi erant, apud ipſos reciperent; at Medabæ Incolæ captum Joannem interfecerunt, iis omnibus, quæ gerebat, ablatis. Diodorus Siculus *l.* 1. Aſphaltitem lacum in Nabathæorum regione collocat, uti & palmeta, & balſami hortos, qui circa ea loca florent, & Petram. Eorum regio, qua parte ad ſeptentrionem declinat, uſque ad Libanum protenditur. Dionyſius Geographus Libani clivum versùs, Nabathæos locat. Refert Joſephus, *Antiq. l.* 13. *c.* 9. Jonatham Machabæum à regione Emath, ſuis hoſtibus ultrà Eleutherum fluvium expulſis, in Arabiam ſe contuliſſe, Nabathæos oppugnaſſe, & tranſiſſe Damaſcum. D. Epiphanius *hæreſ. l.* 10. *vel* 30. Ebionitas præcipuè à Nabathæa, & Paneade accerſit.

NABLUM. Hebraicè *nebel*, muſicum Hebræorum inſtrumentum. Vulgata, & Septuaginta *nebel* interdum vertunt *nablum*, interdum *pſalterium*, aut *lyram*, aut etiam *cytharam*. Fidibus inſtruitur, cujus figura literæ græcæ Delta accedit; manibuſque ambabus, vel quodam plectro percutitur. Ejus veluti venter ſuperiùs cavus, ſonitum repercuſſum reddit, & in ima parte tanguntur fides (e).

I. NABO, vel *Nebo*, urbs Tribus Ruben. *Num.* 32. 38. Cùm hæc Moabitidi ſatis proxima eſſet; ea potiti ſunt Moabitæ, quam Jeremiæ ætate adhuc occupabant. *Jer.* 48. 1.

II. NABO, vel *Nebo*, urbs Judæ (f). Hæc fortè pagus ille fuit, nomine *Nabau*, milliaribus octo ab Hebrone, ad meridiem ſitus, & Euſebii, ac Hieronymi ætate deſertus.

III. NABO, aut *Nebo*, mons trans Jordanem, in quo Moyſes obiit. *Deut.* 32. 44. Vide *Nebo*.

IV. NABO, Idolum Babyloniorum. *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo*, inquit Iſaias 46. 1. Nomen *Nabo* trahitur a quodam verbo, quod vaticinari ſonat, & accipi etiam poteſt pro Oraculo. *Bel &*

Nebo

(a) 1. Reg. 25. 2. &c. An. M. 2947. ante Ch. 1053. ante Ær. 1057. (b) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 13. Hier. qu. Hebr. in Gen. 25. 13. (c) 1. Mach. 5. 24. A. M. 3841. ante Ch. 159. ante Ær. 163. (d) Mach. 9. 35. circa An. M. 3843. ante Ch. 157. ante Ær 161. (e) Vide noſtram Diſſert. de muſic. Vet. Hebr. inſtrum. ante 1. t. Comment. in Pſalmos.
(f) Vide 1. Eſdr. 2. 29. & 10. 43. & 2. Eſdr. 7. 33.

Nebo videntur eſſe idem idolum; quare Iſaias utrumque velut ſynonyma, recenſuit. Idolum Bel erat Babylonienſium Oraculum. Nomen *Nabo* plurium Babylonia Principum nominibus jungitur, ut Nabonaſſar, Nabuchodonoſor, Nabuzardan, Nabuſesban &c. Septuaginta pro *Nabo* legunt *Dagon*. Chaldæi colebant idolum, quod *Odacon* appellabant.

NABONASSAR, Rex Babylonia, idem ac Baladan *Iſa.* 39. 1. & 4. *Reg.* 20. 12. Agathias, & Alexander Polyhiſtor *Beleſim*, aut *Beleſſum* appellant. Notior tamen eſt ſub nomine Nabonaſſari, quo ab Hipparco, Ptolemæo, & Cenſorino vocatur. Babylone annis 14. imperavit, nempè ab anno M. 3257. uſque ad 3272. quo Regni gubernacula *Nebius* cepit. Nabonaſſari Epocha, apud Chronologos celeberrima, incidit anno 3967. Periodi Julianæ, M. 3257. ante Ær. 743. ante Chr. 747. Vide *Baladan*.

NABONIDES, *Labynithes* vocatur ab Herodoto, *Nabannidoch* ab Abydeno, & a Danielo *Balthaſſar*, regnavit Babylone *A. M.* 3449. *ante Chr.* 551. *ante Ær.* 555. poſt *Laboroſoardocum*, qui idem videtur ac Evilmerodach. Juxtà Beroſum, & Ptolemæum annis 17. imperavit, Cùm adhuc viveret, Babylon capta eſt à Cyro an. M. 3466. ante Chr. 534. ante Ær. 538. Vide *Balthaſſar*, & *Nerigliſſor*, ubi veterum diſpares ſententias de ſucceſſoribus Nabuchodonoſoris recenſuimus.

NABOPOLASSAR. Vide *Nabuchodonoſor II.*

NABOTH, Iſraelita ex urbe Jezrahel, imperante Achabo Rege Iſraelis. Hic vineam propè Palatium Achabi poſſidebat (a). Rex verò in ea olerum hortum conſtruere cupiens, rogavit ipſum Naboth, ut ſibi venderet, aut pro ea meliorem acciperet. Cui tamen Naboth: Avertat Dominus, ut patrum meorum in te conferam hæreditatem (b). Quo reſponſo iratus adeò eſt Achab, ut domum ingreſſus ſuper lectum procideriт, vultum averterit ad parietem, & cibum ſumere omninò recuſarit. Rei novitate perculſa ejus uxor Jezabel, Quid ergo eſt, ait, quòd dolore dejiceris? Maximæ es authoritatis in Iſraele. Surge, comede, & æquo animo eſto, ego vineam Naboth tibi conſequar. Statim itaque Epiſtolas nomine Achabi ſcripſit, & annulo Regio munitas miſit ad majores natu Jezrahelis, ubi Naboth morabatur.

Epiſtolarum autem hæc erat ſententia: Jejunium indicite, & in Naboth, medium inter vos in primis ſubſelliis conſtitutum, duos viros filios Belial ſubornate, qui Naboth in Deum, & Regem blaſphemaſſe teſtentur. In Textu legitur: *Deo & Regi benedixiſſe*; *benedixiſſe* tamen ibi legitur pro *maledixiſſe*, uti alibi etiam comperimus. *Vide* Job. 1. 5. & 2. 9. Adeò Scriptura abhorret ab ea maledictionis voce, ut nolit ejus meminiſſe, cùm in Deum evomitur. Actum eſt ut Regina mandaverat: ſedit Naboth inter Principes Jezrahelis; de eo delatum fuit, quòd in Deum, & Regem convicia blaſphemiaſque congeſſerit; ſtatimque extra urbem eductus, lapidibus obrutus interiit.

Continuò nefarii hi Judices ad Jezabelem miſere, qui eam de cæde Naboth monuere, cujus facultates, utpote bona illius, qui Regiam Majeſtatem læſerat, pertinebant ad Regem. Eventu hilaris Regina, ad Achabum progreſſa, Surge, inquit, poſſide vineam Naboth, non enim vivit, ſed mortuus eſt. Statim Rex acquievit uxori, & Samaria egreſſus Jezrahelem contendit, ut Naboth vinea potiretur; ad quem Domini juſſu ſe conferens Elias Propheta, ſic eum increpavit: Occidiſti ergo Naboth, & vineam ejus poſſediſti? At audi, quæ tibi intentat Dominus: in loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli; Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahelis. His Prophetæ minis perterritus Achab animum demiſit, & cilicio indutus demiſſo capite inceſſit. At tamen pœnitentia non ſatis ſincerà, conſequutus non eſt, ut eas calamitates à ſe repelleret; quas diſtulit quidem Dominus, ſed non omninò delevit. Vide *Achab*, & *Jezabel*, & 4. *Reg.* 9. 10.

I. NABUCHODONOSOR, Rex, alio nomine *Saoſduchin* (c). Cùm imperii ſui anno duodecimo, M. 3347. in campo Ragau de Medorum Rege Arphaxad victoriam retuliſſet *Judit.* 1. 5. omnibus, qui Ciliciam, Damaſcum, Libanum, Phœniciam, Judæam incolebant, cæteriſque populis, uſque ad fines Æthiopiæ diffuſis, per nuncios imperavit, ut ſe Regem agnoſcerent, & ſuæ ditioni ultrò dederentur. Ejus tamen nuncios omnes unanimes, eorum minas parvipendentes, rejecere. Quare indignatus Nabuchodonoſor, per thronum ſuum juravit, ſe de hujuſmodi probro pœnas ſumpturum (d), & anno 13. regni ſui, Primoribus exercitus ſui Ducibus coactis aperuit conſilium (e), quo Orbem univerſum ſibi ſubigere omninò cogitarat. Holofernem præterea ſupremum militiæ Principem conſtituit, eumque de rebus agendis edoctum, auroque, & argento quam maximè inſtructum cum exercitu dimiſit, ut vi in ſui ditionem omnes redigeret, qui ultrò noluiſſent. Jam v. *Holofernes*, hujus belli eventum ſatis perpendimus. Poſt Nabuchodonoſorem, aliàs *Saoſduchin*, regnavit *Sarac*, aut *Chynaladan* an. M. 3356. ante Ch. 644. ante Ær. 648.

II. NABUCHODONOSOR, aliàs *Nabopolaſſar* (f), pater Nabuchodonoſoris Magni, in Scriptura celeberrimi. *Nabopolaſſarum* natu Babylonium, Saracus Aſſyriæ Rex ſuis militibus præfecerat. Societatem hic iniit cum *Aſtyage*, alias *Aſſuero*, qui ſuam filiam *Amyit* Nabuchodonoſori Filio Nabopolaſſar deſpondit. Ita fœdere inito uterque in Saracum Regem Ninives conjurati, quem in Regni ſui Metropoli circumſeptum, tandem expugnarunt, captaque civitate, ſuper Regni Aſſyrii everſionem duo Regna extulerunt, Regnum nempe Medorum, quod uſurpavit Aſtyages, ſeu Aſſuerus, & Regnum Chaldæorum, quod condidit Nabopolaſſar an. M. 3378. ante Ch. 622. ante Ær. 626. Obiens An. M. 3399. ante Chr. 601. ante Ær. 605. Regni ſucceſſorem reliquit filium ſuum Nabuchodonoſorem, de quo ſtatim.

III. NABUCHODONOSOR, filius & ſucceſſor Nabopolaſſari (g). Aliquandiù antea ſocium Imperii à patre aſſumptum, idem pater Carchamaa miſit, ut eam urbem quadriennio antea à Nechao Rege Ægypti occupatam recuperaret. Re feliciter confecta, contra Phœniciæ Satrapam, & Joakim Regem Juda, 2. *Par.* 36. 6. Nechai Regis Ægypti vectigalem, profectus, cum ſibi ſubegit, vinculiſque jam obſtrinxerat, ut captivum perduceret Babylonem; revocato dein-

(a) 3. Reg. 21. 1. &c. A. M. 3105. ante Chr. 895. ante Ær. 899.

(b) Moyſes prohibuit ne Iſraelitæ fundos ſuos diſtraherent, niſi ad extremam neceſſitatem eſſent redacti. Levit. 25. 23. Legem quoque tulit; ut ſemper vendita poſſent redimi; inſuper, ut anno Jubilæi quiſque reverteretur ad poſſeſſionem ſuam, quod fieri non potuiſſet, ſi Naboth vineam ſuam Regi ceſſiſſet. Demùm dedecore quodam afficiebantur Iſraelitæ, qui ſuorum patrum hæreditatem vendidiſſent. Quare Naboth maluit Regis iram in ſe concitare, quàm rei pudendæ & probo homine indignæ acquieſcere. Vide D. Ambroſ. l. 3. de Officiis c. 9.

(c) Regnare cœpit in urbe Ninive A. M. 3335. ante Ch. 665. ante Ær. 669.

(d) Vulg. *quòd defenderet ſe de omnibus regionibus his*. At verbo *defendere* utuntur non ſolum Scriptura, ſed etiam Scriptores Latini optimæ notæ pro *ulciſci*. Vide Iſai. 1. 17. Deuter. 32. 35. Apud Tertull. l. 2. contr. Marcion. Judith. 5. 25. Rom. 12. 19. Virgil. Bucolic. *Solſtitium pecori defendite*, idest *depellite*. Annius, Achille. *Serva cives, defende hoſtes, cùm potes defendere*. Non. Marcell. *Defendere, vindicare, depellere*.

(e) Judith. 2. 1. &c. Anno M. 3348. ante Ch. 652. ante Ær. 656.

(f) Appellatur *Nabuchodonoſor*, in Græco Tob. c. ultimo, & *Nabopolaſſar* in Alexandro polyhiſt. quem citat Syncellus.

(g) Regnum cepit Nabuchodonoſor An. M. 3399. ante Chr. 601. ante Ær. 605.

Digitized by Google

deinde conſilio, Regno reſtituit ea lege, ut graviſſimum ſibi vectigal perſolveret. Plurimos ampliſſimo genere conſpicuos Jeroſolymâ Babylonem tranſtulit; quos inter, Danielem, Ananiam, & Miſaelem ex Regia progenie ortos, quos Babylone in ſua aula enutritos erudiri voluit idiomate, & ſcientiis Chaldæorum, ut eorum opera in ſuo Palatio uti poſset (a).

Mortuo Nabopolaſsaro (b), Nabuchodonoſor, qui tunc in Ægypto, aliis in Judæa morabatur, citiſſimè regreſsus eſt Babylonem, ſuiſque Ducibus impoſuit, ut captivos Syriæ, Judææ, Phœniciæ, & Ægypti in Chaldæam transferrent (c); has enim regiones omnes, juxtà Beroſum, ſibi ſubegerat. Captivis in diverſas Colonias diſperſis, Vaſa Sacra Templi Jeroſolymæ, & opima cæſorum hoſtium ſpolia, in fanum Dei ſui Beli intulit.

Tribus annis Regi Nabuchodonoſori fidem ſervavit Joakim Rex Judæ, quibus elapſis ſa Chaldæorum vectigalem ægrè ferens, ut jugum excuteret, à Babylonis Rege defecit (d) qui ò re ſua non eſſe docens, ſi idem ipſe in Joakimum pergeret, Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum exercitum miſit, qui Judæam popularentur. Duobus, vel tribus annis hoc bellum productum eſt (e), donec Joakim Jeroſolymis circumſeptus, captus, & interfectus, ſub dio extra urbem juxtà Jeremiæ 22. 18. 19. & 36. 30. vaticinium projectus eſt. Vide *Joakim*.

Interea Nabuchodonoſori, ſecundo Regni illius anno (f), per quietem ſtatuæ ſpecies objecta eſt, diverſis metallis conflatæ, cujus caput aureum, pectus argenteum, venter & coxendices æneæ, crura ferrea, & pedes partim ferrei, & partim fictiles erant. Hæc autem ſtatua, cum lapis ultrò è monte abſciſſus eam percuſſiſset, contrita omninò eſt, & in pulverem redacta. Hoc ſomnio territus Rex, adeò eſt ejuſdem oblitus, ut omnem viſæ ſtatuæ memoriam prorſus amiſerit. Vocatis itaque Ariolis, & Magis, ut ſibi ſomnium, & ſomnii myſterium patefacerent, nec ſomnium ab eis didicit, nec myſterium. Quare ira accenſus præcepit, ut omnes interficerentur; jamque propè erat, ut cædes inciperet, cum de ea monitus Daniel, ſtatim ad Regem ſe contulit, rogavitque, ut tempus ad ſomnii ſolutionem ſibi concederet; quod cùm eſſet conſequutus, ad Dominum confugit, qui nocte eadem & Regis ſomnium, & ſomnii myſterium et revelavit.

Craſtina die, Daniel ad Arioch pergens, cui Rex Sapientum Babylonis cædem commiſerat, petiit ut ad Regem duceretur, ſomnii ſolutionem patefacturus. Statim igitur admiſſus, non eſſe ait Sapientum Babylonis, ſed Dei Cœlorum, ſomnii interpretationem Regi aperire. Indè ſomnium Regis ſupra narratum deſcripſit, & hanc interpretationem exhibuit. Tu Rex Regum es & inter Orbis Reges cæteros potentiſſimus; quare tu ſimulachri caput aureum. Poſt te Regnum tuo inferius conſurget, quod pectore argenteo deſignatur; deinde & aliud tertium minus te, quod indicant venter, & coxendices æreæ. Poſt hæc tria imperia, quibus innuuntur Regna Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum, quartum conſurget, quod ſignificatur cruribus ferreis, & regnum Romanorum indicat. Hoc ultimo florente Imperio, Deus Cœli novum ſuſcitabit Regnum; ſed præ cæteris potentius, & undequaque protenſum, nempè Regnum Meſſiæ, quod innuitur lapide, qui ultrò è monte abſciſſus ſimulachrum contrivit.

Hac interpretatione accepta Nabuchodonoſor in faciem procidens, Danielem adoravit, & hoſtias, & incenſum illi juſſit offerri. Faſſus præterea eſt, Deum Danielis Deum Deorum eſſe, & Dominum, cui tantum aperta ſunt omnia, quæ latent, & qui ea revelat, cum ſibi placuerit. Deindè Danielem honoribus, præcipuiſque muneribus cumulavit; ipſumque omnibus Sapientibus Provinciiſque Babylonis præfecit. Danielis demùm precibus, illius ſocios Sidrach, Miſach, & Abdenago ſuper opera ejuſdem Provinciæ Babylonia conſtituit.

Cùm Joakim, ſive Jechonias Rex Juda, à Babylonis Rege defeciſſet an. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599. (g), Nabuchodonoſor in eum irruit, & Jeroſolymis obſeſſum, coactumque ſe dedere, unà cum matre, uxoribus, Optimatibus & peritioribus artificibus Jeroſolymitanis, uſque ad decem virorum millia in captivitatem tranſtulit. Præterea cuncta ex tota regione Jeroſolymæ robuſtorum hominum ſeptem millia & artifices mille duxit Babylonem. Inter eos, qui tranſmigrarunt captivi, Mardochæus patruus Eſther, & Ezechiel Propheta numerabantur. Vaſa etiam aurea Domus Domini, quæ conſtruxerat Salomon, & Domus Regiæ theſauros populatus eſt Nabuchodonoſor, & pro Jechonia Matthaniam ejus patruum, quem Sedeciam vocavit, Jeroſolymæ Regem conſtituit.

Sedecias (h) novem annis Babylonis Regi ſe fidum præſtitit, quibus expletis, ab illo defecit, atque facilius ejus impetus repellere poſſet, cum Regibus Judææ finitimis fœdus inivit. Continuò Nabuchodonoſor maximo exercitu inſtructus, in Judæam rediit, ejus præcipuis reparatis urbibus, obſidione Jeroſolymam cinxit. Cùm autem Pharao *Ephree*, aut *Hophra*, vel *Vaphres* Ægypto egreſſus, Sedeciæ ſuppetias tuliſſet, ab obſidione aliquantò deſtitit Nabuchodonoſor, & Regi Ægypti obviam progreſſus, profligatum, & profugum in ſuas iterum regiones compulit. Inde ad obſidionem reverſus *A. M.* 3415. *ante Chr.* 585. *ante Ær.* 589. *circa diem* 30. *tertii menſis*, in eaque adhuc 390. diebus conſumptis, tandem anno Sedeciæ undecimo Jeroſolymam expugnavit (i). Fuga ſibi conſuluit Sedecias, ſed profugus interceptus, in Syriæ urbem nomine Reblatham deductus eſt, quò tunc Rex Babylonis advenerat; qui ſtatim mortis ſententiam in eum protulit, ejus filios coram ipſo interfecit, oculos deinde eidem effodit, & catenis onuſtum Babylonem adduxit. Nabuzardan Princeps exercitus Chaldæorum, juxtà Regis mandatum, Jeremiæ humaniter except potestatem fecit, ut quocumque vellet, progrederetur, & urbe, & Templo flammis conſumpto, populique Judaici, qui cædi ſupererat, Principe conſtituto Godolia, receſſit, & captivos Babylonem perduxit. 4. *Reg.* 25. 11. *&c. Jerem.* 39. 10. *&c.* & 40. 5. *&c.*

Triennio poſt, Nabuchodonoſor (k) ad Tyrum obſidendam progreſſus, in ea obſidione annos 13. abſumpſit. Intereà tamen Judæorum finitimos, Sidonios, Moabitas, Ammonitas, & Idumæos bello oppugnavit, eademque ferè illis mala intulit, quæ prius Judæis *Jerem.* 48. & 49. Joſephus *Ant. l.* 10. *c.* 11. hoc bellum quinquennio poſt Jeroſolymorum everſionem (l) contigiſſe ſcribit. Demùm Tyro capta (m), Ithobaali ejus Regi interfecto ſucceſſit Baal. Ut laboribus, quos Nabuchodonoſor diuturno obſidionis intervallo pertulerat, præmium Dominus rependeret, Ægypti Regno, ſpoliiſque Ægyptiis eum adauxit; Ezech. 29. 17. jam Ægy-

(a) Daniel. 1. 1. &c. ſub finem. (b) An. M. 3399. ante Chr. 601. ante Ær. 605.
(c) Beroſ. Rer. Caldaic. l. 3. apud Joſeph. antiq. l. 10. c. 11. p. 349.
(d) 4. Reg. 24. 1. An. M. 3401. ante Chr. 599. ante Ær. 603.
(e) Ao. M. 3405. ante Ch. 595. ante Ær. 599.
(f) Dan. 2. 1. &c. An. M. 3401. ante Chr. 599. ante Ær. 603.
(g) Vide 4. Reg. 24. 9. &c. 2. Par. 36. 8. &c.
(h) Vide 4. Reg. 25. 1. Jerem. 34. &c. Joſeph Antiq. l. 10. c. 10. An. M. 3414. ante Chr. 586. ante Ær. 590.
(i) 4. Reg. 25. Jerem. 34. & 52. An. M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588.
(k) An. M. 3419. ante Chr. 581. ante Ær. 585. Vide Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11. & l. 1. contra Appion.
(l) Ao. M. 3421. ante Chr. 579. ante Ær. 583. (m) An. M. 3432. ante Chr. 568. ante Ær. 572.

Ægyptum ille ingreſſus, quæ bellis domeſticis tunc temporis turbabatur, nullo negotio ſibi ſubegit, eamque populatus, gloria ſpoliiſque onoſtus unà cum exercitu, & captivis plurimis reverſus eſt Babylonem (a).

Parta demùm pace ſruens, Babylonem præclaris ædificiis augere atque locupletare omni ſtudio cogitavit. Penſiles tunc hortos celeberrimos, & arcubus ſuffultos, inter Orbis prodigia à Veteribus enumeratos, conſtruxit. Plures Babylonis mœnia ab eo condita arbitrantur, quæ tamen plurimi Semiramidi tribuunt (b). Eo tempore (c) idem Rex Babylonis per quietem proceram arborem, altiſſimam & fructibus divitem vidit, quam Angelus è cœlo delapſus, præcidi juſſit, ejuſque ramos abſcindi, ſolia excuti, & diſpergi fructus; ignoſci tamen voluit radici, & trunco, quem ferreis æreiſque catenis voluit circumligari. Ejuſdem inſuper imperio factum eſt, ut ſeptem annis cum feris viveret, & bruti inſtar, rore Cœli madefieret, & beſtiarum cibis veſceretur. Illicò ſapientiſſimos quoſlibet corgit Nabuchodonoſor, à quibus tamen ſomnii ſolutionem referre non potuit. Vocatus demùm Daniel, de eo ipſo ſomnium eſſe ſaſſus, ſic interpretationem aperuit: Arborem, quam vidiſti, tu es; ejicieris ab hominibus, & cum beſtiis vives: at poſtquam inſtar bruti ſeptem annos abſolveris, & omnem potentiam ex Cœlo haberi intellexeris, iterum inter homines reſtitutus, imperium tuum recuperabis. Quare peccata tua eleemoſynis redime, ut tibi Deus delicta tua dimittat.

Vix anno præterito (d), cùm Rex quadam die in aula ſui Palatii deambularet, Babylonem viribus diviriiſque ſuis à ſe conditam jactans, continuò vox de Cœlo lapſa, Regnum ipſius ipſi auferendum, ipſumque ab hominum conſortio ejectum, inter feras & domicilium, & cibum habiturum nunciavit. Vix hæc: Nabuchodonoſor in phreneſim incidit, quæ ei mentem ita ademit, ut ſe non hominem, ſed bovem eſſe crederet; & ſeptem annis bovis inſtar vitam traduxerit. Quibus elapſis, oculos mentis aperuit, Cœlique potentiam ſaſſus (e), mentis uſum rationiſque recepit; & Regnum iterum conſequutus, in priſtinum ſtatum reverſus eſt (f), ut conſtat ex Edicto, quod de ea re Nabuchodonoſor ipſe vulgavit.

Diu tamen in pœnitentia non perſtitit; eodem enim reparationis ſuæ anno, ſtatuam auream confecit, altitudine cubitorum ſexaginta, & latitudine cubitorum ſex, quam in Campo Dura Provinciæ Babylonis erexit; cùmque ſtatuiſſet diem ad ſtatuæ hujuſmodi dedicationem, Optimates omnes regionum coegit, & per præconem indixit, ut, ubi inſtrumentorum muſicorum ſonitus audiretur, ſtatim omnes procumberent, & ſtatuam adorarent: ni facerent, in fornacem ignis ardentis projiciendos ſore intelligerent. Dato igitur ſolemnitatis ſigno, Judæi, & præcipuè tres Danielis ſocii conſtiterunt, nec juſſum ſtatuæ cultum exhibuerunt. Qua de re ſtatim monitus Nabuchodonoſor, vocatis Sidrach, Miſach, & Abdenago, (Daniel probabiliter tunc aberat) ab eis quæſivit, cur ſibi obedientiam non præſtitiſſent. Cui illi, nec flammas, nec ullum metuere ſupplicium; à quibus Deus, quem colebant, poterat eos vindicare: quod ſi forte vindicare noluiſſet, ab eo nunquam defectutos ſcirет, ut terreno Regi indulgentes, ſtatuam adorarent. Quare furore æſtuans Rex, vinciri eos, & cum veſtibus, & calceamentis in fornacem projici juſſit. At cùm fornax ſuccenſa nimis eſſet, viros illos, qui eos in fornacem conjecerant, flamma combuſſit, & ſocios illæſos reliquit. Tunc etiam Angelus Domini è Cœlo deſcendens, & ab eis flammas depellens, in medio ignis lenem ventum, roremque excitavit; quare Juvenes nec igne tacti, nec dolore ullo affecti gloriam Deo dederunt, omneſque creaturas ad illius laudes invitarunt. Tunc Nabuchodonoſor vehementi admiratione captus, ſurgenſque illicò ad Optimates ſuos verſus, Nonne, ait, tres homines in ignem projecimus? Cur ergo quatuor ſolutos in medio ignis deambulantes inſpicio, quorum quartus ſimiſis eſt Filio Dei? Accedens deinde ad oſtium fornacis, nominatim juvenes Hebræos advocavit, qui de medio ignis ſtatim omninò incolumes prodiere. Summus omnium Optimatum ſtupor fuit, qui nulla ignis veſtigia in eis comperientes, & ipſo ignis odore minimè affectos obſtupuere.

Tunc Nabuchodonoſor Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago commendavit, ejuſque potentiam, & majeſtatem ſaſſus, præcepit, ut quicumque in Hebræorum Deum blaſphemiam emiſiſſet, bonis publicatis morte mulctaretur. Juvenes deinde Sidrach, Miſach, & Abdenago, in Provincia Babylonis ſublimi dignitate donavit, legemque tulit, qua magnitudinem Dei Hebræorum extulit, & ea, quæ ſibi contigerunt *Daniel*. 4. t., poſtquam per ſomnium arborem illam viderat, enumeravit.

Eodem anno deceſſit Nabuchodonoſor, poſtquam annis tribus & quadraginta regnaverat (g). Megaſthenes, quem citat Euſebius *Præpar. l. 9. c. 41.*, refert, Nabuchodonoſorem in ſui Palatii faſtigium ſcandentem, actum Divino ſpiritu ſic conclamaſſe: *Babylonienſes, calamitatem vobis prædico, à qua nec Belus noſter Pater, nec Regina Baltis nos poterunt prohibere. Mulus Perſa has regiones venturo tempore invadet, & Deorum veſtrorum auxilio innixus, & Medorum viribus auctus vos omnes in ſervitutem rediget.* Mulus hic Perſa Cyrus eſt, è matre Meda, & Patre Perſa ortus; Medus autem, qui opitulaturus fuerat Cyro, Cyaxares eſt, aut Medus Darius). Addidit Nabuchodonoſor: *Utinam hujuſmodi victor aut à mari, aut ab aliqua abſorberetur abyſſo, aut in horribili deſerto, quod hominis ullius non novit veſtigia, occumberet; Vos utinam iis ærumnis, quæ vobis imminent, nunquam obrueremini, & ego ipſe felix adeò fuiſſem, ut veſtrum calamitatem minimè prævidiſſem!* Hæc ubi dixit, evanuit. Later adhuc an hac voce, *evanuit*, ejus mors, aut tantùm intelligenda ſit ejus fuga, poſtquam ſe in bovem immutatum eſſe crediderat. Nomen *Nabuchodonoſor* Chaldaicè ſignificat *Theſaurum propugnatum à Deo Nebo*.

(Perſæ Scriptores narrant (h) Lohoraſb quartum Regem Perſidis è Dynaſtia Caianidum, qui Kaikhoſroë ſucceſſerat, ditionem ſuam longè latèque propagaſſe in Oriente, ac victricia tandem arma vertiſſe ad Occidentem imperii ſui. Miſit enim in Palæſtinam è Ducibus exercitus ſui Raham cognomento *Bakhtalnaſſar*, i. e. felicitatem victoriæ, ex quo Hebræi formarunt nomen Nabuchdnezar, & Græci Nabuchodonoſor, quo bellum gerente jugum ſubire univerſa Syria coacta eſt. Rex Judææ è ſtirpe Salomonis tunc Jeroſolymis imperans, cum juſſa facere recuſaſſet, provocavit in ſe Rabam, à quo prælio victi ſunt Judæi, capta, direpta, everſaque penitus urbs Jeruſalem. Secundùm hæc rediit Princeps in Regnum ſuum, onuſtus præda, & infinitam propemodum turbam captivorum agens.

Hiſtoricorum alii tribuunt Nabuchodonoſori nomen Gudara, aſſeruntque vices egiſſe in Regno Principis Lohoraſb; qui ſanè Princeps cùm vitæ pleroſque annos egiſſet in plagis Occidentalioribus Imperii ſui, penè ignotus latuerit Hebræos & Arabes; cùm viciſſim Gudara, alio nomine Raham vel Nabuchodonoſor, magnam ſibi nominis famam apud illos pepe-

(a) An. M. 3433. ante Ch. Ær. 571. (b) Joſeph. l. 5. contr. Appion. & Beroſ. & Abyd. apud eundem.
(c) Dan. 41. &c. An. M. 3434. ante Ch. 566. ante Ær. 570.
(d) Daniel. 4. 26. An. M. 3435. ante Chr. 565. ante Ær. 569.
(e) Vide noſt. Diſſert. ubi de Nabuchod. metamorph. Comment. in Dan. præfixam.
(f) An. M. 3442. ante Chr. 558. ante Ær. 562.
(g) Ita Beroſ. Joſeph. Pintem. An. M. 3442 ante Chr. 558. ante Ær. 562.
(h) D'Herbelot Biblіot. Orient. pag 518. col. 2. & 519. col. 1.

peperiſſet, quanquam hic copiis Lohoraſb ad Principis nutum ejuſque tantùm nomine imperaret. Æquè tamen omnes conveniunt in aſſerenda bellica viri illius virtute, rebuſque inſigniter ab illo geſtis; affirmantque pariter Regem Lohoraſb coævum fuiſſe Prophetarum Jeremiæ, Danielis, & Eſdræ. Egrè quidem hæc omnia cum rebus in Scriptura de Nabuchodonoſore relatis conciliarentur: ita enim de illo Scriptura, tanquam de Rege inter mundi Principes ampliſſimos.

Juvat hic verbo ſaltem attigiſſe Principis illius in bovem metamorphoſim, qua de re plures plura. Origenes apud Hieronym. in Daniel. 4., qui impoſſibile id factum cenſuit, rem totam detorſit ad allegoriam. Succurrit Bodino Dæmonolog. lib. 2. cap. 6. Principem illum reipſa induiſſe non figuram tantùm, ſed & mores quin & animam ipſam tauri. Defendunt alii externa tantùm corporis figura tranſmutata intactam manſiſſe animam (a); ſervaſſe enim Principem dicunt vim mentis, dum cæteris afficeretur malis, quod & Apulejus de ſe perhibet in ſua metamorphoſi, & de hominibus illis Italis narrat S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 18. Cùm enim de caſeo oblato ſibi à Magis ejus regionis deguſtaſſent, ſubitò ſe tranſmutatos in jumenta ſenſerunt, certaque dein temporis periodo evoluta, redierunt ad priſtina. Rabbinorum nonnullis ea mens fuit, corpus ſcilicet ejuſdem Principis anima hominis deſtitutum, ejus loco temporario hoſpitio excepiſſe bovinam, ex qua taurina omnia, motus, indoles, & guſtus. Agnoverunt alii in Principe affectæ phantaſiæ vitium (b), ſicut & in ſubjectis illi gentibus oculorum faſcinationem quandam, quæ duo utriuſque falſa perſuaſerunt; Nabuchodonoſori quidem tranſiſſe ſe in bovem; illis verò Principem re ipſa taurum præferre. Eo fermè præſtigio puellam illam coram S. Macario adductam (c) neceſſarii ejus in jumentum tranſmutatam rebantur, cùm reipſa nihil tale accidiſſet; præſtigium ſolvit vir Sanctus, & ſalvat ſtatim omnia.

Recepta magis opinio tenet Nabuchodonoſorem tetro quodam melancholiæ humore arreptum, non ſine Numinis diſpoſitione, in eam veniſſe perſuaſionem, bovinam ſe formam induiſſe (d). Quemadmodum Lycanthropiæ morbo affectis accidit, qui tranſmutatos ſe credunt in lupum, canem, felem; cùm tamen nihil reipſa variatum ſit niſi ægroti phantaſia; quicunque enim ad ſpectaculum vocantur, nihil aſpiciunt in exteriori hominis figura inſolitum, variatum nihil niſi in motibus tantùm, indole, cæteriſque id generis; ululat enim tanquam lupus, mordet, vorat carnes crudas, diſcurrit per agros, homines fugitat.

Ita pariter & Nabuchodonoſor bovem ſe ratus, herbam mandebat tanquam bos, cornibus impetebat, ungulas crineſque negligebat, mugiebat, diſcurrebat nudus, bovina omnia imitabatur; cùm obſtupentes ad rem novam familiares, alligarunt hominem tanquam emotæ mentis (e); ſed tandem ex eorum ipſe manibus ſeſe eripiens, evaſit in agros, ubi nudus egit ceu bos rori Cœli cæteriſque aëris injuriis expoſitus, ut pilos corporis haberet hiſpidos, tanquam aquilæ pennas, & ungulas perinde ac leonis aduncas. Implent hæc omnia ideam rerum, quas de Nabuchodonoſore narrat Scriptura. Prodigium hìc omne aberat, ſed in eo tantummodo prodigium agnoſcendum eſt, morbum ſcilicet illum oraculo prædictum fuiſſe; ſicut & certus ejus acceſſus certuſque exitus Prophetico oraculo per omnia quadravit.

Quoto tempore metamorphoſis iſta duraverit, lis eſt inter Doctos. Alii uti Theodoretus in Danielem 4. defendunt, Perſas annum ſuum diſtinxiſſe in duo tempora, hyemem nempe & æſtatem, ut proinde ſeptem illa tempora Nabuchodonoſoris reddant tres annos & ſemis. Dorotheus in Synopſi & Epiphanius ſeu alius de Vita & morte Prophetarum reputant damnatum fuiſſe quidem reipſa a Deo Principem, ut vitam ſeptennio ageret cum brutis; ſed rogante Daniele Deum reformaſſe annos in menſes. Addit Epiphanius Danielem non ceſſantem prædicere Optimatibus Chaldææ futurum, ut Nabuchodonoſor in priſtinum honorem reſtitueretur, deridiculo egiſſe Aulicos; quibus proinde revincendis, precario obtinuiſſe a Deo, ut de ſupplicio Principis plurimum raderetur. Defendunt alii bovinam Regis metamorphoſim perſeveraſſe tantùm ſpatio 27. menſium, exponuntque verba illa Danielis: *Donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum*, de ſeptem ſpatiis trium menſium in ſingulis; *tempus* eſt enim juxta illos anni quarta pars vel tres menſes. Petrus Comeſtor ſeptem menſes metamorphoſi aſſignans ita diſtribuit, quadraginta prioribus diebus mania arreptus ceu mentis impos Nabuchodonoſor effectus eſt; ſuccedentibus dein aliis quadraginta diebus crimina ſua deflevit; ſpatio tandem aliorum quadraginta à morbo convaluit. Nec tamen defuit conſiliis Danielis ſuadentis, ut ſolido ſeptennio maneret in exercitio pœnitudinis, herbis, oleribuſque victitans ad criminis expiationem.

Sed nullus alius Danieli interpres quærendus eſt, quàm Daniel ipſe. Conſtat utique Prophetam illum nomine *tempus* annum deſignare. E. g. exprimens ſpatium trium annorum & ſemis uſurpat: *Tempus & tempora, & dimidium temporis Dan.* 7. 25. Eadem loquendi phraſis, eodemque ſenſu recurrit in Apocalypſi 12. 14.

NABUZARDAN, Princeps exercitus Regis Nabuchodonoſoris, ejuſque Regii Palatii Magiſter, qui Jeroſolymæ obſidioni præfuit, eaque potitus eſt, cùm Rex Babylonis Nabuchodonoſor in Syriæ urbe Reblata moraretur (f). Jeroſolyma capta, ad Regem unà cum præcipuis captivis Sedeciam miſit, Templumque & urbem populatus, eam demum incendio abſumpſit. Vaſa Sacra Templi abſtulit, mare æneum, & duas æreas columnas, & cætera contrivit, quæ nonniſi fracta transferre poterat Babylonem. Omnes deinde captivos in urbe Rama coëgit, inter quos Jeremiæ & Baruch compertis facultatem fecit, ut quòcumque luberet, pergerent. *Jerem.* 39. 11 & 40. 1. *&c.* Cæteros captivos Babylonem adduxit, & regionis Jeroſolymitanæ Præfectum conſtituit Godoliam, ut reliquiis populi Judæ præeſſet. Nonnulli à Nabuzardan Jeremiæ Arcam Fœderis, aureum candelabrum, Thymiſmatis menſas, & propoſitionis panes traditos putant, quæ omnia Propheta in caverna montis Nebo in Moabitide condidit. Qua de re certi nihil, imò omnia maximè ambigua (g).

Quadriennio poſt Jeroſolymæ excidium (h), dum Nabuchodonoſor Tyri obſidioni incumbebat, alios 445. captivos Nabuzardan Babylonem duxit, quare omnis regio ſe ferè prorſus deſertam ingemuit. Hæc tantùm Scriptura de Nabuzardan.

NABUSESBAN, ex Ducibus exercitus Nabuchodonoſoris. Unà cùm Nabuzardan Jeremiam è carcere eduxit, & Godoliæ commendavit. *Jerem.* 39. 13.

NACHON. Area Nachon 2. *Reg.* 6. 6. Hinc eſt, quòd Nachon ſit nomen viri, cujus nullibi mentio in Scripturis, niſi cùm de bobus trahentibus Arcam dicitur, qui ubi ad Aream Nachon pervenere, calcitrare cœperunt; quare nutantem Arcam attenta manu Oza fulcivit, & temeritatis pœnas morte rependit. Alii tamen Hebræum vertunt: *aream para-*

(a) Vide Maldonat. in Dan. Tertull. de Pœnit. cap. 12. 13.
(b) Medina de recta in Deum fide cap. 7. Vier de præſtigiis Dæm. l. c. 24. (c) Hiſt. Lauſiac.
(d) Hieronym. Theodoret. Maldonat. Perer. Cornel. Sanct. in Daniel. Valeſ. de Sacr. Philoſ. c. 80. Bartholin. de morb. Bibl. &c. (e) Vide Dan. 4. 12. & Hieron. in eund. loc.
(f) 4. Reg. 25. Jerem. 39. & 52. An. M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588.
(g) Vide noſt. diſſert. Machab. primo præfixam: An Arca Fœderis in ſecundo Templo.
(h) An. M. 3420. ante Chr. 580. ante Ær. 584. Vide Jerem. 52. 30.

Digitized by Google

paratum, arcam Obedaſom, ad Arcam recipiendam parat. Paralipomena. 1. 13. 9. pro area Nachon legunt, *arcam Chidon*; Chaldæus vertit, *locum paratum*. Quicumque autem hic locus fuerit, ſanè vel in iis, vel ſaltem propè Jeroſolymam erat, & pertinebat 2. *Reg.* 6. 10. ad Obededom, qui Jeroſolymis morabatur.

I. NACHOR, filius Sarug (a), Thare patrem Abrahami annos natus 29. genuit. Obiit (b) ætatis ſuæ annò 148.

II. NACHOR, filius Thare, & Abrahami frater, *Gen.* 11. 26. quo anno/anni natus, aut mortuus, ignoratur, Melcham filiam Aran duxit, *Gen.* 11. 29. ex eaque filios genuit Hus, Bus, Camuel, Caſed, Azau, Pheldam, Jedlaph, & Bathuelem, *Gen.* 22. 20. Nachor in urbe Haran, quæ deinde urbs Nachor, *Gen.* 20. 10. appellata eſt, ſedem ſtatuerat.

I. NADAB, filius Aaronis, & frater Abiu, quem, cùm Domino adolevisset igne extraneo, igne ſcilicet, qui divinitus accenſus non fuerat in Altari Holocauſtorum *Levit.* 9. 24., unà cum fratre ejus Abiu Dominus morte mulctavit (c). Ambo forte inebriati fuerant; Dominus enim ſtatim poſt eorum mortem Sacerdotibus vinum interdixit, donec Tabernaculo inſervirent. *Levit.* 10. 8. *&c.*

II. NADAB, filius Jeroboami, primi Regis Iſraelis, poſt quem & ipſe regnavit (d). Duobus autem tantummodo annis Regnum obtinuit. Dum enim Gebbethon obſidebat, interiit inſidiis à Baaſa Ahiæ filio ex Tribu Iſſachar petitus, qui & Regnum ejus occupavit, 3. *Reg.* 15. 25. *&c.* Nadabum mala geſſiſſe, & patris ſui veſtigia ſecutum Scriptura teſtatur.

III. NADAB, filius Semei, & pater Saled, & Apphaim. 1. *Par.* 2. 29.

NADABIA, filius Jechoniæ. 1. *Par.* 3. 18.

NAHABI, filius Vapſi, unus ex exploratoribus, quos Moyſes ad luſtrandam Chanaanitidem miſerat. *Num.* 13. 15.

NAHALAL. Vide *Naalal*.

NAHALIEL, Iſraelitarum ſtatio in Deſerto. Ex Mathana in Nahaliel; è Nahaliel in Bamoth perrexere. *Num.* 21. 19. Euſebius ſecus Arnon Nahaliel, & Mathanam ultra Arnon ad Orientem locat, duodecim milliaribus ab urbe Medaba. *Nahaliel* ſonat, meum flumen Dominus eſt.

NAHAM, filius Caleb, 1. *Par.* 4. 15.

NAHARAI, Berothites, robuſtiſſimus, armiger Joabi. 2. *Reg.* 23. 37.

NAHASSON, filius Aminadab, Princeps Tribus Judæ, cùm Hebræi ab Ægypto egrederentur. Anno ſecundo poſt egreſſum, primus oblationem coram Tabernaculo Domini obtulit (e); Acetabulum ſcilicet argenteum pondo 130. ſiclorum, phialam argenteam pondo 70. ſiclorum, & mortariolum pondo 10. ſiclorum; taurum inſuper, arietem, & agnum in holocauſtum; hircum etiam pro peccato; boves duos, tauros, arietes 5., 5 hircos, & 5. agnos obtulit in ſacrificium pacificorum.

NAHATH, filius Rahuelis, & nepos Eſau. *Reg.* 36. 13.

(NAHLAT. Nomen eſt uxoris Cham filii Noe juxta Orientales.)

NAHUM, ſeptimus inter duodecim minores Prophetas, ex urbe Elceſai (f), minimo pago in Galilæa, cujus reliquiæ adhuc videbantur ætate D. Hieronymi. Sunt nihilominus (g), qui putant, Elceſai ejus genitoris nomen fuiſſe, & ejus patriam fuiſſe *Begabar*, ſive Bethabaram trans Jordanem. Olim ejus ſepulchrum in quodam pago, quem tunc Bethogabrum, nunc *Giblim* appellant, propè Emmaus, videbatur.

Tom. II.

Chaldæo *Nahum ex Beth-Koſi*, ſeu *Beth Koſi* dicitur, cujus tamen propriè ſitus, uti & Elceſai adhuc latet. Latent etiam geſta hujus Prophetæ. Ejus Prophetiam tria capita complectuntur, quibus excidium Ninives vivis adeò ſimulque triſtibus verbis vaticinatur, ut non ventura nuntiare, ſed viſa referre videatur.

De tempore, quo vaticinabatur, diſſident. Joſephus *Antiq. l.* 9. *c.* 11. putat, annis 115. ante Ninives excidium, ejus everſionem prædixiſſe, ex quo aucendum eſſet, Nahum Achaz regnante floruiſſe. Judæi volunt eum vaticinatum eſſe regnante Manaſſe (h). S. Clemens Alexandrinus *l.* 1. *Stromat.* arbitratur, Ninives excidium prædixiſſe viventibus Daniele, & Ezechiele, ideircò captivitatis tempore. Nos tamen, S. Hieronymi ſententiæ adhærentes, putamus, Ezechiæ tempore vaticinia ſua edidiſſe poſt bellum Sennacherib in Ægypto, de quo bello Beroſus (i). Nempe agit Nahum de expugnatione Noammon urbis Ægypti *c.* 3. 8., de Rabſacis audacia *c.* 2. 13., de clade Sennacherib *c.* 2. 11. *&* 1. 9., & ita ea omnia recenſet, ac ſi jam eveniſſent. Judæos adhuc in ſuis regionibus fuiſſe, dum hæc ſcribebat; ſuaſque celebrare ſolemnitates innuit. Captivitatis, & diſperſionis decem Tribuum meminit. Ex his omnibus colligimus Nahum poni non poſſe ante decimum quintum annum Regni Ezechiæ, cùm Sennacherib in hunc Regem, Regni ipſius anno 15. inſurrexerit.

Cùm autem Ninives excidium, de quo Nahum, illud eſſe non poſſit, quod longè ante (nempe anno M. 3257.), ſub Sardanapalo contigit, neceſſe eſt vaticinium de obſidione ſecunda intelligere, qua eam Nabopolaſſar & Aſtyages oppreſſere *an. M.* 3378. *ante Ch.* 622. *ante Ær.* 626. Quod tempus reſpondet anno decimo ſexto Regni Joſiæ, quo regnante, everſionem Ninives contigiſſe ſcribit S. Hieronymus *Præfat. in Jonam*. Tobias 14. 16. *in Græco* Nabopolaſſaro Nabuchodonoſoris, & Aſtyagi Aſſueri nomen tribuens, Ninivem à Nabuchodonoſore, & Aſſuero captam ſcribit.

(Miram everſionis Ninive deſcriptionem exhibet Nahum. Prædicit ille Urbem evertendam inundantium ac mœnia dejicientium aquarum diluvio, Nahum 1. *&* 2. 6. 8. Diodorus Siculus lib. 2. & Athenæus lib. 12. referunt, quo tempore Urbs ſtringebatur copiis Beleſi, & Arbacis ſub Sardanapalo, Tigridis undas adeo intumuiſſe, ut everterent mœnium Ninive viginti ſtadiorum tractum. Cùm tamen obſidio illa, de qua Nahum, poſterior ſit tempore captæ urbis ſub Sardanapalo, reputandum eſt in ſecunda & poſtrema obſidione ſub Nabuchodonoſore & Aſtyage idem malum ſubiiſſe Urbem; facilè enim aquas opportunè averterunt hoſtes ea plenè arte, quæ olim in priori obſidione, non infelici ſucceſſu, tentata fuerat.)

Copias etiam in Urbis obſidionem venientes deſcribit Nahum: *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis; ignea habena currus in die præparationis ejus, & agitatores conſopiti ſunt.* In Urbe vero turbata omnia: *Quadrigæ colliſæ ſunt in plateis, aſpectus eorum quaſi lampades, quaſi fulgura diſcurrentia*, nempe præ furore, rabie & deſperatione quibus aguntur; *Excitabunt ſe ad prælium recordatione fortium ſuorum*, quos nempe urbs Ninive dedit. *Ruent in itineribus ſuis, velociter aſcendent muros ejus & præparabitur umbraculum: Portæ fluviorum apertæ ſunt*, disjecti pontes. *Templum ad ſolum dirutum* . . . . *Ninive quaſi piſcina aquarum aquæ ejus, ipſi vero fugient. State, State, & non eſt qui revertatur. Diripite* (victores) *argentum, diripite aurum, & non eſt finis divitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. Diſſipata eſt & ſciſſa & dilacerata, & cor tabeſcens, &*

(a) Natus An. M. 1849. ante Ch. 2151. ante Ær. 2155.
(b) Geneſ. 11. 22. 24. An M. 1997. ante Chr. 2003. ante Ær. 2007.
(c) Levit. 10. 1. &c. An. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(d) An M. 3050. ante Chr. 950. ante Ær. 954. (e) Num. 7. 12. An. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(f) Hier. Comment. in Nahum.
(g) Vide Epiphan. de vita, & morte Prophet. Epiphan. apud Hieronym. Chronic. Paſchal.
(h) Seder. Olam. Sixt. Senenſ. Grot. Vat. Genebr. Mont. (i) Apud Joſeph. Antiq. l. 10. c. 1. ad finem.

diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.

Ubi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, & non eſt qui exterreat? Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & ſuccendam uſque ad fumum quadrigas tuas & leunculos tuos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultra vox nunciorum tuorum. Væ Civitas ſanguinum, univerſa mendacii dilaceratione plena, non recedet à te rapina. Vox flagelli, & impetus rotæ & quadrigæ ferventis, & equitis aſcendentis & micantis gladii & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ & gravis ruinæ; nec eſt finis cadaverum, & corruent in corporibus ſuis. Vide infra *Ninive*.

Hoc autem ſpecimen exhibuimus ſtili Nahum, quem relevant vividiores figuræ, phraſium energia, ac picturarum magnificentia. Nihil ſimile apud Prophanos occurreret. Tempus mortis ejus ignoratur; Feſtum verò conſignant Menologia Græca & Martyrologia Latina ad primam Decembris. Sed Petrus de Natalibus rejicit ad diem 14. ejuſdem Menſis, quam ipſam emortualem viri ſancti diem affirmat, nullo dato opinionis ſuæ teſtimonio.)

NAID, regio, in quam Cain poſt fratris cædem ſe recepit. Vide *Nod*.

NAIM, urbs Palæſtinæ, ubi Chriſtus viduæ filium, quem ad tumulum efferebant, revocavit ad vitam. Euſebius hanc urbem propè Endor, & Scythopolim locat (a). Alibi (b), duobus milliaribus diſtare à monte Thabor ad meridiem ſcribit. Torrens Ciſon inter Thabor & Naim fluit.

NAIN, urbs, ſive oppidum Idumææ, in quo Simon Gioræ filius ſe validiſſimè munijt (c).

NAJOTH, propè Ramatham, quò, Saulem ſibi mortem intentantem declinans, David confugit (d). Samuel unà cum filiis Prophetarum in Najoth propè Ramatham morabatur. 1. *Reg.* 19. 23.

NAIS, urbs in Campo Magno (e), eadem fortè ac *Naim*.

NAMSI, pater Jehu Regis Iſraeliſ. *Reg.* 19. 16.

I. NAMUEL, filius Eliab, ex Tribu Ruben, frater Dathan, & Abiron. *Num.* 26. 9.

II. NAMUEL, filius Simeonis, ex quo familia Namuelitarum. *Num* 26. 12.

NANÆA. Antiochus Epiphanes, in Perſidem progreſſus ea mente (f), ut populorum ſumptibus, aut etiam Templorum ſpoliis ditaretur, Elymaidem contenuit, ubi Templum celeberrimum *Anaidis*, ſeù *Nanææ*, gentium illarum Deæ dicatum viſebatur. Ut autem faciliùs dotis nomine divitias Templi conſequeretur, vulgavit ſe illuc veniſſe, ut Nanææ nuberet. Templi Sacerdotes omnes theſauros ei oſtenderunt. At ubi Antiochus venit, divitias erepturus, aperto occulto aditu Templi, lapidum nimbum in Ducem & in ſuos impegerunt; quibus obrutis capita abſcidere, & membratim cæſos projecerunt. Hæc in ſecundo Machabæorum.

Primus tamen Machabæorum. 6. 1. hoc ita refert. Cum Antiochus Elymaide Templum ditiſſimum eſſe intellexiſſet, illuc ſtatim progreſſus eſt, ut urbem caperet, & popularetur. Cujus animus cùm civibus illis innotuiſſet, in eum continuò inſurrexerunt, & profugum Babylonem compulere. Ut hæc loca conveniant, Antiochus dici poteſt Elymaidem veniſſe, & Nanææ Templum ingreſſum, ut ejus theſauros diriperet; quare Sacerdotes, & cives in Antiochum inſurgentes, eum ſibi fuga conſulere coegerunt, multum plurimis lapidum imbre obrutis, & interfectis *an. M.* 3840. *ant. Ch.* 160. *ant. Ær.* 164.

Authores de Templo Elymaidis ſcribentes, in diverſas diſtrahuntur ſententias, ubi agunt de Dea, quæ ibi colebatur. Polybius, & Diodorus Siculus eam putant *Dianam*, aut Lunam. Appianus Venerem dicit. Polybius Venerem Elymæam vocat. Quidam ajunt, eſſe Cybelem Deorum matrem. Plerique tamen cenſent, eſſe eam ipſam Dianam, quam Strabo *Anaitidem*, aut *Anaitidem* appellat. Hæc virgo erat, cum Antiochus ei nubere ſimularet, & refert Plutarchus, à Rege Artaxerſe, ne ejus filius, Aſpaſiam amans, eidem nuberet, ipſam Aſpaſiam perpetua virginitate *Anaidi Ecbatanæ* dicatam.

NANNETIS, impii divitis, de quo Lucas 16. 19. nomen, apud nonnullos. At neque Scriptura, neque quiſquam bonæ notæ Author eum hoc nomine unquam appellant.

NAPHAT-DOR, Vide *Nephatdor*.

NAPHEG, filius Davidis. 1. *Par.* 14. 6.

NAPHIS, filius Iſmaelis. *Gen.* 25. 15. & 1. *Par.* 1. 31.

NAPHTA, bituminis genus, propè Babylonem proveniens. Daniel fornacem, in quam Miſach, Sidrach, & Abdenago injecti fuere, naphta, ſtupa, pice, igneiſque aliis rebus ſuccenſam ſcribit *c.* 6.46. Noe naphta, aut bitumino arcam illivit; *Gen.* 6. 14. & in turris Babel paretibus conſtruendis cœnum naphta miſtum adhibitum fuit *Gen.* 11. 3. Conſtat naphtam eſſe adeò ſubtilem, & ad ignem in ſe excitandum diſpoſitam, ut vel igne à ſe aliquatenus diſſito flammas concipiat. Narrat Strabo *l.* 15. communi aqua conceptum à naphta ignem non poſſe extingui. Scribit Plinius *l.* 2. *c.* 105. à Medea pellicem concrematam, corona, naphata illita, quæ eam donaverat, cum enim ea vix ad ſacrificii Altare acceſſiſſet, ſtatim flammas excitavit.

(Naphta genus eſt petrolei ſeu liquoris è petra ſcatentis alicubi per Orbem, modò hunc referentis colorem, modò alium, juxta naturam ſeu petræ, ſeu terræ, è qua exprimitur; interdum liquidus eſt, craſſina interdum, ſemper tamen ſulphureum, liquidum, inflammabile. Nomen *Naphta* derivatur à Chaldæo vel ex Hebræo *Noph* aut *Naph*, *ſtillare*, quòd ſcilicet guttatim cadat tanquam bitumen, aſt Plinius lib. 35. cap. 15. Bituminis hujus plurimum ſufficiunt fontes quidam juxta Urbem Hit in Chaldæa (g); abundant etiam illo montes *Farganah* in Provincia Tranſoxana. Porro Turcæ Naphtam diſtinguere volentes a pice, priorem illam appellant maſticem nigram. Aliud *Naphta* genus, appellant *Naphtam petream*, quod e petris ſtillat. In Ducatu Mutinenſi montes cujuſdam petra liquore iſto exſudat; id generis exhibet etiam locus quidam ad Raguſium; ſicut & plura in Provinciis Galliæ, ut Arvernis &c. Gallica Naphta mollis eſt, tanquam pix, liquida, fuſca, & ingrate olens; Italica verò genus eſt petrolei vel olei clarioris; interdum alba, rubra ſæpè, ſæpè flava, nigra, viridis. De Naphta veteri ac recentiori Diſſertationem ſcripſit Iſaacus Voſſius.)

NARBATHA, metropolis Narbathenæ, ſtadiis 60. à Cæſarea Palæſtinæ. *Joſeph. de Bello* l. 2. c. 14. Rufinus legis Nabatam in Samaria.

NARCISSUS. S. Paulus in Epiſtola ad Romanos 16. 11. ſcribit; *Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino*, Hinc non magis colligimus, Narciſſum fuiſſe Fidelem, quàm colligamus fuiſſe Fideles Cæſaris domeſticos, quibus ſalutem mittit in Epiſtola ad Philippenſes 4. 22.: *Salutant vos, qui ſunt de domo Cæſaris*, nempè, ut credimus, Neronis domeſticos. Origenes *in Rom.* 16. vult ex iſtoc, *eos, qui ſunt ex Narciſſi domo*, probari, hanc dominum non fuiſſe Fidelem. Grotius putat Narciſſum Ethnicum: alii tamen eum dicunt Fidelem. At, cum hi Narciſſum Libertum Claudii Imperatoris fuiſſe velint, apertè non ſibi conſtant; hic enim Narciſſus nunquam Fidelis fuit, & jam deceſſerat, antequàm S. Paulus Epiſtolam ſcriberet ad Romanos. Ambroſiaſter *in Rom.* 16. 11. ex aliquibus exemplaribus habet Narciſſum fuiſſe

(a) Euſeb. Onomaſt. in Endor. (b) Idem in Naim. (c) Joſeph. de Bello l. 5. c. 7.
(d) A. M. 2944. ante Chr. 1056. ante Ær. 1060. (e) Antiq. l. 20. c. 16.
(f) 2. Macch. 1. 13. 14. Vide & 1. Macch. 6. 1. &c. (g) D'Herbelot Biblіot. Orient. pag. 452. 656. 740.

fuiſſe Sacerdotem ſcribit; quare ſi S. Paulus ei ſalutem non dicit, in cauſa fuit, quòd fortè tunc temporis abeſſet. Hunc Græci Epiſcopum Athenarum, & Martyrem faciunt, & Apoſtolum dicunt, & inter Diſcipulos 70. recenſent (a). Ipſius meminit & Baronius in Martyrologio Romano ſub die 31. Octobris.

NARDUS, herba in India proveniens, cujus radix exigua, & tenuiſſima, truncus longus, & ſubtilis; plures flores ſolo repentes gignit; idcirco *ſpica nardi* appellatur. Nardus in montibus oriens magis redolet, quam quæ juxtà aquas. Omnes Nardi ſpecies ſiccæ ſunt, & calidæ; hauſtæ urinam expellunt & ventrem exonerant. Nardus Indica, quam *ſpicam nardi* omnes appellant, tunc vera eſt, ſi colore ſit flavo, ad purpureum declinante, ſi ſpicas habeat longas, & ſpicarum pilos latos, & redolentes: ſi palato acris ſit, & amara, ſi linguam exſiccet, & os gratiſſimo odore ſuffundat. Roſmarinum, & *ſpicum* eſſe nardi ſpecies putant. Ex nardi ariſtis unguentum ſuaviſſimum educitur, de quo ſæpè Scriptura. Canticorum Sponſa ait 1. 11. & 4. 13.: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Marcus 16. 3. meminit unguenti cujuſdam *ex nardo ſpicato*, & S. Joannes 12. 3. unguentum ſcribit ex nardo piſtico, quod plurimi volunt ex vera nardo confectum. Quare ſatis veriſimile eſt, Amanuenſes tranſcripſiſſe, *nardi piſtici*, pro *nardi ſpicati*. Spica nardi pretioſiſſimorum unguentorum maxima pars eſt; unguentum autem, quod ex ejus foliis ducitur, longè inferius eſt. *Cacamina nardi*, inquit Plinius *l.* 12. *c.* 12., *in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote nardi ſpicas, & folia celebrant.*

(NASI vel *Naſchi*, i. e. Princeps, quo nominè appellant Hebræi Principes Tribuum, itemque magnarum familiarum, ſicut & Principes populi. Nomen eſt hodie veluti conſecratum ad deſignandum Principem, Præſidem, atque inter Judices Sanhedrinos ſupremum. Eo honoris elogio tunc donatus fuit Simon Macchabæus, ex quo jugum ſervitutis Græcorum excuſſit; titulum autem illum legas in nummis ejuſdem Principis. Porro *Naſi* ſeu Princeps Sanhedrii creditum ſibi depoſitum ſervabat Legis oralis vel Traditionis, quod Moyſes, ſi fides habeatur Rabbinis, commiſerat ſeptuaginta Senioribus, Sanhedrin conſtituentibus. Quibus ea ſedet opinio, cœtum hunc jam inde à Moyſe per ſæculorum tractum perſeveraſſe; tenent pariter dignitatem Naſi à Moyſe cœptam ad poſteros deinde continuata ſerie tranſmiſſam fuiſſe. Recentiorem verò Moyſe eam dignitatem conſtituunt ii, quibus multo recentius Moyſe Sanhedrim creditur. Sunt qui dignitatem illam repetant ab Eſdra, à quo velut affixam credunt familiæ Davidicæ. Totam ejus gloriam implevit Hillel, qui è Babylonia in Judæam migravit ſub Herode ante Chriſtum 30. annis circiter. Poſt everſam Jeroſolymam nomine *Principis* abolito, ſubſtituta eſt dignitas *Patriarchæ*, vel *Principis Captivitatis*. Porro dignitatis titulos illos noſcere operæ pretium cenſemus, ut lux affundatur Scriptis Rabbinicis cæteriſque agentibus de Republica & politia Judæorum.

NASUS, NARES. Iræ ſedem conſtituebant Hebræi in naribus: *Aſcendit fumus de naribus ejus* 2. *Reg.* 22. & Deut. 29. 20. *Tunc quam maximè furor ejus fumet.* Vide etiam Pſ. 17. 9. *Aſcendit fumus in ira ejus*; Hebræus: *In naſo ejus.* Job 41. 11. *De naribus ejus procedit fumus.* Paria fermè uſurpabant veteres Græci (b), Latinique Scriptores. Perſius.

Diſce; ſed ira cadat naſo rugoſaque ſanna,

Plautus:

Fames & mora bilem in naſa conciunt.

Solemne erat Orientalibus fœminis ut alterutri è naribus insererent aureum circulum, quò ſpectat Salomonia illud Proverb. 11. 22. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* Tum & Ezechielis illud 16. 12. *Dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis.*

Annulis etiam trajiciebantur nares boum, camelorumque, ut commodiùs agerentur 4. *Reg.* 19. 28. *Ponam circulum in naribus tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.* Job 40. 21. *Nunquid pones circulum in naribus ejus; aut armilla perforabis maxillam ejus.*

Ezechiel 8. 17. in ſpiritu raptus ad Templum monſtrante Deo vidit Judæos Idololatras *applicantes ramum ad nares ſuas*. Offerebant illi facilè Soli ornatum fructibus ramum, quo argumento agnoſcerent è Numine illius bona omnia ſuſcipi. Reddi poteſt Hebræus: *Projiciebant inſtrumenta ſua muſica ante facies ſuas.* Id facilè uſurpabant Levitæ, ut ſcilicet proſternerent ſe coram Sole, projicerentque coram illo muſica inſtrumenta.)

NATATORIA SILOE, piſcina Siloe, Græce *Kolymbethra Siloe*. Stagnum eſt prope mœnia Jeroſolymæ ad Orientem. Aquis fontis Siloe hæc piſcina replebatur. Jeſus cæcum natum ad oculos ſibi tergendos in piſcina Siloe miſit *Joan.* 9. 7. Vide *Siloe*.

I. NATHAN, Davidis, & Bethſabee filius, 2. *Reg.* 5. 14., Mathatæ pater. *Luc.* 3. 31.

II. NATHAN, Propheta Domini notiſſimus, qui regnante Davide floruit in Iſraele, maxima Davidi functus neceſſitudine 2. *Reg.* 11. 3. Latet ejus patria, annus quoque, quò cœperit vaticinari. Primum ejus meminit (c) Scriptura, cùm Davidem de Templo Domini ædificando cogitaſſe narrat; nam de iis, quæ Rex volvebat, ab ipſo Rege admonitus, & eam planè mentem à Deo ipſi inditam autumans, conſilium probavit. Attamen nocte eadem Dominus Prophetæ imperavit, ut ad Davidem regreſſus nunciaret, nondum ſibi in Iſraele Templum certum fuiſſe erectum, neque tunc ſe ſibi illud depoſcere; præterea non ipſi Davidi, ſed Davidis filio, Regni ſucceſſori, Templi ſibi conſtruendi gloriam eſſe conſtitutam: Demum Davidi, illiuſque omnibus ſucceſſoribus opem, & gratiam ſe firmiſſimè præſtiturum.

Diu poſt (d), cùm Bethſabee adulterio, & cæde Uriæ ab Ammonitis interfecti ſe obnoxium David conſtituiſſet, ad eum Dominus miſit Nathanum, qui ut criminis Regem argueret, ſapientiſſime hanc ei hiſtoriam exhibuit: Dives quidam, plurimorum pecorum, & gregum Dominus, ut convivium amico, qui apud eum ſe receperat, inſtrueret, ovem abſtulit cuidam pauperi, qui præter eam nihil habebat. Hæc ubi audivit David, ira correptus, mortis reum illum eſſe pronunciavit; ovem quater redditurum. Cui ſtatim Nathan. Tu es ille vir; inde Divina in eum collata beneficia enumerans, cædem denique Uriæ, & adulterium exprobravit. Bellis proptereà ſe impoſterùm exagitandum, uxores ſuas palam violandas ſciret.

Terrore ſimul ac dolore perculſum Davidem ſui criminis pœnituit; cùmque ſe in Dominum peccaſſe ingemiſceret, Nathan rurſus eum alloquutus: Dominus, inquit, quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Cùm tamen inimicis Domini obloquendi materiam præbueris, filius ex Bethſabee tuus morietur. Ut Nathan prædixerat, omnia evenere. Hinc ſanè intelligitur Propheta ad Davidem arguendum nonniſi ferè poſt annum à crimine ſe contuliſſe, cujus ſeriò ita Davidem pœnituit, ut Dominus eum ſolaretur; nam alterum ex Bethſabee filium excepit, quem Salomonem vocavit; miſſus autem Deo Nathan, puerum recens natum *Jedidiah* (e), nempè Deo amabilem, appellavit. Tunc fortè Dominus aperuit Davidi, Salomonem ei in Regno ſucceſſurum, Templum ſibi erecturum, & conſequuturum omnia, quæ ipſimet antea ſpoponderat. Vide 2. *Reg.* 7. 12.

David tandem cùm ſenio confectus moreretur,

(a) Menæa 31. Octob. (b) Homer. Odyſſ. 24. Theocryt. (c) 2. Reg. 7. 3. &c. An. M. 2960. ante Ch. 1040. ante Ær. 1044. (d) 2. Reg. 12. &c. A. M. 2970. ante Ch. 1030. ante Ær. 1034.
(e) 2. Reg. 12. 24. An. M. 2971. ante Ch. 1029. an. Ær. 1033.

ſurrexit (a) Adonias, qui aliquorum, quos ſibi devinxerat, auxilio fretus, Salomone rejecto, imperium occupare conabatur. Joab Princeps militiæ Regis, & Abjathar Sacerdos, adhærebant Adoniæ, Nathan verò, meliorque militiæ pars in eum non conveniebant. Quadam itaque die, cùm ſuos ad convivium vocaſſet Adonias, omnia Nathan matri Salomonis Bethſabee indicavit, eamque inſtruxit, ut Davidem adiret, promiſſumque filio ſuo Regnum ipſi in mentem revocaret: cur ergo Adonias Regnum occupaſſet? Ei etiam, ubi hæc Davidi nunciaſſet, ſe superventurum, & omnia, quæ dixiſſet, comprobaturum ſpopondit. Paruit Bethſabee, cùmque adhuc Regem alloqueretur, Nathan veniens, Domine, inquit, mi Rex, anne de tua ſententia nunc imperat Adonias? Nonne tui Regni ſucceſſorem Salomonem jam conſtitueras?

Itaque David Sadoc Sacerdotem, Banajam filium Jojadæ accitos, unà cum Nathano in Gihon miſit, ut in Regem Iſraelis ungerent Salomonem. Quem propterea mulæ Regis impoſitum, & ad fontem Gihon deductum, & in Regem Iſraelis inunctum, maximo populi plauſu Regem conclamarunt.

Quo tempore, & qua morte Nathan deceſſerit, adhuc latet. Ex Paralipomenis 1. 29. 29. habemus geſta Davidis à Gad, & Nathano conſcripta fuiſſe; à quibus etiam unà cum Davide Templi miniſtri ordine fuere compoſiti 1. *Par.* 25. 9. Nathan denique, & Ahias Silonites Salomonis geſta recenſuerunt 2. *Par.* 9. 29. Regnante Salomone quidam Azarias filius Nathani inter nobiliores Aulæ Præfectos numerabatur 3. *Reg.* 4. 5.; quem tamen, an Nathani Prophetæ filius fuerit, ignoramus.

D. Epiphanius in Prophetarum vita, ab aliquo apocrypho libro depromptum recolit monumentum, quo dicitur, Nathan divinitus Davidis adulterium prævidens, ſtatim Jeroſolymam iter inſtituiſſe, ut à tanto crimine Regem averteret; at à Dæmone factum eſſe, ut ſero perveniret; cùm enim nudum hominis cadaver in medio itinere ei exhibuiſſet, dum mortuum ſepeliebat, David adulterio ſe polluit. Eupolemus (b) Angelum Domini Nathanum facit; cùm ait Angelum nomine *Dianathan* dixiſſe Davidi, à Deo non eſſe conſtitutum, ut Templum ipſe Domino ædificaret.

III. NATHAN, pater Igaalis 2. *Reg.* 23. 36. Joelis frater dicitur. 1. *Par.* 11. 38.

IV. NATHAN, pater Zabud Sacerdotis 3. *Reg.* 4. 5.

V. NATHAN, pater Azariæ, 3. *Reg.* 4. 5.

VI. NATHAN, filius Ethei, & pater Zabad, ex progenie Caleb. 1. *Par.* 4. 36.

VII. NATHAN, frater Joelis. 1. *Par.* 11. 38 unus ex viris fortiſſimis exercitus Davidici. Idem eſt ac pater Igaalis. 2. *Reg.* 23. 36.

VIII. NATHAN, unus ex optimatibus Judæorum, qui Babylone unà cum Eſdra Jeroſolymam rediere, à quo etiam miſſi fuerunt ad Eddo, ut ab eo Nathinæos, qui Templo inſervirent, conſequerentur, 1. *Eſdr* 8. 16.

I. NATHANAEL, filius Suar, Princeps Tribus Iſsachar, cùm Hebræi egrederentur ab Ægypto, Ut ſuæ Tribus Princeps, oblationem ſuam coram Tabernaculo obtulit anno ſecundo ab egreſſu Judæorum ex Ægypto (c).

II. NATHANAEL, quartus filius Iſai Bethleemitæ, & frater Davidis. 1. *Par.* 2. 14.

III. NATHANAEL, filius Obededom ex progenie Sacerdotali, qui tuba ante Arcam Domini, dum hæc transferebatur Jeroſolymam, canebat. 1. *Par.* 15. 24. & 26. 4. 6.

IV. NATHANAEL, Legis peritus, quem Joſaphat in plures Imperii ſui urbes ad docendos populos miſit 2. *Par.* 17. 7.

V. NATHANAEL, pater Semèiæ Levitæ 1. *Par.* 24.

VI. NATHANAEL, Levita ſub Joſia. 2. *Par.* 35. 9.

VII. NATHANAEL, unus ex Principibus Judæorum, qui Babylone Jeroſolymam rediere (d).

VIII. NATHANAEL, Jeſu Chriſti Diſcipulus (e). Philippus, cùm obvium Nathanaelem habuiſſet, Meſſiam ſe inveniſſe eumque eſſe Jeſum Joſephi filium, ex urbe Nazareth, nunciavit. Cui cùm Nathanael ex Nazareth boni aliquid via prodire poſſe reſpondiſſet; Veni, ſubdidit Philippus, & vide. Ubi autem Nathanaelem venientem Jeſus vidit, Ecce, inquit, verus Iſraelita, in quo dolus non eſt; quare ab ipſo Nathanaele interrogatus, qui ſe noſſet, Jeſus reſpondit: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te (credimus à Chriſto fuiſſe in ſpiritu viſum Nathanaelem; cùm ſub hac ficu Deum oraret, ut ſibi Meſſiam oſtenderet). Tunc Nathanael, Magiſter, ait, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. Cui ruſſum Jeſus, majora his viſurum ſpopondit. *Jo.* 21. 2.

Putarunt quidam Nathanaelem fuiſſe S. Bartholomæum, ut diximus v. *Bartholomæus*; quare, cum hoc ſatis veriſimile ſit, alter ab altero diſtinguendus non eſt. Evangeliſtæ, qui de S. Bartholomæo diſſerunt, nihil referunt de Nathanaele, & S. Joannes, qui loquitur de Nathanaele, Bartholomæum ſilet. Prope finem Evangelii S. Joannis legimus, Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem ſuam ſe videndum D. Petro, D. Thomæ, Nathanaeli, & filiis Zebedæi, dum piſcabantur in lacu Geneſareth, exhibuiſſe. Nihil præterea nobis conſtat de vita, & morte Nathanaelis, quem quidam putant fuiſſe ſponſum nuptiarum Canæ Galilææ (f).

I. NATHANIAS, ex domo regali Judæ, & pater Iſmaelis, qui Godoliam interfecit. 4. *Reg.* 25. 23.

II. NATHANIAS, Levita, Princeps quinti chori Muſicorum. 1. *Par.* 25. 2. 12.

NATHAN-MELECH, Eunuchus, ſivè Miniſter Manaſſis Regis Juda, qui currus, ab impiiſſimo Rege Soli dedicatos, curabat. 4. *Reg.* 23. 11.

NATHINÆI, vox ab Hebræo *nathan*, quod eſt *donatus*. *Nathinæi*, ſeù *Nethinæi*, ſervi erant, vilioribus Tabernaculi, & Templi miniſteriis, velutì aquis, & lignis ferendis, addicti. Primò Gabaonitis hæc cura demandata fuerat *Joſue* 9. 27. Deindè idem onus impoſitum Chananæis in ſervitutem redactis, & ab interitu ereptis. In Eſdra legimus 1. 8. 20., Nathinæos fuiſſe mancipia, quæ dederat David, & Principes in templi miniſterium; alibi etiam dicuntur fuiſſe ſervi, à Salomone Templi ſervitiis addicti 1. *Eſdr.* 2. 58.: *Filii ſervorum Salomonis*. Profectò ex Regum Libris intelligimus 3. *Reg.* 6. 20., ab eo Rege Chananæorum reliquos fuiſſe ſubactos, & diverſis ſervorum miniſteriis fuiſſe occupatos; quare veriſimile omninò eſt, eorum plurimos ab ipſo Salomone traditos eſſe Sacerdotibus, & Levitis, ut Templi miniſteriis impenderentur. Nathinæi cùm Tribu Judæ captivi ducti ſunt Babylonem, quorum plurimi propè Caſpias Portas morabantur, unde Eſdras aliquot reduxit Jeroſolymam 1. *Eſdr.* 8. 19. Poſt captivitatem eas urbes frequentarunt, quæ ipſis fuerant conſtitutæ. 1. *Eſdr.* 2. 70. quidam tamen Hieroſolymis vicum Ophel incolebant 2. *Eſdr.* 3. 26. Qui cum Eſdra regreſſi ſunt Babylone 220. fuere 1. *Eſdr.* 8. 20. qui verò cum Zorobabele venerunt 392. 1. *Eſdr.* 2. 58. Hæc tamen multitudo impar adhuc erat miniſteriis, quibus addicti fuerant; quare legimus deinde conſtitutam Solemnitatem, quam *Xilophoriam* appellarunt; qua populus publicè ad Templum ligna deferebat, quibus Altaris holocauſtorum ignis foveretur (g).

(NA-

(a) 3. Reg. 1. 8. &c. A. M. 2989. ante Ch. 1011. an. Ær. 1015. (b) Euſeb. Præpar. l. 9. c. 30.
(c) Num. 1. 8. & 7. 18. An. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490. (d) 1. Eſdr. 10. 22. & 2. Eſdr. 12. 21.
(e) Jo. 1. 45 &c. An. Ær. 30. paulò poſt Chriſti baptiſmum & ante primum Paſcha
(f) Rupert. in Joan. Baſil. ſermo de S. Joan. Ligtfoot. Janſ. &c. (g) Joſeph. de Bello, l. 2. c. 17.

(NATURA. Hoc nomine Scripturæ ſtylo deſignatur naturalis ille rerum ordo in mundo conſtitutus. Ita crimen *contra naturam Judic.* 19. 24. *Rom.* 1. 26. illud eſt, quod opponitur legi à Deo conſtitutæ in hominum productione: *Obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum.* In hunc ſenſum Apoſtolus affirmat ramum olivæ ſativæ inſeri oleaſtro *contra naturam Rom.* 11. 24. quod ſcilicet ſanctus naturæ ordo utcunque inſertione illa violatur.

Natura valet etiam nativitas; *Nos natura Judæi Galat.* 2. 15. i. e. Judæi non Gentiles nati ſumus. Et ad Epheſios 2. 3. *Natura* (ſumus) *filii iræ*.

Exprimit etiam natura communem ſenſum, inſtinctum naturalem, ac lumen illud, quod Deus parens hominibus æquè omnibus communicavit: *Ipſa natura docet vos*, 1. *Cor.* 11. 14. quod vir quidem ſi comam nutriat ignominia eſt illi.

Natura animalium illa eſt, qua à cæteris rebus creatis, æquè ac varia inter ſe animalium genera diſtinguuntur: *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentum & cæterorum domantur & domita ſunt à natura humana*, *Jacob.* 3. 7.

Docet S. Petrus in Epiſtola ſecunda 1. 4. Jeſu Chriſti largitate effici nos *Divinæ conſortes naturæ*; promeruit enim nobis dignitatem filiorum Dei, ac pares nos fecit, ope gratiæ ſuæ, ut æterna beatitudine frueremur.)

NAVE, nomen *Nun* patris Joſue, apud Græcos.

(NAZARATUS. Hoc nomine appellatum volunt aliqui Ezechielem, alii Zoroaſtrem, Nazaratum Philoſophum Aſſyrium audivit Pythagoras. Vide *Ezechielem & Zoroaſtrem*.

NAZARÆI. Quo tempore Mahometus prodivit, frequentabant ſparſi per Arabiam Judæi plures, adeo potentes, & ut tenerent arces, in quibus deſpotico jure imperarent (a). Notat *Ben ſchonah* in vita Mahometi anno Hægiræ 3. J. C. 625. expeditionem ſuſcepiſſe Mahometum in varios Arabiæ Principes, quos non vicerit tantùm, ſed & coegerit cum ſubjectis ſibi gentibus omnibus jugum ſubire. Vertente anno prælium inivit cum *Nazaræis* vel *Nadaræis* populis Judæis; frequentes cæcidiſſe, coegiſſeque cæteros è regione ſua pedem referre & reducere ſe in *Caibar*. Poſt hæc etiam res non ſemel miſcuit cum illis; ſed tandem recepit in fidem, patentibuſque datis literis patrocinium illis ſuum & tutamen conceſſit. Vero propius autumaremus, Nazaræos illos ipſiſſimos fuiſſe Nazaræos vel Chriſtianos Hebraizantes prioribus Chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis ſat notos. Scitum eſt ſuperiori, ante Mahometum ætate Judæos & Chriſtianos frequentes per Arabiam verſatos fuiſſe.)

NAZARÆUS, ſive *Nazarenus*. Hac voce 1. civis Nazareth, quicunque ille ſit, ſignificatur: 2. eo nomine vocatus eſt Jeſus Chriſtus, ejuſque Diſcipuli; quo etiam ut plurimum per jocum, & contemptum uſi ſunt authores, qui opus aliquod adverſus Chriſtianos ediderunt: 3. quædam hæreticorum Secta, Nazaræorum Secta vocabatur: 4. Nazaræi voce venit etiam quilibet, qui Nazaræorum legibus ſe obſtrinxiſſet, vel totius vitæ ſpatio, ut Sampſon, & D. Joannes Baptiſta; vel tantùm certo quodam tempore, ut ii, de quibus Scriptura in Numeris 6. 18. *&c. Amos* 2. 11.: 5. demum Nazaræi nomine interdum in Scriptura *Gen.* 59. 26. *Deut.* 33. 16. vir conſpicuus, & apud aliquem Principem inſigni ornatus dignitate deſignatur. Fuſiùs tamen, & enucleatiùs de Nazaræis agendum.

Nazaræi nomen non tantùm idcirco Chriſto tribuitur, quod ut plurimùm vitam ſuam in urbe Nazareth traduxerit, & quòd ea civitas ejus ſemper patria habita fuerit; verùm etiam, quod Prophetæ ita vocandum fore prædixerint: *Matth.* 2. 23. *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* Nullum tamen in Prophetis locum habemus, quo perſpicuè *Nazaræus* Chriſtus vocandus dicatur; Matthæus autem genericè tantùm meminit ejus rei, quam Prophetæ vaticinati ſunt. Fortè innuere voluit, Nazaræorum conſecratione, & ſanctitate, quam illi profitebantur, *Num.* 6. 18. quadam Prophetiæ ſpecie, exhibitam fuiſſe Chriſti conſecrationem, & ſanctitatem; ſive nomine *Nazir*, vel *Nazaræi*, quo vocatus eſt Patriarcha Joſephus, *Gen.* 49. 26. *Deut.* 33. 16. ea prædicta fuiſſe, quæ Chriſto, cujus typus Joſephus, eventura erant. Denique putat D. Hieronymus *in Matth.* 2. 23. *& in Iſa.* 11. 1. hoc à Matthæo referri ad illud Iſaiæ 11. 1. & 60. 21. *egredietur virga de radice Jeſſe, & flos* (Hebraicè *Nezer*) *de radice ejus aſcendet*. Hæc autem virga, hic flos Nezer unanimi Patrum, ac Interpretum ſententia Chriſtus intelligitur.

Nazaræus, ut hæreticos Nazaræos ſonat, ſignificat Fideles quoſdam ab Judaiſmo converſos, pertinaciſſimè tamen cæremonialibus Judæorum moribus adhærentes, quorum præcipuus error operum Legis neceſſitatem, & utilitatem tuebatur. Nazaræorum nomine nihil primò odioſum, aut ingratum ferebatur, & vulgò ſatis eodem ipſo primi Fideles donabantur. Sæpè à Patribus mentio fit Evangelii *Nazaræorum*, quod idem eſt ac S. Matthæi, Hebraicè, aut Syriacè conſcriptum. Hoc frequens erat apud priſtinos Fideles; & deinde ab Ebionitis vitiatum fuit. Hi Nazaræi primò id Evangelium incorruptum ſervarunt; quod ætate S. Hieronymi (b) adhuc extans, nulli errori obnoxium inventum eſt. Iidem Legem Moyſis maximè tuebantur, & æquè Phariſæorum Traditiones contemnebant.

Nazaræus ut eos denotat, qui in Veteri Lege præcipuam Sanctitatem vovebant, *Num.* 6. 2. virum ſignificat, vel mulierem, qui voto ſe obſtringebant vino, & eo omni, quod inebriare poſſet, abſtinere; capillos nunquam tondere; domum mortui cadavere infeſtam non ingredi; cujuſquam funeri non intereſſe; & ab initio cæremonias ſui Nazaræatus, & conſecrationis repetere, ſi fortè quiſpiam coram ipſis occubuiſſet. Hæ autem cæremoniæ, ut plurimùm, ad dies octo, aliquando ad menſem, quandoque ad totius vitæ tempus protrahebantur. Cùm dies ſui Nazaræatus quis complerat, à Sacerdote ad oſtium Tabernaculi Fœderis ductus, oblationem Domino, agnum nempè anniculum in holocauſtum, ovem pro peccato, & arietem pro hoſtia pacifica offerebat; panem quoque, & lagana, & vinum libamini neceſſarium. Ubi hæc omnia immolata Domino fuerant, vel Sacerdos, vel alius quivis caput Nazaræi radebat ante oſtium Tabernaculi Fœderis, & crines Altaris igni comburendos tradebat. Sacerdos deinde armum coctum arietis, & panem, & laganum in Nazaræi manibus poſita, & rurſum omnia ex eodem ſuſcepta, coram ipſo, Domino offerebat. His peractis, poterat Nazaræus vinum bibere, & Nazaræatum abſolverat.

Quoad Nazaræos perpetuos, cujuſmodi fuere Sampſon, & S. Joannes Baptiſta, videntur hi Nazaræatui à propriis parentibus fuiſſe addicti, & totius vitæ tempore Nazaræorum Legibus adhæſiſſe, ut nec vinum biberent, neque comas tonderent.

Qui extra Palæſtinam Nazaræatum voverant, nec ſub dierum ſui voti finem ad Templum poterant pervenire, iis ſatis erat, ſi juxta Legem abſtinerent, & ubi tunc morabantur, ſibi comas radentes vel per ſemetipſos, vel per alios, ut commodè poterant, oblationes & victimas à Moyſe præſcriptas Domino offerendas ad Templum deferrent. Hinc D. Paulus, cùm eſſet Corinthi, & Nazaræatum voviſſet, Cenchris, Corinthiorum portu, comam totondit, reſervans cætera, cùm Jeroſolymam perveniſſet. Vide *Act.* 18 18.

Si quis fortè aut Nazaræatum vovere, aut omnes ipſius cæremonias ſervare non potuiſſet, ſatis erat, ſi quid

(a) Bibliot. Orient. pag. 475. (b) Hieron. in Iſa. 8. 9. & 9. 1. & 29. 20. & 31. 6.

Digitized by Google

ſi quid in ſacrificia & munera impendiſſet, quæ Domino offerenda eſſent ab altero, qui idem Nazaræatus votum abſolviſſet; ita enim fiebat, ut alterius meriti partem & ipſe conſequeretur. Regis Judæorum Herodis Agrippæ pietatem eſtutius Joſephus, plures ejus juſſu Nazaræos detonſos fuiſſe narravit. *Antiq. l. 14. c. 5.* Qui alterius Nazaræatus particeps haberi volebat, Templum adibat, ait Maimonides *in Num. 6.* & ſic dicebat Sacerdoti: Tali tempore ſuum Nazaræatum N. abſolvet; ego vel partem, vel totum impendam in ſumptus, qui in ejus tonſura exiguntur. Cùm S. Paulus anno Chr. 58. Jeroſolymam perveniſſet, *Act. 21. 23.* Jacobus minor Apoſtolus eum hortatus eſt, ut quàm maximè collaturus Judæis, qui Chriſti fidem amplexi fuerant, quatuor Fidelibus Nazaræatus voto obſtrictis adjiceretur, & in eorum tonſuræ cæremonias pecuniam erogaret; ita enim futurum, ut Judæi recens converſi, qui audiverant eum undique docuiſſe, à Lege Moyſi omninò eſſe receſſendum, cum adhuc Legi adhærere intelligerent, & ea, quæ de ipſo acceperant, commentitia eſſe cognoſcerent.

Nazaræus ut ſignificat hominem in dignitate conſtitutum, uti de Patriarcha Joſepho dicitur, quod inter ſuos fratres Nazaræus fuerit, *Geneſ. 49. 26. Deut. 33. 16.*, diverſa ratione accipitur. Quidam putant, hoc nomine illum intelligi, qui coronatus, electus, ſeparatus, & diſtinctus fuerit; *Nezer* enim Hebraicè coronam ſignificat, & Septuaginta interpretantur *Principem*, aut *illum, qui fuerit honore donatus*. Nos arbitramur, *Nazir* nomen eſſe cujuſdam dignitatis apud Reges Orientales. In Perſidia aula noſtris adhuc diebus (a), *Nezir* eſt ſupremus Regii Palatii Oeconomus; præcipuus Reipublicæ Adminiſtrator, & maximus Aulæ, Regni, & Regii Ærarii Præfectus.

NAZARETH, urbs minima Tribus Zabulon, in Galilæa inferiori, ad occaſum Thaboris, & ad Orientem Ptolemaidis, milliaribus 15. juxta Euſebium, à Legione. Celeberrima eſt in Scripturis, quòd Chriſtus pluribus annis eam incoluerit. *Luc. 2. 51.* In ea etiam Salvator carnem induit; Joſepho, & Mariæ ſubditus vixit; & Nazaræi nomen ex eadem accepit. Poſtquàm prædicationem cœperat, interdum in ejus Synagoga eſt concionatus. *Luc. 4. 16.* Cùm autem à ſuis popularibus, generis ignobilitatem dedignantibus, minimè ei fides præſtaretur, prodigia ibi pauciſſima patravit; *Matth. 13. 54.* imò alio tranſmigrans, ultimis ſuæ vitæ annis in urbe Capharnaum habitavit. *Matth. 4. 13.* Nazareth ſita eſt in monte, ad cujus ſupercilium quadam die Nazaræi Chriſtum incredulitatis eos redarguentem deduxerunt, ut præcipitem exturbarent. *Luc. 4. 29.*

Docet S. Epiphanius *hær. 30. c. 11.* Nazareth ſua ætate vicum duntaxat fuiſſe, quem uſque ad Conſtantini Imperium, Chriſtianis excluſis, Judæi tantummodò tenuere. Adamnanus ſeptimi ſæculi Scriptor *l. 2. de locis 55.* refert, duo Templa ſplendidiſſima adhuc ſua ætate in urbe Nazareth extitiſſe; alterum in medio urbis duobus arcubus fultum, in loco, ubi quondam ſita erat domus, in qua Chriſtus Dominus fuerat educatus. Sub iiſce arcubus fons pulcherrimus videbatur, qui toti urbi aquas ſuppeditabat, & ab eodem aqua, quæ uſui erat ſuperiori Eccleſiæ, ſitula hauriebatur; alterum verò in eo loco, quem olim occupaverat Domus, ubi Gabriel Angelus Virgini Mariæ myſterium Incarnationis aperuit. Hæc Adamnanus. S. Villibrodus ſæculo octavo (b) ejuſdem Nazareth Eccleſiæ meminit, additque, Chriſtianos ſæpè coactos fuiſſe argento eam redimere, ne ab Ethnicis everteretur. Vix urbem Nazareth quis ingreditur, ait Phocas, ſæculi duodecimi Scriptor, ſtatim in Eccleſiam S. Gabrielis incidit, ſub qua parvus arcus, & ſub arcu fons, apud quem Angelus primò Mariam ſalutavit. Orientales enim putabant, Angelum cum Virgine, primo apud fontem, deinde domi colloquutum. Vide Protevangelium S. Jacobi n. 11. Addit inſuper Phocas, in eadem urbe pulcherrimam conſpici Eccleſiam, ubi quondam domus S. Joſephi fuerat.

(NAZIR. Jacob Patriarcha in poſtrema illa benedictione, quam Joſepho filio ſuo dilecto impartitus, apprecatus fuit *Geneſ. 49. 26. Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus... fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi* (Hebr. *Nazir*) *inter fratres ſuos*. Porro *Nazir* eſt corona vel coronatus, diſtinctus, honoratus, ſegregatus, ſelectus. In Oriente *Neſir* (c), nomen eſt dignitatis, referens Oeconomum Regiarum ædium Perſidis. Porro vir eſt à Rege ſecundus, totius ditionis, domus, & ærarii Præfectus, cujus ſub manu ſunt ſecundarii omnes Regiæ domus Præfecti; curat item menſam, cuſtodes, milites, & multum item ejuſmodi ſtipendia. Non abſimilem gerit dignitatem ac apud veteres Perſas olim *Oculi Regis* (d). Donat etiam Moyſes titulum *Nazir* Joſepho, cùm in Deut. 33. 16. agit de Tribubus geminorum filiorum ipſius Ephraim & Manaſſe.)

NEA, ſeu *Noa*, urbs Tribus Zabulon. *Joſue 19. 13.* Vide *Noa*.

NEAMAN, ſive *Neeman*. Idem eſt ac *Naaman*. Hoc nomine genericè Oeconomus Domus alicujus Principis dicitur, qui præter cæteros vocitur *Fidelis*. Sic aliquando à Scriptura *Neeman*. Moyſes dicitur ſervus Fidelis, *Neeman*, in Domo Domini. *Num. 12. 7.* Dominus ſibi *Neeman* in domo ſua ſe conſtituturum dicit 1. *Reg. 2. 35.* eumque Neemán Iſraelitæ omnes intellexerunt fuiſſe Samuelem. David erat *Neeman*, & gener Saulis. 1. *Reg. 22. 14.* Ait Job 12. 20. Dominum, ubi voluerit, eloquentiam *Neeman*, & ſapientiam ſenibus auferre.

I. NEAPOLIS, ipſa urbs *Sichem*, aut ſaltem ipſi quàm maximè propinqua. Ejus verum nomen, ut nummi referunt, eſt *Flavia Neapolis Syriæ Palæſtinæ*, ſive *Samaria*. Vide *Sichem*.

(Veſpaſianus Imperator reſtitutæ à ſe Urbi Sichem indidit nomen *Flavia*, adjecitque inſuper alterum *Neapolis*, i. e. nova Urbs, unde formatum nomen *Naplouſe*, quod hodie pariter retinet. Urbs erat olim Epiſcopalis; hodie verò præeſt modico cuidam regionis tractui, cui de Urbe illa nomen eſt datum. Geographus Perſa tradit in Urbe hac unam fuiſse ex Ædiculis religioſis Adam; ſcitum eſt autem cives Sichem aſſeruiſse, olim veteres Patriarchas in monte illo ſuo Deum adoraſse: *In monte hoc adoraverunt Patres noſtri. Joan. 4. 20.* Anno Hegiræ 583. & J.C. 1105. Saladinus, ſtrenuus ille Dux, poſt redactam in poteſtatem Tiberiadem, jure pariter armorum ſibi adſcivit Sichem, & Samariam. Zenone imperante Regem ſibi crearunt Neapoli Samaritani, ſed diſſis animadverſionibus à Principe illo ſubjecti fuerunt, necatuſque ipſe pariter quem conſtituerant in Regem.)

II. NEAPOLIS (e), urbs Macedoniæ, Thraciæ finitima, ad quam ab inſula Samothraciæ profectus S. Paulus pervenit. Inde progreſsus eſt Philippos.

NEARA. Vide *Naaratha*.

NEBACHAS, Hevæorum Idolum. 4. *Reg. 17. 31.* Quis fuerit hic Deus, latet. Fortè *Nebo videns*, Oraculum Nebo. Rabbini, quibus plures Commentatores adhærent, putant Idolo *Nabachas* fuiſse canis figuram, ſimilem Ægyptiorum *Anubidi*. *Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis* (f). *Nabac* Hebraicè ſonat *latrare*.

(Fulci-

(a) Chardin. Gouvernement des Perſes c. 5. (b) Vide in Actis SS. Ord. S. Bened. t. 4. p. 374.
(c) Chardin. polit. Perſar. cap. 5. p. 236. Gallic.
(d) Xenoph. lib. 8. Cyropæd. Apulæi. l. de Mundo, Chryſoſt. orat. 3. de Regno.
(e) Act. 16. 11. (f) Virgil. Æneid. 6.

(Fulciendæ opinioni quæ Nebachos de cane dictum interpretatur, animadvertiſſe juvat, conſecratos olim fuiſſe ab Orientalibus canes. Præterea hic cultum ejuſdem animalis in Ægypto, ubi *oppida tota canem venerantur*. Magi, teſte Herodoto lib. 1. in eo diſcrepabant à Sacerdotibus Ægyptiis, quod poſteriores iſti nulli animalium manus inferebant violentas, niſi iis tantùm, quæ immolabant Numinibus; Magi verò parcebant nulli niſi homini & cani. Quin & ſibi ducebant præclarum ſi magno numero reptilia, angues, & cætera id generis occiderent. Immolabatur canis Hecati, quæ eſt Luna, cui ſacrum erat animal. Spectare etiam licebat canem in myſteriis Mitræ, i. e. Solis, & in ſacrificio huic Numini oblato, quod exhibet anaglyphica quædam veteris operis Tabula, videas canem lingentem ſanguinem tauri. Inter charitatis præcepta, quæ dederat Zoroaſtrea, hoc unum ferunt, ut alerentur amarenturque canes. Cadavera prius exponebant canibus Perſæ, quàm mandarent ſepulturæ; perſuaſi id eſſe beatitudinis indicium, ſi corpora illa raperentur à canibus. Emblema eſt canis fidelitatis & vigilis cuſtodiæ; nemo tamen, quem ſciam, affirmavit unquam canes alibi obtinuiſſe cultum, quàm in Ægypto.)

NEBALLAT, urbs Benjamin. 2. *Eſd.* 11. 34.

NEBO, nomen viri. 2. *Eſd.* 7. 37.

NEBO, ſeu *Nabo*, urbs Moab. Item *Nebo* mons ejuſdem Regionis, in quo mortuus eſt Moyſes. Item *Nebo* urbs Judæ. Vide *Nabo*.

NEBSAN, urbs Judæ (a). Hebræus legit *Nipſan*.

NEBUCHADNEZAR. Sic pronunciant Judæi nomen *Nabuchodonoſor*.

NECEB, urbs Tribus Nephtali, *Joſ.* 19. 33. eadem ac *Adami*.

(NECESSITAS, non uſurpatur tantùm pro indigentia rerum quarundam, ſed etiam pro anguſtia, inquieti animi tædio, quo quis angitur, ſive intima quadam animum affligente moleſtia, ſeu exteriori incuria, ſive externorum hoſtium aggreſſione premente. Uſurpatur etiam de animi ambiguitate & perplexitate. Reſpondet interdum Hebræo *Zarah*, *anguſtia*, & *Mitzacah*, *coarctatum*, *Judic.* 11. 7. S. Hieronymus non rarò poſuit in Vulgata vocem *neceſſitas* exprimendæ rei, quam ſtatim implere opus eſt; ſed maximè in Pſalmo 24. 17. *neceſſitates* perinde valent ac *anguſtia*. In libro Sapientiæ 18. 21. de Aarone ſcriptum eſt: *Reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati*; ceſſare nempe fecit plagam, qua Deus populum ſuum reum defectionis Core percuſſerat. Et cap. 19. 4. *Ducebat illos digna neceſſitas*. Rapiebantur quodammodo Ægyptii in malum fato quodam vel neceſſitate, merito criminum & pervicaciæ ſuæ inducta.

Neceſſitates Sanctorum, ſeu Fidelium recens ad fidem converſorum memorans Apoſtolus, rerum egeſtatem, qua illi tenebantur, penuriam deſignat. *Neceſſitas* non ſemper abſolutam quandam neceſſitatem exprimit, ſed interdum id inferre, quod officio quodam exigitur, vel tantùm poſitum eſt loco utilitatis, & commodi. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala Matth.* 18. 7. permittit Deus interdum, ut ſcandala contingant, quæ ſervire gloriæ ſuæ cogit. In Tobiæ 12. 13. *Quia acceptus eras Deo neceſſe fuit ut tentatio probaret te*; Opus fuit atque expediens, te per tentationem probari. Et Lucæ 14. 18. *Villam emi, & neceſſe habeo* (& conveniens eſt) *videre illam*.)

NECHAO, ſeu *Nechoi*, Rex Ægypti, qui arma uſque ad Euphratem traduxit, & urbem Charcamas occupavit. Ejus meminere Scriptura, & Herodotus *l.* 2. *c.* 158. à quo filius *Pſammetichi* Regis Ægypti ſcribitur, qui poſt patrem Regno potitus, exercitus maximos, & claſſes inſtruxit tam in Mari Mediterraneo, quàm in Erythræo. Signa etiam contulit cum Syris, quibus ſubactis, urbem Cadytim occupavit. Cadytis, inquit idem Herodotus, maxima urbs eſt, quam Syri Palæſtinæ tenebant. De hac Cadyti grave eſt diſſidium. Quidam enim volunt eſſe Cades in Arabia Petræa, quidam verò Jeroſolymam, quæ *Cadyſa*, ſeu *Cadytis*, urbis ſcilicet ſanctæ, ob Templum in ea erectum obtinuiſſe dicitur; quidam denique urbem Cedes in Galilæa, Tribus Nephtali. Maximum quoque diſcrimen eſt de urbe *Magdolo*. Vide *Magdolum*.

Hujus belli progreſſum pluribus deſcribit Scriptura. Nechaus (b) cùm Aſſyriis, & Babylonienſibus bellum intuliſſet, ut urbem Charcamas, aliàs *Cercuſium*, ſecùs Euphratem ſitam, occuparet, Joſias Rex Juda, vectigalis Regis Babylonis illi obvius obſtitit. Cui Nechaus renunciari juſſit, ſe non in ipſum, ſed in alios à Deo juſſum arma ferre. Deſineret igitur, ne illius audaciam Dominus ulciſceretur. Credimus Nechaum, (c) authore Jeremia, bello Charcamas oppugnaſſe. Regi non acquievit Joſias, cum quo in Campo Mageddo congreſſus vulneratus, ipſo vulnere interiit. Tunc populus Jeroſolymitanus Regem Judæ conſtituit Joachaz; Nechaus autem nihil in Judæa moratus, progreſſus eſt ad Euphratem.

Victor ab Euphrate redux in urbe Reblata Regionis Syriæ conſtitit, quo vocatum Joachaz Regem Judæorum, à Regno amovit, & catenis vinctum in Ægyptum præmiſit. Deinde Jeroſolymam adiit, ubi Eliachimum, ſive Joakimum Regem renunciavit, & regionem centum argenti talentorum, & talenti auri ſibi vectigalem conſtituit. Cercuſium Nechao ereptum fuiſſe à Nabopolaſſaro Babylonis Rege, quarto anno Regni Joakimi ſecundum; quare quatuor tantùm annis eam urbem occupavit. *Jer.* 46. 2. Addit Joſephus *Antiq.* *l.* 10. *c.* 7. à Rege Babylonis, ſecundis victoriis utente, regiones omnes ab Euphrate uſque ad Ægyptum, præter Judæam, in ſui ditionem fuiſſe redactas. Ita factum eſt, ut Nechaus in ſines ſuſius regiones contraheretur.

NECHILOTH, vox præpoſita Pſalmorum quinto; & *Choreas*, aut *tibias* ſonat. Pſalmus autem ille alloquitur Præfectum chorearum, quæ in ſacris cæremoniis ducebantur; aut Muſicorum Chorum, qui tibiis canebant. Quinti Pſalmi titulus ita verti poteſt: *Pſalmus David ad Muſicæ Moderatorem, qui ſaltatricibus, & tibicinibus præeſt.*

NECROMANTIA, ſive Magia nigra, quæ manium evocatione patratur. Scriptura ſatis agit de apparitione Samuëlis, qui à quadam Maga pagi Endor evocatus ſeſe Sauli exhibuit (d). Verbum *necromantia* in Bibliis utique non legitur, attamen Moyſes vetat, ne conſulantur Divini, ſive ii, qui mortuos invocant; *Deut.* 18. 11. *Non inveniatur in te, qui quærat à mortuis veritatem*. Maga, quæ Samuëlem evocavit, appellatur *Baalath ob*, nempe Magiſtra Ob. Qua voce *Ob* Scriptura Aruſpices, Hariolos, Magos, & genus hujuſmodi deſignat, qui pythones habent in ventre, & incautos decipiunt, eis ſuadentes, ſibi defunctos ab imis terræ reſpondere: *Erit vox tua quaſi Ob, loquens de imis terræ*, ait Iſaias 29. 4. Jeroſolymam compellans: Ingemiſces, cujuſque vox obſcura erit, interrupta, & ex imo terræ prodeunti ſimilis. Magi à Lege Moyſis morte damnabantur; *Lev.* 20. 6. *Deut.* 18. 11. quare Saul eos omnes ab Iſraele exturbavit; 1. *Reg.* 28. 3. 8. 9. Attamen ex Libris Regum, & Paralipomenon (e) eos nonniſi frequentiſſimos impoſterum fuiſſe; neque Legi cum hac de re, tum de pluribus aliis ullum præſtitum fuiſſe obſequium intelligimus.

Putant

(a) Joſ. 15. 62. (b) Vide 2. Par. 35. 20. & 4. Reg. 23. 29. &c. A. M. 3394. ante Chr. 606. ante Ær. 610.
(c) Vide 3. Eſd. 1. 28. Tradit. Hebr. in Paralip. Grot. in Paral. 35. (d) Vide 1. Reg. 28. 7.
(e) 4. Reg. 21. 6. & 23. 24. & 1. Par. 10. 13. & 2. Par. 33. 6. & Iſa. 8. 19. & 19. 3.

Digitized by Google

Putant Rabbini, à Magis in ſuis evocationibus mortuorum oſſa adhiberi, & præcipuè cranium; quin & Magos mortuis thura adolere, nec unquam ab eis vocandis deſiſtere, donec ipſi appareant, aut Dæmon eorum figura aſſumpta ſe videndum exhibeat, ſive reſpondeat. Ex hiſtoria Pythoniſſæ Endor patet, eam in ſua evocatione, ſolis verbis uſam. Plures crediderere, Necromantiam autem totam vel dolo Magorum, vel Dæmonis illuſionibus fieri, neque unquam verè defunctos fuiſſe evocatos. Sunt etiam qui velint, Samuelem non apparuiſſe Sauli, neque Pythoniſſæ, ſed hanc Magam abuſam eſſe nimia Regis credulitate, ut eidem ſuaderet, ſe cum Samuele verè evocato, colloqutum (a).

NEERDA, urbs Babylonis, aut Meſopotamiæ, in quâ celeberrima erat Judæorum Schola. Duorum Fratrum Aſinæi, & Anilæi, quorum Joſephus meminit, patria fuit Neerda (b); Judæi autem Meſopotamiæ, qui propter ipſos perſequutionibus agebantur, Niſibim & Neerdam confugere, coacti ſunt A. Ch. ſeu Æræ.

NEGINOTH, vox aliqui Pſalmo præpoſita, *Pſal.* 64. 1. inſtrumentum fidibus inſtructum, ex quo ſonitus digitis elicitur, ſive, ipſos fidicines deſignans: Tituli Pſalmorum, quibus hæc vox appoſita eſt, verti poſſunt *Pſalmus David ab Muſicæ Moderatorem, qui inſtrumentis fidicibus inſtructus præeſt.*

NEHEL, aut *Nehelam*, ſeu *Nahol*. Semeias Pſeudo-Propheta Judæ in Nehelam natus eſt, *Jer.* 29. 24. *Nehelamith* ſignificare poteſt ſomnium, quare *Semeias Nehelamites* ſignificare poteſt Semeiam ſomniatorem. Extat urbs *Nehelal*, aut *Nahalal* in Tribu Zabulon (c). Hanc fortaſſe patriam habebit Semeias.

NEHEL-ESCOL, torrens botri, ſeu vallis botri; eſt vallis in Terrâ promiſſionis nomen, ubi exploratores Iſraëlitæ botrum carpſere, quem in vecte duo viri in campum Cades detulerunt (d). Vox Hebræa *Nehhel*, aut *Nahhal*, vallem ſignificat, ſive torrentem. *Nehel-eſcol* ad meridiem Terræ Promiſſionis erat.

NEHEMIAS, Helciæ, aut Chelciæ filius; captivitatis tempore natus Babylone, juxta quoſdam (e), ex progenie Sacerdotum, juxta vero alios (f), ex Tribu Juda ex regia propagine. Qui adhærent primæ ſententiæ, eo diducitur, quod legitur 2. *Mach.* 1. 21. *Juſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ſacrificia aquâ*; & 2. *Eſdr.* 10. 6. inter Sacerdotes numeratur: *Signatores fuerunt Nehemias, Sedecias, Saraias, &c. Hi Sacerdotes.* Qui autem ex Regum Juda propagine Nehemiam deducunt, 1. diuturnam ipſius Reipublicæ adminiſtrationem afferunt, quæ in alieno à Regali Tribu vix credi poſſit: 2. à Nehemia fratres ſuos vocari Hanani, aliosque Judæos, qui Babylonem venientes, calamitatem patriæ ei retulerunt: 3. ſatis probari nobiliſſimam fuiſſe ejus progeniem, quod Regis Perſarum Pincerna fuerit: 4. denique, ipſum Nehemiam noluiſſe interiora Templi ingredi, probabiliter quòd laicus eſſet: 2. *Eſdr.* 6. 11. *Quis ut ego ingredietur Templum, & vivet?*

Licèt autem 2. Machabæorum Sacerdos vocetur, ſciendum eſt, in Textu Græco hanc vocem *Sacerdos* deeſſe (g), & tantùm ibi referri, Nehemiam Sacerdotibus præcepiſſe, ut ſuo munere fungerentur. Quòd ſi inter Sacerdotes numeratur; idcircò eſt, quòd Princeps & Gubernator Judæorum fuerit, qua dignitate vel par, vel ſuppar Sacerdotibus conſtituebatur. Nehemias denique nec in tabula ulla, nec in ulla Sacerdotum Hebræorum genealogia recenſetur.

In Bibliis ſæpè vocatus *Atherſata*, 1. *Eſdr.* 2. 63. & 2. *Eſdr.* 7. 65. nempe *Pincerna*, profectò enim Pincerna fuerat *Artaxerxis Longimani*. Vehementiſſimè, & ex intimo ſenſu patriam ſuorum patriam, licèt nunquam vidiſſet, diligebat: quare cum quadam die Judæi quidam Jeroſolymis profecti, ejus calamitatem ipſi retuliſſent, ejus nempè mœnia diruta, portas incenſas, & Judæorum genus ab omnibus opprobrio habitum, gravi dolore affectus eſt; jejuniiſque, precibus, & gemitibus Deum obſecravit, ut Jeroſolymæ reſtituendæ facultas, quam à Rege petere conſtituerat, ſibi non denegaretur (h). Igitur cum tempus Regi miniſtrandi adveniſſet, vinum de more ei obtulit, vultu tamen languido, & triſti, 2. *Eſd.* 2. 1. Quare miratus Rex, ne mali aliquid moliretur. At cum Nehemias doloris ſui cauſam aperuiſſet, Artaxerxes facilè indulſit, ut Jeroſolymam ſe conferret; mœnia reſtitueret, portaſque repararet; modo ſtatuto quodam tempore Babylonem rediret. Epiſtolas etiam ad Præfectos ultra Euphratem dedit, ut ei ligna neceſſaria ad reficiendas turres, & portas urbis, & domum Nehemiæ, quem Præfectum Judææ conſtituerat, ſuppeditarent.

Cum Nehemias Jeroſolymam perveniſſet, 2. *Eſdr.* 2. 11. itineris ſui adventûs cauſam occultavit. Tertia tamen nocte urbem circuivit, & mœnia diligentiſſimè inviſit; deinde populi Principibus coactis, ſuam poteſtatem, atque epiſtolas exhibuit, omneſque rogavit, ut urbis reſtaurationi inſudarent. Omnibus lubenti animo annuentibus, ſtatim opus cœptum eſt. Judæorum hoſtes hæc proſpera urbis ægrè ferentes, primò cavillari; deinde videntes præcipuas murorum cicatrices jam obductas, dolos ac minas exercere, ut à cœpto Nehemiam amoverent, ſignificantes occidendum. Judæi, qui extra urbem morabantur, de inſidiis ſibi paratis Nehemiam præmonuere; quare ut ab eis tutius caveret, ſtatuit quoſdam milites, qui ſtrictis gladiis poſt muros laterent, alios autem, licèt operi inſudantes, armis tamen inſtructos voluit, & quiſque, ſi fortè in eos impetus fieret, ad hoſtem repellendum paratus inveniretur. 2. *Eſdr.* 4. 7. &c. Judæorum inimici, ut ſuos detectos dolos intellexere, et eos aggredi auſi non ſunt; ſed ad aliam confugere, curantes, ut in inſidias inciderent, quas in agro paraverant; ubi, ſe utrorumque diſſidia pacificè compoſituros eſſe ſpondebant. 2. *Eſdr.* 6. 1. &c. Nehemias tamen eorum fidei minimè acquieſcens, reſpondit, ſe nullatenus poſſe ad eos progredi, quod opus grande cœpiſſet, quod ſuâ præſentiâ omninò expoſcebat. Quater illud idem Nehemiam pollicitati ſunt inimici, & quater hæc eadem ſemper reddidit Nehemias.

Sanaballat inter Judæorum hoſtes præcipuus, quinti ſuorum legatorum nomine, Nehemiæ ſcripſit Epiſtolam, qua eum monebat, vulgatum eſſe inter Gentes ab ipſo Jeroſolymæ mœnia reſtitui, ut ſibi arcem conſtrueret, cum de defectione cogitaret; vulgatum pariter, ab ipſo falſos prophetas poſitos Hieroſolymis, qui ſibi adhærentes, populis Nehemiam Regem Juda conſtituendum eſſe prædicarent. Quare eum enixè rogabat, ut eam famam oppreſſurus, ad ſe accederet, unà ſecum conſilia initurus, ut ad ea, quæ magis expedirent, unanimiter converterentur. His minimè commotus Nehemias, omnia commentitia, & ab eo inventa eſſe reſpondit. Eodem ferè tempore falſum Prophetam, Semeiam nomine, ſuis hoſtibus adhæſiſſe & quoſdam ex Principibus Civitatis cum iiſdem ſecreta fœdera iniiſſe cognovit; quibus tamen omnibus animo minimè concidit, & ſuo inceptum feliciter proſequutus, 52. dierum intervallo feliciſſimè tandem complevit. 2. *Eſd.* 6. 8. &c.

Tunc

(a) Vide noſtr. diſſert. de apparit. Samuel. Saul. Comment. in Libb. Reg. præfixam, & Scriptores ibid. citatos.
(b) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 12. (c) Joſue 19. 15. Vide & Judic. 1. 30. Naalol.
(d) Vide Num. 13. 25. (e) Eſt Malv. Tit. Menbeh.
(f) Euſeb. Iſidor. Genebr. in Chronic. Scalig. ad Euſeb. Chronic. Rab. Abraham in Cabal.
(g) 2. Mach. 1. 18. [illegible]
(h) 2. Eſdr. 1. 1. &c. A. M. 3550. ante Ch. 450. Æræ ſc. 454.

Tunc murorum, portarum, & turrium Jeroſolymæ ea, qua par erat, ſolemnitate, & magnificentia dedicationem inſtituit. Sacerdotes, Levitas, & Principes populi in duos ordines diviſit, quorum alter ad meridiem, alter murorum itinere ad ſeptentrionem pergerent, uterque deinde diverſa via incedentes, ſimul convenirent in Templum. Dum ibant, voces, & ſonitus omnium organorum muſicorum audiebantur. Ubi Templum undique refertum populo viſum eſt, Nehemiæ juſſu Lex allata, &, ita ut omnes intelligerent, perlecta: ſacrificia oblata, & plurima lætitiæ argumenta exhibita (a). Cùm autem eodem tempore Feſta Tabernaculorum incidiſſent, & hæc maxima ſolemnitate celebrata ſunt. Inde Nehemias perpendens, urbis circuitum ampliorem eſſe, quàm ab Judæis tunc ibi degentibus poſſet omnino abſorberi, Judæorum Principibus imperavit, ut Jeroſolymis ſedem ſtatuerent, ſortéſque in omnem Judæ populum dedit, ut decima ejus pars, cui ſors contigiſſet, in ea civitate manſuram ſibi domum conſtitueret. 2. *Eſdr.* 11. Curas deinde omnes ad evellendos abuſus, qui in Rempublicam irrepſerant, convertit; divitumque duritiem increpavit, qui filios, & filias pauperum, in ſervitutem ſibi ſubegerant, & fruebantur prædiis, quæ ipſis pauperes illi coacti fuerant vel pretio vendere, vel pignoribus obligare. 2. *Eſdr.* 5. 1. &c.

Judæorum connubia cum mulieribus exteris, atque idololatris, quæ evellere Eſdras fruſtrà laboraverat, omninò diſſolvit, juſſitque ab omnibus dimitti uxores, quibus contra Legem nupſerant. 2. *Eſdr.* 9. Cùm advertiſſet, Sacerdotes, & Levitas redditibus à Lege præſcriptis fraudatos, eo ſingulos illorum confugere, ubi ſibi proſpicere poſſent, quare Templi res eo decore, & majeſtate, quæ Domum Domini decebat, non agi, populis impoſuit, ut quidquid ad Domini Miniſtros pertinebat, adamuſſim perſolverent; & Sacerdotibus, & Levitis mandavit, ne à Loco Sancto diſcederent, ut propriis quiſque miniſteriis fungerentur. 2. *Eſd.* 13. 10. Sabbathi ſanctificationem, quæ Jeroſolymæ ſatis defecerat, reſtauravit, neve quid ab exteris venderetur, clauſis ea die portis eos civitatis ingreſſu prohibuit. 2. *Eſd.* 13. 15. &c. Utque ea, quæ ſanciverat, quoad fieri poſſet, perennaret, voluit, ut Gentis Principes fœdus cum Domino ſolemniter renovarent. Quod & actum eſt, in Templo Sacerdotum, & Populi Principibus rei monumentum obſignantibus (b).

A Machabæorum ſecundo 1. 19. diſcimus, Nehemiam miſiſſe, qui Sacrum Ignem requirerent, quem Sacerdotes, antequam captivi Babylonem ducerentur, in puteo alto, & ſicco abſconderant. Miſſos autem, ignem non inveniſſe, ſed aquam craſſam, qua tamen juſſit Nehemias Altare aſpergi, utque Sol radiis ligna tetigit ea aqua perfuſa, ingentem ignem illicò concepiſſe. Quod prodigium ubi Perſarum Rex intellexit, eo in loco, ubi ignis conditus fuerat, Templum erigi juſſiſſe, & muneribus plurimis, ac privilegiis Sacerdotes donaſſe. Ab eodem Machabæorum Libro 2. 13. intelligimus, à Nehemia conſtructam fuiſſe Bibliothecam, quam & ornavit Prophetarum, & Davidis Libris, Regum etiam monumentis, qui munera Templo obtulerant. Tandem Nehemias, ut Artaxerſi promiſerat, anno circiter 32. Artaxerſis, reverſus eſt Babylonem (c). Inde regreſſus eſt Jeroſolymam, ubi poſtquam Judæ populis annos propè triginta præluerat, placidiſſimè obiit circa A. M. 3580. ante Ch. 420. ante Ær. 424.

Liber ſecundus, qui in Bibliis Latinis Eſdræ nomine, Hebræis nomine Nehemiæ inſcribitur. Ferè ſemper hic Author ſe loquentem inducit; quare Lectori primo Ephemerides ſcribere videtur. At ſi bene perpendantur ea, quæ in eo Libro recenſentur, intelligentur plura referri non potuiſſe à Nehemia, uti monumenta, in quibus leguntur nomina Sacerdotum, qui ſub Jonathan filio Eliaſib, & Jeddoa, ſeu Jaddo ætate Darii Condomani, & Alexandri Magni floruere. Quapropter veriſimile omninò eſt, à Nehemia exarata fuiſſe ea, quæ ſibi obvenerant, dum Judææ præerat; quorum etiam meminit Machabæorum ſecundus 2. 13. *Inſerebantur autem in deſcriptionibus, & commentariis Nehemiæ hæc eadem.* Ex his autem arbitramur deducta fuiſſe ea, ex quibus plerumque prædictus Eſdræ, ſeu Nehemiæ Liber contectus eſt. Vide noſt. Præfat. in 2. Eſdræ.

NEHIEL, Urbs Tribus Aſer. *Joſ.* 19. 27.

NEILA, vicus Batanææ. *Euſeb. Onomaſt.*

NIMBROD, filius Chus, robuſtus venator coram Domino. *Gen.* 10. 8 Ipſe cœpit eſſe potens in terra, & hinc proverbium: *Quaſi Nembrod robuſtus venator coram Domino.* Non tamen feras tantummodò, ſed & homines venabatur, quorum plurimos capiebat, interficiebat plurimos, plerimos etiam ſibi ſubdebat. Ezechiel 32. 30. Tyrannos omnes, venatores appellat. Principium Regni Nembrod fuit Babylon; credibile eſt hunc ex præcipuis fuiſſe, qui Turris Babel conſtructionem aggreſſi fuere; qua intercepta, ſociiſque huc illucque diſperſis, ipſe vel eodem, vel ferè eodem in loco, ubi celeberrimam eam Turrim ædificare cœperat, condidit Babylonem. Suum inde imperium adauxit urbibus *Arach*, *Achad*, & *Chalanne*, in regione Sennaar. Videantur, quæ harum Urbium unicuique voci apponuntur.

Addit Moyſes: *Gen.* 10. *De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, & plateas Civitatis, & Chale, Reſen quoque, inter Niniven & Chale.* Quæ verba Bochartus de Nembrod intelligit; Hebræum autem ſic vertit: *De terra illa ipſe egreſſus eſt, ut in Aſſyriam pergeret, ubi Niniven, Rehoboth, Chala, & Reſen condidit.* Quibus innuitur, Nembrod ſibi parto, atque firmato imperio Babylone in terra Sennaar, in Aſſyriam progreſſus munitas urbes condidiſſe, quibus veluti arcibus populos, ne unquam à ſe deficerent, cohiberet. Nihil præterea de Nembrod in Scriptura.

Rabbini (d) in bonam partem interpretantur illud Geneſeos de Nembrod: *Robuſtus venator coram Domino*; ajunt enim, eum prædium fuiſſe vi & ingenio ad venationem natis, & Domino obtuliſſe, quæ ſibi venando comparabat. Compertum utique eſt, ut plurimum benè accipi ea verba, *coram Domino*, nempe ut alicujus eximia virtus commendetur: hic tamen plerique Interpretes eadem peſſimè intelligunt, eo modo, quo Sodomitæ vocati fuerunt *Gen.* 13. 13. *peccatores coram Domino nimis*, & *Her* primogenitus Judæ, *Gen.* 38. 7. *nequam in conſpectu Domini* appellatus eſt.

Quidam Nembrod cum Belo Regni Babylonis, & Nino Regni Ninive conditoribus confundunt. Uterque tamen longè poſt Nembrod imperarunt. Prophani Authores plura tribuunt Baccho, quæ ad Nembrod pertinent; vocant nempe Bacchum *Nebrodeum*, ſeu *Nebrodum*, quod nomen trahitur a Nembrod, licèt Græci idem deſumant à pelle hædi, qua Bacchum indutum fuiſſe volunt. Hoc nomen *Bacchus* potuit etiam oriri à *Bar-chus*, quod eſt filius Chus, cum verè Nembrod eſſet filius Chus. Græci, ut Moyſes Nembrod, ſic Bacchum venatorem appellant. Bella Bacchi in India, & ea, quæ Nembrod geſſit in regionibus Babylonis, & Aſſyriæ, ſibi maximè congruunt. Nembrod Hebraicè *rebellem* ſonat. Fama eſt, cultum Divinum, qui hominibus exhibetur, ab eo primùm fuiſſe adinventum.

(Ejus hiſtoria fabellis apud Scriptores Perſas inſeritur (e). Virum hunc alii confundunt cum *Zhohac* Rege omnium primo è Dynaſtia illorum, qui ſtatim

poſt

(a) Vid. 2. Eſdr. 8. & 12. Eodem A. M. 3550. ante Ch. 450. ante Ær. 455. (b) 2. Eſdr 9. 38 A. M. 3551. ante Ch 449. ante Ær. 453.
(c) 2. Eſdr. 5. 14. & 13. 6. A. M. 3563. ante Ch. 437. ante Ær. 441. (d) Abenezra Kimchi. Vide & Grot.
(e) Bibliot. Orient. pag. 668.

poſt diluvium rerum potiti ſunt. Eſt aliis Nemrod idem ac *Caicaous* ſecundus Rex ſecundæ Dynaſtiæ Perſarum, quam Caianidarum appellant. Hujus Regnum prorogant Hiſtorici Perſæ ultra 150. annos, aſſeruntque conſilium agitaſse illum petendi Cælum ſcalis, quod expreſsum eſt ex illo Scripturæ referentis filios Noe ædificandam ſuſcepiſse Turrim, *cujus culmen pertingeret ad Cælum*. Hanc hiſtoriam ita narrat Author Operis inſcripti *Malem:* cùm Nemrod admiraretur Abrahamum illæſum ab igne evaſiſſe, ſtatuit Cælum conſcendere, oculis inſpecturus Deum illum magnum, quem Abraham prædicabat. Fruſtra deterrere virum ab incœpto domeſtici conati ſunt, propoſito enim inhæſit pervicaciùs.

Simul autem præcepit ædificari altiſſimi, quantùm fieri poſset, verticis turrim. Inſudatum eſt operi triennio, tum Nemrod aſcendit culmen ædificii, ſtetitque attonitus, tam longè removeri à ſe Cælum intelligens, quantum ſi in imo ſolo ſtetiſset. Stupentem adhuc percutit allatum mane alterius diei nuncium, turrim ſcilicet corruiſse. Statim nihilo ſeciùs firmiorem alteram & celſiorem conſtitui mandavit; eodem tamen ac prior eventu proſtrata eſt. Tum ſubit viri animum ſtulta illa cogitatio Cæli alta petendi, in lignea quadam arcula, quam ſuſtullerent quatuor monſtruoſæ aves veteribus Orientalibus Scriptoribus notæ nomine *Kerkes*, quarum avium nomina ſæpe recurrunt in Romanenſibus eorum fabelis.

Inſtrui igitur aves illas juſſit Nemrod ſciendæ arcæ, paratiſque omnibus aſcendit currum, pererravitque aliquandiù volitans per aera, ſed tandem impetu quodam delati *Kerkes* in objectum montis verticem validè adeò impegerunt, ut ictu Nemrod totus concuteretur. Neque inde tamen ſapientior effectus, quidquam remiſit de commota in ſanctos cultoreſque veri Dei perſecutione; cujus rei merito factum eſt, ut Deus immiſsa inter ſubjectas ſibi gentes diſcordia atque confuſione linguarum, plurima ſubditorum parte hominem multaverit. Qui remanſerunt in fide ferè omnes exterminati ſunt infeſta parvarum muſcarum procella, quam Deus in illos armavit. Neque à pœna immunis evaſit Nemrod; unum enim ex inſectis illis occultè ſe in ejus cerebrum inſinuans longa 400. annorum moleſtia illum afflixit, miſerum torquens, ut ſæpè cogeretur caput malleo percutere, quo aliquid captaret quietis.

Creditur Moyſes Nemrodi patrem conſtituere Chus; ſed Perſæ filium illum tribuunt Chanaan & fratrem Chus. Eutychio Patriarchæ Alexandrino Nemrod primus eſt author Religionis Magorum & cultorum ignis.)

NEMRA, ſeu *Nimra*, urbs Tribus Gad, ſeu meliùs Ruben, ad Orientem maris mortui. *Num.* 32. 3. Euſebius, ubi agit de *Nebra*, ait amplum vicum in Batanæa reperiri, quem vocant Nabaram. *Nemram*, *Nimram*, *Nimrim*, & *Beth-nemram* eſſe eamdem civitatem omnes conveniunt. Jeremias 48. 34. & Iſaias 15. 6. aquarum *Nimrim* meminerunt. Refert S. Hieronymus *in Iſa.* 15. 6. *Nemrim* ſitam eſſe ſecùs mare mortuum, & nomen *Nemrim* trahi ab amaritie, qua ejus aquæ vitiatæ fuerunt poſt ipſius urbis everſionem, quam Iſaias, & Jeremias prædixerant.

NEOMENIA, Græca vox, primam menſis diem ſignificans. Hebræi primam cujuslibet menſis diem maximè colebant, & Moyſes ſacrificia ea die Domino præcipuè offerenda conſtituit. *Num* 28. 11. Attamen menſium Calendas dies feſtos non inſtituit. Quare apud Hebræos non erat ea die ab opere indicta vacatio, quam tamen privata quiſque religione colebat. Saulis tempore videtur lætitiæ convivium familiæ toti ea die inſtrui conſueviſſe; 1. *Reg.* 20. 5. David enim Regiæ menſæ cùm de more non interfuiſſet, Saul ejus abſentiam ægrè tulit: Innuit Moyſes, *Num.* 10. 10. præter victimas, quæ pro populo mactabantur quotidie, quemque privata religione aliquod ſacrificium exhibuiſſe. Menſis initium ſolemnia inter ſacrificia tubis reſonantibus denunciabatur. *Num.* 10. 10. Omnium tamen Neomenia ſolemniſſima ea erat, qua Kalendis menſis *Tiſri*, anni civilis exordium ducebatur. *Lev.* 23. 24. *Num.* 29 1. Ea dies ſacro cultu, vacatione ab opere, peculiaribus holocauſtis, & tubarum Templi ſonitu colebatur.

Pii homines Regni Judæ ad Prophetarum monita audienda ea die conveniebant. Cùm Sunamitis Eliſei hoſpita Prophetam adire vellet, virum ſibi dicentem audivit: Quare ad Prophetam feſtinas hodie, cùm neque Calendæ ſint, neque ſit Sabbathum? 4. *Reg.* 4. 23. Oſtendit Iſaias 1. 14. Dominum abhorrere à Neomeniis, Sabbathis, aliiſque Feſtivitatibus, & cœtibus Judæorum, qui Legi minimè obtemperabant. Refert Ezechiel, holocauſta, quæ in Neomeniis offerebantur, Regiis ſumptibus comparari (a), & eadem die atrii Sacerdotum Orientalem portam aperiri conſueviſse. *Ezech.* 46 1. In Calendis, & cæteris Feſtivitatibus jejunio Judith abſtinebat. *Judith.* 8. 6. Nunc tamen Neomeniæ ab Judæis ducuntur Feſtivitates, quas quiſque pro arbitrio vel colere poteſt, vel præterire (b). Putantur quoque Neomeniæ ad mulieres potiùs quam viros pertinere; quare illæ ſervilibus operibus abſtinent, & politiùs exornantur. Inter preces habendas in Synagoga, à Pſalmo 113. uſque ad 118 Pſalterium perſolvitur; ſacrificii quoque, quod ea die in Templo offerebatur, fit mentio; & Legis volumen aperitur, quod a quatuor una legentibus recitatur. Veſpere Sabbathi, quo incidit novilunium, vel nocte altera ſequenti, qua Luna renovata inſpicitur, una ſimul coguntur Judæi, precibuſque vacantes Deum Planetarum Creatorem, & Novilunii reſtauratorem appellant; deinde frontibus ad cælum erectis, ut à calamitatibus omnibus eripiantur, Deum efflagitant; & demum Davidem memorantes, alterna ſibi dicta ſalute, cœtum diſsolvunt.

Spencerus (c) Kalendas Ethnicos alias colere in Lunæ obſequium ſolitos oſtendit; & hinc Judæos ab exteris, & Idololatris Kalendarum ſolemnia didiciſse colligit; quod tamen minimè probat. Veriſimilius autem ſanè eſt, cæteros ab Hebræis eum morem deduxiſse; vel etiam, ne Hebræos imitari viderentur, ſanxiſse, ut quolibet menſis initio Lunæ Orbem ſuum reficienti cultum exhiberent. Porrò Lunæ cultus apud omnes ferè populos idololatras obtinuit.

NEOPHYTUS, vox ex Græco derivata, & *recens ſatum* ſignificans. Recenter ad Fidem converſi, vel baptiſmate abluti, Neophyti vocantur. S. Paulus *Tim.* 3. 6. ab Epiſcopatu Neophytum arcet, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli, qui ſuæ creationis initio dotibus ſuis, & virtutibus maximè tumens, extemplo ad inferos eſt deturbatus (d). Qui ad nimis properam dignitatem ſe evectum intuetur, facilè in ſuperbiam erigitur, ſibique ſuadet, ſe pluris eſse quam cæteros, vel ſaltem ſe maximè neceſsarium inde arbitratur, quòd tam cito ipſius miniſterium adhibeatur. Hinc ſuperbia, faſtus, & Dei judicium, qui ſuperbia reſiſtit.

NEPHAT-DOR, ſive *Naphat-dor*, Palæſtinæ regio, prope urbem *Dor*, ſeu *Doram* ad Mediterraneum *Joſ.* 11. 2. & 12. 23. Ben-abinadab Salomonis gener regioni Nephat-dor præfuit. 3. *Reg.* 4. 11. D. Hieronymus in Joſue, Nephat-dor vertit *regiones Dor*, aut *provinciam Dor*.

NEPHEG, filius Davidis. 2. *Reg.* 5. 15. & 1. *Par.* 3. 7.

NE-

(a) Ezech. 45. 17. Vide & 1. Par. 23. 31. & 2. Par. 8. 13.
(b) Buxtorf. Synag. Judæor. c. 17. Leo Modena Cerimon. de' Giudei p. 3. c. 2.
(c) Spencer. de Legib. Hebr. ritualib. l. 3. c. 1. Diſſert. 4. (d) Vide Chryſoſt. hom. 10. in 1. Timoth.

Digitized by Google

NEPHI. Hoc nomine plures locum vocant, in quo Nehemias aquam craſſam pro igne, olim in puteo condito, invenit. 2. *Mach.* 1. 36. De voce *Nephi* non conveniunt Exemplaria; Syriacum enim, & Græcum Romanæ Editionis, habet *Naphtas*, Mſ. vero Alexandrinum, & cætera exemplaria Græca legunt *Nephtar*.

NEPHTALI, ſextus Jacobi filius, ex Bala Rachelis ancilla. Nephtali nomen oritur ab Hebræo *Phatal*, quod *luctari*, *pugnare*, *impetum facere*, *ſupplantare* ſignificat. Rachel huic nomen imponens, ait: *Comparavit me Dominus cum ſorore mea, & invalui.* Gen. 30. 8. Quæ ad vitam Nephtali pertinent, ignorantur. Hujus filii fuere Jaaſel, *Gen.* 46. 24. Guni, Jeſer, & Sallem. Jacob filio ſuo Nephtali benedicens, ait: *Gen.* 49. 21. *Nephtali cervus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.* Rabbini & Commentatores plerique hoc intelligunt de *Barac*, qui ex Tribu Nephtali prodiit, quique cùm primò timidi inſtar cervi adverſus Chananæos, niſi Debora Prophetide comite, pugnare metuiſſet, *Judic.* 4. 5. deindè cervi inſtar velociſſimi perſequutus eſt inimicos: eloquii verò pulchritudinem oſtendit in Cantico, quod poſt eam victoriam ſimul cum Debora Deo cecinit.

Hunc Geneſis Textum aliter interpretantur Septuaginta: *Nephtali virgultum reſolutum, dans in germine pulchritudinem*, Optima interpretatio: Jacob Nephtali fæcunditatem, & ipſius ſtirpis pulchritudinem commendat; licèt enim quatuor tantummodò filios genuerit, tamen ejus Tribus ab Ægypto egrediens, hominum 3000 ad arma idoneorum numerabat. Moyſes *Deut.* 33. 23. huic Tribui benedicens, *Nephtali*, inquit, *abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini; mare, & meridiem poſſidebit*, ideſt mare Geneſareth, quod huic Tribui erat meridionale. Ejus regio oleo, & frumento quàm maximè affluebat; protendebatur autem in ſuperiorem, & inferiorem Galilæam, eique Orientalis erat Jordanis, Tribus Aſer, & Tribus Zabulon occidentales, Septentrionalis Libanus, & Tribus Iſſachar meridionalis.

Tribus Nephtali tentoria ſua ad Septentrionem Tabernaculi fixit, inter Tribus Dan, & Manaſſis. *Num.* 2. 25. *&c.* Poſtquam Joſue promiſſionis terram diviſerat, Nephtalitæ in regionibus, quæ ſibi obtigerant, Chananæos omnes minimè everterunt, quos ſibi conſtituere vectigales maluere. *Judic.* 1. 33. Cùm Nephtalitæ præ cæteris Tribubus eſſent ſeptentrionales, idcirco inter primos fuere, quos invaſit Rex Aſſyriæ, & captivos abduxit (a). Iſaias 9. 1. prænunciat, ipſos viſuros lucem Chriſti, & inter eos fore connumerandos, qui primùm Evangelii lumine illuſtrarentur. Et ſanè Chriſtus Dominus frequentiùs, & diutiùs, quam alibi in Galilæa, & potiſſimùm in Tribu Nephtali prædicavit. *Matth.* 4. 13 15. Duodecim Patriarcharum Teſtamentum quædam recenſet de vita Nephtali, & quarumdam meminit prædictionum, quæ eidem tribuuntur: at is Liber inter apocryphos recenſetur, & flocci penditur à Sapientibus.

NEPHTAR. Ita Nehemias locum appellat, in quo pro igne ſacro ibidem condito, craſſam invenit aquam, qua Altaris ligna perfuſa, ubi ſol cœpit effulgere, ignem concepere. *Nephtar* deduci poteſt ex Chaldæo *petir*, *purus*, *ſimplex*, *non mixtus*, vel ſi legatur *Necphar*; ab Hebræo *caphar*, *expiare*, *purgare*, *abluere*.

NEPHTOA, fons Nephtoa in Tribu Benjamin *Joſ.* 15. 9. Meminere Itinerantes cujuſdam fontis, quem ferunt fontem eſſe Nephtoa, propè quem antea Templum S. Joannis Baptiſtæ dicatum viſebatur. Quare creditur ibi ſita fuiſſe domus Zachariæ, & Eliſabeth, qui ab eo fonte aquas haurirent.

NEPHTUIM, quartus filius Meſraim, *Gen.* 10. 13. qui in Ægypto morabatur, ipſumque eam Æthiopiæ partem frequentaſſe credimus, quæ Svenem inter & Meroem jacet, cujuſque Metropolis *Napata* erat, ſeu *Nepatæa* (b).

NER, filius Abielis, & pater Abneri Ducis Exercitus Saulis uterque Regi cognatione propinquiſſimi. 1. *Reg.* 14. 50 51.

I. NEREGEL, unus ex Principibus militiæ Regis Nabuchodonoſoris. *Jer.* 39. 3.

II. NEREGEL, vel *Nergel*, Chutæorum Idolum. 4. *Reg.* 17. 30. Rabbini, quibus quidam Interpretes adhærent, hoc Idolum *Nergel* ſub ligneæ gallinæ figura fuiſſe cultum arbitrantur. Alii Chutæos Igni adoleviſſe, & in ſolis obſequium perpetuam flammam in eorum Altaribus ardere ſolitam opinantur. *Ner* lampadem ſignificat.

NEREUS. S. Paulus in Epiſtola ad Romanos 16. 15. *Salutate Nereum, & Sororem ejus.* Non deſunt, qui velint, hunc eſſe eum Nereum, quem Achillei Martyris fratrem, & Martyrii ſocium die 12. Maii memorat, & veneratur Eccleſia. Attamen difficile nimis eſſe ducimus, quamvis omnino fieri poſſit, eum Nereum, de quo Paulus, adhuc vixiſſe 50. poſt annis, imperante Trajano, ſub quo Nereus & Achilleus obiere. Horum Martyrum acta minimè hic recenſemus, cùm nullam ſibi vim, aut fidem vindicent.

I. NERI, vel *Nerias*, pater Prophetæ Baruch. *Jerem.* 32. 12.

II. NERI, filius Melchi, & pater Salathielis. *Luc.* 3. 27.

NERIGLISSOR, vel *Nigliſſor*, juxta Beroſum, Regis Evilmerodach ſucceſſor (c). Vide infra *Niglíſſor*.

NERO. Neronis Imperatoris nominatim Scriptura non meminit, qui tamen ſub vel Imperatoris, vel Cæſaris nomine alicubi memoratur. S. Paulus in Templo Jeroſolymitano captus Anno 58. Ær. & Neronis 4. & 5. Cæſaream ad Felicem Judææ Præſidem miſſus eſt, qui duobus annis in carcere detentum, Feſto ſuo Succeſſori eum dijudicandum reliquit. Feſtus tamen cùm vellet Paulum Judæorum voluntati committere, ipſe Paulus Cæſarem, nempe Neronem, appellavit Anno Ær. 60. & Neronis 6. & 7. qui idcirco Romam ductus, menſe Februarii Anno Chr. 60. illò pervenit; duobuſque annis Romano populo Evangelium liberius nuncians, ita ipſam Imperatoris aulam ſibi devinxit, ut aulicos plurimos ad Fidem perduxerit (d). Ad Philippenſes c. 4. eiſdem ſalutem dicit nomine eorum, qui de Domo Cæſaris erant, nempè ex aula Neronis. Qua ratione ab Judæorum accuſationibus abſolutus fuerit, & an Neroni adſtiterit, an verò Judæi ab accuſatione receſſerint, ignoramus. Conſtat tamen, anno Chr. 62. omnibus omninò fuiſſe exemptum.

Romam deinde anno Chr. 65. & Neronis 11. & 12. regreſſus, quamdam, ut ajunt, Imperatoris pellicem ad Chriſtum duxit, quare ejuſdem imperio carceri addictus, & ad ipſum deinde adductus, quamvis ab omnibus eo in diſcrimine deſertus, à Domino exemptus eſt *ab ore Leonis*. 2. *Tim.* 4. 16.

Iterum denique in judicium raptus, capite damnatus eſt, anno Chr. 66. unaque, eodem Imperatore mandante, S. Petrus Apoſtolorum Princeps interfectus eſt. Inter Fidelium Perſequutores omnium ſæviſſimus recenſetur Nero; ea autem perſequutio, quam in Chriſtianos anno Chr. 64. excitavit, omnium crudeliſſima, quibus cæteri Romani Imperatores Eccleſiam laceſſiverint, memoratur. Crudelium, & impiorum hominum anteſignanus Nero ab incendio Romæ, quam ipſius juſſu flammis abſumptam

K om-

(a) 4. Reg. 15. 29. A. M. 3245. ante Chr. 655. ante Ær. 659.
(b) Vide Comment. in Gen. 10. 13.
(c) A. M. 3444. ante Chr. 556. ante Ær. 560. Vide Beroſ. apud Joſeph. l. 1. contr. Appion.
(d) Philipp. 4. 22. & 1. 12. 13.

omnes putabant, Chriſtianos exorſus eſt inſectari, ut in ipſos incendii odium, & cauſam converteret (a). Quoſdam primò notiſſimos vinctos, & per ipſos alios plurimos detectos, omnes tandem morte damnavit, & ad crudelitatis incrementum morientes irriſit. Eorum quoſdam ferarum pellibus contexit, ut à canibus diſcerperentur; quoſdam crucibus affixit; quoſdam denique inſtar facium per noctem accenſos crudeliſſimè conſumpſit: ut autem jucundiùs crudelitati vacaret, hæc in ſuis hortis voluit exhiberi.

Plura indè adversùs Fideles Decreta vulgavit Nero, ſub quo poſt annum Chr. 64. Martyres ferè innumeri, in Italia potiſſimùm, paſſi enumerantur (b). Egimus jam de Petri, & Pauli Apoſtolorum cæde, quæ hujus perſequutionis, probabiliter uſque ad mortem Neronis productæ, habenda eſt continuatio. Mors autem Neronis contigit anno Chr. 68. ſuique imperii 14. quo ipſemet ſibi manus intulit, die ſive 9. ſive 11. Junii. Hæc tamen enucleatiùs inquirere ad me nihil attinet, ad quem de his tantùm diſſerere ſpectat, quæ ad Religionem Catholicam, vel aliquo modo ad Bibliorum Onomaſticon referuntur.

Judæorum adversùs Romanos ſeditio contigit circa annum Chr. 65. & 66. Neronis autem 12. & 13. Seditione Jeroſolymis orta, anno 66. homines 3600. Feſtus interfecit; indè belli initia. Paulò poſt Jeroſolymitani Romanum præſidium cecidere; quare Ceſtius ad ſeditioſos cohibendos Jeroſolymam profectus, eam ſex hebdomadibus obſedit, à qua deinde recedens, in ipſo receſſu profligatus eſt, die 8. Novembris, Ær. anno 66 Eodem declinante anno, Nero exercitibus ſuis Veſpaſianum præfecit, qui annis Chr. 67 & 68. Neronis verò 13. & 14. Galilæam, reliquamque Judæam bellis laceſſivit. Cùm autem Imperii ſui anno 14. ſibi Nero mortem conſciverit, eodem jam interempto, Jeroſolyma ſepta eſt obſidione anno Ch. 70 & Veſpaſiani 1. & 2.

NERONIAS. Refert Joſephus *Antiq. l.* 20. *c.* 8. ab juniore Agrippa Paneadem ad Jordanis fontem, vocatam fuiſſe Neroniadem.

NERVUS. Hebræi animalium coxendicis nervo abſtinent, in obſequens Jacobi femoris monumentum, cujus nervus ab Angelo tactus adeò obſtupuit, ut, juxta plures Interpretes, claudicare Jacob nunquam deſtiterit. Vide Interp. ad Geneſ. 32. 25. & 32. Hujus nervi comeſtione nulla lege Iſraelitæ arcebantur; ſed etiam ante Legem neceſſe eſt eodem abſtinuiſſe, ſi quod legitur Geneſis 32. 32. à Moyſe exaratum fuit. Non deſunt, qui velint, privata religione hujus nervi abſtinentiam Hebræos ſervaſſe. Poſterior animalium coxendia alicubi non comeditur, ſed aliis venditur: alibi etiam nervo abſtinent, & carne veſcuntur. Vide *Jacob*.

NESIB, urbs Tribus Judæ, *Joſue* 15. 43. Euſebius ſeptem, D. Hieronymus Hebronem versùs, novem milliaribus ab Eleutheropoli eam locat.

NESROCH, Aſſyriorum Idolum. Cùm Sennacherib Deum ſuum Neſroch in Templo adoraret, à duobus filiis ſuis interfectus eſt (c). Quis fuerit Neſroch, latet. Septuaginta *Meſrach* appellant; Joſephus *Areskem*. Tobiæ autem Hebræum à Munſtero vulgatum, *Dagon* nominat.

(Nomen hoc Numinis expreſſum habes in nominibus Sarac & Sargon Regum Aſſyriæ. Facilè *Sarac* idem erat ac *Sarak*, ex quo tamen nihilò ſapientiores efficimur de *Neſroch*.)

NETHOPHA. Vide *Netupha*.

NETHOPHATI, filius Salmæ, 1. *Par.* 2. 54. author fortaſſe incolarum Netuphæ (d).

NETUPHA, *Netuphat*, ſivè *Nethophathi*, urbs & regio, Bethleem inter & Anathoth (e). Quorundam ex urbe, ſeu regione *Nethophati* meminit Scriptura.

NICANOR, nempe *victor*. Sic in Scripturis quidam appellantur, de quibus ſtatim.

I. NICANOR, filius Patrocli, 2. *Mach.* 8. 9. qui Roma cum Rege Antiocho Epiphane rediit, cujus neceſſitudine, & gratia fruebatur (f). Ab Authore ſecundi Machabæorum colligitur hic fuiſſe elephantorum Præfectus, 2. *Mach.* 14. 12. Primùm (g) in Judæam ab Antiocho Epiphane, aut verius à Lyſia Regni Præſide, dùm Antiochus in Perſiam profectus fuerat, miſſus eſt. Nicanor igitur una cum Gorgia in Judæam venit, ut Judæ Machabæi victoriis viam intercluderet, certumque adeò ſibi pollicebatur triumphum, ut 2000. talentorum vectigal, quod Antiochus Romanis perſolvebat, ſeſe conflaturum jactaverit ex pecuniis, quas ex venditis Judæis congeſſiſſet; quare eodem tempore ex urbibus maritimis mercatores accivit, ut ad emendos Judæos, à ſe mox bello ſubigendos, venirent, nonagenos ex iis unico talento empturi.

Res tamen, Deo favente, aliter omninò contigit; Judas enim in plures turmas, quibus fratres ſuos præfecit, diviſo exercitu, ipſe prima acie in Nicanorem irruit, cujus agmina ſtatim fuſa in fugam compulit, eorumque pecuniis potitus eſt, qui Judæos in mancipia coemptum feſtinaverant. Nicanor autem clade fractus, & profugus, ne agnoſceretur, ſuis veſtibus exutus, pudore & confuſione affectus, ad Antiochum regreſſus eſt.

Quatuor circiter poſt annos, in Judæam reverſus eſt Nicanor, cùm Demetrius Seleuci filius è Syria redux, Regnum patris aſſumpſit. Alcimus, qui Summum Sacerdotium ſibi auro comparaverat, poſtulavit à Rege milites, quibus eam dignitatem conſequeretur: quare Demetrius exercitu, cui Bacchidem præfecerat, eum inſtruxit, ut armorum vi in Sacerdotali officio collocaretur. At Judas ſtatim coacto exercitu, ad arma procurrens, Alcimum reverti ad Demetrium coegit, ut novis auxiliis ſibi proſpiceret A. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161. Demetrius igitur Nicanorem in Judæam miſit, 1. *Mach.* 7. 26. &c. cui etiam mandavit, ut imperiis ſuis reluctantes omninò perderet. Primò itaque Nicanor Judam capere conatus eſt; qui propterea extra urbem ad colloquium de pace componenda vocatus, libenter indulſit: at ſibi inſidias ſtrui intelligens, ſtatim receſſit, neque fieri potuit, ut rurſus de pace colloquerentur. Suis proinde militibus propè Caphar-Salama Nicanoris copias aggreſſus, hoſtium ferè 5000. interfecit, reliquis Jeroſolymam confugientibus; quò etiam progreſſus Nicanor, holocauſta, quæ ibi pro Rege Syriæ offerebantur, irriſit, durè Sacerdotes excepit, eoſque, niſi Judam ſibi traderent, ſe poſt ſuum reditum Templum illud flammis conſumpturum eſt minitatus.

Ira itaque fervens, Jeroſolyma egreſſus, propè Bethoron caſtrametatus eſt, auxiliaribus è Syria copiis auctus. Judas 4. milliaribus à Bethoron prope Adarſam caſtra conſtituit. Commiſſo deinde prælio, die 13. Menſis Adar, Syriſque ſtatim deletis, omnium primus Nicanor interiit; quem ubi Syri exanimem conſpexerunt, armis projectis, ſibi fuga conſuluere. Hebræi autem Nicanoris caput, & dexteram, quam ſuperbè contrà Templum extenderat, amputatam è regione Jeroſolymæ ſuſpendere, & quotannis victoriæ diem ſolemnem conſtituerunt. Ita dies abſolvit Nicanor an. M. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.

Hoc ultimum Nicanoris bellum adversùs Hebræos fuſiùs narrat Machabæorum ſecundus 14. 12. quo fertur Nicanor in Judæam veniſſe, ut vivum Judam

(a) Vide Tacitum Annal. l. 15. c. 44. Sulpit. Sever. l. 2. Sveton. in Neron. c. 16.
(b) Tillemont. tom. 2. Hiſt. Eccleſ. p. 81. 82. &c.
(c) 4. Reg. 19. 37. A. M. 3294. ante Ch. 706. ante Ær. 710.
(d) Vide noſt. Comment. in 1. Par. 2. 54.
(e) 1. Eſdr. 2. 22. & 2. Eſd. 7. 26. & Jerem. 40. 8. & 1. Par. 9. 16.
(f) Joſeph. Antiq. l. 12. c. 17.
(g) 1. Mach. 3. 38. &c. & 2. Mach. 8. 9. &c. A. M. 3839. ante Ch. 161. ante Ær. 165.

Digitized by Google

Judam comprehenderet, ejus fautores deleret, & Alcimum in Summi Sacerdotis dignitate conſtitueret. Hujus Ducis in Judæam adventus Judæos omnes terruit. Cùm autem Nicanor propè Caſtellum Deſſau, proximum vico Eſſaus, cujus ſitus nos latet, caſtra locaſſet, Simon Judæ germanus velitationem in hoſtes exercuit: nihil tamen proſperè actum eſt. Nihilominus Nicanor, Judæ, Judæorumque incredibilis virtutis conſcius, Legatos ad eum miſit, qui pacem componerent. Hi pluribus diu diſcuſſis convenere tandem, ut Judas, & Nicanor in agrum deſcenderent, ſimulque invicem colloquuti, res pacis agerent, atque conficerent, quas utique conſtituta die egerunt feliciter, & feliciſſimè confecerunt. His ita geſtis, Nicanor Jeroſolymis morabatur; & copiis, quæ ſibi opus minimè erant, dimiſſis, Judæ amicitia, & conſuetudine utens, eidem connubium etiam, ſiſturam deſiderio, ſuaſit.

Hanc tamen animorum ſocietatem ſtatim diſſolvit Alcimus, qui Judam in Summi Sacerdotii dignitate, quam ipſe appetebat, confirmatum minimè ferens, Antiochiam ad Demetrium ſe contulit; ad quem Nicanorem detulit, conveniſſe cum Juda Machabæo, ut Regi, Regnoque ultimam perniciem moliretur. Ira æſtuans Demetrius, ſtatim ſcripſit Nicanori, ſe ægrè ferre ſocietatem, quam cùm Juda iniveras; quare Machabæum catenis devinctum Antiochiam mitteret ſe temperate. Invito ſanè animo imperium tulit Nicanor; qui tamen obtemperare coactus tempus aucupabatur, quo Judam comprehenderet. Judas verò rem ſuſpicatus, inſidias prævivit, & clam aufugit. Quare Nicanor indignatus Machabæum à ſuis manibus declinaſſe, Templum illicò ingreſſus, à Sacerdotibus ſibi virum tradi poſtulavit, Quibus ſe neſcire, ubi ille deliteſceret, jurando teſtantibus, contra Templum dexteram extendens, Niſi, inquit Judam mihi vinctum tradideritis, iſtud Dei Fanum ſolo æquabitur, *& altare effodiam, & Templum hoc Libero Patri conſecrabo.*

Hæc minitatus, de Templo receſſit. Tunc viri quidam nequam Raziam vitæ integerrimæ, & ſpectatæ ſanctitatis ſenem, qui Pater Judæorum appellabatur, 2. *Mach.* 14. 37. apud Nicanorem criminati ſunt. Nicanor ſtatim quingentos miſit milites, qui eum comprehenderent; quare Razias, cùm eorum manus declinandi ſpem omnem ſibi ademptam noviſſet, gladio ſe petiit, & à domus faſtigio in mediam populum ſe præcipitem egit: cùmque ſe adhuc vivere ſenſiſſet, ſurrexit, & præruptam petram aſcendens, viſcera ſibi è vulnere extrahens, eaque manibus complexus, in medium populum projecit; ſicque interiit inter inimicos, qui ejus virtutem admirari coacti fuere. Vide *Razias.*

Poſt hæc, Nicanor Judam in Samariæ ditionem confugiſſe intelligens, 2. *Mach.* 15. 1. 2. &c. omni vi eum aggredi die Sabbathi cogitavit. Quare una cum exercitibus ſuis cum tubis, & canticis adverſùs Judam progreſſus, cum eodem, qui auxilii ſui ſpem omnem in Deo collocaverat, congreſſus eſt. In eo autem congreſſu Nicanoris exercitu profligato, militum 35000. ab Judæis interfectis, & demum abſoluto certamine, Nicanorem cum armis ſuis cecidiſſe compertum eſt; quâ de re ſummoperè gaviſi Judæi, maximum lætitiæ clamorem ediderunt. Præcepit autem Judas, ut caput Nicanoris, & manus cum humero abſciſſa Jeroſolymam deferretur; cùmque ipſe in urbem perveniſſet, populo & Sacerdotibus in Templum convocatis, caput & manum interfecti hoſtis oſtendit; eamdemque Syris arcem tenentibus videndam obtulit. Juſſit deinde, ejus linguam, quæ blaſphemiis Dominum impetierat, in fruſta præcidi, & avibus edendam tradi; caput autem in arcis faſtigio, & manum è regione Templi voluit ſuſpendi. Omnes denique communi conſilio victoriæ diem ſolemniter agendum, & grates de profligato Nicanore Domino perſolvendas in annos ſingulos decreverunt.

(Nicanor igitur & Gorgias cùm in Judæam genti exterminandæ validum duxiſſent exercitum, onerati ab Antiocho Epiphane, antequam ille Perſicæ expeditioni ſe commiſiſſet, mandatis, diſtribuendi regionem in gentes exteras, cum inquam, ambo Duces veniſſent, Judas Machabæus certior de re tota factus, coactis 7000. circiter ſuis, hortatus eſt, ut ſtrenuè manus confererent, nihil timentes hoſtium ſuorum multitudinem; revocarent ſibi in mentem, quot olim Deus prodigia populo ſuo faverat, tum in delendo exercitu Sennacherib, cùm etiam in cæde 120000. Galatarum vel Gallorum.

Poſtquam ita milites comparaſſet ad ſuſcipiendam defenſionem Legis & patriæ, cùm Jeruſalem à Paganis gentibus teneretur, duxit omnes in Maſpham(a), quæ ſedes erat religionis & precum in Iſraele ante Templi inſtructionem. Ibi jejunos egerunt dies, accinxerunt ſe cilicio, caput reſperſerunt cinere, ſciderunt veſtimenta ſua, opem Dei implorantes; ſimulque Eleazarus frater Judæ è Libris Legis aliquid coram frequenti populo legit. Tum conſtituti ſunt à Juda Præfecti, Tribuni, Duces, & Decuriones ſuas ſinguli portiones copiarum curaturi ad nutum ſupremorum Ducum. Quibus ita diſpoſitis, itineri ſe commiſit, caſtraque locavit juxta Emmaus, atque in mane alterius diei præſto ſtare ad prælium militibus juſſit.

Ratus tunc Gorgias (b) incautis ſuperventurum ſe Judæis noctis ſilentio, lataque ſæviturum ſtrage, ſubeunte veſpere fultus manu 5000. peditum & 1000. equitum ſelectiſſimorum, iter monſtrantibus Judæis quibuſdam deſertoribus, & apoſtatis regionis peritis, rectà ſe contulit ad hoſtium caſtra. Sed Judas de re tota certior factus noctis ſilentio vaſa colligens, & abſentia expertiſſimi Ducis Gorgiæ commodè uſus, proceſſit aggreſſurus reliquum exercitus, quod caſtra habebat in Emmaus. Venit interea Gorgias ad caſtra Judæ, atque deſerta omnia intelligens, reputavit fuga dilapſos Judæos, fugitivuſque perſequi in montibus ſtatuit. Sed Judas quadrifariam diviſo exercitu (c) mille quingentos milites ſingulos fratribus ſuis Simoni, Joſepho & Jonathæ commiſit, aſſignavitque in teſſeram *Signum adjutorii Dei*; tum ipſe 3000. aſſumptis impetum fecit in Nicanorem, de cujus exercitu ultra 9000. cæcidit, reliquas verò copias fudit fugavitque.

* Nihil præclarius, nihil admirabilius apud veteres Hiſtoricos legi, quàm orationes ſupremorum Ducum animos militum ſuorum incendentium, ut ſtrenuè ſeu victoriam reportarent ſeu mortem oppeterent. Id portò quod eximium arbitror in ore ſupremi Ducis, multò etiam præclarius in Rege, perſeveravit adusque ſæculum decimum ſextum; orationes Henrici Magni in ejus hiſtoria non infimum tenent locum (d). Optimæ ſunt quæ breviſſimæ & quæ paucis verbis & ſuâ energia quadam pingunt ſub oculis militum præcedentes victorias, propriæ virtutis decora bonum & gloriam patriæ, quæ ab illis pendent, vitia atque defectus hoſtium &c. Sed cur opportuna ea agendi ratio jam deſiit? Ideo arbitror, quòd è Ducibus plerique deſtituuntur Laconico illo eloquio, quod maximè decet viros illos ampliſſimos, dignoſque tanto munere reddit.

Judas Machabæus in ea, qua milites ſuos hortatur, oratione nihil prætermit eorum, quæ virtuti illorum relevandæ excitandæque ſpei valent; expugnandis illis machinas adhibet Religionis, quæ omnium validiſſimæ in hanc rem cenſentur: augeturque in immenſum ſpes vincendi cùm ſtrenuus aliquis miles, Ju-

(a) 1. Mach. 3. 46. &c. (b) 1. Mach. 4. 1. &c. (c) 2. Mach. 8. 22.
* Animadverſiones in fuſum prælio Nicanorem à Juda Machabæo 1. Mach. 3. 38. 55. & 4. 1. &c. 2. Mach. 8. 16. &c.
(d) Vide Mezeray & P. Daniel, in vita Henrici IV. Galliæ.

dæ par, de Religione rem eſſe demonſtrat; quod maximè valet apud populum natura ſua averſum ab hoſtibus ejus Religionis, quam profitetur. Exhibet igitur ſub oculis Judas impias & ſacrilegas hoſtium prophanationes in locum ſanctum: *Illi armis confidunt ſimul & audaciæ; nos autem in omnipotente Domino, qui poteſt & venientes adversùs nos, & univerſum mundum uno nutu delere, confidimus.* 2. *Mach.* 8. 17. Revocat in mentem quam validam Deus olim Patribus ſuis opem præſtiterit, delectum exercitum Sennacherib, tum & orationem concludit commemorans victoriam multò recentiorem, & extraordinariam adeo ut torqueantur Commentatores, ut lineam ejus aliquam investigent in hiſtoria, nec conſiſtunt niſi in conjecturis, quæ nonnihil coactæ videntur. Reputat D. Calmet facile agi hìc de expeditione quadam Galatum in Babyloniam, quæ cum tractum nullum haberet ſucceſſivum, facilè præterit Hiſtoricos, negligentes referre incurſiones hoſtium, nullos alios eventus ſat dignos poſterorum memoria habentes adnexos. Sed bona ejus venia reponam neminem ex Hiſtoricis, quantumvis epitomen potius texat quam hiſtoriam, id commiſſurum, ut rem adeò memorabilem prætereat, cùm in ſua oratione Judas luculenter aſſerat 6000. Judæos data ſibi cælitus ope validos occidiſſe in uno ſingulari prælio 120000. Galatas. Quis Hiſtoricus tam inſignem rei eventum à ſuo Opere proſcriberet; interea tamen nihil ea de re in hiſtoria, quod mihi admirationi eſt magis, quàm ad rem ipſam ſtupeam, nempe ad prælium, quo 6000. homines 120000. ſtraverunt.

Porrò tantus belli apparatus animos Judæorum conſternaverat, minus illi fidebant viribus ſuis hoſtibus tam validis adeo impartibus, quàm præſtando a Deo auxilio, ac peritiſſimi Ducis virtuti. Judæ oratio deſpondentes illos adeò confirmavit animavitque, ut præſto ſe offerrent *pro Legibus & Patria mori.* 2. *Machab.* 9. 21.

Lyſias (a), qui res Provinciæ abſente in expeditionem Perſidis Antiocho Epiphane, curabat, *elegit Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam viros potentes ex amicis Regis; & miſit cum eis quadraginta millia virorum, & ſeptem millia equitum, ut venirent in terram Juda, & diſperderent eam ſecundùm verbum Regis; & proceſſerunt cum univerſa virtute ſua, & venerunt & applicuerunt Emmaum in terra campeſtri.* Subodoratus Judas conſilium Antiochi gentem omnem Judæam exterminandi, ſenſit quanti res eſſet moliminis tam valido hoſti reſiſtere. Numerus & virtus hoſtium, Ducum experientia arrectum illum & ſuſpenſum reddebant; ſed viam inivit tanto Duce planè dignam. Quo timendi anſam omnem præcideret, exacta militari diſciplina ſuos inſtruxit, eodem invecto ordine, quem olim ſtatuerat David: *Conſtituit Duces populi, Tribunos,* & *Centuriones, & Pentacontarchos, & Decuriones Matth.* 3. 55. Strenuis licèt militibus audacibuſque conſtet exercitus, expertus licèt præſit Dux, niſi tamen ordo regnet & diſciplina, ipſa omnes vincendi recident in caſſum. Majori hoſtium numero oppoſuiſſe tantùm videntur Machabæi virtutem callidamque ſolertiam in diſtributione agminis; ſed & juncta ſolertiæ diſciplina, accedente etiam peritia Ducum Judæorum invaliditati copiarum ſupplet abundè, cui etiam ad fiduciæ complementum accedit ſpes firma de auxilio Dei; quibus ſimul omnibus manus conſerturi non in diſcrimen procedebant, ſed ad victoriam. Tenere ſe equidem credebant victoriam, qua ſecuri proceſſerunt in hoſtes, crantque modicis intervallis diſtincta, utraque hoſtium agmina in agro Emmaus.

Intelligens Gorgias ſtatuiſſe Judæos ſeu victoriam, ſeu mortem pro religione & patria, furtivam nocturnamque aggreſſionem tentavit, ratus incautum ſe oppreſſurum Judam, latèque exercitum ejus cæſurum. Movit ergo ſubeunte veſpere aſſumpta manu 5000. peditum, & 1000. equorum ſelectiſſimorum, rectaque contendit ad caſtra Iſraelitarum. Judas, quem nihil latebat de hoſtium conſilio, nihil tempori concedendum ratus, vaſa in noctis ſilentio collegit, atque de abſentia Gorgiæ, cujus & ſolertiam & audaciam timebat, niſus, versùs Emmaus declinans iter hoſtis celeritate ſua prævertit. Gorgias, omnium ignarus, acceſſit interim ad caſtra; & cum vacua hoſtibus intelligeret, dilapſis, uti rebatur, fuga Judæis; neque enim unquam inducere poterat in mentem proceſſiſſe illos ad caſtra ſua tentanda; in montibus illos inſecutus eſt.

Venit igitur Judas ad caſtra; attonituſque Nicanor de eventu atque audacia hoſtium, ecquid de Gorgia cogitaret incertus, timenſque pariter prælio illum victum fugatumque; ſed & urgentibus ad conſilium aliquod capiendum inſtantibus hoſtibus, copias è caſtris eductas diſpoſuit in prælium juxta receptam Aſiaticorum, quæ & Græcorum fuit, methodum, conſtitutis ſcilicet peditibus in medio, in alas diſpoſitis equitibus.

Sed Machabæus (b) *conſtituit fratres ſuos Duces utriuſque ordinis, Simonem, & Joſephum, & Jonathan, ſubjectis unicuique millenis, & quingentenis;* i. e. juxta fidem primi Machabæorum, diviſit quadrifariam exercitum; legimus enim ibi 4. 6. duxiſſe illum agmen 3000. Semper autem ſe prodit ſolemnis præliandi Ducis illius ratio per agmina nempè diſcreta in fronte lineæ, & denſiſſima.

Inter omnia Machabæorum prælia nullum occurrit, cui majores cæremoniæ & cautiones adhibitæ ſint, reputandum eſt, etiam ex eo eventu pendere ſalutem totius gentis, adeò viribus pollebat hoſtium exercitus, adeò inſtruebatur Ducibus rerum militarium peritiſſimis, ex quibus metus, & terror plurimus reſultabat in Judæos. Sed ardua omnia prudentia & ſcientia ſua ſuperavit inclytæ virtutis Judæus: *Et facto ſibi adjutore Omnipotente, interfecerunt ſuper novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt.* Facinoroſiſſimus autem Nicanor (c) *depoſita veſte gloriæ per Mediterranea fugiens, ſolus venit Antiochiam, ſummam infelicitatem de interitu ſui exercitus conſecutus* 2. *Mach.* 8. 14. 35. 26.)

II. NICANOR, unus ex ſeptem primis Diaconis, *Act.* 6. 5. quos paulò poſt Spiritus Sancti adventum, orto murmure Græcorum adversùs Hebræos, quòd eorum viduæ in quotidiana ciborum diſtributione deſpicerentur, Apoſtoli elegerunt, ut quodlibet incommodum reparaturi, menſis miniſtrarent, ann. Æræ 33. Peculiare nihil novimus de S. Nicanore. Martyrem obiiſſe in Inſula Cypri die decima Januarii refert Romanum Martyrologium. S. Nicanoris & una SS. Prochori, Timonis, & Parmenæ Feſtum à Græcis ad diem 27. Auguſti conſignatur. Refert Dorotheus, ipſum, alioſque plurimos interemptos eſſe eadem die, qua S. Stephanus lapidibus obrutus deceſſit; quare nequaquam in Cypro, ſed Jeroſolymis Martyrium ſubiiſſe deducitur. Nicanoris nomen ſub die 28. Decembris in Menæis recenſetur.

III. NICANOR, ſive *Nicator. Demetrius Nicator* Syriæ Rex 10. annis regnavit (d), tumultibus ſemper idcirco turbatus, quòd ejus Regnum plures ſibi deberi contenderent. Vide *Demetrius.*

NICAULE. Hoc nomine Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 2. Reginam Saba appellat, quæ Salomonem adiit, ut periclitaretur, an ejus ſapientia famæ, quam audiverat, reſponderet (e). Aſſerit Joſephus eam fuiſſe Æthiopiæ ſimul & Ægypti Reginam, pro qua ſententia Hero-

(a) 1. Mach. 3. 38. &c. (b) 2. Mach. 8. 22. (c) Ibid. Verſ. 35. 36.
(d) Regnum cepit A. M. 3854. ante Ch. 146. ante Ær. 150.
(e) Vid. 3. Reg 10. 1. 2. &c. 2. Par. 1. 2. circa A. M. 3012. ante Ch. 988. ante Ær. 992.

Herodotum laudat, veluti agentem de Regina Nicaule. Herodotus autem *l. 2. c. 10.* de *Nicoti* tantùm Ægypti Regina diſſerit, neque unquam Nicaulei, ſive ejus itineris Jeroſolymam meminit. Noſtrum hic erit recenſere ea, quæ de Regina Saba memorat Scriptura (a), quin hoc illius nomen tueamur. Cum per Orbem univerſum Salomonis ſapientiæ fama increviſſet, ad eum inviſendum acceſſit Regina Saba, velut in Evangelio Chriſtus Dominus appellat, *Regina Auſtri*, *Matth.* 12. 42. *Luc.* 11. 31. nempè probabiliter Regina ejus regionis Arabiæ felicis, in qua Sabæi morabantur, & mulieres imperabant, *Claudian. in Eutrop. l. 1.*

- - - - - - Medis, levibuſque Sabæis
Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Regina igitur Saba ad Salomonem ſe contulit, ut ænigmatibus, quibus tunc temporis præcipuè exercebantur Sapientes, ſapientiam ejus tentaret. Maximis opibus, & copia prædivite aromatum, auri, atque gemmarum inſtructa, & iis famulis, & aſſeclis honoratis, qui eam decebant, Jeroſolymam ingreſſa, Salomonem adiit; cui iis omnibus, quæ paraverat, expoſitis, eumque quibuslibet ſapientiſſimè reſpondentem, domus inſuper magnificentiam, ciborum lautitiam, & Miniſtrorum ordinem admirata, eo ſtupore capta eſt, ut penè ſpiritus in ea non remanſerit, faſſaque ſic Salomoni, ſe expertam eſſe ipſius ſapientia longè majorem peragrare famam, quam plurimùm virtutibus ſuis ſuperarat. Auri denique 120. talenta, aromatum, & gemmarum copiam quàm maximam Regi impertita, ampliſſima munera, & quidquid ab ipſo optaverat, conſequuta, in Regionem ſuam reverſa eſt. Hæc Regum, & Paralipomenon Libri de Reginæ Saba itinere Jeroſolymitano.

Peculiaria quædam addit Joſephus *Antiq. l. 8. c. 2.* quæ fortè ab Judæorum Traditione didicerat. Nicaule, inquit, Salomonis ſapientiæ rumorem ſequuta, cum ea, quæ regiæ dignitati par erat, aulicorum caterva Jeroſolymam contendit; ubi quæſtiones inextricabiles, quas Salomoni explicandas exhibuit, extemplò ab eodem faciliimè ſolutas excepit. Palatii magnificentia, quod Libani ſaltum vocabant; famulorum Regiæ menſæ miniſtrantium ordo; majeſtas, & ſplendor, quibus undequaque cùm ſacrificia offerrentur, decorabatur Templum, in omnem omnino admirationem Reginam traduxere. Refert præterea Joſephus, ab ea Salomoni munere oblata 20. auri talenta, quæ 120. fuiſſe Scriptura commemorat, & pretioſiſſimam balſami arborem, cujus deinde feraciſſimam fieri Judææ contigit. Interea, quibus Regina Saba Salomonis ſapientiam exploravit, hoc quoque, ait Michael Glycas *Ann. p.* 183. uſa eſt experimento. Quoſdam adoleſcentulos, totidemque puellas eiſdem ornamentis inſtructos ad Regem adduxit, ut mares à fœminis ſolo viſu ſecerneret; quibus cum Salomon imperaſſet, ut aquis ſibi omnes vultum abluerent, adoleſcentulos à puellis diſcrevit, quod illi validè, ac viriliter, hæ verò molliter, ac delicatè ſibi frontem perfricaverint.

Putant Æthiopes, Æthiopem fuiſſe Reginam Saba, & in Æthiopiam rediiſſe filio gravidam, quem e Salomone conceperat, quemque ubi peperit, & in ætatem cuidam cognitioni accommodam traduxit, ad eumdem Salomonem miſit, ut ab ipſo optimis diſciplinis, utpote communis filius, efformaretur: quod & feliciſſimè contigit; nam Salomon ejus curam quàm maximam geſſit, & à ſapientiſſimis Præceptoribus eruditum, ad matrem remiſit; qua mortua, ejus Regnum cepit adminiſtrandum. Æthiopiæ Reges Salomone genitos ſe oſtentant, utpote hujus Regis nepotes, quem Menilehec, aut Meilic appellant, & ex ejuſdem familis, 24. Imperatores recenſent, uſque ad Baſilidem, qui dimidio ſæculo decimoſeptimo imperabat (b).

(Reginam Saba, quæ inviſura Salomonem venit, *Balkis* nomine nuncupant Arabes (c); ſatamque dicunt è poſteris Jarab filii Cahthan; Regnum obtinuiſſe in Arabia, ac habuiſſe Metropolim Urbem Mareb cæterarum in Provincia Saba principem. Nata eſt patre Hadh filio Schahabil inter Reges Jemen vel Arabiæ Felicis vigeſimo. Gentis illius hiſtoria ſcatet fabellis, quod attinet ad iter ejus fœminæ ad Salomonem, ejuſque cum eodem Principe connubium. Ita pariter fabellam ſubolet quod narrant de ave Hudhud, quam nos upupam appellamus, cujus miniſterio Salomon & literas mittebat in Arabiam & excipiebat reſponſa.)

NICODEMUS, Jeſus Chriſti Diſcipulus, Judæus, & Phariſæus. In Evangelio *Judæorum Princeps. Jo.* 3. 1. & à Chriſto Domino *Magiſter in Iſrael* appellatur, *Jo.* 3. 10. Ubi Salvator in primo Paſchate, quod poſt ſui baptiſmum egit an. Chr. 33. Ær. 30. ſe Meſſiam miraculis cœpit Jeroſolymis exhibere, ſine ulla animi hæſitatione Nicodemus eum Dominum eſſe ſibi ſuaſit; quare ad ipſum noctu venit, ut viam ſalutis edoceretur, *Jo.* 3. 2. &c. Cui Jeſus, neminem, niſi renatum, ſalutem acquiſiturum dixit. Cùm tamen Nicodemo captu difficile videretur, qui homo ſenex rurſum naſci poſſet, ſubdidit Jeſus: Niſi quis ex aquà & ſpiritu renaſcatur, Regnum Dei non ingredietur. Quod ex carne naſcitur, caro; quod è Spiritu, Spiritus eſt. Nicodemo autem qua ratione hæc fieri poſſent ſciſcitanti, reſpondit Jeſus: Tu in Iſraele magiſter es, & hæc ignoras? Quæ ſcimus, hæc dicimus, nobiſque dicentibus fidem non adhibetis. Si mihi terrena dicenti non creditis, qui cœleſtia proferenti acquieſcetis? Cœlum ſcandit nemo præter hominis Filium, qui inde deſcendit. Uti Moyſes in deſerto æneum anguem erexit; ità Filius hominis eſt elevandus: Deus enim eo mundum amore proſequutus eſt, ut Filium ſuum dederit, ne quiſquam in ipſum credens pereat, ſed æternæ vitæ præmia conſequatur.

Poſt hæc Nicodemus Domino ſe obtulit in Diſcipulum, ad quem conſulendum toties confugiſſe non dubito, quoties ipſe Dominus Jeroſolymam veniebat. Cùm die quadam Pontifices & Phariſæi miniſtros miſiſſent, qui ad ſe Jeſum adducerent (d), eiſdem re infecta reverſis, & nunquam ſic hominem loquutum eſſe teſtantibus, reſponderunt: Numquid & vos ſeducti eſtis? numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Quibus tunc Nicodemus: Numquid Lex judicat hominem, quem priùs non audierit? At illi ad eum. Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Legem, & vide, quod ex Galilæa Propheta non oritur. His enunciatis, unuſquiſque domum ſuam reverſus eſt. Tandem Nicodemus Chriſti Diſcipulum ſe palam tùm exhibuit, *Jo.* 19. 39. A. Chr. 36. Æræ 32. cùm Joſepho ab Arimathæa junctus, juſta ſoluturus Domini Crucifixi cadaveri advenit, quod è cruce depoſitum, & aromatibus conditum, in novum monumentum intulerunt.

Ipſe Dominus baptiſmi aquis Nicodemum abluit, incertum tamen, an poſt, an verò ante Paſſionem. Quod ubi noverunt Judæi, Principis dignitate ſpoliatum, & ab eorum communione interdictum, Jeroſolymis expulerunt, *Photius Cod.* 171. *p.* 384. Priùs tamen, ut ajunt, ejus bona populati, verberibus ita affecerunt, ut penè exanimem reliquerint; neque omninò peremere, ut Gamalieli ejus patruo, ſivè ſobrino obſequerentur. Gamaliel autem eidem in ruralem domum excepto (e), quidquid opus erat, abundè ſuppeditabat; eumque, ubi ultimam diem obiit, prope S. Stephanum perofficiosè tumu-

(a) 3. Reg. 10. 1. &c. & 2. Par. 9. 1. &c. (b) Vide Ludolf. Hiſtor. Æthiop. l. 2. c. 3. 4. &c.
(c) Herbeloth Bibl. Orient. pag. 182. (d) Jo. 7. 45. &c. A. Ch. Æræ 32. dum Tabernaculorum Feſta agebantur.
(e) Vide Lucian. de S. Stephan. Invent.

tumulavit. Anno 415. cadavera Nicodemi, S. Stephani, & Gamalielis Divino conſilio ſimul inventa ſunt, quorum Feſtum Eccleſia Latina ſimul etiam die 3. Auguſti veneratur.

Extat adhuc Evangelium apocryphum, Nicodemi nomine inſcriptum (a), quod in quibuſdam Manuſcriptis, *Acta Pilati* appellatur. Certo tamen conſtat, id volumen minimè illud eſſe, cujus Veteres meminerunt ſub nomine Actorum Pilati, quæ ad Tiberium miſſa fuerant: eſſe verò fabularum, & errorum congeriem, cui nulla prorſus fides eſt adhibenda. Sub finem hujus falſi Evangelii, hæc leguntur, è quibus ſolis ejus commentum liquidò poſſet deprehendi: *In Nomine Sanctæ Trinitatis, hic expliciunt Acta Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ in Jeruſalem inventa fuere à Magno Theodoſio, in Prætorio Pontii Pilati, in Actis publicis, ſcripta anno decimonono Imperii Tiberii, & anno decimoſeptimo Herodis filii Herodis Regis Galilææ, die octava ante Kalendas Aprilis, nempe vigeſima tertia Martii, anno Olympiadis ducenteſima ſecunda, ſub Principibus Sacerdotum Joſepho, & Caipha. Hæc hiſtoricè idiomate Hebræo ſcripſit Nicodemus poſt Crucem, & Paſſionem Salvatoris.*

NICOLAITÆ. His, quæ mox de hac ſecta, ejuſque authore protulimus, addendum cenſeo, Nicolaitas in Aſia increviſſe, cùm Jeſus in Apocalypſi expreſſè eos increpet. S. Irenæus *l.* 1. *c.* 27. nos monet, carnium, quas Idolis immolant, comeſtionem, & adulteria ab ipſis veluti res indifferentes haberi. Has tandem carnes tunc comedunt, cùm eas, inquit Victorinus Pictavienſis, exorciſmis expiaverint; & octo poſt diebus criminia veniam fornicariis impertiuntur. Gemini, juxta Theodoretum, hujus hæreſis characteres, libertas, & dementia recenſentur. S. Epiphanius *hæreſ.* 25. eorum flagitiorum, eorumque abſurdarum de Divinitate, & Creatione opinionum fuſum texit catalogum. Docet S. Auguſtinus *hæreſ.* 5. uxorum communitate ipſos uti, & quibuslibet Ethnicorum ſuperſtitionibus adhærere. Afferunt quoque Nicolaitæ quaſdam de Creatione, & Mundi diſpoſitione fabulas, quibus barbara Angelorum, & Principum nomina interſerunt, ut ſtupidos terreant auditores; cæterùm Sapientes inde potiùs joci argumentum ducant, quàm terroris. Quamvis autem conentur ſuam ſententiam occulere, nos tamen minimè latet, ab ipſis innui velle, Mundum non eſſe opus Dei, ſed quarumdam Potentiarum, quas ipſimet audacia intoleranda effingunt, aut facinoroſa levitate, fide aliorum freti, reverà extare arbitrantur.

Gnoſticorum ramum eos appellat S. Irenæus *l.* 3. *c.* 11. contra quos S. Joannem Evangelium ſuum conſcripſiſſe teſtatur. Refert S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 3. quemdam apud ipſos fuiſſe Librum, quo ſuis erroribus pondus afferebant, & ſua ipſorum flagitia ipſi Deo affingebant. Hi brevi evanuere, juxtà Euſebium *l.* 3. *hiſt. Eccl. c.* 29. ſaltem Nicolaitarum nomen citò deletum eſt, quamvis eorum errores ad ſectas alteras commigraverint, quos, ut ait Tertullianus *Præſcript. c.* 33. amplexi ſunt Cainitæ. Ludovico Pio imperante, circa annum 852. ut ait Sigebertus Gemblacenſis in ſuo Chronico; & ſæculo undecimo, regnante Pontifice Urbano II. revixerunt Nicolaitæ; quorum ſecta ex quibuſdam Subdiaconis, & Sacerdotibus conflabatur, qui ſibi uxores interdictas non eſſe tuebantur. Hos damnavit Concilium Placentinum, anno 1095. *Hæreſis Nicolaitarum, ideſt incontinentium, Subdiaconorum, Diaconorum, & præcipuè Sacerdotum, irretractabiliter damnata eſt &c.* (b).

NICOLAUS, unus ex primis ſeptem Diaconis *Act.* 6. 5. Antiochiæ Proſelytus, hoc eſt, à Paganiſmo ad Judæorum Religionem traductus. Catholicæ deinde Fidei addictus, ea morum integritate vivebat, ut idcircò inter primos Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Diaconos fuerit cooptatus, quod inter eos haberetur, qui cæteros primos Fideles ſanctitate præcellerent. Ejus tamen nomen in Eccleſia ea affectum eſt labe, ut eadem nonquam potuerit omnino purgari. Quidam enim hæretici ab ejus nomine Nicolaitæ fuere appellati. Quamvis autem is minimè vel eorum erroribus vel ſceleribus aſſenſerit, omni tamen ſuſpicione abſolvi non poteſt, quòd ſaltem occaſionem aliquam ita præbuerit. En quæ Veteres Scriptores de Nicolao ſcripſere (c). Nupſerat hic venuſtiſſimæ uxori, à qua ſanctiſſimos homines imitatus, ut continens reliquam vitam abſolveret, ultrò receſſit. S. tamen Epiphanius eum in incepto non perſtitiſſe narrat; iterum ſuæ uxori adhæſiſſe; utque ſe de inconſtantia purgaret, omnibuſque ſe eriperet objurgationibus, propoſitiones puritati, veritatique oppoſitas evulgaſſe; denique in errores ita ſe præcipitem egiſſe, ut initium fecerit ſectis Nicolaitarum, Gnoſticorum, aliorumque, qui cupiditatibus indulgentes innumeris ſe flagitiis infecerunt.

S. Epiphanii ſententiam tuetur Irenæus *l.* 1. *c.* 27. Tertullianus *in Præſcript. c.* 47. S. Hippolytus *apud Phot. Cod.* 132. S. Hilarius *in Matth. c.* 25. S. Gregorius Nyſſenus, *in Eunom. l.* 11. S. Philaſtrius Brixienſis *de hæres. c.* 33. S. Hieronymus *Ep.* 1. Caſſianus *collat.* 18. *c.* 16. S. Gregorius Magnus *hom.* 38. *in Evangel.* S. Pacianus, Geluſius Papa, Gildas, pluresque Recentiores, qui Nicolaum Diaconum Nicolaitarum caput fuiſſe, atque Magiſtrum ſcribunt.

S. tamen Clemens Alexandrinus *l.* 3. *Strom.* S. Epiphanio vetuſtior, ipſum Nicolaum plurimi facit, & rem longè aliter narrat. Cum ab Apoſtolis, inquit, ei exprobrata fuiſſet uxoris ſuæ Zelotypia, in omnium conſpectum eandem produxit, poteſtatemque fecit, ut, cui vellet, nuberet. Incautè quidem hoc ille egit, atque improvidè; nil tamen innuere intendit, quàm experimento oſtendere, ſe uxorem minimè deperire, ſed tantùm modeſtè diligere. Profectò addit S. Clemens, ego audivi eum nunquam alia muliere uſum, & ex ejus liberis, filias quidem conſenuiſſe Virgines, filium verò permanſiſſe incorruptum. At improbi illi, quos juvabat ejus nominis patrocinium, inde cauſam prætexuere, ut ad flagitium quodlibet diffluerent.

Hi hæretici, inquit idem Clemens, innituntur etiam his Nicolai verbis: *Oportere carne uti*; quibus ille innuebat, concupiſcentiæ motus, & paſſionum carniſque impetus eſſe coercendos; quæ tamen hi voluptatis Diſcipuli juxta propriam libidinem, non verò juxta hujus Apoſtolici hominis mentem ſunt interpretati. Euſebius *hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 29. poſtquam retulit, Nicolaitas in Magiſtrum Nicolaum Diaconum oſtentare, eos refellit, tranſcribens, quæ ea de re ipſe S. Clemens attulerat. Clementi adhæret Theodoretus *hæretic. fab. l.* 3. *c.* 1. apertiuſque etiam ejus ſententiam tuetur; purgans enim facultatem, quam Nicolaus uxori fecerat, ut cui vellet, nuberet, teſtatur Sanctum Diaconum ea verba neque ſeriò, neque ea animo protuliſſe; voluiſſe autem tantummodò eos pudore ſuffundere, qui contra ſe muſſitabant. S. Auguſtinus *de hæreſ. c.* 5. Victorinus Pictavienſis t. 1. *Bibli. PP.* S. Iſidorus, & Concilium Turonenſe, omnem etiam ab eo labem removent, Apoſtolicæ quoque Conſtitutiones *l.* 6. *c.* 8. & Epiſtolæ interpolatæ D. Ignatii Martyris (d) aſſerunt, Nicolaitas ſibi injuſtè nomen hujuſmodi uſurpaſſe. Hæc ad labem omnem à Nicolao depellendam.

Quidam, inquit Caſſianus *collat.* 18. *c.* 16. volunt, Nicolaum Nicolaitarum Caput, & Magiſtrum alium eſſe à Nicolao uno ex primis ſeptem Diaconis. Nituntur probabiliter Conſtitutionum Apoſtolicarum Autho-

(a) Vid. apud Fabric. apocryph. N. T. p. 214.
(b) Bertoldus Scriptor. 12. ſæculi t. 10. Concil. p. 502.
(c) Clemens Alex. Stromat. l. 3. Epiph. hæreſ. 25. c. 1.
(d) Epiſt. Ignat. ad Trallienſ. & ad Philadelph.

Authore, à quo fertur commentitium eſſe, quòd Nicolaitæ Nicolai, unius ex ſeptem Diaconis, Diſcipulos ſe oſtentarent. Bis in Apocalypſi Jeſus Nicolaitarum mores, ac doctrinam improbat, *Apoc.* 2. 6. & 15. atque odit; & Epheſi Epiſcopi merito tribuit, quod ab eiſdem & ipſe abhorruerit; arguit autem Epiſcopum Pergami, quòd Eccleſiæ ſuæ nonnulli Nicolaitarum ſententiis adhærerent. In his omnibus locis nihil affert S. Joannes, quod Nicolaum purget a labe, qua Nicolaitarum Caput conſtituitur; noſque nullam Eccleſiam novimus, quæ eidem cultum aliquem exhibuerit; quod ſanè ipſi plurimum adverſatur.

(NICOLAUS Damaſcenus Philoſophus Peripateticus, Vates & Hiſtoricus, ex loco originis Damaſcenus. Vivebat ætate Augnſti paulò ante ortum Jeſum Chriſtum, pollebatque plurimùm favore tum ejus Principis, cùm Herodis Magni Regis Hebræorum, Plurima à poſtremo hoc Principe habuit commiſſa, quæ & obivit feliciter. Ejus hiſtoriam frequenter laudat Joſephus (a); reumque agit interdum ementitæ veritatis in gratiam Herodis (b), cui calamum ſuum devoverat. Univerſalem Hiſtoriam ſcripſerat, ejuſque teſtimonium de Antiocho Epiphane refert Joſephus. Hujus Operis nonniſi 80. libros numerat Suidas; ſed Joſephus contra Appion. l. 2. p. 1065. notat 124. & Athenas 144. Alia plurima ſcripſit. Henricus Valeſius vulgavit Pariſiis a. 1634. Græcè & Latinè Collectionem, quam Conſtantinus Porphyrogenitus digeſſerat, variorum Operum Nicolai Damaſceni. Porrò Codex, unde editio adornata eſt, pertinebat ad D. Peireſchium, qui illum emerat in Inſula Cypro.)

I. NICOPOLIS, urbs Epiri, ad Ambraciæ Sinum, ubi S. Paulus anno Ær. 64. hyemem tranſigens, Titum acceſſiit, qui tunc in Creta morabatur, *Tit.* 3. 12. Putant nonnulli, Nicopolim, ubi S. Paulus hyemavit, non Epiri, ſed Thraciæ urbem eſſe, in finibus Macedoniæ ſitam, & ad amnem Neſſum fuiſſe arbitrantur (c).

II. NICOPOLIS, aliter *Emmaus*, Palæſtinæ urbs. Vide *Emmaus*. Cœpit hæc Nicopolis appellari ſub Imperatore Alexandro Mammæi filio. Julius Africanus Scriptor Eccleſiaſticus, & Chroniſta celeberrimus, Imperatorem adivit, ut citiùs hujus urbis, alias Nicopolis appellatæ, inceptam reſtaurationem perficeret (d). Diſſidium eſt, an hæc Emmaus illa ſit, de qua in Evangelio (e).

NIDDUI, vox Hebræa, ſcilicet *ſeparatus*, *interdictus*. Hæc erat minima excommunicatio inter Hebræos: quicumque ea afficiebatur, ſaltem quatuor cubitis procul à ſuis proximis arcebatur; & hoc ut plurimùm per menſem: ſi autem ſaltem intra menſem abſolutionem non popoſciſſet, excommunicatio eadem ad 60. dies, & etiam 90. protendebatur. Quod ſi eo tempore elapſo, excommunicatione perculſus pertinax perſtitiſſet, quin debitam ſatisfactionem exhiberet, incidebat in *Cherem*, quæ erat gravior Judæorum excommunicatio, & ex hac in *Schammata*, quæ omnium erat graviſſima. Vide *Excommunicatio*.

NIGER, Simonis cognomentum, *Act.* 13. 1. Propheta erat, & Doctor, & ex iis unus, qui manus Saulo, & Barnabæ impoſuere, ut uterque dimitteretur in opus, ad quod Spiritus Sanctus eos elegerat. Putant aliqui (f), Simonem hunc Simonem eſſe Cyrenæum, qui in crucis onere Chriſto Domino in Calvariam prodeunti ſucceſſit *Luc* 23. 26. cujus tamen rei nullum argumentum, præter nominis ſimilitudinem, invenimus. S. Epiphanius *hæres.* 20 *c* 4. inter 72. Salvatoris Diſcipulos quemdam, qui *Niger* dicebatur, agnoſcit. Eccleſia neque in Officio, neque in Martyrologiis Simonis Nigri meminit.

NIGLISOR, vel *Nigliſar*, vel *Neriglíſſor*, vel *Neriglíſſorer*, ſucceſſor Evilmerodachi Chaldææ Regis. De Nigliſore bis agit Joſephus, de quo in ſuarum Antiquitatum Libro 10. & 12. capite hæc ait: *Abimalarodacho poſt decimum octavum Regni ſui annum defuncto Nigliſar Filius ſucceſſit; cùmque regnaſſet annos quadraginta, vitam cum morte mutavit. Continuata deinde ſucceſſione ad Laboſordachum filium Regnum pervenit: apud quem cùm novem tantùm menſibus haſiſſet, poſt mortem ejus tranſiit ad Balthaſarem, qui Babylonis Naboandel nominatur. Huic bellum intulerunt Cyrus Perſarum Rex, & Darius Medorum &c.* Idem Joſephus libro 1. contra Appionem hæc refert, ex libro 3. hiſtorici Beroſi: *Mortuo Nabuchodonoſore, Chaldaa Regni Dominus effectus eſt filius Evilmerodachus, qui propter iniquitates, & libidines paſſus inſidias, a marito ſororis ſuæ Nirigliſſorore peremptus eſt, cùm duobus regnaſſet annis. Quo defuncto, ſumens Regnum qui ei fecit inſidias Nirigliſſoror, annis regnavit quatuor. Hujus Filius Laboroſardochus principatum quidem tenuit puer exiſtens menſibus novem: inſidias verò paſſus, eo quod nimis appareret malorum eſſe morum, ab amicis extinctus eſt. Hoc itaque perempto, convenientes hi, qui fecerant inſidias, communi ſuffragio Regnum tradidere Nabonidi. Cujus Regni anno 17. egreſſus Cyrus ex Perſide, impetum fecit in Babyloniam urbem &c.*

Euſebius *Præpar.* *l.* 9. *c.* 4. demùm hæc affert ex Megaſthene: *Poſtquam Nabuchodonoſor evanuerat, Filius ejus Evilmaturuchus ei ſucceſſit, quem Nerigliſares interfecit, ac loco ejus regnavit. Cui Labaſoaraſchus filius ſucceſſit: quo inſidiis interempto, Nabinidochus regnavit, ad quem, cùm non eſſet ex Regia Domo, minimè Regnum pertinebat. Tunc Cyrus capta Babylone Carmania Principem fecit.*

Difficile ſanè eſt tot diſſona inter ſe conciliare: Videtur Joſephus tantùm adhæſiſſe Beroſo; Scriptura enim *Nigliſſoris*, *Laboroſardochi*, & *Nabonidis*, nunquam meminit, ſed tantùm *Evilmerodachi*, & *Balthaſaris*. Ea omnia ità diſponit Uſſerius. Mortuo *Nabuchodonoſori* A. M. 3442. *Evilmerodachus* ſucceſſit; quo à *Nerigliſſore* anno 3444. interfecto, interfector ipſe regnavit; hoc defuncto anno 3448. novem menſibus *Laboroſoardochus* imperavit. Huic ſucceſſit *Balthaſar*, quem Beroſus *Nabonidem*, Herodotus *Labynitum*, & Abydenus *Nabannidochum* appellant. Beroſus & Ptolemæus volunt, eum 17. annis Babylone imperaſſe. Eruditi quidam Interpretes putant, idcirco Scripturam Nabuchodonoſoris, Evilmerodachi, & Balthaſaris tantummodò meminiſſe, quod Regni Chaldææ legitimos dumtaxat hæredes commemoraverit, cæteri enim vi Regnum occupavere. Hæc tamen ratio hinc infirmatur, quòd Scriptura cæterorum inſtar Hiſtoricorum legitimos Reges ſimul & invaſores, Regia propagine ortos, & ex ea non progenitos recenſet. Etenim ad hiſtoriam non pertinet Principum jura expendere, ſed tantum eorum geſta, & ſucceſſionem referre.

Cl. Du Pin (g) de Regum horum ſucceſſione profanam cum ſacra Hiſtoria ità componit. Poſtquam 33. annis regnavit Nabuchodonoſor, ejus filius Evilmerodachus Regnum aſſumpſit, qui imperii ſui anno tertio incepto occubuit. Evilmerodachus, inquit ipſe, non differt à Balthaſare, qui ſæpiſſimè in Daniele Nabuchodonoſoris filius appellatur (h). Prætereundum non eſt, Evilmerodachi nomen in Daniele minimè reperiri; quare hinc quandam vim ſibi vindicat eorum ſententia, qui Evilmerodachum non eſſe alium à Balthaſare tuentur. Hunc interfecit

(a) Antiq. l. 12. c. 3. laudatur Liber. 123. & 124. Nicolai Damaſceni. (b) Idem l. 16. Antiq. c. 11.
(c) Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Capell.
(d) Chronic. Paſchal ad Ann. Chr. 223. Hieronym. de Script. Eccleſiaſt. in Julio Afric.
(e) Vid. Reland. Palæſt. l. 2. c. 6. & l. 3. p. 758. 759. &c. (f) Turrian. de Hierarch. ordin. l. 3. c. 20.
(g) *Biblioth. des Hiſtor.* *t.* 2. *p.* 812.
(h) Dan. 4. 11. Pro hac eadem ſententia ſtat Marshamus ſæcul. 18. Can. Ægypt. Chronol.

terfecit Nerigliſſor ſororis ejus maritus, qui 4. deinde annis ad Regni gubernaculum ſedit; & ipſe tamen fortè Nabuchodonoſoris filius dicitur, quòd ejus gener fuerit, utpote qui ejus filiæ nupſerit. Huic ſucceſſit Laborolardochus filius, qui poſtquam novem menſibus regnaverat, peremptus eſt à quibuſdam Babylonis Magnatibus, qui unum ex interfectoribus Regis, nomine Nabonidem, ætate ſexagenarium, natu Babylonium, ſed origine Medum, Aſſueri filium, Regem conſtituerunt: quem tamen Babylonii Nabonidem, Medi verò Darium appellarunt. Annis autem 17. imperavit. Hujus tamen ſucceſſionis ordo à quibuſdam difficultatibus infirmatur: 1. quòd eum Balthaſare Evilmerodachum confundat: 2. quod Nabonidem à Dario Medo non ſecernat; 3. tandem, quod Joſephum nec cum Scriptura omninò conciliet, nec cum Beroſo, maximè in Regni annis, quibus Hiſtoricus iſte Evilmerodachum, & Nigliſſorem regnaſſe ſcribit; illi enim annos 18. huic autem tribuit Regni annos 40. Quamobrem evenire omninò non poteſt, ut hiſtoria adeò implicata explicetur, & hæc nimis invicem diſſona ſinè ullo diſcrimine inter ſe conveniant.

(NIHILUM, opponitur interdum corpori ſolido atque compactæ maſſæ, valetque vacuum, & quod ſub ſenſibus non cadit. Jobus 26. 7. de Deo; *Appendis terram ſuper nihilum*; ſuper vacuum. Iſaias 40. 22. *Extendit* (Deus) *ut nihilum Cœlum*, extendit aerem in ſpatia inviſibilia.

Ex nihilo, ait Sapiens Sap. 2. 2. *nati ſumus & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus*; ita nempe evaneſcemus è terra, tanquam ſi nunquam ibi fuerimus. Iſaias 41. 24. *Ecce vos eſtis ex nihilo & corpus veſtrum ex eo quod non eſt*.

Nihilum interdum appellantur Idola. *Qui lætamini in nihilo*, Amos 6. 14. Eſter 11. *Ne tradas ſceptrum tuum his, qui non ſunt*, nempè Idolis.

Redigere in nihilum, eſt exterminare, perdere, occidere aliquem. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*. *Pſ.* 14. 4. Pſ. 58. 9. *Ad nihilum deduces omnes gentes*. Pſal. 59. 14. *Ad nihilum deducet tribulantes nos*.)

NILUS, Ægypti fluvius, cujus ortus in extrema Æthiopia. Oritur autem ex *duobus oculis*, ſeu fontibus, quorum alter ab altero viginti paſſibus diſtat, & utriuſque magnitudo quadrigæ rotam exæquat. Horum major, cui earum regionum incolæ idololatræ Divinos exhibent cultus, 24. minor verò 16. palmorum altitudinem non excedunt. Trium circiter dierum à fontibus producto itinere Nili alveus eam ſibi altitudinem, & latitudinem comparat, ut navibus ferendis par omninò evadat. Altero flumine, cujus nomen *Jama*, Nilus adauctus, occidentem versùs uſque ad 25. vel 30. leucas curſum protrahit, quibus abſumptis detorquetur ad Orientem, & in ampliſſimum lacum *Zaire* egeritur, à quo egrediens largo circuitu ad meridiem fertur, & regionem *Alata* eluit. Inde à quibuſdam 14. ulnarum rupibus ita præcipitem ſe agit, ut ſuo ſtrepitu terrorem incutiat, & denſos adeo vapores erigat ut, procul veræ nubes appareant. Poſtquam plures Orientis rigaverit regiones, in *Gojam* Regnum uſque adeò progreditur, ut ſolius diei itinere procul à ſuis fontibus decurrat; hinc circumactus in orbem Phezolum, & Ombaream versùs protrahitur, itemque curſum inflectens, plurimas ab oriente ad ſeptentrionem provincias, & Regna interſecat, donec per *Catarractas*, nempè per pedum 200. altitudinis præruptas rupes, in Ægyptum effunditur. Hujus fluminis lapſus cum ſtrepitum educit, ut tribus procul leucis audiatur; eaque vi aquæ labuntur, ut arcum conficiant, ſub quo latum iter, quin madefiant, tranſeuntibus patet.

Poſt hunc lapſum placide curſùs decurrens, Ægypti regiones eluit, in quibus, juxta Villamontium, uſque ad leucam integram alvei ſui latitudinem extendit. Ubi propè Memphim milliaribus 80. procul à Magna Cairo pervenerit, in geminos ramos dirimitur, quemdam conficiens triangulum, cui baſim præſtat Mediterraneum, quemque Græci ab ejus figura, *Delta* appellarunt. Hi duo rami in alios dividuntur, qui in mare Mediterraneum à trianguli initio leucis circiter viginti diſſitum, influunt. Diſſidium eſt de Nili ramis, qui ut plurimum ſeptem à veteribus enumerantur: *Septemplicis Oſtia Nili*, Ptolemæus 9. alii 4. quidam 11. quidam 14. recenſent. Quidam denique tuentur, Nilo tantùm eſſe oſtia Damiatæ & Bozellæ, & geminorum canalium, quorum alter minimus eſt, alter Alexandriam interluit.

Putarunt plurimi, Nilum eſſe *Gehon*, ex quatuor fluminum Paradiſi terreſtris unum, de quo Moyſes; quam tamen ſententiam tueri nemo valet, cùm Tigris, & Euphrates, quos ex quatuor iis fluminibus eſſe conſtat, ita diſtent à Nilo, ut ab eodem fonte oriri nullo modo poſſint. Attàmen noſtra adhuc ætate ab incolis Regni Gojam *Gihon* appellatur. Abyſſini vocant *Ab-anchi*, patrem fluminum; Nigri autem *Tami*. Homerus, Diodorus Siculus, & Xenophon antiquiùs *Ægyptum* appellatum fuiſſe teſtantur, neque alio nomine eum appellat Homerus *Odyſſ.* 14. Aſſerit Diodorus *l.* 1. *p.* 39. *Nili* nomen eidem impoſitum eſſe, poſtquam Rex nomine *Nilus* Ægypto imperavit. Affert Plinius *l.* 5. *c.* 9. Regis Jubæ ſententiam, qua dicitur Nilus ortum ducere in Mauritania, diverſis in locis apparere, & evaneſcere, cùm modò ſub terram condatur, modò rurſus aſſurgat: in iis regionibus vocari *Nigir*; in Æthiopia verò *Aſtapum*; propè Meroen in duos dirimi ramos, quorum dexter *Aſtaſapes*, ſiniſter verò *Aſtabore* appellatur; nunquam denique Nili nomine anteà vocari, niſi poſtquam à Meroe receſſerit.

Idem Plinius *l.* 5. *c.* 9. Plutarchus *de Iſide, & Oſiride*, Dionyſius Geographus v. 223. aliique Nilum vocatum etiam fuiſſe nomine *Siris*. Juxta Dionyſium Æthiopes ſic eum adhuc appellant, qui tamen ubi *Sienem* pervenerit, Nili nomen recuperat. Veriſimile valde eſt, hanc vocem *Siris* deduci ab Hebræo *Sihor*, aut *Sichor*, ſcilicet turbidus, & vocem *Nilus* oriri ab Hebræo *Nahal*, aut *Nachal*, quod vertitur flumen, ſivè torrens. Nilus ut plurimum à Scriptura *Ægypti flumen* appellatur. Nomine *Sichor* ejus meminere Joſue 13. 3. & Jeremias 2. 18. (a), qui capite ſecundo hæc habet: *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam Sichor?* Græcis *Melas* dicitur ſcilicet niger, aut turbidus; & reverà ferunt Itinerantes ut plurimùm Nilum eſſe turbidum, cujus tamen aqua facillimè clareſcit, ſi in eam amygdala, vel fabæ contritæ projiciantur. Servius exponens hunc Virgilii verſum *Georgic. l.* 4.

Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena, ait, à Veteribus Nilum vocatum eſſe *Melo*: *Nam anteà Nilus Melo dicebatur*. *Melo* Hebraicè plenum ſignificat, quòd ſanè idcircò pertinere poteſt ad Nilum, quòd alveo ſuo egreſſus, uſque ad ſex hebdomadas inundationes ſuas protrahat, quibus ardentiori æſtatis tempore omnem Ægypti regionem irrigat, atque fœcundat.

Docet Diodorus Siculus *l.* 1. *c.* 1. *& l.* 2. *c.* 2. omnium vetuſtiſſimum nomen, quo Græci Nilum dixerunt, eſſe *Oceanum*. *Ægyptus* etiam appellatus eſt, deinde *Aquila*; denique Rex *Nileus* Nilum vocari juſſit. Ægyptii Nilo cultus Divinos exhibent, eumque vocant *Jovem Nilum* (b).

Te propter nullos tua tellus poſtulat imbres,
Arida nec fluvio ſupplicat herba Jovi,

Fortè Dominus ideò per Prophetas *Iſa.* 11. 15. *Ezech.* 29. 3. interdum Ægypti fluvio flagella, ſiccitatem, & piſcium internecionem minatur, ut Ægyptii ſui cultus vanitatem, ſuarumque Divinitatum infirmitatem agnoſcerent.

Ad

(a) Vide & 1. Par. 13. 5. & Iſa. 23. 3.
(b) Tibull. l. 1. Eleg. 7. v. 25. 26. Alii tamen, & meliùs, legunt, pluvio Jovi.

Digitized by Google

Ad innuendos Terræ promiſſæ ſeptentrionales fines, *fluvium* aut *torrentem Ægypti* Scriptura ſæpè inducit 2. *Par.* 7. 8. *Iſai.* 27. 12. *Ab introitu Emath uſque ad torrentem Ægypti*, ſivè *ab Euphrate uſque ad flumen Ægypti*. Quidam Interpretes ſibi minimè ſuadentes (a), uſque ad Nilum Iſraelitarum regionem excurriſſe, opinati ſunt, torrentis Ægypti nomine torrentem quemdam, qui Rhinocoruram inter & Gazam in Mediterraneum egeritur, quique à Scriptura *Deſerti Torrens* appellatur, ſignificari *Amos* 6. 14. Attamen certo conſtat, promiſſionis Terram ad Nilum uſque productam (b), quod & nos probare conati ſumus in noſtris Commentariis in Joſue. In Latina Scripturæ Verſione ſemel tantùm expreſſe Nili nomen habetur *Iſa.* 23. 3. *In aquis multis ſemen Nili*. Hebræum legit, *ſemen Sichor*.

(De fontibus & curſu Nili aliter agunt Orientales ac nos in Dictionario Biblico, quorum proinde hiſtoriam hic referre è re Lectorum eſſe judicamus (c). Duo ſunt in Africa fluvii communi nomine appellati Nilus; communis item illis eſt fons ad gradum 16. latitudinis meridionalis in Æthiopia vel Abaſſina. Spectare hic licet ad radices montis Lunæ decem fontes, quinque in vaſtum lacum coaleſcunt, reliqui item in lacum alterum diſtinctum. E ſingulis hiſce lacubus tres derivantur amnes, qui ſimul confluentes immanem reddunt lacum, unde duo Nili. Adjacet majori huic lacui urbs Thomi, ſub ipſa æquinoctiali linea, ubi Idolum vel imago appellata *Meſnach*. Tabulam hujus fontis exhibuit Sojouti in ſuo Libro *Caukebal-Raoudhab*.

E duobus hiſce amnibus prior nomen obtinet *Nilus meſr*, i. e. Nilus Ægypti; alter Nilus Soudam, i. e. Nilus Nigrorum; fluit poſterior iſte ad Occidentem, devolviturque in Mare tenebroſum, quo nomine deſignant Arabes Oceanum Atlanticum, vel mare Occidentis. Nigrorum hic Nilus id eſt amnis ac *Niger* & *Senega* apud nos. Influit in mare è regione Inſulæ, quam Arabes appellant *Ulil*, ab oſtiis amnis diſſitæ tractu diurnæ navigationis. Adjacent ripis ampliſſimi amnis ſedes omnes Nigrorum. Quod attinet ad Nilum Ægypti Geographus Arabs, quem hic ſequimur, diſtribuit amnem in quatuor ramos inferiorem Ægyptum perluentes, quorum tres influunt in mare Syriæ vel Mediterraneum. Quartus deficit influens in lacum ſalſum nuncupatum à Græcis *Maris*, aliter *Maria*, vel Mareotis, alterum illum planè à lacu Moeris, cui Nilus aquas tantùm ſufficit per canalem arte ductum. Tres illi rami, de quibus Geographus, facilè deſignant *Canopicum*, propiùs Alexandriæ fluentem; *Sebenniticum* vel Heracleoticum hodie parùm notum, & *Peluſiacum*, cui adjacet urbs Peluſium hodie Damiata. Reliqui amnis rami apud Veteres Græcos Latinoſque noti adeò diſtracti ſunt hodie in varia, ut diſtinguendis vix ac ne vix quidem ſtudium impenderetur.

Arabes, ſicut & Orientales cæteri appellant Nilum nomine maris, adduntque amni cognomen vel epithetum *Faidh*, quod illi decus commune eſt cum Euphrate; ambo enim amnes alluvione ſua ſolum fœcundant. Addunt etiam elogium *Mobarek* non gratia tantùm inditæ ſolo fertilitatis, ſed & gratia fœcunditatis conciliatæ fœminis.

Cùm Nili alluvio ad 12. altitudinis cubitos non pertingit, certa Ægypto fames imminet; idemque pariter infortunium pendet ſi aquæ 16. cubitos excedant, ait Plinius lib. 8. cap. 15. ut proinde juſta inundantium aquarum altitudo ſit inter 12. & 16. cubitos. Scriptor Arabs Hiſtoriæ Nilometrorum vel menſurarum Nili à primo anno aduſque annum 875. Hægiræ, i. e. ab anno J. C. 622. uſque ad annum 1497. affirmat pariter, tumentem Nilum in alveo ſuo altitudine 14. ulnarum omen præferre meſſis in annum parandæ; ſi creſcant aquæ uſque ad 16. meſſis in duos annos prompta eſt; humiliores 14. ulnis aquæ caritatem in regionem inducunt, ſuperiores ulnis 18. famem.

Nilometrum columna eſt in medio alvei erecta, ſuiſque diſtincta gradibus, dimetiens incrementum aquarum. Plura erant olim per varia Nili intervalla. Unicum ſupereſt hodie in Inſula, ubi Nilus, facto aquarum divortio, diſtinguitur in duos amnes, quorum alter dirigitur Cairum, alter Gizah. D. D'Herbelot plura alia notat, ſive conſtructa, ſive reparata à variis Kaliſis. Memoriam Nilometri conſecrarunt Veteres in monumentis, de quibus conſule Antiquitatem explicatam tom. 3. pag. 185. Menſura incrementi Nili tamquam ſacrum aliquod olim ſervabatur in Templo Serapidis, unde tranſlata in Templum Alexandrinum juſſu Conſtantini Imperatoris. Eam injuriam ulturum Serapidem denunciarunt Pagani, prohibito aquarum amnis incremento, & inducta per Ægyptum ſterilitate; ſed mendax oraculum arguit ſubſequentium annorum, qualis antea alluvio.

Regurgitat Nilus conſueta lege per annos ſingulos menſe Auguſti in ſuperiori Ægypto & in media, ubi latè inundantes aquas ſolum exigit, cùm pluviis penitus fermè deſtituatur; ſed minus ſentitur aquarum inundatio in inferiori Ægypto, & minor eſt item neceſſitas ſoli, crebrioribus per intervalla pluviis irrigati; minùs, inquam, ſentitur, quòd ibi nulli aggeres contineant ut aquas regurgitent, ſed liberiùs illæ per totum latè agrum æqua altitudine diffunduntur, ut proinde per totum Delta ſupra cubitum non creſcant. In ſuperiori & media Ægypto, ubi rariſſimæ ſunt pluviæ per leucarum intervalla alti quidam aggeres conſtructi ſunt, quorum media tenent profundi canales continendis aquis Nili deſtinati. Porrò aggeres illi juſſu Baſſa aperiuntur, erumpenteſque inde aquæ latè ſtagnant in agris; cùm verò ſat aquarum aridum ſolum ebiberit, iterum ſarciuntur ea parte, aggeres, aliaque aperitur via aquis, quò alii & alii agri ſuo ordine irrigentur; atque ita factum eſt, ut univerſa Ægyptus, perinde ac hortus quidam, perluatur aquis. Accidit non raiò ut inter varia Ægypti oppida excitentur diſſidia, ſingulis contendentibus alterum in aquarum diſtributione, alterum tempore præcedere. Cùm verò amnis illa regurgitatio pro voto acciderit, tunc grandis per totam regionem lætitiæ ſignificatio.

De hac Nili exundatione diſſidium fuit inter Scriptores. Cauſam alii aſſignarunt nitro, quo amnis ille impregnatur; ferventibus enim æſtatis caloribus, vehementi fermentatione tumeſcit ſolum, unde & tumeſcere aquas neceſſe eſt. Hanc opinionem tuetur D. de la Chambre, qui de hoc argumento ſcripſit. Sed hodie via ambigunt Scriptores totam ejus prodigii cauſam referendam eſſe in pluvias frequentes in Æthiopia menſibus Junii, Julii, & Auguſti; cùm ſcilicet in ea regione regnat hyems. Id ſine controverſia ab iis admittendum judicat R. P. Hieronymus Lobo, qui diuturnam in Æthiopia moram, ut à ſe præſtitum, egerint. Solum ejus regionis areſcens maximè & ſpongioſum ebibit diu pluvias; cùm verò ſat ingurgitaverit, evomit ubique aquas; redditæ autem aquæ illæ ſimul junctæ cum pluvialibus è Cælo interim dilabentibus tantum aquarum ſufficiunt Nilo, quantum humectandæ regioni ſat eſt. Unà cum aquis trahitur & limus, quo ſubſidente ſolum pingueſcit.

Cùm aquæ in priſtinum redierint, cultus humectati ſoli facilis eſt maximè; projecta enim ſemina ſuper limum areſactum prona atque expedita cultura meſſem opimam reddunt. Tradit Herodotus lib. 2. immitti in Ægypto ſues in agros ſeminatos; diſcurrentes autem illos pedibus ſuis proculcare, atque altiùs imprimere ſemina terræ, quod ſatis eſt ad culturam. Ex his illuſtratur illud Iſaiæ 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum* (quæ utitur ſiſtris & cymbalis), *quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*; *qui mittit in mare* (in Nilum) *legatos in vaſis papyri ſuper aquas. Ite Angeli* (Legati) *veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, ad populum terri-*

(a) Hieronym. in Amos 5. 14. Ita & Alii plures. (b) Joſue 13. 3. & 15. 4. collatum cum 1. Par. 13. 5.
(c) D'Herbelot Bibliot. Orient. pag. 671.

Digitized by Google

terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem & conculcatam (quæ menſurat agros), *cujus diripuerunt flumina terram ejus.*

Quem afferunt Nili aquæ limus terra eſt inter fluendum à ripis eraſa: limus autem ille tegens ſulcos & terminos agrorum cogit iterum menſuris & perticis poſſeſſiones ſingulis annis diſtinguere. Cùm terra Ægypti leviſſima ſit & ſabuloſa, vix fiet ut aquarum excurrentium impetum non ſequatur.

NIMIS. Adverbium iſtud ponitur ſive ad exaggerandum aliquid, ſive ut idem valeat ac multum. Reſpondet Hebræo *Meod*, valdè, multùm. Sicut autem in Hebræo ponitur interdum *Meod Meod*, ita etiam in Vulgata eſt *nimis valdè*, aut vehementer, nimia per exaggerationem.)

I. NINUS, filius Beli Aſſyrii, Aſſyrium Regnum condidit *A. M.* 2737. *ante Ch.* 1263. *ante Ær.* 1267. circa ea tempora, quibus Debora, & Barac Iſraelem judicabant. Herodotus *l.* 1. *c.* 95. teſtatur, ſuperiorem Ægytum ad hoc regnum 120. annis pertinuiſſe. Cteſias, poſt quem Diodorus Siculus *l.* 2. *Biblioth.*, Trogus, & Juſtinus *l.* 1., ferunt Ninum in ſui ditionem omnes Aſiæ provincias, præter Indiam, redegiſſe. Bactrianorum Rex Zoroaſtes, diù ejus vim vi repulit; attamen denique à Nino devictus eſt. Julius Africanus Ninum aſſerit annis 52. imperaſſe. Dionyſius tamen Halycarnaſſæus *Roman. Antiq. l.* 1., primum Aſſyriorum Regem minimæ tantummodò Aſiæ parti imperaſſe optimè oſtendit.

II. NINUS, cognomento *junior*, Aſſyriæ Regnum poſt Sardanapalum cepit, quo, ne in hoſtium manus incideret, ſponté flammis in urbe Ninive abſumpto, Arbacea, & Beleſus Aſſyriæ Imperium reſcindentes, duo ſibi Regna conſtituerunt; Regnum nempe Medorum, & Regnum Babyloniorum. Aſſyriæ autem Imperium ita divulſum, & contractum juniori Nino contigit, quem Scriptura 1. *Par.* 5 26. & 2. *Par.* 28. 20. & 4. *Reg.* 15. 29. & 16. *Teglathphalaſarum*, & Ælianus *Hiſtor. animal. l.* 12. *c.* 21. *Thilgamum* appellat. Poſt Caſtorem Rhodium ait in ſuo Chronico Euſebius, annis 19. Ninum imperaſſe ab A. M. 3257. ad 3276. Huic ſucceſſit *Salmanaſar*, cujus meminit Scriptura.

NINIVE, Aſſyriæ Metropolis, ab *Aſſur* filio Sem, ſivè à *Nemrod* filio Chus condita; teſtatos enim *Gen.* 10. 11.: *De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven*, juxta aliquos (a) refertur ad Nemrodum, cujus ſupra fuerat mentio: quare legi deberet: *De terra illa* (*Babylonia, Nemrodus*) *egreſſus eſt in Aſſyriam, & ædificavit Niniven*. Utut eſt ſanè urbs Ninive inter omnium præclariſſimas, potentiſſimas, & vetuſtiſſimas urbes omninò eſt recenſenda. Quo tempore ædificari cœperit, difficilius eſt invenire: cœpit tamen haud multo poſt turrim Babel. Sita erat ſecùs Tigrim; & ætate Jonæ prophetæ, qui, Jeroboamo II. imperante Iſraeli (b), & Aſſyriæ, ut putamus, imperante Phul, patre Sardanapali, ad eam urbem miſſus fuit, ſanè ampliſſima erat, *itinere trium dierum*, cujus nempè circuitus trium dierum itinere abſolvebatur. Siculus Diodorus *l.* 2. *Biblioth.*, à quo hujus urbis dimenſiones accipimus, Niniven in longum uſque ad 150. ſtadia, in latum, 80. excurriſſe, & 480. ſtadiis circuitum ſuum abſolviſſe teſtatur. Quibus dimenſionibus, ſi cum noſtris conferantur, ad ſeptem leucas (pro qualibet leuca 300. paſſus intellige) longitudinem, ad tres latitudinem, & ad decem & octo Ninives circuitum perveniſſe compertum erit. Ejus mœnia ad centum oſque pedes erecta, eam protendebant latitudinem, ut tres ſimul obambulantes quadrigas exciperent. Ejus autem turres, quarum 1500. numerabantur, 200. pedibus in ſublime ferebantur.

Diodorus Siculus eam locat ad Euphratem; omnes tamen ad Tigrim ſitam fuiſſe conveniunt, quamvis eam, quidam ad fluminis occaſum, quidam verò ad Orientem conſtituant. Eo tempore, quo illuc Jonas miſſus eſt, adeo populis affluebat, ut pluſquam 120000. hominum in ea numerarentur, *qui neſciebant quid eſſet inter dexteram & ſiniſtram ſuam*, *Jon.* 4. 11., nempe pluſquam 120000. puerorum, qui ad rationis uſum nondum pervenerant, ut communiter hic Textus explicatur; quare ut pro rata portione tot pueris reſponderent viri, neceſſe eſt, ut hominum 600000. prætergrederentur.

Ninive ab Arbace, & Beleſo capta eſt imperantibus Aſſyriæ Rege Sardanapalo (c), & Judæ Rege Achaz, circa ea tempora, quibus Roma condita eſt. Iterum capta eſt ab Aſtyage, & Nabopolaſſaro, regnante Chinaladano *A. M.* 3378. *ante Ch.* 622. *ante Ær.* 626. Poſt hanc cladem ad priſtinam ſui majeſtatem nunquam revocata eſt: & Luciani Samoſatenſis ætate, qui ſub Adriano florebat, diruta adeò fuerat (d), ut ne minimum quidem ejuſdem veſtigium conſpiceretur; imo & locus ipſe, in quo olim condita fuerat, penitùs ignoraretur. Reſtaurata quidem fuit à Perſis, ſed iterum ſeptimum circa ſæculum à Saracenis everſa (e).

Noviſſimi Itinerantes teſtantur, in Tigris ora orientali reliquias veteris Ninives ſupereſſe, & in ora adverſa urbem eſſe *Mozul*, ſeu *Moſul*, quam plures cum ipſa Ninive confundunt. Prophani Hiſtorici Niniven à ſeniori Nino conditam volunt; ſed præſtanda magis fides Sacræ Scripturæ, quæ Aſſur, aut Nemrodo eam tribuit, ut hujus vocis initio tetigimus. Scriptores Sacri ſæpè Ninives meminere. Reges Teglathphalaſar, Sennacherib, Salmanaſar, & Aſſaradon celeberrimi ob calamitates, quas Judæis intulerunt, Ninives Imperium tenuere, ubi & Tobias moratus eſt. Ejus excidium, quod & Tobias 14. 6. prædixerat, clarè & flebiliter Nahum, & Sophonias (f) Prophetæ præviderunt. Conſtant inter omnes ea, quæ Jonas in urbe Ninives egit, & Ninivitarum pœnitentia, quam Evangelium commendat. *Luc.* 11. 32.

NISAN, Hebræorum menſis, qui noſtro Martio æquivalet, quique interdum juxtà Lunæ orbes Februarium, aut Aprilem participat. Hoc menſe Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi ſunt: quare eum anni initium conſtituerunt *Exod.* 12. 2.: *Menſis iſte principium menſium; primus erit in menſibus anni*. Anni autem civilis ſeptimus erat. Moyſes *Abib* eum appellat. Nominis *Niſan* nulla mentio in Scripturis, niſi poſt Eſdram, & regreſſum à captivitate Babylonis. En quæ hoc menſe Judæi præcipuè ſervant. Dies prima Neomenia dicitur. Jejunium ob mortem filiorum Aaronis. Decima die, iterum jejunium, ob mortem Mariæ ſororis Moyſis; quiſque Agnum Paſchalem ſibi comparat: eadem die ſub Duce Joſue Iſraelitæ tranſgreſſi ſunt Jordanem. *Joſue* 4. 19.

Die 14. veſpere, Agnus Paſchalis immolabatur, & die ſequenti, decima quinta, Judæis erat ſolemniſſimum Paſcha. *Exod.* 12. 18. Die 16. offerebatur manipulus ſpicarum, tanquam primitiæ meſſis. *Lev.* 23. 15. Die 21., peculiaribus ritibus Paſchatis octava colebatur. Die 26., jejunium apud Judæos ob mortem Joſue. Eadem die initium precum ad poſtulandos veris imbres. Die 29., murorum Jericho everſionem recolebant.

(NITOCRIS. Meminit Herodotus lib. 1. cap. 186. 187. Nitocris Reginæ matris Regis Labyniti, cui vi armorum Cyrus abſtulit Babylonem. Cùm autem Scriptura ſpoliatum Babylone à Cyro Regem appellet Balthaſarem, filium vel nepotem Nabuchodonoſoris, eò deducimur ut fateamur, Nitocrim conjugem fuiſſe Nabuchodonoſoris Magni, atque unam eandemque cum *Amyt*, filia Aſtyagis Regis Medorum. Hanc fœminam Principem veluti He-

(a) Vide Bochart. Phaleg. l. 4. c. 12. (b) Vide Jon. 3. 3. & in hunc locum Commentaria.
(c) Diodor. l. 2. Athen. l. 12. ex Cteſia An. M. 3257. ante Chr. 743. ante Ær. 747.
(d) Lucian. in Epiſt. p. 346. (e) Vide Marsham. Canon. Ægypt. ſæc. 18. tit. Nini excidium, & Uſſer. ad An. M. 3257. 3278. (f) Sophon. & Nahum. per totum.

Heroinam laudat Herodotus. Quo tempore Rex ejus filius totum ſe addixerat voluptatibus, ut nihil curaret niſi quod maximè regnantibus in animo paſſionibus liberet, illa curas Regni omnes in ſe ſuſcepit, conſervandoque Regno tantum attulit, quantum humana prudentia liceret. Diligentia penè incredibili perfecit opera, quæ ſuſcepta, necdum abſoluta, reliquerat Nabuchodonoſor, ac potiſſimùm mœnia Urbis atque cœmentitios aggeres amnium. Hæc autem opera dum urgerentur & aliò deflexus erat curſus Euphratis, ut poſtrema manus parietibus hiſce ſecundùm amnem imponeretur, in medio alvei duci juſſit Regina ſubterraneum quendam ductum, quo ea una arce in aliam daretur aditus per cœcam ſubter amnem excurrentem viam.

Poſtremo regnantis Balthaſaris anno (a), ſtringente Babylonem Cyro, Balthaſar impium illud convivium inſtruxit fœminis ſuis & concubinis, in quo prophanavit vaſa ſacra Templi Jeruſalem. Palam tunc apparuit in parietibus triclinii è regione candelabri manus ſcribentis iſta, *Mane*, *Thecel*, *Phares*. Attonitus horrenſque id ſpectavit Princeps cæterique omnes, qui aderant. Certior de re tota facta Regina Nitocris accurrit ſtatim in Aulam admonuitque Regem verſari in regno virum, nomine Balthaſarem, qui ſub Nabuchodonoſore inter Magos omnes Chaldææ peritiſſimus agnitus ut omnium princeps declaratus erat, advocaret proinde illum, ex quo certa de viſione illa interpretatio. Accitus ſtatim Daniel totum ejus rei arcanum coram Rege expandit.)

NITRUM, ſalis genus, quo affluunt Ægyptus, Arabia, & Palæſtina. Hebræi *nether* dicunt, eaque voce utuntur, ut innuant ſalem veſtium, & oris maculas abſtergere. *Acetum in Nitro*, ait Sapiens *Prov.* 25.20., *qui cantat carmina cordi peſſimo*, nempè: ſicuti muſica mœrorem avertit, & cor ad priſtinam hilaritatem revocat, ita nitrum in aceto ſolutum maculas oris, & veſtium abſtergit: etenim ut nitrum adhibeatur, prius in aceto ſolvendum eſt. Jeremias 2. 22. populum ſuum veluti ſponſam infidelem increpans, ait: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me*. Hinc innuitur uſus nitri ad maculas exteriores abſtergendas.

NOA *Joſue* 19. 13. ſeu *Nea*, urbs Tribus Zabulon. Suſpicor hanc eandem eſſe cum *Neve*, cujus meminit Antonini Itinerarium, milliaribus 36. à Capitoliade. Fateor tamen modum, quo *Noa* ſcribitur, minimè huic opinioni favere (b).

NOA, una ex filiabus Salphaad. *Num.* 26. 33.

NOACHIDAE, nomen filiorum Noe, & eorum, qui ex electa Abrahami progenie non prodierunt. Volunt Rabbini (c), Deum Noe, ejuſque filiis quædam impoſuiſſe præcepta, quæ juxtà ipſos ad jus naturale pertinent, & proindè homines omnes obligant, eorumque obſervantia ad ſalutem ſufficit. Poſt vulgatam Moyſis Legem nemini exterorum permittebant Hebræi, ut inter ipſos morarentur, niſi ſaltem Noachidarum præceptia obtemperarent. Mors omninò illis inferebatur, qui bello victi hæc præcepta ignoraſſent. Videlicet.

I. *De Judiciis*. Obedientia præſtanda Judicibus, Magiſtratibus, & Principibus. II. *De cultu extraneo*. Cultus Idolorum, ſacrilegia, ſuperſtitiones omninò interdicta. III. *De Maledictione Nominis Sanctiſſimi*. Maledictio Nominis Dei, blaſphemiæ, mendacia. IV. *De revelatione turpitudinum*. Copulæ, & inceſtus illiciti, ſodomia, beſtialitas, peccata contrà naturam. V. *De Sanguinis effuſione*. Quorumcumque animalium ſanguinis effuſio, homicidium, vulnera, mutilatio, &c. VI *De Rapina*. Furtum, fraudes, mendacia, &c. VII. *De membro animalis viventis*. Non comedere membra alicujus animalis adhuc viventis, ut mos erat quibuſdam Ethnicis. Arnobius *contra Gentes* l. 5. *Caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipant*.

Ait Maimonides, omnia hæc præcepta, præter ultimum, impoſita fuiſſe Adamo, ultimum verò impoſitum Noe. A quibuſdam Rabbinis hæc prætereà adduntur: à Rabbino Chavina: interdictio ſanguinem extrahendi ex animali vivo ut hauriatur. A Simeone: interdictio magiæ, & ſortilegii. Ab Eliezer: interdictio copulandi animalia alterius inter ſe ſpeciei, & arbores inſerendi. A Chidea: Interdictio mutilandi animalia. Hæc utique inveniuntur in his Scriptoribus; attamen de eorum vetuſtate maximè eſt ambigendum, cùm à Scriptura, ab OnKelo, ab Joſepho, à Philone, & ab ullo ex veteribus Patribus eorumdem nulla mentio fiat.

NOADIAS, Propheta malus, qui à Nehemiæ hoſtibus impulſus, eum perterrere conatus eſt, ut ab Jeroſolymæ mœnibus inſtaurandis eumdem avocaret; cujus tamen monitis minimè acquieſcens Nehemias, ab inceptis non deſtitit (d).

NOAMMON *Nahum*. 3. 8., urbs Ægypti, quam D. Hieronymus ſemper vertit *Alexandriam*. Potiùs tamen eſt *Dioſpolis* in Delta, inter Buſirim ad meridiem, & Mendeſiam ad Septentrionem (e).

(Vide quæ contulimus V. *Dioſpolis*, & *Thebæ*. Porro Noammon eſt ſedes Ammonis. Tenent plures Ammonem ipſum eſſe Cham filium Noe, quem fixiſſe credunt ſedes in Ægypto.)

NOARA, *Noarath*, vel *Nearath*, urbs Tribus Ephraim, quinque milliaribus à Jerichunte, ut ait Euſebius ad vocem *Naaratha*.

NOB, ſive *Nobe*, ſeu *Noba*, vel *Nomba*, urbs Sacerdotalis Tribus Benjamin, ſivè Ephraim. S. Hieronymi ætate, diruta erat, ejuſque veſtigia non longè à Dioſpoli videbantur (f). David à Saule profugus, perrexit in urbem Nobe; cùmque à Sacerdote Achimelech comedendum aliquid poſtulaſſet, ab eodem accepit gladium Goliath, & panes propoſitionis, quos idem Sacerdos paulo ante è ſacra menſa ſubduxerat 1. *Reg.* 21. 6. & 22. 9. &c. Qua de re à Doeg certior factus Saul Sacerdotes Nobe interfecit, & urbem eſt populatus.

NOBE, ſive *Chanatha*, vel *Canath*, urbs transjordanica. Vide *Canath*. Hæc *Nobe* vocari cœpit, cùm eamdem quidam Iſraelita, qui Nobe pariter vocabatur, expugnavit, *Num.* 32. 42. Gedeon uſque ad Nobe inſequutus eſt Madianitas *Judic.* 8. 11 Refert Euſebius, locum quemdam ejuſdem nominis penitus deſertum videri milliaribus octo ab Eſebon ad meridiem; qui tamen alius omninò eſt à Nobe, de qua loquimur, cùm hæc eſſet ad Septentrionem ab urbe Eſebon longè remotior.

NOCTUA, *Bubo*, *ulula*, & *nycticorax*. Moyſes hanc avem inter immundas recenſet *Levit.* 11 17. *Deuter.* 14. 17., Sæpè hæ aves confunduntur, utpotè ejuſdem ſpeciei, quæ noctu volant, & in tenebris videant. Iſaias 13. 22. de Babylone everſa atque deſerta agens, inquit ſibi invicem ululas in ejus ædibus reſponſuras. Pſalmiſta calamitatibus, & doloribus affectus, ingemuit *Pſal.* 1. 7. *Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*. Interpretes tamen minimè in explicanda vi vocum Hebræarum conveniunt, quæ vertuntur *bubo*, *ulula*, *nycticorax*, *noctua*. Conſule Commentatores, & vide, *Bubo*, & *Nycticorax*.

NOD. Terra Nod, Regio, in quam Cain poſt fratricidium ſe recepit *Gen.* 4. 16. Septuaginta, & Joſephus pro *Nod*, legerunt *Naid*, & urbis, aut vici nomen eſſe putarunt. Quæ verè fuerit hæc regio *Nod*, niſi forte dicatur fuiſſe *Nyſe*, vel *Niſea*, Hyrcaniam verſùs, ignoratur. S. Hieronymus, & Chaldæus generice hanc vocem explicant, nempe *vagum*, *profugum*: *Habitavit profugus in terra*. Hebræum legit: *Habitavit in terra Nod*.

NO-

(a) Dan. 5. 1. &c. (b) Vide Reland. Palæſt. t. 1. p. 909. (c) Gemar. Babyl. tit. Sanhedr. c. 2. Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 1. c. ult. (d) 2. Eſdr. 6. 24. Anno M. 3550. ante Chr. 450. ante Ær. 454.
(e) Vide Jerem. 46 25. Ezech. 30. 14. &c. Nahum. 3. 8.
(f) Hieron. in Epitaph. Paulæ. Vid. Euſeb. in locis voce Nombra.

Digitized by Google

NODAB, regio Ituræ, & Idumææ proxima, nunc tamen incognita. Tribus Ruben auxilium ſibi præbentibus Tribubus Gad, & Manaſſe, adverſus Agarenos, Ituræos, & populos Nophis, & Nodab dimicavit, illoſque confregit 1. *Par.* 5. 19. Hujus tamen belli tempus, uti & circumſtantias cæteras, ignoramus.

NOE, Lamech patre natus A. M. 1056. ante Chr. 2944. ante Ær. 2948. ſua ætate ſolus hominum Deo gratus, cùm cæteri in vitia effunderentur (a). Cùm igitur Deus hominum crimina non diutius ferre decreviſſet, accito Noe imperavit, ut arcam è lignis lævigatis fabricaretur; omne enim vivens unà cum terra mox à ſe diſperdendum. Arcæ fabricam ità edocuit. Dolatia ligna componenda, in parva cubicula diſtribuenda, & bitumine interiùs exteriùſque linienda erat moles, cujus longitudo 300. cubitos, quinquagenos latitudo, & tricenos altitudo adæquaret. Tres inſuper cubiculorum ordines in ea conſtruendi, & ad ejus latus janua (b). Hanc verò arcam ſibi, ſuiſque uxoribus, ac filiis, Sem, Cham, & Japhet componendam ſciret, quos è communi omnium excidio, quod meditabatur, ſervare, & ſtabili fœdere ſecum unire decreverat. Omnium inſuper animalium impurorum bina, marem, & fœminam; mundorum verò mares ſeptem, totidemque fœmellas in arcam induceret; commeatibuſque & ſibi & animalibus toto diluvii tempore nutriendis provideret.

Quæcumque mandaverat Dominus, complevit Noe & A. M. 1656. ante Ch. 2344. ant. Ær. 2348. omnia animantia coegit Deus ad Noe; ut in arcam inducerentur. Noe igitur omnibus ita hoſpitio exceptis, una cum uxore, & filiis, filiorumque uxoribus, eamdem arcam, mandante Domino, ubi fuit ingreſſus, ipſe Dominus arcæ oſtium obſeravit. Annum ſexcenteſimum tum agebat Noe, cùm ejuſdem anni menſe ſecundo, ſeptimadecima die menſis, ſtatim omnibus fontibus abyſſi magnæ diſruptis, & cataractis cœli apertis, ſolidis 40. diebus, & noctibus largo adeo imbre pluit, ut aquæ quindecim cubitis ſupra montium vertices ſe ſe extulerint, & neque auctæ, neque diminutæ, omnem omnino terram centum quinquaginta diebus occupaverint. Quare omnia ab homine uſque ad pecus tam reptile quam volucre deleta ſunt præter ſolum Noe, & eos, qui cùm eo in arcam confugerant.

Recordatus autem Deus Noe (c), ardentem excitavit ventum, quo adeò imminutæ ſunt aquæ, ut die vigeſima ſeptima menſis ſeptimi in montibus Armeniæ, ſeu Ararat, uti legit Hebræum, arca conſiterit. Montem hunc putamus eum eſſe Ararat, qui prope urbem Erivan aſſurgit. Prima die menſis decimi, decreſcentibus quotidie aquis, montium cacumina apparuere, & quadraginta poſt diebus Noe corvum dimiſit, qui egreſſus ab arca, ad eandem *regreſſus eſt* juxta Hebræum *Gen.* 8. 7. vel *non eſt regreſſus*, juxta Vulgatam, & Septuaginta, vel denique, *egreſſus ibat, & revertebatur*, arcam circumvolans, & in ejus cacumine conſiſtens. Dimiſit deinde Noe columbam, quæ cùm non inveniſſet, ubi requieſceret, reverſa eſt in arcam: elapſis autem rurſus ſeptem diebus iterum eam dimiſit, quæ ad eum veſpere reverſa eſt, roſtro ramum ferens olivæ virentibus foliis, quæ ea arbor, poſtquam aquæ evanuerant, emiſit. Poſt dies ſeptem aperiens Noe tectum arcæ, aſpexit, tellurisque ſuperficiem exſiccatam vidit, & mandante Domino, die vigeſimaſeptima menſis ſecundi, ætatis ſuæ anno 601., unà cum omnibus animantibus, quæ in arcam collegerat, uxore, filiis, filiorumque uxoribus egreſſus eſt.

Erecto dein altari, ex ſingulis animalibus mundis unum Domino obtulit in holocauſtum; cùmque Dominus ſacrificium ſibi gratum excepiſſet: Nequaquam, ait, terram univerſam maledictione percutiam, neque univerſa animantia penitus delebo. Te igitur animantium dominum conſtituo *Gen.* 9. 1. ut iis veſcaris, ut oleribus veſceris, ſanguinis tantùm uſum excipio. Creſcite, & multiplicamini. Fœdus vobiſcum ineo: neque impoſterùm diluvii aquas inducam; meæque promiſſionis teſtem arcum in nubibus ponam, qui fœderis, fideique meæ æternum ſit monumentum.

Noe verò cum agricola eſſet, vitem coluit, hauſtoque vino, ebrius in tentorio nudus obdormiit. Quo viſo, Cham pater Chanaan riſit, idemque fratribus extra tentorium nunciavit. Hi patri minimè ſuccenſentes, averſo ore retrò incidentes, patris verenda pallio operuere. Expergefactus Noe, verbis filii ſui Cham intellectis, Chanaan filio Cham mala, & fratrum ſervitutem imprecatus eſt. Filio ſuo Cham eadem precari non auſus creditur, ne mala, quæ illi imprecaretur, in cæteros illius liberos (d), ejus rei innoxios, refunderentur. Hæc autem ipſi Chanaan ſpiritu quodam prophetico precatus eſt, cùm Chananæi, illius poſteri, ab Iſraelitis delendi forent. Addidit Noe, bona alteri filio ſuo Sem, inque hujus tabernaculis Japheto augmentum precans, nepotemque Chanaan, intercalari quadam repetitione ipſorum imperio ſubjiciens. Quod profectò contigit, cùm primò Græci, tum Romani, ipſius Japheti poſteri, Aſiam Semi ditionem, ſubegere.

Poſt diluvium Noe annis 350. vixit, annoſque natus 950. obiens, ſuperſtites tres filios, Semum, Chamum, & Japhetum reliquit, de quibus nos ſuis locis; eiſque, ut ſententia communis fuerit, terram, quam replerent (e), diviſit, & Aſiam Semo, Aphricam Chamo, & Japheto Europam eſt impertitus. Volunt nonnulli, Noe præter hos plures alios filios (f). Pſeudo-Beroſus eos uſque ad triginta recenſet, quos vocat Titanes, à *Titæa* eorum matre. Teutones, ſeu Germani progeniem duxiſſe feruntur à quodam Noe Filio, nomine *Thuiſcbon*. Meminit quoque Pſeudo-Methodius cujuſdam *Jonithi*, ſive *Jonici*, quem vult filium eſſe Noe (g). Ad vocem *Noachidæ* jam egimus de præceptis, quæ Rabbini à Noe filiis ſuis, eorumque poſteris conſtituta fuiſſe opinantur.


S. Petrus (h) præconem juſtitiæ appellat Noe, quod ante diluvium & verbis, & integerrimæ vitæ exemplo, & conſtructione arcæ, in qua ædificanda annos 120. conſumpſerat, homines præmonuit de ira Dei, quæ jam jam imminebat, ut in Orbem effunderetur. Nihil tamen Noe profecit; diluvium enim homines flagitiis veteribus adhuc obrutos, & Deo ſatisfactionis præſtandæ prorsùs oblitos intercepit, *Matth.* 24. 37. Inter Carmina, quæ Sybillina dicuntur, extat Liber inſcriptus: *Deſcriptio hominum ante Diluvium, & Concionum, quibus Noe eoſdem monuit.* Theophilus Antiochenus *l.* 3. *ad Autolyc. p.* 129. videtur ſibi ſuadere, nomen *Deucalion*, quod idem eſt ac Noe, oriri à Græco *deute*, & *calein*, nempè *venite*, *vocare*; Noe enim ante diluvium hominibus ajebat: *Venite, Deus vos vocat ad pœnitentiam.*

Idem S. Petrus hæc habet: *Chriſtus vivificatus... ſpiritu his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquandò, quoniam expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam* 1. *Pet.* 3. 18. Plurimi Veterum Patrum (i), hæc verba ad literam explicant, ac ſi

Jeſus

(a) Gen. 6. 8. &c. An. M. 1536. ante Chr. 2464. ante Ær. 2468. & ante Diluvium 120.
(b) Vide Arca Noe.
(c) Gen. 8. 1. &c. An. M. 1657. ante Chr. 2343. ante Ær. 2347.
(d) Gen. 10. 6. *Filii Cham, Chus, & Mezraim, & Phut, & Chanaan.*
(e) Euſeb. Græci Chronic. ſeu Theſauri Tempor. p. 10. Philaſtr. de hæreſ. c. 70. (f) Cajet. Torniel.
(g) Vide Petr. Comeſt. hiſt. Scholaſt. l. 1. c. 37. & Toſt. in Geneſ. (h) 2. Petr. 2. 5.
(i) Vide, ſi Placet, Clem. Alex. l. 6. Stromat. Epiph. hæreſ. 46. Ambroſiaſt. in Epheſ. 4. Nazianz. orat. 42. ſub finem, & Nicetam ad eundem.

Digitized by Google



ARBOR GENE DILUVIUM ORTAE SUNT Gen. x.

Digitized by Google

Jeſus Criſtus poſt Reſurrectionem vere ad prædicandum hominibus, qui minime fidem concionanti Noe præbuerunt ante diluvium, ſe contuliſſe: adduntque eorum quoſdam minus nocentes liberaſſe, qui ipſi crediderunt, & ad pœnitentiam adducti ſunt. Alii quidam (a) carceris nomine intelligunt corpora, quæ ſunt veluti carceres animæ. Volunt autem, Chriſtum Dominum ſuo ſpiritu, quo replevit Noe, per os hujus Patriarchæ prædicaſſe iis, qui increduli fuerant ante diluvium, quorum animæ tunc erant in carcere corporis, ſed eo tempore, quo ſcribebat D. Petrus, in inferorum carcere detinebantur. Videantur Commentatores, ut cæteræ percipiantur hujus textus explicationes.

Putant Orientales (b), Noe a Deo mandatum accepiſſe, ut Adæ corpus in Arcam ſuam aſſumeret, ne diluvii aquis læderetur, adduntque jam proximum morti Sem filium ſuum vocaſse, eique depoſitum iſtud aperuiſse, & demum mandaſse, ut idem ad Melchiſedech Sacerdotem Dei Altiſſimi deferret, & una ſimul eo in loco, quem Angelus Domini oſtenderet, tumularent: quare Sem ad Melchiſedech Adæ cadaver detulit, & illud ambo in Calvariæ monte, qui ſitus eſt in Orbis medio, condiderunt. En hic orationem, quam ferunt Noe, dum moraretur in Arca, quotidie Domino perſolviſse: *Domine, vere magnus es tu, & nihil præ te magnum eſt. Aſpice nos oculis Miſericordiæ tuæ. Adjuro te per timorem Adæ primi hominis, per ſanguinem Abel Sancti tui, per juſtitiam Seth, in quo complacuiſti, ut nos ab his diluvii aquis liberare digneris. Ne quæſo nos recenſeas inter eos, qui contempſerunt præcepta tua, ſed ſuper nos Miſericordiam tuam extende, quia tu es liberator noſter & omnes creaturæ laudabunt te. Amen.*

Scriptores plures (c) docent, ab Ethnicis cum Noe confuſos eſse, pro eodemque habitos Saturnum, Deucalionem, Ogygem, Cœlum, ſeu Ouranum, Janum, Protheum, Prometheum, Vertumnum, Bacchum, Oſirim, Vaſimonem, & Ntiothrum. Sunt, qui quoſdam Libros tribuunt Noe. Hebræorum quidam putarunt, Moyſem citaſse opus a Noe confectum, cum dixit *Gen. 6. 9. Hæ ſunt generationes Noe*; & alibi *Gen. 10. 1. Hæ ſunt generationes filiorum Noe*. Pſeudo-Beroſus ait, Noe confeciſſe Librum *de ſecretis rerum naturalium*, quem Cabaliſtæ volunt à patre filium ejus Cham furtim abſtuliſſe, & tradidiſſe Miſraim. Guillelmus Poſtellus ejus meminit in titulo ſui Libri, quem inſcripſit: *De Originibus, ſeu de varia, ac potiſſimum Orbi Latino ad hanc diem incognita, aut inconſiderata hiſtoria &c. ex libris Noachi, & Hanachi &c.* Lambecius in Catalogo Bibliothecæ Imperatorum quemdam Librum Noe laudat, cui titulus: *Methodus ab Angelo Domini revelata Prophetæ Noe, ut eum doceret ſexdecim figuras, ad futura indaganda accommodatas.* Hæc tamen omnia jure inter fabulas, & ſuperſtitiones recenſentur. Nullibi conſtat Noe librum aliquem confeciſſe, cujus ſaltem notitia ulla ad nos huc uſque pervenerit.

Gnoſtici Noe uxorem *Neriam* (d); D. verò Epiphanius hær. 26. *Barthenon*, ſeu *Bathenon* (e); quidam denique veteres Rabbini *Noeman*, aut *Tethirim* appellarunt. Hæc etiam æque incerta, ac ea, quæ diximus de Libris à Noe conſcriptis.

In explicatione Arabica Geneſis, cujus authorem volunt S. Hippolytum (f), legimus, uxorem Semi vocatam fuiſſe *Nahulath Nahnuk*; uxorem Chami *Zedkath-nabu*; & uxorem Japheti *Arathka*.

(Vide ſupra quæ ſcripſimus de *Arca Noe* & *Diluvio*. Hunc virum donant Muſulmani elogio Patris & Principis omnium miſſorum à Deo & Prophetarum; appellant inſuper *Al-Nagi*, qui & ſervatus eſt & alios ſervavit. Addunt, miſſum illum fuiſſe à Deo denunciandæ hominibus pœnitudini atque ſingularitati Numinis; perſuaſiſſe autem 80. hominibus tantum, qui in Arca effugium ab interitu communi obtinuerunt. Cùm operi manus admovere cœpit, quicunque ſpectabant omnes hominem deridebant dicentes: Tu navem condis; ſufficias ergo aquas oportet; è Propheta in Fabrum lignarium transformaris. Sed ille viciſſim inſultantibus paria reſerebat: Vos me ſannis excipitis; & mihi viciſſim ſubſannandi certum erit tempus; vos tandem veſtro diſpendio intelligetis eſſe in Cælo Numen ad ultionem impiorum armatum.

Ebn-Abbas tradit Noemo ſollicito de Arcæ figura revelaſse Deum, conſtitui illam ita oportere, ut referret ventrem avis; in opus autem adhiberi ligna arboris Arabice appellati *Sag*, i. e. platani Indici; ſtatimque arbores illas implantaſse Noemum, ac brevi 20. annorum ſpatio ſationes illas adeo excreviſse, ut immaniſſimæ huic navi conſtruendæ materiem ſufficerent. Biennii labore ſtetit totum opus; diſtinguebatur autem tribus contignationibus: ſuperior ſedes erat avibus deſtinata, infima brutis qua cicuribus qua ſylveſtribus, media hominibus.

Impleto diluvii tempore *ebullire cœpit & regurgitare furnus*; habent enim perſuaſum ad Noemum hæreditario jure tranſiſse furnum, quo uſa eſt Eva pani ſuo decoquendo; cùm autem veniſset tempus ultionis Dei, è furno illo aquarum undas evomi cœpiſſe. Porrò furnus iſte Hebraice appellatus *Tannour* diſcrepat à noſtratibus; os enim habet apertum ſuperius, conſtruiturque è lapide vel argilla. In Arcam Noe ingreſſi ſunt octuaginta illi Fideles, uno tantum Chanaan filio Cham paratum ſibi effugium recuſante; ſunt qui Noemum conſcendiſse navem credant ad Coufah, non longe ab oſtiis Tigridis in Sinum Perſicum; malunt alii deſtinatum ad id locum ibi fuiſse, ubi dein condita eſt Babylon.

Poſtquam Arca ſpatio ſex menſium aquas ſulcans totius mundi ambitum dimenſa eſt (g), Deus præcepit terræ injunxitque: *Terra abſorbeat aquas tuas; Cælum recipiat quas effudiſti. Statim aquæ imminui cœptæ ſunt. Juſſa Domini executioni mandata; conſtitit Arca in monte* Girudi: *inſonuitque de Cælo vox: Væ impiis.*

Pedem retuliſse Noemum ex Arca credunt die decima primi menſis anni Arabici appellati *Moharrum*; eandemque diem jejunio conſecratam dicunt ab eodem Patriarcha, quæ hodie uſque religio manet in memoriam liberati orbis ex aquis diluvii. Tunc conſtitutus eſt à Deo Noemus, ceu novus quidem Adam, replendo incolis mundo. Totius orbis gentes omnes originem è tribus ejus filiis trahunt; Semus pater fuit Hebræorum, Arabum, Perſarum, Syrorum, & Græcorum.

Japhet Scytharum, Mogoliorum, Getarum, Tartarorum, Sinenſium, Turcarum, Hyperboræorum, Gog, & Magog.

E Cham Indi, Africani, Nigri, & Meridionales omnes gentes.

Præter tres illos quartum alium Noemo filium aſſignant Orientales *Maghcſton*, hominem in ſacris Libris Hebræorum ignotum. Adduos Dei munere accepiſse illum ſcriptos Libros; quod ſignificat, juxta familiarem iis phraſim, reliquiſse illum poſt obitum decem volumina, continentia revelationes, & quæ a Deo acceperat mandata. Sed Opera illa, ſi unquam extitiſse concedamus, modò penitùs interciderunt. Fertur Cœnobium ſtare quoddam in Meſopotamia appellatum *Deir Abounn*, Cœnobium parentis noſtri, juxta quod eſt in oppido amplum quoddam ſepulchrum Patriarchæ Noe, juxta gentium illarum fidem. Locum quendam in Arabia in provincia

(a) Auguſt. Epiſt. olim. 99. nunc 164. n. 3. 4. Beda D. Thom. Hugo, Dionyſius &c.
(b) Vide Eutych. annal. Alex. t. 2. p. 44. Catena arabica in Geneſ. vid. Iſ. Gregor. obſervat. ſacris c. 25.
(c) Bochart. Geogr. Sacr. l. 1. c. 2. Huet. de concord. Ration. & Fidei Grot. de verit. Relig. Chriſt. l. 1. Natal. Comes Mytholog. l. 8. c. 17. Octav. Falconer. Diſſert. de num. Apameoſ. Dikinſon. Delphi Phœniciz. Fabric. Apocryph. V. T. p. 247. &c.
(d) Epiphan. hæreſ. 26. quæ eſt Gnoſticorum. (e) Rabb. Gedolias, & alii ex antiquis apud Scipion. Sgambat. Archiv. V. T. p. 150. (f) Vide Oper. S. Hippolyti t. 2. p. 38. Edit. Fabricii. (g) Alcoran cap. Hud.

Digitized by Google

maxime orientali ejus regionis notat Geographus Perſa, appellatque *Ardh-Nouh*, terra Noe, quod maxime congruit ſententiæ illorum, qui conditam Arcam tenent ad *Couſah*, de qua nos ſupra.

Fabula Deucalionis & *Pyrrhæ* ejus conjugis (a) ex hiſtoria Noemi non obſcure expreſsa eſt. Deucalion, ſuadente patre ſuo, Arcam ſeu ligneam navem conſtruxit, quam inſtructam priùs omnibus vitæ neceſsariis ipſe cum uxore conſcendit, Perfugium hoc ſibi paraverat præcavendis diluvii aquis, quibus Græcia ferme univerſa demerſa fuit. Omnes fermè ejus regionis gentes eo diluvio ſubmerſæ ſunt, iis tantum remanentibus, qui celſiſſimorum montium culmina petierant. Poſt pacata omnia, Deucalion pedem referens ea Arca tenere ſe verticem Parnaſſi intellexit. Obtulit ibi Sacrificia Jovi, à quo ablegatus Mercurius, quid peteret requiſivit. Poſtulavit ſibi decus, genus hominis reparandi, Annuit Jupiter; ſtatimque ambo illi homines retrò poſt ſe lapides projecerunt, qui continuo ſurgebant in mares & fœminas.

Rei hujus memoriæ perennandæ Pagani nummos cuderunt (b). Spectare id licet in nummo inſculptum ferente caput Philippi Imperatoris, & in altero Septimii Severi Pertinacis, cujus utriuſque poſtica exhibet Arcam vel navem quadratam, oblongam, continentem Deucalionem & Pyrrham, vel ſi mavis Noemum cum uxore; ſtant extra vir alter cum fœmina, & ſuper Arcam aves geminæ, quarum una tenet ungulis ramulculum olivæ. Cuſi ſunt nummi Apameæ Phrygiæ, ubi conſtitiſse credebatur Arca Noe. Vide ſupra *Apamea*.)

I. NOEMA, filia Lamechi ex Sella, ſoror Tubalcain *Gen.* 4. 22. Credimus hanc nendi lanam, & telam pannoſque texendi artem invenisse. Hæc, ut dicitur, eadem eſt ac Minerva, quam interdum *Nemanoum* appellant. (c)

II. NOEMA, juxta quoſdam veteres Rabbinos, uxor Noe. Hæc tamen non videtur eſse eadem ac ſuperior, quæ filia erat Lamechi bigami, & ex progenie Cain.

(Orientales quidam ita appellant uxorem Noe, quam alii malunt *Bathenos* vel Noriam vel *Titheam*, Vide Fabricium Apocryphorum V. T. pag. 271. to. 1.)

NOEMAN, filius Belæ, & nepos Benjamin. Ab hoc familia Noemanitarum in Tribu Benjamin. *Num.* 26. 46.

NOEMI, uxor Elimelec, quæ fame compulſa cum in Moabitarum regiones confugiſset, ibi conjugem morte peremptum amiſit, ibique etiam duobus filiis ſuis *Mahalon*, & *Chelion* uxores dedit, cujus primo Ruth, & alteri Orpham tradidit: quibus decem poſt annos ſinè liberis mortuis, Noemi in Judæam reverti conſtituit; eòmque abeuntem utraque nurus ſequeretur, eas hortata eſt, ut in domus ſuas redirent, non enim ſibi eſse reliquos filios, quibus eas iterum nuptum traderet, ubi perveniſset in patriam. Acquievit ipſi Ophra, & reverſa eſt in domum ſuam; Ruth vero eidem adhæſit, & uſque Bethleem ſequuta eſt *Ruth.* 1. 1. quò cum perveniſsent, ſtatim Noemi reditus in urbe tota vulgatus eſt; quare ſibi gratulantibus reſpondebat: *Ne vocetis me Noemi, ideſt pulcram; ſed vocate me Mara ideſt amaram, quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus.*

Cùm Ruth quadam die ad ſpicas colligendas ſe contuliſset, contigit, ut deſcenderet in agrum, cujus dominus, Booz nomine, comiter alloquutam hortatus eſt ſuorum meſsorum veſtigia ſequi, & cum iiſdem veſci, ubi veſcendi hora adveniſset. Domum deinde regreſsa, eundem Booz ſibi eſse propinquum à ſocru Noemi intellexit, cujus conſilio, & induſtria actum eſt, ut Booz ipſi Ruth nupſerit; uti retulimus v. *Booz*, & rurſus referemus v. *Ruth.* Ruth igitur filium peperit, quem *Booz* vocavit *Obed*, de quo Bethleemicæ mulieres gratulantes Noemi dixerunt *Ruth.* 4. 14. *Benedictus Dominus qui non eſt paſſus ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Iſrael; & habeas qui conſoletur animam tuam, & enutriat ſenectutem.* Incertum eſt, quo diſtincto tempore hæc de Ruth, & Noemi contigerint; certum tamen eſt, contigiſſe inter eos 366. annos, qui à matrimonio Salmonis cum Rahab Jerichuntina, uſque ad ortum Davidis filii Iſai, cùm omnes hoſce annos tres tantummodò homines, nempe Booz, Obed, & Jeſſe æquaverint; quare horum quemlibet diutiſſimè vixiſſe eſt aſſerendum.

NOGA, ſeù *Noge*, filius Davidis (d).

NOHAA, quartus filius Benjamin. 1. *Par.* 8. 2.

NOHESTA, filia Elnathan, & mater Joachim Regis Juda. 4. *Reg.* 24. 8. Noheſta Hebraicè colubrum ſignificat.

NOHESTAN. Hoc nomine, imperante Ezechia Rege Juda A. M. 3278. ante Chr. 722. ante Ær. 726. 4. *Reg.* 18. 4. ſerpens æneus appellatus eſt, quem Moyſes in deſerto erexerat 2. *Nu.* 21. 8. quemque ad ea uſque tempora Iſraelitæ incolumen ſervaverant. Cùm ſuperſtitioſus populus ad cultum quemdam ſerpenti huic exhibendum fuiſſet adductus, Ezechias eum confregit, & per contemptum vocavit *Noheſtan*, veluti diceret, hoc modicum neſcio quid æris, aut minimus iſte ſerpens æneus: Hebraicè enim *Nahas*, ſeu *nachaſch* ſerpentem, & æs ſignificat. Hiſce adhuc diebus extat Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii ſerpens æneus, quem volunt eum eſſe, quem Moyſes extulerat in deſerto; certò tamen conſtat ex Ezechiæ geſtis, eum ſerpentem eodem imperante Rege confractum fuiſſe. Vide *Serpens*, & *Phunon*, qui, ut creditur, campus erat, in quo Moyſes ſerpentem æneum erexit.

NOME, regio, provincia. Hujus vocis præcipuè uſus invenitur in diviſione regionum, aut provinciarum inferioris Ægypti, quæ in plures *Nomas*, ſeu regiones, ſuæ quaslibet Metropoli nomine appellatas, diviſa eſt.

(NOMEN. Nomen Dei. Vide ſupra *Jehovah*. *Nomen* ſine addito ſignificat nomen Domini, à quo pronunciando religione quadam homines retrahuntur. E. g. *Cùm blaſphemaſſet nomen*, *Levit* 24. 11. nempè homo quidam in nomen Dei blaſphemus extra agrum raptus eſt, ubi quicumque evomentem blaſphema auſcultaverant, omnes impoſuerunt capiti ejus manum, cunctuſque populus oppreſſit illum lapidibus. Ita expiatum immane illud blaſphemiæ crimen.

Nomen Dei, exprimit ſæpè ipſum Deum, potentiam ejus, & majeſtatem; *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, robur & ſpes noſtra eſt in Deo, ejus bonitate, & virtute &c. Unum ejus nomen valet præ exercitu. Reputant Hebræi, Moyſem, Jeſum Chriſtum, & Prophetas invaluiſse miraculis obmurmurantes Dei nomen, cujus illi norant genuinam pronunciationem, hodie, inquiunt illi, penitùs ignotam.

Nomen Omnipotentis Dei; ſervire nomini Domini; benedicere nomen Domini; conſtruere domum in nomine Domini, in iſtis omnibus nomen ponitur pro Domino.

Scriptum eſt Geneſ. 2. 20. Adam impoſuiſſe nomina tum uxori ſuæ, cùm animantibus omnibus, quod ab illo datum nomen genuinam eſſe illorum appellationem. Imponere nomen argumentum eſt imperii & authoritatis; Pater nomen indit filiis, ſervis & jumentis ſuis. Deus immutavit nomina Abra-

(a) Apollodor. lib. 1.
(b) Octav. Falconer. Inſcript. Athlet. Romæ 1568. Vide Kircher. de Arca Noe.
(c) Plutarch. lib. de Iſide, & Oſiride.
(d) 1. Par. 3. 7. & 14. 6.

Abrahamo, Jacob, & Sarai. Exprimunt hæc omnia imperium diſpoticum ſuper omne hominum genus, & peculiarem Dei amorem in illos, quos in amicos & charos ſevocat. Hinc etiam factum eſt, ut nomen aſſignaverit, antequam naſcerentur, illis, quos ſibi peculiariùs deſtinabat. Ita nomen indidit Jedidiah vel Salomoni filio David, ita Meſſiæ, S. Joanni Baptiſtæ &c.

Oranti Moyſi Deus miſſurum ſe ante illum dicit Angelum ſuum, ut introduceret in terram promiſſionis; profitetur autem de Angelo illo: *Eſt nomen meum in illo Exodi* 23.12. aget, loquetur, puniet meo nomine; meum nomen præferet, & à me legatione fungetur, perinde ac Deus obſervabitur. Nec ſanè aliam geſſit perſonam Angelus, qui verba faciebat ad Moyſem, qui ſpectandum illi ſe præbuit in rubo, Legem rogavit in Sinai; perinde enim agebat ac ſi Deum ipſum referret, nec Moyſes aliter de illo loquitur ac de Deo: *Hæc dicit Dominus, & locutus eſt Dominus ad Moyſem.*

Aſſumere nomen Dei in vanum Exod. 20. 7. eſt temere, levi quacumque de cauſa, audacter, falſa jurare, ſicut & nomen Dei in ſermonibus & ſacramentis paſſim & nulla juſta de cauſa aſſumere. Vetat Deus, Exodi 23. 13. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis*; cavendum inſuper edicit ne nominibus illi ſuis appellentur. Præpoſteri enim in illos obſequii eſſet ſacramenta eorum nomine præſtare atque adhibere illos in teſtes veritatis rerum, ſive quas affirmamus, ſive quas negamus. Dii gentium perinde ſunt ac nihil, contemptu digniſſimi ſunt. Solemne erat Hebræis ut abſtinerent ſe quàm maximè à proferendo nomine Baal; ſed quoties ſermonis neceſſitas illud poſcebat, uſurpabant e. g. *Miphiboſeth*, *Merisboſeth*, pro *Miphibaal* & *Meribaal*. Eſt *Boſet* probroſum aliquod & temnendum: pro eo quòd dicerent *Eloim* vocem transformabant in *Elilim*, Deos ſordium.

Novi te ex nomine Exodi 33. 12. exprimit peculiare quoddam argumentum amicitiæ & intimioris conſuetudinis. Reges Orientis minùs familiariter communicabant cum ſuis; videbant eos raro, & rariùs etiam prodibant in publicum. Cùm igitur è domeſticis aliquem noſſent *ex nomine*, dignarentur alloquio, appellarent, admitterent coram ſe, id erat favoris argumentum inſigne. Decus illud ſibi adſciſcebant peculiare Aulæ Præfecti, qui aſſiſtebant coram Rege.

Quicunque in cœtibus per *nomina vocabantur Num.* 16. 2. viri erant è populo ampliſſimi, Principes Tribuum, & magnarum familiarum, munus aliquod vel dignitatem ſupremam gerentes. Appellabantur e. g. nomine ſuo Aaron ejuſque poſteri, Hus & ejus familia, Caleb & ſubjectæ illi gentes, & ſic de cæteris. Porrò non appellabantur nomine niſi Principes & Optimates populi. *Vocavi te nomine tuo Iſaiæ* 43. 4. & 45. 4. exprimere etiam poteſt, vel ipſo te nomine deſtinavi ad munus aliquod gerendum, vel immutavi tibi nomen, ut hoc velut argumento intelligeres inter ſervos meos te eſſe adlectum. Ita cùm Nabuchodonoſor ſervitiis ſuis addixit Danielem & ſocios, nomina illorum immutavit. Agens Deus de certo eo loco, ubi erigendum eſſet Tabernaculum, vel conſtruendum Templum, habet de illo *Deut.* 14. 23. & 16. 2. *In eo nomen illius invocetur*, vel *ut habitet nomen ejus ibi*; ibi ſcilicet invocandum Dei nomen, ac locum illum appellandum de nomine Domus vel Templi Domini. Loci hujus decus erit eximium, ut nomen ipſum Domini præferat, ejus cultui & obſequiis deſtinetur. Exprimunt hæc omnia quanta religione ſuſpicerent Hebræi quæcunque ad Dominum attinerent.

Nomen valet etiam pro fama nominis. *Nomen Joſue vulgatum eſt in omni terra Joſue* 6. 27. Deus exprobrans Davidi commiſſum cum Berſabea crimen *Fe-*

Tom. II.

ci, ait 2. *Reg.* 7. 9. *tibi nomen magnum juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra*; famam nominis tui vel clariſſimis Principibus parem reddidi.

Suſcitare nomen hominis mortui Ruth 4. 5. 10 *&c.* uſurpatur de fratre viri decedentis ſine liberis cùm ſcilicet ſuperſtes frater viduam defuncti conjugem ducens ſuſcitat defuncto illi hæredem & filium. Porro filius iſte tribuitur fratri defuncto, ejuſque memoriam perennat. Contrario ſenſu *delere nomen alicujus*, eſt exterminare memoriam, genus, filios, opera, domus, & generatim quæcunque nomen alicujus perennant in terra. *Nomen eorum deleſti in æternum Pſal.* 9. 6. *Nomina eorum deleantur de libro vitæ*; nullus de illis ultra ſit ſermo, tanquam de mortuis, atque in ſepulcro conditis. *Nomen impiorum putreſcet Proverb.* 10. odore erit ingrato; ſi forte menti ſuccurret, id tantùm ad eorum deteſtationem valebit.

Acerbas res deſcribens Iſaias 4. 1. cùm ſcilicet rariſſimi occurrent viri, habet: *Et apprehendent ſeptem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur; tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum*; adſciſcas nos in torum, nomine uxorum tuarum dignare; dicatur: Hæc eſt viri illius ſponſa: *Invocetur nomen tuum ſuper nos*. Queritur Dominus Ezechielis 16. 15. ſponſas ſuas (Juda & Iſrael) abiiſſe in proſtitutionem, quanquam nomen Domini præferrent, violaſſe ſacri illius nominis, quod tanquam ſponſæ gerebant, Religionem, abominationibus & ſuperſtitionibus ſe totas addicendo: *Fornicata eſt in nomine meo*.

Queritur non ſemel Deus de Pſeudoprophetis nomine ſuo fundentibus oracula *Jerem.* 14. 14. 15. & 27. 15. *&c.* Jeſus Chriſtus Matthæi 7. 22. futurum prænunciat: *In extrema Judicii die multi dicent mihi: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Profitetur etiam Marci 9. 40. mercede ſua non fraudandum illum, qui vel potum aquæ frigidæ *in nomine ejus* conceſſerit; ſicut & quicunque recipiet Prophetam vel juſtum in nomine prophetæ vel juſti parem operi ſeu voluntati mercedem reportaturum *Matth.* 10. 41. In his planè nomen poſitum eſt loco perſonæ, ſervitii, amoris, authoritatis. Totidem hominum nomina valent interdum ac tot hominum capita. Apoc. 3. 4. *Habes pauca nomina* (parvo numero homines) *in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*. Et cap. 11. 13. *Occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia.*)

NOPHE, Moabitarum urbs, qua deinde potiti ſunt Amorrhæi, & tandem Iſraelitæ. *Num.* 21. 30. Sita eſt prope Medebam. Videtur autem eſſe eadem ac *Nephis* 3. *Eſdr.* 5. 42. vel *Nebo*, ſeu *Nabo* 2. *Eſdr.* 7. 33. & 1. *Eſdr.* 2. 29. *&c* Locorum ſitus idem nobis optimè ſuadet; *Nabo* enim ſita eſt prope Medebam, ut ex Iſaia 15. 2 & 46. 1.

NOPHET, *Joſue* 17. 11. & *alibi*, Regionem, vel Provinciam ſignificat. Sæpè Nophet præmittitur τῷ Dor, *Nophet-Dor*, ſeu *Naphat-Dor*, *Joſue* 11. 2. & 12. 23. quo innuitur regio citra urbem Dor ſecus Mediterraneum, ad meridiem montis Carmeli, & ad ſeptentrionem Cæſareæ Palæſtinæ. Eum locum Joſue, quem Vulgata vertit (a), *tertia pars urbis Nopheth*, Hebræum legit tantummodò, *tertia pars Nopheth*, hoc eſt, tertia pars Regionis, quæ vocatur Nopheth. Regio hæc ſita erat propè Dor, cujus tertia pars ad Tribum Manaſſis, & reliquum ad Tribum Zabulon pertinebat.

NORAN, urbs Ephraim, 1. *Par.* 7. 28. Euſebius quamdam urbem *Nooath*, ſeu *Naarath* ſex milliaribus a Jerichunte locat.

(NOVUM, perinde valet interdum ac inuſitatum aliquod & extraordinarium: *Nova bella elegit Dominus*, ait Debora in Cantico ſuo, Judic. 5. 8. *Sin*

(a) Joſue 17. 11. Hinc ducitur Nophet non ſignificare urbem.

novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, ſcietis quòd blaſphemaverint Dominum *Num.*16.30. Author Libri Sapientiæ cap.15.3 agens de manna degustata ab Hebræis, ſcribit: *Novam guſtaverunt eſcam*: prodigio ſcilicet datam. Et de immiſſis coturnicibus habet cap. 19. 11. *Vidimus novam creaturam avium*.

Cælum novum & terram novam ſub Meſſia pollicetur Deus *Iſaia* 65.17. & 71.22. i.e. novis moribus & dogmatibus reformandam terram, quâ latè patuerit Regnum Meſſiæ. Textus hic etiam exponitur de iis, quæ manent Cælum ac terram in exitu mundi; innovabuntur enim & Cælum & terra, non ita ſcilicet quaſi Cæli hujus ac terræ natura tranſmutanda ſit; ſed multò erit perfectior aer, terra & elementa, vel ſaltem nullis, nil modo viciſſitudinibus elementorum nos ſubjiciemur.

Populo ſuo ſpondet Deus *Ezech.* 11. 19. & 18 31. & 36. 26. *Dabo cor novum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum*; cui planè oraculo tota fides conſtitit in adventu Jeſu Chriſti.

Hymnus novus, & *canticum novum*; ejuſmodi cantilenæ delectant plurimùm novitate ſua.

Creaturum ſe dicit Deus rem novam ſuper terram, hanc ſcilicet, ut fœmina circumdet virum *Jerem.* 31.22. quod dictum explicatur de conceptu & ortu Meſſiæ. Recentioribus pluribus aliter exponitur (a): Novum aliquod molior in Iſraele; efficiam ut extinde fœminæ quærant ſibi in conjuges viros. Vide Iſaiæ 4 1.

Proverbiali quadam phraſi uſurpat Jeſus, Matth. 9.17. *Nec mittunt vinum novum in utres veteres*, quod dictum transfertur ad deſignandum cogi nequaquam debere Apoſtolos ad ſubeunda graviora præcepta, antequam illapſu Spiritus Sancti roborarentur.)

NOX. Veteres Hebræi artificialem diem incipiebant veſpere, & veſpere ſequenti abſolvebant (b); quare nox diem præcedebat; hinc dictum eſt: *Factum eſt veſpere & manè dies unus*, *Gen.* 1.5. Duodecim horas diei tribuebant, & totidem nocti, quarum tamen alteræ modò longiores erant alteris, modò breviores, nec pares fiebant niſi in æquinoctio. Cæteris anni temporibus, quando noctis horæ longæ erant, breves fiebant horæ diei, & ſic viceverſa.

(NOX uſurpatur interdum pro tempore ærumnarum & luctus. *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti*; *Pſ.*16. 3. i. e. adverſitate & malis. Iſaiæ 21. 12. *Venit mane & nox*. Venit mane & ecce nox, in pacis expectationem antea attecti, & ecce premimur malis.

Nox eſt etiam tempus mortis. *Venit nox quando nemo poteſt operari* *Joan.* 9.4. verba ſunt Jeſu Chriſti; mihi ſcilicet implenda ſunt munera, ad quæ miſſus ſum, quoaduſque dies lucet & ſuperſtes vivo. Apoſtolus 1. Theſſalonic. 5. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet*; creditur extrema mundi dies nocte ſuperventura.

Filii lucis, & filii noctis morali & typico ſenſu ſunt probi atque impii, Pagani, & Chriſtiani. Filii Dei ſunt filii lucis, attinent ad lucem, & affulgente Evangelicæ veritatis lumine ambulant, fulgure vitæ probè inſtitutæ velut aſtra micant. His oppoſiti filii noctis ambulant in tenebris ignorationis, & infidelitatis, reddunt opera tenebrarum: *Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei*; *non ſumus noctis neque tenebrarum* 1. *Theſſalonic.* 55.

Jam aliàs adnotatum eſt, veteres Patriarchas, non ſecùs ac Heroicorum temporum Viros ſummo mane, & needum adhuc expulſa nocte, ante exortum diem ſurgere conſueviſſe, unde phraſis illa familiaris: de nocte conſurgere ad aliquid præſtandum, exprimens ſollicitè operi alicui incumbere. *Dominus dixit ad me, & locutus ſum ad vos de nocte conſurgens, & non audiſtis* *Jerem.* 25. 3. & 26. 5. & 29. 19. & 44. 4. locutus eſt, inquam, ore Prophetarum ſuorum; i. e. nihil reliquit intentatum, ut à crimine illos evocaret. Vide quæ contulimus in Dictionario V. *Tenebræ*.)

NUBES. Ægypto egreſſos Iſraelitas præcedebat Dominus in columna nubis, ut dux eſſet eorum itineris *Exod.* 13.21. &c. Hæc eos comitata eſt, juxtà S. Hieronymum *ep. ad Fabiolam*, à *Socoth*, vel juxtà alios à *Rameſſe*, vel juxtà Hebræos ab Ethan, uſque ad mortem Aaronis, vel denique juxta Commentatores pleroſque, uſque ad tranſitum Jordanis. Ea columna plerumque Iſraelis exercitum præcedebat; qui cùm perveniſſet ad Mare rubrum, è regione Phihahiroth, & ſibi à tergo inſequentes Ægyptios inſpexiſſet, nubes, quæ Iſraelem præcedebat, abiit poſt ipſum, ita ut Iſraelitas inter & Ægyptios conſiſteret; quare Ægyptii toto noctis tempore ad Iſraelitas accedere non potuerunt. *Exod.* 14. 19.

Ut verò ſub auroram Ægyptii nubem illam ad mare progredi, & ſequi Iſraelitas, qui mare ipſum, à vento vehementi, & urenti exſiccatum, jam tranſierant, videre, eos ſunt inſequuti. Deus autem inſequentes mediis fluctibus involvit. Nubes hæc deinde Iſraelem ſemper ſequuta eſt per deſertum; lucida autem erat noctu, ut tenebras fugaret; obſcura & denſa per diem, ut quàm maximum Arabici deſerti, per quod iter agebant, calorem averteret. Angelus Domini hanc nubem agebat, *Exod.* 14. 19. *Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, prova dimittens poſt tergum*. Hinc eiſdem motibus Angelus & nubes tunc acta eſſe videntur.

Nubis etiam motus Iſraelitarum motum dirigebat; quare ſiſtebant ipſi, cùm conſiſteret nubes, ipſi gradiebantur, dum nubes gradiebatur, *Num.* 9. 15. &c. & 10. 34. &c. *Exod.* 40. 34. &c. Columna dicebatur, ex ſui figura, qua columnæ inſtar ex nebula compactæ in aera tollebatur. Quidam Interpretes (c) putant, ex duabus nubibus conflatam fuiſſe, altera lucida, quæ tenebras averteret, altera obſcura, quæ Iſraeli æſtum defenderet. Ait S. Paulus 1. *Cor.* 10. 1., nubis columnam baptiſmi figuram prætuliſſe. Et profectò illa noctu lucem afferebat Iſraelitis, uti baptiſmus lumen nobis impertitur, & filios lucis nos conſtituit. Illa eoſdem protegebat, eratque pignus perpetuum auxilii, & potentiæ Dei, uti per baptiſmum nobis utrumque confertur (d).

Dominus in monte Sinai apparens, in medio nubis apparuit *Exod.* 19. 9. & 34. 4. atque Moyſes Tabernaculum erexit, atque conſecravit, operuit nubes ejus atrium, ita ut nec Moyſes, nec Sacerdotes illud ingredi valerent *Exod.* 40. 32. Quod & contigit, cùm Salomon Jeroſolymitani Templi dedicationem complevit 2. *Par.* 6. &c. & 3. *Reg.* 8. 10. Cùm nubes deſcenderet ad tentorium, ad quod populus cogebatur in deſerto, Dominum ſibi præſentem exiſtimabant *Exod.* 16. 10. & 33. 9. *Num.* 11. 25. nobis enim deſcenſus in illud tentorium, Divinæ præſentiæ ſymbolum erat. Angelus deſcendebat in media nube, & indè Moyſem alloquebatur, qui tamen à populo videretur (e). Scripturæ mos eſt, cùm Dei apparitionum meminit, eum ſemper exhibere inter nubes, quæ veluti currum ei præſtant, ejuſque formidandam obnubunt majeſtatem (f)

(NUBES uſurpatur interdum pro nebula matutina. *Erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros mane pertranſiens* *Oſee* 6. 4. & 13. 3. Iſaiæ 18. 7. *Quaſi nubes roris*. Nubes exhibet Scriptura quaſi receptacula quædam aquarum vel imbrium effundendorum ſuper terram

(a) Saoct. oum. 67. Oleaſt. Proœm. in Gen. can 4. Grot. Caſtal.
(b) Levit. 23. 32. Vide Commentar. (c) Rab. Salom. & Abenezra.
(d) Vide Interpp. in Exod. 13. 21. 22. & 12. 19. 20. & Diſſert. Chriſtian. Munden de Column. nubis, & Ignis.
(e) Vide Exod. 16. 10. Num. 11. 25. & 12. 5.
(f) Job. 22. 14. & 103. 3. Iſa. 29. 1. Matth. 17. 5. & 24. 30. &c. Pſal. 17. 12. 13. & 96. 2.

terram juſſu Dei. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis. Job* 28. Deus ligat aquas in nubibus, quaſi in utre. Immittit illas ſuper terram, tanquam cùm è vaſe quodam perforato dimittitur aqua irrigandis plantis. *Cribrans aquas de nubibus Cœli*. 2. *Reg*. 22. 12. Agens Jobus 38. 9. de materia chaos, quæ totam obvolvebat terram in exordio mundi, habet Deum circumvolviſſe mare vel aquas veluti nube quadam, veſtiiſſe tenebris tanquam infantem faſciis & pannis. Author Eccleſiaſtici 24. 6. paria uſurpat; *Quaſi nubecula texi omnem terram*. Rogat Iſaias 45. 8. Dominum, ut adventum Juſti acceleret: *Et nubes pluant Juſtum*. Cùm Sacri Scriptores agunt de ſecundo adventu Filii Dei illum exhibent deſcendentem ſuper nubem & majeſtate ſua protectum. *Matth*. 24. 30. *Lucæ* 21. 17. *Apoc*. 14 14. 15. 16.

NUDUS, NUDITAS. Præter literalem vocum ejuſmodi ſignificationem, alia etiam interdum ſuccurrit, ut ponantur loco rei inermis & omni ope deſtitutæ. E. g. Iſraelitæ poſt cultum aurei vituli *inter hoſtes nudi conſtituti erant*, *Exodi* 32. 25. dereliquit illos Deus ope deſtituens ſua; ultionem de illis exegit manu Levitarum ſuorum; quorum manu extincti ſunt ad 23000. Mane alterius diei Moyſi, monte Sinai conſcenſo, injunxit Deus præciperet populo: *Jam nunc depone ornatum tuum*; veſtes ſcilicet & arma conſueta. Paruit illicò populus: *Nullus ex more indutus eſt cultu ſuo*. *Exodi* 33. 5.

NUDIPEDIUM, argumentum erat obſequii. Deponit Moyſes calceamenta ſua *Exodi* 3. 5 propiùs accedens ad rubum ardentem. Commentariorum Scriptores plerique (a) tenent, Sacerdotes nudipedes miniſtraſſe & olim in Tabernaculo, poſtea & in Templo. Recenſens Moyſes veſtes & ornamenta Sacerdotum, nihil habet de calceis. Docent Thalmudiſtæ (b) illegitimum reputari munus à Sacerdotibus impletum, ſi fortè illi pedibus incubuiſſent vel ſuper veſtem, vel ſuper pellam, vel ſuper pedem fratris. Cùm autem marmore ſtratum eſſet Templum, incommoda retrahebant plurima Sacerdotes, quòd ſcilicet tempore miniſterii ſui marmor illud nudis pedibus jugiter contingerent. Occurſum eſt huic incommodo in ſecundo Templo, in quo cella erat calenti pavimento apta fovendis pedibus. Nudipedium illud pariter inſinuant frequentes ablutiones in Templo præſcriptæ.

Non deſunt etiam, quibus perſuadeatur, vulgò reliquos Iſraelitas nunquàm ſancto huic loco ſtitiſſe ſe, niſi poſitis calceis lotiſque pedibus, quam in rem laudant illud Eccleſ. 4. 17. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei*. Illud Levit. 19. 30. *Sabbata mea cuſtodite, & ſanctuarium meum metuite*, exponit R. Salomon de præcepto nudipedii coram Domino. Diſertè etiam affirmat Maimonides *in Miſchna t. 2. de Benedict. pag*. 34. nunquam permiſſum fuiſſe accedendi ad domum Dei & ſanctum montem ſoleatis vel cum baculo, vel cum familiari veſte, vel lutoſis pedibus. Eò ſpectatum credunt nonnulli a Jeſu Chriſto, cùm Diſcipulos ſuos monuit; Matth. 9. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum; neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus eſt enim operarius cibo ſuo*.

Sanctum id hodie manet apud Turcas, ut Moſcheas ſuas attingere non audeant, niſi poſt lotos pedes manuſque, ac poſitos exteriores calceos. Nudipedium etiam ſervant in Templis ſuis Chriſtiani Æthiopiæ (c). Eodem obſequio in Pagodis ſuis tenentur Brachmani. Neminem Dianæ Cretenſis limen attigiſſe calceatum affirmat Solinus cap. 19. Nudipedio ſabbati ſolemnia celebrari à Regibus Judææ ſcribit Juvenalis Satyr. 6.

Exercent ubi Feſta mero pede ſabbata Reges.

Nuditas pedum, uſurpatur interdum in Scriptura pro revelatione eorum, quæ maximè celari jubet pudor: *Prohibe pedem tuum à nuditate*, ait Jerem. 2. 25. cave ſcilicet nequid committas probroſum. Et cap. 26. *Ego nudavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua*. Pedes etiam exprimunt ea, quæ pudor occultat: *Sordes ejus in pedibus ejus*. *Thren*. 1 9.

Nuditas ignominiæ, ſeu ignominiam hominis revelare, exprimit ſeu probroſum quoddam commercium, ſeu nuptias inceſtas. *Ignominiam carnis ſuæ nudavit*, *Levit*. 20 19. Ezechiel 16. 37. *Nudabo ignominiam tuam*. Et: *Erat nuda & confuſione plena*.

Nuditas, etiam ponitur pro malè veſtito. 1. *Reg*. 19. 24. Nudus verſatus eſt tota die Saul in medio Prophetarum, i. e. malè veſtitus, nihil fermè retinens quàm induſium. Juſſus eſt à Domino Iſaias incedere nudus *Iſai*. 20. 23. i. e. mancipii more ita veſtitus, ut vix corporis nuda protegeret. In hunc ſenſum monentur homines veſtire nudos. Scribit de ſe Apoſtolus 1. *Cor*. 4. 11. & 2. *Cor*. 11. 27. *Rom*. 8. 35. in frigore verſari ſe & nuditate, indignum eſſe omnium, etiam veſtium.

Nudus, idem eſt ac detectus, notus, agnitus. Job 26. 6. *Nudus eſt infernus coram illo*; Infernus, ſepulcrum, locus ubi animæ mortuorum tenentur, Dei oculis patet; profunda enim & tenebras acie mentis ſuæ penetrat. In eundem ſenſum Apoſtolus Hebr. 4. 13. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus*.

Nuditas Adami & Evæ ignota erat illis ante peccatum *Gen*. 2. 25. & 3. 7. nullo enim ea de re pudore ſuffundebantur, quòd concupiſcentia effræneſque paſſiones nondum carnem commiſerant in ſpiritum; nondum in phantaſiam turbas injecerat nuditas, nihil erat in illis præter ordinem, nihil tumultuarium, nihil erat non rationi ſubmiſſum. Quæcunque probroſa in nos inducit aſpectus nuditatis corporum, hæc homines illos non tangebant. Nullus eſt è nuditate ſua pudor in brutis, nullæ ex ea turbæ, quòd ſcilicet in illis omnia ordine ſuo continentur.

Interpretum nonnulli (d) reddunt Textum Moſaicum: *Adam & Eva erant ſapientes vel callidi*; quam interdum ſignificationem admittit Hebræum *Harom*. Sed contextus ſeries non obſcurè præfert nuditatem corporis; habet enim primos illos hominum parentes probro nuditatis ſuæ tegendo conſuiſſe ſibi perizomata è ficulneis. Aureæ ætatis homines nudi inceſſiſſe crediti ſunt (e).

NUMENIUS, Antiochi filius, qui ab Jonatha Machabæo (f) ad Romanos, & Lacedæmones miſſus eſt; ut cum illis Judæorum fœdus reſtauraret. Aliquot poſt annos hoc idem munus ipſi à Simone Machabæo fratre Jonathæ commiſſum fuit (g): Latet, quia verè fuerit iſte Numenius; neceſſe tamen eſt, hominem fuiſſe ingenii maximi, atque induſtriæ, cùm res tanti ponderis, quas ſemper feliciſſimè complevit, ipſi committerentur. Affert Joſephus (h) Epiſtolas Senatus Romani, Hircano faventes, ejus Pontificatus anno nono ſcriptas, in quibus Numenius Antiochi filius Judæorum Legatus (i) appellatur.

NUMERI. Numerorum Liber quartus eſt Pentateuchi. Hunc Hebræi vocant *Vajedabber*, quod ſonat, *Et locutus eſt*, cùm ea voce hujus Libri originale Hebræum incipiat. Judæorum quidam eum vocant *Bemiddebar* quod eſt *In deſerto*, cùm in eo referantur, quæ contigere Iſraelitis in itinere 39. annorum per deſertum. Græci demùm, & deinde Latini eundem ideircò appellarunt *Numeros*, quòd ejus tria prima capita Hebræos, & Levitas enumerent, poſt erectionem, & conſecrationem Tabernaculi ſeparatim recenſitos.

(a) Theodoret. in Exod. 3. & alii paſſim.
(b) Miſchna lib. 5. de Sacrificio jugi cap. 1. & tit. Middot. cap. 1. & Ligtfoot, hor. Hebr. in Matth. 10. lib. 2.
(c) Zaga Zabo Epiſ. Abaſſin. deſcript. mor. Region. ſuæ. Gallic.
(d) Jonathan., Jun. Tremell. (e) Plato in Politic. pag. 272.
(f) 1. Mach. 12. 16. An. M. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144.
(g) 1. Mach. 14. 22. & 15. 15. An. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139.
(h) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 16. p 481. (i) An. M. 3877. ante Chr. 123. ante Ær. 127.

Digitized by Google

Anno ſecundo poſt egreſſum ab Ægypto; menſe ſecundo, vigeſima die menſis à Sinai recedens Iſrael in Deſertum Pharan contendit (a), & inde in Cades. Hinc Moyſes viros miſit, qui Terram promiſſionis explorarent; quibus reverſis terrore correpti contra Moyſem Hebræi obmurmurarunt; quare Dominus morte eos damnavit in deſerto, juravitque, eos minimè ingreſſuros terram, quam patribus eorum ſpoponderat. Poſtquam verò diù in Cades-barne morati ſunt, rediere, & 39. annorum iter per deſertum emenſi tandem in campeſtria Moab ultra Jordanem pervenere. In Numerorum Libro videantur, quæ toto hoc tempore contigerunt. In eo videre erit bellum Moyſis contra Regem Sehon, & Og, & aliud contra Madianitas, ut de ipſis pœnas ſumeret, quòd mulieres ſuas in caſtra Iſraelis miſiſſent, ut per ipſas in fornicationem, & idololatriam populus impelleretur. Ibi quoque plures Leges recenſentur, quas eo temporis intervallo Moyſes conſtituit; plures etiam murmuris clamores, quos Dominus impunè minimè præteriit.

(NUMERUS. Parvo numero ſupputando faciliì exprimendo interdum vna numerus ponitur; quæ etiam interdum contraria ſignificat. *Nos pauci ſumus*, ait Jacob ad filios qui diripuerant Sichem *Gen.* 34. 30. Hebræus ad literam habet: *Ego autem viri numeri*. Moyſes Deut. 4. 27. *Remanebitis pauci in Nationibus*; Hebræus: *Eritis homines numeri*. Job. 16. 13. *Breves anni tranſeunt*; Hebræus: *Anni numeri*. Pſal. 104. 12. *Cùm eſſent numero brevi pauciſſimi &c.* ad literam; *Cum eſſent homines numeri*.

Numerus, exprimit etiam interdum multitudinem. *Numerat Dominus numerum ſtellarum Pſ* 146. 4.; i. e. *multitudinem*, ut habent Septuaginta & Vulgata. Nubes inſidebat Tabernaculo *diebus Numeri Num.* 9. 19. i. e. plurimis. Eccleſiaſtes 2. 3. *Quo facto opus eſt ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ*; i. e. toto vitæ tempore.

Numerus beſtiæ ſeu numerus nominis beſtiæ in Apoc. 13. 17. 18. exprimit numericam ſupputationem literarum, quibus nomen illius ſcribitur.

In Pſalm. 80. 16. 17. juxta Hebræum *ignorare* ſe dicit Propheta *numeros*; Septuaginta & Vulgata legunt: *Neſcio literaturam*, vel juxta vetera plura Latina Exemplaria: *Neſcio negotiationes*. Legebant illi in Græco *Pragmaſcius* pro *Grammaſcius*. Sed Hebræus hæc præfert: *Os meum narrabit juſtitiam tuam tota die, beneficia tua; quoniam non cognovi numeros*; i. e. beneficia tua numerum ſuperant. Aliter: Annunciabo tota die ſalutem, quam mihi procuraſti, & licèt ego literas ignoraverim, non tamen deero, ut potentiam tuam conſideretem &c.)

NUMISMA CENSUS. Refert Matthæus, Diſcipulos Phariſæorum, & Herodianos veniſſe ad Jeſum, à quo per dolum poſtularunt, an cenſum Cæſari perſolvere liceret. Quibus Jeſus cognita eorum nequitia, reſpondit: *Quid me tentatis Hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus*. Quæritur quid fuerit hoc numiſma, & de quo tributo loqueretur Jeſus? Quod numiſma ſane innuitur ab Evangelio hoc fuiſſe effigie, aut nomine Cæſaris, ſeu Imperatoris inſculptum: *Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei Cæſaris*. Erat igitur nummus Romani Imperatoris tunc regnantis, nempe Tiberii, ſivè alterius ex illius Prædeceſſoribus. Quoad verò tributum, videtur hoc fuiſſe pretium à ſingulis perſolvendum. Refert Appianus *Syriac.*, ab Judæis in ſingula capita conſtitutum vectigal perſolvi ſolitum; & aſſerit Ulpianus (b), in Syriæ Provinciis morem fuiſſe, ut ab anno quartodecimo uſque ad ſexageſimum quintum mares, & à duodecimo fœminæ cujuſlibet capiti tributum impoſitum perſolverent. Hæc autem propria eſt *Cenſus* ſignificatio.

NUN, filius Eliſamæ, & pater Joſue, ex Tribu Ephraim. Græci pro *Nun*, dicunt *Nave*. De ejus vita nihil novimus; & ejus tantummodò, ut Joſue patris, Hiſtoriæ meminerunt.

NUPTIÆ, Convivium nuptiarum. Hebræi plerumque utuntur nomine *miſcheth*, quod à *ſchatah*, ideſt bibere, derivatur, ut genericè convivium, & peculiariter nuptias ſignificent, ſeu nuptiale convivium. Ad hoc idem præſtandum enunciant Græci vocem *gamos*, conjugem ſcilicet, nuptiæ, & nuptiarum convivium. Interdum nuptiæ genericè convivium ſignificant. *Vide Luc.* 14. 8.

Quoniam ad hunc locum conjugii ſermonem reſervavimus, de eodem aliquantò fuſiùs, non tamen juridicè, neque Theologicè, agemus. Hac de re, quod attinet ad Hebræos videatur Seldenus, *Uxor Hebraica*; quòd verò pertinet ad quæſtiones Theologicas, quæ pro Chriſtianorum conjugiis diſcutiuntur, lege Authores Catholicos, qui de hoc Sacramento enucleatiùs egerunt. Quædam nos jam retulimus de repudio, ubi de Divortio loquebamur, cujus etiam Diſſertationem noſtris Commentariis in Numeros præpoſuimus; quare nobis hic propriè tantummodò exhibendum remanet, quod ad conjugii veterum Hebræorum ritum, & cæremonias pertinet. Cùm autem hæc omnia quoque jam perpenderimus in fuſa Diſſertatione, exhibita & excuſa in noſtris Commentariis ante Cantica Canticorum, præcipua quædam, & neceſſaria ſatis erit hic recenſere.

Hebræi citiſſimè conjugia inibant; volunt autem Rabbini, ut mares anno ſaltem decimo octavo jam nuptias contraxerint (c). Quare ea ſaltem ætate, qui nondum nupſit, præceptum illud primis hominibus à Deo conſtitutum violat, *Gen.* 1. 28.: *Creſcite, & multiplicamini*. Poſſunt quidem ante hoc tempus connubio ſociari, ultrà quod tamen nuptias protrahere minimè licet. Qui annos treſdecim jam abſolverunt, poſſunt matrimonio jungi; putant autem hominem nequire cælibem vivere abſque peccato; aut ſaltem ſine peccati periculo. Fœminas citiſſimè ſponſalibus vinciunt, plerumque tamen nuptum eas minimè tradunt, niſi pubertatis ætatem attigerint, ſeù annos duodecim abſolverint. Hinc illæ voces *Joel.* 1. 8. *Malach.* 2. 14. *&c.*, *uxor pubertatis*, nempe uxor, quam quis duxit in ejus pubertate; & *Prov.* 2. 17. *Dux pubertatis*, nempe ſponſus.

Facilè hinc intelligitur, cur cælibatus, & ſterilitas opprobrio haberentur in Iſraele, & Jephte filia ſuam ploraverit Virginitatem *Judic.* 11. 37., ingemuerit nempe ſe occumbere, quin nupſiſſet, aut in filiis ſuis hæredes patri relinqueret, qui ejuſdem patris nomen poſteritate in Iſraele perennareot: Hinc etiam ſtudium, quo fratris ſinè liberis defuncti uxorem, ejuſdem defuncti fratri in matrimonium locabant; hinc pariter opprobrium, quo afficiebatur, qui nolebat uxori fratris nubere, ut ejuſdem fratris ſemen ſuſcitaret *Gen.* 38. 8. *Ruth.* 4. 5. *&c.*, hinc denique illæ Domini per Iſaiam 4. 1. minæ. Uſque eo hominum numerus deficiet in Iſraele ut 7. mulieres virum unum apprehendant, dicentes: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodò invocetur nomen tuum ſuper nos* (nos tibi deſponde), *aufer opprobrium noſtrum*, ut dicere poſſimus: maritum habemus, neque amplius nos nemo deſpiciat. Vide etiam *Jer.* 31. 22. *Mulier circumdabit virum*. Mulieres ab hominibus poſtulabunt ſibi ſponſos fieri: & *Cantic.* 8. *et* 1. *jam me nemo deſpicint*, ut vindicer à cælibatus pudore.

Fœminæ, antequam nupſiſſent, plerumque in publicum non prodibant; vocabantur *alma*, virgo, abſcondita, clauſa. Sæpè in nuptias petebantur, quin vidiſſent eos, à quibus poſcebantur. *filia Patris*, inquit Jeſus Filius Sirach, *abſcondita eſt; vigilia, & ſolicitudo ejus aufert ſomnum... ne quando polluatur in virginitate ſua*, *Eccli.* 42. 9. Vide etiam D. Paulum 1 *Cor.* 7. 36.

Si

(a) Num. 10. 11. (b) Ulpian. l. 3. digeſt. de Cenſib. Vide Ficher. de Numiſm. Cenſus.
(c) Leo Modena *de' Rit. Ebr.* p. 4. c. 3.

Si quis turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta. Quodam enim pudore afficitur pater, niſi debito tempore filiam ſuam viro adjunxerit.

Hemor pater Sichem, & Sichem ipſe Dinam Jacobi filiam petentes, modum exhibent, quo Virgines ad nuptias poſcebantur, *Gen.* 34. 8. *Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi uxorem .... Inveniam gratiam coram vobis, & quæcumque ſtatueritis, dabo. Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem.* Vide etiam *Geneſ.* 24. 33. &c. quomodo Eliezer in Iſaaci uxorem petierit Rebeccam, & *Tob.* 7. 10. quomodo junior Tobias Saram filiam Raguelis ſibi popoſcerit in Sponſam; denique *Cant.* 8. 8. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt?* die nempe, qua de ſuo in connubium conſenſu poſtulabitur.

Viri pro uxoribus dotem exhibebant. Genus erat quoddam emptionis, qua vir ſibi ſponſam comparabat. Ante ſponſalia de dote ſponſæ a viro tribuenda, & de muneribus, quibus pater fratreſque ſponſæ ab eodem donandi eſſent, fiebat conventio. Meminimus, Hemor patrem Sichem, & Sichem ipſum Jacobo ejuſque filiis optionem feciſſe, ut pro libito dotem, & munera poſcerent, quæ ſanè eſſent conſequuturi, dummodò Dinam Principi Sichem deſponderent. Jacob in Labani ſervitutem ſeptem annis, ut Rachelem, & totidem ut Liam conſequeretur, ſe ſe obſtrinxit *Gen.* 29.: hæ autem ſorores aliquot poſt annos earum dotem in rem ſuam Labanum convertiſſe conqueſtæ ſunt *Gen.* 31. 15. Saul filiam ſuam Davidi non tradidit, niſi pretio centum præputiorum Philiſthiorum. Cùm ipſi enunciatum eſſet, ſe Regis generum futurum, Ego, inquit, ſum vir pauper, & tenuis, & impar omnino, ut Regiæ ſponſæ parem dotem impertiar. Cui tamen reſponderunt Saulis nuncii: *Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis* 1. *Reg.* 18. 25. Oſeas 3. 2. quindecim argenteis, & hordei Coro cum dimidio ſibi uxorem comparavit. Ferunt Rabbini patrem nihilominùs munere quodam ad ſui ornamentum donatam filiam demittere conſueviſſe (a). Munus autem hujuſmodi in quinquaginta *zuzim* conſtitutum erat, nempe in quodam nummo ſexdecim circiter obolis æquivalente.

Vel per chirographum, vel per argentum, quo donabatur Sponſa, vel per cohabitationem, & copulam Sponſalia fiebant (b). Hæc autem erat Sponſalium formula: *Die ... Menſe ... anno ... N. filius N. dixit N. filiæ N.: Sis tu mea Sponſa juxta Legem Moyſis & Iſraelitarum; ego autem in tuæ virginitatis dotem ducentos zuzim, pretium à Lege conſtitutum, tibi tribuam. Prædicta autem N. ejus Sponſam fieri aſſenſit, his conditionibus, quas prædictus N. nuptiarum die ſe expleturum promiſit. His explendis prædictus N. ſe obſtringit, quarum hypothecam omnia bona ſua, & pallium ipſum, quo operitur, conſtituit. Spondet ulteriùs ſe acturum, quidquid in nuptiarum contractibus ad uxorum Iſraelitarum commodum ſolet apponi. Teſtes N. N. N.*

Sponſalia per argentum ſinè chirographo coram teſtibus contrahebantur, & vir ſic ſponſam alloquebatur. *Accipe hoc argentum, & mihi ſit pignus, quo te uxorem mihi futuram pollliceris.* Sponſalia per cohabitationem juxta Rabbinos permittebantur à Lege. *Deuter.* 24. 1. quæ tamen ſapienter à Veteribus idcircò interdicta fuere, quòd plures poſſent irrepere abuſus, & quod plura clandeſtina contingerent matrimonia. Virgines Sponſalibus devinctæ, poterant in publicum prodire, qua facultate antea carebant (c). Si Sponſa poſt Sponſalia futuro Conjugi per turpe aliquod fidem fregiſſet, veluti adultera puniebatur (d). Quamobrem Sanctiſſima Virgo, quæ tum deſponſata erat S. Joſepho, cùm Jeſum Chriſtum concepit, juxta Legem veluti adultera puniri potuiſſet, niſi Angelus Domini Incarnationis myſterium Joſepho aperuiſſet. Doctores Hebræi ferunt, Virgines ſponſalibus addictas verberibus damnari ſolitas, ſi fortè in publicum prodeundi facultate abuterentur. A Sponſalibus plures ſæpè anni intercedebant ad nuptias vel ob ſponſæ adhuc teneram ætatem, vel aliis de cauſis, vel etiam ad decoris incrementum.

Ubi Hebræi utrinque de nuptiarum conditionibus, & tempore conveniſſent, eorum omnium contractum ſic exarabant.

Formula Contractuum Nuptiarum inter Hebræos. *Die ... menſe ... anno ... ad amnem ...* (plerumque enim nuptiæ fiebant ſub dio, & locis otam alicujus fluminis) *N. filius N. dixit N. filiæ N. Sis mea uxor juxta Moyſis, & Iſraelitarum Legem; ego autem auxiliante Domino, honorem, veſtes, victum tibi conferam juxta morem cæterorum Conjugum noſtræ nationis, qui, ut par eſt, ſibi nuptas colunt, alunt, atque induunt. Tibi ego ducentos zuzim argenteos, qui tibi juxta legem debentur, tuæ virginitatis dotem, impertior* (e). *Prætereà indumenta, & alimenta convenientia, ut & juxta omnium morem, conjugale debitum me tibi præſtiturum polliceor.*

Prædicta etiam N. ejus uxorem fieri aſſentitur. Prætereà prædictus Sponſus, non ſolum ſorte principali, ſed etiam alia ſumma N., veluti ad dotis incrementum, ſponſam donaturum ſe pollicetur. Quod ſponſa Sponſi domum detulit, æquivalet valori N. Sponſus ipſe eam ſummam a Sponſa delatam fatetur, de qua rationem ſe redditurum ſequenti declaratione profitetur: Rerum omnium, quarum ſupra fit mentio, tam quoad dotem, tam quoad aliud quodcumque, ſponſorem me conſtituo; meque meoſque hæredes, & participes, bona etiam mobilia, atque immobilia, tam præſentia, quam futura, ipſumque pallium, quo operior, in cautionem devincio, meque obſtringo, omnia, quæ mea Sponſa vel in dotem, vel alio quocumque modo detulit, me fideliter ei vel viventem, vel morti proximum, redditurum. Hæc omnia ego ſpondeo juxta formam, & exemplum contractuum, qui de nuptiis confici ſolent à filiis Iſrael, & juxta regulas Rabbinorum, qui piam ſui memoriam reliquere. In quorum fidem ſubſcripſimus nos &c.

Refert Leo Modena, Judæos nuptias contrahere ſolitos die Mercurii, ſive Veneris, ſi Viduæ. Die nuptias præcedente, Sponſa ad balneum pergit, totoque corpore ſe aquis immergit: plures fœminæ ad balneum prodeuntem comitantur, inter pluſimos cujuſlinæ inſtrumentorum ſonitus, ut eam ad nuptias pergere tota vicinitas ſciat. De ritu, ſeu cæremoniis nuptiarum Seldenus, Buxtorfius, & Leo Modena non conveniunt; quare diverſos viguiſſe mores juxta locorum, & perſonarum diverſitatem opinamur. Pulchrioribus, & pretioſioribus ornamentis inſtruitur ſponſa, quæ deinde ſub dium, juxta flumen vel in periſtylium, aut in viridarium ducitur. Interdùm ſala ad hoc aulæis ornata utuntur. Sponſus uterque nigrum gerens velum ſub umbella locantur, & altero quadrato velo, ex cujus quatuor angulis flocci quatuor delabuntur, utriuſque caput protegitur. Hoc autem poſtremum velum Hebræi *taled* appellant.

Inde Loci Rabbinus, vel Synagogæ Cantor, ſeu conſanguineus propinquior, craterem vino oppletum accipit, hanc benedictionem enunciat: *Benedictus Dominus, qui mare creavit & fœminam, & conjugium inſtituit, &c.* Deinde vinum Sponſis hauriendum exhibet. Sponſus autem tunc Sponſæ digito duobus coram teſtibus annulum accommodat, dicens: *Ecce tibi annulum, quo mea ſis uxor, juxta ritum Moyſis, & Iſrael.* Annulus iſte, refert Buxtorfius, ex ſolido auro eſſe debet, nulla etiam gemma inſtructus; præſentesque advocat Sponſus in teſtes, quod annulus ſit ex auro

(a) Selden. Uxor. Hebr. l. 2. c. 10. (b) Seld. Uxor. Hebr. l. 2. c. 2.
(c) Leo Modena *De' riti Ebr. p.* 4. *c.* 3. (d) Selden. uxor hebraic. l. 2. c. 5.
(e) Hi ducenti zuzim æquivalent 50. ſiclis argenteis, ſeu libris 81. Gallicis.

ex auro optimo, & decenti pretio reſpondeat: Lecto deinde nuptiarum contractu, & à Sponſæ proximis tradito, rurſus vinum in cratere fragili affertur, ſeaque benedictionibus prolatis, Sponſis hauriendum exhibetur, & reliquum in lætitiæ argumentum effunditur. Sponſus tandem craterem accipit, quem magno impetu vel ad humum, vel ad parietem allidit, & omninò conterit; ejuſque contritione, ut ajunt, excidii Templi memoria renovatur.

Ferunt Rabbini (a), ante Jeroſolymitani Templi everſionem, Sponſum & Sponſam in nuptiarum ſolemnitate coronas capiti impoſitas prætuliſſe; poſt cujus excidium ab ea cæremonia deſtitere. In Bibliis Sponſi quidem, non verò Sponſæ coronæ aperta mentio habetur; ornamentum enim, quo ſibi caput mulieres componunt, non benè coronæ cohæret. Iſaias 61. 9. *Gaudens gaudebo in Domino, quaſi ſponſus decoratus corona, & quaſi ſponſa ornata monilibus ſuis*. Cantica Canticorum 3. 11. *Egredimini, & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius*. Nunc etiam Judæi alicubi ſuper Sponſos, & præcipuè ſuper Sponſam plenis manibus frumentum effundunt, dicentes interea: *Creſcite, & multiplicamini*. Alicubi etiam nummos in egenorum opem convertendos frumento immiſcent.

Ex Evangelio patet, Sponſis tribui *paranympham*, quem *Sponſi amicum* Jeſus Chriſtus appellat. *Joan.* 3. 29. Plurimi juvenes honoris cauſa Sponſum, plurimæ autem Virgines Sponſam nuptiarum die comitabantur. Sponſi ſociorum mentio fit in Sampſonis hiſtoria. *Judic.* 14. 11. & in Canticis Canticorum 5. 1. & 8. 13. ſociarum verò Sponſæ eadem Cantica (b), & Pſalmus 44. 8. meminerunt. Ad paranymphum nuptias parare pro Sponſo, ejuſque munera perficere pertinebat. *Qui habet ſponſam*, ait S. Joannes Baptiſta de Chriſto loquens, *ſponſus eſt; amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit, gaudio gaudet propter vocem ſponſi*. *Joan.* 3. 29. Putant aliqui, *Architriclinum*, de quo in Canæ nuptiis, quibus una cum Matre ſua Chriſtus interfuit, paranymphum, aut amicum Sponſi fuiſſe, *Joan.* 2. 9. qui præerat convivio; ejuſque muneris erat, ne quidquam convivis deeſſet. Comites & Amicæ Sponſæ nuptiarum veſpere in Sponſæ limine conſtitutæ, Epithalamium canebant. Pſalmus 41. Epithalamium eſt, & inſcribitur: *Canticum lætitiæ chariſſimum*.

Maxima modeſtia Nuptiarum ſolemnitates tranſigebantur, juvenibus ſeorſim à virginibus ita conſtitutis, ut neque in menſis, neque in ludis, neque in domiciliis inter ſe convenirent; ſic expoſcente cuſtodia, qua Orientales fœminas ſervant. Cujus rei exempla habentur in nuptiis Sampſonis, in Eſther convivio, in Canticis Canticorum. Interdum in nuptiis proponebantur problemata, quæ qui ſolviſſent, à Sponſo præmium referebant. Satis ſuperque vulgatum eſt ænigma, quod Sampſon in convivio ſodalibus ſuis ſolvendum exhibuit.

Nuptiarum ſolemnitas plerumque uſque ad tres dies, ſi ſponſa vidua erat, ad ſeptem verò, ſi virgo, protrahebatur. Cùm Jacob ſibi in uxorem acceptiſſet Rachelem, Laban eum decepit, & pro Rachele Liam ſuppoſuit; qua de re conquerenti, reſpondit Laban, non viguiſſe in eo loco conſuetudinem, ut minores ante traderentur ad nuptias: poſtquam autem nuptiarum dies ſeptem cum Lia tranſegiſſet, & Rachelem pro arbitrio conſequuturum. *Gen.* 29. 27. *Imple hebdomadam hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi*. Nuptiarum Sampſonis *Judic.* 14. 17. &c. uti & junioris Tobiæ *Tob.* 13. 23. ſolemnitas ſeptem diebus confecta eſt. Ferunt Rabbini, hunc dierum ſeptem ritum, præceptum viris: quare pro qualibet fœmina, qui deſponderent, licèt pluribus eadem die deſpondiſſent, ſeptem dierum ſolemnitatem inſtituere obſtringebantur; proinde tot nuptiarum hebdomadas ſucceſſivè celebrabant, quot uxores duxerant. Ut plurimùm, hi ſeptem lætitiæ dies in Sponſæ paterna domo tranſigebantur; quibus elapſis Sponſa in Sponſi domum ſolemniter adducebatur.

Hanc Sponſæ tranſmigrationem maximus apparatus, & magnificentia juxta facultates, & perſonarum genus comitari conſueverant. Quæ tamen tranſmigrationes ſæpè ſæpiùs noctu fiebant. Hinc in parabola decem Virginum, quæ obviam Sponſo, & Sponſæ exiere, omnes legimus ſopore correptas obdormiſſe. *Matth.* 25. 1. &c. experrectas deinde venientis Sponſi clamore ſurrexiſſe: earum autem fatuas cùm lampades ſuas extingui viderent, utpotè oleo deſtitutas, ut oleum ſibi compararent, ad vendentes perrexiſſe; interim verò Sponſum adventaſſe, & prudentes Virgines ad nuptias cum eo introiſſe. Quare ubi fatuæ reverſæ fuerunt, ante clauſam januam nuptiarum convivio prohibitæ conſtiterunt. Cùm filii Jambri 1. *Mach.* 9. 39. ſolemnibus nuptiis in urbe Medaba ultra Jordanem peractis, ſponſam in ſponſi domum adducerent, obviamque ei fuiſſent Sponſi proximi, & amici cum tympanis, & muſicis, & armis, Machabæi ex inſidiis prodeuntes, facto in eos impetu, plurimos occiderunt.

Jactant Hebræi, in Nuptiarum ritu ſibi præſertim peragendas proponere cæremonias, quibus junioris Tobiæ nuptiæ confectæ fuere; eam etenim ſolemnitatem maximi faciunt, & nuptiarum omnium, quæ optimè, & feliciſſimè diriguntur, exemplar meritò habendum eſſe opinantur. Nihilominùs prædictæ Judæorum cæremoniæ ab iis, quæ tunc ſervatæ fuerunt, vehementer differunt. Primò enim Raguel filiam ſuam juniori Tobiæ tradit, eiſque benedixit, (hæc erat præcipua nuptiarum cæremonia) deinde juſſit chartam afferri, in qua contractum conjugii exaravit, voluitque, ut teſtibus obſignaretur; tandem inceptum eſt nuptiarum convivium, quod duabus hebdomadibus eſt abſolutum. *Tob.* 8. 23. licèt juxta Legem à Rabbinis adductam, tribus diebus deberet abſolvi, cùm non ſemel modò, ſed ſeptiès vidua eſſet.

Ubi Sponſi & proximi, & ſodales domum ingreſſi ſunt, menſis accumbunt, & Sponſus ſuaviori, quo valet, cantu, ſatis fuſam benedictionem Hebraicè enunciat (c). Convivio peracto, convivarum præclariſſimus dexteram Sponſi accipit, cæterique deinde manibus viciſſim devinctis, circulum conficiunt, & ſaltationibus exercentur. Mulieres ſeorſim à viris eadem peragunt. Hæc autem chorea apud Hebræos per traditionem vetuſtiſſimam viget, eamque *Choream præcepti* nominant, cùm in nuptiarum ſolemnitate à Domino fuiſſe præceptam velint.

Sponſæ ingreſſus in nuptiale cubiculum, ex Rabbinorum ſententia (d), conjugium perficit, quod neque à benedictione, neque à cæteris præcedentibus cæremoniis omninò confici arbitrantur. Sponſa nomen *Sponſa perfecta* ſtatim aſſumit, ubi prædictum cubiculum fuerit ingreſſa, quamvis matrimonium adhuc conſummatum non fuerit, ut tunc contingit, cùm Sponſa menſtruis laborat; ad eam enim tunc temporis accedere pœna mortis viro interdictum eſt. *Levit.* 20. 18. Antequam Sponſa ad nuptiale cubiculum ducatur, coram decem ætate conſpicuis & liberis hæc benedictio enunciatur: *Benedictus Dominus Deus, Rex mundi, qui ad ſuam gloriam omnia creaſti. Benedictus Dominus Deus Creator hominis. Benedictus Dominus Deus, qui creaſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ejuſque ei in omnes dies adjutorium præparaſti. Benedictus Dominus Deus Creator hominis. Lætabitur ſterilis, ubi ſe concepiſſe cognoverit. Benedictus Dominus Deus, qui in multitudine filiorum lætificas Sion. Hos Sponſos reple tuo gaudio, ſicut gaudio repleſti morem, & ſa-*

(a) Selden. Uxor. hebraic. l. 2. c. 15. (b) Cant. 1. 4. & 2. 7. &c. & 3. 5. & 8. 4.
(c) Buxtorf. Synag. Jud. c. 28. (d) Apud Selden. uxor Hebraic. l. 2. c. 15.

& fœminam in horto Eden. Benedictus Dominus Deus, qui ſuper Sponſum, & Sponſam voluntatem effundis, quique propter ipſos jubilum, cantus, lætitiam, ſaltationes, amorem, amicitiam, pacem, & fraternam dilectionem creaſti. Fac Domine, ut lætitiæ cantus, vox ſponſi, & ſponſæ, vox mutui ſponſorum amoris, & vox filiorum canentium in civitatibus Judæ, & in plateis Jeruſalem quamprimùm audiatur. Benedictus Deus, qui Sponſum, & Sponſam lætificas.

Quoad Chriſtianorum conjugium, Chriſtus Dominus abſolutè polygamiam improbans, & divortium, niſi adulterii cauſa, interdicens *Matth.* 5. 32. *Luc.* 16. 18. matrimonium ad ſuam priſtinam perfectionem revocavit. Iis autem, qui per divortium invicem receſſerant, iterum, cui vellent, nubere non ſinit; quod utique longè abeſt ab ea libertate, quam Lex tolerabat. Convivio Canæ Chriſtus accumbens, nuptiis benedixit, & per ſui præſentiam ſanctificavit. *Joan.* 2. 1. *&c.* S. Paulus Catholici conjugii præſtantiam extollens, ait *Epheſ.* 5. 32. *Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua . . . ſicut Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Hominis cum muliere conjunctio myſterium eſt, quo Chriſti ſacra, & ſpiritalis cum Eccleſia conjunctio exhibetur. Idem Apoſtolus eniſè commendat. *Hebr.* 13. 4. ut *Connubium honorabile ſit in omnibus, & thorus immaculatus; fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.*

Nuptiarum præcipuus aliquis ritus à Novo Teſtamento non conſtituitur; conſtat tamen Eccleſiam Sponſis benedictionem impertiri ſemper conſueviſſe (a), &, ut ad Sacramentorum Eccleſiæ ordinem eveheretur, matrimonium contrahi debuiſſe in nomine Jeſu Chriſti, unà cùm ſacris cæremoniis, quæ juxta diverſa loca & tempora, valdè inter ſe differunt. Legimus in Tertulliano *de Veland. Virgin.* c. 11. Sponſos quodam velo contegi, & Tobiæ inſtar & Saræ, ſibi manus invicem tradere conſueviſſe. Ait S. Ambroſius conjugium à velo, & à Sacerdotis benedictione ſanctificari debuiſſe (b). S. Ignatius Martyr (c) ex Epiſcopi conſilio conjugia fieri volebat, ut ſic ſecundùm Deum contraherentur, non ſecundùm cupiditatem; & Tertullianus iterum *l.* 2. *ad uxor. c.* 9. illud extollit conjugium, *quod conciliat Eccleſia, confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, Pater ratum habet*. Sponſalia vetuſtiſſima ſunt, ut patet ex pluribus Conciliis (d), & ex D. Auguſtino l. 8. Confeſs. cap. 3.: *Inſtitutum eſt ut jam pacta ſponſa non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam.* Olim in pluribus Eccleſiis nuptiarum die Sponſi ad Euchariſtiam accedebant, & nocte ſequenti à matrimonii uſu ſeſe continebant (e). *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur; qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.* Huic conſuetudini, ut ipſe novi, plures adhuc adhærent.

(Adigi ſe præcepto ad nuptias reputant Hebræi; præceptum enim datum agnoſcunt verba illis ad primos hominum parentes: *Creſcite & multiplicamini & replete terram Gen.* 1. 28. Tenent illum, qui conjugium non procurat filiis ſuis, Deum gloria ſua privare, reum ſe utcunque conſtituere homicidii, deſtruere imaginem primi hominis, atque cauſam ponere cur S. Spiritus ab Iſraele recedat. Quæſtio hæc agitatur in Thalmud: Quis eſt qui filiam ſuam proſtituit? Reponitur: Pater qui diutiùs retinet innuptam domi, vel ſeni elocat. Nuptiarum præceptum obligat jam inde ab ætate 20. annorum; ſed maturius filios ſuos elocant Judæi. Filia tamen à Patre ſuo conjugio copulata ante pubertatis annos, nempe 12. & ſemis, permiſſam habet facultatem ſeducendi ſe è toro viri, ſi fortè minus illum dilexerit.

Nuptiæ Adami & Evæ omnium, quotquot unquam celebratæ ſint, ſolemniſſimas efficit Miniſter, Teſtis & Paranymphus, nempe Deus ipſe. Commendat etiam illas Sponſorum meritum & dignitas; ex illis enim hominum omnium ſæculorum nobilitas & ingenuitas derivatur.

Prioribus illis ſæculis inter fratres & ſorores nuptiæ non permiſſæ tantum, ſed neceſſariæ habebantur, quòd rari adhuc eſſent homines in mundo. Sed genere hominum multiplicato connubia illa inceſta reputata, gravibuſque ſuppliciis damnata ſunt. Nihilo tamen ſeciùs Patriarchæ uſi ſunt diutiùs libertate adſciſcendi in conjuges propinquas ſuas, tunc etiam, cùm mundo incolis frequentatiſſimo, aliunde ſibi conjuges comparare potuiſſent. Sed factum id ab illis alio planè conſilio; e.g. ne fœdera conciliarent cum familiis cultu ſuperſtitioſo corruptis, vel ut in ſuis familiis conſervarent creditum ſibi veræ Religionis depoſitum. Hæc mens fuit Abrahamo, dum in torum adſciſceret Saram ſororem vel neptem ſuam; dum pariter mandatis oneraret Eliezer Oeconomum ſuum, ut quæreret filio ſuo conjugem in familia Nepotum ſuorum; ut tandem Jacob avunculi ſui geminas filias ſibi duceret in ſponſas.)

NUX, fructus vulgaris, & notiſſimus. Calami, ſeu rami candelabri aurei ornari debuerant *tribus ſcyphis in nucis modum elaboratis*, ex quibus ſphærula ſurgeret, & ex ſphærula lilium. Hebræum legit *tres ſcyphos, ex quibus prodirent amygdala*, hoc eſt amygdalæ flores, ex quorum ſinu haſtile, ſeu ſtipes candelabri prodiret, ſicuti è floris ſinu fructus educitur. De nucibus unica mentio fit in Canticis Canticorum 6. 10.: *Deſcendi in hortum nucum.*

NYCTICORAX, *bubo*, ad literam, *corvus nocturnus*; *nyx* enim Græcè noctem, & *corax* corvum ſignificat. *Nycticoracis* eſus à Lege interdicitur (f). In Levitico tamen vox Hebræa *ſchalac* pro *mergulo* accipitur, & in Deuteronomio pro *bubone*; vera tamen ejus ſignificatio eſt, *mergulus*.

Si Septuaginta Deuteronomii Verſionem cum Vulgata conferimus, eam verborum confuſionem offendimus, ut nullo modo clarè poſſit dignoſci, cujus vocis Hebrææ interpretatio ſit vox iſta *nycticorax*, quæ & in Septuaginta legitur, & in Vulgata *Deut.* 14. 17. 18. at in Levitico Septuaginta *nycticoracem* vertunt; *bubonem* vero vertit Vulgata hanc vocem Hebræam *cos*, quæ accipitur pro accipitre, pellicano, aut bubone. Hæc ipſa vox *cos* habetur etiam in Pſalm. 101. 7. quam tam Vulgata, quam Septuaginta *nycticoracem* interpretantur. Bochartus (g) tamen per *cos* vult potiùs intelligi *onocrotalum*, pellicani ſpeciem, qui ſub roſtro ad gutturis initium ſaccum adeò amplum gerit, ut aliquandò in eo integer infans, interdum manus brachio, interdum pes cruri conjuncta inventa fuerint. His avibus Ægyptus, & vicinitas Gazæ in Palæſtina abundant. Vox Hebræa *cos* ſcyphum, & vas ad bibendum efformatum ſignificat: accipi tamen etiam poteſt pro ampliſſimo *Onocrotali* ſacco, cujus modò memi-

(a) Concil. Carth. 4. Can. 13. Siric. Epiſt. ad Eccl. Mediol. (b) Ambroſ. l. 3. Epiſt. ad Polycarp. c. 5.
(c) Ignat. Mart. Epiſt. ad Polycarp. c. 5.
(d) Concil. Ancyr. can. 2. 24. Cartag. 4. citat. 3. p. cap. 27. 9. 2. c. 45. 50. 51.
(e) Concil. Carthag. 4. Can. 13.
(f) Deut. 14. 17. Ita & Levit. 11. 17.
(g) Bochart. de animal. ſacr. part. 2. l. 2. c. 20.
(h) Pſal. 101. 8. *Paſſer ſolitarius* Hebr. *avis ſolitaria*.

Digitized by Google

dò meminimus. Hæc avia ſolitaria eſt, æquè ac ſolitaria eſt noctus, quæ in eodem Pſalmo *avis ſolitaria* nuncupatur (a).

NYMPHAS. S. Paulus ad Coloſſenſes 4. 15. ſcribit: *Salutate Nympham, & quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam.* Latini quidam *Nympham* mulierem fuiſſe crediderunt (b); & Græcus Teatus apertè hominem eum fuiſſe oſtendit. Sancti Nymphæ Feſtum colunt Græci die 28. Februarii; eumdemque Apoſtolum vocant, & in pace tandem feliciſſimè occubuiſſe teſtantur.

O B

OB. Spiritus *Ob*, Spiritus *Pythonis*. Vide *Python*.

OBADIA, natus ſecundus Ozi, ea Tribu Iſſachar. 1. *Par.* 7. 3.

I. OBDIA, ſeu *Obdias*, filius Arnon, pater Sechemiæ. 1. *Par.* 3. 21.

II. OBDIA, filius Aſel, ex progenie Saulis. 1. *Par.* 8. 38.

III. OBDIA, filius Semeiæ, ex progenie Levitarum. 1. *Par.* 9. 36.

IV. OBDIA, ex fortiſſimis Davidis, ad quem in deſerto latentem unà cum plurimis ea Tribu Gad ſe contulit. 1. *Par.* 12. 9. Textus habet *de Gaddi*, quod tamen ex ſequentibus liquet de Tribu Gad eſſe intelligendum. *Ibid. V.* 14.

V. OBDIA, unus ea Legis Doctoribus, quos Joſaphat in urbes Judæ miſit, ut populos erudirent 2. *Par.* 17. 7.

VI. OBDIA, unus ea Principibus Juda, qui fœdus à Nehemia cum Domino initum obſignarunt. 2. *Eſdr.* 10. 4

I. OBED, pater Gaal *Judic.* 9. 26.

II. OBED, filius Booz ex Ruth, pater Iſai, avus Davidis. *Ruth.* 4. 17.

III. OBED, filius Ophlal, & pater Jehu, ea Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 37.

IV. OBED, pater Azariæ Prophetæ. 1. *Par.* 15. 1. Hebræum & accuratiora exemplaria tam Græca quam Latina, pro *Obed* legunt *Oded* (b).

OBED-EDOM, filius Idithum Levitæ. 1. *Par.* 16. 38. & pater Semeiæ, Jozabadi, Joahæ, Sachar, Nathanaelis, Ammielis, Iſſachar, & Phollati. 1. *Par.* 26. 4. Ea natorum fœcunditate claruit, quia Dominus hac de cauſa ei benedixerat: Cùm David Arcam fœderis Jeroſolymam transferret (c), improviſo Dominus Ozam idcircò interfecit, quòd ipſam Arcam, quam caſuram putaverat, ſuis manibus audacter tetigiſſet. Qua re territus David timuit Arcam domum ſuam inducere, quam propterea apud Obed-edom, loco, ubi Oza occubuerat, valdè proximum collocavit. Inde autem non modò nihil incommodi paſſus eſt Obed-edom, quinimò omnibus fuit benedictionibus adauctus: quare David aliquot poſt menſes Arcam Domini Jeroſolymam ultrò traduxit, & Obed-edom una cum filiis Templi janitores conſtituit. 1. *Par* 15. 18. *&c.* Obed-edom 2. *Reg* 6. 10. *Gethæus* dicitur idcircò fortè, quòd fuerit ex patria Geth-remmon urbe Levitarum, ultra Jordanem. *Joſue* 21. 24.

OBLATIONES. Pluribus oblationibus utebantur Hebræi, quarum quaſdam ſponte offerebant, quaſdam verò ex præcepto. Primitiæ, decimæ, hoſtiæ pro peccato, ex præcepto. Sacrificia autem pacifica, vota, vini, olei, panis, ſalis, aliorumque oblationes omnes ſpontè offerebantur. Hebræi oblationes omnes genericè *Corban* appellant; oblationes verò panis, ſalis, fructuum, & liquorum, veluti vini & olei, vocant *Mincha*. Sacrificia propriè non ſunt oblationes, neque hoc nomine ut plurimum uſurpantur.

(Oblationes frumenti, ſimilæ, panis, placentarum, fructuum, vini, ſalis, & olei in Templo erant familiariſſimæ. Interdum ſeorſum exhibitæ, interdum additæ erant ſacrificiis. Mel nunquam ſacrificiis jungebatur; at ſullitarium offerre in primitiarum morem fas erat *Levit.* 2. 11. 12. Porrò hæ potiſſimùm ſervabantur regulæ in oblationibus appellatis in Hebræo *Mincha* *Levit.* 2. 1. vel *Korban Mincha*; in Septuaginta *oblationes ſacrificii*, quod etiam retinet S. Hieronymus: *Oblationem ſacrificii*. Quinque oblationum ejuſmodi genera diſtinguebantur; 1. ſimilæ; 2. placentarum varii generis ad clibanum paratarum; 3. frixorum laganorum; 4. placentarum in crate vel in ſartagine perforata coctarum; 5. primitiarum novi tritici, quod purum & ſine admixtione offerebatur; ſive toſtum igne, excuſſum ſive non excuſſum.

Placentæ, vel ſubactæ erant oleo, vel in oleo coctæ in ſartagine, vel tantùm decoctæ priùs oleo irrigabantur. Panis in Ara ſiſtendus nihil hſbebat fermenti, nefas enim offerre fermentum in Altare ſive cum ſacrificiis *Levit.* 2. 11. 12. ſed vulgaris panis munera Sacerdotibus ac miniſtris Templi dare nemo vetabatur.

Oblationes, de quibus modò, ſacrificia erant in gratiam egenorum deſtinata, quippe qui majoribus animantibus exhibendis eſſent impares. Qui verò ſufficere majora valebant, non tamen eximebantur ab addenda cum majoribus illis ſacrificiis ſimila, vino & ſale. Quicunque pariter oblationes ſuas reſtringebant ad panem vel ſimilam, dabant unà ſimul oleum, thus, ſal & vinum, quæ tanquam condimenta habebantur. Vide Levit. 2. 2. 13. Num. 15. 4. 5. Sacerdos pro vice ſua miniſtrans, ex offerentis manu accipiens oblationes, illarum portione injecta Aræ, reliqua ſibi reſervabat; id enim erat jus Sacerdotis tanquam miniſtri Domini. Thus igni totum permittebatur, cum ea illo nihil cederet Sacerdoti.

Si quis Iſraelita integrum panem vel placentam obtuliſſet Sacerdoti, tunc Sacerdos panis illius vel placentæ, quæ ſibi cedebat portionem ſeponebat, reliqua in micas redacta irrigabat ſuperinfuſo oleo, additoque ſale, vino & thure, tum injiciebat omnia in ignem Altaris. Si oblationes illæ tanquam condimenta haberentur hoſtiæ animalis oblatæ in ſacrificium, congerebantur omnes ſuper hoſtiam, unà cum illa abſumendæ.

Cùm ſpicæ novi frumenti vel hordei ſiſtebantur Domino, torrebantur illæ igne, ſive flamma: tum excutiebantur manu grana, offerebanturque omnia Sacerdoti in vaſe *Levit.* 2. 14. 15. Affundebat ille deſuper oleum, thus, vinum, & ſal; tum ad ignem ſacrum omnia, reſervata priùs, quæ ſui juris erat portione.

Ex his oblationibus pleræque ſpontanea religione exhibebantur. Legis tamen præcepto addendæ erant, cùm viva quædam hoſtia exhibebatur in ſacrificium; quicumque enim ſacrum illud offerebat, victimæ ceu condimenta ſufficere jubebatur. In nonnullis tamen rerum eventibus nihil exigit. Lex niſi oblationes frumenti vel panis. Cùm meſſium primitiæ ſiſtebantur Domino vel ſolemni ritu nomine totius gentis, vel privata religione, nullæ ſacrificio huic appendices decretæ ſunt.

Nullam ſatis certam quantitatem aſſignat Lex ſimilæ, olei, vini & ſalis, quæ addendæ eſſent ſacrificiis. Solemne erat Sacerdoti, ut projiceret in ignem Altaris pugillum ſimilæ vel micarum, vini etiam aliquid pro data proportione, olei & ſalis; de thure nihil reſervatum; reliqua juris erant Sacerdotis: quantitatem rei aſſignare à religione offerentis pendebat. Non ſemel in Scriptura animadvertiſſe juvat Moyſem præſcribere menſuram Aſſaronis, vel

decimæ

(a) Ambroſiaſt. Anſel. Lyran. alii plures. Quædam Mſſ. legunt: *Et apud ipſos Eccleſiam.* Quæ certe formula Nympham mulierem fuiſſe non convinceret.

(b) Heb. *Hoded.* 70. *Oded.* Vulg. *Oded.* Syr. *Azor.* Arab. *Azar.* Quidam Græc. *Adad.*

(c) 2. Reg. 6. 10. &c. & 1. Par. 16. 38. A. M. 2959. ante Ch. 1041. ante Ær. 1045.

decimæ paitis Ephæ pro ſimila, quam offerre tenerentur, quicumque impares eſſent præſtandis ſacrificiis deſtinatis pro peccato *Levit.* 5. 11. *&* 14. 21. In oblationibus primitiarum ſolemnibus nomine totius gentis integer manipulus ſiſtebatur eum agno anniculo, duabus decimis vel duplici Aſſarone ſimilæ oleo irrigatæ, ac quarta parte Hin è vino ad libationem *Levit.* 23. 10. *&c.*

In ſacrificiis zelotypiæ *Num.* 5. 15., cùm maritus ream agebat uxorem violati tori, marito illi præſcripta erat in oblationem è farina hordei decima pars Satum, oleo & thure impermixta, quòd ſcilicet ſacrificium erat zelotypiæ ad detegendum crimen mulieris.

Omnium, quotquot unquam noverimus, vetuſtiſſimæ ſunt oblationes fructuum terræ, panis, vini, olei, ſalis. Siſtebat Domino Cain *de fructibus terræ Gen.* 4. 3. 4., primitias nempe operum ſuorum; Abel verò obtulit *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*. Nihil etiam vetuſtius in religione ſua habebant Pagani, quàm hujus generis oblationes Diis ſuis religioſas. Ovid. Faſt. 2.

Farra tamen Veteres jaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra reſecta dabant.

Numa Pompilius, qui leges & religionem Romanorum formavit, *inſtituit fruge Deos colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque ut author eſt Emina, far torrere*. Plin. l. 18. c. 2. Ante cruenta ſacrificia nonniſi è frumento ſacra præſtabantur. Ovidi. Faſt. 1.

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Sacrificia egenorum ſolemnia apud Græcos facili ritu parata fuiſſe notat Theophraſtus apud Stobæum, nempe ſimiſa, vino & oleo irrigata; ejuſmodi autem appellata dicit *Thylemata*.

Illud autem intercedebat diſcriminis inter oblationes illas Græcorum & Latinorum, ſimilæ, vini & olei, quæ appendices erant cruentorum ſacrificiorum, ab oblationibus ejuſmodi Hebræorum; quòd ſolemne eſſet Hebræis congerere hæc omnia ſuper victimam jam immolatam atque igni impoſitam; cùm Græci his omnibus onerarent caput victimæ nondum immolandæ. Vide V. *Libatio*.

Oblies V. intra *Ophilas*.)

OBOLUS, pars quinta & vigeſima ſicli. *Siclus viginti obolos habet*. *Exod.* 30. 13. Hebræum legit: *habet viginti Gerah*. *Gerah* autem minimum eſt numiſma apud Hebræos, quod ad Gallicæ monetæ æſtimationem redactum, ſolidum, & denarios 7. & $\frac{15}{32}$ æquat.

OBOTH, ſtatio Hebræorum in deſerto *Num.* 33. 43. *&* 21. 10. *Profecti ad Phanon caſtrametati ſunt in Oboth, & de Oboth venerunt in Je-abarim*. Ptolemæus urbis *Obodæ*, ſeu *Ebodæ* meminit, quæ eadem eſt ac Oboth, in Arabia Petræa. De ea etiam Plinius *l.* 6. *c.* 28. & Stephanus Geographus. Hic Nabuthæis, ille Helmodæis, Arabiæ populis eamdem tribuit. Hæc ipſa Oboth colebat Idolum, Obodon, cujus meminit una & Duſaris, alterius earum regionum Regis, Tertullianus *ad Nation. l.* 2. *c.* 8.

(OBRIZUM. Aurum obrizum ſæpè legas in Scriptura, e. g. 2. Par. 3. 5. *Laminas auri obrizi*. Job. 28. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ſapientia*. Cap. 31. 24. *Si obrizo dixi: Fiducia mea*. Iſaias 13. 12. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo*. Daniel 10. 5. *Renes ejus accincti auro obrizo*. Plinius l. 33. c. 3. notat: *Auri experimento ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, quo ignis; atque ipſum obrizum vocant*. Sed Textus Hebræus, qui redditus eſt *obrizum*, non ſemper eandem vocem præfert, nam in Paralipomenis exhibet tantùm *aurum bonum*. Septuaginta: *Aurum purum*. In Job. 28. *Cheten Ophir, aurum purum Ophir*; & cap. 31. habet tantùm *Cheten*, quod eſt aurum purum, probatumque; & Iſaiæ 13. 12. *Pretioſior erit vir Phaz, & auro puro Ophir*. In Daniele 10. 5. *Renes ejus accincti erant auro mundo Ophaz*. Porrò aurum Ophir & aurum *Phaz* vel *Ophaz* eſt facilè aurum ex Ophir & amne Phaſis vel Phiſon in Colchide. *Abriz* exprimit Arabice vel Perſicè aurum purum, ab omni mundum ſcoria, quod Græci Latinique appellant *Obrizum*.

OBSCURUM, *obſcurare*. De obſcuritate quatenus ea voce exprimitur rerum adverſitas, egimus verbo *Nox*, & *Tenebræ*. Nigra facies vultui ſereno & aperto opponitur. Phariſæis vitio vertit J. C. Matthæi 6. exterminare nempe illos facies ſuas, & triſtitiam præferre cùm jejunant. In Nahum 2. 10. ubi de everſione Ninive: *Facies omnium ut nigredo ollæ*; Hebræus habet: *Facies univerſorum ipſorum contraxerunt fuliginem*. Itinerantes quidam (2) affirmant non ſemel in luctibus Orientalium ſpectaſſe ſe homines faciem ſuam fœdantes aheni fuligine. Hunc morem ſpectat Joel. 2. 6. *Omnes vultus redigentur in ollam*. Iſaias 13. 8. *Facies combuſtæ vultus eorum*. Ezechiel 20. 47. *Comburetur* (nigreſcet) *omnis facies ab auſtro uſque ad aquilonem*.

Loca obſcura exprimunt ſepulcrum. Pſ. 142. 3. *Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi* Pſ. 73. 21. *Repleti ſunt terræ domibus iniquitatum*. Sunt qui textum hunc exponunt de locis terra nocte horrentibus, quæ Tyranni in carcerem aſſignant miſeris hominibus. Malunt alii: *Quoniam obſcuri terræ*, nempe miſeri Iſraelitæ, *redacti ſunt in captivitatem in domibus Babyloniorum*. Meminit Salomon *de obſcuris*, nempe de homuncionibus tanquam oppoſitis viris principibus & locupletibus: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo coram Regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles*; *Prov.* 22. 29. Hebræus: *Coram obſcuris*.

In ſummis anguſtiis uſurpatur ſolem obſcuraſſe lucem ſuam, & lunam induiſſe tenebras *Matth.* 24. 24. *Lucæ* 23. 45.. Nahum. 3. 19. *Non eſt obſcura contritio tua*; Hebræus: *Non eſt reſtrictio fracturæ tuæ*; non eſt faſciis alligata vel cicatrice obducta. Jeremias 4. 2. *Portæ* (Jeruſalem) *corruerunt, & obſcuratæ ſunt in terra*; vel juxta Hebræum 14. 2. *Portæ ejus ſunt infirmatæ & nigruere in terra*. Hic portæ ſunt loco Urbis.

Obſcuritas cordis & ſpiritus exprimunt in Apoſtolo *Rom.* 1. 21. *Epheſ.* 4. 28. voluntariam ignorationem atque obfirmatum Judæorum in ſcelere animum.

OBSERVARE præcepta, leges, cæremonias & fœdus Domini &c. phraſes ſunt, quas utraque Scripturæ pagina offert *Exodi* 23. 21.: *Obſerva eum & audi vocem ejus*; Hebræus: *Caveas te coram eo*, metuas illum. *Nec obſervabitis ſomnia*, *Levit.* 19. 26. Vis Hebraici Textus latet. Reddunt nonnulli: Non utemini præſtigiis; alii: Non dirigetis horoſcopos, vel non faſcinabitis oculos, vel auguria è volatu avium non captabitis.

Obſervare cuſtodias, excubias agere in Templo, præ foribus Principis, in agro; vel cuſtodire greges in aperto agro verſantes. Scriptum eſt 1. Reg. 2. 22. de filiis Heli; corrupiſſe ſcilicet procaces illos fœminas, *quæ obſervabant ad oſtium Tabernaculi*.

Obſervare os alicujus, eſt verba alicujus in dolo captare. Obſervabant Babylonii Danielem, ſi quam poſſent accuſationem in illum coram Rege ſtruere; Phariſæi *obſervabant Jeſum Chriſtum, ut eum caperent in ſermone*. Monet Salomon Eccle. 8. 2. *Os Regis obſerva*; nempe ejus edicta atque mandata. Et cap. 11. 4. *Qui obſervat ventum non ſeminat*. Reprehendit Apoſtolus Galatas 4. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos*; in diſcrimine nempe dierum ſuperſtitionem Judæorum ſervantes. Ezech. 33. 4. 5. futurum denunciat, *ut qui ſe non obſervaverit, venerit gladius & tulerit eum*. Pſ. 123. 3. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine, quis ſuſtinebit*. Si diſtricto judicio de iniquitatibus cognoſces, quis te Judicem feret?

OBSESSIO Dæmonis in eo diſtinguitur à poſſeſſione, quòd poſſidens corpora Dæmon intus malus hoſpes ſedet, torquet, agitat, ſive nunquam intermiſſo cruciatu ſive per intervalla. Obſidet Dæmon, cùm illos, quibus adſiſtit exteriùs, torquet, vexat, tanquam importunus comes homini ad extorquendum ab illo aliquid moleſtus. Utriuſque rei exempla nota ſunt in Hiſtoria & Scriptura Sacra.

In obſeſſionum cenſum referenda credo quæ in 1. Reg.

(2) Tavernier. Iter Perſic. l. 2. c. 7.

Reg. 16. 23. legimus de Saul per intervalla à malo ſpiritu vexato, cui levamini erant muſica inſtrumenta Davidis manu pulſata. Eò pariter ſpectare arbitror Dæmonem Aſmodæum, necc ſævientem in omnes maritos accedere tentantes ad Saram filiam Raguelis *Tob.* 3. 7. &c. Pravus iſte Spiritus obſidebat puellam hanc, ſed malum illum nocendi genium non exercebat, niſi in homines ad ejus torum accedentes. Expulit infeſtum hoc malum junior Tobias nidore jecoris piſcis prunis impoſiti in eodem conclavi, ubi malus iſte Dæmon vim ſuam exerebat. Ad obſeſſos, meliùs quam, ad poſſeſſos referrem miſeros illos, qui per lunationum intervalla torquebantur. Matth. 4. 24. & 17. 14.

Meritò autem utrumque hoc incommodum malo Spiritu authore inductum reputatur, tanquam juſtè ulciſcentis Numinis pœna exacta, ſive ad peccata commiſſa expianda, ſive ut miſeri illi Dæmonis manui permittantur ad exercitium virtutis & tolerantiæ; conſtat enim moleſtiam hanc obſidentis Dæmonis ſubiiſſe plures, quorum vita nihil referebat oculis hominum niſi ſanctiſſimum.

Obſidentis Dæmonis argumenta ſunt in aerem ſuſtolli, dein tanquam vi quadam adigi in terram, illæſis omnibus; loqui ignotis antea extraneiſque linguis; prohiberi tempore obſeſſionis ne accedere quis valeat ad ſancta, ad ſacramenta; abhorrere ab illis ut ne ſermo de illis ſuſtineatur, ut cognoſcere illa quis recuſet; occulta pandere, ſupra naturales vires aliquid præſtare; moliri inſuper vel dicere aliquid quod nunquam homo ille auſus fuiſſet, niſi alio inſtigante induceretur; ſi tandem diſpoſitiones corporis, valetudinis, temperamenti plurimùm abhorreant ab iis, quæ invitus atque reluctans agit obſeſſus. Ita pariter de obſeſſione judices, ſi optima quæque remedia hebetentur, ſi convulſionibus extraordinariis diſtorta membra ſtatum deinde ſuum recipiant ſpontè ac facilè. Omnia hæc ſymptomata vel illorum tantùm portio veræ obſeſſionis ſunt argumentum.

Malis hiſce averruncandis nihil aliud præſcribit Eccleſia, quàm preces, bona opera, & adjurationes; nec tamen vetat remedia quædam naturalia compeſcendis humoribus, refrænandis pravis corporis diſpoſitionibus; hujuſmodi eſſent melancholia, triſtitia; nigri humores, bilis, obſtructi ad tranſpirationem meatus, obductæ partes quædam, unde ſive corruptio, ſive hebetatio, ſive vitiola quædam aredo in ſanguinem. Ita factum videmus in Saule, quem incommodo ſuo affectum plurimùm ſolabantur muſica inſtrumenta. Id generis experimenta plura ſuppetunt valetudinis inductæ ope herbarum, ſuffimentorum, atque volaticorum remediorum. Sed plura de his pertinent ad Medicum. Vide Dictionarium univerſale v. *Obſeſſiones*; vide etiam infra v. *Poſſeſſiones Dæmonum*.

OBSTETRICES Hebræorum, quæ natos mares ſervabant, vetante licèt Pharaone. Vide *Phua*.

OCCASIO. Eo nomine appellatur circumſtantia loci & temporis, vel diſpoſitio cujuſpiam ad aliquid præſtandum. Apoſtolus ad Corinthios Epiſtola ſecunda cap. 5. 12. *Occaſionem damus vobis* (vel materiam) *gloriandi pro nobis*. Idem Rom. 7. 8. 11. *Occaſione accepta peccatum per mandatum* (vel per Legem) *operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Eſt itaque Lex non cauſa, ſed occaſio peccati atque prævaricationum, quòd ſcilicet pruritum excitavit præſtandi, quæ Lege illa vetantur. *Nitimur in vetitum*.

Occaſio eſt etiam prætextus. *Si vir quæſiverit occaſiones*, (prætextus) *quibus dimittat uxorem Deut.* 22. 14. *Samſon quærebat occaſionem* (querelarum) *contra Philiſthiim Judic.* 14. 4. Rex Iſrael acceptis à Rege Syriæ literis, quibus præcipiebatur valetudinem procurare Nahamano: *Vide*, ait, *quòd occaſiones* (belli) *quærat adverſum me*. Docet Sapiens, Proverb. 18. 1. *Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico*. Diſcrepat Hebræus hujus Textus. *Ad deſiderium quæret reparatus vel diſſipatus*. Qui in diſſipatione vivit, abit poſt deſideria cordis ſui, immiſcet ſe omnibus; vel aliter juncta poſteriori ſententia cum priori: *Si compreſſerit labia ſua intelligens* (reputabitur): *Sollicitè quæritur ſi fortè adfuerit*. Teſtes advocat Apoſtolus Theſſalonicenſes, ſi fortè unquam apud illos ſolliciti captaverit occaſiones ditescendi ſive aſſentatione, ſive alio quocunque prætextu; *Neque in occaſione avaritiæ* 1. *Theſſal.* 2. 5.)

OCHOZAT, Abimelechi Regis Geraræ amicus, quem comitatus eſt unà cum Phicol exercitus Principe, cùm ad fœdus cum Iſaaco ineundum progrederetur (a). Plurimi apud Chaldæos, & S. Hieronymum *qu. Hebr. in Geneſ.* Interpretes putant Ochozat quemdam eſſe terminum, quo venit multitudo amicorum, qui Abimelechum comitabantur. Septuaginta Ochozat *Paranymphum* appellant.

I. OCHOZIAS, filius, & ſucceſſor Achabi Regis Iſraelis. 3. *Reg.* 22. 40. Duobus annis regnavit (b), partim tamen ſolus, partim una cum Patre Achab, qui anno antequam moreretur, ſui Regni ſocium eumdem aſſumpſerat. Ochozias patris impietatem ſequutus, cultum exhibuit Baali, & Aſtarte Idolis, quæ Jezabel ejus mater Hebræis adoranda in Iſraelem invexit. Cùm in Aſiongaber Rex Joſaphat claſſem comparaſſet, rogavit Ochozias, ut ſervi ſui unà cum ſervis Joſaphati navigarent in Ophir; cui tamen Joſaphat valdè obſtitit, cùm Regum Libro tertio ei minimè indulſiſſe dicatur 3. *Reg.* 22. 50. Attamen ex Paralipomenon ſecundo 20. 36. 37. eidem tandem acquieviſſe ſatis patet; dicitur enim uterque claſſem conſtruxiſſe, ut navigaret in Tharſis. Dominus autem fœdus ab Joſaphato cum hoc impio Rege initum improbans, ventorum vi, & tempeſtatibus actam claſſem confregit.

Moabitæ, qui decem Tribuum Regibus aſſidue paruerant, Regno Iſraelis à Regno Judæ ſeparato, ab eiſdem defecerunt, poſt (c) mortem Achabi, & conſuetum vectigal ſolvere detrectarunt. Et vi, & tempore caruit Ochozias, ut reluctantes compelleret; eo etenim tempore è ſuperiori domo in cœnaculum ſuum delapſus, eodemque caſu in vitæ periculum adductus, nuncios dimiſit Accaronem, qui de ſui valetudine Beelzebub conſulerent. Quibus obviam factus, jubente Domino, Elias; *Numquid*, inquit, *non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lecto, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris*. His actis, abiit Elias, & ſtatim domum regreſſi nuncii, quod ſibi contigerat, Regi aperuerunt, eique viri illius, qui ſic loquutus fuerat, veſtes, formam, & lineamenta inquirenti, piloſum eſſe, & zona pellicea præcinctum reſponderunt. His auditis Ochozias Eliam Theſbitem eſſe aſſeruit; ſtatimque 50. inſtructum militibus Ducem miſit, qui Eliam in ſui conſpectum adduceret. Hunc tamen audacter nimis hominem Dei alloquutum, ignis Eliæ precibus è Cœlo delapſus, unà cum militibus ſuis omnino abſumpſit. Quod ubi ſecundo Principi, ſecundiſque copiis ad eum miſſis contigiſſet, tertius acceſſit, qui protinus in genua provolutus Eliam rogavit, ut ſui ipſius, ſuorumque militum ſaluti proſpiceret, unaque ſecum ad Regem properaret. Tunc Domini Angelo interiùs Eliam monente, ne ſibi quid detrimenti metueret, quin Regem adiret interritus, illicò ad Ochoziam Propheta ſe contulit, eique eadem, quæ antea nunciis, minitatus eſt. Quo quidem juxta vaticinium è vivis ſublato, frater ejus Joram ſucceſſit An. M. 3108. ante Ch. 892. ante Ær. 896.

II. OCHOZIAS, Rex Juda, filius Joram, & Athaliæ, poſt patrem ad regni gubernacula ſedit A. M. 3119. ante Ch. 881. ante Ær. 885. 4. *Reg.* 8. 24. 2. *Par.* 22. Annum ſecundum agebat ſupra vigeſimum, cum Regnum aſſumpſit, & unico anno imperavit Jeroſolymis. Peſſima Achabi veſtigia, cujus erat conſanguineus, ejus enim mater Athalia ex eadem progenie

orta

(a) Geneſ. 26. 26. An. M. 2200. ante Ch. 1800. ante Ær. 1804.
(b) Regnavit à 3106. uſque ad 3108. Achab mortuus eſt an. 3107. ante Ch. 893. ante Ær. 897.
(c) 4. Reg. 1. 1. &c. An. M. 3108. ante Ch. 892. ante Ær. 896.

orta fuerat, relegit; & nomina Joachaz, & Azariæ obtinuit. 2. *Par.* 21. 17. *Vid. & 6. in Hebr.* Paralipomenon ſecundo 22. 2. dicitur Ochozias annos 42. natus imperium cepiſſe, quod quidem minimè cohæret cum 4. Regum, à quo fertur duos ſupra 20. annos tunc egiſſe. At Paralipomenon Textum vitiatum fuiſſe cenſemus. Rex Iſraelita Joram cùm in Ramoth Galaad expeditionem ſuſcepiſſet, quam Syriæ Reges ſuis majoribus eripuerant, lethaliter vulneratus, ut ſibi mederetur, divertit Jezraelem (a). Ochozias amicus & conſanguineus Jorami comitem, & adjutorem belli eidem ſe præſtitit; & Jezraelem venit, ut ægrotantem inviſeret. Intereà Jehu filius Namſi, quem Joram Ramoth obſidentem reliquerat, in Regem ſuum conjuravit, feſtinavitque, ut juxta Domini mandatum domum Achab omnino perderet, atque deleret. Cujus rei minimè conſcii Joram & Ochozias occurrerunt Jehu, à quo ſtatim Joram ſagitta confixus interiit; Ochoziam verò, qui fugæ ſe dederat, in aſcenſu Gaver, juxta Jeblaam conſequens ita vulneravit, ut corpus ille ſuum trahens uſque Mageddo, ibidem occumberet An. M. 3120. ante Ch. 880. ante Ær. 884. Cujus cadaver ſervi curru imponentes, tranſtulerunt Jeroſolymam, & in patrum illius tumulo in Civitate Davidis condiderunt. 4. *Reg.* 9. 27.

Aliquanto tamen aliter res in ſecundo Paralipomenon 22. 8. narratur. *Cùm everteret Jehu domum Achab, invenit Principes Juda, & filios fratrum Ochoziæ, qui miniſtrabant ei, & interfecit illos. Ipſum quoque perquirens Ochoziam comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad ſe occidit, & ſepelierunt eum, eo quòd eſſet filius Joſaphat &c.* Ut hæc duo loca concilientur, dicemus, in Paralipomenis nomine Samariæ non urbem intelligi debere, ſed Regnum. Intelligens Jehu Ochoziam adhuc in regionibus Iſraelis eſſe, & peſſimè ægrotare in urbe Mageddo, ægrotum ad ſe adduci juſſit, & adductum interfecit. Vide Interpp. in 4. Reg. 9. 20. &c.

OCHRAN, pater Phegielis, ex Tribu Aſer. *Num.* 1. 13.

OCULUS. Quid ſit oculus, neminem latet. Hebræi oculorum nomine formes, & colores appellant. *Num.* 11. 7. *in Hebr. Erat man quaſi ſemen coriandri, oculi bdelli.* Eadem phraſi ſæpè utuntur Galli, cùm de gemma, vel de ſerico panno dicunt: *Elle à un bel œil.* Per *oculum nequam* Hebræi (b) invidiam, zelotypiam, tenacitatem, avaritiam intelligunt. *Oculus ſimplex*, *Rom.* 12. 8. 2. *ad Cor.* 8. 2. & 9. 11. &c. liberalitatem, eleemoſynam, animi propenſionem ad ſpiritualia ſignificat. *Oculus animæ* intentionem, & deſiderium moraliter denotat. Gratiam invenire in oculis alicujus, acceptum eſſe oculis alterius, phraſes ſunt, quæ ſæpiſſimè uſurpantur ab Hebræis, ſuntque per ſe clariores, quàm poſſint à nobis explicari.

Diverſos etiam ſenſus habent oculi in Scriptura. *Ponere manus ſuper oculos morientium*, *Geneſ.* 46. 5. oculos morientis claudere. *Ponere oculos ſuper aliquem*, favere, curare, conſulere: *Oculi Domini ſuper juſtos*, *Pſal.* 33. 16. Juſtis favet dominus, conſulit &c. *Oculos ſuperborum humiliabis*, *Pſal.* 18. 28. Ipſorum ſuperbiam deprimes: *Oculi Domini in gentes reſpiciunt*: Providentiam ſuam in illos extendit. *Invenire gratiam in oculis alicujus*, *Ruth.* 2. 10. &c. alicujus favorem, ſivè amicitiam comparare. *Oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum*, *Pſal.* 122. 2. ſervi ſemper vigilant, Dominoſque reſpiciunt, & obſervant, ut vel ipſis eorum nutibus obtemperent.

Oculus nequam, zelotypus, avarus: *oculus rectus*, *& ſimplex*, liberalis: *Aperti ſunt oculi eorum*, *Geneſ.* 3. 7. tunc cognovere, quæ antea non noverant. *Sapientis oculi in capite ejus*. *Eccle.* 2. 14. conſultò, neque caſu operatur. *Ero humilis in oculis meis*, 2. *Reg.* 6. 22. me dejiciam. *Non ſatiantur oculi divitiis*, *Eccl.* 4. 8. avaritia nunquam expletur &c.

(*Ponere oculos ſuos ſuper aliquem*, eſt bona alicui præſtare, cumulare favoribus, vel tantùm amicè aliquem reſpicere. Joſephus monuit fratres ſuos, ut ad ſe adducerent Beniamin juniorem fratrem, quo ſcilicet, ait ille *Geneſ.* 4. 21. *ponam oculos meos ſuper illum.* Minitatur Deus Iſraelitis, Amos 9. 4. *Ponam oculos meos ſuper eum in malum, & non in bonum.* Pſal. 33. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum.* Spondet Deus Pſal. 31. 8. amico ſuo: *Firmabo ſuper te oculos meos.* Nabuchodonoſor commendat Nabuzardano Jeremiam, ut ſcilicet *oculos ſuos ponat ſuper eum*, & liberam permittat facultatem eundi, quocunque maximè tulerit voluntas *Jerem.* 39. 12. & 40. 4. Similes tamen loquendi phraſes interdum contrario planè ſenſu de ſeveritate ultionis uſurpantur: *Ecce oculi Domini ſuper Regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. Amos* 9. 8.

Familiaris etiam eſt phraſis: *Non parcet oculus tuus, & oculus tuus non parcit; oculus meus non pepercit Ezech.* 5. 11. & 8. 18. & paſſim; quòd forte oculus in iis rerum eventibus ſeu furorem ſeu pietatem, ultionem ſeu veniam, mitem vel ſeverum animum indicat; ut tantundem hæc valeant, ac ſi diceretur: oculi tui miteſcant vel irritentur pro aliquo vel in aliquem.

Oculum eſſe cæco, *Job* 29. 15. vel cæco oculi loco eſſe, phraſis eſt ſatis per ſe ſenſum ſuum indicans. *Oculi Regis* erant apud Perſas Præfecti Regii cenſus atque Ærarii curantes.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine Job 31. 1.; energica loquendi phraſis, quam explicatio extenuaret.

Servire ad oculum Epheſ. 6. 6. *Coloſſ.* 3. 22., mancipii eſt, quod ut agat unus timor impellit: *Servi ad oculum.*

Concupiſcentia oculorum 1. *Joan.* 2. 16., vel *deſiderium oculorum Ezech.* 24. 16. 21. 25., exprimit quidquid rerum novarum ſtudium, vanitas creaturarum, amor voluptatum, cupiditas quærit, pellectum pulchri, boni, jucundi, aſſentationem, ſuperbiam; uno verbo quidquid allicit oculos eorum, qui paſſionibus effrænibus aguntur.

Offenſiones oculorum, in Ezechiele 20. 7. 8. *Offenſiones oculorum ſuorum abjiciat.* Cavete, ait Propheta, ne Ægypti Idola oculos veſtros ſeducant; ſed *unuſquiſque abominationes oculorum ſuorum non projiciat.* Nihil ſibi denegaſſe affirmat Salomon Eccleſ. 2. 8. eorum, quæ oculi deſiderarent.

Elatio ſeu elevatio *oculorum*, eſt mentis tumor. Eccli. 23. 5. *Extollentiam oculorum ne dederis mihi.*

Stibio oculos ſuos pingebant fœminæ. Vide infrà *Stibium.*

Scribit Apoſtolus ad Galat. 4. 15. Illos vel oculos ſuos eruere paratos fuiſſe, cùm prædicationem ſuam Apoſtolus apud ipſos iniret; qua phraſi exprimit, vivida illâ energia, eorum ſtudium, & amorem gratique animi in ſe affectum. Contrario ſenſu Iſraelitæ, dum maximè in Moyſem furerent, exprobrabant illi, Num. 16. 14. *An oculos noſtros vis eruere?*

Aciem oculi appellabant Hebræi *nigram pupillam oculi*. Thren. 2. 18. *Ne taceat pupilla oculi tui*, ne ſcilicet quieſcas à plorando. *Cuſtodire ut pupillam oculi Deut.* 32. 10., eſt theſaurum cuſtodire. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei Zachar.* 2. 8.; quæcunque mihi chariſſima ſunt, ea lædit, qui vos tangit.)

ODAIA, ex Levitarum familia. 2. *Eſdr.* 4. 5.

ODAVEN, Bacchidi fœderatus, hoſtis Judæorum, qui cum aliis fœdere junctis cum Syris ab Jonatha Machabæo interfectus eſt (c).

ODAVIA, Levita, pater Cedmihel, qui è captivitate Babylonis reverſus eſt. 1. *Eſdr.* 2. 40.

I. ODED, pater Prophetæ Azariæ, quem vetera quædam Biblia, & Concordantiæ Latinæ *Obed* appellant. Vide *Obed IV.* & 1. *Par.* 15. 1.

(a) 4. Reg. 8. 28. & 9. 21. &c. 2. Par. 22, 2. &c. An. M. 3120. ante Ch. 880. ante Ær. 884.
(b) Prov. 22. 6. & 23. 9. Matth. 20. 15. Rom. 12. 8. & 2. ad Cor. 8. 2. & 9. 11. &c. Eccli. 14. 8. &c.
(c) 1. Mach. 9. 66. A. M. 3846. ante Ch. 154. ante Ær. 158.

II. ODED, Propheta Domini (a), qui tunc Samariæ morans, cùm 10. Tribuum Iſraëlitæ, & Phacee eorum Princeps, 200000. filiorum Juda in captivitatem adduxiſſent, illis obviam progreſſus, illis crudelitatem ſuam exprobravit, qua traditos ſibi à Domino Iſraëlitas ex Tribu Juda occiderunt; nec his contenti, Judam & Jeroſolymam ſibi ſubdere meditabantur. Hortatus tandem eſt, ut captivos reducerent, ne vindicem Dei furorem experirentur. Eadem ducti ſententia nonnulli Samariæ Primates Prophetæ adhærentes, populum increpantes, obſtiterunt, ne captivos in urbem inducerent.

His perterriti minis Iſraëlitæ, captivos dimiſerunt, quibus Samariæ Primates veſtes, cibos, & quidquid opus fuerat, erogantes, cùm plerique tot incommodis attriti, impares eſſent itineri, equos ſuffecerunt, eoſque Jerichuntem uſque in Judæ ditionem comitantes, reduxerunt. Præter hæc nihil novimus de Propheta *Oded*.

(ODIO HABERE. Non ſemper ad literæ rigorem uſurpatur, ſæpè enim minus aliquid amoris deſignat. *Nemo ſervus poteſt duobus Dominis ſervire; aut enim unum odiet, & alterum diliget Lucæ* 16. 13.; ſervitium alterutrius negliget, alteri verò adhærebit? Salomon Proverb. 13. 24. *Qui parcit virgæ odit filium*. Sæpè pater nimio in filium amore ad veniam illi indulgendam inclinatur: ſed hoc non eſt filios juſto amore diligere, ſi meritæ pro crimine pœnæ non ſubjiciantur. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram odioſam*; minùs ſcilicet amatam. In hunc ſenſum monet Jeſus Chriſtus, ut qui ſuæ ſe addicit ſequelæ, odio habeat patrem ſuum ac matrem *Lucæ* 14. 26.; i. e. minus illos præ ſalute ſua ac Deo amet. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam Pſal.* 10. 16. Apoſtolus *Epheſ.* 5. 29. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit*; ſeipſum ſcilicet, vitam ſuam, parentes &c.)

ODOIA, 1. *Par.* 5. 24. ex Tribu Manaſſis, animi robore præclariſſimus.

ODOLLAM, *Odullam*, vel *Adullam*, urbs Tribus Juda (b). Juxta Euſebium *in locis*, ſita eſt ad Orientem duodecim milliaribus ab Eleutheropoli. Quare conſtituta erat in parte meridionali Tribus Juda ad mare mortuum. Joſue Regem *Odullam* interfecit *Joſue* 12. 15. David autem à Saule profugus, in ſpelunca *Odullam* delituit. 1. *Reg.* 22. 1. 2. *Reg.* 23. 13.

(ODOR. *Odioſum me feciſtis*, (Hebr. *mali odoris*) *Chananeis*; vel olere me feciſtis malè apud gentes illas, verba ſunt Jacob ad filios authores cædis Sichemitarum *Geneſ.* 34. 30. Querebantur Iſraëlitæ de Moyſe & Aarone *Exodi* 5. 21.: *Fætere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone*. Hæc loquendi phraſis recurrit ſæpiſſimè in Textu Hebræo; quod S. Hieronymus in ſua Verſione æquivalentibus reddidit. Contrario ſenſu Apoſtolus 2. Cor. 2. 16. ſcribit: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam*.

In ſacrificiis veteris Legis nidor immolatarum victimarum veluti gratiſſimus Deo exhibetur *Geneſ.* 8. 21.: *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*, Exod. 29. 18. *Odor ſuaviſſimus victimæ Domini*. Ita pariter & de precibus ſcriptum eſt: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Pſal.* 140. 2. Viginti quatuor Seniores exhibent Apocal. 5. 8. *Phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*.

Odor ignis Judic. 15. 14. & 16. 9. *Dan.* 3. 94. valet etiam interdum ac flamma aliquid abſumens; e. g. *Quomodo ſi rumpat quis filum ſtupæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit*. Et; *Sicut ſolent ad odorem* (aliter, ad ardorem) *ignis ligna conſumi*. In Daniele *odor ignis* deſignare videtur veſtes trium juvenum projectorum in fornacem nihil paſſas fuiſſe ab igne: *Quod odor ignis non tranſiſſet per eos*.)

OG, Rex Baſan, ſive illius regionis terræ promiſſæ, quæ ſita eſt ultra Jordanem, & ad Orientem reſpicit montes Galaad, Jordanem ad Occidentem, ad Septentrionem Libanum & montes Hermon, & torrentem Jabok ad meridiem. Og gigas fuit ex progenie Rephaim, cujus quanta fuerit proceritas, ab ejus lecti amplitudine colligi poteſt, qui apud Ammonitas in urbe Rabbath eorum Metropoli diu manſit. *Deuter.* 3. 11. Novem cubitis, ſeu pedibus quindecim, & unciis quatuor cum dimidia longitudinem, quatuor verò cubitis, ſeu pedibus ſex, & unciis decem, latitudinem protendebat. Ferunt Rabbini, Og unum fuiſſe ex gigantibus, qui vixerant ante diluvium, ſumque in tectum Arcæ Noe conſcendiſſe, ut ab univerſalibus undis ſe vindicaret: Noe verò aliquid ei in cibum dediſſe, non ejus calamitatis pietate, ſed Dei gloriæ cupidine tactum, cujus potentiam in talibus delendis monſtris poſteri mirarentur.

Cùm bellum ageret adversùs Iſraëlitas, 6000. paſſuum latitudinis montem ſuſtulit, eundem in caſtra Iſraëlis demiſſurus, ut uno ictu aciem omnem contereret: Deus autem cùm permiſiſſet, ut formicæ montem foderent, ea parte, qua gigantis capiti incubabat, mons ita confoſſus ſuper Og collum deſcendit, & ipſum tanquam torques circumſtitit. Tum ejus dentes illicò eo uſque increverunt, ut altè in monte infixos nulla vi divellere potuerit: quare eum Moyſes talo vulnere inflicto nullo negotio interfecit. Hæc Rabbini (c). Adduñt Rabbini, eam fuiſſe hujus gigantis proceritatem, ut Moyſes, cujus altitudo per ipſos ſex ulnas abſolvebat, ejuſdem altitudinis arrepta ſecuri, opus adhuc habuerit totidem ulnarum ſaltum elicere, ut ad Og talum tantummodò vulnerandum perveniret. Inter libros apocryphos, quos reprobat Decretum Gelaſii, quidam recenſetur, inſcriptus: *Gigas Ogias, qui vixit antè diluvium, quem dicebant hæretici contra Draconem decertaſſe*.

At hæc inania omittamus, & ad ea, quæ de hoc gigante ex hiſtoria accepimus, revertamur. Victo Sehon (d) Rege Amorrhæorum, Moyſes in regionem Baſan venit, cujus Rex Og contra ipſum egreſſus, uſque Edrai pervenit, ibique cum Iſraëlitis congreſſus, una cum liberis ſuis, & populis interfectus eſt, ita ut ne unus quidem ſuperſtes remanſerit. Quare Moyſes ejus imperio potitus eſt. Og, & Sehon tantummodò Moyſi obſtitere. Eorum regiones Tribubus Gad & Ruben, & dimidiæ Tribui Manaſſis ceſſere.

OHAM, Rex Hebronis, unus ex 5. qui ad obſidendam Gabaonem ſe contulere An. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451. *Joſue* 10. 1. Poſt cladem captus, jubente Joſue, interfectus, & ſuſpenſus eſt.

OHOL, filius Zorobabelis, nepos Iſaiæ 1. *Par.* 3. 20.

OHOLAI, filius Seſan, 1. *Par.* 2. 31.

OHOLI, unus ex Davidis fortiſſimis. 1. *Par.* 11. 41.

OHOLIBAMA, uxor Eſau: Vide *Oolibama*.

(OLEUM. Corpus ac potiſſimùm caput oleo foviſſe Hebræos conſtat; ſicut etiam ſcitum eſt inter omnes, oleo initiatos fuiſſe apud illos, Reges ac Summos Sacerdotes; qua de re vide V. *Unctio*.

Eminentem quendam locum fœcundum & optimum appellat Iſaias 5. 1. Cornu filius olei. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*: Et cap. 10. 27. *Computreſcere faciam jugum à facie olei*; nempè olei affuſione computreſcet, linietur jugum. Summus Sacerdos Jeſus, & Princeps Zorobabel, quod ambo ſancta unctione erant inaugurati, appellantur Zachariæ 4. 14: *filii olei*. Cùm res ſuæ florerent, vel petras ipſas ſtillaſſe ſibi oleum affirmat Job. 29. 6.

Oleum lætitiæ Pſalm. 44. 8. & *oleum gaudii* Iſai. 61. 3.

(a) 2. Par. 28. 9. An. M. 3263. ante Chr. 737. ante Ær. 741.
(b) Joſue 12. 15. 2. Par. 11. 7. 2. Mach. 12. 38.
(c) Vide Targum filii Uziel. in Geneſ. 14. 13. & Num. 35. 21. & Morin. Exercit. l. 2. Exercit. 8. c. 2.
(d) Num. 21. 33. An. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451.

61. 3. erant balſama, quibus fovebant ſe homines ſolemnibus per annum diebus. Moyſes Deut. 32. 13. id effeciſſe Deum, ut populus ſuus ſugeret mel de petra oleumque de ſaxo duriſſimo; afflueret ſcilicet, non rebus tantùm neceſſariis, ſed & voluptuoſis. Monet Jeſus Chriſtus Matth. 6. 17. ut cùm jejunamus, ungamus caput noſtrum, & faciem lavemus, quò ſcilicet in jejunio affectatio omnis evitetur. *Mentietur opus olivæ Habacuc* 3.; deerunt in olivis fructus. (Virgines fatuæ, Matth. 25. 8. neglexerunt providere ſibi oleum, alendis lampadibus (a). Edicit S. Jacobus 5. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, ungentes eos oleo in nomine Domini.* Vide v. *Extrema unctio.*

OLIVA ARBOR, duplicis eſt generis, ſativa nempe ac ſylveſtris, quam utcumque non obſcurè diſtinguit Apoſtolus, Rom. 11. 24. *Tu ex naturali exciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus in bonam olivam:* naturalis oleaſter eſt olivæ arbor ſylveſtris & non ſativa mediæ eſt magnitudinis, noduſo ſtipite, tereti cortice ac cinereo, lignum verò ſolidum ſubflavum exhibet. Folia præfert oblonga, ſalicinis non diſſimilia, virentia, ſubobſcura exterius, ſubtus verò albeſcentia. Menſe Junii flores expandit albentes in racemos diſpoſitos; flos eſt autem unico folio expanſo in ſuperiori, atque in partes quatuor abſciſſo. Succedit flori oblongus & carnoſus fructus, qui primò viridis, degenerat in pallidum, tandem in atrum cùm matureſcit. Recondit intùs nucleum ſolidum, tegentem ſemen oblongum. Sylveſtris olea in eo tantùm à ſativa differt, quòd minutiora omnia præfert.

Dimiſſa à Noe columba redux in Arcam detulit germen quoddam olivæ virens cum foliis *Geneſ.* 8. 11., indicium liberatæ terræ ab aquis diluvii. Ex oliva parari juſſit Salomon ſimulacra Cherubim in Templo Jeroſolymitano 3. *Reg.* 6. 23. 33.; ex oliva item fores ſeparantes Sanctum à Sanctuario. Comparat Eliphaz impjum vineæ, quæ primo vere exuitur flore, & olivæ cujus acerbi flores decidunt, ſpemque omnem adimunt fructuum, *Job.* 15. 33. Ex oliva ſæpè trahunt ſimilitudines Sacri Scriptores. *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ Pſal.* 127. 3. Author Eccleſ. 24. 19. comparat Sapientiam *plantationi roſæ in Jericho, & olivæ ſpecioſæ in campis.* Simonem filium Summi Sacerdotis Oniæ comparat olivæ pullulanti. *Eccli.* 50. 11. Eſt Judas, ait Jeremias 11. 16. tanquam ſpecioſa quædam oliva, uberrima, fructifera, ſed, ait, *grandis exarſit ignis in ea.*)

OLIVETUM. Mons Oliveti ſitus eſt ad Orientem Jeroſolymæ, à qua ſolius torrentis Cedron, & Vallis Joſaphat, quæ à ſeptentrione ad meridiem protenditur, intervallo ſejungitur. Hic Salomon Idolis Ammonitarum, & Moabitarum Templa extruxit, ut ſuis earumdem nationum uxoribus indulgeret, 3. *Reg.* 11. 7. Hinc mons iſte vocatus eſt mons corruptionis (b), quo Joſephus *Antiq. l.* 20. *c.* 6. *de bello c.* 3. à Jeroſolyma quinque ſtadiis geometricis, nempe 625. paſſibus abeſſe ſcribit, ſeu itinere diei Sabbathi, ut meminit D. Lucas, *Act.* 1. 12. Tribus cacuminibus Olivetum aſſurgit, ſeu ex tribus veluti montibus conſtituitur, quorum alter alterum conſequitur à ſeptentrione ad meridiem. Ab eo, qui utrique medius interponitur, Jeſus ad Cœlos aſcendit. In meridionali Salomon Templa Idolis erexit; ſeptentrionalis verò utroque eſt elatior; diſtat à medio duobus ſtadiis, vocaturque ut plurimùm Galilæus (c).

Ozia imperante (d), Mons Oliveti vehementi terræmotu ita concuſſus eſt, ut ejus dimidium ad Occidentem vergens revulſum, & per quatuor ſtadia, ſeu paſſus quingentos revolutum, objectu demùm Orientalis è regione oppoſiti montis conſtiterit, vias publicas ruina obſtruxerit, & regios hortos omninò oppreſſerit. Vide Itineraria recentiora, & præcipuè Joannis Cotovic, ut hodiernam Montis Oliveti conſtitutionem noſcas.

Poſtquam Dominus hinc Cœlos aſcendit, Olivetum cultus, & Chriſtianæ pietatis argumentum evaſit. Refert Euſebius *de Vita Conſtant. l.* 3. *c.* 43. in Aſcenſionis loco, nempe in ſublimiori Oliveti cacumine, ſpeluncam extitiſſe, in quam certiſſima traditione Dominus ingreſſus credebatur, ut Diſcipulis ſuis præclariorum myſteriorum communionem impertiretur, ſive per hæc verba accipienda ſit Euchariſtia, qua ſuam ante Aſcenſionem eos refecit; ſive convivium, cui unà cum ipſis accubuit, *Act.* 1. 4. ſive denique peculiare aliquod intelligendum ſit documentum, quo ibi eos inſtituit. A Patribus accepimus, eo in loco, ex quo Dominus in Cœlos aſcenderat (e), ſacra ejuſdem Domini telluri adeò hæſiſſe veſtigia, ut eorum ætate adhuc ſupereſſent, quamvis pietate, & animo devoto ducti Chriſtiani telluris illius quidquam quotidie aſportarent. Quo factum eſt, ut illud Zachariæ 14. 4. compleretur: *Stabunt pedes ejus in die illa ſuper montem Olivarum.*

Helena, Conſtantini mater, præclarum Aſcenſionis Templum ea ſtructione erexit (f), ut Aſcenſionis locus ejuſdem Templi centrum conſtitueretur, cùmque marmoribus pavimentum inſterneret, locus ille ſterni non potuit; ſiquidem quæcumque applicabantur, protinus tellus indignata ſemper excuſſit. Extat adhuc Chriſti Domini veſtigium ſiniſtrum tribus digitis in lapide altè effoſſum; lapis autem, cui hæſerat dextrum, belli ſacri tempore, inde, ut ajunt, ſublatus, eo in Templo collocatus fuit, quod modò præcipuam Turcis Moſchæam conſtituit; ubi adhuc ſervari dicitur; quo tamen nullus Chriſtianis aditus patet. Pluries Hieronymus (g) meminit ingentis Crucis in Oliveto erectæ, quæ & procul proſpiciebatur. Addit prætereà (h), cùm Templi concameratio conſtrueretur, nunquam potuiſſe aditum illum lapidibus intercludi, per quem Dominus cœlos conſcenderat: quamobrem teſtudine undique obſtructa, ea parte patens Templum remanſiſſe. Altè nimis in monte Chriſti veſtigia fuiſſe effoſſa, & eorum locum quàm maximè Chriſtianis cognitum fuiſſe oportet; licèt enim (i) Tito Jeroſolymam obſidente, decima Romanorum Legio in Oliveto caſtra locaverit, fieri tamen minimè potuit, ut Domini veſtigia, vel eorum memoria delerentur.

OLLA, ex Tribu Aſer, pater Arei, Anielis, & Rheſiæ. 1. *Par.* 7. 39.

OLON, urbs Tribus Judæ, *Joſue* 13. 51. Vide *Olon*, *Joſue* 21. 15. & *Helon*, 1. *Par.* 5. 64. Urbs eſt Sacerdotalis, quam Hebræi Colon vocant.

OLURUS, Idumææ pagus, ad meridiem Judæ (h).

OLYMPIAS, quatuor annorum periodus. Plerumque Græci per Olympiades annos recenſent; quem morem amplexi ſunt præſertim ab Olympiade vigeſima ſeptima, qua Corœbus in Olympiis triumphavit, annis nempè 108 poſtquam ea Iphitus inſtauraverat. Nullum olim ſtudium eorum nomina recenſendi, qui in agonibus olympicis vicerant: Timæus autem, qui Ptolemæo Philadelpho regnante vivebat, primus fuit, ut putant, qui ſuis hiſtoriis Olympiades intexuerit. Hunc ſequuti ſunt Polybius, & Eratoſthenes.

(a) Vide Lampas. (b) 4. Reg. 23. 13. Vulg. *mons offenſionis*. Alii, *mons corruptionis*.
(c) Vide Reland. Palæſt. t. 2. p. 338. (d) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 11.
(e) Vide Hieronym. ſeu alium in loca Act. Apoſt. c. 3. Sulpit. Sever. l. 2. hiſt. c. 48. Paulin. Epiſt. 2. Optat. l. 6. p. 95. Auguſt. in Jo. hom. 47. Beda loc. Sanct. c. 7. t. 3.
(f) Euſeb. de Vit. Conſtant. l. 3. c. 43. Paulin. Epiſt. 2. Sulpit. Sever. l. 2. c. 48. Hiſt. Eccl.
(g) Hieronym. in Epitaph. Paulæ, & alibi.
(h) Idem loc. in Actis. Vide & Bedam de locis ſanctis c. 7.
(i) Joſeph. lib. 6. c. 3. de bello. (k) Joſeph. de Bello l. 5. c. 7.

Veteres verò accuratam annorum Chronologiam negligebant (a).

Olympia, quæ quarto quolibet anno maxima populorum Græciæ frequentia inſtaurabantur, celebrari cœperunt A. M. 3120. ante Ch. 880. ante Ær. 884. Ut plurimùm tamen recenſentur ab Olympiade vigeſima ſeptima, qua in ſtadio vicerat Corœbus A. M. 3228. ante Ch. 772. ante Ær. 776. Hæc propriè eſt Hiſtoriarum Epocha apud Græcos; antea enim eorum Hiſtoriæ pluribus commentitiis vitiabantur (b). Nullibi planè Olympiadis nomen in Scriptura, eo ſenſu de quo modo egimus; ſed ejus adeò fræquens eſt ſermo, cùm de Chronologia verba fiunt, ut eam hic inſerere duxerimus neceſſarium. In Machabæorum Libris tempus ſupputatur juxta Aeram Seleucidarum, aut Græcorum, cujus initium, aut vere anni 3692. juxta primum Machabæorum, vel autumno ejuſdem anni, juxta ſecundum. V. *Anni Græcorum*, vel *Aera Seleucidarum*.

OLYMPIAS, ſive *Olympas*. D. Paulus ad Romanos 16. 15. *Salutate Olympiadem*. Vir erat fidei, pietatis, & virtutis ampliſſimæ, cujus vitæ geſta nos latent. Ejus dies feſtus à Græcis agitur 10. Novembris (c) à quibus etiam fertur eadem die, qua Petrus Romæ crucifixus, ei fuiſſe caput abſciſſum.

OLYMPICUS, *Jupiter Olympicus*. Jovem, & alia numina Græci ſæpè vocant locorum nomine, quæ vel celeberrima illis Templa erexerant, vel præcipuum cultum exhibebant. Quamobrem Jupiter dicitur *Idæus*, quòd in monte Ida fuerit educatus; *Cretenſis*, quòd in Creta inſula editus, & ſepultus; *Capitolinus*, quòd in Capitolio ipſi Templum extruxerunt; *Tonans*, quòd edat tonitrua; *Hoſpitalis*, quod præfuerit hoſpitalitati; ſic de cæteris. In Templo Jeroſolymitano ab Antiocho Epiphane Jovis Olympici ſimulacrum erectum, 2. *Mach*. 6. 2. & 1. *Mach*. 1. 62. inde poſt tres annos (d) ab Juda Machabæo, qui & Templi Sanctitatem inſtauravit, dirutum. Hoc Idolum *abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto* Daniel 9. 27. appellavit. Eodem tempore in ditione Samariæ idem Jupiter ſub nomine *Jovis hoſpitalis* in Templo Garizim collocatus fuit (e). Refert Joſephus *Antiq. l.* 12. *c.* 7. Samaritas Garizitanum Templum Antiocho ſpontè obtuliſſe, ut *Græcanici Jovis* nomine vocaretur.

OMAR, natu ſecundus Eliphas, nepos Eſau. *Gen.* 36. 11. & 15.

(ON urbs Ægypti. Legitur in Vulgata ſed non in Hebræo. Vide *Heliopolis*.)

ONAN, filius Judæ, nepos Jacobi. Thamar ab Juda nuptui tradita Her filio ſuo natu majori, eoque abſque liberis mortuo, Judas natu ſecundo Onan Thamar deſpondit, ut fratris nomen reſtitueret, eique liberos procrearet. Onan verò ægrè ferens, quòd naſcituri filii fratris, non ſui, habendi forent, nefando opere Thamar à conceptione prohibuit. Cujus ſceleris pœnas repoſcens Dominus, eum interfecit (f); qua tamen morte, latet: credibile quidem, quòd inſueto affectum morbo è vivis abſtulerit. Ab apocrypho duodecim Patriarcharum Teſtamento habemus, Onan per annum cum Thamar commoratum, à conjugali debito ſemper abſtinuiſſe; monitum deinde ab Juda, cui Thamar rem lugens aperuerat, matrem ſuam Chananæam conſuluiſſe, cujus ipſi Thamar infeſtæ conſilio, infando ſcelere uxoris conceptionem avertit; quare divinitùs morbo affectus interiit.

ONESIMUS, Phrygius, ſervus Philemonis, ultimò Pauli Diſcipulus. Hic à Domino, cui & quædam ſubripuerat, profugus (g), anno 61. Æræ Romam ſe contulit. Cùm autem gloria clari nominis D. Paulum agnoſceret, (herus enim illius Philemon Chriſti legem profitebatur) omni ſtudio conquiſitum, tandem carcere detentum invenit; eique fugam ſuam faſſus, quidquid vel opis vel obſequii ipſe Philemon præſtitiſſet, per ſe ipſum præſtitit. Divus Paulus verò humaniter exceptum, ſimul & furti & fugæ increpatum, Fidei deinde imbutum myſteriis, & baptiſmate ablutum, ad Philemonem remiſit cum Epiſtola, quæ inter Canonicas ab Eccleſia recenſetur. Iis autem pietatis, Religionis, amicitiæ, aliiſque argumentis ad ſervum cum Domino conciliandum eam inſtruxit, ut in eloquentiæ ad perſuadendum exemplar proponi poſſit. Philemon ea perlecta, Oneſimum non ut ſervum, ſed ut amicum, & fratrem excepit, quem paulò poſt ad D. Paulo miniſtrandum iterum Romam remiſit. Ejus autem miniſterium à Paulo adhibitum fuiſſe conſtat, nam Oneſimus quaſdam ab eo tunc conſcriptas Epiſtolas detulit, illam, exempli gratia, quam Paulus adhuc in vinculis miſit ad Coloſſenſes, anno Chr. 62.

Eo poſt tempore Oneſimus Evangelicis miniſteriis ſe totum addixit. Apoſtolorum Conſtitutiones *l.* 7. *c.* 46. eum Berœæ in Macedonia Epiſcopatu à D. Paulo inſignitum tradunt. A' Martyrologiis Apoſtolus vocatur & Martyr. Poſt D. Timotheum ad Epheſi Epiſcopatum à Paulo evectus eſt, juxta Martyrologium Romanum; & hunc eſſe adducunt alii, de quo veluti de ſedente ad gubernium Epiſcopatus Epheſi anno Chr. 107. S. Ignatius Martyr loquitur, cujus tamen ſententiæ validum nullum eſt argumentum (h). Ejus dies Feſtus, qui à Græcis agitur 15. Decembris, à Romano Martyrologio diei 16. Februarii addicitur, à quo etiam fertur poſt D. Timotheum Epheſi Epiſcopatu aſſumpto, eique prædicationis munere à S. Paulo impoſito, Romam inter vincula deductus, ibique pro Chriſti Fide lapidibus obrutus. Ejus corpus Romæ primo ſepultum, Epheſum deinde delatum eſt.

ONESIPHORUS, de quo S. Paulus (i), ab Aſia profectus, ubi quàm maximè Eccleſiæ inſervierat, Romam venit, & S. Paulo tunc temporis in carcere detento, & ferè ab omnibus derelicto vehementer profuit; quamobrem ſibi, ſuæque domui ejuſdem Apoſtoli benedictionum cumulum eſt conſequutus. Ejus Feſtum diem Græci agunt 29. Aprilis, & 8. Decembris, primò Colophonis in Aſia, deinde Cæſareæ Epiſcopum vocant, quin tamen cujnam Cæſareæ præfuerit, exhibeant: inſuper inter 70. Domini Diſcipulos eum enumerant, & videntur etiam Martyrem appellare. De Oneſiphoro Martyrologium Romanum hæc habet, die 6. Septembris: *In Helleſponto S. Oneſiphori..... qui ibidem unà cum S. Porphyrio juſſu Adriani Proconſulis acriter verberatus, & à ferocibus equis raptatus ſpiritum Deo reddidit.*

I. ONIAS I. Judæorum Pontifex, ſucceſſit patri ſuo Jeddoæ (k), ſive Jaddo, & annis viginti Hebræorum Rempublicam geſſit (l). Simonem, & Eleazarum procreavit. Poſt Oniam Simon Juſtus Pontificatum geſſit.

II. ONIAS II. filius Simonis Juſti, Pontifex Judæorum, qui quòd tenera adhuc eſſet ætate, ſtatim poſt patrem, anno 3712. vita functum, Pontificatum non aſſumpſit, quem proinde ſuſcepit ejus patruus Eleazar, cui poſt annos 30. anno nempe 3744. mortuo, non Onias II. ejus nepos, & legitimus hæres ſucceſſit, ſed avi frater Manaſſes, qui Pontificatu occupato anno 3745. obiit anno 3771. Tunc tandem Onias II. ea dignitate potitus, ab anno 3771. uſque ad 3785. ante Ch. 215. ante Ær. 219. Pontificatum geſſit.

15.

(a) Marsham. Can. Ægypt. ſæc. 15. (b) Vide Cenſorin. libel. de die natali.
(c) Menæa pag. 147. 150. 155. (d) Ab anno 3837. uſque ad 3840. ante Chr. 150. ante Ær. 154.
(e) Vide 2. Mach. 6. 2. (f) Geneſ. 38. 6. &c. Quo anno hæc evenerint, incertum.
(g) Ep. ad Philem. ℣. 18. Chryſoſt. Prolog. (h) Vide Tillemont. not. 70. in S. Paulum,
(i) Vid. 2. ad Timot. 1. 16. & Theodor. in 2. Timoth. A. Chr. 65.
(k) Joſeph. Antiq. l. 11. c. ultim. ad finem.
(l) Ab A. M. 3682. ad 3702. a. 37. ante Chr. 298. ante Ær. 302.

lis, inquit Joſephus *Antiq. l.* 12. *c.* 3. & 4. puſillanimis erat, atque adeò avarus, ut in diſcrimen patriam ſuam adduxerit; cum enim ejus majores Ægyptio Regi 20. talenta penderent, renuit ipſe ſolvere illud vectigal, quod ad Gallicam pecuniam redactum (pro quolibet talento 2400. libras intellige) 48000. libris reſpondet.

Ptolemæus Evergetes iratus, miſſo Jeroſolymam legato, minitatus eſt Oniæ, ni penderet vectigal, ſe Judæam militibus ſuis ſe diviſurum, & novas Colonias eò deducturum: quibus auditis territi quidem ſunt Judæi; Onias tamen omnia contempſit. Quare Joſephus Tobia patre natus e ſorore ejuſdem Pontificis, Oniam induxit, ut ſe ad Ptolemæum Ægypti Regem Legatum mitteret: quo ſuſcepto munere, ubi ad Regem pervenit, ejus unà & Reginæ animos ita ſibi comparavit, ut quæcumque voluit, impetraverit. Palæſtinæ, & Syriæ vectigalia ſibi conduxit, & duplo plus quàm cæteri licitatores, Regi numeravit.

Oniæ II. Simon II. ejus filius ſucceſſit, anno 3785. Hunc putant nonnulli illum eſſe Oniam II. quem commendat Jeſus filius Sirach, & cap. 1. Simonem appellat; & ad quem Lacedæmones Epiſtolam miſere, cujus meminit Joſephus *Antiq. l.* 12. *c.* 5. quam tamen alii ſatiùs ad Oniam III. de quo mox infra, pertinere arbitrantur.

III. ONIAS III. Simonis II. filius, Pontifex conſtitutus (a). Joſephi Hiſtoria de Oniæ III. ſucceſſione longè alia eſt ab ea, quæ Libro ſecundo Machabæorum recenſetur. Simon Pontifex, inquit Joſephus tres ſibi filios, *Oniam* nempè *III. Jaſonem*, ſeu *Jeſum*, & *Oniam*, ſeu *Menelaum*, procreavit. Oniæ III. defuncto, ſuperſtes fuerat ejus filius Onias, cujus tenera ætas cum Summo Sacerdotio impar eſſet; Rex Antiochus Epiphanes Jaſonem, Oniæ III. fratrem, conſtituit Pontificem, in quem brevi ira commotus, eam dignitatem ipſi ereptam, in Menelaum alio nomine Oniam, contulit. Ita factum eſt, ut quilibet Simonis Juſti filius Pontifex fuerit: duobus tamen ultimis Pontificatum gerentibus, injuria Oniæ IV. ex patre Onia III. ad quem ſucceſſionis jure Sacerdotium devenerat. Ita Joſephus.

Rem tamen aliter narrat Secundus Machabæorum 3. 1. Sub Onia III. Pontifice Heliodorus a Rege Seleuco miſſus Jeroſolymam venit, ut inde Templi theſaurum aſportaret; a quo ſcelere ab Angelis Judæorum adjutoribus prohibitus, deſtitit A. M. 3828. ante Chr. 172. antè Ær. 176. Inde Onias a quodam Simone ad Regem Syriæ tanquam patriæ proditor, delatus, Antiochiam ſe contulit, ut in ſe ipſum congeſta dilueret. Interea mortuo Seleuco, frater ejus Antiochus Roma regrediens, Regnum cepit A. M. 3829. ante Chr. 171. ante Ær. 175. ad quem progreſſus Jaſon Oniæ frater ei pecuniam obtulit, ut Pontificatum ſibi traderet: eoque ſic comparato, Jeroſolymam rediit, Onia interim Antiochiæ degente, quin poſſet apud Regem jus ſuum vindicare.

Triennio poſt A. M. 3831. ante Chr. 169. ante Ær. 173. Menelaus Simonis frater (qui nec Jaſonis, nec Oniæ frater dicitur) ab Jaſone Antiochiam miſſus, ut Regi pecunias deferret, cumque de rebus gravibus conſuleret, Epiphanis animum in ſe ita convertit, ut ei 300. talenta præ iis, quæ Jaſon dederat, Regi numerans, ſibi Pontificatum comparaverit. Quare Jaſon à Sacerdotio amotus, in Ammonitarum regionem compulſus, aufugit. Cum verò Menelaus pecuniam, quam ſpoponderat, ſolvere non poſſet, eam dignitatem amiſit, quæ in ejus fratrem Lyſimachum collata eſt. Hæc inter, citato curſu in Ciliciam progrediens, ut quorumdam urbium à ſe deficientium tumultum cohiberet, Andronicum pro ſe Antiochiæ præfecit: qui à Menelao pecuniæ vi eò eſt deductus, ut Oniam III. legitimum Judæorum Pontificem ex Daphnes aſylo per fraudem eduxerit, & perjurus interfecerit (b). Quamobrem non modò Judæi, ſed etiam Ethnici ſe ad iram concitati, apud Regem è Cilicia regreſſum, conqueſti ſunt, qui Oniæ prudentiæ & cæterarum virtutum memor, à lachrymis minimè abſtinuit, juſſitque Andronicum ſummo dedecore per Urbem trahi, ibique interfici, ubi Oniam interemerat.

Rarò invenies, quos Scriptura æquè ac Oniam III. commendaverit. Huic Lacedæmonum Rex Arius Epiſtolam miſit 1. *Mach.* 12. 20. (c) *Arius Rex Lacedæmonum Oniæ Sacerdoti magno ſalutem. Inventum eſt in Scriptura de Spartiatis, & Judæis, quoniam ſunt fratres, & quòd ſunt de genere Abraham. Et nunc, ex quo hæc cognovimus, benè facitis ſcribentes nobis de pace veſtra.* Jonathas Machabæus Legatis Romam anno 3860. miſſis, mandavit, ut ſe regredientes ad Lacedæmones ſe conferrent, & cum eis fœdus renovarent, quod cum Romanis renovaverant (d): Epiſtolæ autem, quam Lacedæmonibus ſcripſit, prædictam Arii inſeruit. Hanc etiam refert Joſephus *Antiq. l.* 12. *c.* 5. mutatis tamen phraſi, atque periodo. Quoad Lacedæmonum, & Judæorum cognationem videtur ſuo loco, *Lacedæmones*, & Diſſertatio, quam præpoſuimus Libro primo Machabæorum. En Elogium, quo Machabæorum ſecundo 3. 1. commendatur Onias III. *Cùm Sancta Civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala; fiebat, ut & ipſi Reges, & Principes locum ſummo honore dignum ducerent, & Templum maximis muneribus illuſtrarent; ita ut Seleucus Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium Sacrificiorum pertinentes.* Videantur etiam, quæ dicuntur, Machabæorum ſecundo 15. 12. ubi Onias unà cum Propheta Jeremia per quietem apparuit Judæ Machabæo, cui & Jeremias aureum gladium tradidit.

(Datas ad iſtum diximus in Dictionario literas ab Ario Rege Lacedæmoniorum, quas literas habes recitatas, 1. Mach. 12. Sed v. *Lacedæmones* retulimus argumenta; quibus ſententia hæc in dubium revocatur, inſinuaturque referendum id potius in Oniam I. filium Simonis.)

IV. ONIAS IV. & Oniæ III. filius, qui à patrio tum Jaſonis & Menelai ambitu, & à Regis Syriæ injuſtitia prohibitus, Pontificatum nunquam eſt conſecutus, Menelao tamen mortuo eò ſe perventurum ſperabat: quo tandem (e) Regis juſſu interfecto, & ab Eupatore Antiocho, *Alcimo* ſeu *Jacimo* ex genere quidem Aaronis, non tamen ex domo Oniæ, ad Pontificatum aſſumpto, Lyſia denique Syriæ Præfecto Antiochum ſuadente, ut ab ea domo Pontificatum auferret (f), ſpe omni deſtitutus ad Ptolemæum Philometorem Ægypti Regem ſe contulit A. M. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162. cujus, unà & Reginæ Cleopatræ ejus uxoris, animum ita ſibi devinxit, ut vero Deo in Regione Heliopoleos Templum extruendi facultatem impetraverit (g). Templum hoc dictum eſt *Onion*, de quo nos infra v. *Onion*.

Libro ſecundo contra Appionem refert Joſephus, Ptolemæum Philometorem, & Cleopatram ejus conjugem eam ſpem, & amorem in Onia, & Doſitheo Judæis collocaſſe, ut totius exercitus imperium eis demandaverint. Mortuo autem Rege Philometore, cùm Cleopatra filio ſuo adhuc infanti legitimo hæredi Regnum ſervare vellet, Ptolemæus verò Evergetes, aliter *Phyſcon*, ei obſiſteret, Oniam Regina adhibuit, ut obſi-

(a) Antiq. l. 12. c. 4. ad finem. A. M. 3805. ante Ch. 195. ante Ær. 199.
(b) 2. Mach. 4. 32. &c. A. M. 3834. ante Ch. 166. ante Ær. 170.
(c) A. M. 3817. ante Ch. 183. ante Ær. 187. (d) 1. Mach. 12. 5. &c. A. M. 3860. ante Ch. 140. ante Ær. 144.
(e) 2. Mach. 13. 4. Joſeph. Antiq. l. 12. c. 15. A. M. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162.
(f) Antiq. l. 12. cap. 15. & l. 20. c. 8.
(g) Templum hoc extructum fuit multo poſt anno ſcilicet 3854. ante Ch. 146. ante Ær. 150.

obſiſtentis vim refringeret. Quare Onias quorumdam Judæorum exercitu inſtructus, Alexandriam ſe contulit, in eaque excitatam ſeditionem cohibuit. Ptolemæus autem, coacta Cleopatra, ut ſibi nuberet, ipſa nuptiarum die in matris ſinu infantem Principem peremit, omneſque eidem adhærentes gladio perdidit; inter quos forte etiam Oniam, licet ea de ſe certi nihil.

V. ONIAS V. aliter Menelaus, juxta Joſephum *Antiq. l.* 12. *c.* 4. 5. Simonis Juſti filius, & Oniæ III. frater; juxta vero Machabæos *l.* 2. *c.* 4. 23. frater cujuſdam Simonis ex Tribu Benjamin, qui ad Regem Syriæ Oniam III. de proditione detulerat. Menelaus igitur, ſive Onias V. anno Mundi 3832. Pontificatum aſſumpſit, & 3842. ante Ch. 158. ante Ær. 162. interfectus interiit. Hic ab Jaſone, qui Pontificatum (a) occupaverat, Antiochiam miſſus, ut Antiocho Epiphani pecuniis delatis, ejuſdem animum de quibuſdam maximi momenti rebus exploraret, ea ſe geſſit calliditate, ut Regis animo ſibi comparato, & 300. eidem, ſupra ea, quæ Jaſon ſpoponderat, talentis oblatis, de Pontificatu Jaſonem exturbavit, eamque ſibi vindicavit dignitatem. Demum acceptis à Rege mandatis, ſuperbus & tumens Jeroſolymam rediit; quare Jaſon fugæ ſibi conſulens, ad Ammonitarum regionem confugit.

Cùm verò Menelaus oblatas pecunias, vel Soſtrato Arcis præpoſito enixè ad ſolutionem compellente, Regi minimè numeraret, utrumque Antiochus Antiochiam advocavit A. M. 3834. ante Chr. 166. ante Ær. 170. & Lyſimachum Menelai fratrem ad Pontificatum evexit. Interea Rege citato curſu in Ciliciam profecto, ut quarumdam urbium ſeditionem componeret, Menelaus occaſionem nactus, Andronicum tunc temporis loco Regis Antiochiæ imperantem, muneribus ſibi devinxit; cumque ab Onia III. de furto vaſorum ſacrorum, quæ è Templo aſportata partim donaverat, partim vendiderat, argueretur, eò uſque Andronicum deduxit, ut ſibi indulgens Oniam occideret. Quare Antiochus domum regreſſus, impium Proregem de tanto crimine redargutum, merito ſupplicio interfecit.

Menelaus tamen impiam vitam aliquandiu produxit (b); quo ſuadente cùm Lyſimachus plurimis ſacrilegiis Templum invaſiſſet, populus in eum inſurgens, ejuſque militibus partim vulneratis, quibuſdam etiam occiſis, ipſum quoque Pontificem interfecit. His de rebus apud Antiochum, qui Tyrum devenerat, Menelaus incuſatus, Ptolemæum Dorimenis filium, qui plurimum in aula pollebat, maxima pecunia ſibi comparavit; ejuſque opera non modo Vitæ ſuæ conſuluit; ſed mortem ſibi debitam in ſuos detruſit accuſatores; ſucceſſuque protervior Jeroſolymam regreſſus, eò (c) inſolentiæ devenit, ut in dies majoribus in civium inſidiis exerceretur. Interea Antiochum in Ægyptum profectum falſo rumore occubuiſſe vulgatum eſt; quare Jaſon (de quo nos paulò ante) mille hominibus inſtructus, obſidione tradatam oppugnavit Jeroſolymam, & Menelaum in arcem Syris militibus munitam ſeſe recipere coegit. Brevi autem Antiochi mortis evaneſcente rumore, fuga ſibi Jaſon conſuluit (d); Menelaus vero ad ſuos populares conterendos ſibi Præfecturam quamdam vindicavit.

Mortuo Antiocho Epiphane 2. *Mac.* 13. 2. (e) ejus filius Antiochus Eupator unà & Lyſias Regni Adminiſter, maximo exercitu Jeroſolymam oppugnaturus profectus eſt; ad quem militibus ſuis ex compoſito commiſtus Menelaus accedens, ſimulabat quidem pro ſalute Judæorum rogare, revera tamen ſibi rurſus Jeroſolymæ Principatum conabatur adſtruere. At Eupator hunc omnium malorum cauſam eſſe à Lyſia intelligens, ubi (f) Jeroſolyma regrediens in Berœam Syriæ pervenit, à quinquaginta cubitorum turri, in qua quàm maximus cineris aggeſtus increverat, eumdem in cinerem agi præcipitem juſſit.

VI. ONIAS, vir quidam juſtus, qui quandoque ſiccitatis tempore pluviam precibus impetravit A. M. 3939. ante Ch. 61. ante Ær. 65. (g) Cùm verò Ariſtobulus cùm Hircano Judæorum Pontifice bellum gereret, in ſolitudine ſe abdidit; inventus tamen à Judæis quibuſdam, adductus eſt in caſtra Aretæ Regis Arabum, qui pro Hircano pugnans, Ariſtobulum Jeroſolymis obſederat, ut diris Ariſtobulum, & quotquot ejus factionem ſequebantur, devoveret. Cùm verò diu id recuſans cogeretur à turba, ſtans in medio eorum ſic precatus eſt: *Deus univerſi hujus Mundi Rex, quoniam & hi, qui mecum ſtant, tuus ſunt populus, & qui oppugnantur tui ſunt Sacerdotes, precor, ut neque hos contra illos, neque illos contra hos, orantes exaudias.* His auditis, Judæorum quidam lapidibus ſtatim obrutum interfecerunt.

ONION, Nomen Templi, quod Onias IV. in Ægypto erexit (h). Onias hic, de quo nos paulò ante, circa annum 3842. (i) in Ægyptum profectus, ita Ptolemæi Philometoris, & Cleopatræ ejus conjugis animos ſibi devinxit, ut militum omnium imperium ſit conſecutus, & Jeroſolymitano Templum ſimile conſtruendi, eique Levitas, & Sacerdotes Hebræos addicendi facultatem impetraverit (k). Tale autem opus idcirco præcipue eſt aggreſſus, quod Iſaias 600. ante annos Judæi cujuſdam opera Domino Templum in Ægypto erigendum fore prædixiſſet. Quamvis verò Iſaiæ verba non referat Joſephus, ea tamen hæc eſſe minimè ambigimus, *Iſai.* 19. 18. *In die illa erunt quinque Civitates in terra Ægypti loquentes Lingua Chanaan* (quæ eadem eſt ac Lingua Hebraica), *& jurantes per Dominum exercituum. Civitas Solis vocabitur una* (Hebræum legit (l) Civitas anathematis). *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus* (ſeu monumentum) *Domini juxta terminum ejus, & erit in ſignum & in teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti.*

Supplex autem Libellus, quo Onias Ptolemæum obſecratus eſt, hæc complectebatur: Dum ego unà & Judæi, quibus præfueram, tuis bellis detinebar, pluteſque peragrabam regiones, plurima intuitus ſum templa, quæ in Cœleſyria, in Phœnicia, & in urbe Leontopolis, in Nomo Helopoleos in Ægypto ſita Judæi ſibi conſtruxerant; quod utique è re minimè eſſe cenſeo; vereor enim, ne hinc in plurimas diviſiones invicem abeant, uti cultûs disparitas, & Templorum multitudo diſcriminavit Ægyptios. Quare obſecro te, ut locum operi, quod meditor, maximè accommodatum, ſacris animalibus (m), & ruinis, reliquiis præſertim Templi diruti, nemini que dicati, undique refertum, quem ipſe in Arce, quæ Bubaſte Deſerta dicitur, aſpexi, mihi elargiaris, ut ibi Judæorum Deo ad formam Jeroſolymitani Templum erigam, quò convenientes Judæi Ægypti incolæ in Judaicæ Religionis cæremoniis, & ritibus exerceri valeant, & inde fiat, ut à ſchiſmatibus

(a) 2. Mach. 4. 23. &c. A. M. 3832. ante Ch. 168. ante Ær. 172.
(b) 2. Mach. 4. 39. &c. A. M. 3834. ante Ch. 166. ante Ær. 170.
(c) 2. Mach. 4. 50. & 5. 5. A. M. 3834. ante Chr. 166. ante Ær. 170.
(d) 2. Mach. 5. 23. A. M. 3836. ante Ch. 164. ante Ær. 168. (e) A. M. 3841. ante Ch. 159. ante Ær. 163.
(f) Vide Joſeph. Antiq. l. 12. c. 15. & Uſſer. ad A. M. 3842. ante Ch. 158. ante Ær. 162. (g) Antiq. 14. 3.
(h) Circa A. M. 3854. ante Chr. 146. ante Ær. 150. (i) Vide Uſſer. ad hunc annum p. 56. 57.
(k) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 6.
(l) *Hir Hacheres*, *Civitas Anathematis*. Aquila, Sym. Theodoret. & Vulgata legunt *Hir Hacheres*, *Civitas Solis*. Et ideo forte Onias conſtituit, vel conſecravit Templum in Nomo Heliopolis.
(m) Oniam puto hic ea denotaſſe animalia, quibus Ægyptii utpote alicui Idolo Ægyptio dicatis, mortem non inferebant, cujuſmodi erant angues, crocodili, ibides. Cùm autem iis undique Bubaſte oppleretur, ea propter tellus inculta videbatur, atque deſerta.

tibus abhorrentes, animo concordi tibi ſimulentur, atque obſequantur. Iſaias enim vaticinatus eſt, Domino Templum in Ægypto erigendum fore; & ea de re alia plura præmonuit.

Hæc Oniæ poſtulanti Rex & Regina indulſere; cùm tamen difficillimè ſibi ſuaderent, Deo gratum fore Templum in loco turpi, & animalibus oppleto erectum, ſi quid ea in re Divinæ Legi fieret adverſum, criminis conſortes omninò ſe nolle eſſe proclamarunt. Cùm tamen ab Iſaia hæc prædicta fuiſſe intelligerent, conderet, omnemque in ſe culpam venturam ſciret. Quibus auditis, Onias nihilominus Templum erexit, ad formam quidem Jeroſolymitani, amplitudine tamen, & magnificentia ſatis inferius; cui etiam Sacerdotes & Levitas addixit, qui in iiſdem, quæ Jeroſolymis, cæremoniis, & ritibus exercebantur.

De Templo Onio hæc habet Joſephus *de Bell. l. 7. c. 30. Ptolemæus Oniæ dedit locum, centum & octoginta ſtadiis à Memphi diſtantem. Heliopolitanus autem ille tractus dicitur; ubi Onias Templum quidem diſſimile ei, quod eſt in Hieroſolymis, turrim autem ſimilem extruxit ingentibus ſaxis, ſexaginta cubitis erectum* (a). *Aram autem fabricam ſecundùm patriam imitatus eſt, & donariis ſimiliter exornavit, præter candelabri confectionem. Candelabrum enim non fecit, ſed informatum aureum lychnum tanquam ſubam luce radiantem de aurea catena ſuſpendit. Totum verò circa Templum ſpatium cocto latere circumdedit ſaxeas portas habente. Conceſſit autem Rex etiam multum agri unàdam, ac pecunias redditus, ut & Sacerdotibus eſſet copia ad multa, quæ Dei cultus deſideraret.* Judæi tamen, atque Jeroſolymæ Sacerdotes hoc Templum ægrè ferebant: quare inter Ægypti Judæos & Judæos Palæſtinæ novum aliquod ea de re diſſidium quotidie oriebatur.

Templo Jeroſolymitano à Romanis diruto, jure ſuſpicio fuit, ne Judæi patria depulſi, in Ægyptum confugerent, ubi in Templo Onio coacti, novam defectionis cauſam molirentur. Quamobrem Veſpaſianus à Lupo Alexandriæ, & Ægypti Præfecto de latronibus, qui ab Judæa in Ægyptum ſe contulerant, monitus juſſit, ut Templum omninò dirueretur, *Joſeph. l. 7. de Bello c. 30.* Lupus verò Templum tantummodo clauſit propè annum Æræ 74. annos circiter 223. poſtquam conditum fuerat. Inde Paulinus, qui Lupo mortuo ſucceſſit, donariis omnibus, & divitiis omninò ſpoliatum; clauſis foribus ita inacceſſum fecit, ut ne veſtigium quidem divini cultûs in eo remanſerit. Hic finis, quo deſiit *Onion.*

ONIX. Vide *Onyx.*

ONKELOS, Chaldaicæ Paraphraſis in Pentateuchum celeberrimus author, quem Judæi genere Ethnicum Judaiſmum complexum eſſe volunt, aliquandiù ante Chriſtum vivente Hillele. Ejus Paraphraſis Judæorum reliquis planè præſtat, & utinam Vetus omne Teſtamentum, uti Pentateuchum, explanaſſet. Probat Morinus eam eſſe recentiorem quàm fertur ab Judæis, prioremque Talmud Babylonico, Jeroſolymitano verò poſteriorem conſtituit; cujus inſuper cùm S. Hieronymus non meminerit, ipſo Hieronymo poſteriorem jure ducimus.

Judæorum quidam Onkelon Titi Imperatoris filium, alii ex ſorore nepotem appellant. Alii etiam Paraphraſim, quæ ipſi tribuitur, eodem longè vetuſtiorem conſtituunt; adduntque Titi nepotem fuiſſe & Magum celeberrimum, qui cùm Proſelytus fieri vellet, Titi, Balaami, & Jeſu Chriſti animas, ex quibus plura ſciſcitaretur, evocavit. Alii denique Rabbini Paraphraſtem Onkelon eundem fuiſſe ac Aquilam, Scripturæ Græcum Interpretem, omninò tuentur. P. tamen Morinus, *Exercit. Bibl. l. 2. Exercit. 8. c. 6.* hæc omnia, quæ ab eo accepimus, in ſuis Biblicis Exercitationibus validiſſimè improbat.

(His potiſſimùm argumentis adſtruitur opinio, quæ Onkelos cum Aquila Pontico confundit. 1. Aquilam vel Akilam inter & Onkelos aliqua eſt nominum affinitas. 2. Erat uterque vir Proſelytus. 3. Uterque coævus, i. e. 150. annis Chriſto ſuperior. Sed hiſce reponitur; 1. Inter hæc duo nomina ſatis eſt etiam diſcriminis ad duos homines diſtinguendos. 2. Quæ opinio Onkelos inter Proſelytos accenſet, idoneo teſte caret. 3. Variat plurimùm ætas utriuſque; Aquila enim florebat ſecundo Eccleſiæ ſæculo; Onkelos verò coævus vivebat Hillel aliquandiu ante Jeſum Chriſtum. Fertur ille quidem vitam prorogaſſe adhuc poſt ſinum Gamalielis nepotis Hillel, qui fatis ceſſit 18. annis ante everſionem Jeruſalem; ſed intervallum reſtat adhuc grande uſque ad ætatem Aquilæ. 4. Scripſit quidem *Bereſchit Rabba*, Commentarium Rabbinicum in Geneſim; & Rabbini etiam plures poſt iſtum ſermonem habent Targum Akilæ, ſed Targum iſtud ipſiſſima eſt verſio Græca Aquilæ. *Targum* generatim uſurpari poteſt de Verſione ſeu Paraphraſi utcumque.

Targum Onkelos probatiſſimum fuit ſemper Judæis Opus. Adigi præcepto Judæos affirmat Elias Levita, ut legant in Synagogis ſectionem Legis, quæ penſum eſt ſingularum ſeptimanarum. Hanc autem binam lectionem exequebantur: primò, Hebraicè in Originali; ſecundò in Targum, ſeu Chaldaicè: nec aliò utebantur, ait ille, Targum, quàm Onkelos. Durabant hæc Scriptoris hujus ætate, i. e. ſæculo decimo ſexto ineunte. Hinc autem factum obſervat idem Scriptor, ut Targum iſtud tantum familiare eſſet apud ſuos, quantum rara cætera Targum; adeò ut ægrè unicum exemplar cæterorum reperiretur in tota Provincia; cùm viciſſim Onkelos omnium manibus tereretur.

Quæ congeſſit argumenta R. P. Morinus ad probandum Targum Onkelos ſcriptum eſſe tantùm poſt Thalmud Jeroſolymitanum, hæc utique probant additamenta quædam & verba huic Textui ſuppleta fuiſſe; integrum verò Opus ſine controverſia ad ætatem Jeſu Chriſti circiter pertinet. Silentium S. Hieronymi ea de re negativum tantùm conficit argumentum, quod ſanè in tam gravi re parum convincit; potuit enim Opus illud, vulgatum licèt, ignorare Vir Sanctus, potuit & ſciens, quanquam & ab eo laudando vel ſaltem commemorando abſtinuiſſe.

In pluribus Bibliorum ſuorum exemplaribus Judæi poſt Textum addunt Targum Onkelos, adſcriptis inſuper notis muſicis, quæ in Originali Hebræo, ideòut commodè legatur ſcriptum tono in Synagogis conſueto, eodem ſcilicet quo & Originale.

Quanquam Onkelos ſolemne habet, Originale verbo ad verbum exactiſſimè ac juſtiſſimè ſequi, longiùs tamen interdum excurrit, Textus originales nimium pronos explicatione aliqua illuſtraturus. E. g. in pluribus Scripturæ Textibus, ubi recurrit nomen *Jehovah*, addit ille *Memra, Verbum, Jehovah.* Diſtinguit pariter *Memra* à *Pitgama*, quod eſt ſermocinatio, ac priori illi dotes omnes Supremi Numinis vindicat. A *Memra* creatum mundum refert; illud apparens per viſum Moyſi in Sinai; Legemque rogans inducit. *Memra* ſeſe nuncupat Jacob prætellatus: *Si Verbum duxerit me, & reduxerit in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*; Ipſum eſt Verbum, quod obtulit ſe Abrahamo in convalle Mambre; ipſum quod in teſtem invocavit Jacob, dum fœdus iniret cum Labano.)

ONO, Tribus Benjamin civitas, quam vel condiderunt, vel ſaltem inſtaurarunt filii Elphaalis, ex Tribu Benjamin, 1. *Par.* 8. 12. Quinque milliaribus diſſita eſt à Lod, ſeu Lydda, quam quoque filii Benjamin conſtruxere.

(a) Turris hæc propriè Templum erat, nempe Sanctum, & Sancta Sanctorum quorum ſtructura quadrata, & oblonga veluti turrim referebat. A. Ch. 70.

ONO, ſecundus filius Lod 1. *Eſdr.* 2. 33. Petrecge eſſe urbem Lyddæ, atque Ono ejus aſſe filiam; oppida enim a Scriptura filiæ vocantur earum urbium, à quibus ortum duxerunt (a).

ONOCENTAURUS, animal commentitium, ex corpore humano, & ex coxendicibus, & cruribus aſini conflatum. D. Hieronymus utitur hoc verbo in Iſaia 34. 14. *Occurrent* (in evaſione regionis Edom) *Dæmonia Onocentauris*. Hebræum ad literam legit: *Ziim occurrent Iim*: quod ita verti poſſet: *Piſcatoribus occurrent Inſulæ*; ea ſcilicet regio deſerta erit, & aquis operta.

(De Onocentauro agit Ælianus lib. 7. cap. 9. referebat autem media ſui parte hominem, media aſinum, uti centaurus dimidium hominis dimidio equi jungebat. Porro *Ono-centaurus* eſt ex Græco *onos*, aſinus, & *Centaurus*.

ONUS, Hebraicè *maſſa*, uſurpatur apud Prophetas pro moleſto aliquo vaticinio. *Onus Babylonis*, *onus Niniveæ*, *onus Moab*, *onus Ægypti*. Inſultantes Judæi interrogabant Jeremiam: *Quod eſt onus Domini?* Jerem. 23. 33. Repoſuit ille: *Vos eſtis onus* minimè ferendum Domino: *projiciet quippe vos*; allidet, & in opprobrium populorum ſtatuemini.

Onus deſerti maris, Iſaiæ 21. 1. oraculum in Babylonem Urbem ad Euphratem, quam amnis perinde ac mare alluit; Urbem populoſam & amplam, ſed tandem in ſolitudinem & deſertum redigendam.

Onus vallis viſionis, Iſaiæ 22. 1: Oraculum in Jeruſalem, quæ per ironiam appellatur *vallis*, quanquam in prominenti conſtituta. *Viſionis* idcò dicitur ex Moriah; quòd in monte Sion vel Moriah creditur Abraham ſtatuiſſe filium ſuum ad immolationem.

Onus jumentorum auſtri. Iſaiæ 30. Oraculum eo titulo præfixum non obſcurè in Judæam latum eſt; cur autem ita inſcriberetur non ſatis intelligimus. Propius vero autumaremus, additamentum id eſſe Amanuenſium; nullum enim aptum reddit, quin potius interrumpit atque ſuſpendit ſenſum. Ita porrò legi poſſe cenſemus Textum Iſaiæ ℣ 4. 5. Miſerunt Judæi Ablegatos ſuos in Tanim & uſque ad Hanes. Omnes confuſi ſunt, intelligentes nullam eſſe in populo illo opem ſperandam (*Onus in jumenta Auſtri*:) *Judæos*, inquam, *in terram tribulationis & anguſtiæ, ubi leæna & leo, vipera & regulus volans; portaverunt ſuper humeros jumentorum divitias ſuas ad populum, qui eis prodeſſe non poterit*.

Lapis oneris apud Zachariam 12. 3. *Ponam Jeruſalem lapidem oneris cunctis populis; omnes, qui levabunt eam, conciſione lacerabuntur*. Ponam Jeruſalem ad omnes gentes veluti lapidem ponderis, ut quicumque levare illum tentaverit, lædatur. Finitimæ omnes gentes vires ſuas in Jeruſalem exacuerunt, Aſſyrii, Chaldæi, Perſæ, & Ægyptii &c. ſed malo ſuo omnes. Urbem illi quidem vicerunt, ſed victoriam rependerunt majori diſpendio. Notat S. Hieronymus in Zachariam 12. veteri more ad ſuam uſque ætatem perſeverante obtinuiſſe in Urbibus & vicis Palæſtinæ, ut immanes quidam & rotundi lapides ſervarentur. Juvenes ad experimentum virium ſuarum, quis altiùs elevaret lapides illos, certabant. Affirmat ſpectaſſe ſe Athenis in Arce juxta Minervium pilam quandam æneam ponderoſiſſimam, ægrè amovendam, qua olim exercebant vires ſuas athletæ; quo ſcilicet intelligerent, quantum quiſque haberet virium, neque enim niſi pares inter ſe jungebantur. Perſuaſum habent nonnulli, lapidem Zabeah, de quo 3. Reg. 1. 9. unum fuiſſe à *lapidibus illis oneris*; nec alio ſpectatum in illo Eccli. 6. 22. *Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis*.)

ONOCROTALUS. Avem hanc inter impuras recenſet Moyſes, *Lev.* 11. 18. Hebræum legit *Kaath*, quæ vox oritur à quodam verbo, quod ſonat *evomere*. Septuaginta verterunt *pellicanum*, qui oſtrea plurima cum ſuis conchis degluticns, poſtea evomit, & à conchis, quas ſtomachi calor reſeravit, oſtrea educit. *Onocrotalus* verò avis eſt pellicano ſimilis, quæ ſub roſtro ad gutturis initium ſaccum, ſeu ingluviem adeò amplam gerit, ut aliquando in ea integer infans fuerit inventus. Hebraicè dicitur *cos*, quo ſcyphus, aut vas ſignificatur. Vide *Nycticorax*.

ONYX, ſeu *Onix*. Vocem iſtam ad duo ſignificanda Scriptura uſurpat, *unguem* ocimpè *odoratum*, & lapillum ejuſdem nominis, *onychem*. Si etymologiam nominis perpendamus, *onyx* unguem planè refert. Hebræum *ſchecheleth*, *Exod.* 30. 34. quod ab Hieronymo apud Septuaginta *aromaticus unguis* vertitur, alii vertunt *laudanum*, vel *bdellium*: plerique tamen Commentatores eam vocem intelligunt de ungue odorato, qui conchæ piſcis *purpuræ* ſimilitudinem quam maximè refert. In Indiarum paludibus ſpica nardi affluentibus, onychem piſcantur: cùm autem ea herba veſcatur, idcircò ejus conchæ, quæ exhauſtis ab æſtate paludibus colliguntur, vehementer redolent. Perfectiorem onychem, qui & albus, & magnus eſt, reperire eſt in Erythræo; Babylonicus verò niger eſt, atque inferior. Hæc de onyche Dioſcorides.

ONYX, lapillus, gemma undecima eſt Rationalis Pontificis Judæorum; Hebræum legit *ſoham*, quæ vox diverſimodè, *onyx* nempe, *ſardius*, & *ſmaragdus* explicatur (b). Nos verius ſmaragdum intelligimus (c). Eſt autem *onyx* achatis ſpecies, ad album & nigrum vergentis, cujus proinde color cùm ad unguem accedat, *onychis*, ſeu *unguis* nomine eſt appellatus.

OOLIAB, filius Achiſamech, ex Tribu Dan, una & Beſeleel, ad Tabernaculi conſtructionem electi, *Exod.* 35. 34.

OOLIBA, & *Oolla*, nomen utrumque fictum, & ab Ezechiele ad Judæ, & Samariæ Regna ſignificanda in ſuis Prophetiis uſurpatum. Inducuntur veluti duæ ſorores ex Ægyptiorum genere, quarum *Oolla* Samariam indicat, *Ooliba* verò Jeruſalem. Illa, *Tentorium*, hæc autem, *Tentorium meum in ipſa eſt*, ſignificat. Utraque Ægyptiorum, atque Aſſyriorum ſuperſtitiones amplexæ, iiſdem pudicitiam ſuam proſtituere; quare à Domino derelictæ, & in captivitatem adductæ, crudelibus ſervitutis ſuppliciis affectæ ſunt.

OOLIBAMA, uxor Eſau; Jehus, Ihelon, & Core mater, *Geneſ.* 36. 5. filia Anæ filiæ Sebeonis. Vocatur & Judith, *Gen.* 26. 34. Incertum eſt, an hujus nomine vocata ſit Civitas *Oolibama*, an ita ipſa vocare cœperit, poſtquam eamdem urbem ſibi Eſau comparaverat.

OOLIBAMA, urbs regionis Edom. *Vide Geneſ.* 36. 41. & 1. *Par.* 1. 52.

OOLIBAMA, ſeu *Oholibamah*, ſignificat: *Tentorium meum, erectum eſt*.

OOLLA, ſoror natu major *Oolibæ*, quæ Samariam indicat: *Vide Ezech.* 23. 31 & Ooliba.

OOZAM, filius Naaræ, ex Tribu Judæ. 1. *Par.* 4. 5.

OPHAZ, *Cant.* 5. 11. vel *Uphaz*, *Dan.* 10. 5. aut *Phaz*, *Jerem.* 10. 9. Idem eſt aurum *Ophaz*, *Uphaz*, *Phaz*, & *Ophir*. Hoc forte eſt, quod in Phaſide Colchorum inveniebatur, in aliqua ex urbibus Ophir vendebatur, atque commutabatur. Vide noſt. Diſſert. de region. Ophir ante Comment. in Geneſ.

OPHEL. Meminit Scriptura fuiſſe Jeroſolymis murum, & turrim Ophel. Joathan Rex Judæ, in muro Ophel plura conſtruxit, 2. *Par.* 27. 3. Manaſſes verò

(a) Confer. 1. Eſd. 2. 33. cum 1. Par. 8. 12.
(b) Exod. 28. 20. Hebræum *ſoham* Joſeph. Aquil. Hier. Jun. Lud. de Dieu, aliique plures Onychinum lapidem verrunt. Et Exod. 28. 9. Hier. Sym. & Theodot. Onychem; Septuaginta verò & alii ſmaragdum.
(c) V. Interpp. in Gen. 2. 12.

Digitized by Google

verò murum ædificavit extra civitatem Davidis, ad occidentem Gihon, in convalle, ab introitu portæ piſcium per circuitum, uſque ad Ophel, 2. *Par.* 33. 14. Poſt captivitatem *Nathinæi* incolebant Ophel, 2. *Eſdr.* 3. 26. & 11. 21. quare murus, & turris iſta non potuit longè abeſſe à Templo, ad cujus miniſterium ſeſe qualibet hora paratos exhibere opus erat. Meminit Michæas 4. 8. turris Ophel: *Et tu turris gregis nebuloſa, filia Sion.* Hebræum enim legit, *& tu turris gregis, Ophel, filia Sion.* Verbum *Ophel* quidam hic vertunt *Propugnaculum*. Jeroſolymis extabant *Porta Gregis*, & *Turris Ophel*. Meminit etiam Joſephus *de bello l. 2. c. 18. & l. 6. c. 6. & l. 7. c. 13. Ophlar*, nempe *Ophel*, quem locum & ipſe non valdè procul à Templo conſtituere videtur.

OPHER, ſecundus filius Madian, & Abrahami, & Cethuræ nepos, *Geneſ.* 25. 4. Hic fortè Inſulam Urphæ in Erythræo, vel urbem Orphæ in Diarbekia habitatoribus frequentavit. S. Hieronymus *Quæſt. Hebr. in Geneſ.* citat Alexandrum Polyhiſtorem, & Cleodemum, nomine Malchum, aſſerentes, *Opher*, alias *Apher*, Lybiam adortum ſibi eam vindicaſſe, & Africam vocari conſtituiſſe. Hujus belli comitem ipſi Opher Herculem adhæſiſſe ferunt.

OPHER, Principem Chananæum. Regem *Opher* occidit Joſue; *Joſ.* 12. 17. Hæc urbs fortè eadem eſt, ac *Ophera* in Tribu Benjamin, *Joſ.* 18 1. vel *Ephron* ejuſdem Tribus, 2. *Par.* 13. 19. aut *Ephra* Gedeunia patria, aut denique *Ophra*, 5. milliaribus, juxta S. Hieronymum, à Bethel, ad Orientem.

OPHI. Meminit Jeremias filiorum Ophi, ex Netophath, *Jerem.* 40. 8.

OPHIM, aliàs *Hupham*, filius Benjamin, *Gen.* 46. 2. ex quo familia Huphamitarum, *Num.* 26. 39.

OPHIOMACHUS. Vox hæc, juxta phraſim Græcam, ſonat eum, qui cum ſerpentibus congreditur. Moyſes inter locuſtas, quibus veſci licet, *Ophiomachum* recenſet, *Lev.* 11. 22. Hebræum *Chargol* legit; Septuaginta verò & Vulgata *Ophiomachum* vertunt. Suidas, & Heſychius cujuſdam Locuſtæ, alis deſtitutæ, quam Ophiomachum vocant, meminerunt. De quibuſdam prægrandi corpore locuſtis, ſermo eſt apud Plinium, & Ariſtotel *l. 9. c. 6 hiſtor. natural.* quæ cum ſerpentibus congrediuntur.

OPHIR, filius Jectan. Filiorum Jectan habitatio *de Meſſa uſque ad Sephar montem orientalem* protendebatur. *Gen.* 10. 29. *Meſſam* credimus Maſium montem in Meſopotamia, & *Montem Sephar* regionem eſſe *Sepharvaim*, aut *Saſpirorum*, quibus Medi ſejungebantur à Colchis. De Ophir progenie, aut quam provinciam ipſe cum ſuis inter Meſſam, & Sephar incoluerit, nihil in Scriptura. Quæcumque tamen fuerit Ophir regio, eamdem à filiis Ophir frequentatam fuiſſe in diſcrimen vocari non poteſt.

OPHIR, regio in Scriptura celeberrima, de qua Critici quamplurimas ſtatuunt ſententias. Jure hæc frequentata creditur ab Ophir filio Jectan, de quo mox ſupra: ambiguum inſuper non eſt, treſdecim Jectan filios domicilium conſtituiſſe *de Meſſa uſque ad Sephar montem Orientalem*. *Gen.* 10. 30. At cùm Meſſa, atque Mons Sephar, velut ipſa Regio Ophir, nos lateant, aliò eundum, ut eam regionem conſequamur. Explorarunt Interpretes loca omnia, in quibus Ophir aliqua mentio; & eaſdem naves, quæ navigarunt in Tharſis, navigaſſe etiam ad Ophir (a); has inſuper in Erythræo in portu Aſiungaber fuiſſe inſtructas; 3. *Reg.* 22. 49. & 9. 26. tres annos Salomonis claſſi opus fuiſſe, ut iter ad Ophir abſolveret; 3. *Reg.* 10. 22. eamdem rediiſſe divitem auro, pavonibus, ſimiis, aromatibus, eborè, & ebeno (b); aurum denique Ophir quolibet auro pretioſius habitum eſſe, Regioneſque Ophir præ cæteris auro affluxiſſe, animadverterunt: & iiſdem licèt argumentis freti, in diverſa tamen diſtracti, in Ophir regione conſtituenda minimè convenere.

Vult Joſephus *Antiq. l. 8. c. 2.* Ophir regionem eſſe in India, eamque vocari regionem auri; nempe, ut putamus, Cherſoneſum auream, nunc Malaccam, Peninſulam è regione Sumatræ. Lucas Holſtenius *Notis in Ortelium* vage in India Ophir locat, vel eam Suparam putat in Inſula Celebis. Eupolemus *apud Euſeb. l. 9. c. 30.* in Durphe Erythræi Inſula ſitam memorat. Peguanum ea eſſe creditur à Maphejo, referente ulteriùs, Peguanos ſeſe genus jactare Judæorum, quos Salomon illuc ad auriſodinas eruendas dimiſerat. A' Poſtello verò, & ab aliis Peruvia dicitur propter auri affluentiam celeberrima. Lipenius, qui de Ophir regione Tractatum inſtituit, ultrà Gangem eamdem ponit, in regionibus Malaccæ, Javæ, Sumatræ, Siami, Bengalæ, Peruviæ, &c. Alii in America (c) in Inſula, quam Hiſpanam appellant: alii verò in Regno Malabariæ, ſeu Ceilani, vel in Inſula Taprobanæ apud Veteres celeberrima, Ophir conſtituunt; quam ſententiam pro viribus tuetur Bochartus. Chriſtophorus Columbus, qui primùm anno 1492. Inſulam Hiſpanam repererat, Salomonis Ophir ſe inveniſſe jactabat. Reverà videre in ea eſt antra in terræ viſceribus adeò effoſſa, ut uſque ad milliaria 16. producantur. Quamobrem ex his Salomon aurum eduxiſſe putabatur.

Non deſunt, qui Africæ Ophir attribuant. Melindenſes, ſeu Sophalenſes in latere orientali Æthiopiæ ſiti, & traditione, & ſcriptis Salomonis claſſem ad aurum ſibi comparandum tribus annis ad ſe navigaſſe tuentur. Joannes Dos Sanctos meminit in Monomotapa cujuſdam montis, quem *Fura* appellat, à pluribus ſodinis effoſſi; additque ibidem vetus oppidum reperiri, quod Reginæ Saba ſedes creditùr, in qua etiam regione conſtituit Ophir; quam tamen quidam in Hiſpaniis locant, alii dicunt Angolam, in ora Orientali Africæ, alii verò Carthaginem, quamvis hæc multo poſt Salomonem extructa fuerit.

Opinatur Grotius in 3. *Reg.* 9. 28. fortè Salomonis claſſem ad Indos uſque non navigaſſe, ſed ad portum ſolummodò cujuſdam urbis in ora Arabiæ ad Oceanum ſitæ, quam Arrianus *Aphar*, Plinius *Saphar*, Ptolemæus *Saphheram*, Stephanus *Saphirinam*, appellat. Huc ab Indis delatæ merces, Salomonis claſſi imponebantur. Huetius vetus Abrincenſis Epiſcopus, ubi de Salomonis navigatione diſſerit, ſcribit etiam Ophir ſitam fuiſſe in orientali Africæ ora, quam Arabes Zanguebariam appellant; eoque Ophir nomine ejuſdem oræ *Sophalam* præcipuè vocari ſolitam; Salomonis prætereà claſſem ab Aſiongaber Erythræi portu profectam, & per canalem, quo duo hæc maria junguntur, Mediterraneum ingreſſam, Aromatæ Promontorium, vulgò *Capo di Guadarfui*, præteriiſſe, oramque Africæ percurriſſe, ut perveniret Sophalam iis omnibus affluentem; quæ ad Salomonem devehebat. Nos tamen in Diſſertatione de Ophir regione, quam noſtris in Geneſim Commentariis præpoſuimus, canalem, quo Mediterraneum & Erythræum junguntur, multo poſt Salomonem confectum fuiſſe oſtendimus. Vide & Marſcham. *Can. Ægypt. ſæc.* 15.

Becanus Goropius, & Bivarius Mediterranei portum Aſiongaber eſſe ſtatuentes, non ab Erythræo, ſed à Mediterraneo Salomonis claſſem ſolviſſe tuentur. Ajunt enim Aſiungaber, juxta Scripturam Sacram, 3. *Reg.* 9 26., 2. *Par.* 8. 17. extitiſſe in Idumæa; Idumæam verò ad Mediterraneum pertinuiſſe, cùm ex Strabone *Gaſion-gabria*, & *Bezigabria* ex Ptolemæo, quæ eadem probabiliter eſt ac Aſiongaber, ibidem ſita fuerit. Sanè conſtat, Aſiongaber urbem in Erythræo, vel juxtà Hebræum in *Mari Suph* à Scriptura locari: at volunt ipſi hoc nomine vàge denotari *Mare Limitum*; quare Erythræo æquè ac Medi-

(a) 3. Reg. 22. 49. Confer cum 2. Par. 20. 36. & 3. Reg. 9. 28. & 10. 22.
(b) 3. Reg. 9. 28. & 10. 11. Confer cum 2. Par. 8. 18. & 9. 10. &c. (c) Arias Montan. Genebr. Vatab.

Mediterraneo potuit convenire. Quam ſententiam non rejicit Hornius *l. 2. de origin. Gent. Americ. c. 8.* quamvis facillimè bis, terque poſſit improbari; 1. enim pro *Mari Suph* mare nullum unquam intelligitur præter Erythræum: 2. certiſſimè conſtat, urbem Aſiongaber ſitam fuiſſe ſecùs Erythræum, in ſinu *Elat*; 3. demum Idumæa, dum floruit Ptolemæus Geographus, uſque ad Mediterraneum potuit protendi; vivente tamen Salomone, & multò etiam poſt, in Arabia Petræa protrahebatur, ad oram Elat & Aſiongaber. Abbas de Choiſy *in vita Salomon.* maximè proclivis eſt ad eam ſententiam, quæ in Regno Siami Ophir locat. Porrò Regnum, ejuſque vicinia iis maximè affluit, quæ in Ophir Salomon exquiſierat, & ab Aſiongaber adeò abeſt, ut iter uſque illuc tres annos potuerit abſorbere.

Nos tamen, quo eundum, alia, novaque via incedimus: eam nempe regionem, quæ montes Maſium interjacet ac Saphar, quos veriſimile eſt eoſdem eſſe ac *Tapirorum*, ſeu *Saſpirorum*, Armeniam verſus, & Mediam, ac Tigris, & Euphratis fontes, ab Ophir Jectan filio, una cum ſuis fratribus frequentatam arbitramur; nolumus enim hic hujuſmodi regionis fines circumſcribere, ſed ubi tantùm ſita fuerit, definire. Euſtathius quoque Antiochenus *Hexaemer.* Ophir in Armenia locat. Juſtinianus Imperator in quatuor partes Armeniam dividens, earum alteram appellavit *Spharam*. Strabo *l.* 11. Ophir ſtatuit in finibus populorum, quos *Sarapenes* appellat. *Obarenos* ad Cyrum fluvium memorat Quadratus (a); Plinius verò *Suarnos*, Portas Caſpias inter, & Montes Gordyæos & Pontum Euxinum conſtitutos. *Pharvaim*, ſeu *Sepharvaim* aurum idem eſt (b) cum auro *Ophir*. Sæpè verbo Ophir ad innuendam aſpirationem præponitur litera S. Septuaginta proinde interdum pro *Ophir* legunt *Sophir*. *Sepharvaim* maximè accedit ad montem *Saphar*, de quo Moyſes.

Tria huic ſententiæ objicienda occurrunt: 1. enim in ea regione, in qua Ophir ſtatuimus, invenire non eſt ea omnia, ad quæ comparanda navigaverat claſſis Salomonis: 2. ea loca, cùm diſtent à mari, maritimo itinere attingi non poterant: 3. triennium ad hoc iter abſolvendum, opus minimè fuerat. Quæ tamen omnia facilè infringimus. Claſſis enim Salomonis tres annos conſumpſit, quia ad plures portus appulit, ut ſibi plurima compararet: ex ora Æthiopiæ ſimias, ebenum, & pſittacos: ex Ophir, vel ex Emporiis, quo Ophir incolæ convenire conſueverant, aurum: ex aliquo Arabiæ portu ebur detulit, & fortè etiam aromata; etenim ab Aſiongaber ſolvens, potuit ad utramque Erythræi oram, Arabiæ nempè vel Æthiopiæ iter inſtruere, & in Oceanum ingreſſa, omnia Æthiopiæ litora ultra fretum percurrere. Inde oris omnibus Arabiæ, quas interluit Oceanus, peragratis, & iis, quæ ſibi opus erant, vindicatis, in Sinum Perſicum prætervecta, & ex utraque ejuſdem maris ora pluribus emptis, Euphratem denique, ſeu Tigrim ingreſſa, iter eo protrahere potuit, donec ea flumina poterant navigari.

Memorant Veteres, Emporia quædam ſecùs Tigrim, & Euphratem celeberrima, antequam in Tigri conſtruerentur aggeres, & ab Euphrate rivi deducerentur (c), quibus utrumque flumen navigatu difficilius evaſit. Gerreni, Perſici litoris incolæ, ſuis per Euphratem lembis, Thapſacum uſque perveniebant. Hinc fit, ut quamvis prædictæ regiones maritimæ non eſſent, ad eas tamen maritimo itinere per Tigrim, & Euphratem aditus patebat. Quamobrem etiamſi probaretur, Ophir ad neutrum ea bis flumen conſtitiſſe, ſatis habemus, quòd utrique ita proxima locaretur, ut facilè indè ad flumina merces transferri valerent. Quamvis denique itineri huic triennium minimè opus eſſet, veriſimiliter tamen menſes triginta, geminas nempe æſtates, & hyemem unicam, idcircò exhauſit, quod ſibi, quæ venerat quæſitum, comparatura, ad plura loca Salomonis claſſis appulerit. Quos huc uſque citavimus, videantur Authores, nec non Commentatores Libri 3. Regum c. 9. noſtra denique Diſſertatio in Regionem Ophir, quam Commentariis in Geneſim præpoſuimus.

OPHNI, & *Phinees*, Heli Pontificis filii. *Filios Belial* Scriptura appellat, 1. *Reg.* 2. 12. *neſcientes Dominum, nec officium Sacerdotum ad populum*; cùm enim quis pacificam victimam immolaſſet, Sacerdotis famulus, dum coquebantur carnes, tridenti fuſcinula, quidquid poterat, è lebete educens, deferebat Sacerdoti. Porrò antequam victimæ adeps adoleretur, ab immolante carnem crudam Sacerdoti decoquendam poſtulabat; & reſpondenti, ut de more ſineret adipem incendi, & deinde, quodcomque vellet, ſumeret, minimè acquieſcens. Trade nunc, ajebat, alioquin eripiam. Quo utique filiorum Heli flagitio à victimis Domino immolandis populi amovebantur.

Quæ ut intelligantur, animadvertere volumus, ibi Scripturæ Textum nec de holocauſtis, nec de victimis pro peccato, ſed tantùm de hoſtiis pacificorum, ſeu ſponte devotionis ergo oblatis, quarum dumtaxat ſanguis, adeps, renes, & jecoris reticulum Domino adoleri conſueverant. *Lev.* 3. 1. Quidquid inde ſupererat, immolantis erat, ea tamen lege, ut armum dexterum, & pectuſculum victimæ Sacerdoti impertiretur. *Lev.* 7. 31. Quamvis autem non liqueat, an hæc cruda, vel cocta ei traderentur, hinc tamen duo videntur inferri: 1. quòd eadem jam cocta Sacerdoti cederent; 2. quòd Sacerdos jure ſibi nil poſſet depoſcere, præter adipem, in Altari non crematum.

Filiorum, qui & dormiebant cum mulieribus ad oſtium Tabernaculi vigilantibus, Pontifex Heli flagitia noverat; quos nihilominus ene: vibus adeò verbis increpavit, ut minimè perterriti de caſtigandis moribus non cogitaverint. Quare cum mandante Domino redarguit Propheta (d), quòd munera Deo offerenda contrivíſſet, quod pluris filios, quam Dominum duxiſſet, ut una cum ipſis omnis ſacrificii primitias comederet. Quamobrem minitatus eſt, domum ejus à Templi miniſterio amovendam fore, & eo uſque conterendam, ut eorum nemo uſque ad ſenium ætatem foret producturus; ab eo porro, cùm proſpera agerentur in Iſraele, æmulum ſuum in Templo videndum; utrumque filium, Ophni & Phinees, eadem die interficiendos, & ſibi a Domino Sacerdotem fore conſtituendum, qui Divinæ voluntati prorſus obſequeretur.

Aliquot poſt annis (e) per adoleſcentem Samuelem ipſi Heli rurſus Dominus exprobravit, quòd filios non redarguerit, neque, ut par erat, mulctaverit; quare Dominus ipſe, quidquid minitatus fuerat, completorus erat in domum ejus, cujus iniquitas nullo nuquam tempore neque hoſtiis expianda foret, neque muneribus. Reverà cum Philiſthini Iſraelitis bellum intuliſſent, & quatuor (f) millibus Hebræorum cæſis, fugaſſent cæteros in primo congreſſu, majores natu ex Iſraele in ſui auxilium Arcam Fœderis duci voluerunt: qua ſtatim ab Ophni, & Phinees in caſtra deducta, iterum tamen, Deo ſic permittente, Iſraelitis cladem intulerunt Philiſthini, interfectiſque Ophni, & Phinees, & hominum 30000. ipſa Arca potiti ſunt, quam detulerunt Azotum. Quæ cùm audiſſet Heli, corruit repen-

(a) Quadrat. apud Stephan. in Otini.
(b) 3. Reg. 9. 26. &c. confer. cum 1. Par. 29. 4.
(c) Vid. Strab. Geogr. l. 2. pluribus in locis.
(d) 1. Reg. 22. 2. &c. A. M. 2851. ante Ch. 1149. ante Ær. 1153.
(e) 1. Reg. 3. 10 &c. Circa A. M. 2861. ante Chr. 1139. ante Ær. 1143.
(f) 1. Reg. 4. 1. &c. A. M. 2888. ante Chr. 1112. ante Ær. 1116.

repentè è ſella retrorſum, contritaque cervice occubuit. Uxor quoque Phinees utero gravis, eo dolore correpta eſt, ut doloribus partus ſubitò agitata, & immaturè pepererit, & pariendo interierit; ita Domino implente, quæ domui Heli fuerat minitatus.

(OPHIR. Ante Davidis Regnum commercia maritima intacta erant Hebræis. Chananæi vel Phœnices omnem ad ſe Mediterranei negociationem traxerunt; cùm autem Hebræi ad mare illa è rara tenerent loca, nulla ad Oceanum, nihil illos pariter curaſſe maritimas excurſiones, cur admiremur, nihil eſt. Ad hæc, à Joſue adusque Davidem vix aliquos quietis annos guſtaverant ſub Saule, ut proinde ſat otii non haberent, quo cogitarent de navigatione. Sed redacta à Davide in poteſtatem Idumæa, receptoque Elath & Aſiongaber ad Erythræum (a), ſtatim intellexit Rex ille quantum ſibi ex illis proveniſſet commodi ad commercia Oceani; quare claſſem inſtruxit, deduxitque, ut facilè autumamus, ex ejus claſſis proventu iſta illa millia talentorum auri, quæ in impenſas Templi ædificandi conſecravit: *Tria millia talenta de Ophir...... ad deaurandos parietes Templi*. 1. *Par*. 29. 4.

Semel inſtitutum commercium illud in Ophir, retinendum cenſuit Salomon poſt obitum patris ſui; atque ab ea claſſe uno eo itinere illata ſunt in Regium ærarium 400. talenta auri. 3. *Par*. 8. 18. Perfecit ille auxitque, quæ inſtituerat David in Elath & Aſiongaber. Ipſe ſe in eas Urbes contulit 2. *Par*. 8. 17. ubi & parari naves, & firmari munitionibus utrumque portum, & quæcunque optima eſſent conſtituit; optima, inquam, tam ad utilitatem commercii Ophiretici, quàm ad promovendum commercium illud ad omnia alia loca, unde iter pateret navigiis è Mari rubro ſolventibus. Conſilio autem frequentandi utramque Urbem aptis ad intentum incolis, accivit eo è locis maritimis Palæſtinæ quotquot gentes maritimas valuis, maximè Tyrios, è quibus ſanè plurimos ſuffecit Hiram Rex fœderatus & amiciſſimus. Ex hac veluti fodina eruit pro maxima ſanè parte ditiſſimos illos theſauros, quibus Salomon, quemadmodum inter ſapientiſſimos ita & inter locupletiſſimos ætatis ſuæ Reges, reputatus eſt. Ejus enim ætate tam vile erat argentum, quàm è terra lapides.

Reges Juda, Salomonis ſucceſſores, quibus Idumæa ceſſerat in partes, commercium illud tantum tectum ſervarunt. Uſi ſunt in eam rem portu Aſiongaber uſque ad Regnum Joſaphat; cum autem Rex ille Juda inſtructam ſui & Ochoziæ Regis Iſrael impenſis claſſem in Ophir amiſiſſet, plurimum ex hoc invidiæ conflatum eſt in famam hujus portus. Aditum ille quidem habebat infeſtum ſerie quadam ſcopulorum, quibus vi tempeſtatis delata claſſis illidens, confracta eſt, urgente Deo eam ultionem in Regem illum reum juncti cum Principe idololatra fœderis. Vide 3. Reg. 22. 49. & 2. Par. 20. 36. 37. Vertente anno Joſaphat per ſe, excluſo Ochozia Rege Iſrael, novam claſſem reparavit ad iter Ophireticum in Elath.

Sub Joram, filio & ſucceſſore Joſaphat, Idumæi, excuſſo jugo, aſſeruerunt ſe in libertatem. 4. *Reg*. 8. 20. 22. quare & ab imperio Regum Juda ſubductæ ſunt Urbes Elath & Aſiongaber commercio Ophiretico ad id uſque ſervientes. Verùm Ochozias, Rex Juda, recepta Elath 4. *Reg*. 14. 22. & 2 *Par*. 26. 2. & Urbem firmavit iterum munitionibus, frequentavit miſſis è ſua ditione incolis, ac tandem negociationem Ophireticam novam revexit, quæ ad Regnum uſque Achaz perſeveravit. Tunc Raſim Rex Damaſci Urbe illa pulſis Judæis potitus eſt, tradiditque manibus Syrorum, meditans vindicare ſibi quidquid commodi è navigatione Ophiretica & Maris auſtralis proveniret. Proximè ſuccedenti anno rapuit Urbem è manibus Raſim, ſibique tenuit Teglat-Phalaſſar. Ex hinc proſtratæ res Judæorum ſat quietis non reliquerunt, ut de Ophir vel de commercio maritimo cogitarent. Vel nomen ipſum hujus regionis fruſtra quæreretur in Libris poſt captivitatem Babylonicam ſcriptis.

OPHLIAS, vel Oblias, quo nomine appellatus eſt S. Jacobus minor. Euſebius, S. Epiphanius, Pſeudo-Abdias (b), Nicephorus legunt *Oblias*; alii *Joblias*; quidam *Ophlias*. De ſignificatione hujus vocis non ſat convenit inter Doctos. Sunt qui legendum maluerint (c) *Hos-leam*, robur populi. Alii (d), *Hapleam*, arx populi; alii (e) *Chabliam*, Gubernatorem populi. Mihi tamen genuina lectio probatur *Ophlias*; Græcis authoribus ſubſtituta eſt *B*. loco *Ph*. quòd ſcilicet in vernaculo eorum ſermone *B*. pronunciatur aſpirata fermè ac *Ph*. In Michææ 4. 8. ubi de Ophel legitur: *Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion*, in Hebræo eſt: *Et tu turris gregis Ophel, filia Sion*. *De Ophel*, tamquam de portione quadam mœnium Jeruſalem, ſermo eſt 2 Par. 33. 4. Sedem ibi fuiſſe deſtinatam Nathinæis intelligimus ex 2. Eſdræ 3. 26. *Ophlia* exprimit ad literam prominentiam, arcem Dei; & *Ophel-am* arcem populi. Vide *Ophel* in Dictionario Biblico.)

OPHNI, urbs Tribus Benjamin, *Joſ*. 18. 24. eadem, ut credimus, ac *Gophni*, ſeu *Gophna*: Hebræum enim *Hain* ſæpè exprimitur inſtar G. Joſephus 15. milliaribus à Jeroſolymis, Neapolim, ſeu Sichem verſus (f), *Gophnam* locat; quam (g) alibi etiam 5. milliaribus à *Geba*, ſeu *Gebaa* removet. Frequens apud Joſephum ſermo de Gophna, & Gophnitica Toparchia: quidquid autem profert, cohæret Euſebio; ait enim v. g. Veſpaſianum capta Gophnitica (h), Bethel, & Ephræm ſubegiſſe; & alibi (i) Titum à Samaria Jeroſolymam verſus progreſſum, perveniſſe Gophnam.

OPHRA, filius Maonathi, ex Tribu Juda. *Par*. 4. 14.

(OPPROBRIUM, dupliciter uſurpatur ſive pro confuſione, quam quis patitur; ſive pro eo quod confuſionem illam inducit. Apud Hebræos non initiari circumciſione erat opprobrioſum; ut cùm Joſue ſacramento illo initiaſſet natos in deſerto Hebræos, ad illos effatus eſt Deus: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis*, *Joſue* 5. 9. Sterilitas alterum erat opprobrii argumentum, quare Rachel filium enixa ſecum ipſa adgratulata eſt. *Geneſ*. 30 23. *Abſtulit Deus opprobrium meum*. Futurum tandem prædicit Iſaias 4. 1. ut rari ſint adeo in Iſraele viri, ut ſeptem fœminæ eundem virum adſciſcere ſibi in conjugem affectent, pollicentes nihil ab illo exacturas ſeſe, ſive ad alimenta, ſive ad res vitæ neceſſarias; contentæ tantummodo opprobrium ſuum ab illo auferri, opprobrium nempe ſterilitatis & cœlibatus. Probroſo quodam morbo in ano percutiens Dominus Philiſthæos, æterna illos ignominia oneravit. *Pſal*. 77. 66.

Servitus, paupertas neceſſitate inducta, in manibus hoſtium captivitas, extraordinarii morbi plaga, veluti lepræ, opprobrii loco habebantur; inducta enim hæc omnia cenſebantur ab effracto animo ac pigro, ſicut & mala rerum ſuarum diſpoſitione, vel ſaltem ulciſcentis eſſe Numinis ictus in pœnam criminis & impietatis. Ita Deus frequentiſſimè populo ſuo minatur futurum, ut conſtituat illos in oppro-

(a) Vide 3. Reg. 9. 26. & 2 Par. 8. 17. & 3. Reg. 11. 15. 16. & 1. Par. 18. 13.
(b) Abdias hiſt. Apoſt. lib. 5. Euſeb. lib. 5. cap. 24. Epiphan. hæreſ. 78.
(c) Fuller. Miſcell. lib. 1. Robur populi ex Pſal. 29. ult.
(d) Reineſ. variar. Lect. 3. pag. 365. (e) Combefis Auctuar. noviſſ. tom. 1. pag. 542.
(f) Euſeb. onomaſt. ad vocem Pharanx. Botryos. (g) Idem in Geba.
(h) Joſeph. l. 5. de bell. c. 8. (i) Idem l. 6. de bell. c. 1.

Digitized by Google

opprobrium & fabulam hominum, quod item frequentiſſimè impletum ſpectavimus in crebris, quibus premebantur, ſervitutibus, maliſque, quibus oppreſſi ſunt. Redditum ſe à Deo opprobrium eorum, quotquot habebat proximos inſultantes ærumnis ſuis ac malis, queritur crebrò Pſalmiſta.

Non recipere opprobrium adverſus proximos ſuos Pſal. 14. 3. eſt amovere aures à calumniis & ſuſurrationibus in proximum ſuum formatis. *Abſtulit David opprobrium ex Iſrael* 1. *Reg.* 17. 26. *Eccli.* 47. 4. dum proſtravit Gigantem. Jeremias 31. 19. *Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ*; probro criminum adoleſcentiæ meæ me onerasti, horrorem nempe eorum demonſtraſti mihi, ut pœnam eorum ſentirem & confuſionem. Iſaias 54. 4. *Confuſionis adoleſcentiæ tuæ oblviſceris, & opprobrii viduitatis tuæ.* Tu ſcilicet, Tribus Juda, è captivitate reſtituta vel memoriam perdes opprobrii, quo ſuffuſa fuiſti, in medio nationum.

OPUS, varia ſignificat. *Quod eſt opus veſtrum Gen.* 46. 33. & 47. 3. ait Pharao ad fratres Joſephi; quam vitæ profeſſionem exercetis? *Requievit Deus ab univerſo opere Gen.* 2. 2. ceſſavit à novis creaturis producendis. *Opus Domini terribile Exod.* 34. 10. terribilia ſunt prodigia, quæ Deus in medio populi ſui operatus eſt. *Opus ſutorium, abietarium, carpentarium, polymitarium, pigmentarium, &c. Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane Levit.* Hic opus ponitur loco *mercedis* pro opere. Valet etiam interdum pro vitæ inſtitutæ ratione. *Nihil puerile geſſit in opere Job.* 1. 4. Pſ. 27. 4. *Da illis ſecundum opera eorum.*

Vitio ſæpe vertitur Judæis cultus impenſus *operibus manuum ſuarum*; Idolis nempè à ſe conflatis. *Iſai.* 2. 8. *Opera Dei* exprimunt interdum Dei ultionem *Iſai.* 5. 19. *Qui dicitis; Feſtinet, & citò veniat opus ejus, ut videamus.* Et cap. 26. 12. *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera noſtra operatus es nobis*; quidquid ſcilicet accidit nobis, hoc te authore inductum eſt. Et cap. 28. 21. comparat ſe Dominus *ut faciat opus ſuum; alienum opus ejus* (alienum eſt opus ab eo, indoli ejus non planè ſecundum) *ut operetur opus ſuum; peregrinum eſt opus ejus ab eo.*

Iſai. 32. 17. *Erit opus juſtitiæ pax*; erit ſcilicet juſtitiæ merces. Pſ. 108. 20. *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi*; hæc pœna. Iſai. 40. 10. *Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo*; ſecum habet laboris mercedem. Habac. 3. 18. *Mentietur opus olivæ*, nullam colenti mercedem referet. *Proſperatum eſt opus in manibus eorum* 1. *Macc.* 2. 47. res in manibus eorum proſpero curſu directa eſt.

Opera legis, ut oppoſita operibus juſtitiæ & gratiæ, ſunt opera cæremonialia Legis Moſaicæ. *Opera mortua*, ſunt peccatum. *Opera carnis*, ea ſunt quæ agente concupiſcentia præſtantur. *Fides ſine operibus mortua eſt*, fides quam charitas non animat, nec ad moralia probaque opera valet, mortua eſt & inutilis.

ORACULA. Diu vexari hoc argumentum jam inde ab aliquibus annis cœptum, in varias de oraculis ſententias viros eruditos diſtraxit. Sunt qui Dæmoni authori tribuerint Oracula omnia antiquitatis. Sunt qui dolis & calliditati Sacerdotum; ſunt tandem quibus perſuadeantur plurima fuiſſe varii generis apud Veteres oracula; alia quidem Dæmonis malis artibus fabricata, alia dolo & fallacia Sacerdotum ſuppoſita. Omnium generum Oracula ſuppeditat Scriptura. Balaam, ſpiritu afflatus ſuo, malaque intus agente auri cupiditate extimulatus, metuenſque ne promiſſa ſibi mercede à Balach Rege Moabitarum fraudaretur, Diabolicum illud conſilium inſinuavit Principi, ut offendiculum poneret Iſraelitis in fornicationem & Idololatriam, certam pollicitus ea arte victoriam, vel ſaltem ſuorum ſpondens, ut in populum Dei plurimo rerum ſuarum compendio prævaleret. Num. 24. 14. & 31. 16.

Michæas filius Jembla Propheta Domini narravit 3. *Reg.* 22. 21. *&c.* ſpectaſſe ſe aſſidentem in throno Dominum conferto cœleſtis exercitus ſatellitio ſtipatum; audiviſſe autem quærentem, ecquis deciperet Achab Regem Iſrael, quò ſuſcipiens expeditionem in Ramoth Galaad perderetur. Varii varia reſponderunt; ſimul autem offerens ſe coram Domino malus Spiritus provinciam ſibi poſtulavit Regem ſeducendi. Ecqua ratione, ait, Dominus? ſtatimque alter: *Spiritus ero mendax in ore omnium Prophetarum.* Tum Deus: *Eas; decipies, & prævalebis.* Univerſa hæc hiſtoria duo probat; 1. Dæmonem ſuis viribus præſtare poſſe nihil; 2. facta ſibi à Deo facultate valere illum ad inſinuandum errorem in Pſeudo-Prophetis, Divinis, & Magis, quibus ad Oracula falſa promenda inducantur. Porrò Pſeudo-Prophetarum ingens ſemper turba ditionem Iſraelis inundavit. Nunqam non in illos invehebantur Prophetæ Domini. Seductores autem illi, quamquam legatione à Domino minimè functi, adhuc tamen Dei nomine loquebantur. Certum ponit Moyſes, Deut. 13. 2. non defuturos in Iſraele Arioloſ & Pſeudo-Prophetas, qui vindicarent ſibi poteſtatem reſerandi futurorum arcana, nec oraculis illis fidem defuturam ab eventu. Statuendum eſt inſuper apud cæteras gentes Barbaros, Idololatras plus etiam invaluiſſe Dæmonem, ac majori miniſtrorum ſatellitio poteſtatem hanc ſuam exercuiſſe. Eſt igitur cur certa fide teneamus Dæmonem oracula pluiima illorum ore fudiſſe.

Beelſebub Deus Accaron fatidicus habebatur maximè; ad hunc enim Ochozias Rex Iſrael è lapſu de ſuperiori ædium ſolario graviſſimè affectus 4. *Reg.* 1. 2. 3. conſulendum miſit, intellecturus num è vulnere illo convaleſceret. Sed Elias juſſu Domini obviam accurrens Legatis hæc Principi referenda nunciavit: Num caret Numine Iſrael, ut conſulendus ſit à vobis Beelſebub Deus Accaron? Idcirco verba Domini vobis denuncio. E lecto, in quo decumbis, nunquam ſurges; certus enim te manet interitus. En Domini oraculum, quod Dæmonis oraculum prævenit.

Idolum Beli, quod Babylonii tanquam Numen quoddam vivum cibo potuque ſeſe reficiens, colebant *Dan.* 14. 2. claruiſſe oraculis facilè arbitror. Id ſaltem credulo populo non majori negocio perſuadebatur, quam Rex ipſe perhiberet; certa enim fide tenebat ille Simulacrum Idoli omnia ea vorare potus ſilentio, quæ inſtructa menſa per diem illi parabantur.

Legimus, Judic. 18. 5. &c. familias quaſdam Daniticas, ſedes quærentes extra regionem ſuam, miſiſſe ſelectos viros ad locum commodum inveſtigandum. Offenderunt viri illi inter eundum hominem quemdam, nomine Micha, cujus ſtipendiis merebat junior Levita Præfectus domeſtici Sacelli; conſulebatque in rebus arduis Simulacrum quoddam ſuperſtitioſum. Junior ille Levita repoſuit vaticinans Danitis: *Ite in pace, Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis.* Læti illi proſecuti ſunt iter, votique compotes effecti ſunt. Reputabimus ne fortè Levitam hunc Dei ſpiritu afflatum, genuinum oraculum pronunciaſſe? Non arbitror. Multò enim vero propiùs autumaremus, vel illum ſuo ſenſu, vel ſuggerente ſpiritu mendacii locutum fuiſſe.

Nemo iverit inficias Paganos quæſiviſſe oracula ab Idolis; recipiebant ergo ab illis interdum reſponſa. Ecqua enim in mundo gens adeò ratione deſtituta occurreret, quæ ſuſciperet interroganda ea, à quibus reſponſum nullum expectaret? Exprobrat Oſee 4. 12. Iſraelitis, quòd ligna & cætera id generis conſuluerint: *Populus meus in ligno interrogavit* (Idola lignea,) *& baculus ejus annunciavit ei*; auguria nempè per virgas captavit. Vide Ezech. 21. 23. Author Libri Sapientiæ 13. 16. 17. narrat homines, poſtquam aptam igni, ut ſe foveant, materiam ſibi providerint, à ligno in nemore cæſo quæ reſtant, ſculpere in Idolum. Illud autem conſecratum conſulunt de *ſubſtantia, de filiis ſuis, de nuptiis*

votum

...vitum facientes inquirunt &c. Conſulunt ſcilicet de rebus graviſſimis.

Idem deplorat Hebacuc 19. *Væ qui dicit ligno: Expergiſcere; ſurge, lapidi tacenti. Nunquid ipſe docere poterit?* Quo in loco Pſalmiſta, Pſal. 13. 5. & Pſ. 30. 6. affirmat Idola ore inſtructa eſſe, & loquendi facultate deſtitui; non auribus; ſed auditu carere &c. probat pariter Paganos in tantam veniſſe dementiam, ut illa conſulerent, veluti ſi nec anima, nec ſenſu, nec mente deſtituerentur. Porrò ut jam ſupra philoſophati ſumus, nunquam ſuccurriſſet integris gentibus quærere à lapide reſponſa, niſi aliquando locuta illa experimento tenerent.

Quod attinet ad Hebræos, verſantes in medio populi Idololatræ, aſſuetique conſulere oracula, Divinos, Magos, ſomniorum Interpretes; quid non habuiſſent incitamenti ad imitanda impia illorum, & ſuperſtitioſa exempla, niſi Deus opportunè providiſſet, ut certa ſuppeteret ratio, qua ſe inſtruerent de futurorum eventibus in rebus graviſſimis, conſulentes ſcilicet Dominum, ejus Prophetas, & Sacerdotes. Ita Moyſes, poſtquam inhibuiſſet Iſraelitis, ne conſulerent Magos, cæteroſque id generis homines, [illegible] *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Deut. 18. 10. &c.

[illegible] idem oraculis nulla fuerunt certa tempora, [illegible] non circumſtantiæ, nec à merito eorum [illegible], qui conſulti oracula illa promebant. Summus Sacerdos indutus Ephod & Rationali vera reſpondebat, cujuſcunque eſset meriti vir; reſpondebat etiam interdum, quanquam non ſat probè inſtructus [illegible], de quibus conſulebatur. Caiphas oraculum [illegible] de Jeſu Chriſto, quem vitum habebat [illegible], optabatque depreſſum; oraculum, inquam, [illegible], quod ipſe pariter dum pronunciaret, non aſſequebatur: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Joan. 11. 49. 50. Summus Sacerdos Achimelech interrogatus à David, quanquam non ſatis luculenter expoſuiſset ille itineris ſui cauſam, recta tamen reſpondit. 2. *Reg.* 21. & 22. 13. Tradit Michæas 3. 11. *Principes ejus* (populi Dei) *in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant;* ſemper tamen vera annunciarunt. Extrema judicii die plures Jeſum Chriſtum convenient, dicentes: *Matth.* 7. 22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus; nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Reponet ille tamen: *Nunquam novi vos.*

Docent Patres in adventu Meſſiæ omnia Paganorum oracula obmutuiſſe. Conſtat utique poſt promulgatum Evangelium acciſam fuiſse Dæmonis poteſtatem, & ſenſim abiiſſe in contemptum oracula Paganorum celebratiſſima. Affulgens oculis hominum fidei lumen vera detexit, atque prodigiorum, quæ ab Apoſtolis & primis illis Chriſtianis patrata ſunt, veritas impoſturam arguit ſive præſtigiorum, ſive eorum, quæ malis artibus à Sacerdotibus Numinum ſuppoſita ſunt. Fateamur tamen oportet ſilentium illud Oraculorum non ſtatim ſimulque obtinuiſſe, ſed ſenſim, ut [illegible] etiam poſt Jeſum Chriſtum non deeſſent Impoſtores venditantes oracula, & Dæmones, qui leves homines oraculorum nugis fallerent. S. Joannes Apocal. 13. [illegible] 13. 14. 15. deſcribens commovendam ſub Juliano Apoſtata in Eccleſiam perſecutionem, narrat ſigna, prodigia, & illuſiones, quibus ſeductor ille [illegible] [illegible]tores mundum decepturi eſſent, homines [illegible] ad cultum beſtiæ, nempè Idolorum.)

[illegible]ULUM. S. Hieronymus plerumque *Oraculum* [illegible], quod alibi pluries *Propitiatorium* appel[illegible]. Hebræum (a) *Capphoreth* derivatur à *Caphar*, [quod] ſonat expiare, peccata dimittere, tegere, aliquid operire. Poſſet hæc vox *operculum* verti; erat enim reverà operculum Arcæ Fœderis, ſeu Arculæ ſacræ, in qua Fœderis Leges ſervabantur. In utroque ejuſdem extremo duo ex auro ſolido Cherubim inſidentes, alis invicem protenſis veluti thronum, Domini Sedem, conſtituebant. Quare interdum Deum obſecramus: *Qui ſedes ſuper Cherubim.* Fortè etiam *capphoreth* idcircò *propitiatorium* vertitur, ut innoteſcat, Dominum illic populi ſui preces exaudire, eidemque peccata dimittere; ideò autem *oraculum* exponitur, quod Deus inde voluntatem ſuam patefaceret, & oracula ſua Moyſi aperiret.

ORACULUM. Hoc quoque nomine Sanctuarium venit, ſeu locus, ubi ſita erat Arca Fœderis. Hebræum legit (b) *Dabir*; idemque Septuaginta. Chaldæi *Domum propitiationis*; Aquila & Symmachus, *Chrematiſterion* vertunt. *Dabir* tamen propriè oraculum ſignificat.

ORACULUM. Eadem hac voce Idolorum oracula referuntur. Babylonis Rex in Judæam proficiſcens, *Ezech.* 21. 23. cùm perveniſſet ad bivium, Teraphim conſuluit, & ſagittas ſuas immiſcuit, ut ſcrutaretur, an Jeroſolymam invaderet; quem irriſerunt Judæi, velut hominem, qui fruſtra conſuleret *oraculum*. Hebræum ad literam: *velut hominem, qui fruſtra divinationem exerceret.* Omnium celeberrimum Palæſtinæ oraculum Beelſebub fertur, Idolum Accaronis, 4. *Reg.* 1. 2. quod ſæpè ipſi Judæi conſulebant. Venerationi quoque habebantur Teraphim, ut Michæ Teraphim oſtendit; *Judic.* 17. 5. & 18. 14. Ephod etiam Gedeonis, & Idola, quorum cultus in Samaria. *Judic.* 8. 27. Illa quidem per falſos Prophetas voluntatem ſuam aperiebant, & enunciabant oracula, ſive ea Dæmonum ope verè loquerentur, ſive falſi Prophetæ populos deciperent, oſtentantes ab Oraculo acceptum, quod per ſe ipſos effabantur.

Plura apud Judæos vera oracula: 1. vivæ vocis oraculum, veluti quæ Deus facie ad faciem, ceu amicus amico, Moyſi aperuit *Num.* 12. 8. 2. Prophetica ſomnia, quæ ſunt à Deo, veluti ſomnium Joſephi, illius fortunæ prænuncium *Gen.* 37. 5. 3. Viſiones, ut cùm Prophetæ in extaſim rapti, neque dormientes, neque verè vigilantes, ſupernaturalibus viſionibus donabantur. *Gen.* 15. 1. & 46. 2. *Num.* 12. 6. *Joel.* 2. 28.... 4. Oraculum Urim, & Thummim, quod Pontifex enunciabat indutus Ephod, ſeu Rationali, cui Deus Prophetiæ donum voluit ut adhæreret; quem conſulendi Domini morem ab Joſue uſque ad conſtructionem Templi Jeroſolymitani ſæpè adhibuere. 5. Poſt Templi conſtructionem, quibus Juda & Iſrael affluxere, Prophetas conſulendi mos frequentior inoleverat. Poſt Aggæum, Zachariam, & Malachiam ultimos Prophetarum, quorum apud nos ſcripta oracula, volunt Judæi ſibi Deum impertiſſe id, quod *bath-kol* appellant, filiam nempe vocis. Hæc erat ſupernaturalis Divinæ voluntatis aperta revelatio, vel per monitum internum, vel per vocem ſenſibilem, & externam, quæ à tot hominibus audiretur, qui pro teſte ſufficerent. cujuſmodi vox fuit, quæ in Baptiſmo Domini intonuit: *Matth.* 3. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus &c.*

Frequens in Eccleſia Catholica Prophetiæ donum, ac familiare. Idolorum autem oracula penè deſtiterunt, poſtquam Verbum Dei induit humanitatem. Cùm verò Chriſtus Dominus, præter Sancti Spiritus præſentiam in medio eorum, qui in nomine ſuo congregarentur, Eccleſiam quoque à ſe nunquam relinquendam, nec ab inferi portis opprimendam, ſit pollicitus; nos tot freti promiſſis, Eccleſiæ, utpote Spiritus Sancti luce perfuſæ, Oraculum in fidei controverſiis decidendis infallibile ducimus, & comprobamus.

(ORATIO. Quas dirigimus ad Deum, preces

(a) Exod. 25. 18. & 37. 6. & paſſim. 70. Ἱλαστήριον
(b) 3. Reg. 6. 5. &c. & 8. 6. &c. Aquil. Symmach. Χρηματιστήριον. Pſal. 27. 2. Naos.

viam ſtruunt, unde ſolent ad nos referri ex Deo beneficia. Aſſiduæ juſtorum preces plurimùm emerendo Deo valent. Viri ſancti utriuſque Teſtamenti precum ſtudioſi fuerunt; oravit & Jeſus Chriſtus princeps & exemplar Juſtorum atque Electorum, ſuoque exemplo nos docuit oratione coli Deum, atque ab illo beneficia impetrari. *Multum valet deprecatio Juſti aſſidua*, ait S. Jacobus 5. 16. 17. &c. S. Paulus in omnibus ferè Epiſtolis ſuis orationes Fidelium pro ſe rogat, ſuaſque ad Deum pro illis offert.

ORATIO PUBLICA. Poſt rogatam Legem, nunquam ceſſavit apud Hebræos publicè inſtituta oratio, in Tabernaculo, ſive in Templo pro temporis diſcrimine. Porrò orationem hanc efficiebant Sacrificia veſpertinum & matutinum per ſingulos anni dies; tum & preces, quas Sacerdotes & Levitæ offerebant in loco illo religioſo. Neque ii ſumus, ut conſtitutum credamus certum Officii penſum in Templo, quemadmodum noſtra ætate in cœtibus Canonicorum vel Monachorum; ſed æquivalens aliquid concipimus; offerebantur enim ibi quotidiana Sacrificia, ſuffitus, aromata, oblationes, primitiæ; quotidie pariter iterabantur cæremoniæ pro redimendis primoribus natu, luſtrandiſque iis, qui maculæ aliquid contraxerant; uno verbo, eo confluebant ea univerſa Paleſtina ſolvendis votis, privatæque religionis cauſa; nec id tantùm recurrentibus per annum ſolemnis, ſed vulgaribus etiam diebus; nihil autem ejuſmodi ſine precibus agebatur.

Ant hoc Pſalmi 118. 164. habet: *Septies in die laudem dixi tibi*. Veſpertinam, matutinam ac meridianam precem ſuam commemorat Author Pſ. 54. 18. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*. Ter flexis genibus orabat Daniel per diem, apertiſque feneſtris adorabat Jeroſolymam verſùs: *Tribus temporibus in die flectebat genua ſua & adorabat*. Excubias agentes in Templo Levitæ manus ſuas per noctem levabant, excitabantque ſe mutuo ad orandum: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum* Pſ. 133. 2. De ſe profitetur Pſalmiſta, Pſ. 118. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Eſurialibus diebus quatuor ſtatas precibus horas legimus, 2. Eſdræ 9. 3. *Surrexerunt ad ſtandum & legendum quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum*.

Rabbinorum nonnulli docent inſtitutam precem matutinam ab Abrahamo; meridianam ab Iſaac; & veſpertinam à Jacob. Malunt alii nihil certi conſtitutum fuiſſe, qua in horis, qua in formula precum uſque ad tempora Babylonicæ captivitatis (a). Antehac enim rogabant ſinguli, prout privata devotione ac pii cordis motu agebantur. Sed in captivitate Eſdras animadvertens, Judæos prophanas aliquas voces addere in formulis precum, quas ſanctitati rei minùs decere arbitrabatur, digeſſit 18. benedictiones, memoriæ ab Iſraelitis ſingulis ex præcepto mandandas, & recitandas quotidie. Decimam nonam addidit R. Gamaliel paulò ante everſionem Templi, vertaturque in Apoſtatas & Hæreticos, quo nomine ſuggillari Chriſtianos vix ambigimus. Conſtat utique 18. illas preces remotiſſimam antiquitatem præferre; ita enim de ipſis agit Miſna in Barachot cap. 4. §. 3. tanquam de formula longa jam ætate obtinente.

Idem Eſdras certum orationi tempus definivit (b); ſicut autem Deo offerebatur perpetuum veſpertinum matutinumque ſacrificium; ita & veſpertinæ ac matutinæ preces ſolemnes conſtitutæ ſunt. Diebus feſtis & Sabbato meridianum erat ſacrificium, meridiana item precatio decreta; cùm autem ſacrificium veſpertinum nocte conſummaretur, precem ille nocturnam inſtituit.

Nihilo tamen ſeciùs tres tantùm horæ precandi, mane, veſpere, & meridie data lege conſtitutæ ſunt. Tempus matutinæ præfixum eſt ab ortu ſolis uſque ad tertiam diei, i. e. uſque ad nonam matutinam in æquinoctio. Meridianis precibus decretum eſt tempus à tertia uſque ad ſextam, i. e. à nona matutina uſque ad meridiem. Veſpertinæ tempus ducebatur poſt tertiam à meridie uſque ad ſex horas veſpertinas in æquinoctio. Addita diebus feſtis oratio recitabatur circa nonam horam, differebaturque citra piaculum uſque ad meridiem. Preces dierum eſurialium nullum habebant tempus præfixum.

Publicæ in Synagoga preces ter ſingulis diebus agebantur. Exordiebatur rem totam Miniſter recitans precem, quam appellant *Kaddiſch*, quòd ſcilicet rogatur Deus, ut nomen ipſe ſuum ſanctificet in hæc verba: *O Deus, nomen tuum magnificetur & ſanctificetur in mundo, quem tu pro bonâ voluntate tuâ creaſti. Effice, ut regnet Regnum tuum, floreſcat redemptio, veniat promptè Meſſias, ejuſque nomen celebretur*. Hæc precandi formula vetuſtiſſima habetur omnium, quotquot ſervatæ ſunt apud Judæos; & cum Chaldaicè recitetur, ſuſpicioni locus eſt digeſtam illam in captivitate Babylonica, vel paulò poſt illam ſolutam. Reſpondet populus; *Amen*. Deduxiſſe ex eo fonte videtur Jeſus Chriſtus illa orationis dominicalis: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum*.

Poſt antiphonam illam vel benedictionem recitabatur olim Decalogus, qui religionis omnis Judaicæ fundamentum eſt; ſed modò ſatis habent legiſſe ſententiam ex cap. 5. Deuteronomii in hæc verba, ineuntem: *Audi Iſrael &c.* Lectione, & quæ poſt illam continuatur, benedictione abſoluta, ſtantes omnes nec Miniſtro excepto orant ſubmurmurantes. Secundùm hæc, quiſque tribus greſſibus retrorſum incedit, quod venerationis eſt argumentum, recitatque Miniſter 18. precandi formulas, quarum tres priores Dei laudes proſequuntur, ſubſequentes duodecim Eccleſiæ ad privatorum neceſſitates; tres reliquæ exhibent ſinceram confeſſionem homines eſſe nos nihili, atque indigniſſimos. Fas eſt ſingulis poſt tertiam benedictionem priſtinum locum repetere, i. e. tribus paſſibus progredi.

Cùm precatio *Modim* appellata recitatur, flectendum eſt corpore aliquantò; cùm deinceps aliæ ſequuntur, aſſident omnes, caput interdum flectitur, interdum attollitur *vox*, juxta ac poſtulat oratio. Poſt plures benedictiones, varioſque recitatos Pſalmos præcinitur antiphona, unde Officium ducitur; tum Miniſter benedictionem impartitur populo, qui recipiens ſeſe precatur: *Domine, ducas me in tuam juſtitiam, & dirige iter coram me propter inimicos meos*. Hic matutinæ precis eſt ritus.

Preces meridianæ & veſpertinæ quotidie pariter abſolvuntur. Præſidet ritui Miniſter Synagogæ, eundemque habent omnia ritum atque ordinem, ac matutinæ illæ, variatis tamen precibus, benedictionibus, ac lectionibus. Sermone concipiuntur Hebraico, admixtis tantùm formulis quibuſdam precum Chaldaicis. Neutram linguam vulgares Judæi ſatis aſſequuntur; ſed longa illa habitudo, qua precationibus illis aſſueverunt, atque vocum utriuſque linguæ plures, quarum ſignificationem adhuc norunt, id efficit, ut non temerè penitus reponant: *Amen*. Ita fermè & apud nos plures, qui Latino ſeſe non exercuerunt, adhuc tamen ſat norunt in lectione Evangelii & in precibus Eccleſiaſticis, ut mente advertentes intentionem ſuam componant cum intentione Sacerdotis in eas orationes præeuntis.

Jubantur ſinguli Judæi centum benedictionum penſum ſingulis diebus reddere. Benedictionibus hiſce jungenda ex Pſalmis quædam, aptiſſima pietati excitandæ promovendæque, maximè autem omnium in rem conferre cenſentur poſteriores verſiculi Pſalmi 145. canunt autem ſinguli pro more regionis ſuæ,

altiùs

(a) Baſnage Hiſt. Jud. tom. 5. l. 7. 17. art. 3.
(b) Maimon. apud Vitring. de Synag. lib. 1. par. 2. cap. 12. Comment. in Act. 3. [illegible]

Digitized by Google

altiùs Germani, Hiſpani verò & Orientales ad Turcarum muſicam propius accedunt; graves canunt Itali.

Poſt Pſalmos illos decantatos ſequitur lectio *Schema*, i. e. trium variarum ſectionum, quas ſufficit Deuteronomii 6. 4. 9. & 11. 19. 21. Numerorum 15. 37. 41. Nominis autem *Schema* ratio petitur, quod prima ſectio exorditur à voce *Schema*, i. e. *Audi*. Per lectiones illas Scripturæ intercurrunt preces ac benedictiones, revocantes ſæpè in memoriam Numinis ſingularitatem. Claudit has preces laus Dei, *qui redimis Iſrael*: quæ poſteriora verba dum pronunciantur, aſſurgunt omnes, ſtatimque continuantur 18. preces & benedictiones, quas Eſdras veluti normam tradidit magnæ Synagogæ. Illis abſolutis ſeſſio; tum prono ad terram vultu elatoque aliquantùm capite, abeunt ſinguli in privatas preces; dein recitatur Pſalmus 145. eoque peracto diſcedunt ad propria.

Sunt qui recitent continuato ordine præſcriptas 100. benedictiones, ut à moleſto velut pondere quàm citò ſeſe releveni; ſed morem hunc damnant Doctores ſtatuentes ſingulas illas benedictiones ſuo certo loco conſtitui oportere, ut accommodanda ſit argumento, quod tractat. Subeunte veſpere precum idem ritus, qui mane, redit. Ita ſaltem docet Maimonides Judæorum omnium exactiſſimus Scriptor, quem Authores Chriſtiani præ cæteris libentiùs ſequuntur.

Leo Modena Cærem. Jud. part. 1. c. 9. Italicè, obtinere dicit apud pleroſque Judæos, ut mane in Synagoga cum precibus recitent 100. hasce benedictiones. Hinc preces illas matutinas appellant *Mea Beracoth*, i. e. 100. benedictiones. Addit, inductos à Rabbinis Judæos perſolvere benedictionum ac laudum peculiarium Dei penſum non ſolùm in precibus ordinariis, & cùm ab illo beneficio aliquo donantur; ſed & dum inopinatum quodcunque illis acciderit, quin & cùm ſingula quæque præſtanda ſunt, ſive ſcilicet deguſtandi ſunt cibi, ſive potus libandus, ſivè nares grato aliquo odore alliciuntur; ad ſingula tandem Legis vel Rabbinorum præcepta; quod extendunt etiam ad ea, quæ ſingulis nova vel extraordinaria occurrunt. Habent enim varias pro rebus omnibus benedictiones, quæ fuſiùs exponuntur in ampliori volumine à Rabbinis ſcripto.

Mane ſtatim è cubili precantur: *Benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, Rex mundi, qui mortuis vitam reddis, cæcos illuminas, & terram ſuper aquas extendis*: ac plura id generis. Dum lavant manus juſſi ſunt recitare: *Benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, Rex Mundi, qui ſanctificaſti nobis præcepta tua, & injunxiſti nobis lavare manus*. Cùm ad ſtudium Legis ſe conferunt: *Benedictus ſis &c. qui dediſti nobis Legem*. Dum ad cibos capiendos: *Benedictus ſis tu ..... qui deducis è terra panem*. Ad potum: *Benedictus ſis tu .... creator fructuum vineæ*. Ad fructus terræ: *Benedictus &c. creator fructuum terræ*. Cùm ſuave aliquid olet: *Benedictus &c. qui creaſti hunc odorem*. Ad aſpectum celſi montis, vel latè patentis æquoris: *Benedictus &c. rerum ab exordio creator*. Ad exordium ſolemnis alicujus Feſti, vel cùm deguſtant, ſeu veſtiunt novi aliquid, *Benedictus &c. qui vitam nobis prorogaſti, ac ſervaſti nos uſque ad hunc diem*. Si quis deceſſerit. *Benedictus ſis tu Judex veritatis*.

Denique in rebus omnibus agendis præſtandiſque, benedictione aliqua Deum apprecantur ſati, ingrati animi vitio notandos, ſi quo fruantur, ſi quo utantur in hoc mundo, niſi priùs agnito verbis quibuſdam laudis Deo, quo authore hæc omnia tenent.

Generatim autem in precibus Judæorum notare licet; 1. Gentis moroſitatem & battologiam, repetitaſque ad moleſtiam uſque formulas (a), quod illis vitio vertit Jeſus Chriſtus Matth. 6. 7. *Orantes autem, nolite multum loqui, ſicut Ethnici; putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur*. Genium hunc ſuum in orando planè non reformarunt. 2. Habitum corporis in orando advertas; orant enim ſtantes, vel capite in terram prono, extendunt pedes manuſque, clamantque validè. Ita porrò & Jeſus oravit in horto Olivarum; proſtravit ſe, clamavit validè; *Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia Hebr*. 5. 7. 3. Cenſent ſuppleri precibus defectum ſacrificiorum, quæ abolito Templo & Altari ipſa pariter abolita ſunt; quare & ſacrificiorum nomine & virtute orationem donant.

Ad normam Judaicarum ordinatas fuiſſe preces primorum Fidelium, vero propiùs autumaremus. Potiſſimæ benedictionis Judæorum veſtigia quædam deprehendimus in oratione Dominica. Porrò conciſam precandi formulam oppoſuit Chriſtus battologiæ Judaicæ. Monet Apoſtolus *Epheſ*. 6. 18. & 1. *Theſſalon*. 5. 17. & 1. *Timoth*. 2. 8. Fideles, ut in omnibus locis omnique tempore orent, levent puras manus ad Cœlum, benedicant in omnibus Deum; ſive dum comedunt, ſive bibentes, ſive aliud quodcunque præſtantes, omnia in gloriam Dei referant 1. *Cor*. 10. 31.; uno verbo non intermiſſam orationem commendat Jeſus Chriſtus: *Vigilate omni tempore orantes, Lucæ* 18. 1. & 21. 36.

Jucundum accidet Lectoribus, ſi deductas hic habeant 18. illas preces ab Eſdra inſtitutas, cum decima nona, quam Gamaliel adjecit. Ponitur autem poſterior hæc ordine duodecima, nec à nobis aliò rejicietur.

I. *Benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, Deus Patrum noſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob; magnus Deus, potens, terribilis, excelſus, diſpenſator liberalis bonorum, creator ac poſſeſſor univerſi, qui recordaris probè geſtorum à Patribus noſtris, & qui in amore tuo mittis poſteris illorum Redemptorem; ò Rex adjutorium noſtrum, ſervator noſter, clypeus noſter. Benedictus ſis tu, Domine, clypeus Abraham*.

II. *Domine, tu es potens in ſempiternum. Tu exſuſcitas mortuos, tu potens es ad ſalvandum, mittis rorem, amoves ventos, deducis pluviam ſuper terram, ſervas bonitate tua quidquid habet vitam. Tua dives miſericordia exſuſcitat mortuos, lapſos relevat, ægrotos ſanat, ſolvit captivos; veritatem promiſſionum tuarum tu monſtras iis, qui dormiunt in pulvere. Quis ſimilis tui, potentiſſime Domine? Quis ſimilis tuo, Rex noſter, qui occidis & vivificas, qui germinare facis ſalutem velut herbam in agris? Fidelis es tu uſque ad reſuſcitandos mortuos. Benedictus ſis tu, Domine, qui exſuſcitas mortuos*.

III. *Tu ſanctus es, ſanctum nomen tuum, ſancti tui laudant te omnibus diebus ſanctis; tu es enim magnus & ſanctus Rex. O Deus, benedictus ſis tu, ò Domine Deus ſanctiſſime*.

IV. *Tu es cujus bonitas dat hominibus ſcientias omnes, & docet illos prudentiam. Da nobis miſericordiam tuam, intelligentiam, miſericordiam tuam, ſapientiam, & prudentiam. Benedictus ſis tu, Domine, cujus bonitas dat intelligentiam & agnitionem hominibus*.

V. *Reducas nos, ò pater noſter, ad ſervandam legem tuam, & effice, ut inhærentes perſeveremus præceptis tuis; trahas, Rex noſter, ad cultum tuum; converte nos ad te per pœnitentiam perfectam coram te. Benedictus ſis tu, Domine, qui recipere nos dignaris ad pœnitentiam*.

VI. *Miſerere noſtri, ò Pater noſter; peccavimus enim. Parce nobis, ò Rex noſter; Legem enim tuam violavimus. Tu es enim Deus miſericors ad ignoſcendum promptus. Benedictus ſis tu, miſericordiſſime Domine, qui tam abundè explicas miſericordias ſuas in venia peccatorum*.

VII. *Reſpice miſericors afflictiones noſtras, quæſumus. Faveas nobis in omnibus certaminibus noſtris; perores cauſas noſtras in omnibus controverſiis noſtris*,

(a) Baſnage Hiſt. Jud. to. 5. l. 7. c. 27.

feſtina redimere nos redemptione perfecta propter amorem nominis tui; tu es enim Deus noſter, Rex noſter, & potens Redemptor. Benedictus ſis tu, Domine, Redemptor Iſrael.

VIII. *Sana nos, Domine Deus noſter, & ſanabimur: ſalva nos & ſalvabimur; tu es enim laus noſtra. Mitte ad nos ſanitatem, dona nobis remedium perfectum omnium infirmitatum, omnium malorum, omnium vulnerum noſtrorum; tu enim es Deus ſanans, & tu es miſericors. Benedictus ſis, Domine Deus noſter, qui donas ſanitatem populo tuo Iſrael.*

IX. *Benedictus ſis, Domine Deus noſter, in omnibus operibus manuum noſtrarum; benedic pro nobis ſingula anni tempora. Da nobis rorem & pluviam cum benedictione tua in univerſam noſtram regionem. Satia univerſam terram benedictionibus tuis, & mitte in omnia loca terræ culta humorem, quo indiget. Benedictus ſis tu, Domine, qui effundis benedictionem tuam ſuper annum.*

X. *Cogas nos omnes ad ſonum magnæ buccinæ, ut frui nos facias libertate; leva ſigna, ut reducas in regionem ſuam captivos omnes è quatuor angulis terræ. Benedictus ſis tu, Domine, qui congregas diſperſos populi Iſrael.*

XI. *Redde nobis Judices noſtros, uti jam priùs, & Conſiliarios noſtros, ut olim ab exordio. Remove à nobis mala, & ærumnas. Regna ſolus ſuper nos in bonitate tua, in miſericordia tua, in juſtitia, & æquitate. Benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, qui amas juſtitiam & æquitatem.*

XII. (Duodecima hæc precandi formula in Chriſtianos directa creditur). *Nulla remaneat ſpes iis, qui renunciant veræ Religioni. Hæretici omnes quocunque ſint numero, pereant velut in momento, & Regnum ſuperbiæ* (a) *ſit ſtatim everſum diebus noſtris. Benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, qui deſtruis impios & deiicis ſuperbos.*

XIII. *Miſerationes tuæ commoveantur erga bonos & juſtos, erga proſelytos juſtitiæ, & reliquias populi tui è domo Iſrael, Domine Deus noſter. Da mercedem omnibus, qui fiduciam ſuam collocant in nomine tuo, & concede legem tuam. Cum illis & nos nunquam confundamur, conſtituimus enim in te omnem noſtram fiduciam. Benedictus ſis tu, Domine, fulcimentum & confidentia Juſtorum.*

XIV. *Dignare habitare in medio Urbis noſtræ Jeruſalem ſecundum promiſſionem tuam. Ædifica illam ita, ut ſemper permaneat; effice id ſtatim diebus noſtris. Benedictus ſis tu, Domine, qui ædificas Jeruſalem.*

XV. *Effice, ut ſtatim germinet, augeatur, & floreſcat radix David ſervi tui, & cornu noſtrum ſuperexaltetur ſalute tua; quoniam expectamus tota die ſalutem tuam. Benedictus ſis tu, Domine, qui facis florere cornu ſalutis noſtræ.*

XVI. *Audi vocem noſtram, Domine Deus noſter, Pater benigniſſime. Ignoſce, & miſerere noſtri; recipe orationes noſtras in miſericordia tua & in protectione tua. Ne remittas nos coram te vacuis manibus, Rex noſter, quoniam tu exaudis miſericorditer preces populi tui Iſrael; Benedictus ſis tu, Domine, qui exaudis preces.*

XVII. *Complaceat tibi in populo tuo Iſrael, Domine Deus noſter, & reſpice preces ejus; reſtitue cultum tuum in penetralibus Templi tui. Accelera, ut cum fervore & amore accipias holocauſta Iſrael, & eorum preces; & cultus Iſrael populi tui ſit tibi ſemper acceptus. Benedictus ſis tu, Domine, qui reddis Sion divinum vultum tuum.*

XVIII. *Agimus tibi gratias & laudes noſtras, quoniam tu es Dominus Deus noſter, Deus patrum noſtrorum in æternum. Tu es petra noſtra, petra vitæ noſtræ, ſcutum ſalutis noſtræ. Agemus tibi gratias de progenie in progeniem, & prædicabimus laudes tuas, quoniam vita noſtra ſemper eſt in manibus tuis, & anima noſtra ſemper à te pendet, quoniam ſigna tua ſunt tota die nobiſcum; miracula tua & mira bonitas tua ſunt ſemper coram oculis noſtris, mane, veſpere, & nocte. Bonus es tu, miſerationes enim tuæ ſunt inexhauſtæ? Miſericors es tu, bonitates enim tuæ nunquam deficiunt. Speramus in te in æternum. Merito tot bonitatum tuarum, quæſumus, ò Rex, ut nomen tuum ſit benedictum, exaltatum, & glorificatum tota æternitate, & quodcunque ſpirat, gratias ſuas tibi reddat; Selah! ut celebrent nomen tuum in veritate & ſinceritate, ò Deus ſalutis noſtræ, & auxilium noſtrum, Selah! Benedictus ſis tu, Domine, cujus nomen eſt bonum, & cui juſtum eſt rependere ſemper laudes & gratiarum actiones.*

XIX. *Dona pacem, beneficia, benedictionem, gratiam, benignitatem, & pietatem nobis & populo tuo Iſrael. Benedic nos, ò Pater noſter. Benedic nos omnes ſimul lumine vultus tui; quoniam lumen vultus tui donaſti nobis, Domine Deus noſter, legem vitæ, amorem, benignitatem, æquitatem, benedictionem, pietatem, vitam, & pacem. Complacens benedicere omni tempore & omnibus momentis populum tuum Iſrael, pacem illi concedens. Benedictus ſis tu, Domine, qui benedicis populum tuum Iſrael, pacem illi concedens. Amen.*

ORATIO PRO MORTUIS. Orationem hic meam contineo intra ea, quæ occurrunt in Sacra Scriptura de precibus pro mortuis. In 2. Mach. 12. 43. legimus Judam, cognomento Machabæum, factam collationem duodecim mille drachmarum argenti miſiſſe *Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene, & religioſe de reſurrectione cogitantem. Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis... Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Preces pro mortuis Lex nunquam commendat; ſed Judæorum diſciplina petita e dogmate de immortalitate animarum, de pœnis ac præmiis alterius vitæ illam invexit. Traditionem patrum ſuorum in precibus & largitionibus pro defunctis Judæi recentiores retinent obſervantque.

Sed in textum illum Machabæorum aliquid opponunt. Quomodo enim reputarentur milites rei violatæ Legis ſacrilegii quodam crimine, quippe qui tulerant ſibi res Idolis conſecratas; reputarentur, inquam, in pietate immortui: *Qui cum pietate dormitionem acceperant*? Quomodo largitiones & ſacrificia illis profuiſſent? conſtat enim lethale crimen majus eſſe, quàm ut hiſce expietur. Reponi his poteſt, Judam exiſtimare potuiſſe milites illos pœnitudine ante obitum præmiſſa crimen illud ſuum expiaſſe; Deum verò illos neci ſubdidiſſe, ut ſalutari pœna in hac vita crimen ſolverent, quod tamen citra lethale culpam commiſerant; vel fortè illi eo conſilio manubias illas ſervaverant, ut remitterent manibus ſupremi Ducis, non ſatis attendentes, num Idolis conſecratæ eſſent vel ſecus. Tandem charitas Judæ Machabæi viro inſpiravit, ut mitiora de militibus illis ſentiret, nec indulgentiam illam damnare integrum eſt nobis. Quin & omni remiſſo examine ſatis eſt nobis demonſtraſſe, eam fuiſſe viro illi perſuaſionem, ut crederet largitiones, ſacrificia, ac preces valere ad ſolamen Defunctorum. Satis hæc nobis in præſentia.

Textus alter demonſtrans opinionem, & diſciplinam precandi pro mortuis, deducitur ex ſecunda epiſtola S. Pauli ad Timotheum. *Det* (Oneſiphoro) *Dominus invenire miſericordiam in illa die*, (poſtremi Judicii) *& quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu melius noſti*. Vero propius creditur Oneſiphorus tum temporis è vita jam ceſſiſſe; ita enim de illo agit Apoſtolus, tanquam de homine è viventium cœtu jam remoto. In eadem Epiſtola 4. 19. ſalutat familiam Oneſiphori, nihil agens de illo. Porrò ſatis virum illum jam ceſſiſſe ne ambigit quidem Grotius; quæ ſi vera ſint, habemus preces pro mortuis optimè conſtitutas in Apoſtolo.)

OREB, & *Zeeb*, uterque Madianitarum Principes, qui à Gedeone profugi ab Ephraimitis Jordanis vada occupantibus, interfecti ſunt an. M. 2759. ante Ch. 1241. ante Ær. 1245. ille quidem in

petra

(a) I. e. Imperium Romanum.

Digitized by Google

petra Oreb; iſte autem in torculari Zeb. *Jud.* 7. 14. *Oreb* ſeu *Petram Oreb* fuiſſe pagum, vel ſaltem eodem in loco fuiſſe poſtea conſtructum, nonnulli opinantur. Euſebius, & S. Hieronymus (a) cujuſdam exilis vici meminere, quem vocant Arabam; & 3. milliatibus à Scythopoli ad occidentem removent. Cl. Hermannus Vander-Hart (b) inde putat prodiiſſe *Orebim*, qui Eliæ in torrente Carith latitanti eſcas deferebant. 3. *Reg.* 17. 4. & improbat interpretationem, quæ Orebim vertit corvos.

OREB, *Petra Oreb*. Vide ſupra *Horeb*.

OREB. Mons Sinai proximus. Vide *Horeb*.

ORIENS. Hebræi juxta conſtitutionem hominis, qui orientem reſpiciat, orientem *kedem*, nempe ante, occidentem *retro*, *dexteram* meridiem, & ſeptentrionem *ſiniſtram* appellant. Nomine etiam orientis ſæpè intelligunt non modò Deſertam Arabiam, & Moab, & Ammon regiones, utique Palæſtinæ orientales, ſed Aſſyriam etiam, Meſopotamiam, Babyloniam, Chaldæam, potiùs Judææ meridionales, quàm orientales.

Orientis nomine interdum Prophetæ Meſſiam appellant: *Ecce vir, Oriens nomen ejus. Zach.* 6. 12. *Ecce ego adducam ſervum meum Orientem Zach.* 3. 8. Hebræum pro Oriente *Germen* legit. Chriſtus Dominus Germen eſt Domus Davidis; eſt etiam *Oriens*, Sol nempe Juſtitiæ, qui oritur, ut ſedentes in tenebris, & in umbra mortis ſua luce perfundat. Iſaias quoque 4. 2. & Jeremias 23. 5. & 33. 15. Germinis nomen Domino tribuunt, veluti vaticinantes mirandam ejus è Virgine Nativitatem.

(Vide ſupra *Keden*, ubi demonſtravimus nomine *Keden* vel Orientis Hebræos non rarò ſignificare regionem trans Euphratem, ſicut & gentes illas, quarum ſedes potiùs ſeptemtrionales ſunt, quàm orientales Palæſtinæ. Corrige etiam in Dictionario Biblico v. *Oriens* ubi *Meridionales*, legaſque *Septemtrionales*.)

ORION, ſignum cœleſte, Tauro proximum. Hebræum *Cheſil* (c), juxta veteres Hebræos, ſecundæ magnitudinis ſydus ſignificat, quod *Scorpii Cor* Aſtronomi appellant. Oritur verò ſub æquinoctii autumnalis initium, hyememque prænunciat. A' Virgilio canitur *nimboſus Orion*. Significat etiam occidentem; quapropter Septuaginta in Job. 9. 9. & Theodotion in Amos 5. 8. *Veſperum* interpretantur.

ORNAN *Jebuſæus*, cujus erat area, in qua Salomon Templum Jeroſolymitanum erexit. Irato Domino, quòd populum ſuum David numeraſſet (d), Domini Angelus contra Jeruſalem nudo gladio minitas, juxta aream Ornan ſe obtulit videndum; quare David timore perculſus, pronus procidit; Propheta autem Gad, eodem Angelo jubente, Regem monuit, ut in area Ornan Altare conſtrueret, Dominoque immolaret. Ornan verò, qui unà cum quatuor filiis triticum in area proterens Angelum (e) viderat, & metu percitus ſeſe abdiderat, venientem Davidem proſpiciens, obvius ſtatim perrexit, pronus adoravit, eidemque aream ſuam ad Altare conſtruendum, victimaſque Domino immolandas depoſcenti, non modò aream, ſed & boves, ligna, & triticum hilari animo obtulit; quem tamen indonatum Rex minimè paſſus, 600. auri talenta ei voluit numerari. In Regum ſecundo fertur David pro area, & bobus 50. argenteos ſiclos ipſi Ornan perſolviſſe. 2. *Reg.* 24. 24. Quod pretii diſcrimen facilè conciliabit, qui dixerit, aream, & bovem 50. ſiclis primò Davidem emiſſe, deinde uſque ad ſiclos aureos 60. pro reliqua Ornan hæreditate numeraſſe. Videantur quæ diximus ad vocem *Areuna*, idem planè ac Ornan, quem *Orphonam* Joſephus *Antiq. l.* 7. *c.* 3. appellat.

ORODI, *Semma de Orodi*, 2. *Reg.* 23. 25. 33. vel *Semma de Orori*, filius erat Sarar Araritæ, ſeu Ororitæ. 2. *Reg.* 23. 33. & 2. *Reg.* 23. 11. & 1. *Par.* 9. Videatur infra vox *Semma*, ubi horum Semma diſcrimen pro viribus ſolvimus.

ORON, *Orona*, *Oronaim*, Moabitarum civitas (f).

ORONTES, Syriæ flumen, quod à monte Libano erumpens, & Emeſam, Apamæam, Epiphaniam, Antiochiam præterfluens, in Mediterraneum egreditur. Scribit Plinius, Libanum inter & Antilibanum egredi. Orontis mentio nulla in Sacra Scriptura; nonnulla tamen apud Scripturæ Commentatores.

ORPHA, à pluribus eadem habita, ac civitas *Ur*, è qua egreſſus eſt Abraham, ut pergeret in Haran. *Gen.* 11. 28. *&c.*

ORPHA, Moabitis, uxor Chelionis, Elimelech, & Noemi filia, quæ ſocrum in Judæam revertentem unà cùm Ruth comitari ſtatuerat: ſed cùm Noemi reliquos filios, quibus nuptum traderentur, ſibi non ſupereſſe enunciaſſet, Orpha reverſa eſt in domum ſuam; Ruth verò ſocrui adhæſit, & uſque Bethleem proſequuta eſt (g). Vide *Noemi*.

ORPHONA. Jebuſæus, quem David Jeroſolyma potitus, vita donavit (h). Idem hic eſt ac *Areuna*, ſeu *Ornan*, de quo paulò ante.

ORTHOSIAS, urbs maritima Phœniciæ, non procul à Tripoli, è regione Inſulæ Aradi: Tryphon, qui Syriæ Regnum occupaverat, ab urbe Doræ in Palæſtina, ubi obſidione ſeptus fuerat, Orthoſiadem, & inde patriam ſuam Apamæam confugit (i).

ORTYGOMETRA, *coturnix*. Ejus nominis mentio in Libro Sapientiæ 16. 2. & 19. 12. De *Coturnicibus* egimus ſuo loco. Vide *Coturnix*.

ORYX, ſpecies cervi ſylveſtris, in cujus media fronte, juxta Ariſtotelem *hiſt. Animal. l.* 1. unicum, juxta Appianum, cornua plura eminent. Ex Plinio *lib.* 8. *c.* 53. & *l.* 11. *c.* 46. præter morem contrario, & ad caput verſo pilo veſtitur. Plures cum ſylveſtricapra Orygem confundunt. Ejus carnes refert Juvenalis *Sat.* 2. aliàs comedi ſolitas; delicato tamen guſtui minimè accommodas.

Et Getulus Oryx hebeti lautiſſima cœna. Hebræa vox *tho*, *Iſa.* 51. 20. ut plurimùm vertitur *bubalus*; Septuaginta verò, aliique Interpretes, Biblia Syriaca, atque Vulgata *tho Orygem* explicantia, inter cervos, non inter boves, eum recenſent.

OSAIAS, Jezoniæ pater, unus ex primatibus Jeroſolymæ, ætate Nehemiæ. 2. *Eſdr.* 12. 32.

(OSCULUM, Stylo Scripturæ ſunt oſcula amicitiæ, cultus, obſequii; ſunt & oſcula pacis atque conciliatæ amicitiæ. Innuit non ſemel Apoſtolus oſcula illa pacis, quæ fideles ſibi invicem dabant in ſignum charitatis atque unionis, cùm in religionis cœtus convenirent: *Salutate invicem in oſculo ſancto Hebr.* 13. 22. De oſculis adorationis egimus v. *Adorare*. Cùm Joſeph ad inviſendum patrem ſuum Jacob ad obitum decumbentem veniſſet, bonus ille ſenex oſculatus eſt faſtigium virgæ, quam in ſignum imperii Joſephus geſtabat (k). Eſther oſculo venerata eſt faſtigium ſceptri Aſſueri *Eſther* 5. 2. in ſignum obſequii & ſubmiſſionis. Hortatur nos Pſalmiſta *Pſ.* 2. 12. *juxta Hebr.* ut oſculemur Filium Dei, & ejus imperium agnoſcamus. Oſculo etiam excipimus Textum ſacrorum Evangeliorum, Cruces, ſacra Lipſana, aras,

(a) Euſeb. & Hieron. in Arava, vel Araba. (b) Vide Reland. Palæſt. t. 2. pag. 913. 914.
(c) Job. 9. 9. Vide & Amos 5. 8.
(d) 1. Par. 21. 15. &c. A. M. 2987. ante Ch. 1013. ante Ær. 1017.
(e) In Regum ſecundo 24. 19. nulla Angeli, quem viderint, mentio; quare fortè in Paralip. pro Rege poſitus fuit Angelus.
(f) Iſa. 15. 5. Vide & Joſeph. Ant. l. 13. 23. & 14. 2. (g) Ruth. 1. 9. &c. Quo anno incertum.
(h) Joſeph. Antiq. l. 7. c. 3. A. M. 2956. ante Chr. 1044. ante Ær. 1048.
(i) 1. Mach. 15. 29. &c. A. M. 3865. ante Ch. 135. ante Ær. 139.
(k) *Adoravit faſtigium virgæ ejus*. Vide Septuaginta in Geneſ. 47. 31.

vaſa ſacra, quod obſequii argumentum eſt & coltus obliqui rebus illis impenſi. Eodem ſpiritu ad bonam frugem redacta molier illa oſculabatur pedes Jeſu Chriſti, perluebat lacrymis, detergebat cincinnis ſuis *Luca* 7. 38.)

I. OSEE, ſic primò vocatus eſt Joſue, filius *Num*, quem Græci *Auſe*, ſive *Auſem* appellant. Indè tamen nomen ejus *Joſue*, Vide *Joſue*.

II. OSEE, filius Beeri, duodecim minorom Prophetarum primus, juxta S. Epiphanium *de vit. Prophet.* ex patria *Belemoth*, in Tribu Iſſachar, quæ videtur eadem eſſe, ac *Beelmeon*, in Tribu eadem, Eſdrelon verſus. Ejus patrem ferunt Rabbini fuiſſe *Beeram*, 1. *Par.* 5.6. Tribus Ruben Principem eo tempore, qun Theglathphalaſſar noonollos ex Tribubus Iſraelis in captivitatem adduxit (a). Quæ ſi vera ſiot, opus erit, Oſee natum eſſe ex Tribu Ruben, & ex patria Beelmeoo, ultrà Jordanem. Vixit autem io Regno Samariæ, ejuſque Prophetiæ ut plurimùm id Regnum afficiuot, licet ad Regnum Judæ pertinentia quædam etiam ediſſerat.

Ejus Prophetiæ initio, vaticinatus eſſe dicitur Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia Judæ Regibus, Rege autem Iſraelis Jeroboamo II. imperantibus. Quod utique comprobari nequit, niſi Oſeam plus nimio vixiſſe fateamur; ab initio enim Regni Oziæ uſque ad finem Regni Ezechiæ (b) 112. aoni enumerantur; qoibus ſi addamus 20. ſeu 25. quos ſanè Oſee natum credimus, cùm vaticinari cœpit, anni 132. ſeù 137. complebuntur. Quòd ſi decem à Regno Oziæ, & totidem à Regno Ezechiæ, quibus Oſee vaticinari noo potuerit, annos demamus, adhuc tamen 112. vel 115. ſupereſſent: qood diutinum vaticinandi ævum ex ipſo Oſee nullibi comprobator. Aliunde etiam cur de Regnis Regum Juda, ſub quorum dominio minimè vixit, ſuas prophetias inſcripſerit? Qua de re illud ioitium non ab Oſee, ſed ab aliquo veteri ſcriba appoſitum (c), ejuſque Prophetiam ab iis verbis: *Principium loquendi Domino in Oſee*, incipere arbitramur. Credimus præterea, Oſee ſua vaticinia aggreſſum propè finem Jeroboami II. Regis Iſraelis.

Prophetarum omnium, quorum vaticinia ſuperſont, ab Hieronymo (d), aliiſque pluribus Oſee vetuſtiſſimus habetur. Eo vivente quatuor Tribus à Theglathphalaſſare in captivitatem primò ductæ ſunt, & à Salmanaſare Samariæ Regnum everſum; poſt cujus everſinnem adhuc eſſe vaticinatum Hieronymus aſſerit. Capitis primi primordia ad Zachariæ Regis Iſraelis, Jeroboami II. filii mortem referuntur. A ſexto verſiculo ejusdem capitis uſque ad caput tertium, Iſraelis captivitas, poſt quam & captivorum libertas prædicitur. In decem Tribuum Regni flagitia Oſee vehementer inſurgit, cujus etiam ætate non modò in Dan, Bethel, & Samaria, verùm etiam in Galgal c. 4. 15. & 9. 15. & 12. 11. Sichem c. 6. 9. Berſabee (e), in montibus Thabor. c. 5. 1. & Galaad. c. 5. 1. & 6. 8. Idolis cultus videtur exhibitus. Loquitur denique de Iſraelitis, veluti de populo ad ſcelus quodlibet informato, cujus flagitia defleri quidem poſſent, augeri non poſſent. Eorum tamen vitulos aureos evertendos, conterendos, & Aſſyriam transferendos vaticinatur c. 8. 5. & 10. 5.

Neque ſcelera Judæ prætertit, eoſque ad colenda Idola in Galgal pergentes increpat c. 4. 15. Sennacherib adventum in regiones Judæ c. 8. 14. Judæ populos poſt decem Tribuum captivitatem ſuis domibus aliquandiù adhuc fruituros c. 1. 7. poſtea tamen & ipſos ultra Euphratem captivos fore adducendos; inde etiam reducendos pronunciat c. 1. 10. Ejus ſtylus obſcurus, phraſes difficiles ſæpè, atque intricatæ, ad quam utique obſcuritatem vehementer conferunt ea, quibus agit, cùm valdè abſint à noſtra ætate, noſque eorum temporum hiſtoriam non omninò calleamus.

Sub Oſee initium, Dominum ei dixiſſe legimus: *Sume tibi uxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationum*: oempe deſponde tibi mulierem, quæ ante nuptias ſuum corpus vulgaverit; deſponſata verò à turpibus omnino abſtinuerit, cujus propterea filii legitimi eſſent, quamvis propter priſtinam matris proſtitutionem *proſtitutionis filii* ſint nuncupati. Mulier hæc proſtituta, filiique ab ea procreandi, figuram quamdam, ac realis prophetiæ ſpeciem præteferebant: Samariam enim innuebant, decem Tribus, aliàs Domino deſponſatas, deinde idololatras, infideles, proſtitutas, atque adulteras, quarum filii proſtitutionis filii appellantur, quòd matrum impios mores fuerint proſequuti. Hos vocat Dominus *Jezrael*; *abſque miſericordia: vos non populus meus* ut 1. ſe vindictam ſumpturum de domo Jeho Regis Iſraelis, quòd decem Tribuum Regnum occupaverit in Jezrabel: 2. ſe abſque miſericordia animadverſurum in flagitioſum populum atque idololatram: 3. denique repellendum, & velnti non ſuum populum amplius à ſe fore excipiendum prænunciaret.

Interpretum plurimi (f) Oſee conjugium cum muliere proſtitota improbantes, hanc tantummodo parabolam eſſe arbitrantur: ſuam nempè uxorem ab Oſee vocatam eſſe proſtitutam, ut ſomniculoſos Iſraelitarum animos ſibi intentos vindicaret, vel ea omnia per intellectualem viſum, minimè verò re impleta fuiſſe putant. Attamen ex toto Oſee Textu ſatis ſuperque patet, hoc verè contigiſſe conjugium, quamvis etiam per figuram expreſſerit, quæ deinde comprobavit eventus. Ita S. Baſilius, Theodoretus, S. Auguſtinus, aliique plurimi.

III. OSEE, ultimus Rex Iſraelis, Ela filius, qui Phacee, Romeliæ filio, Iſraelis Rege, per inſidias interfecto (g), ejuſdem Regno potitus eſt. Licèt autem hic ſcelera ſectaretur 4. *Reg.* 17. 8. *&c.* ſuorum tamen majorum improbitatem non exæquavit, nempe, juxta Doctores Judæos (h), ſuis ſubditis non interdixit, quominus ad Domino cultum exhibendum Jeroſolymam pergerent: quod quidem ejus majores atrocibus pœnis inhibuerant, adhibitis etiam viarum excubiis, quæ itinerantibus viam intercluderent. Cùm Aſſyriæ Rex Salmanaſar audiviſſet, ab Oſee, cujus Regnum vectigale erat Aſſyriis, defectionem ſtrui, & à Rege Ægypti Sua ad jugum excutiendum allici, arma extemplò in eum direxit, pluribuſque incurſionibus regionem populatus, Samariam obſedit (i), eamque triennio poſt (k), anno ſcilicet Oſee nono, occupavit, eaque in illam crudelitate ſæviit, ut mulieres fœtas diſciderit; *Oſee* 14. 1 eorum parvulos eliſerit, ipſamque Samariam in lapidum acervum converterit. *Mich.* 1. 6. Decem Tribuum Iſraelitas in iis regionibus degentes, ultra Euphratem tranſtulit; eiſque ſuffecit Cuthæos, quos in hanc uſque diem Samaritanos appellant. Ita complevit Dominus, quæ toties in flagitioſam hanc urbem intentaverat.

Oſee Regni Chronologia pluribus idcircò involuta eſt nexibus, quod plura Scripturæ loca inter ſe minimè cohærere poſſe videantur. Primò enim 4. *Reg.* 15. 30. dicitur Oſee regnum cœpiſſe anno vigeſimo

(a) A. M. 3245. ante Ch. 755. ante Ær. 759. Vide 4. Reg. 15. 29.
(b) Ozias regnare cœpit anno 3194. Ezechias verò deſit anno 3306.
(c) Vide nov. Edit. Hieron. t. 1. p. 727.
(d) Hieronym. in Oſee initio. Baſil. in Iſai. 1. Rufin. Riberas, Sanct. alii.
(e) Vide Amos 5. 5. Fuit Amos Oſee coætaneus.
(f) Vide Hieronym. in Oſee. Iſidor. Haimo. Vat. Figuer. Burgenſ. Abenezra, Kimchi, Alii apud Theodoret. &c.
(g) 4. Reg. 15. 30. A. M. 3265. ante Chr. 735. ante Ær. 739.
(h) Seder. Olam c. 22. Ita & Menoch. Tir. Cornel. & alii.
(i) Salmanaſar Judæam invaſit Anno 3276. Samariam obſedit anno 3279. ante Chr. 721. ante Ær. 725.
(k) A. M. 3282. ante Chr. 718. ante Ær. 722. Vide 4. Reg. 17. 3. &c.

Digitized by Google

ſimo Joathan filii Oziæ (anno nempe Achaz quarto, nam pater ejus Joathan, poſtquam regnaverat annis ſexdecim, quatuor ante annos obierat). 2. 4. *Reg.* 18. 1. fertur initium Regni Oſee anno Achaz duodecimo; 3. denique 4. *Reg.* 15. 27. Phacee annis viginti imperaſſe aſſeritur, quare ſi ultimus annus Phacee, & Oſee primus incidant in vigeſimum Joathan, 4. *Reg.* 15. 30. jam Phacee annis duo ſupra viginti, non verò tantùm viginti imperaſſe patebit, cùm anno ſecundo Phacee inceperit Joathan imperare 4. *Reg.* 15. 32.

Ad quæ invicem concilianda dici utique poteſt, Oſee conjuraſſe in Phacee anno ab ejus imperio vigeſimo, nempe Joathan anno decimo octavo; duobus poſt annis Oſee Phacee regnum ſibi vindicaſſe, ita ut duobus tantùm poſt annis, anno nempe 4. Achaz, & Joathan 20. Rex Iſraelis fuerit denunciatus; anno denique Achaz 12. pacificè Iſraeli univerſo præfuiſſe, juxta caput 17. 4. *Reg.* Videantur hac de re Uſſerius, & Commentatores.

(OSIRIS celeberrimum Ægyptiorum Numen, quod Deæ Iſidis filius, frater, & maritus habebatur. Nomen Oſiris nunquam re ipſa legitur in Sacro Textu, ſed ab agendo de illo temperare nos non potuimus, quòd confunditur cum aliis in ſacris literis notiſſimis; nec abs re autumaremus Hebræos cultum illi ſuum impendiſſe in Deſerto. Hæc autem narrantur de Oſiride. Parentes habuit Jovem & Niobem filiam Phoronei, Regnavit Argis primùm; at ſubjectis ſibi populis non contentus Regnum conceſſit Ægialeo filio ſuo, contenditque in Ægyptum. Regnum ibi egit, æquiſſimum ac mite, ſanctiſſimiſque legibus Ægyptios formavit. Uxorem duxit Jo, quam Ægyptii Iſidem appellant. Fertur trucidatus ab hoſtibus periiſſe, cujus corporis partes omnes Iſis recolligens, ſepulturæ regio honore mandavit, tum & divinum cultum illi conciliavit. Tranſmutatus dicitur in bovem à Diis, juxta dogma de metempſychoſi; nec aliud Numen ab Ægyptiis cultum volunt ſub nomine Apidis & Serapidis. Hinc famma illa Ægyptiorum in taurum veneratio; hinc cultus vituli aurei conſecrati ab Iſraelitis in deſerto, & à Jeroboamo in Regno decem Tribuum. Hinc Oſiridis ſimulacra cornuta, accipitris rictu præfixa, vel lupino aut anguino capite, quòd ſcilicet expreſſus illo Sol crederetur. Non deſunt etiam qui ſuſpicentur vaccarum cultum adeo noſtra etiam ætate apud Indos aliaſque nonnullas Orientis gentes regnantem, appendicem eſſe ejus cultus, quem Ægyptii Oſiridi ac Iſidi deferebant.

De nomine Oſiridis appellatus eſt etiam Nilus, cui tanquam authori ubertatis Ægypti ſacri honores impenſi ſunt. Fertur Oſiris docuiſſe cum agricultura plures etiam artes Ægyptios; ex quo charum Oſiridis nomen apud illos. Tradit Hellanicus peculiare nomen hujus fuiſſe Aſalphem; datum autem à Sacerdotibus Oſiridem. Oſiridem, Pana, Serapidem & Hammonem in unum eundemque confundit Plinius; Oſiridem cum Menes vel *Cham* Eques Marshamus; Oſiridem cum *Mizraim* filio Cham & patre Ægyptiorum Voſſius. Idem habitus fuit ac Sol, planeta Jovis, Apis, Athys, Adonis, Pluto, Titan, Apollo, Mithras, Typhon, Oceanus &c.

Gemina Mundi principia, bonum nempe & malum, admittebant Ægyptii. In bono illo colligebantur tria, quorum primum munus gerebat & functiones patris, alterum matris, filii tertium. Pater appellabatur Oſiris, mater Iſis, filius Orus. Tria hæc Numina conflabant bonum principium. Malum alterum referebat Typhon. Oſiris erat in mundo, quod in homine mens & ratio; Typhon quod paſſiones rationi adverſæ. In corpore hominis bona humorum temperies Oſiridi moderanti referebatur; vitia & morbi à Typhone accepta. In Cœlo & elementis ſtatus ordo & æquitas motus repræſentabat Oſiridem; quidquid exorbitaret Typhonis erat imago. Hanc Numinis ideam formabant ſibi Ægyptii juxta Plutarchum. Potuerunt tamen hæc omnia recenti commento procudi; utcunque tamen res habeat ſeſe, juxta hanc facilè ideam reputati ſunt Oſiris & Iſis rerum omnium parentes, & eò pariter ſpectantes Pagani in Oſiridem contulerunt diſperſas in cæteros omnes Deos, ſicut & in Iſidem in Deas omnes diſſipatas dotes.

Vero propiùs autumamus non alia geſtaſſe Hebræos in deſerto Numina, quam Oſiridem & Iſidem, juxta illud Amos 5. 26. *Portaſtis Tabernaculum Moloch veſtro;* (ad literam Regi veſtro) *imaginem Idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri.* Rex Cœli Sol erat vel Oſiris: aſtrum, quod Ægyptii & Orientales ferè omnes colebant Luna: Sol & Luna Numina erant bonæ ominis & æquioris fortunæ; bona erant principia, ac potiſſima Orientalis cultus argumenta, juxta ac Voſſius arbitratur. Oſiris & Iſis idem erant ac *Gad* & *Meni*, quibus utriſque tanquam bonis principiis ſacros honores deferebant Hebræi.

OSSIFRAGA genus aquilæ, quam vetitam in cibum habebant Hebræi, Levit. 11. 7. ſub nomine Gryphi (a): Porro *Oſſifraga* nomen inde refert avis, quòd oſſa confringens medullis paſcatur. Fertur è cœmeteriis effodere cadavera, ut cibum ſibi ea eorum oſſibus quærat; unde apud Latinos nomen *Avis Buſtaria*; apud Perſas *Uſtukan Khour*, vorator oſſium; Gallicè *Orfraye*.

Arabicè & Perſicè nuncupatur etiam *Humai*, adduntque gentes illæ omnium avium hanc eximiam eſſe, quòd nemini ex animantibus noceat, ſed alatur oſſibus, in quæ fortè inciderit.

Aſſerit Ariſtoteles *Oſſifragam* magnitudine cæteras Aquilas, Germanicis exceptis, ſuperare. Cinereis albeſcentibus plumis veſtitur. Affirmat Plinius ex Aquila marina avem hanc prodiiſſe; concipere verò ex omnibus prædatoriis avibus. Cibos ſufficit non pullis tantum ſuis, ſed & cæteris etiam, quos Aquila abjecit. Vita eſt imbecilli, contra cæterarum Aquilarum prærogativam.

Oſſifragam ita deſcribit Aldovrandus. Roſtro eſt maximè adunco, & quo loco recurvatur, patulo duobus digitis, in longitudine palmum æquat. Colorem refert cornu ſubnigri ad cæruleum ſaturum accedentem. Hiatus roſtri patet palmo ac digito; lingua eſt humanæ perſimili, patula ad extremam oram, ad utrumque verò latus duplici veluti hamulo inſtructa. Caput & collum teguntur plumis oblongis arctiſque; pendetque ſub mento piloſum quoddam ceu barba. Plumarum campus variatur tribus coloribus nempe ſubalbo, obſcuro, & ferrugineo; majores plumæ, ſubnigrum caſtaneum reddunt. Duodecim plumæ quibus cauda inſtruitur, rubri aliquid referunt albentibus atriſque maculis variatam. Crura pennæ obſcuræ ad flavum aliquanto accedentes tegunt undique, ut è cruribus illis nihil remaneat nudum, niſi duorum digitorum ſpatium circiter; nudum autem illud, flavum ſat lætum exhibet. Unguibus eſt nigris & lucentibus. Paſci avem illam ſolis piſcibus tradit Aldovrandus; quare differt plurimum ab Oſſifraga, de qua ſupra. Quæ tamen de Oſſifraga illa oſſium voratrice narrantur, ad fabellas magis, quàm ad hiſtoriam videntur accedere.

Oſſifraga, quam Latini *Stricem* appellant, magnitudine accedit ad Aſionem ſeu Bubonem minorem. Capite eſt amplo & rotundo, in anteriori parte veſtito minutis tenuibuſque plumis in gyrum diſpoſitis. Oculos præfert ampliores nigra & magna acie, iride verò flava, diluta ac pallenti, præter id, quod in alis ſpectatur, quæ tectam magis, & ardentiorem itidem illam præferunt. Roſtrum gerit aduncum, colore ad ſubnigrum cornu accedente. Plumarum campus ferrugineus eſt variatus ſubatris maculis. Crura gerit villoſa uſque ad ungulas ceu lepo-

(a) Ita Jun. Bochartus, Hebraicè *Peres.*

lepores. Ungulæ aliquantiſper recurvæ, & nigerrimæ; quarum vaginæ diſtinctæ ſunt inter ſe, uti in ſcamella Capri.)

OTHEI, filius Amiud, ex Tribu Judæ 1. *Par.* 9. 4.

OTHIR, filius Heman, vigeſimæ primæ Levitarum familiæ Princeps. 1. *Par.* 25. 4. 28.

OTHNI, Semeiæ filius unius ex fortiſſimis exercitus Davidici. 1. *Par.* 26. 7.

OTHO, Romanorum Imperator, ante Vitellium, poſt Galbam tribus tantummodò menſibus, à die nempe 15. Januarii anni Chr. 69. uſque ad diem 15. Aprilis ejuſdem anni. Ejus nominis nulla in Scripturis mentio, noſque ad Eccleſiam eum ſpectaſſe nullibi agnoſcimus.

OTHOLIA, ex Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 26.

OTHONIEL, filius Cenez ex Tribu Judæ, qui dicitur frater Caleb (a): *Othoniel filius Cenez, frater Caleb junior*. Cui quidem Scripturæ loco adverſari videntur, 1. quòd ſi verè Caleb, & Othoniel germani fuiſſent, non potuiſſet Othoniel Axam filiam Caleb, ſui neptem, ſibi deſpondere: 2. quòd nunquam Scriptura eodem nomine vocat utriuſque parentem, ſemper verò patrem Othonielis Cenez, patrem autem Caleb Jephone appellat: 3. denique quod Caleb longè natu major erat Othoniele, cùm filiam ſuam Axam ei deſponderit. Quamobrem ſatius arbitramur Cenez & Jephonem fratres fuiſſe, Othonielem verò, & Caleb conſobrinos, qui propterea, juxta Scripturæ phraſim, fratres dicuntur. Hinc fit, quod Othoniel conſobrinam ſuam Axam ſibi potuerit deſpondere, quin Legem violaret. Cùm montes Judæ (b) in regionibus à Gigantibus ex genere Enac occupatis in Calebi partem contigiſſent, Caleb capta Hebrone, aggreſſus eſt Dabir, ſeu Cariathſepher, filiamque ſuam Axam ei deſpondit, qui Cariath-ſepher expugnaſſet. Othoniel urbem cepit, & Axam duxit; quæ in ſolemni traductione in domum Sponſi, à viro inducta eſt, ut à patre Calebo terram irriguam ſicco, & arenoſo agro, quem ſibi jam dono dederat, conterminam poſtularet. Hebræum legit, Axam viro ſuaſiſſe, ut ea de re ſocerum rogaret. Utut eſt; Axæ planè roganti Caleb campum indulſit.

Joſue mortuo, Iſraelitas ad Chananæos in iis regionibus adhue commorantes omnino expellendos non incumbentes, & ea fide, qua par erat, Domino non obſequentes, Chuſan Raſathaim Meſopotamiæ Rex ſibi ſubegit (c); cui poſtquam octo annis ſervierant, Salvatorem à Domino precibus conſequuti ſunt Othonielem filium Cenez, qui Deo afflante in caſtra egreſſus, cladem Regi, Iſraeli attulit libertatem an. M. 2599. ante Ch. 1408. ante Ær. 1405. Anni deinde quadraginta terra pacata eſt (d). Quo anno Othoniel obierit, incertum.

(OTIOSI SYNAGOGÆ. Quicunque inter Criticos in rebus Judaicis & Scriptis Rabbinicis exercuerunt ſe ſtrenuè, pluribus diſſerunt *de decem Otioſis Synagogæ*. Viri erant munus agentes ab aliis omnibus vacuum, rebus divinis & pietatis exercitationibus intenti, quibus nomen *Otioſi*. Vitringa & Ligtfootus, qui præ cæteris hoc argumentum vexarunt, diſſident inter ſe. Cenſet Ligtfootus in Matth. 4. 23. decem illos viros adfuiſſe omninò oportere, cùm majoris momenti Synagoga cogenda eſſet. Præficit illis tres Magiſtratus de civilibus cognoſcentes; quartus additur *Chazan* vel *Miniſter* conſuetus Synagogæ. *Chazan* Hebraicè eſt *Inſpector*, ut perinde ſe habeat ac Angelus vel Epiſcopus totius cœtus; Legem non ipſe per ſe perlegit, ſed alterum, qui legat, deſtinat.

Præter quatuor iſtos viros Principes recenſentur etiam *Parnaſſim* tres; locum autem tenent Diaconorum, collectitiam pecuniam curantes, & inter pauperes diſtribuentes. Octavum inter Synagogæ Miniſtros locum implet interpres, cujus ſanè munus poſt captivitatem Babylonicam, cùm ſcilicet à vernaculo olim ſermone deſueverunt Hebræi, non commodum tantùm, ſed & neceſſarium eſt. Complendo numero *decem Otioſorum* addit Ligtfootus *Doctorem Theologum*, & *Interpretem*, nempe ſecundarium, qui à priori expoſita iterum repetit.

Credunt alii decem *Otioſos* coaluiſſe è tribus Præſidibus, & Lectoribus ſeptem; alii è decem viris mercede obligatis, ut nunquam non adeſſent Synagogæ; neque enim, niſi decem convenerint, legitimus habetur conventus recitandis conſuetis benedictionum formulis. Hanc ſententiam refutat Vitringa in ſuo *Archiſynagoga*, defendens decem *Otioſos* totidem eſſe viros Synagogæ præpoſitos, quorum tamen numerus minor erat majorve, pro loci, & Synagogarum dignitate. In minoribus Synagogis ſuus non deerat ſaltem Archiſynagogus, cum adjectis duobus Præſidibus; in majoribus accedebant hiſce ſeptem Lectores denum numerum complentes; cùm autem aſſidui eſſent Synagogæ, ſeligerenturque homines, quibus commoda eſſet res familiaris, & minor domi occupatio, ideo apud Judæos nuncupati *Otioſi*. Qui plura voluerint adeant Authores ſupra à nobis laudatos.)

OVES. De amplioribus caudis ovium quarundam orientalium egimus v. *Aries*. Ovium nomen uſurpatur ſæpè in Scriptura de populis. *Nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus*. Pſ. 78. 13. Pſ. 79. 2. *Qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ovem Joſeph*. Miſſum ſe dicit Jeſus Chriſtus ad oves palantes Iſrael. Matth. 15. 24. Ovibus non rarò comparantur juſti expoſiti impotentiæ impiorum, furori luporum ac lanienæ. Pſ. 63. 22. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*. Extrema Judicii die Juſti ſub ovium nomine deſignati conſtituentur ad dexteram ſummi Judicis, & ad Regni Cœlorum poſſeſſionem invitabuntur. Docet Jeſus Chriſtus Matth. 7. 15. Seductores lupos eſſe ſub ovino vellere.

OZA, filius Abinadabi, qui unà cum fratre Ahio, Arcam Fœderis, novo currui impoſitam, jubente Davide, è Cariath-jarim traducens Jeroſolymam (e), cùm propè *Aream Nacon*, ſeu *Aream paratam* calcitrantibus bobus Arcam inclinantem (f) manu fulciſſet, ſubita morte perculſus interiit. Cur autem Ozam ea morte Dominus mulctaverit, diſſentiunt Authores: quidam enim in cauſa fuiſſe volunt, quod audacter nuda manu Arcam tetigerit: quidam verò, quòd diffidentiam oſtenderit; ac ſi non potuiſſet Deus ſine ejus præſidio Arcam fulcire. Planè tamen, teſtante Davide; idcircò mulctatus eſt, quod non eſſet ex Levitarum familiis (g), quarum erat Arcam deferre. Cæterùm ea morte peccatum ſuum Ozam expiaſſe, ejuſque Dominum miſertum eſſe non ambigimus.

OZAAS, Jezoniæ pater. *Jerem.* 42. 1.

OZAN, pater Phaltielis. *Num.* 34. 26.

OZEN-SARA, Urbs ex Tribu Ephraim, quam condidit Sara, Beriæ filia, & neptis Ephraim 1. *Par.* 7. 24.

I. OZI, ſeu *Uzi*, Bocci filius, Judæorum Pontifex ſextus ex Eleazari progenie, cui ſucceſſit *Heli*, ex genere *Ithamar*. Quamdiù Ozi Pontifex fuerit, adhuc incertum: Heli tamen ſcimus Pontificatum aſſumpſiſſe an. M. 2848. ante Ch. 1152. ante Ær. 1156.

II. OZI,

(a) Joſue 15. 17. Vide & Judic. 1. 13. (b) Joſue 15. 13. &c. A. M. 2559. ante Ch. 1442. ante Ær. 1445.

(c) Judic. 3. 4. &c. A. M. 2598. ante Ch. 1409. ante Ær. 1413.

(d) Pacata ſcilicet eſt, anno quadrageſimo, poſtquam ei pacem Joſue comparaverat, anno M. 2966. decem ante annis, quàm moreretur.

(e) 2. Reg. 6. 3. &c. A. M. 2959. ante Chr. 1048. ante Ær. 1045.

(f) Hebræum legit, *quoniam calcitrabant boves* 2. Reg. 6. 7. *Bos laſcivione inclinaverat eam* 1. Par. 13. 9. Non latet vis vocis Hebraicæ.

(g) 1. Par. 15. 13. Vide & Joſeph. Ant. l. 7. c. 4. Theodoret. qu. 19. in 2. Reg.

Digitized by Google

II. OZI, Tholæ filius, Iſrahiæ pater, ex Tribu Iſſachar. 1. *Par.* 7. 2.

III. OZI, Mochori filius, Elæ pater. 1. *Par.* 9. 8.

I. OZIAS, ſeu *Azarias*, Rex Judæ, Amaſiæ filius, de quo v. *Azarias*.

II. OZIAS, filius Urielis, pater Saulis, ex Tribu Levi, & ex progenie Caath. 1. *Par.* 6. 24.

III. OZIAS, Michæ filius, ex Tribu Simeonis, tum Bethuliæ Princeps, cùm eam obſideret Holofernes, an. M. 3348. ante Ch. 652. ante Ær. 656. Vide *Judith.* 7. 11. *&c.* & 8. & 9. & 10. *&c.* Qua obſidione viriliter diu lata, & Achior ab Aſſyriorum caſtris expulſo, in domum ſuam humaniter excepto, cùm aquarum defectu valdè civitas laboraret, populuſque in eum, tamquam in earum calamitatum authorem inſurgeret, quinque poſt diebus Bethuliam ſe dediturum pollicitus eſt, niſi Divinas interea ſuppetias conſequeretur. Quare Judith Oziam, urbiſque Primates advocatos increpavit, quòd præſidiis Divinis leges, & fines auſi eſſent imponere; ſeque res jamjam perditas refecturam pollicita, quin mentem ſuam patefaceret, Ozia Urbis portas recludente, egreſſa eſt ad Holofernem. Hoc ab eadem interfecto, Aſſyriorum exercitus deletus, & Hebræorum civitas priſtinæ incolumitati eſt reſtituta. Vide *Holofernes*, & *Judith*.

OZIAU, Levita, Merari filius. 1. *Par.* 24. 26.

OZIEL, Levita, filius Caath, & Ozielitarum familiæ Princeps. *Num.* 3. 27.

OZNI, filius Gad, Oznitarum familiæ Princeps. *Num.* 26. 16.

OZRIEL, filius Jeſimoth. 1. *Par.* 27. 19.

P A

PACORUS filius Orodis Regis Parthorum in Syriam veniens valido ſtipatus exercitu, contulit ſeſe ad obſidendum Antiochiæ Caſſium; ſed ſtrenuè adeò defendit ſe Caſſius, ut Pacorus deſiſtere ab incœpto cogeretur (a). Copias igitur duxit ille in obſidionem Antigonis, Urbis non longè abſentis; ſed obſidionali ſcientia rudes erant adeò Parthi, ut coacti iterum receſſerunt, re infecta, ac remearunt ad propria (b). Caſſius re intellecta inſidias redeuntibus ſtruxit, nec fruſtra; namque & agmen penitùs fudit; è prælio reliqui Euphratem tranſierunt.

Iterum Pacorus trans amnem venit poſt obitum Julii Cæſaris, unà cum Labieno (c), qui à Bruto & Caſſio ablegatus venerat ad Aulam Parthorum, poſtulaturus auxilia. Poſt fuſum exercitum utriuſque hujus Ducis conjuratorum, continuit ſe Labienus apud Parthos, quoadusque Aradii, Palmyreni, & Tyranni vel Reguli quidam Syriæ, ut veniret, in ordinem, redacturus duros illos, quibus premebantur, exactores, invitarunt. Syriam univerſam & Phœniciam jure armorum ſibi vindicavit Pacorus; ſed fruſtrà ab illo tentata eſt urbs Tyri, quam reliquiæ exercitus Romani defendebant.

Poſt redactam in poteſtatem Sydonem & Ptolemaidem (d), copiarum partem miſit in Judæam mandatis oneratam, ut in thronum eveheret Antigonum filium Ariſtobuli; præfecit copiis illis Pincernam ſuum ſibi cognominem, Pacorum. Fidem obligaverat ſuam Antigonus ſolvendi Parthis 1000. talenta & 500. fœminas Judæas, atque ita cùm conductis ea mercede Parthis, unà cùm collectitiis aliis copiis Judææ ſeſe ſuperinfundens obvios fugavit, atque Jeroſolymam uſque inſequutus, occupavit Urbem munivitque ſe in Templo. Interim Herodes & Phaſaelus, qui Hircani partes defendebant, in Regiis ſe ædibus contutarunt.

Inſtante feſto Pentecoſtes utriuſque partis aſſertores, nequid incommodi ac turbarum cauſaret externorum hominum undique ad Feſtum affluentium concurſus, componendis inter ſe rebus dederunt operam. Antigonus propoſuit Herodi & Phaſaelo, ut res tota committeretur judicio Pacori Magni Pincernæ caſtra habentis non procul ab Urbe, nec illi renuerunt. Statim Pacorus urbem cum ſuis intravit, perſuaſitque Hircano & Phaſaelo, ut ſiſterent ſe coram Barzapharne Præſide Syriæ à Parthis dato, facta ſpe obtinendi quæ maximè conduxiſſent ad optimum ſtatum Provinciæ. Eò illi ſtatim, comitante Pacoro, qui dein repetiit Jeroſolymam.

Cum Barzapharnes perveniſſe jam ad Urbem Pacorum cenſuit, apprehendit Phaſaelum & Hircanum; vinxitque catenis. Tantumdem præſtare & Herodi juſſus erat Pacorus, ſed ille conſilium hoſtis ſubodoratus, aufugit Maſſadam. Parthi diripuerunt urbem, Antigonum extulerunt in Regem, ejuſque manibus vinctos catenis permiſerunt Phaſaelum & Hircanum. Phaſaelus manus ſibi intulit violentas. Hircano aures juſſu Antigoni præciſæ ſunt, nequid ultra remaneret ſpei exercendi muneris Summi Sacerdotis; tum manibus Parthorum commiſſum, trans amnem deducendum tradidit.

Syriæ Imperium brevi è Parthorum manibus ereptum eſt. Prælio enim victus Pacorus à Ventidio Romanarum copiarum Imperatore tranſmiſit iterum Euphratem (e). Vertente anno Pacorus reparato exercitu iterum in Syriam venit (f); iterum verò à Ventidio ſuperatus, & exercitu & vita exutus eſt.)

PACTUM, conventio, fœdus; quod Hebræi nomine *berith* exprimunt; cùmque Septuaginta frequenter vocem *berith* per *diathece* verterint, hinc fit, ut in Latino Textu abſque ullo diſcrimine voces fœdus, pactum, & teſtamentum adhibeantur. Arcam etiam Teſtamenti, Novum, & Vetus Teſtamentum, pro Arca Fœderis, Novo, Veterique Fœdere dicimus. Idem de voce *pactum* dicito. Hæc ad ſignificandum Dei cum populo ſuo, Abrahamo, & poſteris Noe fœdus uſurpatur. Pro præceptis etiam populo à Deo latis: *Si pactum meum cuſtodieritis, populus meus electus eritis, & peculiaris.* *Exodi* 19. 5.

PALÆSTINA. Laxiori, & ſtrictiori ſenſu intelligi poteſt. Si *Palæſtinam* ſtrictiori ſenſu uſurpes, Philiſthinos, ſeù Palæſtinos deſignabis, eam Terræ promiſſionis partem occupantes, quæ juxtà Mediterraneum, à Gaza ad meridiem, Lyddam uſque ad ſeptentrionem protenditur. Septuaginta cenſuiſſe videntur, vocem *Philiſthiim* exteros ſignificare, cùm paſſim pro *Allophylis*, ſcilicet extraneis, & alterius Tribus hominibus, uſurpent.

Si verò laxius Palæſtinam ſumas, omnem regionem Chanaan ad utraſque Jordanis partes, ſeù Terram promiſſionis intellige; quanquam ſæpiſſimè ad citeriorem Jordanis ripam reſtringitur, adeo ut poſtremis temporibus Judæa, & Palæſtina ſynonyma haberentur. *Syria* etiam *Palæſtina* nomen Terræ promiſſionis inditum reperitur, & nonnunquam in Cœleſyria, ſeu Cava Syria comprehenditur. Vetuſtiſſimum de Syria-Palæſtina loquentem Scriptorem habemus Herodotum, qui hanc inter Phœniciam, & Ægyptum collocat *l.* 7. *c.* 89. & *l.* 2. *c.* 6. (g).

(De Palæſtina tanquam totius orbis optima ac pulcherrima agens Moyſes, fluentibus lacte, & melle torrentibus irriguam dicit. Nec parciores ab ejus laudibus ſunt Scriptores profani. Hecatæus (h), vir collactaneus Ale-

(a) Dio Caſſ. lib. 40. (b) A. M. 3949. ante Chr. 51.
(c) Dio Caſſ. lib. 48. Appian. in Parthis.
(d) Antiquit. lib. 14. c. 27. Dio Caſſ. l. 49. &c.
(e) Antiq. l. 14. c. 27. Dio Caſſ. l. 49. &c.
(f) A. M. 3965. Ante Chr. 35.
(g) Apud Joſeph. contra Appion. pag. 1049.
(h) Vide Relan. Palæſt. l. 1. c. 7. 8. Vide etiam v. Judas.

Digitized by Google

Alexandri Magni, qui ſub Ptolomæo I. ſcribebat, ſolum illud tanquam feraciſſimum, frequentiſſimumque cultoribus exhibet; uno verbo provinciam eſſe dicit optimam ac fructibus omnis generis feracem. Geminâ fermè habet Plinius l. 5. c. 14. 15. tradens, Jeroſolymam urbem eſſe inclytam non inter Judæas tantùm, ſed & inter Orientales omnes. Curſum Jordanis tanquam amnis lætiſſimi deſcribit; effert lacum Geneſareth, balſamum & palmeta Judææ. Tacitus hiſtor. l. 15. c. 6. Ammianus Marcellinus & Veterum plerique, cùm per occaſionem Palæſtinæ meminiſſe oportuit, nunquam vacant à laudibus.

Mahometani, quos melius noſſe regionem par erat (a), exaggerant quidem aliquantò, ſed eximiæ ejus feracitati luculentum ferunt teſtimonium. Affirmant præter duas illas principes Urbes *Elsam*, & *Aribam*, i. e. Jeruſalem, & Jericho tractum illum diſſeminatum eſſe 1000. vicis amœniſſimis, hortis maximè inſignibus. Ibi matureſcere uvas, quarum racemus onus eſſet quinque hominibus vix ferendum, quinque item homines commodè contineri poſſe intra corticem unius mali punici, olim in eo tractu ſedes habuiſſe immanis corporaturæ Gigantes è ſtirpe Amalech.

Hanc veterum teſtimoniorum turbam nihil reveriti quidam, iis, quæ de fertilitate Terræ Sanctæ narrantur, fidem addicere ſuam recuſant. Itinerantes, qui ea loca excurrerunt, plerique minùs commodè de illa loquuntur. Regio eſt, inquiunt illi, aſpectu arens, ſterilis, minùs irrigua, ac rarò culta. Minus etiam illi favet Strabo lib. 16. ſcribens horrere adeo ſterile ſolum, ut victoriæ præmium neminem invitet ad arma; Jeroſolymam in arido ſterilique ſolo conſidere.

S. Hieronymus Epiſt. ad Dardanum oculatus teſtis, atque de laudibus Scripturæ in eam regionem probè inſtructus, affirmat montuoſiſſimum eſſe tractum, ariditati ac ſiccitati obnoxium, & nullis aquis niſi pluvialibus irriguum, ut fontium defectui ſupplendum ſit ciſternis. Sed & idem S. Hieronymus alibi prædicat ſoli illius fertilitatem, qua in re nulli alteri per orbem concedere affirmat. Itinerantes recentiores teſtes præſentis ſterilitatis, non negant tamen manere ibi certis in locis veſtigia plura veteris fertilitatis, ubi fructus omnis generis benignum ſolum nulla ſatum cultura reddit; crelcit etiam alicubi luxurians herba. Si montes & arva quædam ſterilitate ſua horrent, hoc ideo, quòd incolarum defectu nulli culturæ ſubiguntur. Quot per orbem regiones olim fœcunditate ſua inclytæ, modò ſqualore terrent ac contemnuntur?)

PALÆTYRUS. Vetus Tyrus. Vide *Tyrus*.

PALIURUS, nonnullis (b) idem ſonare videtur ac carduus; aliis, alba ſpina. Hebræa vox, qua utitur Iſaias (c), & in Vulgata *Paliurus* redditur, ſpinas, ſeu carduos, ſive hamos propriè ſignificat.

PALLAS, è Magni Herodis uxoribus, Phaſaeli mater. *Joſeph. Antiq. l. 17. c. 1.*

(PALLIUM, uſurpatur in Scriptura: 1. pro exteriori veſtu; 2. pro veſtis vel integumenti quocunque genere; ita pallium appellata ſunt velamina Tabernaculi à Moyſe in deſerto erecti *Exodi* 36. 18. *Ut unum pallium ex omnibus ſagis fieret*; omnia ſcilicet ſaga è ſetis caprarum Tabernaculum contegentia in unum magnum integumentum coaluerunt. In movendis caſtris involvebatur Arca & menſa panum propoſitionum, ac cætera alia hyacinthino pallio *Num.* 4. 7. 8. *&c.* gladius Goliath repoſitus erat in Tabernaculo: *Involutus pallio poſt Ephod*, 1. *Reg.* 21. 9.

Pallium, Hebraicè *Mabil* veſtis erat virilis æquè ac muliebris. Rebecca venientem proſpiciens Iſaac ſibi Sponſum deſtinatum, *feſtinavit tegere ſe pallio ſuo*. *Geneſ.* 24. 65. Hebræus legit *Zaiph*, quod exprimit potiùs velaminis genus, caput ac vultum fœminarum obnubens. Sponſa in Cantico narrat inventam fuiſſe ſe à cuſtodibus urbis, ac pallio exutam; Hebræus *Redid*, *Cantic.* 5. 7. quod eſt muliebre ac precioſum velum. Derivari poteſt ex Hebræo *Radab* dominari; tunc autem exprimet idem ac *poteſtas*, quod mandat Apoſtolus præferri à fœminis ſuper caput 1. *Cor.* 11. 10. *Debet mulier poteſtatem habere ſuper caput propter Angelos*. Velamen hoc *poteſtas* exprimit viri in fœminam authoritatem. Geſtabat etiam Ruth pallium, quod Booz oneravit ſex menſuris hordei. *Ruth.* 3. 15. Hoc autem pallium appellat Scriptura altero plane nomine ac ſuperiora illa, nempè *Mipheat*.

Ad pallium virile quod attinet, ubique ex Scriptura intelligimus amiculum fuiſſe tunicæ ſuperimpoſitum, nulla ſciſſura reformatum. Exhibebat panni ſeu alteſius cujuſcunque materiæ fruſtum, quo viri ſeſe obvolvebant vario Mæandro pro variis indigentiis ac rerum circumſtantiis. Vertebatur utrinque, obnubebatur ex illo caput, amiciebantur humeri, vinciebatur ad pectus, vel ad humeros, vel circa collum admordente unco. Uxor Putipharis pallium avulſit à Joſeph; & filii Noe aſſumptum pallium, retrorſum incedentes, projecerunt ſuper nuda patris ſui. Hebræi pedem referentes ex Ægypto, cùm decoquendo pani ſat temporis non daretur, tulerunt faſmam in palliis ſuis alligatam. Saul, remoraturus Samuelem abeuntem, pallium ejus tenuit arrupitque 1. *Reg.* 15. 27. Ahia Propheta, quod geſtabat, pallium in duodecim partes ſcidit eo emblemate deſignaturus decem Tribuum è Juda ſejunctionem 3. *Reg.* 11. 29. Eliſeus pallium Eliæ convolutum in morem baculi tenens, percuſſit aquas Jordanis, quæ ſtatim in duas partes diſſiluerunt 4. *Reg.* 2. 13. *&c.*

Materia pallii ſive lana erat, ſive pellis, ſive pretioſius aliud. Renunciatus Joſeph in Præfectum Ægypti pallio amictus fuit è goſſypio ſeu carbaſo, *Geneſ.* 41. 42. *Byſſo*. David in ſolemni pompa tranſlatæ Jeroſolymam Arcæ byſſo palliatus incedebat 1. *Par.* 15. 27. Mardochæus à Rege Aſſuero honore donatus prodibat *amictus ſerica pallio atque purpureo*. Pſeudo-Prophetæ & hypocritæ præferebant ſaga cilicina, auſterioris atque Propheticæ vitæ argumentum *Zachar.* 13. 4. Erat pallium dignitatis inſigne. Pythoniſſa à Saule conſulta obverſatum ante oculos dixit virum venerabilem & palliatum.

Ut Hebræi à cæteris, vel in amictu diſtinguerentur, injunxit Deus *Num.* 15. 38. *Deut.* 22. 12. ut ad quatuor angulos veſtium præferrent aſſutos floccos hyacinthinos, ſeu cæruleo cælesti tinctos, & extremam oram veſtis ornarent laciniis; nihil tamen de colore, ſeu latitudine, ſeu materia præſcribens. Id generis laciniis extrema palli ornabat Jeſus Chriſtus, ut ex illo Matth. 9. 20. intelligimus: *Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus ſalva ero*; verba ſunt Hemorrhoiſſæ. Exprobrat Phariſæis Chriſtus affectaſſe illos ampliores lacinias in fimbriis palliorum, vel luxuriantes floccos ad angulos veſtium: *Magnificant fimbrias*, *Matth.* 23. 25. Modò Judæi, ne ridendos ſe exponant veſtium ſingularitate, floccos illos & fimbrias exterius quidem non præferunt; ſed latens ſub veſtibus habent ſericeum quid, vel lineum quadratum, ad quatuor angulos quatuor modicis floccis inſtructum. Porrò ornamentum hoc conſtat è duplicato panno, cujus pars anterior pendet, altera poſterior; utramque autem portionem adnectunt anſulæ ad utrunque humerum commiſſæ (d). Id generis veſtis appellant, *Harba Canphoth*, quatuor alas vel quatuor angulos: eſt autem vetus pallium in arctius contractum. Occurrunt in Scri-

(a) D'Herbelot Bibliot. Orient. pag. 336.
(b) Salmaſ. ad Solin. p. 270. 271.
(c) Iſa. 34. 13. *choath*, *ſpina*, *carduus*, *hamus*.
(d) Leo Modena Cærem. Jud. part. 1. cap. 5. & 14.

Scripturâ non nisi ale pallii, deſignant autem facilè quatuor illos angulos, de quibus modò. Avulſit Saul alam pallii Samuelis, ſicut & pallii Saulis in ſpecu alam præcidit David 1. *Reg.* 15. 27.)

PALMA, arbor in Palæſtina notiſſima, Hebræis *thamar*, Græcis *phœnix*. Optimæ in agro Jerichuntis & Engaddi proveniebant: hinc Jericho nonnunquam urbs palmarum dicitur. *Deut.* 34. 3. *Judic.* 1. 16. Plurimæ etiam ſecundum Jordanis ripas, & Scythopolim verſus. Præter dactylos, mel quoddam, ferè communi pari, ſtillas (a); ex quo vinum, in toto Oriente vulgare, exprimebatur, quod *ſicera* nomine à Moyſe ſignificatum volunt S. Chryſoſtomus, & Theodoretus. Vide *Sicera*.

Qui locus Job. 20. 18. in Vulgata legitur: *Sicut palma multiplicabo dies*, & à Veteribus nonnullis redditur: *quamdiu vivam, quamdiu phœnix*, ſivè, *multiplicabo dies meos, veluti phœnix*, in Hebræo habetur: *Multiplicabo dies meos velut arenam*. Vocem *phœnix* palmam ſignificare diximus; *Phœniceum* tamen, & *Phœnicium* etiam ſonat (b).

Palmæ ramus victoriæ ſymbolum eſt; & in publicæ lætitiæ cæremoniis, veluti cum Victor aliquis in urbem excipiebatur, palmæ ipſi præferebantur. 1. *Mach.* 13. 51. & 2. *Mach.* 10. 7. *Jo.* 12. 13. Aurea palma Syriæ Regibus dono, ſeu pro tributo mitti conſueverat; 1. *Mach.* 13. 37. quod Græcè *baina* vocitabant. Templo etiam Hieroſolymitano offerebantur. 2. *Mach.* 14. 4. Quem ritum è Græcia manaſſe arbitror, cùm ante Machabæos in toto Veteri Teſtamento non occurrat.

Eſt palma arbor; eſt & *palma* manus; ac tandem *palmus* certæ menſuræ genus. *Urbs Palmarum* (c); eſt Jericho, ut ex ſecundo Paralipomenon intelligimus. Agri Jerichuntini palmæ & in Scriptura, & apud Prophanos celebrantur.

In Templo Jeruſalem conſtitui juſſit Salomon columnas vel baſes columnarum palmarum figuras referentes 3. *Reg.* 6. 29. *&c.*; quod facilè ab illo ad imitationem Templorum Ægyptiorum præſcriptum eſt. *Herodot.* lib. 2. cap. 169.

Surgunt è palmæ radicibus germina plura, quæ temporis proceſſu in ſylvam denſantur: *Proceribus ſylva arbore ex ipſa*. *Plin.* lib. 13. cap. 4. Sub nemore id generis verſabatur Debora Propheteſſa, ſedem habens in loco inter Ramam & Bethel *Judic.* 4. 5. Nec facilè aliò ſpectatum eſt, quàm ad feracitatem iſtam palmarum in illo Pſalmi 91. 13. *Juſtus ſicut palma florebit*.

Sacerdotes filios Aaronis lætam coronam formantes Oniæ ſummo Sacerdoti exhibet Eccli. 50. 14. tanquam palmarum germina proceræ jam arbori adblandientia. Agens Jeremias 10. 5. de Idolis Paganorum, quæ in pompis geſtabantur, exhibuiſſe dicit ſimulacra illa figuram palmarum: *In ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt*.

Statura Sponſæ *aſſimilata eſt palmæ*, Cantic. 7. 7. Porrò è palma ductæ ſimilitudines nobiles habebantur. Arbor hæc recta ſurgit in altum. Veteres olim, cùm rudis adhuc vigebat ſculpendi ars, ſimulacra fabricabant uno veluti ductu ac rectu in modum trunci; quorum manus pendebant ſecundùm duo latera, nec à trunco reliquo diſtinguebantur, ſicut & pedes habebant junctos, clauſos oculos, ac reliquum corporis habitum rudem, ut proinde meliùs truncos palmæ diceres, quàm ſimulacra. Manent hodie id generis imagines veterum Ægyptiorum. Dædalus nobilis architectus & ſculptor omnium primus crura diſtinxit, aperuit oculos, atque liberiori corporis habitu exhibuit ſimulacra. *Diodor.* lib. 4.

Comam Sponſi ſui comparat Sponſa, Cantic. 5. 11. fructui palmæ maris, & nigredini corvi: *Comæ ejus quaſi elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus*. Veſtitur arbor hæc foliis in ſuperiori trunco: *Coma omnis in cacumine*, ait Plinius lib. 13. cap. 4. Palma mas fœtas reddit fœmellas ope floris, intra fructum ſuum reſidentis. Fructum palmæ maris appellant Græci *Elate* (d). Inſtituta comarum cum ramis palmarum comparatio eò juſtior eſt, quò folia arboris illius in rotundum torquentur, & in extrema ora inferiùs propendent, oblonga ſunt, duplicata, arcta, velut enſis, ejus flores in formam racemi pendent è tenuiſſima cauda, exhibentque non malè flores croceos; minores ſunt tamen & albentes.)

PALMUS, quatuor digitorum menſura, ſive trium pollicum, & $\frac{37}{80}$, Hebraicè, *tophac*. *Exod.* 25. 25. & 37. 12. Frequenter Hebræum *zereth*, *palmus* Latinè, & Græcè *ſpithame* redditur; *Exod.* 28. 16. & 39. 9. & 3. *Reg.* 17. 4. quamquam hæc ſemicubitum, ſeu tres communes palmos ſignificat. Quod ſedulò advertendum eſt, ne diverſæ adeò menſuræ confundantur. *Zereth* manus extenſionem à pollicis ad minimi extremitatem ſignificare Iſaias 40. 12. innuit: *Quis menſus eſt pugillo aquas, aut Cœlos palmo ponderavit?* Quis aquas vola menſus eſt, aut Cœlos palmo manus ſuæ, in manu extenſa, ponderavit?

PALMYRA, Syriæ urbs, à Salomone condita, Hebraicè *Thadmor*, ſive Thamor (e), in Syriæ deſerto, Arabiæ Deſertæ, Euphratem verſus, conterminа. Hanc Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 2. duorum à Syria Superiori, unius ab Euphrate, ſex dierum itinere à Babylone collocat; additque hoc tantùm hujus deſerti in loco aquas inveniri. Magnifica hujus urbis veſtigia, quibus in toto Oriente vix paria invenias, adhuc ſuperſunt; quorum topographiam, à Cl. Halifax exaratam, Cl. Le Brun in ſuo Itinerario pag. 342. edidit. Plures adhuc inter ea inſcriptiones, pleræque Græco, aliæ Palmyreno ſermone, & charactere, exaratæ leguntur; Judaicum nihil Græcæ præferunt. Palmyrenæ ignorantur, ut & Lingua & characteres. Palmyram Abulfeda ab Emeſa trium dierum itinere ad orientem, & æquali intervallo à Salamina removet. Alazias urbem Thadmor inter & Damaſcum milliar. 90. numerat.

(Urbi huic manſit nomen Thadmor adusque ſubactam ab Alexandro regionem. Ex tunc Palmyræ nomen datum (f) retentum eſt diu. Circa medium tertii ſæculi Urbis hujus fama crevit in immenſum, quòd tranſiit in Metropolim Imperii, rerum potientibus Odenato & Zenobia ejus uxore. Cùm Saracenis Orientem ſubjicientibus cedere coacta eſt, vetus nomen Thadmor ſibi vindicavit, quod & nunquam depoſuit. Jacet perinde ac urbs Ammon in Libya in medio deſerti, refert enim valut oceanum arenæ, & deſerta arenoſa, quibus obſidetur.

Locus iſte Urbis medius inter duo potentiſſima Imperia Parthorum ad Orientem & Romanorum ad Occidentem, injuriis utriuſque miſeram illam exponebat. Sed viciſſim reſtituta pace proſtratas res ſuas ſtatim relevabat ex commercio utriuſque Imperii. Quæ enim Caravanæ Perſarum & Indorum modò Aleppo ſubſiſtunt, tunc Palmyram divertebant. Exinde deferebantur merces Orientis terreſtri itinere ad portus Mediterranei, unde poſtea tranſmittebantur per totum Occidentem, eandemque tenebant viam devectæ ex Occidente merces, quas Orientales Mercatores ex Emporio Palmyræ longè latèque diſſipabant. Mirari ſubit, cur tam altè ſileat Hiſtoria, quo tempore, quove authore Palmyra ad præſentem ſtatum redacta ſit.)

PAM.

(a) Joſeph. de Bel. l. 5. c. 4.　(b) Vide noſt. Differt. Comment. in Job.
(c) Deut. 34. 3. Judic. 1. 16. & 3. 13. & 2. Par. 28. 15. Jericho Civitatem palmarum.
(d) Theodoret. in Cantic. 5.
(e) 2 Par. 8. 4. *Thadmor*. 3. Reg. 9. 18. *Thamor*.
(f) Plin. lib. 5. cap. 25.

Digitized by Google

PAMPHYLIA, Aſiæ Provincia, inter Ciliciam ad Orientem, & Syriam ad Occidentem, Aſiam ad Boream, & Mediterraneum ad Auſtrum. De hac 1. *Mach.* 15. 33. Pergæ in Pamphylia SS. Paulus & Barnabas Chriſtum nunciarunt. *Act.* 13. 13. & 14. 24.

(PAN. Deus Pan nullibi quidem occurrit in Libris Sacris; ſed non defuerunt qui crederent (a) Paganos geſtorum Moyſis plura in Deum hunc tranſtuliſſe. Cornutum erat Numen, uti & Moyſes: virgam geſtabat in manu; Deus erat Paſtorum, venatorum, agricolarum, uti & Moyſes Principem egit populi paſtorum, agricolarum & agreſtium. Pan docuit Apollinem artem divinandi ac ludendi tibia; Moyſes tradidit Aaroni fratri ſuo oraculum Urim & Thummim, impoſuitque Levitis munus canendi inſtrumentis muſicis in Templo Domini. Fertur Pan copiarum ſe ductorem præbuiſſe atque obſidiones formaſſe; præerat Moyſes validiſſimo Iſraelitarum agmini. Pan in montibus Arcadiæ verſans in diſcrimen venit pereundi fame, niſi incidiſſet in Cererem, quæritantem Proſerpinam, quæ cibos eſurienti ſuffecit.

Meminit interdum Scriptura cultus impenſi à Judeis villoſis vel hircis: *Levit.* 17. 2. *Nequaquam ultra immolabunt Dæmonibus*; Hebræus: *Hoſtias ſuas hircis.* Scitum eſt autem, Ægyptios coluiſſe hircum in Urbe & regione Mendes. Herodotus l. 2. cap. 46. Strabo l. 17. & Diodorus Siculus l. 1. teſtes ſunt ejus rei luculentiſſimi; additque Strabo, cultum ibi Deum Pan & viventem hircum. Quod in Moyſe additum eſt; Non ultra immolandum fore ab illis hircis, *cum quibus fornicati ſunt*, recidit in cultum ſalaciſſimum & turpem, qui indigniſſimo huic Numini impendebatur. Quas naturâ maximè horret, proſtitutiones ſacra erant hircino Numini religio; is erat Deus Pan Græcorum, vel Mendes Ægyptiorum. Pingebatur hominem buſto & capite exprimens; deſinebat inferius poſt femora in hircum; cornua gerebat in fronte & baculum in manu.

Authores Eccleſiaſtici perſuaſum habuerunt, poſt exortum Jeſum Chriſtum interiiſſe Deum Pan, ſeu Dæmonem, qui ſub ejus nominis obtentu colebatur; interiiſſe, inquam, ſeu potius concidiſſe Regnum ipſius. Ita hæc de re Euſebius Præpar. l. 5. c. 17. *Operæ pretium fuerit tempus obſervare, quo Dæmonis iſtius interitum contigiſſe narrat. Id enim imperante Tiberio factum eſt, quo tempore Dæmones à Servatore noſtro inter homines agente jam tum ex humana vita pelli ejicique cœpiſſe divino ſcribit Hiſtoria: cùm etiam genuflexo nonnulli jam tum obſecrarent, ut ne expectantibus ſeſe inferis addiceret.*

Petita ſunt hæc ex idea Veterum, reputantium Dæmones poſt certum tempus obnoxios eſſe morti; ſicut & ea hiſtoria quadam relata à Plutarcho, de defectu Oracul. Mercatores nempe quoſdam maria excurrentes, obſtrepentem auribus excepiſſe vocem, renunciantem interiiſſe magnum Pana. Quanquam ego tamen vadem me non conſtituam de veritate hujus hiſtoriæ, ſicut de opinione, quæ Dæmones, vel Semideos in mortalium cenſum refert; conſtat nihilo ſecius poſt ortum & neci traditum Jeſum Chriſtum Dæmonis imperium & Idololatriam acciſas fuiſſe, donec tandem ſenſim dilabentes in deterius penitùs excidiſſent.)

PANEAS, Syriæ urbs, aliàs *Leſem*: inde à Danitis uſurpata, *Dan*; *Judic.* 18. 1. tum à Monte *Paneo*, ad cujus radices ſita eſt, *Paneas*; demùm *Cæſarea Philippi*, in honorem Auguſti, cui à Philippo Magni Herodis filio dicata fuerat (b), appellata. Jampridem Herodes Magnus in ea ſuperbum Auguſto Templum erexerat (c). Junior denique Agrippa Cæſareæ in *Neroniadis* nomen ob Neronem commutavit (d). Guilielmi Tyrii ætate *Belinas* dicebatur (e). Nonnulli poſt Euſebium & S. Hieronymum in *Dan* Paneadem à Dan diſtinguunt, cùm illi apertè Dan quatuor à Paneade milliaribus in Tyri via collocent. Pleriqui tamen unicam urbem credunt; ipſeque S. Hieronymus in *Ezech.* 48. Dan, ſeù Leſem *Paneadis* nomen obtinuiſſe teſtatur. Ibi ſita erat, ubi Jordanis e terra erumpit; fontem enim habet lacum *Phialam*, 120. à Paneade ſtadiis. Vide v. *Jordanis*.

PANEUS, ſive *Panius*, mons, aliàs *Hermon*, Libani pars, ad cujus radices jacet Paneas (f). Vetus in hoc monte Templum eſſe dicitur (g); ipſeque ceſtus adeo eſſe fertur, ut totâ æſtate nive candeſcat. Vide Hieron. Onomaſt. in Aermon. Vide *Hermon*.

PANION. Antrum in Paneo monte, propè Jordanis fontem, ubi Herodes Magnus candidi marmoris Templum in Auguſti honorem condidit. *Joſeph. Antiq.* l. 15. c. 13. Vide *Paneus*.

(PANIS. Stilo Scripturæ *Panis* de alimenti quocunque genere uſurpatur. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo Geneſ.* 3. 59. Abraham ad hoſpites ſuos dixit *Geneſ.* 18. 5.: *Ponam buccellam panis.* Jacob votum ſuum nuncupans in Bethel, in hæc verba proteſtatus eſt *Geneſ.* 28. 20. *Si Deus dederit mihi panem ad veſcendum.* Exodi 2. 20. *Vocate eum ut comedat panem*; ut ſcilicet nobiſcum capiat cibos. Manna appellatur Exodi 16. 15. *Panis quem Dominus dedit*. Deus manna illa pluens ſignificat alere ſe populum pane ad largitatem &c.

Decoquendi panis non una erat apud Hebræos ars. Abraham exceptis tribus Angelis hoſpitio appoſuit *panes ſubcinericios*. *Geneſ.* 18. 6. Hebræus *Huggoth* exprimit panes vel tenues placentas non abſimiles placentulis noſtris ſubcinericiis vel excoctis ſuper candentes ferri laminas, vel in clibano, vel in vaſe quodam lapideo ſubjecto igne calente. Hebræi pedes ex Ægypto relaturi *Exodi* 12. 39. ejuſmodi ſibi panes azymos pararunt. Elias fugitans poſitum ad caput nactus eſt panem ſubcinericium & ſcyphum aquæ 3. *Reg.* 19. 6. Idem Elias rogavit viduam Sarephtanam 3. *Reg.* 17. 13. ut panem ſibi conficeret modicum, ſubcinericium. Textus Hebræus in 3. Reg. 19. 6. appellat ejuſmodi panes *Huggoth*, *carbones*; & Oſee 7. 8. comparat Ephraim *Huggath* uno tantùm latere excoctis. Narrat Busbequius, Coſtantinop. pag. 36. panes id generis familiares Bulgaris, appellari *Hugaces*. Statim ac hoſpes aliquis ſuperveneiit, parant mulieres ſubcinericios azymoſque panes, quos advenis illis vendunt; nulli ſunt enim in ea regione caupones.

Arabes (h), atque Orientales cæteri, apud quos rara ſunt ligna decoquendo pani, utuntur clibanis continentibus ſtercus vaccinum incenſum, quæ ſcilicet materia eſt ſufficiens lenem ignem aptumque commoda coctione cibo parando. Panis hujus ea, qua confectus eſt, die medulla ſapit guſtui; ſed cruſta obducitur nigra ambuſta igne, ſervanteque materiæ illius odorem, qua ignis eſt altus. Valent hæc illuſtrando illi Ezech. 4. 9. &c. quod crucem figit Interpretibus. Mandat Deus Prophetæ, ut ſubigat farinam è frumento, hordeo, fabis, lenticulis, milio, viciæ mixta; decoquat autem ſubcinericium panem, quem obruat fimo hominis coram ſpectante populo. Cùm Propheta animum habere ſe ad hæc repugnantem indicaſſet, permiſit Deus, ut pro fimo hominis, bovino uteretur. Non ita profectò reputandum eſt, quaſi Deus cogeret Prophetam, ut excrementa hominis deguſtaret; ſed fimo illo uti volebat ad decoquendum panem: ſubſtituit autem loco illius fimum vaccinum, quod apud Arabes obtinebat.

Hebræi cæterique Orientales furni genus quoddam hodie pariter adhibent, quod appellant *Tannour*;

(a) Huet. Demonſtr. Prop. 4. (b) Joſeph. Ant. l. 18. c. 3. (c) Antiq. l. 15. c. 13.
(d) Antiq. l. 20. c. 8. (e) Guill. Tyr. Hiſt. l. 15. (f) Hieron. in Hermon, ſeu Ærmon.
(g) Euſeb. ad vocem Ærmon. (h) D'Arvieu Mores Arabum, cap. 14.

nour (a) ; figuram exhibet amplioris lagenæ fictilis in ſuperiori apertæ, intùs verò incenſo igne incaleſcentis; cum igitur igne ſat penetretur, farinam ſubactam aqua, quemadmodum apud nos dum gluten conficimus, applicant exteriori lagenæ hujus parieti, volam manus opponentes ne cadat. Dicto citiùs panis exſiccato humore decoquitur, exhibetque ſpeciem quandam tenuis ac delicatæ cruſtæ. Tenent Orientales non alio furno uſam fuiſſe Evam; ab illa verò hæreditario jure tranſiiſſe ad Noemum; ca ebullienti verò de lagena illa aqua, cùm regurgitaret, proveniſſe diluvium. Apage fabellas.

Tertium panis, Orientalibus familiaris, genus eſt, quod excoquitur in ampliori lagena ad medium uſque oppleta calculis albentibus lucentibuſque, quibus ſuperinducitur maſſa farinæ patula in modum placentulæ. Panis ille albeſcit, gratumque olet; ſed recens tantùm ejuſdem diei ſapit guſtui; niſi aliquid addatur fermenti, quo ad longius tempus conſervetur. Familiariùs id obtinet in Palæſtina.

Perſeverantibus octo Paſchalibus diebus, Hebræi ſolis utuntur *azymis* in memoriam temporis, quo ex Ægypto pedem retulerunt; cùm ſcilicet ſat commodi non habentes ut fermentatum pararent, exitu urgente, coacti ſunt providere ſibi de panibus azymis & ſubcinericiis *Exodi* 12. 8. 9. Manet id uſque hodie ſanctum exactiſſima religione apud illos. Vide V. *Azyma*.

Mandaverat Iſraelitis Moyſes Num. 15. 20. ut in terram Promiſſionis cùm veniſſent, *ſepararent primitias Domino de cibis ſuis* in omnes ſuccedentes generationes. Primitiæ illæ panis ſeu maſſæ cedebant Sacerdoti, vel Levitæ, ibi verſanti, ubi panis decoquebatur, ſi verò nullus adeſſet, projiciebantur in ignem ſive in furnum. De quantitate hujus panis Domino ſeparandi nihil quidem in Lege præſcriptum eſt; ſed mos & traditio, ait S. Hieronymus in Laod. cap. 45. determinarunt ad quadrageſimam totius maſſæ ut majus, ad ſexageſimam ut minus. Notat Philo de præm. Sacerd. totties certam portionem ſegregari Sacerdoti, quoties farina ſubigebatur, ſed de quantitate illa nihil determinat. Judæorum recentiorum mos, teſte Leone Modena parte 2. cap. 9. fert, ut cùm panis ſubigendus eſt, ac maſſa farinæ refert magnitudinem 40 ovorum, ſeparetur ex illa modica pars, quanta tortulæ conficiendæ ſufficit; hæc autem cedit loco primitiarum Legalium. Dabatur olim Sacerdoti; modò verò projicitur in ignem penitùs adolenda. Unum eſt ex tribus præceptis ligantibus fœminas, quòd ſcilicet panem ſubigere muliebre ſit. Hæc eſt autem precandi formula, quam recitant, projicientes in furnum vel ignem hanc maſſæ portionem: *Benedictus ſis, Domine Deus noſter Rex mundi, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & juſſiſti ſeparare nos placentulam è noſtra maſſa.*

PANES PROPOSITIONUM, ſeu juxta Hebræum *Panes facierum*, ſunt panes, qui ſingulis recurrentibus Sabbathis in menſa aurea in Sancto conſtituta apponebantur Domino *Exodi* 25. 30. Affirmant Hebræi panes illos figuram retuliſſe quadratam, ut quatuor haberent facies, tectas autem aureis bracteis. Numero erant duodecim in memoriam duodecim Tribuum Iſrael, quarum nomine offerebantur. Singuli panes è duobus aſſaronibus farinæ confecti erant, reddit autem ea menſura ſex Gallicas pintas. Azymi erant, calentesque ſingulis Sabbathis innovabantur, ſubductis veteribus, quibus ſoli Sacerdotes jure veſcebantur. Genus iſtud ſacrificii habebat ſimul adjunctum ſal & thus, cui etiam addunt Commentatores quidam vinum. Sal quidem & thus tantùm præfert Scriptura; ſed ideo vinum ab aliis jungitur, quòd nullis deeſſet vel ſacrificiis vel oblationibus. Vulgò creditum eſt panes illos, altero ſuper alterum poſito, exhibuiſſe geminas columnas ſex panum in ſingulas, medias autem inter duos panes poſitas fuiſſe duas laminas aureas in ſemicirculum flexas, ſecundùm ſuam longitudinem, quibus liberior aer permeans inter panes ſitum impediret. Laminæ illæ aureæ ſuſtinebantur ad extremam oram fulcimis aureis ſuper terram ſtantibus.

Innui[illegible]s panes iſtos propoſitionis unis Sacerdotibus in cibum permiſſos fuiſſe. Hiſce tamen uſus eſt David annuente Summo Sacerdote Achimelech, cum in neceſſitate ciborum nihil aliud ſuppeteret 1. *Reg.* 21. 3. 4. *Matth.* 12. 4. cujus exemplum affert Jeſus Chriſtus purgandis à culpa Apoſtolis, qui ſpicas affricantes die Sabbathi, excuſſa grana comedebant. Sacerdos Achimelech appellat *Laicos Panes* illos, quibus veſci omnibus permiſſum eſt; *panes* verò *ſanctos*, quorum uſus tantum datus eſt Sacerdotibus.

Egimus V. *Oblationes* de panum in Templo offerendorum variis generibus; offerendorum, inquam, in ſacrificium, in oblationes ſimilæ, placentæ, panis, tritici, &c. Non uno Scripturæ Textu inſinuatur, præſto ſemper fuiſſe juxta Altare caniſtrum panis, ne conſuetis ſacrificiis deeſſet. *Panes qui ſunt in caniſtro; & caniſtrum panum azymorum*. *Exodi* 29. 32 *Num.* 6. 15.

Vetat Moyſes Sacerdotibus, Levit. 22. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid dare voluerit, quia corrupta & maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea*. Diſſidium eſt ſententiarum hac in re. Quidam uti Toſtatus, Cajetanus, aliique defendunt ſub panis nomine vetari oblationum & ſacrificiorum quodcunque genus, cùm ſtilo Scripturæ victimæ immolatæ appellentur interdum *panis Dei*. Malunt alii, vetare Deum, ne ex ipſis Infidelium manibus accipiantur ſive hoſtiæ, ſive reales oblationes; permittere tamen ut accipiatur pecunia emendis victimis vel oblationibus. Alii tandem Textum exponunt ad literam de oblationibus ſimilæ, panis ac placentarum, quas in Templo nefas eſt accipere è manibus Infidelis vel Idololatræ.

Contracturum ſe minitatur Deus *Levit.* 26. 26. *Ezech.* 4. 16. & 5. 16. *baculum panis*, ſeu *virgam panis Ezech.* 14. 13. vel *robur panis Iſaiæ* 3. 1. vel *firmamentum panis Pſ.* 104. 16. i. e. excuſſurum in Iſraelem flagellum famis, vel effecturum ſe, ne pane illo, quem deguſtaverint, ſuſtententur, aſflicturum canina atque inſatiabili fame.

Abſumere, vorare aliquem *tanquam panem Num.* 14. 9. eſt perdere, vorare aliquem ipſo non reſiſtente, tanquam per ludum atque oblectationem. Vide Pſ. 13. 4. & 52. 5.

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. i. e. Deus ſubſtentare valet, non tantùm pane atque vulgaribus alimentis, ſed re quacunque, cui ille nutriendi vim indiderit. Iſraelitas manna pavit in deſerto; 5000. hominum ſatiati ſunt quinque panibus per manus Jeſu Chriſti & Apoſtolorum diſtributis. *Verbum* hic ponitur pro re. In Textu Hebræo Deuteronomii non legitur *verbo*, ſed tantùm: *In omni quod procedit de ore Dei*.

PANIS ET AQUA, generatim alimentum ſignificant. Ita ſcriptum eſt Moyſem perſeveraſſe 40. diebus in monte Sinai, nec panem deguſtantem, nec aquam potantem *Deut.* 9. 9. 18. Queritur Deus de Ammonitis & Moabitis, qui non procurrerunt obviam Iſraelis cum pane & aqua *Deut.* 23. 4. Nabal renunciari juſſit Davidi 1. *Reg.* 25. 11. *Tollam ego panes meos & aquas meas, & dabo viris, quos neſcio unde ſint?* Abdias Oeconomus Regis Achab 3. *Reg.* 18. 13. alebat 100. Prophetas Domini, ſufficiens panem & aquam. *Initium vitæ hominis aqua & panis*, ait Eccli. 29. 28.

PANIS TRIBULATIONIS ET AQUA ANGUSTIÆ, de quibus 3. Reg. 22. 27. idem ſignificant ac in 2. Paralip. 18. 26. *Panis modicum & aquæ pauxillum*. Minitatur Iſaias Hebræis futurum, ut Dominus det illis *panem arctum & aquam brevem*, *Iſaiæ* 30. 20.

Cùm ſolemne eſſet Hebræis panem tenuiſſimum conficere in formam placentularum, non ſcindebant illum cultro, ſed frangebant manu, unde illud Scripturæ familiariſſimum *frangere panem*, pro accumbere menſæ, vel cibos capere.

(a) D. Arvieu Mores Arab. cap. 14. D'Herbelot Biblioth. Orient. 676.

Digitized by Google

Animadverſum eſt etiam eos, qui iter aliquod ſuſcepturi eſsent, commeatum ſibi comparare è panibus, quod ſcilicet cauponæ, vel piſtorum officinæ ſeu nullæ erant in Palæſtina, vel raræ. Monuit Diſcipulos ſuos Jeſus Chriſtus, ne annonam ſibi panis curarent in eo, quod capeſſebant, itinere *Marc.* 6. 8. nec ſanè illi nunquam fermè deerant à providendo pane, cùm Jeſum Chriſtum ſequerentur; quin & ſollicitos teneri ſe ſignificarunt die quadam, quòd obliti panis annonam neglexiſsent *Matt.* 16. 5. *&c.* Quare objurgans illos Jeſus: *Quid cogitatis intra vos*, ait, *modicæ fidei, quia panes non habetis &c.?*

Meminit Pſalmiſta *Pſal.* 41. 4. *panis lacrymarum: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*; & Pſal. 79 6. *Cibabis nos pane lacrymarum*; tum & Pſal. 126. 2. *Qui manducatis panem doloris*. Satis hiſce omnibus demonſtratur jugis dolor, qui cibi potuſque oblivionem, & nauſeam parit.

PANIS IMPIETATIS *Proverb.* 4. 17. & PANIS MENDACII *Proverb* 20 17. *&* 23. 3. panis eſt dolo, mendacio, atque crimine comparatus. *Panis lugentium* eſt Oſee 9. 4. panis impurus. Sunt qui illud Jeremiæ 9. 19. *Mittamus lignum in panem ejus*, exprimere credant panem, cum injecto venenato ligno virus inſtillatum eſt; vel fortè deſignatur hiſce: Ligna ſuper corpus ejus projiciamus, contundamus illum baculo. Hebræus *Lechem*, quod pani exprimendo uſurpatur, interdum etiam ſonat corpus.

Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa invenies illum, ait Eccleſ. 11. 1. ad litteram: Sere ſemen tuum in terram probè irrigatam, uberemque colliges meſsem; vel morali ſenſu: Largitiones tuas manu non avara diſpenſes, ne opem recuſes præſtare indigentibus, & parem munificentiæ tuæ recipies mercedem.

Eucharistia vel Sacramentum Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti non typicè tantùm, ſed & re ipſa ſub ſignis panis ac vini contenti, deſignantur frequentiſſimè in Novo teſtamento ſub emblemate panis, panis vitæ, vivificantis, panis quem frangimus; ſicut & Communio ſancta nomine fractionis panis expreſsa eſt. Idem Sacramentum typicè exprimit manna, panis ille cœleſtis, panis Angelorum, panis qui voluptatem omnem & delicias affert deguſtanti.)

PANTHER. Patres nonnulli (a) poſt Judæos, inter Chriſti progenitores quemdam Panther nomine recenſuerunt: quem verò locum in genealogia occupet, diſputatur. Cùm verò hunc Evangeliſtæ ſileant, rejiciendum puto, utpotè à Judæis per fraudem Chriſti genealogiæ additum, ut illam ſuſpectam, ſeu contemnendam redderent. Vide noſtram Diſsertationem, Commentariis in Lucam præfixam, in qua S. Matthæus, & S. Lucas de Chriſti genealogia conciliantur.

PAPHOS, celeberrima in Cypro urbs, ad Occidentalem hujus extremitatem, in qua S. Paulus Sergium Paulum Proconſulem Chriſto addixit, A. Ch. 44. *Act.* 13. 6. Magumque Judæum, & Pſeudo-prophetam, *Bar-Jeſu* nomine, Sergii converſioni obſiſtentem, cæcitate mulctavit.

PAPYRUS planta, ſeu junci genus, in Nili ripis proveniens, quam Ægyptii in varios uſus adhibebant, ut ad ciſtas, calceos, veſtes (b), cymbulaſque (c) conficiendas, quibus in Nilo veherentur. Papyri pars radici propior cibo apta eſse dicitur (d). Navigium quoddam in capitis formam ex papyro textum Iſaias 18. 2. innuit; cùm Ægyptii Epiſtolam imponebant, qua Byblii de invento Adonide, quem defunctum fleverant, monebantur. Ea cymbula in Mediterraneum projiciebatur, ſeptemque diebus Byblum in Phœnicia, leucis pluſquàm octoginta ab Ægypto remotam, appellere dicebatur (e). Hebræum *gome*, quo Iſaias utitur, juncum, arundinem ſignificat; eamdemque vocem ad arculam exprimendam, qua ipſe Nilo expoſitus eſt (f), Moyſes adhibet.

Charta, qua Veteres ad ſcribendum utebantur, quæque è noſtra charta toto Cœlo diſtat, ex *papyri* foliis, ex qua illi nomen, hac ratione præparabatur. Papyri truncus ex pluribus foliis invicem adhærentibus conſtat; quæ divulſa, & acu ſeparata ſuper humentem tabulam, qua videbatur latitudine, & longitudine, extendebantur. Tum optimo glutino, ſeu turbida, & calefacta Nili aqua, glutini vim præbente, liniebantur; tum altero foliorum ordine ſuperinducto, Sole ſiccabantur. Quæ folia mediæ papyro propiora erant, utpotè tenuiſſima, *papyrum Auguſtam*, ab Auguſto dictam, quæ tenuiſſima erat, & pretioſiſſima, conficiebant; his proxima, *papyrum Juliam*, ab Julia Auguſta, quæ craſſior erat. Claudius denique Imperator papyri genus quoddam ſolidioris excogitatum, *papyrum Claudium* nominavit. Plura de hac re vide apud Guillandinum.

Ea fortaſſe, quæ Scriptura *chartam*, & *librum* nuncupat, ipſaque Veterum volumina, Ægyptia papyrus erant; membranæ enim ſeru admodum in uſu eſſe cœperunt (g). A' Pergami Regibus membranarum uſus cœpit; cùm etenim Ægypti Reges papyrum ex Ægypto educi vetuiſſent, Pergameni neceſſitate coacti, animalium coria præparata ad ſcribendum, inſtruendamque Bibliothecam, quam Ptolomæorum imitatione erigere meditabantur, adhibuere. Ex his duplicis generis libros confecere: alios in voluminum formam, membranas plures ita conſuentes, ut ex continuatam veluti membranam conſtituerent; ſic verò altera tantùm parte conſcribebantur; alios ex membranis pluribus ſimul unitis, & ex utraque parte conſcriptis, ut in noſtris hodie libris conſueſcimus. Membranarum tamen uſum Pergami Regibus vetuſtiorem Voſſius opinatur (h).

Chartæ, qua nos utimur, quæque centonibus lineis putridis, imminutis, & aqua dilutis, tum in folia collectis, componitur, recentior uſus eſt, quàm qui apud Veteres obtineret. Nulla enim, quæ nobis conſtet, aperta hujus mentio ante Petri Venerabilis Cluniacenſis Abbatis ætatem, quingentos ſcilicet ab hinc annos, reperitur (i). Quare hæc non eſt *charta* illa, cujus meminit Scriptura.

(In Dictionario Biblico animadvertimus priſca illa volumina ex uno tantùm latere ſcripta, de quibus interdum in Sacra Scriptura, è papyro Ægyptia conſtitiſſe, cujus folia alterum alteri erant annexa. Num tamen res ita ſeſe habuerit, ambigere modo profiteor; nullibi enim me legiſſe occurrit longa volumina è ſimplici Papyro compoſita fuiſse; papyrus eſt enim minùs ſolidus, quàm ut ad extremam oram alterius folii allutus conſiſtere poſſit. Faciliùs credimus voluminam ejuſmodi materiam fuiſſe ſive pelles, ſive membranas, uti modo etiam conficiuntur. Refert Diodorus Siculus l. 2. Perſas mandaſse olim Commentarios ſuos pellibus; ſermo eſt pariter apud Herodotum l. 5. de pellibus arietinis & hircinis, quas in uſum ſcribendi adhibebant veteres Iones. Prophetæ Iſaias 8. 1. Ieremias 36. Ezechiel. 2. 9. & 3. 1. 2. 3. non obſcurè meminerunt ejuſmodi voluminum; nec niſi membranaceum credimus volumen Legis, quod ſub Helcia repertum eſt 4. *Reg.* 22. 11. ſicut & membranaceum illud, de quo 21. 35. 26. *Quis mihi tribuat adjutorem, ut deſiderium meum audiat Omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui judicat: ut in humero meo portem illum, circumdem illum quaſi coronam mihi.*

Repu-

(a) Orig. cont. Celſ. l. 1. Epiph. hær. 78. Damaſc. l. 4. c. 15. de fide orthod.
(b) Herodot. l. 2. c. 37. (c) Ita Teoph. hiſt. Plant. l. 4. Plin. l. 6. c. 22. l. 7. c. 56. l. 13. c. 11. *ex ipſa papyro navigia texunt, & ex libro vela*. Strab. l. 17. Lucan. l. 4. &c. (d) Herod. l. 2. c. 92.
(e) Lucian. de Dea Syr. Vide & Cyrill. Alex. l. 2. & Procop. in Iſa. (f) Exod. 2. 3. Arca Junci. (g) Tit. Liv. l. 12. c. 51. Iſid. orig. l. 6. Hier. Ep. ad Chromat. Primus, qui Pergami Rex dictus ſit, Attalus eſt, qui Regnum cepit A. M. 3763. ante Chr. 237. ante Ær. 241. (h) Voſs. origin. & l. 1. de arte Grammar. c. 38. (i) Petr. Venerab. con. Judæos Biblioth. Cluniac. p. 1070. Vide Mabillon. de re diplom. l. 1. c. 8. Vide & noſtram Diſsert. de Libr. vet. ante Comment. in Gen.

Digitized by Google

Digitized by Google


80
85
PHISON hodie Phasis
TERRA
HEVILATH
MARE
CASPIUM
Cyrus Fl.
Ophir
PARADISUS
CHUS
ARAXES
FRAT
EDEN
Artaxata
GEHON Fl.
ARARAT Montes
Sapires
Portae Caspiae
ASSYRIA
M. Taurus
Thospites
Chalach
SEU
Lycus Fl.
Ur
Resen
ADIABENE
Ninive seu Ninus
Caprus Fl.
Cittacene
Ctesiphon
Seleucia
Sabatha
Sabatica
Elymais
BABYLON
Susae
SUSIANA
Chalanna
Eulaeus Fl.
Achad
Arach
CHALDÆA
Casdim
Orchoë
80
85

Google

Reputandum eſt igitur Regem Pergami inventum jam ſcribendi uſum in membranis perfeciſſe tantùm, & commodè adeò paraſſe membranas illas, ut poſt hæc nemo ſibi providere de Papyro Ægyptio curaret. Eſt re ipſa quidem membrana ad uſum præſtantior quam papyrus; & quidquid ſupereſt vetuſtiſſimorum M. SS. Græcorum pariter & Latinorum membranaceum eſt; & vix in Tabulariis monſtrantur ſuperſtites quædam reliquiæ ſcriptiuncularum in papyro Ægypto, quas etiam longa ætas ita detrivit, ut vix cohæreant.)

PAPYRION, locus *papyris* conſitus. Locum ripæ Nili, in quo Moyſes infans inter arundines expoſitus eſt *Exod* 2. 5. S. Hieronymus *papyrion* nuncupat.

PARABOLA. Vox ex Græco *parabole*, ex radice *paraballein*, comparare, conferre. Frequentar in Scriptura voces comparatio, ſimilitudo, parabola, dictum ſapiens, proverbium, ſententia, indiſcriminatim uſurpantur. Quæ nos *Proverbia Salomonis*, quæque moralis diſciplinæ ſunt axiomata, ea Græci *Salomonis Parabolas* nuncupant: cùmque S. Hieronymus poeticum, ſententioſumque Balaami ſtylum ſignificat, ſcribit: *Aſſumpta parabola dixit Num.* 23. 7. 18. *&c.* Idemque de Job amicos alloquente *Job.* 28 1. *&* 29. 1. repetitur. Sapientibus ſiquidem, & Eruditis ænigmatica, parabolica, figurata, & ſententioſa familiaris erat oratio; nihilque iniquiùs, quàm ſtultus parabolicè diſſerens, ferebatur: *Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola. Prov.* 26. 7.

Parabolis Prophetæ uſi ſunt, ut apertiùs Principibus, populiſque Dei minas, ſeu promiſſa ſignificarent. Nathan ſub divitis, qui pauperis ovem rapuit, parabola Davidem redarguit. 2. *Reg.* 12. 1. 3. *&c.* Thecuitis fœmina à Joabo edocta, ut Davidem ad Abſalomo parcendum induceret, duorum quos habebat, filiorum parabolam narravit, quorum alter cùm alterum occidiſſet, ad necem quærebatur, ipſa filiis orba impoſterùm futura. 2. *Reg.* 14. 2. 3. *&c.* Sichimitis etiam Joatham Gedeonis filius cardui in Libano parabolam propoſuit, quem arbores in Regem eligere conſtituerant. *Judic.* 9. 7. 8. Hieroſolymæ ſcelera ſub adulteræ uxoris, Principum verò Iſraelis hoſtium furorem ſub leonis, aquilæ, urſi &c. metaphora deſcribunt Prophetæ.

Chriſtus in Evangelio *Matth.* 13. 10. & 24. populos alloquens, parabolis frequentius utitur, ut Iſaiæ vaticinium impleret, *Pſ.* 6. 9. quo populus ille videns, & non cognoſcens, audiens & non intelligens, medioque in doctrinæ lumine cæcus futurus prædicebatur. Parabolarum uſum cùm docendo, tùm loquendo Syris, præſertim Palæſtinis familiarem fuiſſe tradit S. Hieronymus *in Matth.* 18. Veteres profectò Sapientes ejuſmodi ſtylum affectabant.

Parabolas Novum Teſtamentum quaſdam narrat, quæ hiſtoriæ eſſe creduntur; divitis nempe & Lazari, Samaritani & Vulnerati, Filii prodigi. Alias exhibet, quæ quoidam ejus ætatis hiſtoriarum tractus induere videntur; uti Regis, qui in longinquas regiones abiit, ut Regnum obtineret. Quæ quidem Archelai hiſtoriam in mentem revocat, qui patre Herode Magno mortuo, Romam petiit, ut ab Auguſto Regni, ſibi à patre teſtamento relicti, confirmationem conſequeretur.

Contemptum denique nonnunquam ſignificat in Scripturis *Parabola*. Populum ſuum Dominus ſe inter gentes diſperſurum, parabolæ, & conviciis populorum expoſiturum minitatur. Suum Templum, inquit etiam, ſe in parabolam omnium populorum redacturum, niſi fidem ei Iſrael præſtitarit. Cùm gentem à Deo maximè odio habitam, & extremas Divinæ indignationis pœnas expertam voluerimus indicare, dicetur: Fias ut populus Iſrael.

PARACLETUS, Græcè *Paracletos* (a), ſive ut aliis qui *Iota* pro *Eta* pronunciant, *Paraclitos*, hortatorem, defenſorem, conſolatorem, oratorem, & pro alio interceſſorem ſignificat. Hoc nomen Spiritui Sancto vulgò imponitur, atque illi Dominus non tarò tribuit. Semetipſum etiam hoc nomine Parucleti, ſive Conſolatoris Jeſus Chriſtus appellavit, cùm dixit: *Joan.* 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis ut maneat vobiſcum in æternum*; & Evangeliſta Joannes dicit 1. *ep.* 2. *Advocatum habemus apud Patrem*: & Advocatus iſte, Paracletus, defenſor, mediator adeſt Jeſus Chriſtus, *qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* At hoc nomen Paracleti, ut jam diximus, Spiritui Sancto præcipuè inditum eſt.

PARADISUS, vox ex Hebræo, vel potiùs ex Chaldæo *Pardes* deducta, ex qua Græci *Paradeiſos*, & Latini *Paradiſus* effecerunt. Si originis vim ſpectes, propriè pomarium, arbuſtum, & aliquando opacum nemus exprimit. Tribus in locis Veteris Teſtamenti hoc nomen extat: 1. cùm Nehemias Regem Artaxerſem orat, ut eum epiſtolis ad Aſaph Regii pomarii curatorem directis muniat, ut ipſa ligna ei neceſſaria ad ædificia conſtruenda elargiator. 2. *Eſdr.* 2. 8. Hoc in loco *Paradiſus* nemus ædificiis inſerviens ſignificat. 2. Salomon *Eccli.* 2. 5. ait, ſe viridaria, *Paradiſos*, aut pomaria condidiſſe. 3. De Sponſæ plantis loquens, ait: *Cant.* 4. 13. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum.* Græci hanc vocem *Paradiſus* ab Orientalibus & Perſis, ſua pomaria, & vivaria *Paradiſos* nuncupantibus, derivatam agnovere. Xenophon, aliique authores Græci hujuſmodi ſenſum huic voci ſæpè indiderunt.

Septuaginta etiam hac voce *Paradeiſos Gen.* 2. 8. uſi ſunt ad *viridarium Eden* ſignificandum, ab exordio Mundi à Domino ſatum, & Adamo & Evæ in ſedem ſtatutum. Hoc celebre viridarium ſub nomine *terreſtris Paradiſi* vulgò per ora hominum circumfertur. Pluribus involuta difficultatibus notitia loci eſt, in quo fuerit poſitus. Aliqui terreſtrem paradiſum nunquam extitiſſe (b), atque in ſenſu allegorico cuncta Scripturæ verba ſumenda eſſe cenſuerunt. Alii extra fines Mundi ſtatuendum (c). Nonnulli extitiſſe à primis Mundi incunabulis, antequam ſcilicet res ſublunares ex nihilo conſurgerent (d). Sunt qui in tertio Cœlo, in Cœlo Lunæ, in Luna ipſa, in media aeris regione, ſupra Terram, ſive infra illam in abdito ab hominum cognitione loco, in regione ſub polo Arctico, ad extremitatem plagæ meridionalis, quàm modò mare Caſpium occupat, illud collocarunt.

Nulla tamen Mundi pars extat, in qua Paradiſus non requireratur, non Aſia, Africa, Europa, America, Tartaria, Oræ Sangeticæ, Indiæ, Sinæ, Inſulæ Ceilani, Armenia, Africa, regio ſub æquatore, Meſopotamia, Syria, Perſia, Babylonia, Arabia, Palæſtina, Æthiopia, ubi montes Lunæ, vicinia Libani, Antilibani, & Damaſci (e). Huetius Epiſcopus Abrincenſis Paradiſi ſitum deſignat ad confluentem Euphratis, & Tigris, qui junctis aquis fluentes, *Flumen Arabum*, uti appellant, efficiunt. Locus igitur intermedius inter horum amnium junctionem, & divortium, antequam in mare Perſicum influant, ad oram potiſſimùm orientalem ejuſdem fluvii Arabum paradiſo in illo deſtinatur. Porrò amnis illius quatuor ſunt oſtia, duo ſcilicet, dum aquæ junguntur, totidemque dum ſejunguntur: ſuperiores Euphratem, & Tigrim; inferiores Phiſon, & Gehon nuncupat. Porrò Phiſon occidentalis canalis, Gehon verò orientalis, ſeu Tigris iterum ſejunctis aquis in mare Perſicum influentis eſt nomen. Hæc ſententia ſatè etiam Bocharto placuiſſe ex quibuſdam ejus operum locis (f) videtur.

Eruditorum alii ſitum ejuſdem in Armenia collocarunt inter fontes Tigris, Euphratis, Araxis, & Phaſidis, quæ flumina eſſe à Moyſa deſignata credimus.

(a) Paracletus à Paracleo, exhortor conſolor, defendo, intercedo.
(b) Seleuciani, Origenes, Philo. Vide Auguſt. l. 8. c. 1. de Geneſi ad litteram.
(c) Vide varias de ſitu Paradiſi terreſtris ſententias apud Huetium. (d) Hebræi apud Hieron. quæſt. Hebr. in Gen.
(e) Vide Comment. Cleric. in Gen. (f) Bochart. Phaleg. l. 1. c. 4. & de Anim. ſacr. p. 2. l. 5. c. 6.

Euphrates luculentiſſimè apud illum exprimitur. *Chidkel* Tigris eſt, quem adhuc *Diglito* nuncupant. Phaſis ipſa nominis ſimilitudine *Phiſon* adumbrat. Gehon tandem, quod ſonat impetu raptum, ſignificationis cognatione ad Araxem accedit; Araxes enim eadem in Græco ſignificat; nec ſanè alter eſt amnis majori impetu raptus. Regionem Eden eo loci ſitam fuiſſe ex characteribus in Libris Sanctis expreſſis, non obſcurè colligimus. Regio Chus veterem Scythiam ad Araxem ſitam deſignat. Hevila non alia videtur à Colchide, auro ſuo celeberrima. Vide noſtra Commentaria in *Gen.* 2. 8. ubi plura in eam rem congeſſimus. Porrò eam regionem feraciſſimam eſſe itinerantes omnes teſtantur; neque alibi paradiſum fuiſſe ea traditione recepta illorum populorum vulgatum eſt.

Enochus vir Deo acceptiſſimus ex Eccleſiaſtici teſtimonio 44. 16. *translatus eſt in paradiſum, ut det Gentibus pœnitentiam.* Hanc vocem Paradiſus Latini Patres in Vulgata legentes autumarunt virum illum, ſive in Cœlum (a) ſive in paradiſum terreſtrem (b) deductum fuiſſe. Patres verò Græci, qui in Textu Græco Scripturæ nihil de paradiſo legerant, nullum tranſlati Enochi locum definierunt (c). S. Hieronymus ſæpiſſimè ad imitationem Septuaginta nomen *Paradiſus* in Vulgata repoſuit, quamquam in Textu Hebræo V. T. nonniſi quatuor in locis, ſupra à nobis indicatis, occurrit. Ille enim vocem Hebræam *Gan*, quæ hortum, ſive viridarium, aut locum quemdam clauſum ſonat, paradiſum reddere ſolet.

In Novo Teſtamento nomen *Paradiſus* uſurpari ſolet de loco deliciarum, ubi Beatorum animæ æterna beatitudine fruentur. Hinc Jeſus ab probum Latronem: *Luc.* 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, nempe in regione Beatorum; & S. Paulus de ſe ipſo teſtatus, 2. *Corinth.* 12. 4. *Scio*, ait, *hominem, qui raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Tandem Chriſtus Jeſus in Apocalypſi 2. 7. ait: *Vincenti dabo edere de Ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei:* quo in loco ad arborem vitæ in Paradiſo Terreſtri conſitum reſpicitur. Paradiſum Terreſtrem Judæi nuncupare conſueverunt *hortum Eden*, ubi naturali felicitate fruituros ſe poſt Meſſiæ adventum ſperant; interim verò dulcem in eo loco moram trahere Defunctorum animas autumant.

(PARADISUS TERRESTRIS. Paradiſum hunc ſitum fuiſſe credunt Orientales in Inſula *Serendib*, vel *Ceilan* (d); Adamum verò inde pulſum, relegatum fuiſſe in monte *Rahoun* ſitum in eadem Inſula ſpatio duorum vel trium dierum à mari. Appellant Luſitani hunc montem *Pico de Adam*, ſeu montem Adam, quòd primus ille mortalium parens ſub eo monte conditus, poſt exactam centum triginta annorum pœnitentiam, creditur.

Paradiſum illum, quò ſtatim formatus Adam tranſlatus fuit, non terreſtrem credunt Muſulmani, ſed è ſuperioribus ſeptem Cœlis unum. Ex eo Cœlo præceps actus ille in Inſulam Ceilan, ubi poſt obitam peregrinationem in Arabiam ad inviſendum locum deſtinatum conſtructioni Templi Mecchæ, deceſſit. Addunt (e), cùm Deus hortum Eden creavit, creaſſe pariter quidquid oculus nunquam vidit, nunquam audivit auris, nunquam aſcendit in cor hominis. Locum hunc voluptatis octo januis pervium fuiſſe, cùm ſeptem tantùm pateant apud inferos, cuſtodibus verò ad januas illas conſtitutis impoſitum eſſe, ne quem admittant ante viros ſapientes, qui profitentur terrena omnia deſpicere, & cæleſtia tantùm deſiderare.

Ipſi pariter Orientales (f) numerant in Aſia Paradiſos quatuor; 1. In Syria Damaſcum verſùs; 2. In Chaldæa verſùs Obollah; 3. In Perſide verſùs deſertum Naoubendigian in loco appellato Scheb Baovan, quem perluit Nilabut; 4. in Inſula Ceilan vel Serendib, de quo jam ſatis.

Ex his planè intelligimus, quæ terreſtrem Paradiſum non longè à Damaſco circa fontes Jordanis collocat, opinionem nec novam eſſe, nec Europæorum Scriptorum ſingularem. In illam concedunt Heideggerus in vita Patriarcharum, D. Clericus, P. Abraham & P. Harduinus, ambo Jeſuitæ. Idem P. Harduinus ſyſtema hoc ſuum fuſius expoſuit in Plinio è ſe illuſtrato; & ingenuè mihi profeſſus eſt plura habere ſe, quæ huic opponeret, & quæ pariter reponeret. Illum adeas, neque enim Dictionariorum Scriptorum eſt ut provinciam ſibi aſſumant fusè de hoc argumento diſſerendi.)

PARALIPOMENA, quo nomine duos Hiſtoricos Sacræ Scripturæ Libros nuncupamus, Hebræis *Dibre-jamim*, ſcilicet Verba Dierum, ſive Ephemerides, aliis Chronica. Nomen *Paralipomena* ex Græco derivatum, ſonat, *Prætermiſſa*; ſupplementi enim loco adjecta eſſe Libris Regum videntur, rebus in illis prætermiſſis, vel compendio narratis, exhibendis. Nec ſanè pauca in illis occurrunt, quæ fruſtrà alibi quærantur. Confundendi tamen non ſunt cum Ephemeridibus, ſive Commentariis Regum Juda, & Iſraelis, ſæpiſſimè in Libris Regum & Paralipomenon laudatis. Scripta enim illa ampliora eſſe videntur, ad quæ etiam Libri Paralipomenon ſæpè revocant, quæ ſanè fragmenta nos pro data occaſione recitabimus.

Horum Librorum Author latet. Quamquam enim iiſdem Authoribus ac Libri Regum ab aliquibus tribuuntur; ex variis tamen annorum, Hiſtoriarum, Genealogiarum, & nominum diſcrepantiis eorum ſententiam rejiciendam eſſe intelligimus. Quid, quòd eadem ſæpè ſub iiſdem etiam phraſibus utrinque repetuntur? Vulgò Hebræi hos Libros Eſdræ adſcribunt; quem, adhibitis Zacharia, & Aggæo tum temporis florentibus, poſt captivitatem illos dictaſſe ferunt. Opinionem ſuam probant. 1. ex ſtili utrinque ſimilitudine, epilogis, animadverſionibus, poſt deductam interdum longam eventuum ſeriem ſubjectis. 2. Authorem Libri poſt captivitatem floruiſſe ex relato l. 2. c. ult. Cyri pro libertate Judæorum Decreto, ſicuti ex genealogia Davidis uſque ad Zorobabelem, qui Judæos è captivitate reduxit, deducta conſtat. 3. phraſes & voces perſonæ & ætati Eſdræ peculiares legentibus exhibentur.

Verùm has conjecturas iſtæ conjecturæ diluere videntur. 1. genealogia Zorobabelis ad duodecimam uſque generationem deducitur; an Eſdras ſupparis ſibi viri 12. generationes videre potuit? 2. non rarò eumdem rerum ſtatum ſua ætate manſiſſe innuit, qui e. g. ſub Salomone, & ante captivitatem fuerat (g). 3. ex aliis quibuſdam Commentariis, genealogiis, Annalibus, Inſtrumentis, cæteriſque ſcriptis Libros Paralipomenon adornatos conſtat, cùm eadem Scripta non rarò laudari, exſcribi aliquando, & ſæpè compendio referri contingat. Quid, quòd longa interdum fragmenta ex illis deducta Author illorum Librorum recitat, ne verbo quidem immutato, imò nec diſcrepantibus inter ſe teſtimoniis conciliatis? Hinc pluries ejuſdem genealogiam ibidem deductam invenias.

Scriptoris in iis Libris ſcopus videtur, genealogias, ordines, munera, & vices Sacerdotum, Levitarumque ſedulò adnotare; quo poſt regreſſum à captivitate omnia ſuo ordine & loco dirigerentur. Singularum etiam familiarum hæreditates negligendas non duxit, quò è captivitate reduces ſinguli poſtliminii jure propria repeterent. Vetera Commentaria laudat ſub nomine *Verba vetera*. 1. *Par.* 4. 22. Cenſus populi quatuor refert; ſub Davide; ſub Jeroboamo; ſub Joathan; & poſt decem Tribuum captivitatem. Alterum ſub Davide inſtitutum cenſum memorat, quem

(a) Hieron. in Amos 8. Ambr. de Parad. c. 3. Doroth. in Synopſi. (b) Iren. l. 5. c. 5. Auth. Quæſt. ad Orthod. qu. 85. Aug. cont. Jul. l. 6. Operis imperf. n. 30. (c) Vide Chryſoſt. hom. 21. in Gen. Theod. q. 25. in Gen. &c.
(d) D'Herbelot Biblior. Orient. pag 708. (e) Idem pag. 63. (f) Idem pag. 378.
(g) 2. Par. 5. 9. & 3. Reg. 8. 9. & 1. Par. 4. 41. 43. & 5. 22. 26. & 2. Par. 8. 8. & 21. 10.

quem Joab imperfectum deſeruit. Hæc ſanè Hebraicæ ſedulitatis genealogiis & monumentis hiſtoricis ſervandis argumentum ſunt apertiſſimum.

Vulgari opinione, quia Libris Paralipomenon eadem fermè, ac Libris Regum exhiberi feruntur, ducti Commentatores, ultrò illos neglexiſſe viſi ſunt. Qua in re non ſatis illos prudenter egiſſe, ex teſtimonio S. Hieronymi intelligimus; ait enim in Paralipomenis plura ad explicationem S. Scripturæ neceſſaria exhiberi; addens inſuper: *Omnis traditio Scripturarum in hoc continetur* (a). Ad hæc: *Abſque illo*, ait Ep. ad Paulin. *ſi quis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat.* Tandem, *Innumerabiles*, ait, *Evangelii* (in illo) *explicantur quæſtiones*.

Canonicos eſse Libros ambigit nemo. Olim apud Hebræos unico contextu ambo jungebantur (b); modò in Bibliis ad eorum uſum impreſſis, in duos Libros, uti apud nos diſtinguuntur. Plura in hiſce occurrunt à Libris Regum diſcrepantia, cùm in geſtarum rerum narratione, tum in annorum ſupputatione, quorum explicationem & conciliationem à Commentatoribus repetas. Primus Liber Hiſtoriam ſanctam ab exordio Mundi uſque ad obitum Davidis (c) per genealogias deducit. Secundus Liber hiſtoriam complectitur Regum Juda, & partim etiam Iſraelis ab A. M. 2290. ab initio ſcilicet à Salomone poſt obitum patris Regno, uſque ad regreſſum è captivitate Babylonica A. M. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536. Vide noſtra Comment. in Paralip.

PARALYTICUS, *Paralyſis*, morbus eſt, cujus vi artus torpentes omnibus vitæ functionibus interdicuntur. Sæpè vividus dolor paralyſim ſequitur; aliquibus tamen ejuſdem doloris ſenſus remiſſior eſt, pro humorum, in quibus morbi ſedes, natura. Jeſus Chriſtus plures eo morbo affectos ſolo verbo ſanitati reſtituit (d). Eodem morbo laborabat vir ille, qui 38. annis juxtà probaticam piſcinam jacuerat. *Jo.* 5. 5. Vox *Paralyticus*, ex Græco *paraluo*, nempè reſolvere, derivatur; nervos enim eo morbo reſolvi ſatis conſtat, quamvis & aliis interdum cauſis depravandus ſit.

PARANYMPHUS, vox è Græco *Paranymphos*, quæ ſonat ſponſo ponè adhærentem, amicum ſponſi, virum in nuptiis digniſſimum, qui ſponſam ad virum deducit. Ejus munus, juxta Rabbinos (e), illud potiſſimùm ſpectabat, ne a ſponſo, & ſponſa dolus aliquis in ſanguine, qui certum virginitatis ſponſæ indicium erat, intercideret; de quo etiam Moyſes *Deut.* 22. 14. 15. Fieri enim poterat, ut ſponſus ſanguinem illum celaret, vel ſponſa fictum pro vero ſupponeret. Sponſum longè alium eſse à Paranympho obſervat S. Joannes baptiſta: *Jo.* 3. 29. *Qui enim*, ait, *habet ſponſam, ſponſus eſt; amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi*. Apud Græcos Paranymphus (f) thalami fores cuſtodiebat, totiuſque convivii atque nuptialis ſolemnitatis curam gerebat. Sunt qui *architriclinum Jo.* 2. 8. in nuptiis Canæ munus geſſiſſe Paranymphi autument. S. Gaudentius Brixienſis *tract.* 9. ex veteri traditione refert, Sacerdotem conviviis nuptialibus præſidere conſueviſſe, ne quid in illis contra Legem, & inhoneſtum fieret; tota inſuper miniſtrorum, atque convivii dirigendi cura ad ipſum ſpectabat. V. *Matrimonium*.

PARAPHRASES CHALDAICÆ. V. *Targum*.

PARASANGA, menſura erat, qua itinerum ſpatia Perſæ dimetiebantur, 30. ſtadiis, ſive 3750. paſſibus, juxta Herodotum *l.* 2. *c.* 6. & *l.* 5. *c.* 53 vel 60. ſtadiis, juxta Strabonem *l.* 10. conſtans. Quamquam non ſatis uniformes paraſangas apud Perſas fuiſse Plinius *l.* 6. *c.* 26. animadvertit. Hujus menſuræ ne nomen quidem in Scriptura legitur; ſed menſuræ, cujus eſt apud Veteres uſus, operæ pretium eſt aliquid innoſſe.

PARASCEVE, vox Græca, ſonans præparationem; quare apud Judæos, eo nomine feria ſexta appellari conſuevit; quippe qui ea die cibos pro Sabbatho pararent, quo opus omnino intermittebatur. *Exod.* 16. 23. & 35. 2. 3. Qua die Chriſtus in Crucem ſublatus eſt, *paraſceve erat Paſcha*, ait S. Joannes; manè enim alterius diei Paſcha celebrandum erat. *Jo.* 19. 14. 31. 42. Diem Sabbathi ita S. Matthæus 27. 62. aſſignat: *Altera die, quæ eſt poſt Paraſceven* Jeſu Chriſti cadaver è cruce feſtinanter depoſitum in proximiorem tumulum illatum fuiſse, quòd die paraſceves in veſperam inclinantes, Sabbathi Feſtum ad ſolis occaſum ſive ad primum ſyderum ortum ſubiret, ab Evangeliſtis omnibus animadverſum eſt.

PARDUS, *Leopardus*. Vide *Leopardus*.

PARIUS LAPIS, ſive *Parium marmor*, marmor erat candeſcens celebratiſſimum, cui nomen inditum ex lapidicina in Inſula *Paro*, inter Cyclades in Ægæo. Ingentem hujus marmoris copiam pro conſtructione Templi David paraverat, *Paral.* 29. 2. e quo etiam mixtis ſmaragdis pavimentum illius cœnaculi, ubi Optimates Regni Aſſueri convivio excepti ſunt, inſtratum fuiſse legimus. *Eſth.* 1. 6. Illius pretium candor ſupra fidem faciebat; quare elegantiſſima Antiquitatis opera ex eodem marmore contrahant. Templum Jeroſolymitanum ex magnis, albentibuſque marmoribus fulgebat, ut procul radios emittens, nivis inſtar candeſceret, *Joſeph. de Bel. l.* 6. *c.* 6. Neque aliò ſpectaſse credimus Septuaginta, quos S. Hieronymus ſecutus eſt, dum Hebræum *Sus*, ſive *Sais*, reddiderunt *Parium marmor*; quamquam, ut vera fateamur, marmor ſive gemma *ſus* (ignotum enim an lapis ſit an gemma) omninò ignoratur. David ſanè *ſus* recenſet inter gemmas, quas in opus Templi paraverat; quo tamen in uſu adhibita ſit à Salomone, adhuc latet. An fortè templi vaſculis, an veſtibus Summi Sacerdotis ornandis?

Quod ad locum Eſther ſpectat, vocem *ſis* ibidem marmor Parium Septuaginta, & S. Hieronymus, uti & in Texto libri Regum, verterunt; aliis tamen Interpretibus marmor tantummodò reddere viſum eſt. Pavimenta gemmis pretioſiſſimis inſtrata interdum apud Veteres occurrunt. *Eo deliciarum pervenimus*, ait Seneca *ep.* 86. *ut niſi gemmas calcare nolimus.* Et Apuleius de pavimento ædium Pſyches: *Pavimenta ipſa lapide pretioſo cæſim diminuto in varia pictura genera diſcriminabantur*.

PARMENAS, Diaconus inter ſeptem priores, cum S. Stephano electus (g). Hoſce ſeptem viros Scriptura commendans teſtatur, *illos boni teſtimonii viros fuiſſe, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia*. Ex numero 70. Diſcipulorum ad munus illud vocatos fuiſse S. Epiphanius *de Chriſto* autumavit. Porrò neque de geſtis, neque de morte S. Parmenæ quidquam memoriæ proditum eſt. Obiiſſe tantùm ſub ipſis Apoſtolorum oculis Græci teſtantur, nec Martyrium illi defuiſse Philippis in Macedonia addit Ado ad 23. Januarii. In eadem urbe ſub Trajano diem clauſiſſe legimus in Martyrologio.

(PARS. Deus pars eſt populi ſui. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Pſal.* 15. 5. Pſal. 141. 6. *Tu es portio mea in terra viventium*. Viciſſim autem & Iſrael pars eſt Domini, ejus populus peculiaris: *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus Deut.* 32. 9. Id tamen utrinque intercedit diſcriminis, ut Deus tota ſit populi felicitas; populus autem ad ejus felicitatem & gloriam conferre per ſe non valeat.

Pars vel portio exprimit etiam pœnam vel præmium: *Hæc eſt pars hominis impii*; *Job* 20. 29. i. e. pœna: *Partes vulpium erunt Pſ.* 62. 11. Pſ. 10. 7. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*; juſta criminum pœna. *Partem ejus ponet cum hypocritis*; *Matth.* 24. 51. perinde habebit ac hypocritas.

Tom. II. O 3 Pars

(a) Epiſt. ad Dumnion. (b) Hieron. Epiſt. ad Domnion. & Rogat.
(c) Obiit David. A. M. 2289. ante Ch. 1711. ante Ær. 1715.
(d) Vide Matth. 4. 24. & 8. 6. & 9. 2. Mar. 2. 3. 4. &c. Luc 5. 8. (e) Vide Gemar. Jeroſol. Chithuboth c. 1.
(f) Vide Pollucem. (g) Act. 6. 5. o. A. Chr. ſive Ær. 33.

Pars eſt etiam portio, quæ filium familias contingit; *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit Lucæ* 15. 12. Eccleſiaſtes 2. 10. *Hanc ratus ſum partem meam*; i. e. nihil à me in hoc mundo ſeligendum, nullam jam me ſpem alteram manere cenſui, niſi ut *uterer labore meo*. Et cap. 3. 22. *Deprehendi nihil eſſe melius, quàm lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius*; quæcunque ſibi meliora eſſent eligenda.

Quæ pars diviti ad pauperem Eccli. 13. 22. quid dives de paupere? *Non eſt nobis pars in David* 2. *Reg.* 22 1. nihil nobis cum illo. *Quæ nobis pars in David?* Quid nos cum illo?)

PARTHI, Veterum Perſarum nomen; qui enim ætate Prophetarum Perſæ dicebantur, Jeſu Chriſti tempore Parthi nuncupati ſunt. Nomen *Perſa*, Hebraicè *Paraſchim*, equitem ſignificat. Genuinum Perſarum nomen, eſt Ælam; ex equitandi verò conſuetudine, adhuc enim perpetuò fermè in equis ſunt, *Paraſchim* appellari contigit. Nihil de Perſis apud Moyſem, cæteroſque Authores ſacros, niſi circa ætatem Cyri. Inter copias Regis Tyri, uti & Gog Principis Magog, Perſas Ezechiel 27. 10. & 38. 5. recenſet. Judith de ſeipſa canens, 16. 12. futurum ait, ut Perſæ virtutem ipſius obſtupeſcerent. Excidium Monarchiæ Caldæorum à Regibus Perſis imminere Daniel prædicit. Poſt Cyrum frequens in Scriptura Perſarum nomen. Parthi in actibus Apoſtolorum 2. 9. leguntur, ubi & ab Ælamitis diſtingui videntur; licèt unus olim cum illis populus fuerint. V. *Ælam*. Metropolis Ælamitarum Ælam habebatur; Perſarum verò Suſæ. Prima S. Joannis Epiſtola in pluribus MSſ. ad Parthos inſcribitur.

PASCHA, Hebræa vox *tranſitum* ſonans, Hebræis *Peſach*. Ex Græco *paſcho*, patior, nonnulli nomen Paſcha derivant, Chriſti Paſſionem innuentes: at verum ejus verbi etymon ex *Paſach* Hebræo, tranſire, tranſilire, deducendum. Hoc nomine Feſtum illud donabatur, quod ob egreſſum ex Ægypto recolendum inſtitutum eſt (a), cùm ſcilicet nocte egreſſum præcedente, Angelus exterminator, Ægyptios primogenitos interficiens, Hebræorum domos præteriit, quòd agni elapſa die immolati, Paſchalis idcircò dicti, ſanguine poſtes reſperſos exhiberent. Hæc Judæis Paſchali ſolemnitate Deus ſervanda præceperat, *Exod.* 12. Menſis, quo egreſſus contigit (b), veluti primus anni civilis vel Eccleſiaſtici habitus eſt, dieque hujus menſis 14. *inter duas veſperas*, ſcilicet inter ſolis declinationem, & occaſum, ſive, juxtà Gallicum computum, à ſecunda poſt meridiem, ad ſextam horam veſpertinam agnus immolabatur, & fermentati panis interdictum incipiebat. Craſtinà die, menſis 15. ab heſterno ſolis occaſu, diei 14. termino, incepta, Magnum Paſcha erat, 7. diebus celebrandum, inter quos tamen primus tantùm & ſeptimus ſolemnes erant. Agnus immolandus, maſculus eligendus erat, abſque vitio, & anniculus. Si agnus minimè præſto fuiſſet, hædus ſumendus. Singulæ familiæ ſingulos agnos immolabant: quòd ſi familiares comedendo agno non ſuffeciſſent, ex vicina domo acceſſebantur.

Domus poſtes & ſuperliminare agni immolati ſanguine tingebantur, ut Angelus exterminator illac tranſiens, eo viſo illæſos Hebræorum infantes innocuus præteriret. Eadem nocte, quâ agnus immolabatur, comedendus erat, aſſus, cum pane azymo, & lactucis agreſtibus; Hebræum ad literam, cum amaris rebus, veluti ſinapio, ſeu quopiam ſimili, ut omnis ſapor tolleretur. Nil elixum, aut crudum comedere, vel oſſa frangere fas erat; *Exod.* 12. 46. *Num.* 9. 12. *Jo.* 19. 36. ſed omnia integra, ipſumque caput, pedes, & viſcera; & ſi quid ſupererat, igne abſumebatur. Convivæ itinerantium forma cinctis renibus, pedibus calceatis, baculiſque in manibus, feſtinanterque comedebant. Hic tamen ultimus ritus non viguit, vel ſaltem ſola egreſſus nocte ſervatus eſt. Tota Paſchatis octava fermentati panis uſus interdictus erat, hujuſque uſus violatio morte luebatur. Prima, & ultima Feſti die feriæ erant, quibus tamen ciborum præparatio, veluti Sabbathi die, *Exod.* 16. 23. non interdicebatur. *Exod.* 12. 16.

Paſchatis celebrandi neceſſitas ea erat, ut qui illud neglexiſſet, *anima illa de populis ſuis exterminaretur*. *Num.* 9. 13. Qui verò legitimè, veluti itinere, morbo, ſive voluntaria vel involuntaria impuritate, eorum ſcilicet qui vel funeris præſentia, vel quopiam alio impediebantur, ſecundo menſe anni Eccleſiaſtici, ſive 14. die menſis Jiar, Aprili, & Majo reſpondentia, idem Paſcha celebrare tenebantur. Hæc Dominus ſancivit, cùm quidam Iſraelitæ, qui juſtis cognatis ſuis quibuſdam perſolutis (c), & impuritate ſua impediti Paſcha celebrare nequiverant, quid faciundum petiere. Hæc ſub Ezechia facta legimus, 2. *Par.* 30. 2. 3. *&c.* A. M. 3278. cùm ille celebrandum Paſcha omnibus ſubditis indicere meditans, tot Sacerdotes, quot ad hanc ſolemnitatem exigebantur, expiari non potuiſſe intellexit.

Chriſtianum Paſcha à Chriſto inſtitutum eſt, cùm unà cum Apoſtolis ſupremùm cænans, Corpus ſuum comedendum, & Sanguinem hauriendum ſub panis & vini ſpeciebus miniſtravit; cùmque Corpus ſuum ſequenti die Judæis crucifigendum dedit. Paſchalis Agnus à Judæis jugulatus, dilaceratus, & pro cibo adhibitus, & cujus ſanguine ab Angeli exterminatoris furore liberabantur, Servatoris mortem, & Paſſionem, ipſiuſque Sanguinem ob Mundi ſalutem effuſum præfigurabat. Quotannis hoc Paſcha in Eccleſia Chriſtiana, Dominica diei decimæquartæ Martii Lunæ proxima, ſolemniſſimè celebratur; ſinceritas tamen, innocentia, & veritas, quas azymus panis innuebat, Feſtum hoc comitari debent. 1. *Cor.* 5. 8. Sanctum Altaris Sacrificium, idemque & myſticum Chriſti Sacrificium in Cruce peractum, ab Agno paſchali præſignatum, offertur. Idem quotidie innumeris in locis renovatur, adeò ut in Eccleſia Chriſtiana quotidie Paſcha celebrari dici poſſit.

Olim variæ de Paſchatis celebratione ſententiæ, & ritus erant. S. Polycarpi ætate Aſiæ Eccleſiæ die 14. Lunæ Martii, licèt non Dominica, Judæorum more; Romani verò, & adhuc ſervatur, Dominica diem 14. Lunæ Martii conſequente Paſchi celebrabant. S. Polycarpus Romam veniens, cum Aniceto Pontifice de hoc ritu colloquutus eſt: cum tamen neuter neutrum in ſuam ſententiam trahere potuiſſet, Eccleſiæ pacem ob ritum de uſu tantùm ſcindendam non eſſe cenſuerunt. Lite ſub Pontifice Victore anno 188. rurſus excitata, Aſiaticos in ſua praxi pertinaces, & Polycratem Epheſi Epiſcopum, unàque alios Aſiæ Epiſcopos, prolixa ad Pontificem Epiſtola morem ſuum tuentes, Victor datis ad omnes Eccleſias literis excommunicationis ſententia injuſtos declaravit. Cæteræ tamen Eccleſiæ Victoris ſeveritatem improbantes, ipſo invito, eorum, qui Paſcha die 14. Lunæ Martii celebrabant, Communionem retinuere.

Hic rerum ſtatus uſque ad Nicænum Concilium anno 325. celebratum, hoc tamen diſcrimine, quod pleræque Eccleſiæ Aſiaticæ paulatim ad Romanorum praxim acceſſere. Concilium Nicænum Canonem ſcripſit, quo Paſchatis Feſtum Dominica diem 14 Lunæ Martii conſequente omnibus Eccleſiis celebrandam indixit; illudque Decretum Conſtantinus Imperator in toto Romano Imperio evulgavit. Qui pertinaces veterem praxim relinquere abnuerunt, veluti Schiſmatici ab Eccleſia habiti, *Quartodecimanorum* Latinè, Græcè *Teſſareſdecatitarum*, ſcilicet diei decimæquartæ fautorum nomen obtinuere. Vide hæc fuſiùs in Hiſtoricis Eccleſiaſticis.

Ingens

(a) Vide Exod. 12. A. M. 2513. ante Chr. 1487. ante Ær. 1491. (b) Abib à Moyſe appellatur; poſt ipſum Niſan dictus eſt.
(c) Num. 9. 10. 11. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.

Ingens inter Interpretes diſſidium, utrùm Chriſtus Legale, & Judaicum Paſcha ultimo vitæ ſuæ anno celebrarit. Aliqui negant, habitamque cum Diſcipulis ſupremam cœnam, ubi Corporis, & Sanguinis ſui Sacramentum inſtituit, ſimplicem cœnam, in qua Agnum paſchalem non comederit, fuiſſe arbitrantur. Alii (a) priùs ſolita die Paſcha à Chriſto celebratum volunt; quodque Judæi feria ſexta, Chriſtum feria quinta celebraſſe. Nonnulli Paſcha à Galilæis feria quinta, uti à Chriſto, habitum ſcribunt; cæteris Judæis feria ſexta ſervantibus. Communior denique in Eccleſia Chriſtiana tum Græca cùm Latina ſententia fert, Chriſtum Paſcha veſpera conſueto, unà cum Judæis, celebraſſe.

Paſchatis nomen 1. Angeli exterminatoris tranſitum ſignificat; 2. agnum paſchalem; 3. cœnam, in qua ipſe agnus comedebatur; 4. Feſtum, quo egreſſus ex Ægypto, & tranſitus Angeli exterminatoris memoria renovabatur; 5. victimas omnes peculiares in tota eadem ſolemnitate oblatas; 6. panes azymos tota Paſchatis octava adhibitos: 7. omnes cæremonias, quæ hanc cæremoniam, vel præcedebant, vel comitabantur.

(Iis quæ de noviſſimo Paſchate animadvertimus, addendum ſuccurrit, Chriſtianos Orientales (b), & maximè Syros defendere anno illo emortuali Jeſu Chriſti celebratum fuiſſe Feſtum illud die 13. Menſis Adar, Sabbato; iniviſſe autem exeunte feria ſexta præcedenti; cæremoniam autem una die anticipaſſe Dominum ineunte ſcilicet feria ſexta, vel quod idem eſt, veſperis feriæ quintæ præcedentis; quòd ſcilicet feria ſexta mortem ſe manere intelligeret. Calviſius conſignat etiam idem Paſcha ad diem Sabbati, quarta Aprilis anni Æræ vulgaris 33. J. C. 35. qui componitur cum anno 344. Alexandrino.

In celebrando Paſchate hunc ritum ſervant recentiores Judæi (c). Durat Feſtum tota hebdomada; ſed Judæis extra Palæſtinam prorogatur ad 8. dies juxta veterem morem, quo Sanhedrini Patres curabant per duos deſtinatos viros explorari inſtans exorientis Lunæ, de quo Senatum hunc facerent certiorem. Metu verò ne quid religioni deeſſent, duæ ſuccedentes dies Feſtæ habebantur, quarum prior *dies latentis Lunæ*; altera *dies apparentis Lunæ* appellatæ. Ita factum eſt, ut duæ priores ineuntis Paſchæ & duæ poſteriores exeuntis ſolemnes ſive ab operibus omnibus & negociationibus vacuæ habebantur; integrum eſt autem omnibus parare cibos & res ex uno in alterum locum, prout neceſſitas poſtulat, transferra. Quatuor hiſce diebus prohibentur tantùm Judæi laboribus exercere ſeſe; ſed tractare pecuniam omnibus datum, nec à diebus non feriatis aliter dies illæ differunt, quàm quòd ſingularia quædam vetent.

Perſeverantibus octo illis diebus, azymis tantùm panibus veſcuntur Judæi, ut nec fermentum, nec fermentatum panem habere apud ſe quidquam permittantur. Quam religionem ut exactiùs retineant, ſollicita cura ſcrutantur angulos omnes ædium, ut vel à minimis, quæ fermentati quid præferant, illas repurgent. Nihil tunc inexploratum, non anguli domorum, non arculæ, non armaria; quo functi officio parietes dealbant, & nova, vel ſepoſita ad eum uſum utenſilia inducunt. Si fortè verò utenſilia illa vulgaribus antehac uſibus ſervierint & ex metallo conflata ſint, incudi iterum ſubiguntur expoliunturque diligenter. Veſpere ante pervigilium Feſti Paterfamilias totam obit domum de fermento indagaturus. Ad undecimam horam diei ſubſequentis, panis aliquid igni injicitur, in ſignum initæ religionis de ſummovendo fermentato; ſimul autem proteſtationem addunt nihil habere ſe fermentati, vel ſaltem poſt factam ſedulam perquiſitionem ita arbitrari ſeſe.

Statim ad azyma, quæ appellant *Mazzoth*, conficienda ſeſe conferunt; tot autem conficiunt, quot ſatis ſint ad octo Feſti dies. Cavendum tamen ne, quam ſubigunt, farina humore priùs aliquo madueris, vel efferbuerit, metu ne quid contraxerit fermenti. Maſſam autem formant in placentas teretes, compreſſaſque variæ figuræ; ne verò vel minimùm fermenteſcant, inducunt ſtatim in furnos, coctaſque placentas illas mundiſſimo in loco ſervant. Condiunt nonnulli azyma ovis & ſaccaro, cupediæ delicatulorum & ægrotorum; appellantque ejuſmodi panes *mazza aſchiras*, i. e. divitem placentam non fermentatam.

Quartam decimam Niſan eſurialem habent primores natu familiarum, quòd ſcilicet proximè ſubſequenti nocte Deus primores natu Ægyptiorum nece percuſſit. Veſpere conferunt ſe ad preces, redeunteſque ad propria accumbunt menſæ pro ſingulorum facultatibus lautæ. Quò autem præcepto illi Exodi 12. 8. obſequantur; *Edent carnes & azymos panes cum lactucis agreſtibus*; præſto eſt in lance aut in caniſtro portio aliqua agni vel hædi conditi amaricantibus herbis veluti endivio, cichorio vel lactucis; additur & vaſculum ubi embamma. Vimineum iſtud caniſtrum & menſæ apparatus in memoriam revocat opera luti & lateris, ad quæ cogebantur in Ægypto Hebræi. Tenentes autem ſpumantes vino ſcyphos, recitant longam ærumnarum iliadem, quas patres ſui in Ægypto perpeſſi ſunt; adduntque & patrata à Deo prodigia, ut è duro illo jugo relevarentur. Vertunt ſe tandem ad grates Deo referendas pro omnibus acceptis beneficiis, recitantes Pſalmum 112. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini Sancto ejus*; ac ſubſequentes reliquos inſcriptum ferentes. *Alleluja*; tandem cœnant. Poſt cibos, reliqua eorum Pſalmorum proſequuntur, additis pro qualitate ejus diei aliis laudibus; poſt hæc cubant. Subſequens dies priora omnia revocat.

Matutinæ preces eædem præſcriptæ ſunt ac aliorum Feſtorum, excepto quod peculiare aliquid huic Feſto cohærens addunt cum Pſalmis, de quibus ſupra, a Pſalmo 112. uſque ad totum 118. Ex eductis ab armario Pentateuchi Voluminibus recitant quinque ſimul viri caput duodecimum Exodi leges de Paſchate referens, tum & quidquid continetur in Numeris 18. ubi Sacrificia ejus Feſti peculiaria. Succedit precatio *Muſſaf*; tum lectio Prophetarum, quæ cum lectione illa Pentateuchi congruit (d); & poſt prandium Feſti commemoratio agitur, impertiturque benedictio in Principem, cujus Imperio ſervitur, rogaturque Deus ut pacifica & læta omnia illius ſervet, impleat conſilia, ditionem augeat, ac gentem Hebræam Princeps ille amet, juxta illa Jerem. 29. 7. *Quærite pacem Civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis*.

Idem ritus duobus poſterioribus Feſti diebus recurrit. Claudit autem Feſtum illud cæremonia *Habdala*, vel diſcrimen; hæc autem rejicitur ad exitum Sabbati, cùm ſcilicet Paterfamilias certis quibuſdam verborum atque benedictionum formulis fauſtam apprecatur, quæ modò init, hebdomadam. E Synagoga exeuntes conferunt ſe ad deguſtandum poſtremò panem non fermentatum.

A' ſecundo veſpere Paſchatis ſupputant 49. dies deducentes ad Feſtum hebdomadum vel Pentecoſtem; & ab altera Paſchæ die numerant 33. dies, quibus à nuptiis ſeſe abſtinent, cavent ne ſibi novas veſtes conficiant, ne attondeant comam, ne publicum aliquod feſtum agant, ſed in luctu tota hac dierum periodo omnia, ut memoria lugeatur ſævientis mortis in Diſcipulos R. Akiba. Trigeſima tertia dies feſta eſt, quòd ſcilicet gladius ille ſæviens ea die ceſſavit. Appellatur dies iſta *Lag*, quòd geminæ literæ Hebrai-

(a) In hac Sententia recenſeri poſſunt Cyrill. Alex. l. 12. in Jo. S. Chryſoſt. hom. in Jo. Epiph. Euthym. Zygab. aliique recentiores uti Paul. Brug. Paul. Midelb. Henten. Onuphr. Grot. Janſen. Maldon. Scalig. Calviſ. aliique.

(b) D'Herbelot. Bibl. Orient. pag. 349.　(c) Leo Modena par. 3. c. 3.

(d) Poſterior hæc lectio appellatur Aftara, ac ſi diceretur dimiſſio; lectione enim Prophetarum abſoluta dimittitur cœtus.

Hebraicæ *L & G* valent in numeris 33.

Docent etiam Rabbini alia plura à Leone Modena omiſſa, e.g. flagri reum eſſe, qui repurgare ædes ſuas è fermentato negligit; ſi quis aliquid ex eodeguſtaverit imprudens, pecunia mulctatur. Integrum omnibus eſt, ut fermentatum illud ſive abſumant igne, ſive in micas redactum in aqua diſperdant. Cùm fœminæ ſubegerint azyma, ſedulò curant ne aceſcant, feſtinantque inducere in furnos, ut incommodum illud præcaveant, projiciunt deſuper aquam, ne ferveſcant. Ea ſunt religione nonnulli, ut vel à nominando fermento coram filiis abſtineant ſeſe, metu ne quid ſubeat pueris illis in fermentum pruritus; ſimilique cautione *ſuem*, alio quàm proprio nomine appellant, metu ne fortè in cognitionem ejus alios inducant (a).

Ut exactiori cura de fermentato ſcrutentur, vel plena rutilante die accenſa lucerna angulos omnes inviſunt, ne qua fermentati mica illos fugiat. Quò verò affectationis omnis invidiam à ſe amoveant, occultatum priùs fruſtulum aliquod panis in angulo detegunt, non ſine magna lætitiæ ſignificatione. Quibus omnibus abſolutis, ſeponit Paterfamilias tantum panis, quantum ſat eſt domeſticis uſque ad 14. Niſan; reliqua abſumit igne, ac proteſtatur quidquid habet in domo, quidquid ſcrutando deprehendit panis fermentati, quidquid etiam ſollicitudinem ſuam fugit optare ſe ut vel in pulverem terræ vel in nihilum redigatur. Seligitur diligenter frumentum vel hordeum ad azyma deſtinandum, ſollicitaque cautione provident, ne aceſcat, ne ferveſcat, ſive ante, ſive poſtquam redactum eſt in maſſam. Cautione pariter ſeligitur, cui inferenda ſunt hæc omnia, ſaccus; cavetur tandem ne dorſo equi imponantur metu ne ferveſcant. In ſubigendis azymis nec affunditur butyrum nec ſal, oleumque, metu ne fermentationis aliquid inducant. Nemo alius à Judæo illa ſubigit, quod ſibi etiam decus affectarunt Rabbinorum clariſſimi.

Perſeverante adhuc Templo Judæi immolarunt Agnum in Templo *inter duas veſperas*, i.e. die 14. Niſan poſt duas horas circiter à meridie uſque ad ſex horas veſpertinas. Privati deducebant victimam illam ad Templum immolabantque, tum offerebant ſanguinem Sacerdotibus ad baſim Altaris effundendum. Privatus enim quiſque vel Levita ea occaſione permiſſus erat mactare victimam; ſed effundere ad baſim Altaris ſanguinem reſervabatur Sacerdoti. Tradit Philo, de vita Moyſis l. 3. Levitam quemque ſicut Laicum Judæum Sacerdotale munus præſtare potuiſſe, quæ ejus dicta ſenſu jam inſinuato intelligenda ſunt.

In pervigilio Feſti mater familias menſam apparat, quantum fieri poteſt, inſtructiorem: poſitæ ibi duæ placentulæ ſine fermento, duæ portiones agni, armus aſſatus igni, ut revocetur in memoriam liberata gena *extento brachio*. Portio alia dapum eliaata refert ſacrificium. Addunt, ut à nonnullis traditum eſt (b), piſciculos, typos Leviathan; ovum toſtum typum avis *Ziz*; dapes carnium typos Behemot (Leviathan, Behemot & Ziz tria ſunt animalia pro convivio Electorum in altera vita deſtinata); nuces & ciceres pro Infantibus, ut excitentur ad interrogandas cæremoniæ hujus cauſas. Habet genus quoddam embammatis calcis imaginem referentis, compoſiti olim è dactylis & caricis, modò è caſtaneis & pomis, ut opera luti laterique ſub oculis exhibeantur; appellant id *Charoſeth*. Paterfamilias diſcumbit cum filiis & ſervis; nullus enim non ingenuus ea die. Alliidens, ex herbis amaris aliquid, magnitudine olivæ, decerpens intinctum in *charoſeth* ori admovet, diſtribuitque aliquid in adſtantes.

Poſt cibos aliquantulum remota menſa præcinit puer quidam ad id deſtinatus hymnum, & plura ſciſcitatur de origine hujus cæremoniæ: Cur hac nocte azymi tantùm panes deguſtantur? Cur herbæ amaricantes appoſitæ? &c. Reducta dein menſa Paterfamilias hiſtoriam & cæremoniam agni Paſchalis ac cæteras ejus appendices latè explicat, clauditque orationem ſuam rogans Deum, hortanſque cæteros ad precem pro impetranda reſtitutione Jeruſalem & veteribus ſacrificiis, ut deguſtari tandem poſſit agnus Paſchalis & ſanguine illius pacari Deus. Agit Deo gratias, quòd patribus ſuis gloriolam hanc libertatem procuraverit. Qua abſoluta oratione lotis manibus aſſumit panem azymum, frangit, ac benedicit. Hanc tamen benedictionem non impartit cæteris appoſitis panibus, quòd ea nocte contentus eſſe debet quiſque fruſtulo panis; eſt enim *panis afflictionis*, panis deſtinatus ſervis ac miſeræ conditionis hominibus.

Miſcet panem hunc herbis amaris, intingitque in charoſeth, admovet ori benedicens ſimul Deum, qui præceptum hoc populo injunxit; nec impar præſtat officium fruſtulum agni deguſtans. Tandem modicum etiam panis fruſtulum aſſumit. Quibus omnibus abſolutis deguſtare aliud cibi vetitum; ſed tertius adhuc & quartus vini cyathus exhauritur, cui parum etiam aquæ affuſum eſt. Dum hæc præſtantur, non ſilent gratiarum actiones & Pſalmi. Olim ante Templi everſionem injunctum erat, ut totus Agnus Paſchalis aſſaretur igni; modò verò vetitum ſibi credunt, agnum illum apponere menſæ ſive totum aſſum, ſive totum elixum: alioqui enim id perinde haberetur, ac *offerre & deguſtare ſacrificia extra Jeruſalem, & Templum*; ſed portionem ex illo aſſant, portionem elixant, vel ſaltem aliquid è toto decerpunt, ne integer victimæ ſpeciem præferat.

Ad determinandum exordium menſis lunaris adeoque & Feſtum Paſchale, quod componebatur cum Luna decimaquarta Martii, docent RR. (c) à priſcis Judæis conſtitutos fuiſſe ſuper celſa montium cacumina ſpeculatores, qui inſtans novæ apparentis Lunæ explorantes, conferrent ſe celeriter ad Sanhedrin, à quo per vicinas Urbes mittebantur nuncii de exordio Nehomeniæ referentes. Sed vero propiùs autumamus nihil tale ſuccurriſſe priſcis Judæis, quòd incommoda induxiſſet plura maximè in diſſitis Urbibus; nec rei illius veſtigia ulla deprehenduntur ſive in Joſepho, ſive in Philone, ſive etiam in Scriptura. Adhæc, Judæi veteres nequaquam uſi videntur menſibus Lunaribus, quod ſyſtema hoc Rabbinorum penitùs evertit. Vide ſupra *Menſes*, & *Anni*.)

PASSER, Hebraicè *Tzippher*. Hebræa iſta vox non de paſſere tantùm, ſed de avibus quibuſdam puris, cujus in Lege uſus permittitur, uſurpari ſolet; quin & omnes quaſcunque aves ſignificare Rabbini Kimchi, Pomarius, & Aquinas defendunt: quorum ſententiam egregiè Bochartus *de Anim. Sacr. p.* 2. *l.* 3. *c.* ar. 22. confirmat, quamvis & paſſerem eo nomine appellari ibidem demonſtret. Ferè tamen ubique ubi *paſſer* occurrit, de quibuſcunque indiſcriminatim avibus Textus intelligendus eſt: *Transmigra in montem ſicut paſſer*, *Pſal.* 10. 1. nempè ſicut avis: paſſer enim avis montana non eſt: *Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*, *Pſal.* 101. 8. nempè ſicut veſpertillio, qui ſub tectis domorum deliteſcit: *Cedri Libani, illic paſſeres nidificabunt*, *Pſal.* 103. 16. nempè aves; neque enim paſſeres in cedris Libani nidos habebant.

Celebris eſt Textus (d), in quo Moyſes oblationem præſcribit à leproſo ſanitati reſtituto in veſtibulo Templi Sacerdoti offerendam: *offerat duos paſſeres vivos, quibus veſci licitum eſt*. Quæ verba de avibus quibuſcunque puris intelligi oportet; ſi enim paſſeres

(a) Appellant. Alia res.
(b) Machazer Bonor. 1. par. Paſchaſ. apud Bartolocium Bibl. Rabb.
(c) Maimon. Tract. c. 1. & 2.
(d) Le vit. 14 4. LXX. *ſtruthia*, Origen. *Gallinas*, Vulg. *Paſſeres*. Alii, *aviculas*.

res offerendos Moyſes injunxerat, quorſum addidiſſet, quibus velet licitum eſt? Non enim duo paſſerum ſunt genera. Hinc Septuaginta legunt tantummodò *aves*, & Interpres Origenis *gallinas*. Leproſis igitur injunctum, ut binas aves puras, unà cum faſciculo ex ramuſculis cedri & hyſſopi, vitta coccinea alligatis, in Templi veſtibulo offerrent. Sacerdos alteram ex aviculis vitta illa coccinea faſciculo alligabat, ac roſtro illius ità detorto, ut in averſam partem reſpiceret, cauda verò & alæ in aqua cum hyſſopo demergerentur. Alia, quæ ſupererat, ave ab ipſo leproſo in ſacrificium mactata, ſanguis in ſubjectum aquæ vas excipiebatur; ibique intincto faſciculo, & avi alligata, dein à Sacerdote aſperſio ritè fiebat. Inde ſoluta avis, ſanguine alterius aſperſa, libera permittebatur. Eadem cæremonia domus, in qua lepræ maculæ quædam deprehenſæ fuerant, luſtrabatur. Plura etiam fuerunt ſacrificia, in quibus aves offerri indigentibus permiſſum erat. Certum tamen avis genus ſemper perſcriptum, uti columbæ &c. *Levit.* 1. 15 & 5. 8. Vide *Columba*.

(PASSIO. Plura, & inter ſe varia ſignificat: 1. Paſſionem Jeſu Chriſti: *Præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam Act.* 1. 5; uſurpatur etiam de perpeſſionibus Sanctorum: *Magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum Hebr.* 5. 32. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. Rom.* 18. 18.

2. Probroſas paſſiones deſignat: *Paſſiones ignominiæ Rom.* 1. 26., quibus permittuntur à Deo, quicunque fræna dederint concupiſcentiæ: *Paſſiones peccatorum Rom.* 7. 5. agentes in membris noſtris, ut fructus mortis ferant: *Paſſio deſiderii* 1. *Theſſal.* 4. 5. parvæ animi inclinationes, motus concupiſcentiæ, quibus Pagani ſe totos, nulla detenti religione, permittunt.)

PASSUS, pedum quinque geometricorum menſura. Stadium paſſus 125. & paſſus 2500. vel 3000. leuca continet.

PASTOPHORIA, vox ex Græco *paſtos*, ſive *peſtos*, quo nomine vela illa variata appellabantur, quæ foribus Templi in Ægypto maximè appendi conſueverant. Sacerdotes, quorum munus erat vela illa ducendi, reducendique, *Paſtophori* nuncupati ſunt; eorumque ædes fortaſſè Templo contiguæ *Paſtophoria*. Vide Salmaſ. Plinian. Exercit. p. 1217. Vetuſtiſſimi Scripturæ Interpretes Græci cùm in Ægypto ſcriberent, familiari verbo *Paſtophoria* uſi ſunt, ſignificandis cellulis in porticibus, ſive in atriis Templi diſpoſitis. S. Hieronymus utitur voce *Thalamis*, ex Symmacho accepta; ſive voce *Gazophylaciis*, quæ apud Aquilam occurrit. In Templo Jeroſolymitano duo erant atria, quæ ſinguli porticus complectebantur, & pro illorum ductu cellulæ diſpoſitæ erant, cùm in uſum Sacerdotum, tùm ſervandis lignis, oleo, vino, ſali, ſimilæ, aromatibus, vaſis pretioſis, & ſi quæ in uſus erant ſacrificiorum, luminum, thymiamatis, & Sacerdotum victui neceſſaria. Nomen *Paſtophoria* in Latino Scripturæ nonniſi 1. *Mach.* 4. 38. 57. legitur. Sæpiùs apud Septuaginta, in quibus reſpondet Hebræo *liſchen*, *ſochen*, *miſelah*, *ſealechet* (a). In Græco etiam 3. *Eſd.* 8. 61. & 9. 1. eadem vox recurrit.

S. Clemens Alexandrinus, *Pædag. l.* 3. *c.* 2. Templa Ægyptiorum deſcribens, ait, poſt tranſgreſſa atria magnificentiſſimè conſtructa, Templum patere in conſpectu poſitum. In veſtibulo autem ejuſdem Templi *Paſtophorus* velum præ foribus appenſum, gravi quadam religione reducens, Numen, canem illud, ſive felem, ſivè aliud ſimile revelat. In ſolemnibus autem per urbem ſupplicationibus, Numinis illius loculum vectare ad eundem *Paſtophorum* ſpectat. Quare Apuleius *aſini aurei*, *l.* 10. *c.* 2. *Paſtophoros* Deæ Syriæ geſtatores commemorat. Ita & Iſraelitas Idololatras Numen *Moloch* vectaſſe, memoriæ proditum eſt, *Amos* 5. 25. *Act.* 7. 43. Ex Ethnicis ad Chriſtianos nomen Paſtophorium tranſlatum eſt, eoque uſi ſunt Fideles, ut cellulas magnis Eccleſiarum ædificiis adhærentes ſignificarent (b): *Ac primum ſit longa domus, ad Orientem converſa, ex utraque parte paſtophoria habens ad Orientem, quæ navis habeat ſimilitudinem.*

(PASTORES. Cùm Patriarcha Joſeph acceivit in Ægyptum patrem ac fratres ſuos *Geneſ.* 46. 31. &c. commiſit illis, ut profiterentur coram Pharaone paſtores ovium eſſe ſeſe; quò ſcilicet aſſignatam ſibi ab illo obtinerent terram Geſſen: *Quia*, ait, *deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium.* Unde hæc Ægyptiorum in Paſtores ovium animi alienatio, quæſtio? Duæ plerumque ejus rei cauſæ aſſignantur; 1. Hebræi, qui paſtoritiam ovium exercebant, perinde etiam habebantur, ac ſi pecus illud mactarent; ſive ad cibum, ſive ad ſacrificium; viciſſim autem Ægyptii conſecraverant oves atque capellas; ac tandem id generis animantia cætera; quare ab illis immolandis jugulandiſque religione profectò abſterrebantur. Tradit Diodorus Siculus lib. 1. oves ſummè obſervari in Ægypto; affirmatque Strabo lib. 17. immolatas illas tantùm in Nomo Nitriæ, vel in Mendeſio juxta Herodotum lib. 2. cap. 42.

Notat Tacitus, Hiſtor. lib. 5. de Judæis: *Cæſo ariete velut in contumeliam Ammonis* (Numinis Ægyptii) *bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.* Sed hæc omnia nihil probant, cur inviſos haberent Ægyptii paſtores ovium; quod tamen inſinuat Scriptura. Habuiſſent quin potiùs amicos Ægyptii illi ovium ejuſmodi paſtores, niſi fortè ſimul & oves ab his mactarentur, quemadmodum in Nomo Mendeſio cuſtodes caprarum erant in honore, quòd ſcilicet hircus Numen eſſet ejus regionis potiſſimum. *Herodot.* lib. 4. cap 46.

Alia igitur abalienati animi Ægyptiorum in paſtores ovium cauſa quærenda eſt. Refert Manethon apud Joſeph. contra Appion. pag. 1042. exercitum quendam exterorum è lateribus Arabiæ vel Orientis moventem, ſuperfudiſſe ſeſe Ægypto, quam munitionibus deſtitutam nactum vi ſubmiſiſſe; regnaſſe autem in inferiori Ægypto datos à gente illa Reges ſpatio 511. annorum. Tum Reges Thebaidis & reliquæ Ægypti ſuſceptâ in illos expeditione diu adniſi, tandem è regione depulerunt. Principum ſeries illa appellabatur *Hic Sos* Reges paſtores. Porrò, ait Manethon, alii ex Arabibus illos accerſunt; ſed in aliis Libris legimus non Reges fuiſſe illos, ſed captivos, vernaculo enim Ægyptiorum ſermone *Hic* cùm pronunciatur ut *Hac*, ſignificat captivum &c. Hæc ratio ſimultatis Ægyptiorum in paſtores veri ſpeciem majorem refert. Quidquid ſit de cauſa, res conſtat. Vide ſupra V. *Exodus*.

Abel paſtor erat ovium teſte Moyſe, Geneſ. 4. 2. quam etiam vitæ profeſſionem exercebant veterum Patriarcharum pleri que. Cùm genus hominum propagari cœptum eſt & diſtingui, varia inter illos inducta vitæ ac muneris profeſſione: Jabel filius Lamech bigami & Adæ *Geneſ.* 4. 20. agnitus fuit in patrem Paſtorum ac Nomadum habitantium in tentoriis. *Fuit pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum.*

Deus interdum vindicat ſibi nomen Paſtoris Iſrael *Iſaiæ* 40. 11.; quemadmodum & Reges in Scriptura & apud Veteres diſtinguuntur titulo *Paſtorum populi Ezech.* 34. 23. Populi derelicti comparantur gregi paſtore deſtituto *Num.* 27. 17. & 3. *Reg.* 22. 17. *Judith.* 11. 15. Paſcendum à Meſſia gregem ſuum prænunciat Iſaias 40. 11. invehuntque non rarò Prophetæ in paſtores Iſrael; in Reges qui ſe paſcere contenti, gregem negligunt, opprimunt, ac malè habent, ſeducunt, perdunt. Vide potiſſimùm Ezechielem 34. Cyrum paſtorem ſuum appellat Deus Iſaiæ 44. 28.

Deduxiſſe ſe dicit Dominus *Iſaiæ*. 63. 11. è Mari rubro

(a) 1. Par. 9. 26. 33. Ezech. 40. 18. &c. Iſa. 22. 15. & 1. Par. 26. 16.

(b) Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 57.

rubro populum cum paſtoribus gregis ſui, i. e. cum Moyſe, Aarone, cæteriſque Principibus populi. Suſcitandos à Deo vaticinatur Michæas 5. 5. *ſeptem paſtores* ſuper populum, atque *octavum* ad regendam terram Aſſyriæ (a); ad deducendum populum Iſraël. Porrò ſeptem vel octo paſtores illos deſignare credimus Principes conjuratos cum Dario filios Hyſtaſpis, quorum gladio ſublatus eſt Magus Smerdis, qui poſt Cambyſis obitum Perſarum Imperium invaſerat.

Sermo eſt apud Zachariam 11. 8. *Trium paſtorum*, quos Dominus *ſuccidit in menſe uno*; ſunt autem tres illi Aaron, Moyſes, & Maria in deſerto obeuntes non quidem intra menſem, ſed intra menſem Domini ſententia ad mortem damnati; qui & parum diſſito inter ſe temporis intervallo deceſſerunt. Ita Rabbini. Malunt alii tribus illis deſignatos Davidem, Adoniam, & Joabum intra menſem è vivis ſublatos; alii tres fratres Macchabæos, Judam, Jonathan, & Simonem intra menſem annorum, i. e. intra triginta annos extinctos. Nobis probatur interpretatio de tribus Romanis Imperatoribus Neronis ſucceſſoribus, Galba, Othone, & Vitellio, qui intra annum ac paucis additis diebus neci traditi ſunt à ſuis. Sequitur Propheta, ita loquentem Deum inducens: *Tuli virgam meum, quæ vocabatur decus, & abſcidi eam*. Abciſſionem hanc tunc ſpectari contigit, cùm Judæi excuſſo Romanorum jugo, eorum in ſe arma provocarunt, atque Urbe ſpoliati, everſo Templo deſtituti tandem per Orbis faciem diſſipati ſunt.

Idem etiam Propheta 11. 14. 15. jubetur à Deo: *Sume tibi vaſa paſtoris ſtulti* (inſignia ſcilicet). *Quia ecce ego, ait Dominus, ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit &c.* Paſtores excuſſo Jeſu Chriſti legitimi Paſtoris jugo permiſſi ſunt manibus ſtultorum paſtorum, à quibus & peſſimè habiti & malis oppreſſi ſunt. Referunt Paſtores iſti Imperatores Romanos ſucceſſores Tyberii, quo rerum potiente Jeſus Chriſtus cruci ſuffixus eſt. Caligula Tyberium excepit, hunc Claudius, Claudium Nero; quales Principes norunt omnes; ſævi, impii, inſenſati, ſtulti.

Paſtoris nomine non rarò Meſſias deſignatur: *Suſcitabo ſuper eos Paſtores* (Hebr. Paſtorem) *& paſcent eos; ſuſcitabo David germen juſtum* Jerem. 23. 4. 5. Geminum habet Iſaias 40. 11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit*. Zacharias 13. 7. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum*, (in paſtorem) *& ſuper virum cohærentem mihi; percute paſtorem, & diſpergentur oves*. Hoc Prophetæ oraculum paſſioni ſuæ Chriſtus accommodat *Matth.* 26. 31., ſibique vindicat dotes boni paſtoris; qui *dat animam ſuam pro ovibus ſuis* Joan. 10. 11. Apoſtolus Hebr. 13. 20. illum appellat *paſtorem magnum ovium*, & S. Petrus 1. Ep. 5. 4. *Principem paſtorum*.

Relinquit Deus miniſtris ſuis decimam boum, ovium, & caprarum *Levit.* 27. 32. *quæ ſub paſtoris virga tranſeunt*, i. e. deducuntur à paſtoribus: niſi fortè ſpectatum hiſce credamus morem ſegregandi decimas. Stans enim paſtor in januis avilis egredientes ſingillatim ſeu vitulos, ſeu hædos, ſeu agnos numerat, ac decimam quemque ſeponit pro Sacerdote vel Levita.

Tradit Amos 1. 2. *Luxerunt ſpecioſa deſerti*; Hebræus ad literam; *Caſa vel ſedes Paſtorum luxerunt*; appellantur hæc 4. *Reg.* 10. 12. *Camera Paſtorum*, vel *habitaculu Paſtorum*. Agens S. Hieronymus de urbe & deſerto Thecue affirmat, nec conſpici quidem ibi caſas Paſtorum ſubterraneis furnis perquam ſimiles ab Africanis appellatas *Mapalia*. *Hieron.* præfat. in Amos.

Imaginem boni Paſtoris exhibens Jeſus Chriſtus Joannis 10. 11. notat tradere illum vitam ſuam pro ovibus, noſcere & noſci ab illis, quippè quæ vocem illius diſtinguentes ductum ſequantur. Neminem è manibus ejus oves rapturum, illaſque nomine ſuo appellare, Mercenarius viciſſim malus Paſtor gregem deſerit, & fures ſubripiendis ovibus in caulas ingrediuntur aliunde, quàm per patentes januas, circùm enim ducta è ſudibus cancella reptando aſcendunt.)

PATARA, urbs maritima Lyciæ. S. Paulus, Philippis Jeroſolymam petens A. Ær. 58. *Act.* 21. 1. Miletum, Coam, Rhodum, deinde Pataram venit, ubi navim in Phœniciam ſolventem nactus, maritimo itinere Jeroſolymam ad ſolemnitatem Pentecoſtes venit.

(PATER. Præter vulgarem nominis hujus ſignificationem, quâ pater filium gignens exprimitur, ſtilo etiam Scripturæ uſurpatur de avo, & proavo, ac tandem de primo familiæ authore, quanquam ab illis, de quibus eſt ſermo, longo temporis intervallo diſſito. E. g. Judæi Jeſu Chriſto coævi, & noſtræ etiam ætatis, ac tandem quicunque exitui ſæculorum futuri erunt ſuperſtites, filios ſe jactitabunt Abraham, Iſaac, Jacob. Balthaſaris pater appellatus eſt Nabochodonoſor, avus ejus reipſa non pater: Jeſus Chriſtus filius eſt David quanquam ab illo longa generationum ſerie remotus.

Pater eſt etiam primus author ſeu princeps ſectæ alicujus vel profeſſionis hominum *Gen.* 4. 20. 21. 22. *Jabel fuit pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum, Jubal fuit pater canentium cythara & organo*, vel tibia. Inclytus ille metallorum fuſor Tyrius Hiram pater appellatur Regis Tyrii 2. *Par.* 2. 13. & 4. 16. ſicut etiam Salomonis pater, quòd inter opifices illorum Regum primas teneret ac præeſſet operibus. Principes & vetuſtiſſimi Prophetarum perinde obſervabantur ac cæterorum Patres; quare recentiores Prophetæ appellati ſunt filii Prophetarum, atque ſeniores illos donant patris nomine: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga ejus*, verba ſunt Eliſei ad Eliam 4. *Reg.* 2. 12.

Pater eſt etiam vox atque ſignificatio obſequii inferiorum ad ſuperiores, ſervorum ad Dominos; *Pater* (ita compellabant Naaman Dominum ſuum ſervi illius) *ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras &c.* 4. *Reg.* 5. 13. Prophetam Eliſeum patris nomine donat Rex Iſrael 4. *Reg.* 6. 21. *Numquid percutiam eos, Pater mi?* Joas decumbentem ad obitum Prophetam viſiturus veniens, ita virum allocutus eſt 4. *Reg.* 13. 14. *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus.* Rechab, ſectæ ejus nominis primus author, pater dictus eſt *Jerem.* 35. 8. *Jonadab filii Rechab patris noſtri*.

Pater orphanorum & egenorum appellatur ille, qui illorum neceſſitatibus providet, ærumniſque tangitur: *Pater eram pauperum*, ait Job. 29. 16. *Patrem ſe Orphanorum & Judicem Viduarum*, profitetur Deus, Pſ. 67. 6.

Sæpè Deus compellatur ſeu nomine *Patris Cæleſtis* ſeu *Patris* tantùm. Rem quidem Patris, Creatoris, Conſervatoris atque Advocati implet ille in eos potiſſimùm, qui ipſum invocant, noſcunt, ſerviunt: *Nonne ipſe eſt Pater tuus*, ait Moyſes Deut. 32. 6. *qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Poſt adventum Jeſu Chriſti novo jure illi patris noſtri cognomen aſſerimus, ex ea, quam ipſe nobis promeruit adoptione, aſſocians ſibi hominum naturam, redimenſque captivos pretio mortis ſuæ: *Rom.* 8. 15. 16. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore* (ut Judæi), *ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba* (Pater). *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.*

PATER *pluviæ* Deus eſt, pluviam & producens & demittens, apud Jobum 38. 28. Ipſe pariter Job 17. 14. habet: *Putredini dixi: Pater meus es*, agnoſco é ſinu

(a) In vulgata legitur: *Suſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates hominum, & paſcent terram Aſſur in gladio*,

Digitized by Google

è ſinu corruptionis me effuſum, atque eo, unde exivi, rediturum: vel potiùs; Eò redactus ſum, ut putredinem & vermes perinde habeam ac parentes meos & amicos.

Conſtitutum ſe à Deo dicit Joſephus *patrem Pharaonis Gen.* 45. 8. collatam ſcilicet in ſe fuiſſe omnem Principis illius in Regno authoritatem, perinde ab eo Rege ſuſpici ac patrem, non honore tantùm, ſed & fiducia filii in ſe collocata; tandem præfectum eſſe ſuper regias ædes totamque Provinciam.

Diabolus impiorum pater habetur *Joan.* 8. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis*. Verba ſunt Jeſu Chriſti ad Judæos; imitari affectatis patris veſtri deſideria; homicida fuit ille ab initio, nec in veritate manſit. *Mendax eſt & pater mendacii*, mendax, veterator, ſeductor, deceptis Eva & Adam mendacium induxit & crimen in mundum. Sectatoribus ſuis paria inſinuat, docetque mendacium & verſutiam; una ejus cura, ut nos ſeducat & tentet.

Judæi impii Idola compellabant: *Pater meus es tu*; quod illis vitio vertit Jerem. 2. 27. Hæc ſi non verbis, re tamen ſatis loquebantur, cùm ſimulacris illis impenderent cultum.

Pater Socho, pater Thecue, pater Bethlehem &c. exprimit authorem & patrem civium earum urbium, quique illas condidit vel reſtituit. Familiaria ſunt hæc Authori primi Paralipomenon, apud quem legas etiam, *Machir pater Galaad*, *pater Mareſa*, *pater Cariat-iarim*, *& pater vallis artificum &c.*

Apponi ad patres ſuos, cum patribus ſuis quieſcere, ire ad patres ſuos, familiaria ſunt ad deſignandum obitum. Porrò tunc *patres* ſunt deceſſores noſtri, quos in altera vita verſantes convenimus.

Jeſus Chriſtus Iſaiæ 9. 6. eſt *pater futuri ſæculi*, quod ſcilicet nos genuit Deo ad æternitatem, æternam nobis vitam procuravit adoptione filiorum Dei, & communione meritorum ſuorum; quæ nobis vindicamus merito proborum operum, & fide per charitatem operante. In eumdem fermè ſenſum docet Apoſtolus, Hebr. 12. 9. *Deum eſſe patrem ſpirituum*. Parentes, quibus geniti ſumus, in corpus vindicant ſibi jus patris; ſpirituum noſtrorum pater Deus eſt, quippe qui illos non creavit tantùm, ſed & juſtitiæ, gloriæ, ac æternæ felicitati reproduxit. Vetat Jeſus Chriſtus Matth. 23. 9. ne homines parentis nomine appellemus, quòd ſcilicet unicus ſit nobis in Cœlo pater; quæ ejus dicta non ad contemptum quidem terreſtrium patrum nos ducunt, mandat enim Deus honore illos atque neceſſaria ope proſequi: ſed cùm res eſt de gloria Dei ac ſalute noſtra, cui reſiſtentes fortè nacti ſumus parentes noſtros, tum utique rejicere illos oportet, obtrudentes illud: Nihil nobis vobiſcum, Dei juſſa nobis curæ eſſe debent; ac illud Iſaiæ 63. 16. uſurpandum: *Tu Domine pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos, tu Domine pater noſter, Redemptor noſter*. Vel illud Pſalmi 26. 10. intimandum: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me*. Quæcunque noſtris commodis contulerunt parentes noſtri, ſi cum præſtitis à Deo beneficiis comparentur, minima ſunt adeo, ut nihil fuiſſe nobis parentes noſtros, meritò profiteamur, & quem patris nomine dignemur unum eſſe Deum. Agens S. Lucas 1. 17. de S. Joanne Baptiſta: *Ipſe autem præcedet*, ait, *ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum*. Conciliabit ſcilicet veterum ac recentiorum Iſraelitarum dogmata, ut non alii ſuturi ſint utriuſque partis ſermones ac ſenſus. Nequaquam ultra degenerantes dolebimus Judæos è juſtitia patrum ſuorum, nec Religionis ſuæ ſanctitatem prodere criminibus; nec tandem perſequi ſanctos ac Prophetas, dogmatibus illorum ac inſtitutionibus contraria omnia opponentes. Inter patres & filios deinceps ſummo aſſenſu conveniet.

Primus pater, pater viventium eſt Adam; *pater credentium Rom.* 4. 11., ſicut *& pater circumciſionis Rom.* 4. 12. vel Judæorum, eſt Abraham; ſicut & Patriarcha idem appellatur: *Pater multarum gentium Geneſ.* 17. 4. Rom. 4. 17., quòd ſcilicet plures ipſa gentes originis ſuæ authorem illum agnoverunt, Judæi, Iſraelitæ, Idumæi, & alii plures.)

PATHMOS, Inſula maris Ægæi, inter Sporades, ubi S. Joannes Evangeliſta exulavit A. Ch. 94. Hic pluribus ſibi per viſum communicatis, decem annorum ſpatio ſcriptis omnia redegit, Apocalypſi adornata. Non deſunt tamen, qui revelationes ibidem acceptas, non niſi poſt reditum ipſius ab exilio ſcriptas eſſe autument. Porrò ea Inſula inter Icariam, & Promontorium Mileti ſita eſt, nullaque majori gloria fulget, quàm quod Apoſtolum exulem habuerit. Hodie *Patino*, *Patmo*, ſivè *Patmol* appellatur, & 25. ſivè 30. milliaribus ambitum exæquat. Urbs in ea Pathmos nomine portu nobilis, in qua nonnulla Græcorum Monaſteria viſuntur. Antrum etiam ſupereſt, ubi ſcriptam ab Apoſtolo Apocalypſim ferunt.

PATHURA, urbs Meſopotamiæ, patria Balaami. Vide *Pethor*.

(PATIENTIA. *Patiens*. Laudatur *patientia Job*; quòd circumſeſſus undique malis, ne dimoveri ſe quidem tantiſper è culmine invictæ patientiæ paſſus eſt *Jacobi* 5. 11. Patientia Dei, quæ ad reſipiſcendum nos invitat, & quæ flagellum remoratur, alterius eſt generis; eſt enim miſerentis animi illius ſenſus, eſt infinitæ virtutis effectus, qui ad ultionem præceps non ruit, ſemper enim habet in manu, ut ultionem pro arbitrio regat, ac remittat. *Patientia pauperum non peribit in finem*; (nunquam peribit) *Pſal.* 9. 19. *Tu es patientia mea, Domine Pſal.* 70. 5.: Eſt hic patientia ſpes & expectatio. Expectatio pauperis in Deum non fallet. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi Matth.* 18. 26. *Lucæ* 18. 7.; ſuſtine me adhuc modicum, & æs alienum ſolvam. *Fructum afferunt in patientia Luc.* 8. 15; opperiri oportet, donec tempus impleatur.

PATRIA uſurpatur & de regione, unde traximus originem, & de Urbe, in qua ſedem habemus.

Patria eſt etiam familia. *Afferte Domino* (victimas) *patriæ gentium Pſal.* 95. 7.; i. e. familiæ gentium, gentes exteræ venite oblaturæ Domino ſacrificia. *Patria* Græcè eſt familia, natio.

Patria Cœleſtis, exprimit cœleſtem illam felicitatem, ad quam ſuſpirant Chriſtiani. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*, ait S. Paulus Hebr. 13. 14.

Patria voce, 2. *Mach.* 7. 8. 21. 27. & 12. 37. & 15. 27. ſignat vernaculum Hebræorum vel Syriacum ſermonem. *Reſpondit voce patria*; Hebraica ſcilicet in regione ſua vernacula. Quod ſermonis diſcrimen adnotandum cenſuit Author, cùm tota Martyrum Machabæorum interrogatio Græcè fieret in urbe Antiochia, ubi Græcum obtinebat.)

PATRIARCHÆ, quo nomine appellantur veteres potiſſimùm ante Moyſem Patres, Adam, Lamech, Noe, Sem, Phaleg, Heber, Abraham, Iſaac, Jacob, & duodecim Tribuum patres. Hos Hebræi Principes Tribuum, ſivè Capita Patrum *Roſches Abot* nuncupant. Nomen *Patriarcha* Græcum eſt, Principem familiæ ſonans, quod deindè uſurpatione quadam, & imitatione ex primis Patribus V. T. ad ſignificandos Epiſcopos primarum Orientis Eccleſiarum in Eccleſia Chriſtiana traductum eſt. Hinc Patriarcha Antiochenus, Alexandrinus, Jeroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus: quo etiam titulo primi Religioſorum Ordinum Fundatores, S. Baſilius, S. Benedictus, S. Auguſtinus, &c. donantur.

(Poſt everſionem Templi Jeruſalem per Romanos, poſt diſperſos per orbis faciem Judæos, quod prioris illius mali appendix fuit, miſer ille populus deſtitutum ſe doluit Rege, Templo, Sacrificiis, Altari, Sacerdotibus, Ephod, ſolemni Religionis exercitio. Quos enim in Synagogis retinuerunt, ſacri ritus umbra erant tantùm eorum, qui olim Templi decus augebant; nullæ enim oblationes, nulla ſacrificia; viduatus erat locus Altari thymiamatis

pani-

Digitized by Google

panibus propoſitionis, Candelabro, Altari Sacrificiorum. Sacerdotales familiæ adeò in unam maſſam cum reliquis coaluerant, ut diſtinguendis fruſtra opera omnis locaretur. Nec minus turbatæ res Tribuum ac Familiarum.

Tot acceſſa malis gente Judæa, adhuc tamen & quæ in Palæſtina veteris populi reliquiæ manſerant, & quæ in tranſeuphratæia verſabantur, umbram quandam politiæ, eorum maximè, quæ ad exercitium Religionis pertinerent, retinere conatæ ſunt. In Judæa verſantes Principem ſibi conſtituerunt, *Patriarchæ* nomine donatum; qui verò trans Euphratem, extulerunt *Principem Captivitatis*. Prior ille rerum potiebatur per Judæam, Syriam, Ægyptum, Italiam, atque omnes Romani Imperii Provincias. Alter habebat ad nutum Judæos per Babyloniam, Chaldæam, Aſſyriam, & Perſidem.

Diſcrimen eſt ingens apud Judæos (a) inter Patriarchas & Principes Captivitatis. Poſteriores illos appellant *Rabbana*, alios vero *Rabban*, quod prioris nominis ceu diminutivum habetur. Defendunt, Principes Captivitatis recta è David ſatos per mares, cùm Patriarchæ nonniſi ducta è fœminis genealogia Regem illum habeant originis ſuæ authorem. Hæc tamen omnia partim aſſertæ ſunt fidei, ut magnum ſibi faceſſeret negocium, quicunque adducta argumentis fulcienda ſuſciperet; ſed nos dicta illorum referimus. Multò etiam verò propius eſt, Patriarchas ſedes habentes Tiberiadi vel Japhne in Palæſtina ad Leviticam potiùs, quàm ad Davidicam Familiam pertinuiſſe. Horum muneris erat quæcunque morum eſſent & Legis exponere, atque docere, quod meliùs ſedet Levitis, & Sacerdotibus, quàm Laicis. Cognoſcebant inſuper de rebus graviſſimis gentis ſuæ, præſidebant Synagogis, tributa quædam exigebant, ut ſufficerent impenſis viſitationum; habebant ſecundarios alios Præfectos diſcurrentes per Provincias, ut Principum juſſa urgerent.

Si quæ fides Judæis, affirmari oporteret, Patriarcharum inſtitutionem integro ſæculo præceſſiſſe everſionem Templi; affirmant enim Hillel cognomine Babylonicum, quòd è Babylonia digreſſus contuliſſet ſe Jeroſolymam, conſultum fuiſſe de celebratione Feſti Paſchalis in Sabbathum eo anno incidentis; datumque ab illo reſponſum adeo probaſſe Judæos, ut aſſumeretur in Patriarcham gentis ſuæ, eamque dignitatem jure hæreditario in poſteros illius tranſiiſſe ad uſque quintum ſæculum Eccleſiæ Chriſtianæ, quo Patriarchæ Judææ ceſſarunt. Quod autem ſuſpicionem crear in aſcitam hanc Patriarcharum vetuſtatem, illud eſt, nimirum ne veſtigium eorum quidem ſupereſſe ſive in Philone, ſive Joſepho. Quin nec tantam in Palæſtina Patriarcharum authoritatem, quantam illis vindicant Rabbini, tuliſſent unquam Principes Aſmonæi, vel Herodes ejuſque ſucceſſores, vel tandem Summus Sacerdos, qui ſedes habebant Jeroſolymæ. Is æqui juris conflictus & contraria ſtudia inter ſupremos illos Principes non adeo in officio continuiſſent animos, quin ſæpè raperentur in prælia, utique non ſilenda in Hiſtoria. Quæ tandem repugnantia & variantia reſultant inter varia Scriptorum Judæorum teſtimonia; Scriptorum, inquam, qui ſeriem Patriarcharum illorum, ruinam Templi præcedentium, contexuerunt, argumentum ſunt etiam mendacium apertiſſimè revincens. Patriarchas illos nemo novit, niſi Rabbini Thalmudiſtæ poſteriores, adeoque & plus nimio recentiores, quàm ut in re vetuſtiſſima fidem adſtruant.

Hoc laterculum damus Patriarcharum Palæſtinæ apud Rabbinos.

1. Hillel Babylonicus.
2. Simeon ejus filius.
3. Gamaliel filius Simeonis.
4. Simeon II. filius Gamalielis.
5. Gamaliel II. filius Simeonis.
6. Simeon III. filius Simeonis II.
7. Juda filius Simeonis III.
8. Gamaliel III. filius Judæ.
9. Judas II. filius Gamalielis III.
10. Hillel II. filius Judæ.
11. Judas III. filius Hillel II.
12. Hillel III. filius Judæ.
13. Gamaliel IV. filius Hillel.

David Ganz in ſua Chronologia inſcripta *Tremach David*, germen David, totam hanc genealogiam cogit in decem.

1. Hillel Babylonicus.
2. Rabban Simeon ejus filius.
3. R. Gamaliel Ribbona.
4. R. Simeon filius Gamalielis (idem facilè primus omnium Patriarcharum conſtitutus fuit ſub Imperio Adriani.)
5. Rabban Gamaliel filius Simeonis.
6. R. Jehuda Princeps.
7. Hillel Princeps ejus filius.
8. Rabban Gamaliel ſenior.
9. R. Simeon III.
10. R. Juda Naſi, vel Princeps.)

PATROBA, Diſcipulus Apoſtolorum, de quo tamquam Romæ tunc temporis verſante S. Paulus A. Ch. 58. *Rom.* 16. 10. 15. Hujus viri geſta omnia latent: apud Græcos tantùm Puteolorum in Campania, ſivè in Regno Neapolitano Epiſcopus conſtitutus, atque obiiſſe fertur die 4. ſivè 3. Novembris. Ejus nomen in Martyrologio Romano die 4. Novembris legitur. In eodem contubernio cum Alyncrito, ab Apoſtolo in eodem verſu ſalutato, verſatum fuiſſe Origenes *in Rom.* exſtimavit.

S. PAULUS, olim *Saulus* appellatus, è Tribu Beniamin, Tharſo in Cilicia oriundus, ſecta Pharisæus, Eccleſiæ primò hoſtis, deinde Diſcipulus Jeſu Chriſti, & gentium Apoſtolus. Si Authori cujuſdam homiliæ, inter Opera S. Chryſoſtomi *tom. 6. hom.* 30. fides habeatur, 68. annis natus obiit; quare duobus ante Chriſtum annis in lucem prodiiſſe oportet. De illius educatione, familia, & converſione mira Ebionitæ (b) fabulantur, ſed nonniſi fabulæ ſunt. Civitatis Romanæ privilegio fruebatur, quo Tharſenſes Auguſti partibus faventes, ab eodem Imperatore donati ſunt. Ab ineunte ætate, Jeroſolymam miſſus à parentibus, Legis ſtudio ſub Gamaliele Doctore clariſſimo operam dedit, *Act.* 22. 27. 28. Plurimùm in eo ſcientiæ genere profecit: ſed & morum innocentia non modicè etiam excelluit, ut nihil in eo reprehendendum occurreret; quin & ſtudio Legis Moſaicæ etiam atque etiam commendandus videretur, *Act.* 22. 3. Sed ejuſdem Legis amore longius quàm par erat, abreptus, Eccleſiæ Dei, imò potius Jeſu Chriſti in ſuis membris acerrimus hoſtis effectus eſt, 1. *Timoth.* 1. 13. Hinc virorum S. Stephanum primum inter Martyres lapidibus obruentium veſtimenta ſervabat, *Act.* 7. 57. 59. ut in omnium criminibus veluti particeps efficeretur. Id evenit A. Aer. 33 paulò poſt obitum Ch.

Exortà interim poſt necem S. Stephani in Eccleſiam perſecutione, Saulus inter primos, Fidelibus adverſarium ſe præbuit, *Galat.* 1. 13. *Act.* 26. 11 Ædes enim illorum ingrediens, viroſque, & fœminas raptans, catenis oneratos in carcerem trahebat, *Act.* 8. 3. & 22. 4. Præſto erat in Synagogis, ubi flagellatione in illos animadvertens, ad blaſphemias in Chriſtum cogebat. Quin & impetratis à Caipha Summo Pontifice, & à Senioribus Judæorum literis ad Judæos Damaſcenos, omnes, ſi quos fortè inveniſſet,

Fideles

(a) Baſnag Hiſt. Jud. tom. 2. lib. 4. cap. 3.

(b) Epiph. hæreſ. 30. c. 16.

Fideles in urbem deducendi poteſtatem obtinuit, *Act.* 9. 1. &c. Cædes igitur, & ſanguinem meditans, iter illud inivit; ſed Damaſco jam proximo, inopinato circa horam meridianam radius ingens cœlitus vibratus, quo ipſe, omneſque, qui illum comitabantur, obducti ſunt, euntem percuſſit, & humi proſtravit: additaque ſimul hac voce ita illum Chriſtus compellavit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Continuò Saulus ad hæc, ecquis eſſet, requiſivit. *Ego*, ait Jeſus, *ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Saulus ſubitò obrigens terrore, ſe præſto eſſe dixit, ſi quid vellet; juſſuique Damaſcum petere, ibi Divina mandata auditurus, illicò obtemperavit.

Saulus igitur è terra ſurgens, ſubitò ſe quamvis apertis oculis ſciret, cæcitate percuſſum ſenſit; quare manu deductus, Damaſcum venit, ubi triduo jejunus in domo cujuſdam Judæi, nomine Judæ manſit. Tertia die Ananias quidam Saulum convenire, impoſitiſque illi manibus ſanitati reſtituere à Deo juſſus eſt. Detrectanti Ananiæ munus in hominem, Eccleſiæ & Domino infenſiſſimum, inſtitit Jeſus: ſimul addens, ſe eum virum ſelegiſſe, ut nomen ſuum coram gentibus, Regibus, & filiis Iſraelis aſſereret. Ego tamen, ait, oſtendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati. Confirmatus Ananias, Saulum adivit, quem manuum impoſitione primò ſanitati reſtitutum, deinde Baptiſmo, atque S. Spiritus illapſu initiavit. Secundùm hæc, Saulus deguſtato cibo, viribus confirmatus, reliquum temporis audiendis Diſcipulis Damaſci verſantibus, & aſſerendo in Synagogis Jeſu Chriſto vero Meſſia exegit.

Inde Arabiam excurrit, *Galat.* 1. 17. fortè in vicinia Damaſci, quippe quæ Aretæ Regi Arabiæ parebat; exactoque ibi modico tempore, iterum Damaſco reſtitutus, prædicationis muneri inſtitit. Evangelii propagationem ægrè ferentes Judæi, de nece Paulo inferenda cogitantes, Damaſci Præpoſitum corruperunt, ut virum illum ſibi permitteret. His conſiliis ad Paulum delatis, ipſe portas urbis à cuſtodibus diù noctuque obſervatas intelligens, è mœnibus in ſporta demitteretur, curavit (a). Ita à præſentiſſimo periculo liberatus, Jeroſolymam venit, ut S. Petrum inviſeret, *Act.* 9. 26. 27. *Galat.* 1. 18. Diſcipuli fraudem metuentes, cum Paulo colloqui non audebant: ſed à Barnaba ad Apoſtolos deductus, converſionis, geſtorumque omnium ſuorum certiores illos fecit. Sub hæc, prædicationis munus iterum ſuſcipiens, omnibus, quà Judæis, quà Ethnicis, Chriſtum annunciavit, ea Spiritus & rationum efficacia, ut eaſum vim minimè ferentes, de nece illi inferenda cogitarint. Hinc Cæſaream Paleſtinæ virum deducere fratribus viſum eſt; indeque fortè maritimo itinere Tharſum Ciliciæ patriam ſuam delatus eſt.

Poſt quinque vel ſex annos (b), Barnabas Antiochiam ab Apoſtolis miſſus, plures ibidem Fideles nactus, Saulum Tharſo ſecum ad eam urbem deduxit. *Act.* 11. 20. 25. 26. junctaque ſimul opera, prædicationi, atque Fidelium inſtitutioni allaborarunt. Fame interea per Judæam graſſante, *Act.* 11. 27. &c. Fideles Antiocheni collectas ad eam rem eleemoſynas Saulo & Barnabæ tradiderunt, ad Fratres in Judæam deferendas: qui commiſſo ſibi perſoluto, A. Ch. 44. ſtatim in ſuam provinciam redierunt. Sed non diu poſt, Prophetarum ex Fidelibus oraculo ambo illi viri ad alias gentes inſtituendas divinitùs deſtinati audiri cœperunt. Hinc implorata prius ab Eccleſia jejuniis & orationibus Cœli ope, Simon, Lucas, & Manahem manuum impoſitione poteſtatem illis fecerunt, ut S. Spiritus ductum ſequerentur. Sub idem tempus an. ſcilicet Ch. 44. contigiſſe Pauli raptus uſque ad tertium Cœlum, in quo plura ſupra hominum captum vidiſſe ſe perhibet, 2. *Cor.* 12. 2. &c. veriſimillimè creditur.

Prima amborum expeditio in Cyprum ſuſcepta eſt, *Act.* 13. 4. &c. quam univerſam, Chriſtum in Synagogis annunciantes, excurrerunt. Sergius Paulus Inſulæ Proconſul eorum fama audita, ut ad ſe venirent prædicandi Evangelii gratia, invitavit. Quidam tamen Judæus Magus, nomine Bar-Jeſu, lateribus Proconſulis adſiſtens, pro viribus illum à ſuſcipienda fide abſterrebat. Cujus impietatem Paulus animadvertens, duriſſimè increpatum, mox cæcitate ad tempus mulctandum in ſceleris ultionem dixit. Nec vana minatus eſt: eoque prodigio victus Proconſul, ſtatim fidei manus dedit. Sunt, qui ab eo tempore ex deducto ad fidem Sergio Paulo, nomen *Pauli* Apoſtolo inditum (exindè enim Paulus in Actis appellatur) credant (c). Damaſci ſub ipſam ad fidem converſionem primum eo nomine appellatum S. Aſterius *hom.* 8. autumavit: in manuum impoſitione Antiochiæ recepta, S. Chryſoſtomus (d). Alii tamen malunt, Pauli nomen, quod Latinum eſt, nonniſi poſt inſtitutos Ethnicos, Romanos potiſſimùm, Apoſtolo collatum volunt (e). Non deſunt tandem, qui binominem illum putent (f) ac pro recepto Judæorum more, alterum ex Græco, ex Latino alterum nomen derivaſſe. Hæc tamen ſi vera ſint, quidnam in cauſa eſſe potuiſſet, cur nunquam niſi poſt Sergii Pauli converſionem Sauli nomine in Actis appellaretur? Converſio Sergii contigit Paphi A. Ch. 45.

Ex Cypro Paulus & ſocii ſolventes, Pergen Pamphyliæ venerunt, A. Ch. 45. *Act.* 13. 13. unde Joannes Marcus conſobrinus Barnabæ ab illis ſecedens, Jeroſolymam petiit. Illi verò rectà Antiochiam Piſidiæ ſe conferentes, ſub ipſum in Synagogam ingreſſum, ut verba facerent invitati ſunt; quare Paulus Chriſtum Jeſum verum eſſe Meſſiam à Prophetis, ne excepto quidem Joanne Baptiſta, annunciatum oſtendit. Addens inſuper, eundem Jeſum à Judæis per invidiam neci traditum, poſt triduum à mortuis ſurrexiſſe. Dicentis verba ſinè murmure excepta ſunt; quin & in futurum Sabbathum illum ſe libentiſſimè audituros ſignificarunt. Neque his contenti, plures ex Judæis & Proſelytis illos ſecuti ſunt, quò commodiùs eorum inſtitutionibus proficerent.

Indictâ igitur Sabbathi die, magnus undique in Synagogam ad Paulum audiendum concurſus factus eſt; ex quo Judæorum in illum invidia excitata, qui dicentis verba blaſphemiis retundebant. Quare Paulus & Barnabas liberioribus verbis profeſſi ſunt, ſe quandoquidem à Judæis, ad quos potiſſimùm miſſi fuerant, non exaudirentur, ad Gentes inſtituendas juxta Domini præceptum, tranſituros. Hinc aperto Ethnicis ad fidem aditu, mirum quot undique ex iis, quos Dei Providentia ad vitam deſtinaverat, iter ingrederentur. Judæi rem illam ægerrimè ferentes, excitata in Paulum & Barnabam perſequutione, ut ex urbe pellerentur tandem effecerunt. Egreſſuri ambo, excuſſo è pedibus pulvere faceſſentes, Antiochiam Piſidiæ, & Iconium venerunt. In Synagoga, *Act.* 14. 1. &c. ejus urbis Chriſtum annunciantes, pluribus ex Judæis ac Ethnicis quà verbis, quà prodigiis perſuaſerunt. Nihilo tamen cæteros Judæos æquiores in ea urbe nacti, ſuſcitatæ perſequutionis furorem, Lyſtras, & Derben Lycaoniæ urbes fugientes, evitare coacti ſunt. Æneas quidam pedibus impeditus, Lyſtris agebat; quem Paulus intuitus, ſtare jubens, incolumem reſtituit. Populus ſubitum prodigium miratus, Numina eſſe ſub hominum forma,

P　　Bar-

(a) Act. 9. 24. 25. &c. A. Ch. 37. triennio poſt adventum Damaſci. (b) Ab A. Chr. 37. uſque ad 43.
(c) Hieron. in Ep. ad Philem. Aug. Confeſ. l. 8. c. 4. Beda Retract. in acta & Recentior. plur.
(d) Chryſoſt. hom. 28. in Acta. Ita Theophil. Theodoret. Oecum. in Rom. 1.
(e) Aug. ſer. 315. c. 5. Grot. Fromond. (f) Orig. ſeu potiùs Rufin. ad Rom. Druſ. Bez.

Barnabam nempè Jovem, Paulum, quippè qui verbi faciendi munus deſumpſerat, Mercurium, ſuſpicatus eſt. Quare adductis antè ædes illorum à Sacerdote Jovis tauris, ornatiſque foribus corollis, ſacrificiis offerendis omnia parata fuerunt. Paulus, & Barnabas re animadverſa, multitudinem quà precibus, quà verbis, quà etiam veſtium diſciſſione, adorare, ut à ſuperſtitionibus ſe abſtinerent: ſe enim homines eſſe avertendis mortalibus à ſuperſtitione, & ad veri Dei cultum reducendis miſſos. His tandem, ut ab incepto abſtinerent, ægrè licèt, impetrarunt.

Inter hæc, Judæi Antiochiæ Piſidiæ & Iconii Lyſtras venientes, populum in viros concitarunt, eo ſucceſſu ut lapidibus Paulum impetitum, extra urbem, rati jam obiiſſe, raptarent. Diſcipulis circum frigidum jam corpus convenientes, tandem effecere, ut reſumpto Spiritu è terra ſurgeret, atque in urbem regreſſus manè Derbem peteret. Poſt annunciatum in ea urbe Evangelium, Lyſtras iterum, Iconium, & Antiochiam Piſidiæ venit A. Ch. 45. *Act*. 19. 25. 26. Tranſgreſſa demum Piſidia, Pamphyliam adiit, ubi annunciato Pergæ Evangelio, Attaliam tranſiit. Inde maritimo itinere Antiochiam Syriæ, unde ante annum iter inceperat, ſeſe reſtituit. Pauli, & ſociorum adventu audito, Fideles omnes in cœtum convenientes, ſuorum eventuum ſeriem narrantem audierunt; ſimulque de aditu ad fidem Ethnicis recluſo lætati ſunt. In ea urbe diutiùs in diſcipulorum conſortio ſubſtiterunt.

Nihil inde de geſtis Pauli ab anno Chr. 45. uſque ad coactum Jeroſolymis Concilium anno 50. in Actis Apoſtolorum memoriæ proditum eſt. Facilè tamen eo temporis ſpatio Jeroſolyma ad Illyricum uſque excurrit; nihil tamen moratus in locis, ubi antea fidem annunciaverat, ut ipſius Apoſtoli narratione novimus, *Rom*. 10. 10. & 15. 19. Ejus itineris & prædicationum eventus eo ſilente prorſus latent; plura tamen pertuliſſe, & ſæpè carceribus detentum fuiſſe ipſo de ſe ſcribente comperimus. Sæpè enim de vita, modò inter vortices fluminum, modò inter manus prædonum, modo Judæorum inſidiis, modo inter dolos fratrum peſſimorum periclitatus eſt. Fame, ſiti, nuditate, frigore, jejuniis, vigiliis, laboribus perferendis nullus fuit modus, 2. *Cor*. 11. 23. &c. quippe quæ longorum itinerum, & eorum maximè, quibus cætera omnia neceſſaria deſunt, commeatus eſſe ſolent. Qua in re alia ſanè utebatur Apoſtolatus diſciplina, quam ii, qui ex Evangelii prædicatione vitam tolerabant, victu ab iis accepto, quos ad fidem inſtituebant. Illorum etiam mos erat, pias fœminas neceſſaria miniſtrantes in comitatu adhibere; quod etiam Apoſtolus retigit. Sibi enim Evangelium gratis miniſtrandum Paulus exiſtimans, 1. Cor. 9. 1. 15. vitam, ne cui gravis eſſet, tentoriis conficiendis (artem enim ferè omnes Judæi aliquam exercebant) tolerabat, *Act*. 18. 3.

In ejus prædicationis decurſu quinquies à Judæis 39. flagrorum ictibus cæſus eſt, 2. *Cor*. 11. 24. 25. nunquam enim Judæi hunc ictuum modum excedere conſueverunt, vetante Moyſe, ne ultra 40. ictus infligantur, *Deut*. 25. 3. Præter hæc, bis à Romanis virgarum animadverſionem toleravit, 2. *Cor*. 11. 25. ter naufragio periclitatus eſt, ac die nocteque in imo maris verſatus eſt; quam Apoſtoli phraſim alii aliter explicant. Sunt enim, qui integra die demerſum perſtitiſſe, ac Divino prodigio, ut olim Jonas in ventre ceti, ſervatum credant (a). Alii putant, in imo putei latuiſſe, ut imminens à Lyſtrenſibus lapidum periculum evitaret (b). Alii malunt intelligere de carcere Cyziceno, cui nomen *Bythos*, ſivè *profundum*, ubi Apoſtolus detentus fuit. Paulus enim ea voce *profundum* uſus, nihil addit de *mari*, quod in Vulgata legitur (c). Vulgò tamen Patres, uti S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Ambroſiaſter, S. Thomas in 2. Cor. 11. 25. & recentiores plurimi, cenſent Apoſtolum die nocteque cum fluctibus colluctatum; quorum quidem ſententia à Græco verbo *bythos* ab Apoſtolo uſurpato non abhorret. *Bythos* enim quando ſolitarium adhibetur, ſivè maris imum, ſivè maris altum ſignificat. Hæc Paulo accidiſſe debuerunt ante A. Ch. 58. quo alteram ad Corinthios Epiſtolam ſcripſit.

Verſantibus adhuc Paulo, & Barnaba Antiochiæ, nonnulli ex Judæa viri ſupervenientes ſpargebant in vulgus, circumciſionem, & Legalia prorſus ſervari oportere, *Act*. 15. 1. &c. Ex Cerinthi ſecta dogmata illa derivata fuiſſe S. Epiphanius, *hær*. 28. c. 4. & S. Philaſtrius *de hæreſ*. c. 36. autumarunt. Perniciosis doctrinis Paulo, & Barnaba pro viribus reſiſtentibus, Apoſtolos, & Sacerdotes Jeroſolymitanos ea de re conſulere viſum eſt. Miſſi igitur ad urbem Paulus, & Barnabas, omnia ad Apoſtolos detulerunt. Nonnullis ex Phariſæis Fidelibus Legalium obſervantia Gentibus ad Fidem converſis injungenda videbatur. Cœtus tamen ad eam rem Apoſtolorum & Sacerdotum coactus aliter cenſuit; Ethnicis, ſcilicet ad Fidem traductis, excepta ab idololatria, à fornicatione, à ſuffocato, & ſanguine abſtinentia, nihil graviùs imponendum.

Ejus Concilii Synodicam Paulus, & Barnabas ad Antiochenos detulerunt; quibus adjungendos Judam, cognomento Barſabam, & Silam viros inter Fideles ſpectatiſſimos, ut rei fidem facerent, cenſuerunt. Congregata igitur Antiochiæ Eccleſia, Concilii Epiſtolæ lectæ ſunt; & ab Ethnicis Chriſto nomen dantibus, Legalis obſervantiæ jugum excuſſum eſt. Id evenit an. Ch. ſeu Ær. vulg. 51. Succedente deìn tempore S. Petrus Antiochiam veniens, Ethnicorum conſuetudine familiariſſimè uti religioni minimè ducebat; verùm ſupervenientibus Jeroſolyma Fratribus, omne illicò cum illis commercium, vel etiam in cibis capiendis intercludebat. Sanctiſſimi viri factum, quod pernicioſo cæteris exemplo futurum videretur, palam & in faciem Paulus reprehendit, *Galat*. 2. 11. &c.

Ea occaſione Paulus Jeroſolymæ verſans (vide Galat. 2. 2. &c.) doctrinæ ſuæ, quam Ethnicis prædicabat, rationem palam, deinde privatis colloquiis coram Tito, & Barnaba, primoribus Fidelium expoſuit. Nihil in ea corrigendum, nihil adjiciendum ab Apoſtolis Petro, Jacobo, & Joanne inventum eſt: Divinæ in illo Providentiæ diſpoſitionem omnibus agnoſcentibus, ſimal & probantibus, cujus conſilio Paulo Gentium, Petro circumciſionis Apoſtolatus demandatus eſſet. Una autem omnium ſententia fuit, in reducendis ad fidem Gentibus à Paulo & Barnaba præſtandum eſſe oportere, monentes tantùm, ut quos fide initiabant Gentiles, ad ferendam Fidelibus in Judæa verſantibus (quippè qui ſivè diſtractis bonis, ut communibus impenſis viverent, ſivè ſuis omnibus ſpoliati (d) in ſumma eſſent rerum penuria) opem ſuaderent. Quid in ea re Apoſtolus egerit, ex decurſu patebit.

Poſt exactos Antiochiæ aliquot dies, Paulus Barnabæ ſignificavit, ut ad inviſendos per urbes, quibus ad id uſque fidem annunciaverant, Fratres veniret A. Chr. 51. *Act*. 15. 36. Ille præſto ſe eſſe innuit; rogare tamen ut Joannes Marcus, qui olim ſocios ipſos deſeruerat, unà venire permitteretur. Detrectante Paulo, & Barnaba inſtante, tandem ambo invicem ſecedentes, in diverſa abierunt; Barnabas cum Joanne Marco in Cyprum; Paulus, Sila comite adjuncto, tranſgreſſa Syria, & Cilicia, Derbem primò, deinde Lyſtras venit, *Act*. 16. 1. Inventum in ea urbe

Diſci-

(a) Hilat. de Trin. l. 6. Beda q. 3. in tom. 8. Sulp. Sev. ep. 1. ait, triduo Apoſtolum in imo maris manſiſſe, Eſt. Heruæ. Eraſm. Haimo Fromond.
(b) Quid. apud Theophyl. (c) Quid. apud Baron. A. Chr. 58. Vide & Hamm. in 2. Cor. 11.
(d) Hebr. 10. 34.

Digitized by Google

Diſcipulum, Timotheum nomine, ex matre Judæa, Ethnico patre genitum, circumcidendum primò curavit, quo Judæorum ejuſdem regionis invidiam evitaret; deindè itineris ſocium adhibuit. Peragrata deinde Lycaonia, Phrygia, & Galatia, & ne in Aſia (Proconſulari nempè, quæ Joniam, Æoliam, Lydiam, complectitur) prædicarent à S. Spiritu moniti, Myſiam ingreſſi, Troadem contenderunt. Ibi Apoſtolus, oblato ſibi per quietem viro Macedonico habitu, rogatuſque ut in Macedoniam tranſiret, tanquam à Deo monitus illuc versùs iter direxit.

Navigium ergo in eodem portu conſcendens, primò Neapolim Macedoniæ urbem non longè à Thraciæ finibus tenuit An. Ch 52. *Act.* 16. 11. Inde Philippos, primam in ea plaga Romanorum in Macedonia Coloniam, appulit. Cùm fortè die Sabbathi orationis gratia in Proſeucham Judæorum ad amnis ripam conſtitutam conveniſſent, religioſas quaſdam mulieres nacti ſunt; inter quas Lyda purpuræ mercatrix, auditis Pauli verbis, ad fidem converſa, & baptiſmo initiata, Apoſtolum & ſocios hoſpitio recepit. Alia die illi ad orationem in conſtitutum locum ſe conferentes, ancillam quamdam, familiari Cacodæmonis conſuetudine abdita revelantem, obviam habuerunt, quæ ponè illos ſequuta, ſanctos viros, atque à Deo indicandæ ſalutis viæ miſſos pleno ore appellabat. Cùm aliis atque aliis diebus eadem præſtaret, Paulus tandem Pythoni in nomine Jeſu imperavit, ut relicta puella actutum faceſſeret. Fœmina igitur ſtatim ab oraculis fundendis ceſſante, domeſticorum illius, qui eam ſibi lucri ſpem præciſam dolebant, invidiam Apoſtolus, & ſocii ſubierunt, delatique ad urbis Magiſtratus, tamquam novæ Religionis authores, poſt virgarum in dorſo animadverſionem, in carcerem detruſi ſunt.

Tertia noctis vigilia ſubeunte, viri illi in hymnos & cantica effundebantur; cùm ſubito concuſſa repentino impetu terra, atque ædificii fundamentis ab imo nutantibus, carceris fores ultrò recluſæ, & captivorum vincula ſponte contrita ſunt. Carceris cuſtos captivos omnes ea occaſione diffugiſſe ratus, in extremam deſperationem deveniens, ſtricto in ſe gladio mortem ſibi conſciſcere ſtatuerat. Paulus ejus conſilium intelligens, ſtatim exclamare, ne quid in ſe gravius tentaret; ambos enim in carcere manſiſſe. Tunc ille carcerem ingreſſus, viros ſanctos eduxit, ſimulque ſalutis viam ſibi indicarent etiam atque etiam rogavit. Illi nihil cunctantes, totam familiam fidei myſteriis inſtructam, baptiſmo initiarunt. Appoſitis deindè dapibus, cibus, miniſtrante carceris cuſtode, deguſtatus eſt. Mane alterius diei miniſtris injunctum à Magiſtratibus, ut recluſo carcere ambos viros liberos abire ſinerent. Paulus beneficium detrectare, ſe nunquam paſſurum dictitans, ut civis Romanus poſt publicam virgarum ignominiam, poſt carceris injuriam ſecretò dimitteretur. Ipſi igitur per ſe venirent, publica contumelia affectos publico honore dimittentes. His ad Magiſtratus delatis, ipſi per ſe injuriam illatam deprecaturi venerunt; atque è carcere eductos, ut ex urbe ſecederent, rogarunt. Illi ſalutata prius in ipſis ædibus Lyda, Fratribuſque confirmatis, Philippos petierunt.

Ex ea urbe, Amphipoli & Apollonia tranſgreſſis, Theſſalonicam Macedoniæ Metropolim venerunt. Extabat in ea urbe Judæorum Synagoga, quò Paulus pro ſuo more ſe conferens, tribus ordine recurrentibus Sabbathis, Evangelium prædicavit (a). Ejus verba pluribus quà Judæis, quà Proſelytis perſuaſerunt; complurium tamen invidia in illum provocata, ſeditio in urbe concitata eſt. Statim igitur facto ad Jaſonis domum, ubi Paulus hoſpitabatur, concurſu, fruſtra quæſitus eſt: quare comprehenſum Jaſonem, & ad Tribunal deductum, tamquam receptorem hominis in Cæſarum edicta contumacis, & alium præ Cæſare Regem, Jeſum nempè, obtrudentis, accuſarunt. Præſtita tamen cautione Paulum exbibendi, citò Jaſon ab eo ſe periculo expedivit; & Paulus noctis favore extra urbem à Fratribus deductus, Berœam una cum Sila ſe contulit. Vix ingreſſus, ſtatim in Synagoga ad Evangelium annunciandum, nec ſanè ſinè plauſu Judæorum, ac Ethnicorum, quà virorum quà mulierum etiam ingenuarum fructu.

Brevi tamen eorum Berœam adventu audito, Judæi Theſſalonicæ, illuc ſtatim convolantes, tumultu excito, ut Paulus faceſſeret, relictis tamen ibidem Sila & Timotheo, effecerunt. Deductus igitur à quibuſdam (b) Apoſtolus, maritimo itinere Athenas appulit; quò ſtatim per viros illos ad propria remeantes, Silam & Timotheum, ut actutum venirent, accivit. Indè conſueto muneri in Synagoga præſtando pro quacumque data occaſione incubuit. Cum Philoſophis etiam, ſi quos in foro offendiſſet, diſſerebat; quibus etiam rogantibus, ut in Areopagum, tanquam novæ Religionis author, veniret, facilè acquievit. Coram illis Judicibus ſe ſiſtens, verba in hanc ferè ſententiam fecit: Se primum in eam urbem ingreſſum Aram quamdam offendiſſe, *Ignoto Deo* dicatam, quod proinde Numen ipſi ignorantes coluiſſent, ſe revelaturum. Inde Numen prodidit, Cœli Terræque authorem, Providentiæ illius diſpoſitionem, Judicium poſtremum, & mortuorum reſurrectionem. Vix mortuorum Reſurrectione audita, ſublatum inter auditores murmur, aliorum quidem irridentium; aliorum in alteram diem ejus rei diſputationem poſtulantium; aliorum tandem manus victas fidei exhibentium: inter quos Dionyſius ex Areopagitarum numero, & mulier quædam Damaris nomine, memorantur.

Intereà veniens Athenas Timotheus, perſecutionis in Fideles Theſſalonicæ graſſantis, Apoſtolum certiorem fecit: quibus proindè confirmandis, ſolandiſque eundem Timotheum ſtatim in Macedoniam remiſit (c). His ita diſpoſitis, Apoſtolus Corinthum advertens, *Act.* 18. 1. hoſpitium Judæi cujuſdam, nomine Aquilæ, ſelegit; quocum ejuſdem artis, conſuendi nempè tentoria, exercitio ſociabatur. Nec tamen his adeò diſtineri ſe paſſus eſt, ut de prædicationis ſtudio quicquam remitteret. Singulis enim Sabbathis in Synagoga Judæis ſimul Ethniciſque verba de Chriſto faciebat, non ſinè quorumdam fructu; inter quos Stephanam, totamque ipſius familiam, baptiſmo ſe initiaſſe teſtatur 1. *Cor.* 11. 16. 17. & 16. 15. Circa idem tempus Corinthum venientes Silas & Timotheus, rerum Theſſalonicenſium ſtatum (d) ad Apoſtolum, non ſinè ingenti ejus voluptate, retulerunt. Eam occaſionem excepit Paulus, primæ ad Fideles illos Epiſtolæ ſcribendæ, in qua eorum ſtudium, virtutem, charitatem in Fratres ex Macedonia pluribus effert. Deindè monita quædam potiſſimùm circa uſum conjugii, otii fugam, luctum in mortuos, & pro Antichriſti dolis evitandis adjungit.

Alteram deinde An. Ch. 52. ad eoſdem Epiſtolam adjecit, confirmandis illorum animis, quos ſparſus quidam à ſeditioſis hominibus rumor de imminenti Mundi exitu, ſuppoſitis etiam in eam rem ejuſdem Apoſtoli literis, turbaverat. Otioſos homines verbis caſtigat; cæteros verò perſecutiones æquo animo tolerare hortatur. Conſuetudine igitur Silæ & Timothei confirmatus Apoſtolus, prædicationi impenſiùs intendit. Sed tandem Judæorum blaſphemiis ab illis recedere coactus, omni à ſe ejus rei culpa ſolemni obteſtatione amota, deinde relicto Aquilæ hoſpitio, apud Titum Juſtum, Ethnicum quidem genere, ſed Fidelem ſtudio, divertit. Novo inter hæc viſu confirmatus à Deo, lacta etiam ab ipſo ingentis populi ad fidem reducendi ſpe, ſolidis 18. menſibus Corinthi manſit.

Intereà Judæi ſtudio perdendi hominem ad Gallio-

(a) Act. 17. 1. &c. A. Ch. 52. (b) Theodoret. in 1. Theſſalon. Prolog. A. Ch. 52.
(c) Vide 1. Theſſal. 3. 1. &c. & 2. 15. 17. 18. (d) Act. 18. 5. & 1. Theſſal. 3. 6. 9. A. Chr. 52.

nem Achajæ Proconſulem Carrhagine verſantem, tanquam novæ Religionis authorem, illum detulerunt A. Chr. 53. *Act.* 18. 12. Audiens tamen Præfectus, rem de religione eſſe, utpote à ſuo munere alienam, accuſatores inaudita cauſa remiſit. Quare Paulo ſubſiſtendi aliquo etiam tempore Corinthi libera poteſtas fuit: quo deindè evoluto, Jeroſolymam ad feſtum Pentecoſtes contendere ſtatuit. Navim conſcenſurus A. Ch. 54. in ipſo Cenchræarum portu cæſariem abraſit, voto Nazaræatus, quod antea nuncupaverat, ſolutus. Recta poſt hæc, una & Aquila & Priſcilla, Epheſum delati ſunt; indè Cæſaream Palæſtinæ, ac dein Jeroſolymam contenderunt. Poſt factum in ea urbe religioni ſuæ ſatis, Antiochiam aliquo temporis ſpatio ſubſtiturus venit. Eo elapſo, per univerſas Galatiæ, & Phrygiæ Eccleſias ordine diſcurrit; peragratiſque ſuperioribus Aſiæ provinciis, tandem Epheſo ſeſe reſtituit, *Act.* 19. 1. ubi triennio manſit, ab A. Chr. 54. uſque ad 57.

Aliquos in ea urbe Diſcipulos ab Apollo inſtitutos, & baptiſmo S. Joannis Baptiſtæ tantummodo initiatos invenit, quos ille prius inſtitutos, baptiſmo Jeſu Chriſti abluit, deinde manuum impoſitione confirmavit, non ſine ſenſibili S. Spiritus illapſu, donis Linguarum & prophetiæ. Conſueto deinde muneri inſiſtens, trium menſium ſpatio Judæis inſtruendis operam impendit. Cum verò prædicationi iidem Judæi contumaciſſimè reſiſterent, ab illis ſecedens, ad ſcholam cujuſdam nomine Tyranni contendit. Quotidianæ etiam prædicationi aliam etiam die noctuque ſollicitudinem adjiciebat (a) per domos diſcurrens, hinc fidelibus confirmandis, inde animis ad fidem ducendis; labor etiam manuum his omnibus accedebat, ne cui umquam gravis haberetur. Prodigiis ea occaſione pluribus claruit, *Act.* 19. 11. 12. ut lintea etiam ex contactu corporis ipſius ſanandi morbos, dæmones expellendi virtutem contraherent. Pluribus tamen a Judæis, Ethnicíſque vexatus eſt, 1. *Cor.* 16. 31. 35. vel ipſas in amphitearro feras expertus, quarum furorem Divino tantùm prodigio evitavit (b).

Ex eadem urbe literas ad Galatas dedit circa A. Ch. 56. quos ab ipſo olim inſtitutos, mali quidam Doctores à recto averterant, Legalium obſervantiam, nec non circumciſionem ad ſalutem prorſus ſervanda eſſe dictitantes. In ea Epiſtola Apoſtolus munus ſuum magnificis verbis elevat, ſimulque vividis coloribus Doctores illos malos depingit. Congeſtis Scripturæ teſtimoniis probat, Fideles à jugo Legis liberos eſſe oportere. Plura etiam ad mores, & ad vitam rectè inſtituendam admiſcet. Hanc Epiſtolam proprio charactere exaravit, cùm aliàs Amanuenſibus dictare conſuevіſſet.

Deindè Paulus S. Spiritus inſtinctu iter Jeroſolymam per Macedoniam, & Achajam diſpoſuit; Romam deinde tranſitum meditans, *Act.* 19. 21. 22. Præmiſſo igitur Timotheo, & Eraſto in Macedoniam, ipſe diutiùs adhuc in Aſia ſubſtitit. Interea domeſticis, quibus Eccleſia Corinthi agitabatur, diſſidiis, quique in illam irrepſerant, abuſibus auditis, primam ad illos Epiſtolam ſcripſit A. Ch. 57. In ea Corinthios redarguit de ſeditione, ſimulque quòd perniciosa libertate, ab idolothytis, peſſimo fratrum exemplo, non ſe abſtinerent. Acerrimè in inceſtuoſum, qui ſocrum ſuam duxerat, invehitur, nec parcit etiam illis, qui cauſas coram ſæcularibus Judicibus agitandas ſuſciperent. Iis etiam, qui recepto aliquo divinitùs dono tumebant. Carpit tandem abuſus in cœtibus gliſcentes, in quibus verba faciendi pruritus, ne fœminis quidem exceptis, omnes tenebat. Poſt hæc, monita quædam ad mores dirigendos aptiſſima ſubjungit. Hanc Epiſtolam Epheſi datam Stephanas, Fortunatus, & Achaicus detulerunt.

Antequam Paulus Epheſo diſcederet, ſeditio à Demetrio quodam argentario excitata, Eccleſiam turbavit, *Act.* 19. 23. 24. Hic, qui confingendis Dianæ Epheſiæ ædiculis in uſum advenarum, religionis cauſa illuc undique ad Templum Dianæ, inter prodigia Mundi habitum, confluentium, vitam tolerabat, cæteros argentarios adversùs Paulum concitavit; oſtendens, de arte ſua, ac de cultu Dianæ actum eſſe, ſi Pauli religio invaleſceret. Cœptam ab argentariis ſeditionem populus ſecutus, brevique urbs univerſa commota eſt. Deducti proinde in theatrum à ſeditioſis Gajus, & Ariſtarchus Macedones, qui cum Paulo comites venerant. Volebat Paulus ipſe prodire; ſed amicorum conſilio abſtinere coactus eſt. Tandem Magiſtratus urbis, ſivè Notarius, uti legitur in Textu, manu ſilentium indicens, pacato pro viribus tumultu, oſtendit, Demetrium, ſi quid contra aliquem pro cultu Dianæ aſſerendo haberet, oportere, ut Proconſulem adiret, urbe in quiete relicta. His dictis, cœtum dimiſit, & Apoſtolus poſt dictum Diſcipulis vale, in Macedoniam iter inivit an. Ch. 57. *Act.* 20. 1.

Conſcendens igitur Troade navigium, junctoque ſibi Timotheo, 2. *Cor.* 2. 12. ambo in Macedoniam venerunt, 2. *Cor.* 7. 5. 6. Venit illuc & Titus, 2. *Cor.* 7. 6.... 15. à quo certior factus eſt pacatæ Epiſtola ſua Corinthi ſeditionis, ſimulque eleemoſynas à Corinthiis collectas pro Fidelibus Palæſtinæ, præſto jam eſſe nunciavit. His intellectis, alteram ad Corinthios Epiſtolam dedit, in qua plurimùm contra malos Doctores, famæ ſuæ apud illos detrahentes invehitur. Suum proinde munus efferens, meritas etiam geſtis ſuis laudes, quamquam non ſine inſita ipſi moderatione, proſequitur, Revelationes ſuas, alienum à cupiditatibus animum, perſecutiones, & exantlatos à ſe labores commemorat. Hortatur inde Corinthios, ut debitas pœnas de ſuis ipſi criminibus expetant, ne cùm ipſe venerit, flagellum excutere cogatur. Veniam inceſtuoſo indulget, monetque Corinthios, ut ſuo Corinthum adventu eleemoſynas præſto habeant. Huic Epiſtolæ deferendæ miſſus eſt Titus, ipſique additus alter frater, ab Eccleſiis Paulo in comitem colligendis eleemoſynis datus. Fratrem illum alii Silam, alii Barnabam, alii tandem Lucam fuiſſe credunt.

Peragrata igitur Macedonia, tandem in Græciam, ſivè Achajam veniens Apoſtolus, tribus ibi menſibus ſubſtitit, *Act.* 20. 2. Corinthum veniens, eleemoſynas collegit, novumque iter in Macedoniam parans, Epiſtolam interea ad Romanos ſcripſit data Corintho A. Ch. 58. In ea gratiæ & prædicationis dogmata proſequitur, quàm, ait, neque Judæi Legalium, neque Philoſophi moralium virtutum exercitio aſſequi umquam promeriti ſunt. Non, inquam, Philoſophorum merito deputandum eſt, ut Judæis excluſis ipſi appellarentur, ſed uni Divinæ gratiæ beneficio accepto referri oportet. Nondum Apoſtolus Romam venerat, cum Romanos ea Epiſtola compellaret, quamvis venturum ſe ad illos polliceretur, pluresque ejuſdem Eccleſiæ Fideles ſalutaret. In ea ſcribenda Epiſtola, Apoſtolus amanuenſe Tertio uſus eſt, tabellario vero Phœbe Diaconiſſa Eccleſiæ Cenchræarum, quam Paulus in eadem Epiſtola etiam atque etiam Romanis commendavit.

E Græcia tandem digreſſus, Macedoniam petiit A. Ch. 58. Jeroſolymam ad Feſtum Pentecoſtes tranſiturus. Paſchalem ſolemnitatem Philippis celebravit, ubi ad eam rem aliquandiu ſubſiſtendum cenſuit *Act.* 20. 6. 7. Maritimo itinere inde Troadem venit, ubi hebdomada moratus eſt. Poſtrema ejus hebdomadæ die, Paulus manè alterius diei digreſſurus, Diſcipulis ad ſe coeuntibus verba fecit, quæ ad tertiam uſque noctis vigiliam produxit. Accidit interea, ut adoleſcentulus quidam nomine Eutychus, qui feneſtræ aſſidens loquentem Paulum audiebat, ſomno oppreſſus è tertia ſuperiori ædium parte præceps decidens, occumberet. Paulus ſtatim ad illum convolans, amplexu frigidum

cada-

(a) Vide Act. 20. 19. &c.
(b) Vide Chryſoſt. homil. 40. in 1. Cor. 16. & Theodoret. ibidem.

Digitized by Google

cadaver jacens, ad vitam revocavit. Inde ad cœtum regreſſus, cibo cum illis recreatus eſt, prorogatoque uſque ad auroram colloquio, tandem receſſit. Commiſſis autem mari ſociis, ipſe pedeſtria itinere, alio nomine Apolloniam petiit; inde Mytilenem adiens, idem cum ſociis navigium conſcendit, quo Miletum delatus eſt. Quòd verò Jeroſolymitanum iter ob Feſtum Pentecoſtes præſtolaretur, Epheſinæ Eccleſiæ Sacerdotes eo ad ſe accivit.

Cùm omnes conveniſſent, Paulus ſermonem habuit, ſignificans ſe Jeroſolymam tendere, futuri eventus incertum: ſcire tamen, plurima ſibi in ea urbe imminere, cùm per urbes diſcurrens identidem à Spiritu Sancto præmonitus fuerat. Nihil tamen ſe reformidaturum profeſſus eſt, dum commiſſo ſibi muneri totus inſiſteret. Commendatis deinde ſingulis paternè de pro ſe precibus, rurſum navigium conſcendens, rectà Coum, deinde Rhodum, ac demum Pataram petentis, *Act.* 21. & ibi navigium in Phœniciam deferens nactus, illud conſcendens, Tyrum feliciter navigatione delatus eſt. Toto hebdomada in ea urbe ſubſiſtens, tandem receſſit Ptolemaidem primùm, inde Cæſaream ad Philippum Evangeliſtam inter ſeptem Diaconos venit. Verſante ibidem Paulo, Agabus Propheta è Judæa superveniens, ejuſdem Apoſtoli cingulo manus ſuas & pedes alligavit, ſimul addens, virum, ad quem cingulus ille ſpectabat, tantumdem à Judæis Jeroſolymis paſſurum, ac tandem in Ethnicorum poteſtatem tradendum. Paulus nihil propterea territus, & carcerem, & mortem ipſam pro Chriſto ſe libentiſſimè toleraturum profeſſus eſt.

Jeroſolymam tandem perveniens, ingenti Fratrum ſtudio acceptus eſt, ſtatimque manè alterius diei ad inviſendum S. Jacobum Minorem, Epiſcopum urbis ſe contulit. Coactis verò illuc omnibus Sacerdotibus, univerſam geſtorum ſuorum narrationem proſecutus eſt. Virum autem S. Jacobus monuit, creatam in illum apud Judæos invidiam, quod Judæos inter Ethnicos, extra Palæſtinam degentes, docuiſſet, à Lege Moſaica, & à Circumciſione puerorum abſtinendum. Oportet igitur, adjecit, ut coram Judæis hic congregatis jurgantes calumnias depelleret & ut verbis facta conſentiant; quatuor viris hic adſtantibus, voto Nazaræatus obſtrictis, adjungendum te cenſeo, eorumque religioni conſtrictum, & purificationis illorum impenſis aliquid conferens; imo & te ipſum luſtrans ſacrificiis, & oblationes pro Nazaræorum purificatione offeras. Vide *Nazaræus.*

Epiſcopi monitis Paulus ſequutus, manè alterius diei ad Templum ſe conferens, Sacerdotibus denunciavit futurum, ut poſt hebdomadam quatuor illi viri vota ſua religioſe exſolvanda eſſent; ſe verò pro ſua portione impenſas collaturum. Sub ejuſdem hebdomadæ exitum accidit, ut à Judæis Aſiæ in Templo viſeretur; quo viſo, ſtatim murmur, & ſeditio excitata eſt. Inde conclamatum ab omnibus in hoſtem Legis, & Templi, qui Ethnicis in Templum inductis loci religionem violaret. Nec mora: clauſis Templi foribus, injectiſque in virum manibus, ſtatim occidiſſent, niſi Lyſias Romanæ cohortis Tribunus ad ſeditionem accurrens, illum ipſis mortis faucibus extractum, inde in arcem deduxiſſet. Paulus interim, dum gradus aſcendebat, facultatem à Tribuno petiit, populum, qui confertiſſimus conſequebatur, alloquendi; eaque obtenta, indicto manibus ſilentio, Hebraico ſermone totam converſionis ſuæ, atque miſſionis ad Ethnicos à Deo injunctæ hiſtoriam pro concione expoſuit. *Act.* 22. Vix Ethnicorum nomine audito, Judæi conclamare omnes, tollere impius, atque in ſupplicium rapere.

Juſſit ergo Tribunus, ſtatim in arcem ingredi, ingreſſumque virgarum quæſtione tentandum judicavit, ut cauſam commotæ illius ſeditionis ediſceret. Præſto jam erat ſupplicium, cùm Paulus in eam rem alligatus, quæſivit, utrùm fas eſſet civem Romanum inauditum cædi. Quo comperto, Tribunus exſolvi juſſit, & manè alterius diei coram Sacerdotum & Senatorum Judæorum cœtu illum produxit, ut ſeditionis cauſam exploraret. Paulus igitur verba palam facturus *Act.* 23. primò ſe conſcientiæ dictatis in omnibus obſequentem fuiſſe profeſſus eſt. Ad hæc verba, Ananias ſiluit: Nedebat Summus Pontifex colaphum viro infligi juſſit. Quâ injuria Paulus accepta, ad Ananiam converſus: Percutiet te Deus, ait, paries dealbate, qui Judicis iniquioris mores ſequutus, condemnas me contra Legem tuam. Cùm præſentes irreverentiam in Summum Sacerdotem objurgaſſent, ignorantiam de viri illius dignitate cauſatus eſt; ſcire enim ſe addidit illud Legis: *Principem populi tui non maledices.* Dein animadvertens præſentium alios Phariſæos, alios Sadducæos eſſe, elata voce clamavit, ſe, quòd Phariſæorum ſectam profiteretur, & cum illis alterius vitæ & reſurrectionis dogma prædicaret, in judicium deductum fuiſſe.

His auditis, cœtus in contraria ſtudia diviſus eſt, auctoque propterea tumultu, Paulum in arcem à militibus reduci Lyſias imperavit. Nocte ſubeunte, Paulus per viſum à Domino confirmatus, quod fidei Jeroſolymis dederat teſtimonium, illud etiam Romæ exhibere oportere intellexit. Intereà manè alterius diei, ultra 40. ex Judæis ſacramento ſe obſtrinxerunt, non antea cibum potumque degustaturos, quàm ut Paulum necaſſent. Re cum Sacerdotibus & optimatibus communicata, convenerunt, ut adductum illum coram Sacerdotibus, quaſi privatam querelam contra illum habentibus, facto ſubito impetu interficerent. Hujus conjurationis Paulus certior factus à ſuo ex ſorore nepote, omnia ad Tribunum referri curavit; qui ſtatim illum ad Felicem Præfectum, Cæſareæ ſedem habentem, traducendum juſſit. Felix acceptis à Tribuno literis, atque virum Cilicem eſſe intelligens, cauſam illius in accuſatorum adventum differendam cenſuit.

Igitur poſt dies quinque, Ananias Summus Sacerdos cum Senatoribus quibuſdam, & Tertullo oratore *Act.* 24. Cæſaream venientes, querelas contra Paulum inſtituentes, illum de ſeditione, atque Reipublicæ pace turbata, qui ſe Nazaræorum Principem haberi voluiſſet, ac tandem Templum prophanare tentaſſet, agente Tertullo accuſarunt. Objectas calumnias Apoſtolus facilè depulit; obtrectatores ſuos ad eas accuſationes probandas provocavit. Tandem orationem claudens, ſe in Judicium delatum prodidit, quod dogma de reſurrectione mortuorum aſſereret. Felix utraque parte audita, cauſam ad Lyſiæ adventum diſtulit. Poſt dies aliquot, Felix ejuſque uxor Druſilla religione Judæa, quæ fortè Cæſareæ tunc verſabatur, Apoſtolum coram ſe deduci de fidei rebus acturum, juſſerunt. Ille de juſtitia, charitate, atque Judicio poſtremo verba faciens, eo terrore Præſidis animum concuſſit, ut ſtatim in carcerem remitteretur, pro data temporis opportunitate revocandus. Nec ſanè infrequenter Felix deindè cum viro colloquutus, ſperans ſe in libertatis pretium pecuniam ab illo extracturum.

Biennio evoluto (a) Portius Feſtus ſucceſſor Felici datus eſt *Act.* 24. 27. A. Ch. 60. qui proinde Felix è provincia receſſurus, ut Judæorum gratiam iniret, Paulum in carcere reliquit. Poſt triduum igitur à ſuo in Provinciam adventu, Feſtus Jeroſolymam veniens, à Principibus Sacerdotum rogatus eſt, ut Paulum in urbem deduci juberet, ejus in itinere necem molientes. Præſes tamen recuſavit, juſſitque ſi quid haberent, Cæſaream venire. Vix autem eò ſe contulit, Paulus coram ſe deduceretur, præcepit. Judæi plures in illum calumnias ultrò commenti ſunt, quas Paulus adeò depulit, ut, judice Feſto, nihil in eo pœna dignum appareret. Propoſuit tamen Præſes, ut Jeroſolymam deduci vellet: ille ſtatim intercedens, ad Cæſaris Tribunal appellavit. Quo audito, dixit Feſtus: *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis.*

(a) Apoſtolus Cæſareæ detentus fuit ab A. 58. uſque ad 60. Ch.

Paulò poſt cùm Rex Agrippa, & Berenice Cæſaream ad Feſtum ſalutandum veniſſent, inito de Paulo colloquio, nihil ſibi occurrere dixit Præſes, quod ad Imperatorem ea de re ſcriberet. Optante autem Agrippa illum audire, juſſu Feſti in conſpectum deductus eſt; factaque ipſi à Feſto loquendi facultate *Act.* 25. totum converſionis ſuæ prodigium, cùm Damaſcum peteret, expoſuit: inde de Chriſto ejuſque Reſurrectione diſſeruit. Adhuc loquentem interpellans Feſtus clara voce, Inſanis, ait, Paule; multæ te literæ ad inſaniam perducunt. Cui ſtatim Paulus, nihil ſe non è media veritate, atque ſapientia, vel ipſo Rege Agrippa teſte, dixiſſe profeſſus eſt, inde ad Agrippam converſus, an Prophetis crederet, requiſivit. Quid? reſpondit Agrippa; an me Chriſtianum fieri poſtulas? Cui Paulus optare ſe dixit, ut ipſe & præſentes omnes in eodem ac ipſemet ſtatu, exceptis tamen vinculis, eſſent. Inde tres illi Principes aſſurgentes, nihil eſſe in homine criminis dixerunt; quare niſi ad Cæſarem appellaſſet, abſolvendus videretur.

Inito igitur Paulum in Italiam mittendi conſilio, navi Adrumetinæ *Act.* 26. ſive ex Adramyttena in Myſia commiſſus eſt; quæ mari Ciliciæ, & Pamphyliæ trajecto, tandem Lyſtras in Lycia appulit. Ex eo portu navem Italiam ſolventem conſcendens, ad Boni-portus in Inſula Cretæ tenuerunt; incunte enim hyeme, & averſo vento longiùs iter proſequi prohibiti ſunt. Tranſigendam ibidem hyemem Paulus cenſebat; ſed aliorum ſententia prævalente, ad Phœnicem, alterum ejuſdem Inſulæ portum tranſeundum fuit. Inter eundum, averſi venti impetus navim ad parvam Inſulam, nomine Caudam, ſive Claudam, rapuit; quare latentes ſyrtes nautæ metuentes, malum demittere, atque de vento periclitantes decreverunt. Poſt triduum ſæviente in dies procella jactum facere viſum eſt; nec tamen periculum ceſſavit, cùm ſolis per 14. diebus nec ſolis, nec ſtellarum facies jactatis appareret. Dùm in mortis faucibus verſabantur, Angelus Paulo viſus, vitam omnium cum quibus navigabat numero 276. hominum, Deo pollicente promiſit. Animis confirmandis Paulus eam viſionem palam expoſuit, addens incolumes omnes in Inſulam quamdam deferendos eſſe, ſola interim navi pereunte. Quarta decima jam nocte ſubeunte, tentantes aquam nautæ, terram in proximo eſſe ſuſpicati ſunt; quare vitæ ſpe ducti ſcapham tenere voluerunt: quod Paulus animadvertens, Centurionem monuit, ut illos prohiberet, alioquin de omnium ſalute actum eſſe ſciret. Jubente igitur Centurione, abſciſſis ſcaphæ funibus, illam ludibrio maris reliquerunt.

Sub diei ortum Paulus, cibum caperent, ſocios hortatus eſt, incolumes omnes ſervandos pollicitus; ſuoque exemplo cæteros invitans, cibum & ipſe degustavit, ac deinde frumenti jactus factus eſt. Plena jam luce ripæ cujuſdam umbrâ proſpectâ, eò navim dirigere, ſi unquam fieri poſſet, conſtituerunt. Directa igitur illuc navis, in porrectum terræ promontorium impetu lata, prora defixa, puppis verò fluctuum arbitrio jactata manſit. In eo rerum articulo, milites, ne quis captivorum mare ſe committens, natans evaderet, omnes occidere cogitabant. Illos tamen à conſilio Centurio removit, Paulum ſervari cupiens; juſſit autem eos, qui natatu præſtarent, primos navim exonerare. Cæteri tabularum beneficio à fluctibus jactati quidem, incolumes tamen litus tenuerunt. Inſula erat Melita nomine, quò appulerant, *Act.* 28. 1. cujus incolas in miſeris recipiendis humaniſſimos experti ſunt.

Rigentes igitur gelu, & aqua viros, excitato igne incolæ foverunt, qua occaſione Paulus ſarmenta igni imponens, viperæ fortè latentis, & calore ſubito excitatæ morſu in manu vulneratus eſt. Eo indicio præſentes mala de homine ſuſpicati ſunt, quem Divina ultio terra marique proſequeretur. Mox verò cùm excuſſo à Paulo in ignem angue, nihil illi mali contigiſſe animadverterent, contraria planè perſuaſione Numen eſſe quoddam exiſtimarunt. Quæ de illo fama eo plus invaluit, cùm laborantem alvi fluxu patrem Publii Inſulæ Principis ſanitati reſtituit. Tanto prodigio invitati, ægrotos omnes, nec fruſtra ſane, ad illum contulerunt. Fertur ex eo tempore nullas venenatas bellias in ea inſula uſpiam videri contigiſſe. Vide *Melita*.

Poſt tres menſes, navigatione reſumpta, Syracuſas primò, deinde Rhegium, ac tandem Puteolos venerunt. Exacta cum fidelibus ibidem tractis hebdomada, iter tandem Romam verſus inivit; cùmque ad forum Appii, ac tres Tabernas occurrentes Fratres offendiſſet, ab illis deductus, urbem ingreſſus eſt. Triduo poſt in ſtatutas domicilio ædes, cum adjuncto eiſdem vinculis ſibi alligato milite, omnibus ad ſe Judæorum Optimatibus accitis, totam captivitatis ſuæ in Templo Jeroſolymitano hiſtoriam, nec non rationes ſuæ ad Cæſarem appellationis expoſuit. Judæi nihil ſe hac de re audiviſſe unquam affirmarunt; de Chriſtianis verò, omnium illos invidiam concitaſſe ex plurium narratione ſe comperiſſe; optare proinde, ut ea de re diſſerentem ipſum audirent. Condicta igitur die, Paulus verba ad illos fecit, Jeſum Chriſtum verum eſſe Meſſiam dictis Moyſis, & Prophetarum teſtimoniis probans. Dicentis verba probantibus aliis, aliquibus verò improbantibus, variè excepta ſunt. In rerum ſtatu biennio manſit (a), convenientibus palàm ad Apoſtolum in domo ab illo conducta, quicumque regni Dei, & Religionis Chriſtianæ deſiderio tenebantur. Hucuſque de Paulo in Actis Apoſtolorum; cætera ex ipſius Epiſtolis deprompta ſunt. Cùm igitur in vinculis detineretur, Religionis tamen negotia feliciſſimè tractavit, ex ipſa Imperatoris aula plures ad fidem adduxit. *Philip.* 1. 12, 14. 18. & 4. 22. Fertur etiam literarum commercium cum Seneca habuiſſe (b); quamquam quæ circumferuntur ea de re epiſtolæ, omnium conſenſu ſuppoſititiæ ſunt, licet ab Auguſtino *Ep.* 54. & Hieronymo *de Vir. Illuſtr.* c. 12. uti quidem videtur, probatæ fuerint; cum ea uno de cauſa S. Hieronymus inter Scriptores Eccleſiaſticos Senecam recenſeat. Eccleſia ſanè nunquam haſce Pauli ad Senecam epiſtolas recepit; & quæ Senecæ nomine inſcribuntur, tanto viro indignæ ſunt. Quid? Quòd neque earum ſtylus Authores ſuos prodit, ne quid dicam de erroribus à Baronio in his animadverſis. Quin & Lipſius *Prol. in Senec.* ejuſdem utraſque impoſtoris opus eſſe cenſuit.

Audita Pauli captivitate, Fideles Philipporum in Macedonia ſtatim Epaphroditum Epiſcopum ſuum cum pecuniis miſerunt, ut univerſæ Eccleſiæ nomine illius neceſſitatibus præſto eſſet. *Philipp.* 2. 25. & 4. 18. Hic ut Romam venit, ægritudinem contraxit; in Macedoniam verò rediens, Apoſtoli ad Philippenſes epiſtolam detulit, Romæ datam circa A. Ch. 62. In ea poſt redditas de ſubſidio ad ſe miſſo debitas gratias, de fructu vinculorum ſuorum agit; hortatur inſuper, ut dignam ſibi ſuciâ vitam inter Ethnicos ducant, in perpetuo concordiæ vinculo, ſinceraque animi demiſſione. Contra malos ex Judaiſmo Doctores illos inſtruit; ac tandem cito illos reviſendi ſpem facit, quamvis enim mortem malle ſe proferet, ſcire tamen dixit, vitam ſibi à Deo fore prorogandam.

Accidit interea, ut Oneſimus Philemonis ſervus ab hero ſuo aufugiens, Coloſſis Phrygiæ Romam ad Paulum veniſſet; cui jugi obſequio adhæſit. Apoſtolus igitur poſt deductum illum ad fidem, adjectis literis ad Philemonem remiſit, Romæ datis, circa A. Ch. 62. Vide *Oneſimus*, & *Philemon*. Per eundem etiam Tabellarium altera ad Coloſſenſes Epiſtola delata. Quamquam enim eos Fideles Paulus neque inſtituiſſet, neque vidiſſet unquam; ab Epaphra tamen eorum Apoſtolo, quem ſocium in vinculis Romæ habebat, illorum

in

(a) Ab Ar. Chr. 61. uſque ad 63. Romam venit circa menſem Februarii.
(b) Vide Baron. A. 66.

in recipienda Fide ſtudium didicerat. Eodem etiam referente; compertum habebat, malos quoſdam Apoſtolos ſolio bonum ſemen corrupiſſe; dictitantes, indignum eſſe, homines ad Deum per Jeſum Chriſtum tantum illum ac talem accedere: præſtare igitur, ut Mediatoribus Angelis uterentur.

His igitur Fidelibus edocendis, S. Paulus per Epiſtolam Romæ datam & ab Oneſimo latam A. Chr. 62. de Jeſu Chriſti dignitate, atque munere mediatoris diſſeruit. Adverſus malos Doctores illos cautiores efficit, adjectis etiam pluribus ad vitam rectè inſtituendam. Rogat etiam, ut tandem Epiſtolam ad Eccleſiam Laodicenſium legendam tranſmittant; uti & illam, quam Laodicenſes ad ipſum Paulum ſcripſerant, in ſua Eccleſia palàm legant. Sunt, qui ſcriptam à Paulo ad Laodicenſes Epiſtolam autument. Vide *Laodicea*, ſivè *Laodicenſes*.

Qua ratione è carcere Paulus eductus fuerit, irrogataſque à Judæis ſibi calumnias retuderit, memoriæ proditum non eſt. Fortè tamen accuſationis ſuæ probandæ defectu Judæi cauſam apud Imperatorem urgere non auſi ſunt. Poſt biennium ſanè in libertatem aſſertum Paulum fuiſſe liquidò conſtat. Cùm Epiſtolam ad Hebræos ſcriberet, in eadem urbe, vel ſaltem in Italia adhuc verſabatur. His literis Fideles Palæſtinos fortes, ac generoſo animo perferendis Judæorum infidelium perſecutionibus comparat. Totus eſt etiam in vera juſtitia aſſerenda, quam non Legalium obſervantia, ſed Fides, & gratia Jeſu Chriſti inducunt. Probat etiam vetus Sacerdotium, Legaleſque cæremonias Sacerdotio Jeſu Chriſti, & Religione Chriſtiana ſuccedente deſiiſſe.

Ejuſdem Epiſtolæ occaſione, plura Authores ſciſcitantur. Non deſunt, qui illam S. Clementi Papæ, S. Lucæ, S. Marco, S. Barnabæ, Apollo, Paulo, alteri ab Apoſtolo, tribuerint; quamquam ſententia de Apoſtolo Gentium invaluit. Scriptam illam à Paulo Hebraico ſermone, ac Græcè deinde redditam à S. Clemente, ſivè ab alio quopiam aſſerunt plures. Plures etiam authographum ejuſdem Epiſtolæ Syriacum fuiſſe, quod adhuc extat, cenſuerunt. Scriptam ante Templi everſionem ſatis convenit inter omnes, diſſident tamen in loco & anno aſſignando. Quamvis enim fratrum Italiæ meminerit *Hebr.* 13. 24. an tamen Romæ & in vinculis, aut in eadem urbe poſt receptam libertatem; ſivè alibi in Italia ſcripta ſit, nuſpiam apparet. De illius authoritate diutius dubitatum eſt non ab Arianis tantum, qui illam ab Apoſtolo abjudicabant, neque à Marcionitis, qui corruptam ſuſtinebant; ſed à Græcis etiam, qui in numero Canonicorum librorum ſerius illam receperunt; & à Latinis, qui in ferendo de illa judicio per aliquot ſæcula hæſerunt. De his controverſiis à noſtro inſtituto alienis, conſulantur Commentatores, & noſtra Præfatio in eandem epiſtolam.

E carcere liberatus Apoſtolus, in Hiſpaniam, juxta plures Patres, contendit (a); uti & in Judæam *Hebr.* 13. 24. Epheſum, ubi Timotheum reliquit, 1. *Timoth.* 1. 3. & Cretam, cujus Eccleſiæ adminiſtrandæ curam Tito commiſit, *Tit.* 1. 5. Nec probabiliter Philippenſes præterit, priſtinæ promiſſionis memor. *Philipp.* 2. 24. & 1. 25. 26. E Macedonia enim primam ad Timotheum Epiſtolam ſcriptam in Macedonia A. Chr. 64. dediſſe creditur, in qua & communia Epiſcoporum munera, & peculiaria ipſius proſequitur; lectionem commendat, ſimulque hortatur, ut modico vini hauſtu ſtomachi vitio ſuccurrat. De Hymenæo, & Alexandro, quorum primus reſurrectionem mortuorum peractam jam dictitabat, à ſe excommunicatione inuſtis certiorem illum facit.

Poſt aliquid temporis, Epiſtolam ad Titum in Creta relictum dedit, ſcriptam, uti credimus, Nicopoli eodem anno Ch. 64. Nicopolim venire jubens, unde Epiſtolam ſcripſiſſe videtur. Munera Epiſcopi, & dotes implendo paſtorali officio requiſitas Apoſtolus proſequitur; monens, ut contumacibus, & pervicacibus in faciem reſiſtat; adjectis inſuper ad omnia hominum genera deducendis ſapientiſſimis præceptis. Altero anno in Aſiam tendens, cùm Troadem veniſſet, veſtem ſui, & nonnullos libros apud Carpum hoſpitem ſuum reliquit. 2. *Timoth.* 4. 13. A. Chr. 65. Hinc Epheſum ad Timotheum ſe contulit. 2. *Timoth.* 1. 4. ac deinde Miletum, ubi Trophimum ægrotantem reliquit. 2. *Timoth.* 4. 20. Poſt hæc omnia, Romam, facta ſibi à Deo martyrii obtinendi certiſſima ſpe, regreſſus eſt, quo pervenit an. Chr. 65.

Ex recepta traditione narrat S. Chryſoſtomus (b), Apoſtolum ſalutatum iviſſe Pincernam, & Concubinam Neronis, eo ſcilicet conſilio, ut Chriſti fidem utrique perſuaderet. Neque ſpe fruſtratus, concubinam fide initiavit: qua re Imperator, fœminam illam perditiſſimè deperiens, offenſus, in carcerem illum conjici juſſit. Apoſtolus ſanè de ſe teſtatur, in prima ſua defenſione amicorum omnium præſidio deſtitutum fuiſſe. 2. *Timoth.* 4. 16. Adfuit tamen carceri detento Oneſiphorus, qui poſt requiſitum diutiùs Apoſtolum, ibi tandem invenit. 2. *Timoth.* 1. 16. Data ibidem altera ad Timotheum Epiſtola an. Ch. 65. quam S. Chryſoſtomus velut ultimas Apoſtoli tabulas reſpicit in 2. Tim. hom. 9. Timotheum rogat Apoſtolus, ut ante hyemem ad ſe veniat. Hortatur interim, ut Epiſcopi munera omnia implens, inſtitutiones à ſe receptas nunquam obliviſcatur.

Meminit etiam miſiſſe ſe ad Epheſios Tychicum 2. *Timoth.* 4. 12. ex quo miſſam per illum ad Epheſinam, aliaſque per Aſiam Eccleſias Epiſtolam An. Ch. 65. ſuſpicamur. Epiſtolæ argumentum ſunt potiſſima fidei myſteria, Redemptionis nempè, juſtificationis per mortem Chriſti, gratuitæ prædeſtinationis, vocationis Gentium, duorum populorum in unum corpus ſub Jeſu Chriſto capite fœdus; ac tandem ejuſdem Divini capitis ſuper omnes creaturas, & ſpirituales, & corporales eminentia. Hinc Epiſtola iſta omnium S. Pauli abſtruſiſſima, & magnificentiſſima videtur.

Die tandem 29. Junii A. Ch. 66. Apoſtolus martyrium glorioſiſſimè conſummavit, capite ad Aquas Salvias abſciſſo. Scribunt nonnulli, truncum ipſius caput lacte pro ſanguine manaſſe; cujus prodigii ſpectaculo carnifex, & duo præſentes, Fideles primùm, deindè paulò poſt martyres, die nempe 2. Julii, effecti ſunt (c). Sed hæc nullo antiquo Authore probantur. Sepulturæ mandatus eſt in via Oſtienſi, quem deinde locum magnificentiſſima Eccleſia, adhuc ſtante, decorarunt. Ejus vincula Romæ ſervabantur, non ſine ingentium prodigiorum fama (d).

Præter eas Epiſtolas, numero 14. de quibus egimus, orationes quaſdam, quæ noſtra ætate interciderunt, S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 6. laudavit; Epiſtolæ etiam ad Senecam, & ad Laodicenſes nomine Pauli in MSS. inſcripta circumferuntur. Tertiam ad Theſſalonicenſes, & ad Corinthios, uti & ſecundam ad Epheſios ſcripſiſſe nonnulli aſſeruerunt. Ejus nomen præferebat Apocalypſis, & Evangelium à Gelaſio Papa in Synodo Romana damnata. Eodem authore inſcriptus erat Liber à Simonianis confictus, ſub titulo: *Prædicatio S. Pauli.* Itinera Pauli, & Theclæ opus erant cujuſdam impoſtoris, qui de eo crimine convictus, Sacer-

dotio

(a) Athan. ad Dracont. Cyril. Jeroſol. Cathec. 17. Epiph. hæreſ. 27. Chryſoſt. Præf. in Ep. ad Hebreos, Hieron. in Iſa. 11. 14. & alii plures.
(b) In Acta Hom. 46. & contra Vitup. Vitæ Mon. l. 1. c. 4.
(c) Auth. ſerm. 11. in edit. Pariſ. Oper. S. Ambroſ. p. 245. & Auth. ſerm. 30. t. 6. Oper. S. Chryſoſt. pag. 267.
(d) Chryſoſt. hom. 8. in Epiſt. ad Epheſ. Greg. Mag. l. 3. Epiſt. 30.

dotio à S. Joanne Apoſtolo exauthoratus eſt (a).

(Certamen S. Pauli cum beſtiis Epheſi.

Sunt qui credant (b), luctam illam, de qua Apoſtolus 1. Cor. 15. 32. nihil aliud innuere, quàm quod ſuſtinuit certamen à Demetrio Argentario ſociiſque, quorum perſecutione parum abfuit, quin Apoſtolus perimeretur. Verùm ſententia hæc nemini approbaretur; Epiſtola enim prima ad Corinthios, in qua de certamine illo, ſcripta fuit ante motam à Demetrio ſeditionem. S. Hieronymus Præfat. in lib. 3. Comment. ad Epheſ. beſtiarum nomine deſignari autumat Dæmones, quibus inſtigantibus plures in S. Paulum adverſarii animati fuerunt.

Sed pronior Textus ſenſus præfert expoſitum virum ſanctum ad bellua Epheſinas, divino prodigio è diſcrimine illæſum evaſiſſe. Hanc tuentur ſententiam S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſiaſter, Cyprianus epiſt. 6. S. Hilarius in Auxent. & recentiorum Scriptorum plures. Recitat Nicephorus l. 2. cap. 25. hanc hiſtoriam è Libro apocrypho *Itinerum S. Pauli*. Hieronymus Præfectus Epheſinus Apoſtolum damnavit ad beſtias. Retentum illum in carcere convenerunt in noctis ſilentio duæ fœminæ Eubula & Artemilla, ablui ſe Baptiſmo poſtulantes. Ille ſtatim vincula reſolvens ſua è carcere digreditur & ad maris littus ſe confert, ubi tingit utramque; tum carceri ſe ac vinculis priſtinis reſtituit clam omnes. Expoſito in Theatro deductus eſt Leo, qui ad pedes S. Viri accidit, pariliſque obſequio cæteræ etiam belluæ ſanctitatem veneratæ ſunt. Simul autem ferens grando in adſtantes excuſſa eſt tanto impetu, ut plures necarentur. Reſipuit ad talem Hieronymus, & Baptiſma poſtulavit. Plura apud Priſcos dicta ſunt de Libro illo apocrypho Itinerum S. Pauli, cui tamen fidem nullam addicimus.)

PAULUS SERGIUS, Vide *Sergius Paulus*.

PAULINUS, Romanorum Præfectus Alexandriæ & Ægypti poſt Lupum, qui omnia Templi Helioſpolitani ab Onia exſtructi (c) vaſa pretioſa à Sacerdotibus illius exegit; ejuſque deinde foribus obſignatis, ab omni Religionis exercitio Hebræos interdixit. Joſeph. de Bello l. 7. c. 37.

PAVO, Hebraicè *Thucbiim* 3. *Reg.* 10. 22. in cujus nominis ſignificatione Interpretes conveniunt. Verſio tamen Septuaginta eam vocem non expreſſit. Abiſſinii genus quoddam vertunt. Claſſis Salomonis, in Ophir navigans, ingentem pavonum in eadem regione, ſive alibi in itinere inventorum copiam ad Salomonem detulit.

(Pavo avis eſt domeſtica, commendata maximè ex elegantia plumarum. Caudam explicat ampliſſimam, variatam ac per intervalla diſſeminatam pluribus circulis ad oculi figuram. Emicat in capite pennata quædam criſta comatæ arbori perſimilis. In alis ſplendet cæruleus aureuſque color; ingratè & acutè ſtridet, ut de illa parœmiæ loco feratur: Caput præfert anguis, caudam Angeli, vocem Diaboli. Pedes habet fœdos, elegantiæ plumarum planè non reſpondentes; verno maximè tempore caudam explicat in rotam, demiratura gloriam ſuam, quam nitor emicantis lucis non commendat tantum vividiores accedens colores, ſed & auget, colores illos multiplicans.

Ejus carnes à corruptione immunes eſſe feruntur. Narrat S. Auguſtinus de Civit. l. 21. cap. 4. & 7. in menſa quadam, cui inter cæteros ipſe aſſidebat conviva dum Carthagine eſſet, appoſitum fuiſſe coctum Pavonem; volentes autem convivas illos experimento diſcere, num re ipſa de incorruptione animalis illius vera fama loqueretur, portionem quandam ſtomachi ſepoſuiſſe quam poſt aliquot dies intactam fuiſſe nactos, tanquam recentem. Quare & ultra menſem conſueverint reſervandam, nullamque poſt hæc contraxit ſaniem; tandem poſt annum, iterum ſpectata, iterum ſe exhibuit incorruptam, ſed aridiorem aliquantò & contractiorem. Paria ſe experimento comperiſſe affirmat Scaliger.)

PAUPER. Paupertas ſpontanea, in Evangelio pluribus commendata, inter octo beatitudines primas tenet. *Matth.* 5. 3. Hanc Jeſus Chriſtus, hanc Apoſtoli & perfectiſſimi quique Diſcipulorum uſu probarunt. Paupertatis verò, potiſſimùm extremæ, flagellum, invitis inflictum, Dei in crimina vindicis nutu habenda eſt. Duo hæc Salomon à ſe æquè averti, tanquam duas vitentes ſyrtes, rogabat. *Prov.* 30. 8. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi; ſed tantùm victui tuo tribue neceſſaria.* Nihil autem in utroque Fœdere magis quàm eleemoſyna, & in miſeros largitas commendatur.

Ad religioſa convivia in Templo inſtituta pauperes acciri Moyſes jubet. *Deut.* 16. 11. 14. ultrò etiam inter metendum atque in colligendis uvis, & pomis aliquid negligendum in uſum illorum. *Levit.* 19. 10. & 23. 22. quin & anno Sabbathico, & Jubilæi, omnia pauperibus, viduis, & orphanis reſervari. *Exod.* 23. 11. Monet inſuper, pauperibus, ſi quid poſcant, commodetur, accepto ab illis pignore, non quod creditores domum ingreſſi extorqueant, ſed quod ipſi creditoribus ultro protulerint. *Deut.* 24. 10. quin & ſtrata ſive culcitræ in pignus acceptæ, ſaltem veſperis reſtituantur, ne illæ cubanti deſint. Elargiendi autem opem pauperibus, nunquam deſcituris in Terra quidem Promiſſionis occaſionem deluturam prædicit. *Deut.* 15. 8. 9. Quo autem paſſu Jeſus Chriſtus Moſaicæ Legis præcepta ad perfectionem ducebat, eo & eleemoſynæ uſum extulit; hanc enim non verbis tantùm Diſcipulis, neque etiam quodam ſuo inſtituto viris religioſiſſimis, ſed exemplo ipſemet ſuo commendavit. Quare eos, quos ad ſuam ſequelam invitat, ut omnia in pauperes erogent, hortatur. *Matth.* 19. 21. *Lucæ* 18. 22. &c. Ne quid autem tandem tam ſanctam virtutem ambitionis vitium corrumpat, ſanctiſſimis monitis cavet. Vide Matth. 6. 1. &c.

Judæi pauperes gentis ſuæ ſolicitè curant (d); quibus detinendis in majoribus urbibus plures ad id inſtitutæ Societates occupantur. Illæ nimirùm eleemoſynas pro occultis virorum honeſtiſſimorum neceſſitatibus; illæ pro captivis redimendis; hæc pro locandis puellis pauperculis colligunt. Duo prætereà viri deſtinati ſunt pro collectis ſingulis Sabbathis inſtituendis. Porrò viri illi ſingulas domos diſcurrentes, nunquam alter ab altero, ne fidei ſuæ ſuſpicionem creent, divelluntur; collecta verò, tertio altero pro additio, diſtribuunt. Singulis autem Sabbathis, Parnaſſim, ſive Judices Synagogæ, tantundem ſingulis pauperibus tribuunt, quantum ipſis & familiæ tota hebdomada alendis ſufficit.

Si forte caſu quodam contigerit, ut neceſſitate aliqua majori, quam conſuetæ opis ſolatium levet, quiſpiam prematur, Cantor per mediam Synagogam diſcurrens ſupplex: *Benedictus ſit qui huic vel illi neceſſitati ſuccurrerit*: ſingulis pro ſua religione pollicentibus (nefas ſit enim Judæis pecuniam die Sabbathi contingere) quæ poſtea domos reducet, fideliſſimè exequuntur. Si Synagoga loci indigentiæ illi ſuccurrendo impar fuerit, ad alias Synagogas chirographo munitus vir ille remittitur, à quibus, domi exceptus, publicis privatiſque eleemoſynis levatur.

Receptum eſt apud Talmudiſtas (e) neminem ex pauperibus vacuum remitti oportere, ſed tamen ſaltem vel frumento collato ſublevandum. Vel decimam bonorum partem in pauperes erogandam injungunt; religioſiſſimos verò etiam ad quintam adi-

(a) Tertull. de Bapt. c. 7. Hieron. de Vir. Illuſtr. in Paulo.
(b) Theophylact. Primas. Hervæ. Baron. Grot. Hammond. Eſt.
(c) Vide v. *Onias*. (d) Leo Mudena *de' riti Ebraici*. p. 1. c. 14.
(e) Vide apud Seld. de jure nat. & gent. l. 6. c. 6.

adigunt. Neque ſatis eſt, præſenti tantum pauperis neceſſitati ſuccurratur, quin & veſtes, equus, & mancipium præſtandum, ſi ante præſentes anguſtias iis commodis fruebatur. Si quis præſcriptas pecunias ſolvere detrectaſſet, Judicis ſententia, uti olim Synedrii, tandiù cædebatur, quandiù ſolutionem diſtuliſſet. Quin & pignus ex ædibus abripi conſueviſſe, quo ſolutio certior eſſet, Maimonides teſtatur.

(Pauper uſurpatur ſæpè pro humili, afflicto, qui oculis ſuis & Dei pariter minimus: *Humilem & pauperem juſtificate, & factus eſt Dominus refugium pauperi: & oculi ejus in pauperem reſpiciunt &c.* In his textibus aliiſque non diſſimilibus pauper eſt non bonorum fortunæ indigus homo; ſed & ſentiens quiſpiam indigentiam & tenuitatem ſuam, miſerentis Numinis opem poſtulat; quo ſenſu locupletiores etiam & Principes in hoc ſæculo viri indigentiores ſunt oculis Dei.

Vetat Moyſes Judicibus, Exod. 23. 3. *Pauperis non miſereberis in judicio*; vel ut habet Levit. 19. 15. *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis: Juſte judica proximo tuo.* Uno verbo in judiciis ferendis ne perſonas obſervetis, ſed oculo ſitis intento in veritatem & æquitatem, ac vicibus fungi vos Dei in terris intelligite.

Inter Meſſiæ characteres ille eſt, judicare pauperes *Pſal.* 71. 2. 4. *Iſai.* 61. 4. annunciare illis Evangelium. *Matth.* 11. 5. Jeſus Chriſtus pauperes Diſcipulos ſelegit, ſicut & plerique è primis Fidelibus tenues erant cenſu, ut ex Apoſtolo & Eccleſiaſtica hiſtoria intelligimus.

Salomon, Proverb. 22. 2. docet: *Dives & pauper obviaverunt ſibi*; una in re conveniunt, utroſque enim creavit Deus, & paupertas perinde ac divitiæ ſunt in manu Dei. Idem etiam Proverb. 29. 13. habet: *Pauper* (vel obæratus) *& creditor obviaverunt ſibi*; Dei ſunt ambo, & Numinis providentia regitur uterque. Ne infletur locuples, neque deſpondeat animis pauper, æquales ſunt enim oculis Dei.

Scribit de Jeruſalem Jeremias 2. 34. *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentium.* Hic *ala* ponitur loco veſtis vel fimbriæ; *ſanguis animarum*, eſt interfecti hominis cruor.

Exprobrat Amos 3. 6. & 8. 6. Iſraelitis vendidiſſe illos pauperes vili pretio & pro ſoleis vel ſandaliis. Quæ ejus verba lata credimus in locupletes vendentes obæratos vili pretio.

Eo deduxiſſe videtur S. Jacobus 2. 2. præceptum latum de non acceptandis perſonis, ut vetet omnem diſcriminis ſignificationem in viros potentes atque optimates, cum in publicis Religionis cœtibus convenerint. En ejus verba:

Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ; etenim ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hìc benè; pauperi autem dicatis: Tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nonne judicatis apud vos metipſos?

Sed dicta hæc potiùs accipienda ſunt de diſcrimine quodam honoris intimo animi ſenſu retento, quam de externa obſequii ſignificatione. Nunquam datum eſt Chriſtiano, ut locupletem eo nomine pauperi præferat ideo quòd locupletior ſit; nunquam datum, ut optimum hunc atque obſequio dignum credat ſupra alterum, qui in bonis fortunæ plurimum illi concedit.

Pauperes generatim in Scriptura deſignant ſæpè è vulgo homines, atque infimæ conditionis incolas regionis, nullo facto inter illos diſcrimine, num divitiis valeant, num tenui ſit cenſu.

Paupertatem in V. T. non alio oculo Judæi carnales intuebantur, niſi tanquam ingens quoddam malum, ac inflictam à Deo vindice pœnam. Servitus eſt & carcer quidam apud Jobum 36. 8. *Si fuerint in catenis & in vinculis paupertatis.* Fornax & fuſorium vas apud Iſaiam 48. 10. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis.* Exercuit Deus Jobum & Tobiam paupertate; pertinebant ambo ad novum fœdus, norant quanti ſit meriti dura tolerare, dejici atque omnibus indigere; uſum paupertatis intelligebant. *Pauperes erant ſpiritu*, in cordis habitudine, antequam à Deo experimento realis paupertatis ſubigerentur.)

PAX. Plures obtinet in Scriptura ſignificationes. Frequentiùs publicam privatamque tranquillitatem; ſæpè etiam vitæ præſentis felicitatem deſignat: Ire in pace, obire in pace: pax vobis à Domino: pax huic domui. Rogare quæ ad pacem ſunt alicujus urbis. *Pſal.* 121. 6. eſt bona omnia illi optare. Pacifica ne ſunt omnia? ſcilicet, omnia ne ſunt proſpera? Juſti in altera vita ſunt in pace. *Sap.* 3. 3. plena ſcilicet tranquillitate fruuntur, felicemque ſui mutationem in pace præſtolantur. S. Paulus frequenter iis, ad quos ſcribit, pacem, & gratiam nunciat: *Gratia vobis & pax.* Chriſtus Diſcipulis commendat, ut inter ſe & cum reliquis hominibus pacem habeant. Deus populo ſuo inundationem fluvii pacis, *Iſa.* 66. 12. ſeque cum eo fœdus pacis initurum pollicetur. *Ezech.* 34. 25. Quæ dicta facilè intelliguntur.

PECCATUM, cogitatio, verbum, factum, omiſſio, ſivè deſiderium in Legem Domini. Peccatum non uno nomine apud Hebræos deſignatur: ut *chataat*, quod de tranſgreſſione præceptorum affirmantium uſurpatur: *aſchamath* delictum contra præcepta negantia; *ſchegaga*, nempè crimen ex ignorantia, omiſſione, & involuntarie; quæ tamen diverſa nomina rarò in Scriptura diſtinguuntur, quin & ſæpiùs indiſcriminatim uſurpari conſueverunt. Sæpè *ignorantia*, ſivè *ſtultitia* graviſſimum crimen appellata eſt, erroreſque imprudenti excidentes, peccati nomine deſignantur. Interdum etiam *peccatum eſt victima expiationis*, ſivè ſacrificium pro peccato (a); hinc Paulus de Chriſto: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (victimam nempè expiationis) *fecit* Deus.

Peccatum æquè ac mors, non Dei opera *Sap.* 1. 13. 14. ſed Dæmonis verſutia in Mundum invecta ſunt, *Sap.* 2. 24. atque uno Adami crimine rei omnes coram Deo tenemur. 1. *Cor.* 15. 20. 21. *Rom.* 5. 12. & 6. 23. omnes morti obnoxii facti ſumus, omnes ex utero crimen, & pronum in malum ingenium ferimus. *Gen.* 8. 21. Hiſce omnibus incommodis Jeſus Chriſtus morte ſua occurrens, & vitam, & ſua erga Patrem obſervantia veniam nobis apud illum promeruit: qui & ex filiis iræ in filios Dei nos tranſtulit; bonis hiſce omnibus ſivè per baptiſmi ſacramentum, ſivè lapſis in crimina poſt baptiſmum, & pœnitentiam liberaliſſimè comparatis.

Peccatum in Spiritum Sanctum, variè à variis Patribus & Interpretibus explicatur. S. Athanaſius de hoc argumento ſcribens *Epiſt.* 4. *ad Serap. n.* 8. 9. 10. Origenis & Theognoſti ſententiam recitat, quibus omnia poſt baptiſmum crimina, in Spiritum Sanctum peccata ſunt. Verùm uti idem S. Athanaſius obſervat, Chriſtus peccata in Spiritum Sanctum Phariſæis exprobrabat, quos ſanè à baptiſmo alienos fuiſſe conſtat. Ex illius igitur Patris ſententia, Phariſæi Jeſu Chriſti opera, nullo probabili argumento ducti, Dæmoni tribuentes, rei ejuſdem criminis habebantur; quòd ſcilicet Divinitati Filii Dei clariſſimis argumentis demonſtratæ, prudentes ſcienteſque reſiſterent. Eadem S. Hilario *in Matth.* 12. & 31. 5. & Theophilo Antiocheno *Comment. in Evang. l.* 1. probantur, quibus S. Spiritus nomine Filius Dei deſignatus videtur.

S. Auguſtinus *l.* 1. *ſerm. Dom. in mon. c.* 22. ejus crimi-

(a) Levit. 4. 3. 25. 29. & 5. 6. & 7. 2. Pſal. 39. 7. Rom. 8. 3.

criminis reos damnat, qui mero instigante livore fraternæ charitati noxam inferunt; quod verè inexpiabile crimen cenſendum eſt, cùm ad mortem uſque perſeverat, uti ipſe in Retractationibus *l.* 1. *c.* 19. obſervat. Alibi etiam ait, plura contra Spiritum Sanctum crimina enumerari, nullum tamen verè irremiſſibile, niſi obfirmatus in peccato ad mortem uſque animus, atque veniæ impetrandæ uſque ad obitum perſeverans deſperatio (a). S. Chryſoſtomus, Author Imperfecti, S. Iſidorus Peluſiota (b) putant, crimen illud in eo ſitum eſſe, ut Jeſu Chriſti prodigia Dæmonis operationi deputentur: illud autem quod ægrè veniam obtineat, ideò genere quodam loquendi irremiſſibile appellari.

S. Ambroſius in ea re ſibi ipſi non conſtat; modò enim Divinitatem Filii Dei denegare tantumdem eſſe, ac peccare in Spiritum Sanctum cenſet (c), uti Origeni, & S. Hilario viſum eſt; modò Divinitatem Sancti Spiritus diffiteri, ejuſque opera Dæmoni tribuere, peccatum in Spiritum Sanctum appellat (d); tandem peccatum hæreſis, & ſchiſmatis eodem titulo denotat (e). Author Conſtitutionum Apoſtolicarum *l.* 6. *c.* 18. & Philaſtrius *hær. Rhetorii*, ejuſdem peccati reos hæreticos damnant. Sed numquid ne Phariſæi, quos criminis illius Chriſtus accuſat, hæreſis rei haberi poterant? De blaſphemia in Deum dictum illud Hermas intelligit (f); de abrenunciatione Dei Author Quæſtionum in N. & V. T. *q.* 102. de operibus Sancti Spiritus Dæmoni imputatis, cujus criminis illud peculiare eſſe cenſet, ut nunquam expiari contingat, S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus *Ep.* 3. *ad Sympronianum.* Crimen hominis in ſua impietate obfirmati, & audacis crimen eſſe in Spiritum Sanctum irremiſſibile, Pſeudo-Clementi *Recognit. l.* 2. *c.* 13. viſum eſt; quod etiam Grotio *in Matth.* 12. 31. non diſplicuit, in exemplum ejus rei Core, Pharaonem, Simonem Magum, Ananiam, & Saphiram adducente.

Inter Commentatores Catholicos hac in re non ſatis convenit: alii etenim, Auguſtinum ſequuti, inexpiabile crimen in Spiritum Sanctum cenſent, obfirmatum in malo uſque ad mortem animum. Aliis verò peccare in Spiritum Sanctum eſt, apertæ veritati repugnare, Jeſu Chriſti prodigiis ſtudioſè tenebras offundere, atque malignis obtrectationibus Dæmoni imputare; quod in Phariſæis Chriſtum redarguiſſe SS. Hieronymus, & Chryſoſtomus credunt, & nos non dubitamus. Ejuſdem eſt criminis veritatis palam exhibitæ impugnatio, & illorum audacia, qui religioſiſſimorum virorum rectè & ſanctiſſimè facta de hypocriſi & jactantia traducere: imò, quòd impietatis ſummum eſt, ſuſpicionem de iniqua cum Dæmone conſuetudine in illos creare moliuntur. Vide Noſt. Diſſert. ante Comment. in Marcum.

(PECCATUM ORIGINALE. Dogma eſt Eccleſiæ Chriſtianæ & Catholicæ ſanctum, commiſſum ab Adamo crimen ad omnes poſteros virus & corruptionem tranſmiſiſſe; naſci omnes homines *naturæ filios iræ Epheſ.* 2. 3. atque *per unum hominem peccatum in hunc mundum intraſſe & per peccatum mortem; & ita in omnes homines mortem pertranſiſſe Rom.* 5. 12. Hoc eſt autem quod appellamus peccatum originale, luculentiſſimè expreſſum verbis illis Jobi 14. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Et David. Pſ. 50. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Tanta utriuſque hujus Textus, ſicut & aliorum complurium utriuſque Teſtamenti lux, nequicquam tamen valuit, ut a viris quibuſdam doctis tenebras ſuſpicionis depelleret; ambigunt enim, num Hebræi veteres recentioreſque ſatis diſtinctam habuerint ideam peccati originalis, & remedii, quod morbo illi removendo Deus populo ſuo contulerat.

Joſephus & Philo atque inter veteres Chriſtianos illi, qui perſuadebantur de præexiſtentia animarum, cenſebantque animas bonas naſci vel impias pro habitudine, quam in altera vita induerant, illi profecto de peccato originali eadem non tenebant, quæ nos hodie; adeoque aliter planè ac nos de illo loquebantur, neque ſatis affinia noſtris dogmatibus tradebant. Minus etiam id perſuadebatur Judæis propugnantibus metempſychoſim, quorum eſt dogma per diametrum noſtro huic oppoſitum. Porrò ſi id habuerunt illi perſuaſum, hominem oculis Dei ſontem non naſci, neque id ſibi curæ ſumpſiſſe credendi ſunt, ut crimini huic originali remedium quærerent. Ne verbo quidem id inſinuant; neque in circumciſionis inſtitutione cauſam aliquam recognoſcunt, præter corporis purgamentum quoddam, vel diſcrimen Judæos à cæteris ſecernens.

Recentioribus Judæis pleriſque (g), ut Veteribus olim, ſedet opinio de præexiſtentia animarum & de genere quodam metempſychoſis, ut proinde minus diſpoſiti videantur ad dogma de peccato Originali. Infantes, antea extinctos quàm ut initientur circumciſione, collocant in loco deliciarum; non ergo in eam deſcenderunt perſuaſionem quaſi ſacramento illo crimen, in quo innaſcimur, remittatur. Inſitam à natura homini in malum propenſionem, quam appellant *Jetzerrah*, *raah* agnoſcunt; ſed vix ſuſtinent docentes nos dogma de maſſa corrupta deſtinata æterno infortunio in pœnam criminis ab Adamo & Eva commiſſi. Maimonides (h), inclytus Rabbinus, defendit non minori negocio concipi hominem naſci crimini obnoxium, quam naſci in arte quadam peritum: peccatum originale tanquam impoſſibile aliquid agnoſcit. Cæteri Rabbini negant ipſi pariter peccatum illud, neque Adami crimine aliud inductum in Mundum credunt, quàm per omnes homines vagantem mortem; quin & perſuadentur futurum, ut ſi Adam pertingere valuiſſet ad arborem vitæ & de fructu illius deguſtare, mortem vel etiam poſt crimen evaſiſſet.

Fatendum eſt tandem Rabbinis nonnullis æquiora de peccato originali, quantum capimus, ſediſſe. Tradunt nonnulli Dæmonem illum, qui Evam ſeduxit, tetro quodam odore totam inſperſiſſe fœminam, quem ab illa in poſteros tranſmiſſum fuiſſe, ſolis ab ea infectione immunibus Iſraelitis. Conveniunt alii (i), pravam illam, quam in nobis ſentimus, in deterius habitudinem *malum* eſſe quoddam; docentque cum Moyſe *præputium* eſſe *carnis*, quod abſcindendum eſt; appellant id cum Davide *ſordem*; cum Salomone *adverſarium*; cum Iſaia *offenſam*; cum Ezechiele *lapidem* à Deo removendum, ut ejus loco ſubſtituat *cor carneum*; cùm Joele *rem abſconditam*. Addunt, quemadmodum fructus amarus eſt guſtui, cum ex amaro ſemine provenerit; ita pariter & filios è corrupto genitore prognatos referre corruptionem neceſſe eſſe. Quæritur in Gemara tit. Sanhedr. c. 2. §. 7. an concupiſcentia ſentiatur in ipſo conceptionis, vel potiùs naſcendi articulo. In ortu ſentiri reponitur; habere enim Scripturam: *In foribus peccatum adeſt*. Sed numerus Rabbinorum de peccato Originali hæc profitentium minimus eſt, præ aliis dogma illud ſeu negantibus, ſeu ne noſcentibus quidem.

Peccatum originale velut appendicem quamdam criminis Adamici ultrò admittunt Mahometani (k).

Appel-

(a) Idem expoſit. inchoata in Ep. ad Rom. n. 14. 22. ſer. 71. nuv. edit. n. 8 &c. & Ep. 85. nuvæ edit. n. 5.
(b) Chriſoſt. hom. 42. in Matth. Auth. Oper. imp. in Matth. hom. 31. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 59.
(c) In Luc. l. 10. n. 94. (d) De Spir. S. l. 1. c. 3.
(e) De pœnit. l. 2. c. 4. (f) Paſt. l. 3. ſimil. 6. 8. 9.
(g) Menaſſe Ben. Iſrael Conciliat. in Geneſ. qu. 6. pag. 12. & de Creat. problem. 17. pag. 61.
(h) More Neboch. part. 1. c. 39.
(i) Baſnag. hiſt. Jud. l. 4. l. 6. c. 13. (k) Bibl. Orient. pag. 440. & 583.

Appellant autem ſeu peccatum illud, ſeu ex eo germine ſurculum concupiſcentiam, *ſemen cordis* vel *ſemen nigrum cordis*, quo repurgatum ſe ab Archangelo Gabriele avellente ſemen illud de corde, jactitat Mahometus. Solos inter omnes privilegio ſervatos à noxia illa peſte Jeſum Chriſtum, ejuſque Parentem tenent.

PEDAGOGUS, vox referens vernaculo ſermone ideam quandam ludibrii & contemptus. Cùm enim Pedagogus ſine addito dicitur, perinde valet ac homo qui vanam atque imparem merito ſuo authoritatem ſuper alios affectat. Non ita olim apud Veteres. Referebat tunc Pedagogus virum, qui filios curabat, deducebat, ac primis formabat præceptis. Reſpondet id fermè muneri Gubernatorum noſtratum, qui ſemper lateri puerorum adſiſtunt, mores formantes docenteſque vitæ officia, S. Paulus 1. Cor. 4. 15. *Si decem millia Pedagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres.* Profitetur autem ſe Patrem illorum eſſe in fide, quippe quos in Evangelio genuerit. Eſto, Pedagogus authoritatis aliquid obtineat in illum quem curat, nunquam tamen & naturæ propenſione, & amore Patris alumnum hunc ſuum proſequetur.

In Epiſtola ad Galatas 3. 24. 25. docet idem Apoſtolus: *Lex Pedagogus eſt Chriſtianorum*; quippe quæ ad Jeſum Chriſtum illos deduxit, veritatem ejus demonſtrans in Scripturis, in typis, in Oraculis veteris Teſtamenti. Fidem tandem aſſecuti nulla Pedagogi neceſſitate tenentur; nullus enim aſſignatur juvenibus, ex quo virilem ætatem attigerint; *At ubi venit fides jam non ſumus ſub Pedagogo.*)

PEDICULI, Hebraicè *Kinnim.* *Exod.* 8. 16. licèt hanc vocem Vulgata & Septuaginta reddiderint *ſciniphes*. Vide *Sciniphes*.

PELLA, urbs transjordanica, quam Plinius *l.* 5. *c.* 18. in Decapoli conſtituit, atque ea jucundis aquarum fluentis celebrat. Stephanus Cœle-Syriæ tribuit. Quæ ſane duorum Scriptorum teſtimonia, uti & eorum, qui in Peræa, Batanæa, & Batanitide (a) eamdem urbem collocant, inter ſeſe facilè conſtant. Nec Joſephus *Antiq. l.* 13. *c.* 23. aliam à noſtra Pellam in Moabitide deſignaſſe videtur; noſtra enim in Peræa, in Batanæa, in Batanitide ſita erat, quam Scriptores prophani interdum Cœle-Syriam appellant; & in regione Ammonitarum, fratrum & ſociorum Moabitarum; niſi malimus Joſephum *Pellam* confudiſſe cum *Abila* urbe Moabitidis, quam Moyſes *Abel-Sathim Num.* 33. 49. & idem Joſephus *Abilam* (b) appellat. Pella igitur inter decem urbes *Decapoleos* (quod nomen apud Geographos & in Evangelio *Matth.* 4. 25. *Marc.* 5 20. legitur) ſex milliaribus a Jabes inter hanc, & Geraſam ſita erat (c).

Alexandro Jannæo regnante, Judæi, quibus ea urbs parebat, illam Legis & cæremoniarum Judaicarum jugum detrectantem ſubverterunt (d). Fideles de imminentis urbis & Templi excidio Jeſu Chriſti oraculo præmoniti (e), ineunte cum Romanis bello eo ſe receperunt; nec ſinè Angeli indicio, uti S. Epiphanius teſtatur *de ponder. & menſ.* Porrò tunc temporis urbs Agrippæ parebat; cujus nulla in eo bello pars, præter quàm quòd ipſe obſidentibus Jeroſolymam Romanis favit.

Nomen *Pella* ex *Abila* ſivè *Abela* derivatum; nec ex alia, quam ex *Abila Batanea* (f), (plures enim ſunt cognomine urbes) in S. Scriptura *Abel Vinearum* ſuſpicor. Utramque urbem *Abilam*, & *Pellam* Polybius *hiſt. l.* 5. diſtinguit, narrans captas ab Antiocho Magno *Pellam*, *Kamon*, *Gephron*, *Abilam*, *Gadarum*, &c. Stephanus Geographus Pellam ab Alexandro Magno conditam tradidit, in memoriam fortaſsè Pellæ patriæ ſuæ in Theſſalia. Succedente tempore duæ Epiſcopales urbes in ſecunda Palæſtina Abila & Pella conſtitutæ ſunt. Pellam inter ſeptem Judææ Toparchias Joſephus *de Bello l.* 2. *c.* 3. enumerat; ſed ipſe ibidem *l.* 3. *c.* 4. ſicuti & Plinius *l.* 5. *c.* 14. illam Toparchiam *Betlephtepham* nuncupat. Porrò *Betlephtepha* ſitus prorsùs latet. Nulla quidem in S. Scriptura *Pellæ* mentio; ſed urbem celeberrimam præterire piaculo fuit.

(PELLES. Primi mortalium parentes poſt admiſſum crimen, cùm nuditatem ſentirent ſuam, zonas ſibi pararunt ex conſutis foliis ficulneis *Geneſ.* 3. 7. 21. Mox verò Deus traditis pelliceis tunicis utrumque veſtivit: *Fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos.* Nomine tunicarum pellicearum deſignatos autumarunt Veteres quidam (g) cortices arborum. Alii ita vertunt Hebræum: *Fecit tunicas ad tegendam pellem*, Chaldæus: *Fecit veſtimenta honoris ſuper cutem carnis ſuæ.*

Permittit Moyſes *Levit.* 7. 8. Sacerdotibus pelles victimarum, ex quibus maximi illorum proventus. Cum tamen offerenda eſſet victima pro peccato Sacerdotis, adurenda erat pellis ſive extra caſtra, ſive extra Urbem *Levit.* 4. 11. & 8. 17. & 9. 11.

Tentoria olim conficiebantur è pellibus: *Pelles terræ Madian Habac.* 3. 7. tentoria Madianitarum; *Pelles Salomonis Cant.* 1. 4 tentoria Regis Salomonis. Arca Domini conſtituta erat ſub pelliceo tentorio 2. *Reg.* 7. 2. *Cùm Arca Dei poſita ſit in medio pellium.* Ingenti è protenſis pellibus tentorio comparatur Cælum apud Pſalmiſtam. Pſ. 103 2. *Extendens Cælum ſicut pellem*. Jerem. 4. 20. *Repentè vaſtata ſunt Tabernacula mea, ſubitò pelles meæ.*

Veſtes ſibi è pellibus habebant familiares agreſtes quique *Levit.* 13 32. & 13. 48 & 15. 17. atque inter vulgares populi veſtes & pelliceæ recenſentur. Zonis pelliceis accingebantur Prophetæ, cæterique auſteriorem vitam profitentes. 4. *Reg.* 1. 8. *Matt.* 3. 4. Elias & S. Joannes Baptiſta habebant *Zonam pelliceam circa lumbos.*

Percuſſi olim Philiſtæi hemorroidarum plaga in pœnam rapiæ Arcæ Domini *fecerunt ſibi ſedes pelliceas* 1. *Reg.* 5. 9. facilè ut molliùs ſederent. Deſunt hæc in Hebræo, Chaldæo, & in plurimis Septuaginta editionibus; ſed viciſſim in aliis, totidem verbis ac in Vulgata leguntur.)

PELLICANUS. Pſeudo-Hieronymus in Pſalmos 101. 7. duo pellicanorum genera diſtinguit; alterum aquaticum, piſcibus victitans; alterum in deſertis verſans, anguibus & aliis reptilibus nutritum. Piiſſimo eſſe in pullos ingenio ſcribit Euſebius *in Pſal.* 101. In præruptis, arduiſque rupibus nidificat, ne unquam ab anguibus pulli corrumpantur; fruſtra tamen, nam vento ſpirante, angues hiſce avibus infeſtiſſimi venenum ejaculantur, quod in nidum delatum, eoſdem pullos interficit. Illis ad vitam revocandis, pellicanus ſublimi volatu nubes tranſgreſſus, latera alis diverberat, donec aperto vulnere, ſanguis per medias nubes decidens in pullos defluat; quo in totis cadaveribus vitæ igniculus excitatur. Eadem fermè S. Auguſtinus *in Pſalm.* 101. & S. Iſidorus Hiſpalenſis *l.* 12. *orig.* narrant, quamvis non alis, ſed vulnus ſibi roſtro infligere, ac deciduo inde cruore pullos perfuſos vitæ reſtitui perhibeant. Sed hæc veteris Philoſophiæ tantum præjudicio creduntur.

Hebræum *Kaath* à Septuaginta aliquando redditum eſt *pelicanus* (h); aliquando *mergulus*, *Deut.* 14. 7. & alibi; interdum *aves*. *Iſa.* 34. 11. *leones*. *Soph.* 2. 14. S. Hieronymus vertit (i) *onocrotalum*. Alii dictum intelligunt de butione, vel ardea, ſeu cycno, upupa, aut cuculo. Bochartus *de Anim. Sac. p.* 2. *l.* 2. *c.* 24.

(a) Epiph. de hæreſ. (b) Antiq. l. 4. c. 7. l. 5. c. 1. & de Bel. l. 5. c. 3.
(a) Euſeb. v. Aſtaroth. (d) Antiq. l. 13. c. 23. (e) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 5.
(f) Apud Geographos. (g) Theodor. Heracleot. Gennad. Conſtantinopol. Vide Theodoret. in Geneſ. q. 39.
(h) LXX. Pſal. 101. 7. Levit. 11. 18. (i) Levit. 11. 18. Iſa. 34. 11. Sophon. 2. 14.

ſ. 24. interpretatur *pellicanum* avem aquaticam, quæ vorata oſtrea ſubinde evomit, ut ventris calore hiſcentibus illis, piſcem extrahat. Porro Kaath ex *Kaah*, quod *vomere* ſonat, derivatum eſt.

PELUSIUM, urbs Ægypti, ad oſtium Nili maximè orientale, & ad Palæſtinam accedens. Olim munimentum erat Ægypti, qua parte Phœniciam & Judæam reſpicit: quare Ezechiel 30. 15. 16. de illa ſub nomine *Sin* agens, *Ægypti robur* appellat. Porrò Hebræum *Sin*, quod lutum ſonat, à Græco *Peluſium*, quod ex *Pelos*, nempe lutum, derivatur, non abludit. Septuaginta in textu Ezechielis pro *Sin* legunt *Sais*. Deſertum *Sin* in Elim & Sinai in S. Scriptura memoratur. *Exod.* 16. 1. *Num.* 33. 11.

(En Oraculum Ezechielis 30. 14. 15. 16. in Peluſium latum: *Hæc dicit Dominus Deus: Et diſperdam ſimulacra, & ceſſare faciam Idola de Memphis, & Dux de terra Ægypti non erit ampliùs; & dabo terrorem in terra Ægypti. Et diſperdam terram Phathures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam judicia in Alexandriam*, (Hebr. *No Ammon*) *& effundam indignationem meam ſuper Peluſium* (Hebr. Sin) *robur Ægypti*. Minæ iſtæ ſpectare videntur ad expeditionem Nabuchodonoſoris in eandem regionem; ita enim Dominus Ezechielem 29. 18. alloquitur: *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit* (mihi) *exercitum ſuum ſervitute magna adversùs Tyrum .... & merces non eſt reddita ei, neque exercitui ejus. Proptérea ego dabo Nabuchodonoſor Regem in terra Ægypti, & accipiet multitudinem ejus*. Deſcribit ſecundum hæc Propheta mala ſupra à nobis relata. Porro in eo conſtituebatur ſitu Peluſium ut clavis eſſet, monimentum, & robur Ægypti. Primum Chaldaici exercitus impetum ſuſtinuit (a).

Antequam Urbs illa injurias Nabuchodonoſor ſuſtineret, adverſa etiam experta fuit arma Sennacherib Regis Aſſyriæ.

Bellum indixit ille in Sethonem, alio nomine Sevechum, Regem Ægypti, ſtrinxit obſidione Peluſium (b). Porro Sethon Princeps erat prudentia deſtitutus, rebuſque moderandis parum aptus. Abalienaverat à ſe militum animos, ut prorſus omnibus deſtitueretur, quorum armis hoſtibus reſiſteret. In ſummis illis anguſtiis contulit ſe ad Vulcanum, cujus gerebat Sacerdotium, juſſuſque eſt ab oraculo procedere adusque Peluſium, ſuppetias à Deo impetraturus. Tumultuario igitur collecto exercitu ad reſiſtendum hoſtibus ſeſe paravit; tum Deus immiſſo in Aſſyrios murium exercitu voraci illorum dente funiculos omnes arcuum & clypeorum lora corrupit, ex quo factum eſt, ut armis illi ſuis deſtituerentur. Hæc Ægyptii. Sed teſtimonio Sacrorum Librorum Hebraicorum intelligimus, Angeli Domini gladio unius noctis ſpatio peremptos fuiſſe 85000. exercitus Aſſyrii 4. *Reg.* 19. 35.

Ferunt (Polyæn. l. 7.) Cambyſen Regem Perſidis expeditione in Ægyptum decreta ſtatuiſſe omnium primum redigere in poteſtatem Peluſium, Provinciæ illius veluti munimentum. Quo autem res faciliùs ſuccederet, hoc ſtratagemate utendum ſibi cenſuit. Cùm aggreſſione Urbem tentaret, conſtituit in fronte plures collectos feles, canes, oves, & cætera id generis animantia, quæ apud Ægyptios ſacra habebantur. Ita factum eſt, ut defenſores vel omnes, vel plerique Ægyptii continerent ſe ab jaculandis miſſilibus, metu ne hoſtes ferituri ſacrum aliquid violarent. Ita Cambyſes reſiſtente nemine Urbem obtinuit (c).)

PENTAPOLIS, quo nomine quinque ſimul urbes, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, Segor, ſignificantur. Illæ omnes eadem æqua animadverſione damnatæ, *Segor*, alio nomine *Balo*, tantummodò deprecante Loth ex igne Cœlitus dilapſo liberata, abſumptæ ſunt; locuſque Lacus Aſphaltiti ſivè Sodomæ, totam demùm ejus terræ faciem occupanti, factus.

PENTATEUCHUS, vox Græca, ſonans quinque volumina, quo nomine quinque ſimul Libros Moyſis complectimur, nempe *Geneſim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, & *Deuteronomium*, de quibus ſingulis nos in ſuis articulis. Vide & v. *Moyſes*, nec non Commentatores, qui totius Pentateuchi authorem Moyſem oſtendunt, eos, quibus aliter viſum eſt, egregiè refutans. Pentateuchum vetuſtiſſimis Phœniciis characteribus, quibus Hebræi ante captivitatem Babylonicam utebantur, deſcriptum Samaritani ſervarunt, Vide *Samaritani*.

(Recentiores quidam Critici Pentateuchum a Moyſe abjudicarunt. Plura, inquiunt illi, legentibus Opus illud occurrunt ab ætate, & charactere hujus Legiſlatoris aliena. Ita de Moyſe agit ejus Scripti Auctor tanquam de Viro ſummo, laudibus efferens mitiſſimos ejus mores & æquitatem animi *Num.* 12. 3. *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*. De Moyſe tanquam de tertio aliquo loquitur: *Locutus eſt Dominus ad Moyſem; &c. Locutus eſt Moyſes ad Pharaonem &c.* Nunquam hæc affectaſſet de ſe Moyſes, vel ſaltem aliquando ipſum ſe ſcribentem prætulerret.

Ad hæc, Author Pentateuchi narrationem ſuam interdum in pauca reſtringit, ceu Scriptor è vetuſtioribus Commentariis repetens, quæ in ſuum referret. Interdum orationis ſeriem intercipit; e. g. cùm hæc loquentem Lamechum Bigamum inducit Geneſis 4. 23. *Audite vocem meam uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum Gen.* 4. 23. nihil addens, ut doceat quo potiſſimùm hæc verba referenda ſint. Animadverſiones illæ, e. g *Geneſ.* 12. 6. *Chananæus tunc erat in terra*; ſunt a Moyſe planè alienæ, toto enim vitæ illius tempore Chananæi obtinuerint Palæſtinam. Teſtis è Libro bellorum Domini laudatus Num. 21. 14. recens poſt confectum Opus additus videtur, quemadmodum & poſteriores verſus Deuteronomii, Hiſtoria de obitu Moyſis in calce ejus Libri, alium habet ab illo Authorem, nec aliter judicandum eſt de aliis nonnullis Textibus præferentibus e. g. loca quædam ſita fuiſſe *trans Jordanem*; lectum ferreum Og *monſtrari, qui eſt in Rabbath*; Urbes nonnullas prætuliſſe nomen *Havoth Jſair*, *Num.* 32. 41. & *Deut.* 3. 14. quod tamen inditum illis videtur poſt Moyſis ætatem.

Animadvertiſſe pariter in eam rem juvat, manca eſſe in Textu quædam; e. g. Exod. 12. 8. alloquitur Moyſes Pharaonem: at ſermonis illius exordium deſideratur. Supplet hic Samaritanus quod in Hebræo deeſt. Alibi etiam Samaritanus mancum Hebræum Textum corrigit; quæ autem ex Textu Samaritano adduntur, adeo colligata cum reliquo contextu apparent, ut removeri vix ac ne vix quidem poſſint. Nonnulla tandem offeruntur legentibus Pentateuchum, quæ minùs convenire cenſentur viro inter Ægyptios nato atque educato; cujuſmodi ſunt quæ ibi narrantur de Paradiſo terreſtri; amnibuſque illum perluentibus, & ex eo per univerſam terram defluentibus; de Urbibus Babylonis, Arac, Reſen, Calanne; de auro Phiſon, Bdellio atque gemma Sohen, quæ ejus regionis pretium augent; omnia hæc ſedulò adeo animadverſa, conjectura quadam indicant Authorem Pentateuchi trans Euphratem verſatum fuiſſe. Adde his hiſtoriam de Arca Noe ejuſque conſtructione, de loco ubi ſubſtitit, ligno quo fabricata eſt, ac de Babylonico bitumine &c.

Poſtrema hæc in eam ſuſpicionem adduxere aliquos, nimirùm Levitam illum miſſum opera Aſſaradonis ad Chuſæos in Samaritidem translatos 4. *Reg.* 17. 24. 27. facilè Pentateuchum digeſſiſſe, quod deinde

Judæi,

(a) A. M. 3432. ante Ch. 658. (b) Antiq. l. 10. c. 1. Vide Herod. l. 2.
(c) A. M. 3478. ante Chr. 522.

Judæi tradentibus Samaritanis, leviter tantum reformatam acceperint. Sedit aliis opinio Pentateuchum, qualis hodie extat, epitomen eſſe fuſioris Operis digeſti à Scriptoribus à Republica Hebræorum deſtinatis, ut res geſtas literis traderent.

Ne verò hic ſingula rationum ejuſmodi momenta diſcutiamus, immoremurque in refutandis ſententiis hiſce, quæ tot Scriptorum calamos exercuere; ſatis habemus in præſenti tria animadvertiſſe. I. Quò Moyſei à jure ſibi tot ſæculorum traditione aſſerto, ut ſcilicet habeatur genuinus Pentateuchi Author, deturbetur; à jure, inquam, & poſſeſſione, cur fulciendæ conveniunt Synagoga, Eccleſia, Scriptores Sacri utriuſque Teſtamenti, Jeſus Chriſtus & Apoſtoli; afferenda ſunt argumenta, quibus reponi nihil poſſit, demonſtrationes non conjecturæ. Conſtat autem, quæ in hanc rem afferuntur, argumenta imbecilliora eſſe quam ut ſolidi quidquam adſtruant. Namque 2. additamenta, inverſiones ordinum, confuſa nonnulla, omiſſiones, quas nos ultrò admittimus, minora ſunt quam ut demonſtrent Operis Authorem alium fuiſse à Moyſe. Recenſitum quidem alterius cura ſcriptum indicant, additis, detractiſque nonnullis. Id permiſit Deus, ne Libri Sacri vices illas evitarent, quas inferunt ſive Amanuenſium incuriæ, ſive plurium ſæculorum injuriæ. Profectò ſi leve aliquod additamentum vel corruptio Textus ſatis eſset abdicando à genuino Authore Operi, cuinam tuta eſset poſſeſſio ſcripti à ſe Operis, poſt unius etiam ſæculi tractum?

3. Syſtema D. Clerici, & D. Simonis in Authorem Pentateuchi ſæpè adeo refutata ſunt, ut eandem crambem recoquere inutile ac moleſtum reputemus. Scriptores publici D. Simonis errantis phantaſiæ ſunt ludibria. Sacerdos ille vel Levita ad Chutæos per Aſsaradonem miſsus, Opus illud planè non digeſſit; diu enim ante eam ætatem obtinebat, laudaturque à Scriptoribus longè vetuſtioribus. Legis ſanctionibus nunquam non obſequuti ſunt Judæi à Moyſe adusque captivitatem; literis igitur mandata erat; cujus etiam exemplar in Arca repoſitum inventum fuit ſub Iſaia. Judæi & Samaritani alieno nimis erant inter ſe animo, quam ut alteri ab alteris acciperent ſacra ſcripta. Si quis conferat Pentateuchum Samaritanum cum Judaico, ſatis intelliget utrumque ex eodem fonte & Authographo derivari; ſed æquè intelligimus, Judæum ex altero nequaquam exceptum eſſe; quin & Samaritanos manum admoviſſe Exemplari ſuo, ut fulcirent præjudicia quædam ſua in Judæos de monte Garizim, ubi Templum eorum ſurgebat.)

PENTECOSTES, ex Græco Pentecoſte, hoc eſt quinquageſimum; quo nomine, quinquageſima ab altera Paſchali die, vel à die 16. Niſan appellabatur. *Levit.* 23. 15. 16. Ea verò dies, poſt ſeptem hebdomadas à Paſchate recurrens ſolemnis erat. *Deut.* 16. 9. 10. dictaque propterea ab Hebræis *Feſtum hebdomadarum*. *Exod.* 34. 22. Meſſis triticeæ, quæ tunc claudebatur, *Levit.* 23. 15. 16. primitiæ offerebantur; duò ſcilicet panes fermentati, ſinguli ex totidem aſſaronibus, ſivè tribus pintis farinæ confecti (a). Præterea ſeptem agni anniculi, vitulus, & arietes duo in holocauſtum, duo agni in hoſtias pacificas, & hircus pro peccato aris imponebantur. Quamquam inter tres potiſſimas Solemnitates habebatur, quibus viri ad Templum ſe conferre jubebantur, octavam tamen obtinuiſſe neque in S. Scriptura, neque in Joſepho uſpiam legimus. Præter victimas *Levit.* 23. 18. 19. præſcriptas, duo etiam vituli & aries in holocauſtum; ſeptem agni in hoſtias pacificas, & hircus pro peccatu addebantur, *Num.* 28. 27. quas omnes victimas Joſephus *Antiq. l.* 3. *c.* 10. ſimul recenſet.

Hujus Feſti indicendi non una ratio ſuppetebat. I. ut Iſraelitæ Templo ſe ſiſtentes, atque offerentes decimas totius regionis, ſuorumque omnium operum Deo dominium aſſererent. II. Ut acceptæ à Deo in Monte Sinai Legis quinquageſima die ab egreſsu ex Ægypto gratias referrent (b).

Sua etiam Eccleſiæ Chriſtianæ eſt Pentecoſtes Solemnitas, poſt 50. dies, ſive ſeptem hebdomadas à Paſchate, vel à Reſurrectione Domini. Perſuaſum habemus, diem Paſchalem anni emortualis Jeſu Chriſti in diem Sabbathi incidiſſe; quare in diem Dominicam 24. Maii Pentecoſte recurrebat. Hinc ſtata dies Dominica pro ſolemnitate Pentecoſtes, uti ex receptiſſima Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum traditione accepimus (c). Poſt Chriſti in Cœlum Aſcenſionem, Apoſtoli in urbem reduces, in domum quamdam ſe receperunt (quam Domum Mariæ matris Joannis (d), in Monte Sion (e) conſtitutam, fuiſſe tradunt) promiſſum à Chriſto Spiritum Sanctum præſtolantes. Die interea Pentecoſtes circa tertiam diei horam, nempe nonam matutinam, ingens ſubitò fremitus, veluti flantis validè Cœlo venti. *Act.* 2. 1. *&c.* domum Diſcipulorum concuſſit. Globus ad hæc igneus apparuit, qui veluti in totidem ignitas Linguas diſtributus, ſingulis præſentibus inſedit. Continuò verò Divino Spiritu pleni, variis Linguis eruditi pro vario Spiritus magiſterio.

Verſabantur eo tempore Jeroſolymis piiſſimi, atque religioſiſſimi ex omnibus gentibus Judæi; & cum ad ſubitum ſtrepitum in domo Apoſtolorum inſonantem plures conveniſſent, audito ſubito variarum Linguarum ſonitu, alii quidem obſtupuere, alii veluti ebriorum murmur eſse traduxerunt. Tunc Petrus, Quid nos, ait, ebrios putatis, cum ſit bora diei tertia? Feſtis enim nonniſi meridie cibus capiebatur (f); atque hora tertia precibus deſtinata erat, non cibo *Act.* 3. 1. Oſtendit inſuper Prophetiam Joelis tandem completam *Joel.* 2. 28. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et dabo prodigia in Cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum... Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Inde ad Jeſum Chriſtum, ad obitum & reſurrectionem ipſius & Sancti Spiritus illapſum ſermonem convertit. Terror ad hæc verba, & dolor omnes tenuit: quare factus ad pedes Apoſtolorum concurſus, quærentium quid facto opus eſset, hortati ſunt Apoſtoli, ut pœnitentiam ſimul, & baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti ſuſcipientes, ſimul & veniam peccatorum, & Spiritum Sanctum obtinerent. Aliis ſubinde, aliiſque monitis, & præceptis inſtitutos, tandem ad 3000. hominum ea die baptiſmo initiarunt. Acta ſunt hæc die Pentecoſtes A. Ær. 33.

(Noſtræ ætatis Judæi feſtum Pentecoſtes prorogant ad duos dies (g), feriatos autem habent eo ritu, quo & Paſchales; i. e. abſtinent ab opere, nihilque tractant negocii, ut in vacatione Sabbati, excepto tantum quòd fas eſt ſingulis parare ad ignem cibos, transferre ex uno in alterum locum res, quas maximè judicaverint. Receptum traditione tenent legem ea die rogatam fuiſse, cujus memoriæ recolendæ gratia ornant Synagogas, & loca cætera Legis

(a) Autumant nonnulli, duos viritim panes offerendos fuiſſe. Alii tamen veriſimilius putant, duos tantummodò panes totius gentis nomine oblatos, quod etiam Joſephus Antiq. l. 3. c. 10. innuiſſe videtur; qui tamen nonniſi unicum panem ex duobus farinæ aſſaronibus commemorat.

(b) Venerunt enim ad Sinai 3. die tertii menſis ab egreſſu ex Ægypto. Exod. 19. 1. Biduo poſt Moyſes Legem recepit.

(c) Vide Conſtit. Apoſt. l. 5. c. 20. S. Leo Epiſt. 11. a. 1. Aug. l. 18. c. 54. Author. Serm. 154. de temp. nunc in Append. 167. Baron. ad A. 34. n. 234. Uſſer. Pearſon. &c.

(d) Alex. apud Sur. 11. Jun. Corn. à Lap. in Acta. (e) Hieron. Epiſt. 27.

(f) Joſeph. de Vita ſua. (g) Leo Modena part. 3. cap. 4.

lectioni deſtinata, privatæſque tandem domus, corollis atque ornamentis roſarum, ac florum.

Apiss Feſto preces addunt; legunt ex Pentateucho ſacrificium ea die præceptum, adnectuntque è Prophetis quæ affinitatis habent aliquid cum Feſto Pentecoſtes; ac tandem benedicunt Principi, atque Legis encomium pro concione proſequitur.

Alteram diem feſtam in veſperis excipit cæremonia *Abdala*, i. e. diſcrimen, ad diſcernendam diem feriatam à vulgari, ſimul & indicandum tranſitum fieri è die feriata ad alteram qua opera permiſsa ſunt. Referunt autem ceremoniam illam preces & benedictiones peculiares, tum & fauſta aliorum ad alios vota pro ſanitate tuenda, apprecandiſque proſperis. His abſolutis ſingulis datum eſt, ut quod maximè voluerint opus proſequantur, utpote jam peractis feriis.

Eſt Abdala ritus communis etiam Paſchæ, & diei Sabbati, quanquam die Sabbati majorem præferat cæremoniæ apparatum. Reduxin domum quiſque facem vel lampadem geminatam incendit, ac paterfamilias plenum vino craterem, & aromata aſsumit, tum recitat ſententias quaſdam Pſalmorum; addens pariter, quæ leguntur in exitu cap. 8. Eſther: *Judæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium*. Tum impartit vino ac aromatibus benedictionem, olfacit aromata illa, velut inſinuans exordiri ſe hebdomadam cum voluptate, benedicit clarum ignis fulgorem, quo non adhuc eſt uſus, intuetur manus ſuas & ungulas, præcingit enim ſe ad operam; effundit in terram aliquid vini lætitiæ argumentum: tandem alius alii fauſtam hebdomadam apprecantur, ac rebus quiſque ſuis vacat. Sed in exitu Paſchæ & Pentecoſtes ritus *Abdala* meta ſunt verba.

Deſcriptis hiſce cæremoniis alias addit Buxtorfius Synagog. Jud. peculiares facilè Judæis Germaniæ. Quo vividius excitent memoriam montis Sinai, ubi Lex rogata fuit, compactam quandam placentam formant è ſeptem maſsæ placentis, alia ſuper aliam poſitis, appellantque id generis panem *Sinai*, quem ideo ſeptemplicem formare ſe dicunt, ut exhibeat ſeptem Cælos, quot remetiri Deus coactus eſt è vertice Sinai, ad Cælum Cælorum, ubi ſedem habet conſtitutam, regreſsurus. Supputant diligenter dies omnes à Paſchate decurrentes, ne errent in articulo illo temporis, quo Feſtum Pentecoſtes ineundum eſt. Rex, inquiunt illi, libertatem promiſit captivo, & filiam ſuam in conjugium ad exitum ſeptem hebdomadarum; nunquid non æquum eſt, captivum illum numerare dies, horas & momenta ejus periodi, cujus exitus felicitatem illi ſuam afferet? Porrò Rex iſte Deus eſt, qui libertatem & Legem ſuam ſpopondit Judæis.

Metu verò ne quid errent in ſupputatione, ad geminam diem, majoris cautionis gratia, Feſtum prorogant. Idem pariter obtinebat olim in cæteris feſtis, ut ex Judith 8. 6. in Græc. intelligimus, defenditque Buxtorfius eadem pariter ſervata fuiſſe in Paſchate, ex quo ambages omnes ſolvit, cur ſcilicet Jeſus Chriſtus in Paſchali Agno deguſtando Judæos una die præceſſerit.

Quo ad Pentecoſtem regrediamur, ſemel & iterum promitur volumen Legis, quam Viri quinque alter poſt alterum legit. Ornatur floribus Synagoga, ædiumque feneſtræ, quo emblemate deſignetur omnia circa Sinai læta viriditate recreaſſe, cum Iſraelitæ datam legem receperunt.)

PENULA. Apoſtolus 2. *Timoth.* 4. 13. ſcribit: *Penula, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*. Nos penulam reddimus pallium; Penula enim Latinè ſonat paludamentum quoddam contra pluviæ, & frigoris injurias (a). Ejus inventionem Lacedæmoniis, cùm ſæviente frigore ludis adſiſterent, Tertullianus *Apolog.* adſcribit. Olim apud Romanos ſervi tantummodò, ſive viliſſima capita in urbe quidem; in itinere verò pluviæ, & frigori arcendis vulgò omnes penula utebantur; quin & apud fœminas in agris verſantes recepta erat (b). Ejus deinde uſus etiam ad honeſtiſſimos viros in urbe tranſlatus eſt, cùm veſtis Tribunorum populi conſueta haberetur; ipſeque Tiberius Imperator cùm in cœtum quemdam pluviali tempore veniret, penulam adhibuiſſe legatur (c). Alexander Severus ſenioribus (ſive Senatoribus) penulas in Urbe indulſit; fœminis verò, niſi tantùm extra urbem, prohibuit (d). Nunquam tamen Imperatores penulatos prodiiſſe obſervat Spartianus *in Adrian. c.* 3.

Ambroſiaſter, Haymo, & Pſeudo-Anſelmus in Paulum *in* 2. *Timoth.* 4. 13. autumant penulam ſtragulatam quamdam, ſive Senatoriam veſtem fuiſſe; qua, ajunt, pater Apoſtoli dono accepta, tanquam civis Romanus & Senator utebatur. Hanc igitur à patre ſuo acceptam Paulus Troade reliquerat; quare Romam à Timotheo referendam curavit. Hæ tamen fabellæ ſeria refutatione non indigent. Apoſtoli ætate, nondum penula in veſtem Senatoriam tranſierat; quin & patrem Apoſtoli Senatorem fuiſſe temerè prorſus aſſerunt.

Patres Græci (e) ſub nomine *phenole*, ſive *phelone*, arculam quamdam Libris continendis, ſive veſtem intelligunt; quamquam de arcula ſuorum librorum Apoſtolum ſermonem habuiſſe vulgo conſentiunt; ait enim: *Penulam affer tecum, & libros, maximè autem membranas*. Ad hanc ſententiam ſpectat illud S. Hieronymi: *Volumen Hebræum replico, quod Paulus phelonem juxta quaſdam vocat* (f). Brucmanus eandem explicationem peculiari Diſſertatione defendit, quam Maſius in calce Libri, *De authoritate Principis in rebus Religionis*, inſeruit. Boileau Decanus S. Cappellæ Pariſiis idem præſtitit in Libro, *De re veſtiaria hominis ſacri* (g). Mihi tamen veſtis ſignificata probatur; nunquam enim niſi de veſte apud Latinos uſurpatur, quos etiam ex Græco *phænole* eam vocem derivaſſe facilè credimus. Penulæ forma ferè veteres caſulas referebat, quibus nullis manicis inſtructis, & in ſuperiori tantùm parte apertis, totum corpus ambiebatur.

PEOR. Vide *Phogor*, mons tranſjordanicus.

PERÆA, vox ex Græco *peran*, ideſt *trans*, ex qua regioni tranſjordanicæ ad orientem fluminis nomen inditum. Philadelphia ad orientem, Jordane ad occidentem, Macherunte ad meridiem, & Pella ad ſeptentrionem terminabatur (h): montium autem corona cincta, iis interjectis ab Arabia deſerta ſeparabatur. Interdum nomen Peræ ad univerſam latè regionem tranſjordanicam prorogatur.

(PERCUTERE non rarò uſurpatur pro interficere. David *percuſſit Philiſtæum*; interfecit ſcilicet Goliath. Dominus *percuſſit Nabal*, *percuſſit Oſa*, i. e. neci tradit: *Percutere* eſt etiam affligere, timore incutere, peſte, paupertate, ulceribus, morbis, plagis afficere. *Percutere exercitum*, eſt illum cædere, vertere in fugam. *Percutere caſtra Philiſtum*, eſt diſſipare illa, de Philiſtæis victoriam reportare. *Percutere fœdus*, ideo dicitur, quod in confirmandis fœderibus cædi ſolerent animalia, & immolari victimæ. Deus percuſſit Philiſthæos *in poſteriora Pſ.* 76. 66. afflixit ſcilicet hemorroidis, vel aliis id generis morbis. *Veni-*

(a) Joven. Satyr. 5. v. 75. *fremeret ſæva cùm grandine ſævus Jupiter, & multò ſtillaret penula nimbo*.
(b) Lamprid. in Alex. Sev. c. 27. (c) Dio l. 5. 7.
(d) Lamprid. in Alex. Sev. c. 27.
(e) Chryſoſt. Theoph. Heſych. Suid. Etymolog. Mag. Ita & Syrus Eſth. Ham. Baron. Cene Projet. de traduct. c. 9.
(f) Ep. 125. ad Dam. q. 2. ſed alibi penulam, & lacernam veluti ſynonima uſurpat contra Pelag. l. 2.
(g) Vide etiam Hammon. & Eſt. in Paulum.
(h) De Bel. l. 3. c. 2.

Venite & percutiamus eum lingua Jerem. 18. 18. verbis ſcilicet, injuriis, maledictorum plauſtra in illum effundamus. Percutere manibus plaudentis eſt interdum, probantis, interdum verò dolentis atque attoniti.

Percutere genam Thren. 3. 10. *percutere pugno*, apertiores ſunt phraſes, quàm ut indigeant explicatione. *Percutere femur* Jerem. 31. 19. *ſuum* indignantis eſt, dolentis, & attoniti.

Percute manu ad manum Ezech. 21. 14. i. e. eo indicio dolorem tuum prode. Deus *ſpiritu* [illegible] *ſuorum interficiet* (*ſeu percutiet*) *impium*. *Percutientes conſcientiam eorum* (fratrum,) & infirmam conſcientiam ſtimulis torquere 1. Cor. 8. 12. offendiculum ad peccatum ponere. *Percuſſit David cor ſuum* 1. Reg. 24. 6. religio iceſſit Davidem, quòd extremam oram clamydis Saulis præcidiſſet.

PERDITIO. Uſurpari ſolet de funeſta quadam morte à Deo vindice in pœnam criminis immiſſa Deut. 32. 35. *Juxta eſt dies perditionis*. Job. 21. 30. *In diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris ducetur*; malum Deus non ſervat niſi ad necem, ut ultionem ſuam in illum exerat. Perditio eſt etiam *Infernus*, locus nempè æternorum ſuppliciorum, impiis in pœnam commiſſi jam criminis deſtinatus. In hunc ſenſum Jobus 26. 6. habet de oculis Dei agens: *Nudus eſt Infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditionis*. Tum & cap. 28. 22. *Perditio & mors dixerunt: Auribus noſtris audivimus famam ejus*. Sapiens, Prov. 15. 11. *Infernus & perditio coram Domino*, ſunt aperta; *quantò magis corda filiorum hominum?*

Fatentur impii; Sapientiæ 5. 7. laſſatus eſſe ſe *in via iniquitatis & perditionis*. Eccleſiaſticus 20. 27. *Potior eſt fur, quàm aſſiduitas viri mendacis; perditionem*, (mortem funeſtam) *ambo hæreditabunt*. Extrema mala Iſraelitis minitatur Oſee 13. 9. futurum enim dicit, ut Deus irruat in illos tanquam *urſa furens & leo rugiens*. Concludit tandem: *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*; perditio tua atque mala ex te proveniunt; tibi ſunt peculiaria: *Perditio tua*; auxilium verò fruſtra ab alio, quam ex me quæres.

Joan. 17. 12. Judas eſt *filius perditionis*; ſicut & Antichriſtus 2. Theſſal. 2. 3. Pronunciat S. Petrus in Simonem Magum: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, Actuum 8. 20. Jeſus Chriſtus, Mat. 7. 13. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem*.

Perditio etiam frequentius eſt ſimplex rei perditio; e. g. *Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt?* Marci 14. 4.

PERDIX, avis eſt delicata, volatu humili brevique. Perdices ungulatæ frequentiores ſunt, rubræ majores. Sufficiunt Alpes Perdices albas villoſis pedibus. S. Auguſtinus (a) hæc de Perdice ſcribit: *Perdix nimis contentioſum animal, notum eſt quanta aviditate ipſius contentionis currat in laqueum*. Transfert ad Hæreticos, qui contentiones amant, quinque in diſceptationibus affectant adverſarium obruere verbis, quo vano obtentu ſimplices ſeducunt. Laudat hanc in rem illud Jeremiæ 17. 11. *Perdix fovit quæ non peperit; fecit divitias, & non in judicio*. S. Ambroſius Hexaem. cap. 3. & ep. 32. n. 9. Nov. Edit. & S. Hieronymus in Jerem. 17. tradunt, Perdicem raptis alterius Perdicis ovis, perinde ac ſuis incubare; ſed ſtatim excluſi pulli, cùm ad volatum pares fuerint, abeunt, atque vocem genitricis matris agnoſcentes eo ſe dirigunt. Ita pariter Textum exponunt Scriptores Commentariorum. Vide Vatablum, Sanctium, Munſterum, Tirinum, Menochium, &c. Si quis tamen illuſtrare iſta voluerit teſtimonio Scriptorum Hiſtoriæ naturalis, arduam ille ſibi provinciam aſſumeret.

Septuaginta legunt: *Clamavit Perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias ſuas non cum judicio*. Notat autem in eum Textum Theodoretus, venatores cicurare Perdices in muſcipulam aliarum Perdicum; quod profectò inſinuavit S. Auguſtinus narrans Perdices contentione ſuâ in laqueos procurrere, inſequentes ſcilicet Perdicem cicuratam, quia incautè adducuntur in retia. Eadem obſervat Ælianus de Anim. lib 4. cap. 16. eadem & Author Eccleſ. 11. 31. *Sicut Perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborum; & ſicut proſpector videns lapſum proximi ſui* Perdix cicurata in eo ponere videtur voluptatem ſuam & ſtudium, ſi avem ſui generis perdat.

Sunt qui Hebræum Jerem. 17. 11. ita reddant: *Perdix multa parit ova, ſed non omnia maturat*; nidum enim ſuum ponens in imo ſolo, ſæpè cogitur ova deſerere terrore belluarum, canum venatorum; ex quo & refrigeſcunt ova, & fœcunditatem perdunt; illis etiam corrumpendis valent imbres & humidus aer; mas etiam illa opprimens perdit.

Tenent alii Hebræum *Kore*, quod redditum eſt *Perdix*, exprimere potius *Cuculum*; *Kore* enim eſt clamas; Cuculus autem ſolo fermè clamore ſuo innoteſcit. Fertur incubare ovis non ſuis, vel parere ova ſua in alieno nido, quæ ſatis congruunt cum Textu Jeremiæ. Nihil autem incertius vagatur, quàm ſignificatio nominum Hebræorum aves exprimentium. Nullum aliud ſuppetit argumentum probans Hebræum *Kore* ſignificare Perdicem, quàm teſtimonium Septuaginta. Bochartus dictum interpretari maluit de *Ruſticula*.)

PERECCO, urbs Galilææ (b). Relandus *Palaſt. l. 3. p. 925.* legendum credit in textu Joſephi *Caphar-ecco*, nempe arva *Ecco*, ſive *Acco*. Porrò *Acco* nomen erat Ptolemaidis, cui proinde *Caphar-acco* adjacuiſſe oportuit.

(PERFECTUS. Monet Jeſus Chriſtus Matt. 5. 48. *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*; non ideo profecto quaſi tantam virtutis perfectionem attigere valeamus, ſed adnitendum eſt ſemper ad ſcopum illum; hanc nobis veluti normam proponere jubemur in exercitatione virtutum, ac maximè in miſeratione & charitate, quare S. Lucas in Textu parallelo cap. 6. 36. legit: *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt*. Docet idem Jeſus Chriſtus Matth. 19. 21. illi, qui ad perfectionem adnititur, deſerenda eſſe omnia, ut Chriſtum ſequatur. Addit Lucæ 6. 40. Diſcipulo, qui ad perfectionem aſpirat, curandum ut ſimilem ſe Præceptori ſuo reddat. Inculcat ſæpè Apoſtolus Diſcipulis ſuis, ut *ſint perfecti* 1. Cor. 2. 10. & 14. 20. &c. i. e. forment ſe in Chriſtianum; omnibus abſolutum numeris, Religionis ſuæ nobilitatem agnoſcentem atque exercentem virtutes.

In Libris V. T. *perfectus* & *perfectio* reſpondent Hebræo *Tham*, vel *Thummim*, quod exprimit ad literam integrum, abſque macula & defectu irreprehenſibilem, perfectum; quare & de Noe ſcriptum eſt; Gen. 6. 9. *Noë vir juſtus atque perfectus*; & ad Abraham dictum legitur Genes. 17. 1. *Ambula coram me, & eſto perfectus*. Deus populum ſuum alloquens, Deut. 18. 13. *Perfectus eris, & ſine macula cum Domino Deo tuo*. In his Textibus *perfectus* eſt irreprehenſibilis, nullo vitiatus defectu. Ita pariter *ſervire Deo corde perfecto* Joſue 24. 14. & 4. Reg. 20. 3. integra puraque fide, & non ex parte Deo ſervire. *Scientia perfecta*, *lex perfecta*, *charitas perfecta*, *opus perfectum*, eſt res omnibus abſoluta numeris, omnibus ornata dotibus, ut nihil deſiderandum relinquat. *Nihil ad perfectum adduxit Lex*, ait Apoſtolus Hebr. 7. 19. primas ut ita dicam lineas ducit lex, nihil præcipit niſi minùs perfecta, cum perfectiora Evangelium poſtulet.

Captivitas perfecta Jer. 13. 18. *Amos* 1. 6. 9. dicitur, cum integra gens in regionem alienam transfertur, nemine ad colendum avitum ſolum relicto. In Deuteronomio 33. 8. *Perfectio tua, & doctrina tua* exprimit *Urim* & *Thummim*; quod in fronte præferebat Summus Sacerdos. Conſule eas voces.)

(a) S. Aug. T. 5. ſerm. 46. de Paſtor. in Ezech. 34. pag. 239. 240. nov. edit. & tom. 8. pag. 218.
(b) De Bel. l. 2. c. 25.

PERGAMUM, cujus Eccleſiæ Angelo ſivè Epiſcopo Jeſus Chriſtus in Apocalypſi 2. 12. hæc ſcribenda mandavit: *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam: Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi Satanas habitat. Sed habeo adverſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age; ſi quo minus veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Sunt, qui hunc Pergami Epiſcopum S. Carpum fuiſſe credant (a), quem Pergami martyrium conſummaſſe Euſebius *Hiſt. Eccl. l.* 4. *c.* 15. eſt author. Sed nihil apud Euſebium de illius Epiſcopatu; quin & Eccleſiæ Thyatiræ præfuiſſe tradit Martyrologium Romanum. Ad hæc, S. Carpus Decio imperante ſublatus eſt: quare ſub Domitiano Epiſcopum Pergami egiſſe minus credimus (b). Cæterum ea urbs S. Joannis Evangeliſtæ ætate florentiſſima habebatur. Ibidem *Pergamenæ* membranæ primò elaboratæ fuerunt.

PERGE, urbs Pamphyliæ, intrà continentem ſita, quare S. Paulum ſivè pedaſtri itinere, ſivè fluvio Cæſtro vectum illam petiiſſe oportet *Act.* 13. 14. Templum Dianæ Pergææ, in colle eidem urbi imminenti ſitum traditur apud Strabonem l. 24.

PERIBOLUS, apud Ezechielem 42. 7. 10. murus erat atrii Sacerdotum 50. cubitis excurrens, quantum ſcilicet cellulæ circum atrium diſpoſitæ porrigebantur. Porrò *Peribolus* Græca vox *clauſtrum* ſonat. Hebræus habet *Geder*, nempè murus intermedius.

PERIPSEMA, Græca vox, qua S. Paulus uſus eſt, contemptum exprimens, in quem ipſe, ſuique temporis Fideles apud Ethnicos devenerant: *Tanquam purgamenta hujus Mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc* 1. *Cor.* 4. 13. Ethnicorum, & maximè Gallorum, Romanorum, & Athenienſium mos erat, in publicis populi calamitatibus, uti graſſante peſte, &c. certos homines in expiationem publicorum criminum inducere, hoc potiſſimum ritu. Publica impenſa miſeri illi homines aliquandiu alebantur, donec deſtinata iis immolandis die, floribus ſivè frondibus redimiti, per certa expiationi loca deducerentur, populo interim dira in eos omnia, atque Divinæ ultionis fulmina imprecante. Sub hæc, totius populi ſceleribus onuſti, ſivè in mare deturbabantur, ſivè cædebantur flagris, ſivè tandem flammis abſumebantur, reliquiis deinde cineribus in mare projectis, hac ſolemni formula pronunciata: *Sis noſtra expiatio*, ſivè victima Deorum furori avertendo (c). Ad hunc morem Apoſtolum ſpectaſſe eruditiſſimi Interpretes opinati ſunt (d); juxta quos laudata verba ita reddi potuiſſent: Tamquam humanæ victimæ in expiationem publicorum criminum immolatæ habemur, *veluti nempè miſeri illi homines, qui totius populi crimina expiaturi neci traduntur.*

PERISCELIDES. Græca vox exprimens muliebre crurum ornamentum. Occurrit Iſaiæ 3. 20. Num. 31. 50. Narrat Moyſes Iſraelitas de Madianitis victores obtuliſſe Domino *periſcelides*, armillas, annulos, dextralia, ac murenulas, hoſtium manubias; ex quo intelligimus gentium illarum uſum atque ornamenta virorum etiam in bello. Idem ſpectare licet in victoria, quam Gedeon multò poſt illam recentiùs de Madianitis pariter retulit *Judic.* 8. 25. Hebræum, quod hic *Periſcelides* (e), deducitur è radice, quæ ſonat, *ambulare*; maximè autem id quadrat interpretationi quæ Periſcelides exponit de crurialibus Madianitarum ornamentis. Septuaginta reddunt *armillas* 2. *Reg.* 1. 10. conſtat utique hanc ſignificationem referre in ſecundo Regum, ubi Amalecita, qui Saulem interfeciſſe ſe prodidit, ſumpſiſſe ſibi dicit *armillam de brachio* (*Zadah*) ejus Principis.

Muliebria ornamenta recenſens Iſaias, utitur eadem voce. Chaldæus reddit *catenas pedum*. Circulos illos aureos vel argenteos, quibus fœminæ ſtringebant crura, compedes & vincula appellat S. Clemens Alexandrinus Pedag. lib. 2. cap. 12. quod pariter & apud Prophanos obſerves. Martialis:

A pedibus niveis fulſerunt aurea vincla

Seneca

Crura diſtincta religavit auro.

Fœminæ apud Syros & Arabes hodie pariter amplioribus annulis ornant crura: pendent autem è majoribus illis circulis plures alii minores, qui affrictu ſuo ſimilem edunt ſonum ac inter gradiendum vel cum agitantur tintinnabula (f). Porrò annuli illi malleo pedia ſuſtinentur; parantur autem vel aurei, vel argentei, ſeu ærei, vitrei, vel opere fictili, ſandaracato, pro dignitate ac opibus fœminarum.

Fœminæ principes apud Arabes utuntur amplioribus caviſque annulis, continentibus intra ſe lapillos tinnitus edentes; idem aliis fœminis præſtant minores annuli *Kal-kal* appellati, qui circùm ſuſpenſi inter gradiendum agitantur. Ampliores illi annuli circulum non perficiunt; ſed lunæ exhibentes corpus, hiatum aperiunt, quo ſubtiliorem crurum partem intra ſe admittentes ſtringant. Pretioſi pariter annuli in uſu erant Matronarum apud Ægyptios; in lapide enim apud Hiſpanos reperto legimus Iſidis ſimulacrum prætuliſſe in cruribus ornamenta auri, quibus pretium augebant gemini ſmaragdi, & undecim aliæ gemmæ. Fœminæ apud Romanos & Græcos idem ornamenti genus norant, uti jam obſervatum eſt. Trimalcion apud Petronium indicans Sponſam ſuam: *Videtis*, ait, *mulieris compedes?* veluti quærens de profuſis in eam rem impenſis.)

PERJURIUM. Perjurii reos, atque præſtitæ in votis ſivo promiſſionibus fidei violatores *Levit.* 19. 12. quin juramenta Deorum nomine nuncupantes *Exod.* 23. 13. Lex Moſaica ſeveriſſimis pœnis damnavit. Perjurio ſanè veritati & juſtitiæ Divinæ injuria irrogatur; quin & ejus criminis rei, omnipotentiæ, & majeſtati Divinæ crimen aliquod inferre videntur, ejus nomine mendacio, atque iniquitati aſſerendæ abutentes (g). Eidem crimini expiando certa videntur in Lege præſcripta ſacrificia *Levit.* 5. 4. *&c.* & 6. 2. 3. quod cum Apoſtoli teſtimonio non ſatis convenit *Heb.* 7. 18. aſſerentis ſcilicet nulla eſſe expiandis animi vitiis, ſed tantùm Legalibus & exterioribus, præſtituta ſacrificia. Quare dicamus oportet, Moſaica ſacrificia non niſi expiationem ſacramenti temerè & oſcitanter, ſivè ſaltem occultè præſtiti, reſpexiſſe. Fortaſſè etiam ſacrificia illa, remiſſo jam intimo cordis dolore perjurii crimine, expiandæ tantummodò legali maculæ ex acceſſu ad ſancta non ſanctis contractæ inſtituta fuerunt. Conſtat enim in Judiciis, ſivè publico aliquo loco prolati perjurii reos, apud Moyſem non ſacrificio, ſed morte crimen ſuum expiare coactos: Portabit, ait Moyſes, *iniquitatem ſuam*; quæ verba capitalem pœnam vulgò inferunt. (h)

PERIZOMA, Græca vox, femoralia, & *ſubligacu-*

(a) Lyran. Aureol. (b) Vid. Not. Florentini in Martyr. vet. ad 12. Apr. & Tillemont. t. 3. Item. P. Soller. Not. ad Uſuard.
(c) Vide Suidam: Περὶ ψωμα μου γίνου.
(d) Vide le Cene projet de traduct. Grot. Eraſm. Stringel. Outram. Neis. Le Moin. Saubert. Urſin.
(e) Hebr. *Atzada*, Septuag. *Chlidona*.
(f) P. Eugen. Roger, Davitti D. D'Arvieu Mores Arabum, Gallicè nunes.
(g) Vide Phil. de decem Præcept. & de ſpecial. Leg.
(h) Vide Levit. 5. 1. & 19. 8. & 20. 17 19. 20. & 24. 15. Num. 9. 13. & 15. 31. Urſin.

Digitized by Google

gaculum (ampliorem nempè zonam illa, & pudenda contegentem) ſignificans. Primi mortalium Parentes ex ficulneis frondibus perizomata ſibi pararunt, ut corporis nuda protegerent. *Gen.* 3. 7.

(PERPERAM. Utitur ea voce Apoſtolus 1. Cor. 13. 4. De ejus ſignificatione quæſtio eſt anceps. S. Chryſoſtomus, Theophylactus, ac Interpretum plerique dictum exponunt de temeritate, levitate, præcipitatione. *Charitas ſapiens eſt*, matura, conſtans, ſeria, gravis in agendo; *non agit temerè*, non leviter. Theodoretus in 1. Cor. 13. *Charitas non curioſè ſcrutatur ea quæ ad ſe non attinent*. Defendunt alii (a) Græcum *Perpereuetai* exprimere ad literam tumore inflari, jactitare ſeſe, theatrum de ſe facere.

Vox *Perperam* familiaris eſt Latinis. *Agere perperam*, perindè valet ac præpoſterè, injuria agere. Sed Græcum *Perpereuomai* nuſpiam apud veteres Græcos occurrens argumento eſt, derivari illud ex Latino *perperam*; quanquam in Græco latiorem habet ſignificationem. Exprimit ad literam jactitare ſua, ac decora ſua palam prædicare.

PERSECUTIO, *Perſequi*. Ceſſit perſecutio ſemper in partes electorum, atque proborum. Cain Abelem perſecutus eſt; Joſephum fratres; Iſraelitas in Ægypto Pharao. Fugiebat David inſequentem Saulem; Elias & Eliſeus Achabum; Prophetæ ætatis ſuæ Principes ac populos; Jeſus Chriſtus Herodem atque Optimates Judæorum. S. Joannes Baptiſta & Apoſtoli adverſarios nacti ſunt impios, pietatis, veritatis & juſtitiæ oſores; tandem axioma eſt Chriſti: *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*. 2. *Timot.* 3. 12. Verùm: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. *Matth.* 8. 10.

Non ſemper tamen in deteriorem ſenſum verbum *perſequi* uſurpatur, valet enim ſæpè inſequi hoſtes, ſeu fugientes, ſeu continentes ſe in tuto; valet etiam pro adhærere alicui rei conſtanter, e. g. Deut. 16. 20. ſcriptum eſt: *Juſtè, quod juſtum eſt perſequeris*; adhærebis juſtitiæ. Et Pſ. 33. 15. *Inquire pacem & perſequere eam*. In Proverb. 13. 21. *Peccatores perſequitur malum*, i. e. pœna peccati; & Eccli. 34. 2 *Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia*.)

PERSEPOLIS, Metropolis Perſidis. Antiochus Epiphanes inito expilandi Templi Perſopolitani ditiſſimi conſilio, eam urbem adiit; ſed incolæ rem ſubodorati, ad arma concurrentes, illum expulerunt. 2. *Mach.* 9. 1. *&c.* Eadem hiſtoria in 1. *Mach.* 6. 1. *&c.* narratur; ſe pro Perſepoli, Elymais, atque templum illud Nanææ fuiſſe legitur 2. *Mach.* 1. 13. 15. Vide *Nannea*. Porrò duæ illæ urbes, Elymais, & Perſepolis longè diſtinguuntur, atque longiſſimè inter ſe diſtant. Elymais enim ad Euleum, Perſepolis ad Araxem jacet (b). *Perſepolis* autem ab Alexandro Magno igne injecto deſtructæ Epiphaniæ ætate nonniſi rudera extabant (c). Quare in ſecundo Libro Machabæorum vel mendum irrepſit, vel nomen Perſepolis poſitum eſt ad indicandam Metropolim Perſidis, cujus tamen peculiare nomen Elymais erat.

(Perſepolim *Eſthekar* appellant Perſæ, jacetque ad g. 88. longitudinis, juxta Tabulas Arabicas, Author *Lebtarikh* (d) tradit Kiſchtaſb filium Lohorab quintum Regem Perſidis è familia Cajanidarum ſedem ibi Regni conſtituiſſe, excitaſſe pariter delubra plurima igni, cujuſmodi Græci appellant *Pyra* vel *Pyrateria*, & Perſæ *Athesch Khane*, & *Athesch Gheda*. Addunt pariter ejus opera exciſa fuiſſe in petra ſibi atque ſucceſſoribus Regibus ſepulcra conſtituta in monte, qui Urbi illi imminet. Manent hodie uſque ſepulcrorum illorum ruinæ cum fragmentis ſignorum & columnarum, quæ licèt injurias diuturni temporis ſenſerint, demonſtrant tamen ſatis veteres Perſarum Reges ſedes ibi conſtituiſſe ſuas. Deſcripta hæc omnia habemus in Itinerario Chardin; affirmantque D. le Brum celeberrimum Itinerantem correctiùs hæc omnia ſe publico communicaturum, quod tamen hodie uſque detinuit expectantes.

Cavendum tamen ne monumenta illa confundantur cum ſuperbis ædibus Reginæ Homai filiæ Bahuman, ab illa in medio Urbis Eſthekar fabricatis. Appellantur hodie vernaculo Perſarum ſermone *Gihil* vel *Tchilminar*, quadraginta Phari vel columnæ. Tranſtulerunt ædificium illud olim Muſulmani in Moſchæam; mox verò penitus everſa urbe è ruderibus illius fabricata eſt Schiraz, è veteri urbe diſtans tantùm 12. paraſangis. Recentior autem hæc Urbs Metropolis effecta eſt illius Provinciæ, quæ peculiari nomine Perſis appellatur.

Idem Author veteri Perſepoli vel *Eſthekar* aſſignat in longum 12. paraſangas, & 10. in latum, quod utique ab illo exaggeratione quadam dictum eſt. Conſtat tamen Hiſtoricos omnes Perſidis ita de illa agere, tanquam de vetuſtiſſima ac magnificentiſſima totius Aſiæ urbe.

Conditæ urbis Authorem habent Giamſchid; ſed & nonnulli vetuſtatem ejus revocant ad uſque Houſchenek, quin & adulque Caiumarath, Monarchiæ Perſarum authorem. Reipſa tamen præcipuum ejus decus acceptum eſt è ſecunda Dynaſtia Regum, qui relicta Balkhe in Coraſſam, ſedem Regni ad Eſthekar tranſtulerunt.

Fabuloſa Perſarum traditio fert, Urbis fundamenta locaſſe Peri, i. e. veneficas, quo tempore *Gian-Ben Gian* rerum in mundo potiebatur, diu ante ſæcula Adami, quod ſanè privilegium eſt inter omnes Aſiæ urbes Eſthekar & Baalbek ſingulare. Narrant inſuper (e) inter jacienda urbis fundamenta occurriſſe vas cianeum quatuor pintarum, vel geminæ liquoris libræ capax; illud autem pretioſiſſimum vas excellentia ſua nomen obtinuiſſe *Giamſchid*, quod Perſicè eſt vas ſolis; ex eo autem ſexcentas varias allegorias ad carminum ornamenta ducunt Perſarum Poetæ.)

PERSIA, Aſiæ Regnum. Perſarum nomen a Cyro Rege primùm Perſicæ Monarchiæ authore inciſum eſſe cœpit. Olim Elamitæ, Romanorum Imperatorum ætate, *Parthi*, hodie vulgò Perſæ appellantur. Vide, quæ diſſeruimus v. *Parthi*; Regum Perſarum ad Hiſtoriam ſacram, & S. Scripturam pertinentium nomina hæc ſunt.

Cyrus Monarchiæ Perſarum author, novennio à capta Babylone regnavit; ab A. 3466. uſque ad 3475. ante Chr. 525. ante Ær. 529.

Cambyſes, dictus etiam Aſſuerus *Eſdr.* 4. 6. ſeptem annis & 5. menſibus rerum potitus, obiit A. M. 3482. ante Chr. 518. ante Ær. 522.

Oropaſtes Magus 1. *Eſdr.* 4. 5. Artaxerſes, qui ſub ementito *Smerdis* fratris Cambyſis, nomine 5. menſibus Regno præfuit, à conjuratis, quorum unus erat Darius Hyſtaſpis, deindè ſublatus.

Darius filius Hyſtaſpis, in Hebræo Eſther *Aſſuerus*, in Græco *Artaxerſes*, 36. annis Rex; ab anno ſcilicet 3482. uſque ad 3519. ante Chr. 481. ante Ær. 485.

Xerſes I. 12. annis regnavit, ab A. M. 3519. uſque ad 3531. ante Chr. 469. ante Ær. 473.

Artaxerſes Longimanus, Rex annis 48. ab A. 3531. uſque ad 3579. ante Chr. 421. ante Ær. 425.

Xerſes II. anno tantùm Regnum tenuit, obiit A. M. 3580. ante Chr. 420. ante Ær. 424.

Secundianus, ſivè *Sogdianus* germanus Xerſis, qui-

(a) Heſych. Oecumen. Vide Hammond. Le Clerc. Vatab. Caſaub. Lud. de Dieu &c.
(b) Strabo l. 15.
(c) Vid. Diod. Arria. Q. Curtium, & alios in vita Alex.
(d) D'Herbelot. Bibliot. Orint. pag. 327.
(e) Idem pag. 395.

qui eo occiſo. Regnum 7. menſibus occupavit.

Ochus, ſive *Darius Nothus*, undeviginti annis regnavit, ab A. 3581. uſque ad 3600. ante Chr. 400. ante Ær. 404.

Artaxerſes Mnemon, annis 43. regnavit, obiit A. M. 3643. ante Chr. 357. ante Ær. 361.

Artaxerſes Ochus, 23. annis rerum potitus, ab An. 3643. uſque ad 3666. ante Chr. 334. ante Ær. 338.

Arſen, tribus annis regnavit; obiit An. 3668. ante Chr. 332. ante Ær. 336.

Darius Condomanus, poſt exactum in regno ſexennium, ab Alexandro Magno A. 3674. pulſus eſt, Monarchia Perſarum 208. annis ſtetit.

Perſia regio eſt, quam ad orientem definit Provincia Kerman (a), ad occidentem Chuſiſtan, ad meridiem Sinus Perſicus, ad ſeptentrionem vaſtum deſertum, quo à Choraſſan diſtinguitur. Centum Galbeanis leucis excurrit ſecundùm Oceanum. *Jezd* Urbs eſt ejus ditionis maximè orientalis; Hamadan maximè occidentalis; *Gireſt* vel *Sireſt* maximè meridionalis; & *Rei* maximè ſeptentrionalis.

Si fides eſt Arabibus, *Fars* Perſarum author patre ſatus eſt *Azar* vel Arphaxad filio Sem. Accerſunt alii virum illum ex Japheto; ſed Perſæ originem ſuam repetunt ex *Kaiumaraſth*, qui apud illos perinde eſt, ac apud nos Adam. Affirmant ſemper è Gentilibus ſuis habuiſſe ſe Reges, quorum ſeriem nonniſi brevior temporis vacatio interrupit.

Dilemitas, Curdes, & Turcas Orientales ſurculum Perſarum cenſent Authores nonnulli. Occupant Dilemitæ loca ſecundùm Mare Caſpium, quod ex illis pariter appellatum eſt *Mare Dilem*. Curdes per univerſam diſſipati Aſſyriam Provinciæ illi nomen Kurdiſtan conciliant. Receperunt ſe Turcæ trans Oxum in regionem, quam ſuo nomine appellarunt Turkeſtan.

De Religione veterum Perſarum varii varia. Herodotus, omnium quotquot de hoc argumento vetuſtiſſimus, l. 1. c. 131. *Neque ſtatuas*, ait, *neque Aras extruere (apud illos) conſuetudo eſt; quinimo hoc facientibus inſaniam tribuere; ob id (ut mea fert ſententia) quod non quemadmodum Græci, ſentiunt, Deos ex hominibus eſſe ortos. Moris habent editiſſimis quibuſdam conſcenſis montibus Jovi hoſtias immolare, omnem gyrum Cœli Jovem appellantes. Soli Lunæque ſacrificant, & telluri, igni, aquæ, atque ventis, hiſque ſolis ſacra faciunt jam inde ab initio. Uraniæ quoque ſacrificant, ſic nimirum ab Aſſyriis Arabibuſque edocti. Vocant autem Aſſyrii Venerem Mylittam, Arabes etiam Alittam appellant, Perſæ Mitram.*

Strabo l. 15. ferè ad verbum excribit Herodotum, niſi quòd ab eo diſſentiatur in nomine *Mithra*, quam non *Veneri*, ſed Soli tradictam à Perſis appellationem cenſet, ut cæteris etiam Authoribus probatum eſt. *Sacrificant*, ait ille, *in loco mundo cum imprecationibus & coronatam hoſtiam ſtatuunt. Ubi Magus, qui ſacrificium curavit, carnis portiones diſtribuit, ſua quiſque accepta abeunt, nulla parte Diis relicta: dicunt enim Deum nihil velle, præter hoſtiæ animam; Quidam, ut fertur, omenti partem igni imponunt. Præcipuè igni & aquæ ſacrificant, igni arida ligna imponentes, & adempto cortice, & pinguia ſuperinjecta, deinde infuſo oleo ſuccendunt, non inſpicantes, ſed ventilantes; Si quis inſpirat, aut mortuum quidquam cœnumve in ignem injicit, morte punitur.*

Aquæ ſacra peragunt hoc modo: In lacum vel flumen vel fontem venientes ſcrobem faciunt, ibique hoſtiam jugulant, caventes ne quid proxime aquæ ſanguine contingatur; ſic enim omnia pollutum iri. Poſtea carnibus, myrto, lauroque impoſitis, eas Magi gracilibus virgis comburunt, & factis imprecationibus quibuſdam oleum lacte ac melle mixtum inſpergunt, non in ignem nec in aquam, ſed in terram. Imprecationes diu faciunt; faſciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes. In Cappadocia (ibi enim maxima eſt ibi Magorum multitudo, qui Pyrethi vocantur, & multa Perſicorum Deorum Templa) non cultro ſed ſtipite quodam mactant; tanquam malleo verberantes. Sunt & Pyrætheia ſepta quædam ingentia, in quorum medio Ara eſt. In ea Magi & cinerem multum & ignem perennem ſervant; & eo quotidie ingreſſi imprecationem faciunt per horam, ante ignem virgarum faſciculum tenentes, pileis circumſcriptis velati ex utraque parte dependentibus, adeò ut vitta labia contegant ac malas.

Sacrorum ritum, ait Herodotus loc. cit. *hujuſmodi quondam inſtituerunt. Perſæ quippe ſacrificaturi nec Aras erigunt, neque ignem incendunt prorſus, ſed neque libamentis utuntur, aut tibiis infulisve, aut molis; verùm ut quiſque Diis hiſce ſacra facere ſtatuit, in locum mundam victimam ſiſtens, Deum illum implorat, myrto maximè cinctam geſtans tiaram. Sacrificans autem, non pro ſe ſolo privatimque vota nuncupat, ſed communiter univerſis Perſis bene precatur, in primis quidem Regi. Ubi verò jam in minutas particulas membratimque hoſtiam conſcidit, carnibus elixis herbam ſubſternit quam molliſſimam, maximè trifolium. Hinc impoſitis carnibus Magus aſtans Theogoniam accinit; ſiquidem hanc illi dicunt eſſe incantationem efficaciſſimam. Citraque Magum nullum illis ſit legitimum Sacrificium. Mox ſacrificus ſublatis carnibus utitur in quemcumque uſum illi fert animus.*

Dogmata quædam religioſa illorum recitat Plutarchus de Iſide & Oſiride. Fuiſſe inter illos dicit, qui agnoſcerent duo principia bonum nempe & malum, inclytum ſcilicet Zoroaſtrem, qui juxta nonnullos vivebat 5000. annis bello Trojano ſuperior. *E Diis hiſce hunc quidem Oromazem, alterum Arimanium nominavit. Prædicavit inſuper Oromazem referre præcipuè ex rebus in ſenſum cadentibus lucem, Arimanium vice verſa tenebras & ignorantiam; medium horum duorum Mithrem eſſe. Hinc Mithrem Perſæ mediatorem vocant. Tradidit autem, ut priori ſacra votiva gratia habenda cauſa facerent; alteri averruncanda & triſtia. Ita verò invocabant Perſæ Numen Plutonis & tenebras. Terentes certam herbam quæ Omomi dicitur, in pila Ditem patrem, & Orcum advocant. Tum diluunt eam jugulati lupi cruore, efferuntque in locum opacum effunduntque. Siquidem plantas partim bono Deo, partim malo Dæmoni aſſignant, itemque animantes, ut canes, aves & echinos terreſtres bono; malo aquaticos. Oromazes ex impidiſſimo lumine, Arimanius ex caligine genitus, bellum inter ſe gerunt. Atque prior ſex Deos creavit; primum benevolentiæ, alterum veritatis; tertium bonæ diſciplinæ publicæ, reliquorum unum ſapientiæ, alterum opulentiæ, ultimum, oblectationum ex rebus honeſtis opificem. Poſterior horum quaſi æmulos totidem.*

Inde cum ter ſe Oromazes amplificaſſet, abſtitit à ſole hactenus, quatenus à terra Sol receſſit; æthereque diſtinxit ſideribus. Unum vero ſtellam præ omnibus quaſi tutricem & excubitricem infixit ibi caniculam. Jam alios effecit viginti quatuor Deos, quos ovo incluſit. Qui verò fuerant ab Arimanio producti, hi quoque totidem numero ovum politum pertuderunt. Ita confuſa cum malis bona fuere. Veniet autem tempus fatale, quo Arimanius, qui peſtem & famem inducit, ab his intereat, & tollatur, neceſſe ſit; & tunc cum terra plana & aqua fuerit reddita, una vita unaque Reſpublica exiſtat hominum beatorum & una utentium omnium lingua. Theopompus ait ex Magorum authoritate; vir ſſim ter mille annos alterum iſtorum Deorum dominaturum; alterum fractum iri. Altera autem tria millia annorum pugnaturos, bellaturos, & ever-

(a) D' Herbelot Bibliot. Orient. pag. 340.

everſuris mutuò alterum res alterius: Ad poſtremum abjectum fore Ditem Patrem, futuroſque homines felices, neque cibum deſideraturos, neque umbram facturos.

Quæ olim Perſæ recuſaverant ſimulacra, ſucceſſu dein temporis admiſerunt, ait Beroſus in tertio Chaldaicorum apud S. Clementem Alexandrinum in Protrept. Artaxerſes filius Darii & Pater Ochi omnium primus ſtatuas invenit, erexitque Babylone, Suſis, Hecbatanis ſignum Veneris Tanaïdis, ac docuit Perſas Bactrianos, Damaſcenos, Sardios Numinis ejus cultum. Hæc de Religione Veterum Perſarum tradunt Scriptores ejus ætatis, qua planè rem noſſe poterant.

Recentior quidam Scriptor in linguis Orientalibus verſatiſſimus, quique in Religione Perſarum addiſcendâ gnaviter ſeſe exercuit, arbitratur rectè de Numine ſenſiſſe illos, quippè qui nonniſi unicum agnoſcerent. Quæ enim duo ſtatuebant principia ita reputabant, ut alterum creatum dicerent alterum increatum; creatum autem erat Mundus. Impenſum Soli atque igni cultum civilem non religioſum defendit. Perſæ hodie Religionis ſuæ authorem ſtatuunt Abrahamum, ſive eundem cum Zoroaſtre virum, uti nonnulli creditur, ſive Zoroaſtris præceptorem, ut aliis placet. Tenent ſex diebus Mundi productionem abſolutam fuiſſe, creatos autem in rerum exordio à Deo marem & fœminam, unicos humani generis authores; plures extitiſſe paradiſos terreſtres, unicum diluvium univerſale, Moyſem & Salomonem unicos. Expreſſa hæc omnia agnoſcimus ex Hiſtoriis Judaicis & traditione Mahometanorum.

Agnoſcunt Deum æternum (a), quem vernaculo ſermone appellant *Jezdan*, vel *Ormazdem*; ipſe eſt autem genuinus Deus Arabibus dictus *Allah*, bonorum omnium author. *Ahermen* Deus eſt alter caliginis author, qui ipſiſſimus eſt *Eblis* Arabum vel Dæmon, omnis mali author. Lucem ſummè venerantur, execranturque tenebras. Deus, rerum omnium creator, lucem tenebraſque produxit, ex quarum rerum admixtione bonum & malum coaluerunt, generatio atque corruptio, tandem partes mundi omnes contiterunt, ſubſiſtentque tandiu, donec in diverſa abeuntis lux & tenebræ rerum diſſolutione inducant. Hæc doctrinæ Zoroaſtricæ ſumma, quam hodie pariter defendunt Magi & Guebres cultores ignis, qui inter orandum obverſas habent ſemper ad exorientem ſolem facies.)

PERSIS, Matrona Romana quam Apoſtolus cariſſimam ſororem appellans, quæ multùm laboravit in Domino, ſuo nomine ſalutatam voluit (b). Geſta hujus fœminæ omnia latent, ejuſque memoriam apud nullam Eccleſiam recoli miramur.

(PERSONA. *Acceptio Perſonarum*. Vide *Acceptio*.)

PES, 12. pollicum menſura, Hebræis verè incognita, cùm ipſorum *Zereth*, ſive ſemicubitus 10. tantùm pollices, & $\frac{22}{89}$ contineret.

(PES. Solent Hebræi pudoris gratia ſub honeſto pedis nomine ea exprimere, quæ ſuo nomine prodere vetat pudor; e. g. *Aqua pedum Iſaiæ* 36. 12. eſt urina. *Operire pedes ſuos Judic.* 3. *&* 1. *Reg.* 24. 4. eſt juxta Hebræum corporis neceſſitates curare. Leguntur Iſaiæ 7. 20. *pedum pili*, pro pilis totius corporis. *Radet Dominus novacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam univerſam*. Paria fermè inſinuat Jerem. 2. 25. *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti*; ne proſtitutionem tuam in populos cæteros nunc uſque protogatam, ulteriùs producas; ſermo eſt ad Judæos infideles & idololatras. Vide etiam Ezech. 16. 25. *Diviſiſti pedes tuos omni tranſeunti*. *Colligere pedes ſuper lectulum*, *Geneſ*. 49. 33. dicitur de ſpiritum agente; ſumpta metaphora ab homine, qui algore correptus colligit ſeſe in lectulo. Habet etiam Scriptura *colligere ſe ad patres ſuos, ad populum ſuum colligi ad ſepulchrum*; quæ omnes phraſes deſignant obitum quo ad communem mortales omnes conditionem rediguntur.

Jacob ad Labanum, Geneſ. 30. 30. *Benedixit tibi Dominus ad pedem meum*, i. e. uti vertit S. Hieronymus *Ad introitum meum*; ex quo ſcilicet ad te diverti, gregeſque tuos curandos ſuſcepi.

Pedes Sacrorum Authorum ſtilo valent etiam deſignandis animi propenſionibus, moribus, geſtis. *Deduc me in ſemitis tuis*. *Prohibe pedem tuum à ſemitis malorum*. Pedes mulieris proſtitutæ deſcendunt in mortem. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ Pſal*. 35. 12. Et Pſal. 118. 59. *Converti pedes meos in teſtimonia tua*.

Ad pedes alicujus eſſe, perinde valet ac in fide & ſervitiis alicujus manere, illius ſequelæ addicere ſeſe. Abigail, Davidem conveniens, attuliſſe ſe dicit munera pueris, *qui ſunt ad pedes ejus* 1. *Reg* 25. 27. i. e. militibus. Dilexiſſe Deum populum ſuum canit Moyſes Deut. 33. 3. *Et qui appropinquant, ait, pedibus ejus accipient de doctrina illius*. Inſtructum ſe ante pedes Gamalielis affirmat Apoſtolus, Act. 22. 3. & Maria ante pedes Jeſu Chriſti aſſidens verba ejus paſcebatur *Luc*. 10. 32.

In Hebræo Deuteronomii 11. 10. ſcriptum eſt: *Terra ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti ubi jactum ſemen irrigatur pedibus*, i. e. Palæſtina regio eſt maximè pluviis irrigua, ac rore madeſcens, perluiturque fontibus, rivis, & torrentibus, nequid de Jordane dicam, unde ſatis humoris fovendæ ac fœcundandæ terræ ſufficitur; Ægypti verò regionem unus irrigat Nilus, nullæ pluviæ. Quæ autem terræ impares ſunt ut fluminis aqua pervadantur, ariditate ſua ſteriliſcunt. Cui præcavendo incommodo aggeres in agro excitati ſunt, quorum favore per vicos ac regiones diſtribuuntur aquæ, quæ cauſa eſt interdum diſſidiorum ac certaminum inter eas gentes.

Hiſce tamen nequidquam factum eſt ut loca omnia aquis perſuantur; plura enim areſcunt, atque animi decurſu loca Nilo proxima deductis artificio aquis indigent ad fructus promendos. Id autem præſtatur ope quarundam machinarum, quas ita deſcribit Philo de Confus. linguarum pag. 335. Rotam parant, quam deſtinatus ad id homo pedum motu torquet, per gradus intra rotam diſpoſitos aſcendens. Cùm autem in orbem convolvente ſe rota, homo ille ſuſtinere ſe non poſſet, manu tenebat lignum aliquod immobile, quo corporis habitu manus pedis officium gerebant, pedes manuum. Cùm enim agere manuum ſit, illæ tunc quietem ſervabant; & cùm viciſſim pedum ſit quieſcere, ſemper tamen manebant actuoſi, motum imprimentes rotæ. Hæc inſinuat Moyſes tradens in Ægypto ſolum irrigari pedibus.

Eſſe ſub pedibus alicujus, ſcabellum ſe præbere, figurata eſt locutio exprimens obſequium ſubditi in Principem, famuli in Dominum. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus Pſal*. 8. i. e. hominis. *Cadent* (adverſarii mei) *ſubtus pedes meos*. *Pſ*. 17. 39. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*.

Adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi Iſaiæ 60. 14. Hæc pariter phraſis recurrit Pſ. 118. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus*. Validiori phraſi Iſaias 49. 23. *Pulverem pedum tuorum lingent*.

Veſtigium pedis. *Act*. 7. 35. exprimit minimum terræ ſpatium. Patriarchæ, ne pedis quidem veſtigium, nihil prorsùs in Palæſtina poſſiderunt. *Neque dabo vobis de terra eorum* (Edom) *quantum poteſt unius pedis calcare veſtigium*.

PEDEM *in aliquo loco ponere*, exprimit jus in poſſeſſionis alicujus loci accipere tanquam Dominum *Deut*. 11. 24.: *Locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit*. Et in Idumæam *extendam calceamentum meum*; mihi illam ſubmittam *Pſ*. 59. 10. *&* 107. 10.

Porta-

(a) D'Herbelot Bibl. Orient. pag. 340.
(b) Rom. 16. 12.

Digitized by Google

Portare calceamenta, ſolvere corrigiam calceamentorum alicujus, eſt lixam & calonem alicui præſtare. Vide Matth. 3. 11. Marci 1. 7. Lucæ 2. 16.

Scitum eſt olim lavari conſuevisse pedes advenarum ex itinere venientium *Gen.* 18. 4. & 19. 2. & 24. 32. ideo ſcilicet quòd caligis non uterentur, nec pedes ſtringerent niſi ſandaliis, quare & pulvere & cœno pedes fœdabant. S. Paulus 1. Timot. 5. 10. monet ſedulò inquiri, num viduæ ſervitiis Eccleſiæ deſtinatæ laverint pedes Sanctorum & Fidelium. Chriſtus Jeſus exemplum nobis tradens demiſſionis ſuæ, lavandos ſuſcepit pedes Apoſtolorum *Joan.* 13. 5. monens ſimul ut alter alteri, vel in abjectiſſimis, ſerviret.

Rectè in aliqua re ambulare Galat. 2. 14. ſyncerè ſcilicet aliquid agere, non callidè & ſimulatè; opponitur ei, quod Scriptura appellat, claudicare in duas partes 3. *Reg.* 18. 21. *Uſquequò claudicatis in duas partes?* Et Pſal. 17. 46. *Filii alieni claudicaverunt à ſemitis ſuis.*

Nuditas pedum, luctus argumentum erat. *Ingemiſce tacens*, ait Deus ad Ezechielem cap. 24. 16. *Mortuorum luctum non facies, calceamenta tua erunt in pedibus tuis.* Erat etiam obſequii: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta. Exodi* 3. 5. Nudipedium in Templo à Judæis & Sacerdotibus ſervatum docent Rabbini. Vide ſupra *Nuditas pedum*, & Joſue 5. 16.

De ſe perhibet Jobus 29. 15. *Oculus fui cæco & pes claudo*; alterum enim deducebat, alterum ſuſtentabat. Alibi verò habet: *Poſuiſti* (Deus) *in nervo pedem meum, & veſtigia pedum meorum conſideraſti Job* 13. veluti cùm avem commendamus filo, vel funiculo, ut ne greſſum quidem niſi volente deductore ſuo ponere valeat.

Lavare pedes ſuos oleo Deut. 33. 24. vel *butyro Job* 29. 6. exprimit bonorum omnium largitatem. *Lavare pedes ſuos in ſanguine peccatoris Pſ.* 67. 24. eſt ponere in exemplum inſignis ultionis, cruorem in rivos deducere.

Stultus, ait Salomon Prov. 6. 13. *annuit oculis, terit pede*; Hebr. *loquitur pede*, inter loquendum manibus pedibuſque geſticulatur. Porrò geſticulatores illos omnibus membris ſuis loquentes reprehendebant olim veteres Sapientes. Ezechiel 20. 5. 6. vitio vertit Ammonitis plauſiſſe illos manu & percuſſiſſe pede; quæ dabant lætitiæ argumenta pro deſolatione Jeruſalem & Templi. Hæc eadem capite 6. 11. argumenta fuiſſe doloris pro everſione populi ſui, exprimit.

Pes meus ſtetit in directo (a); ſemitas juſtitiæ tenuit ſeu potiùs ſi loquens inducatur Levita: Pes meus ſtabit in loco deſtinato Levitis in Templo Domini, in atrio Sacerdotum, ubi ſedem habeo conſtitutam: *In directo, in plano.* Pſ. 30. 9. *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*; olim enim tanquam in vinculis detinebar, vel in loco lubrico, ubi firmum non ponerem greſſum, modò verò conſtituiſti pedes meos in loco ſpatioſo, firmo, & ut alibi Pſ. 39. 3. ſeſe explicat: *Statuit ſuper petram pedes meos.*

Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bovis & aſini, ait Iſaias 32. 20. beatos populos, qui ſerunt in ſolo aquis irriguo, coluntque agrum opimum & fertilem bobus ſuis & aſinis; vel qui eo immittunt ad paſcua boves ſuos & aſinos; *Immittere pedem*, eſt eò mittere ad paſcua, ad culturam.

Si averteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, ait idem Propheta 58. 13. ſi te abſtinueris ab itinere & ambulatione die Sabbati, neque eadem die, quæ tibi maximè arriſerint, feceris. Scitum eſt vetita fuiſſe Judæis itinera die Sabbati. Vide Matth. 24. 20. & Act. 1. 12.

Judæorum fœminæ preciſis annulis ornabant pedes. Vide ſupra *Periſcelides*.

In ædibus ſe continentes viri nudipedium ſervabant, tenuiores verò nunquam fermè tegebant pedes etiam iter habentes. Solemne tamen erat ſoleis munire pedes, quando prodeundum erat in agrum. Vide *Solea*, & *Caliga*.

PESTIS, Vernaculo Hebræorum ſermone, ſicut & apud alias gentium linguas nomen peſtis commune erat morbis omnibus & flagellis, reſpondetque Hebræo *Deber*, quod ad litteram eſt peſtis & morbus quicumque epidemicus, ac contagioſus. Solent Prophetæ jungere tria hæc, ſocietate malorum ita conjuncta, ut alter, fermè alterum ſequatur, gladius, fames, peſtis, nomine peſtis ſignificatione ſupra expreſsâ uſurpato.

Peſtilens homo Prov. 15. 12. eſt irriſor, ingenium illud ſupra vulgaria, quia ſimplicitatem proborum atque timidam illam animarum piarum religionem vertit in ludum. Hebræum *Lez*, quod redditur *peſtilens*, *eſt deriſor*. *Cathedra peſtilentiæ* de qua in primo Pſalmo, eſt cathedra perniciosorum ejuſmodi hominum.

Diſcipulum ſuum non ſemel præceptis veluti amuletis præmunit in venenatos illos hominum ſermones Salomon: *Non amat peſtilens* (Hebr. *deriſor*) *eum qui ſe corripit* Prov. 15. 12. Prov. 19. 25. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit*; pœna de irriſoribus illis exacta documentum eſt imbecillium, ſtultorum, & cæterorum quibus rationis lumen eſt debile. Prov. 29. 8. *Homines peſtilentes diſſipant civitatem*; provocantes enim Dei in civitatem illam ultionem, deſolationem inducunt. Tertullus Judæorum Orator expoſuit pro concione S. Paulum *hominem eſſe peſtiferum*, quippe qui docens Jeſum fuiſſe Chriſtum, ſeditionem ſereret *Act.* 24. 5. de Babylone agens: *Ecce ego ad te*, ait, *mons peſtifer*, quòd ex illa peſtis idololatriæ & ſuperſtitionis latè per mundum diffunderetur. Meſſias, Oſee 13. 4. ita loquitur juxta verſionem S. Hieronymi: *Ero mors tua* (peſtis tua), *o mors, morſus ero, inferne.* In Pſ. 90. 3. quo loco habet Vulgata. *Ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.* Hebræus habet: *Et à Peſte pernicioſa.* Quæ literæ exprimant verbum *Dabar*; deſignant etiam peſtem, *Deber*.

PETASUS plenus erat in uſum iter habentium; cujuſmodi præferunt vetuſta Mercurii ſimulacra, limbos habebat porrectos, ſed minus amplos, quam pilei noſtræ ætatis; peculiare erat capitis integumentum iter habentium; utebatur eo Mercurius tanquam Deus Itinerantium & Mercatorum.

In Græco 2. Macchabæorum 4. 12. legimus Jaſonem ſummum Sacerdotem Judæorum coegiſſe Juvenes robuſtiores viribus, quique meliùs valebant in paleſtra equorum, ut *tranſirent ſubtus Petaſum*. Docent Heſychius & Pollux datum fuiſſe Petaſum *Ephebis*, pueris nempe ephebos attingentibus, & Mercurio, cui dicatum fuiſſe creditur Theatrum Jeroſolymitanum. S. Hieronymus aliique plures Interpretes Textum Macchabæorum expoſuerunt de lupanaribus, ad quæ Ephebi inducerentur; vertit: *Optimos quoſque Epheborum in lupanaribus ponere.*

Cenſet Junius *Petaſum* hic exprimere idem ac Petaurum, notatque Heſychius & Phavorinus utramque hanc vocem interdùm confundi; eſt autem Petaurus rota quam tranſverſo curſu ac mira agilitate trajiciebant Petauriſtæ. Inſinuat igitur Author Macchabæorum ad hæc plena diſcriminis exercitamenta coegiſſe Jaſonem eos, qui prima illa gymnaſii exercitamenta melius obiiſſent.)

PETHOR, urbs Meſopotamiæ, Balaami impii Prophetæ patria. In Hebræo eſt *Pethura*, ſive *Pathura*; apud Ptolemæum *Pachura*, & apud Euſebium *Phatura*, qui etiam ſitam narrat in ſuperiori Meſopotamia. Nos ultra Euphratem, non longè à Thapſacho conſtituimus. Ejus urbis nomen Sanctus Hieronymus in ſua Verſione *Num.* 22. 5. omiſit; legit enim: *Ad Balaam, qui habitabat ſuper flumen terræ filiorum Ammon.* Illa ſanè aliter, ac nos, Hebræum legit.

(a) Pſ. 25. 12. Hebr. *In loco recto & plano.* Hamm. Vatabl.

Digitized by Google

legit. Septuaginta habent: *Ad Balaam filium Beor in Phatura, quod eſt ſuper flumen terræ filiorum populi illius*. Conſtat ſanè, Balaàmum è Meſopotamia fuiſſe. Vide Deut. 23. 4.

PETRA, Metropolis Arabiæ Petrææ, in Notitiis Eccleſiaſticis antiquis Metropolis eſt tertiæ Palæſtinæ. Euſebius etiam, & S. Hieronymus interdum Palæſtinæ terminum mare rubrum, & Elath urbem ad idem mare conſtituunt; qui ſanè termini Idumæam, & Arabiam Petræam complectebantur. Prioribus tamen ſæculis Palæſtina inter anguſtiores fines comprehenſa eſt. Vetus Petræ nomen, *Rekem*, ſive ut Joſephus, & Euſebius legunt, *Arke*, *Arkeme*, vel *Arkem* (a) fuiſſe tradunt; quod nomen ea Rekem Rege Madian derivatum perhibet Joſephus *Antiq. l.* 4. *c.* 7. Hujus quidem Regis mentio eſt *Num.* 31. 8. ſed nullibi in Scriptura nomen *Rekem* urbi inditur.

De Amaſia Rege Juda ſcriptum legimus (b). *Apprehendit Petram in prælio* (Hebr. *Sela*), *vocavitque nomen ejus Jectehel, uſque in præſentem diem*. Sunt, qui his verbis urbem. *Petram* Arabiæ Metropolim deſignatam credant. Sed horum fides incerta; potuit enim Amaſias rupem quamdam (*Sela*), in quam Idumæi ſe recepiſſent, expugnare, quam deinde in monumentum victoriæ, *Jectehel*, ſive *Jectahel*, nempè obedientia Domini, appellatam voluerit.

Nomen *Petra* Græcè *rupem* ſonat, quod fortaſſe nomen urbi inditum eſt, ſivè quòd rupi inſederit, ſive quia ſaxis undique obſideretur, ſive tandem, quòd ædes quamplurimas in ſaxo excavatas haberet. Apud Veteres etiam *Agra*, ſivè *Hagar* appellatur; unde *Agaræi*, *Agareni*. Sed neque eo nomine in Scriptura innoteſcit; quare de hac urbe nulla in Scriptura mentio, niſi ſub nomine Sela (c) ſignificatam credamus.

Apud Strabonem *l.* 16. legimus, eam urbem Nabathæorum Metropolim fuiſſe, quò Minæi, & Gerræi mercatores, veluti ad Emporium, aromata deferebant. Addit autem, urbi planitiem adjacuiſſe, hortis & fontibus amœnam, quam rupium corona cingebat. Paria fermè de illa Plinius *l.* 6. *c.* 28. *Nabathæi*, ait ille, *oppidum incolunt Petram nomine in Convalle, paulò minus II. M. paſſ. amplitudinis, circumdatum montibus inacceſſis, amne interfluente*. Hæc ſane diverſa ſunt ab iis, quæ Nubienſis Geographus *climat. 3. par.* de illa prodit, ejus ſcilicet ædes, ut plurimum, in ſaxo exciſas fuiſſe. Agarenorum Metropolim, quam *Atram* appellat, veluti in ſpecula celſiſſimi montis conſtitutam Herodianus *l.* 3. deſcribit. Dio *l.* 68. nomen quidem ſilet; ſitam verò ſignificat in vertice quodam prærupto regioni ſqualidæ, & infœcundæ imminentem: qua proinde Trajanus obſidione tentata, etiam poſt ſuſſoſſa mœnia, recedere coactus eſt. Locutus tamen videtur Dio de urbe quadam Meſopotamiæ (d), alia ſane ab ea, de qua nobis ſermo.

Plures hujus nominis fuiſſe urbes Geographi nonnulli animadverterunt (e). Geminas; alteram Palæſtinæ, aliam Arabiæ urbem, S. Athanaſius diſtinguens; illius Epiſcopum Arium, ſive Macarium, hujus verò Aſterium memorat (f). *Rekem* & *Petra*, tanquam duarum urbium nomina, apud Paraphraſtes Jonathan, & Onkelon leguntur (g). Joſephus *Antiq. l.* 3. *c.* 2. agit de Petra in regione Amalecitarum, eadem, ac Rekem, ſive Petra, Aaronis juxta illam obitu clara (h); quam tamen ipſe cum Petra olim *Rekem*, de nomine ſui Regis in Madianitidem confundit *Antiq. l.* 4. *c.* 7. Demum mea quidem ſententia, Petra, ſive *Sela*, in Moabitide, ſive in Idumæa Orientali (i), deinde Jectahel appellata, alia eſt à *Petra*, alio nomine Rekem, in Idumæa meridionali, ſivè in Arabia Petræa, aut in Regione Amalecitarum.

Certum verò hujus poſtremæ urbis ſitum definire vix poſſumus; quam enim Strabo *l.* 16. trium quatuorve dierum itinere à Jerichunte, & quinque a nemore palmarum ad Mare rubrum collocat; Plinius *l.* 6. *c.* 28. 600. milliar. à Gaza, & 125. à Sinu Perſico removet. Mendum tamen in textum irrepſiſſe Cellarius, & Relandus ſuſpicantur, legendumque 125. milliar. à Gaza, & 600. à Sinu Perſico. *Theman* quoque milliar. à Petra diſtat; *Carcuria* diei itinere; *Beeroth Bene-jacan* 10000. paſſibus; totidemque, orientem verſus *Elath*, juxta Euſebium.

(PETRA. Creditur Urbs *Krak* vel *Karak*, ſita in finibus Arabiæ ac Syriæ, quà ocurrunt ad meridiem, ipſiſſima eſſe vetus Urbs Petra, Arabiæ olim Metropolis, in Ptolemæo notata nomine *Charat Moab*, vel *Charat Moba*; in Stephano *Mobucaras*; & tacitè etiam in 2. Machab. 12. 17. nomine *Caraca*, & Judic. 11. 3. *Carcach*; vel *Carah*. Porro *Carath*, vel *Crath* exprimit Chaldaicè & Syriacè arcem. Noſcitur in noſtris hiſtoriis nomine *Crak de Mont real*. Diu à Chriſtianis poſſeſſa eſt dum bella Terræ Sanctæ gererentur, ſed tandem ceſſit Saladino anno 584. Hegiræ, & J. C. 1188. Succeſſores ejus Ajubitæ tandiu illam ſibi habuere, quandiu à Mamlukis expulſi ſunt. Ideo verò inditum Urbi nomen *Krak* cenſet D. D' Herbelot Bibl. Orient. pag. 419. 420. & 256. quòd ſcilicet olim à Judæis appellaretur *Arak*.

Succeſſu temporis nomen mutavit in *Hag* vel *Hagiar*, quod ſonat petram. Sita eſt in Provincia *Higiaz* nec diſtat niſi ſpatio 24. horarum itineris ab Jamamah, cui ſubmittitur. Ex Urbe Agr vel Hagiar inditum eſt nomen regioni inter Syriam & Arabiam, quam nos appellamus Arabiam Petræam, ubi ſedes erant olim populi Saleh, i. e. Themuditarum. Monſtrantur hodie uſque, teſtibus Munſulmanis, in ea regione ſpecus & latebræ, quò ſe ultioni Dei, quam Propheta Sale minitabatur, evitandæ populi illi ſeſe recéperunt. Monſtrantur pariter ſepulcra interfectorum in prælio cum Pſeudopropheta Muſeilemah, qui eadem moliebatur in Iemen, quæ Mahometus molitus fuerat in Higiaz.

Urbis Hagiar commodus ſitus contulit in illam privilegium Metropolis, & munimenti Carmathatum, unde perduelles illi excurſionibus infeſtabant ditionem Califarum Bagdet, graveſque inſtabant peregrinationem ad Mecham obeuntibus, ex quo peregrinatio illa pluribus annis jacuit. Arcem ibi fabricavit Abuſaid, arcem, inquam, appellatam Hagiarah, quam filius ejus Abouthaher firmis adeo munitionibus vallavit, ut exinde Hagiar invicta Urbs cenſeretur.

Urbs eſt alia alterius in Arabia Provinciæ Bathrain, eodem nomine *Hagar* vel *Hagiar* appellata.

Petra aquarum contradictionis illa eſt; ubi Moyſis fides nutàvit aliquanto; quem virum ibi reprehendit Scriptura, quaſi in corde ſuo hæſitans debito honore coram oculis filiorum Iſrael Deum fraudaverit *Num.* 20. 12. Petra aquarum contradictionis appellata eſt, ſicut expreſſæ ea illa aquæ contradictionis dictæ ſunt, quòd murmur illic populi & ſeditio in Moyſem excitaretur.)

PETRA. In Palæſtina, montuoſa ſanè regione, rupes frequentiſſime occurrunt, quæ quidem tutum confugientibus aſylum ab hoſtibus, & munimentum præ-

(a) Joſeph. Antiq. l. 4. c. 4. & 7. Euſeb. & S. Hieron. ad Arkam.
(b) 4. Reg. 14. 7. An. M. 3177. ante Chr. 823. ante Ær. 827.
(c) 4. Reg. 14. 7. Iſai. 16. 1. & 42. 11.
(d) Vide Tillem. Hiſt. des Emper. Trajan. art. 24.
(e) Vide Cellar. Geogr. Vet. l. 3. c. 14.
(f) Epiſt. ad Monach. Vide Reland. Palæſt. l. 3. pag. 127.
(g) Vide ad Gen. 20. 1. & 16. 14. (h) Antiq. l. 4. c. 4.
(i) De hac Iſa. 16. 1. & 42. 11. & 4. Reg. 14. 7.

Digitized by Google

præſtantes, ejus ſecuritati, & deſenſioni datæ videntur. Benjamitarum reliquiæ, poſt cædem ab aliis Tribubus acceptam, in petram Remmon ſeſe receperunt *Judic.* 20. 47. Samſon in petra Etham *Judic.* 15. 8., David Saulem fugiens, in caverna petræ Maon, Odollam, & Engaddi ſe continuit 1. *Reg.* 23. 25. 28. & 24. 1. Porro ſpecus ille Engaddi amplus adeo erat, ut Davidem una cum univerſa ſua manu ibidem latentem, Saul ſpeluncam ingreſſus & aliquandiù moratus nè ſenſerit quidem. Quinque Chananæorum Reges in ſpelunca Maceda Joſue clauſos, poſt relatam de illis victoriam, detinuit *Joſue* 10. 16. Iſraelitæ à Madianitis oppreſſi, eorum ſævitiem in antris & cavernis petrarum defoſſi, declinare cogebantur *Judic.* 6. 2. Hiſce antris, atque ſubterraneis ſpecubus frequentem eſſe meridionalem Judæ plagam S. Hieronymus eſt author. Nec aliæ ſanè Cinæis ædes fuerunt *Num.* 24. 21.; hodieque ſunt integris quibuſdam illorum locorum gentibus (a). De ſpecubus petrarum, quò fures ſeſe recipiebant, Joſephus ſæpiſſimè agit. Tandem caveis in petra exciſis horrere omnia teſtantur, qui eas regiones excurrunt.

PETRA. Hoc etiam nomen per metaphoram dictum de Deo uſurpatur; quippè qui Iſraelis munimentum, aſylum, & refugium in ſe uno conſtituiſſet; quemadmodum per ſe tutamentum populis, & munimentum præſtabat *Pſal.* 18. 3. *Dominus refugium meum* (Hebraicè *petra mea*) *ſperabo in eum. Quis Deus* (Hebr. *petra*) *præter Dominum Pſal.* 18. 32.? *Fortitudo mea, & refugium meum* (Hebr. *petra*) *es tu Pſal.* 31. 3. *Iſrael receſſit à Deo, ſalutari ſuo* (Heb. *petra ſalutis ſuæ*) *Deut.* 32. 15. *Non eſt Deus* (Hebr. *petra*) *noſter, ut dii* (Hebr. *petræ*) *eorum. Deut.* 3. 31.

Hebræi etiam non raro munimenta, quò ſe in tutum recipiant, petras appellant. *Eſto mihi in locum munitum, & in locum refugii Pſal.* 30. 3. *Eſto Domine refugium noſtrum, & virtus.* Hebraicè *petra*.

Cùm verò lapideis cultris ad circumciſionem uterentur, inde petræ nomen cultro datum *Exod.* 4. 25. *Tulit Sephora acutiſſimam petram & circumcidit præputium filii ſui. Fac tibi cultros lapideos, & circumcide filios Iſrael*, ait Dominus ad Joſue, *Joſue* 5. 2.

Deductos Iſraelitas à Domino in regionem excelſam, ut ſugerent mel de petra, oleumque de ſaxo, ait Moyſes *Deut.* 32. 13.; ideſt Deus populum ex Ægypto regione campeſtri, & alluvionibus ſubjecta, in Palæſtinam regionem montoſam, & feracem adduxit; cujus colles vineis, & oliveis vireſcerent, petrarum verò foruli melle ſtillarent. Alibi etiam idem Moyſes dicit, lapides Palæſtinæ ferrum ſunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur; nempè fodinis æris ferrique regio ditiſſima eſt.

Interdum etiam petra eſt lapidicina; & allegorico ſenſu gentis cujuſdam pater, ex quo poſteri veluti ex lapidicina deducti ſunt. *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis: attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos Iſai.* 51. 1. Et Moyſes ad Judæos *Deut.* 32. 18.: *Oblitus es Domini* (Hebraicè *petræ*) *Creatoris tui.*

Quædam etiam petrarum nomina in Scripturis occurrunt. *Petræ Arnon Num.* 21. 14. 15.; quæ ſecundùm hunc amnem, ſivè torrentem, diſpoſitæ videbantur, in loco potiſſimùm, ubi Iſraelitæ aquam tranſgreſſi ſunt. Quare in proverbium abiit, cùm populus deduceretur: Scopuli torrentium inclinati ſunt. *Petra Boſes, & Sene* 1. *Reg.* 14. 4. inter Machmas, & Gabaam ſitæ erant.

Petra diviſionis, in deſerto Maon conſtituta, ea eo dicta, quòd Saul in eo loco Davidem perſequi deſtiterit, ut Philiſthæis arma in regionem inferentibus occurreret 1. *Reg.* 23. 28.

Petra Oreb, ſive *Horeb*, cujus nominis tres in Scriptura petræ apertiſſimè diſtinguuntur. Prima illa occurrit, ex qua Moyſes in Iſraelitarum uſum in caſtris Raphidim aquam eduxit *Exod.* 17. 6. Secunda in vertice Oreb eminebat, in qua Deus gloriam ſuam Moyſi primùm *Exod.* 33. 22. *&c.* & 34. 6. 7. deinde Eliæ 3. *Reg.* 19. 10. *&c.* aperuit. Tertia ex nece Oreb Principis Madjanitarum (Oreb iſte poſtremus ſimplici *O*; cætera *Horeb* ſcribuntur) innoteſcit, *Judic.* 7. 25. *Iſa.* 10. 26.

Petra Odollam, ad urbem ejus nominis in Tribu Juda.

Petra Etham Judic. 15. 8. 11. 13. ſivè *Etam*, facilè ab urbe cognomine, de qua in Græco *Joſue* 15. 60. & 1. *Par.* 4. 32. & 2. *Par.* 11. 6. Sita erat hæc urbs in Tribu Juda, ad meridiem Jeroſolymæ. v. *Etham.*

Petra Jectheel, quam plures Interpretes cum Petra Metropoli Arabiæ Petrææ confundunt. Vide *Petra, & Jectheel.*

Petra Zoheleth, ſive *Zohelet* 3. *Reg.* 1. 9. Vide *Zoheleth.*

De cæteris petris, ſiquæ celebrentur, in ſuis articulis, ſivè proximarum Urbium agemus.

S. PETRUS, Princeps Apoſtolorum, Bethſaida oriundus, filius Joannis, *Jonæ*, ſivè *Joannæ*, & S. Andreæ germanus *Joan.* 1. 42. 43., primùm *Simon* vel *Simeon*, dein, cùm ad Apoſtolatum vocatus eſt, *Cepha* (Syriacum nomen eſt petram ſonans) à Chriſto appellatus. Ædes habebat in Capharnaum ad Lacum Geneſareth, ubi uxor, & ſocrus ipſius morabantur *Marc.* 1. 29. *Matth.* 8. 14. *Luc.* 4. 38. Andreas omnium primus à Chriſto invitatus, cùm fratrem obvium habuiſſet, ut ſecum veniret, Meſſiam ſeſe inveniſſe aſſerens, perſuaſit A. Ch. 33. Æt. 30. *Jo.* 1. 41. Vix Petrum intuitus Jeſus & nomen ipſius, & genus prodidit; tum ait, Cephas impoſterum, petra ſcilicet, appellaberis. Poſt exactam cum illo diem, ambo fratres ad propria, artiſque ſuæ exercitium remearunt; quamquam unà cum Jeſu Canæ nuptiis interfuiſſe creduntur.

Eodem anno exeunte, Petro & Andrea piſcatui, & lavandis retibus in Lacu Geneſareth intentis, Jeſus Chriſtus ſupervenit, cymbamque illorum ingreſſus, Petro retia in capturam laxaret, imperavit *Luc.* 5. 1. *&c.* Mandanti, quamvis tota nocte fruſtra laboraſſet, ille ſtatim obſequutus, obedientiæ ſuæ præmium plenum piſcibus rete reduxit, ut tranſvehendæ piſcationi alia ratis Jacobi, & Joannis filiorum Zebedæi in auxilium acceſſenda eſſet. Tanti prodigii ſtupore Petrus ad pedes Jeſu accidens, ut à ſe viro criminibus admiſſis indigno recederet, obſecrabat. Sed ab illo unà cum Jacobo, & Joanne, ad ſui ſequelam invitatus, ſtatim unà cum ſociis, rebus omnibus ſuis relictis, vocantem ſequutus eſt.

Succeſſu temporis, cùm forte Jeſus in Capharnaum veniſſet (a), in domum Petri divertit, nactuſque in ea ſocrum Apoſtoli febri laborantem, valetudini reſtituit, adeò ut ſtatim hoſpiti miniſtrando par eſſet. Paulò ante Feſtum Paſchatis alterius anni, Jeſus in Galilæam redux, duodecim ſibi Apoſtolos ſelegit, in quibus recenſendis, Petrus ſemper ordine primus occurrit (b). Cùm nocte quadam Jeſum ſuper ſtratas undas in Lacu Geneſareth ambulantem vidiſſet Petrus, rogavit, ut obviam venire eodem itinere permitteretur. Annuente Jeſu, viam inivit; ſed mox decumani cujuſdam fluctus metu turbatus undas ſtatim ſub pedibus recedere ſenſit. Jeſus accurrens, continuò porrecta manu laborantem reſtituit; ſimulque imbecillioris virum animi leniter increpavit. Inde in averſam Lacus ripam evadentes, in Capharnaum venerunt: quò cùm veniſſent & turbæ ſuperiori die trans Lacum paſtæ, Jeſus de Corpore & Sanguine ſuo in cibum Diſcipulis exhibendo diſſeruit. Quæ ſane verba dura adeò viſa ſunt auditoribus, ut

(a) Vide Luc. 4. 38. Matth. 8. 14. An. Ær. 31.
(b) Matth. 10. 2. Luc. 6. 13. A. Ær. 32.

ne plures ab eo receſſerint. Quærenti Chriſto ab Apoſtolis, num & ipſi abituri eſſent, Petrus actutum, Quid, ait, à te verbis æternæ vitæ pollenti receſſerimus? *Jo.* 6. 53. *&c.*

Cùm fortè Jeſus in vicinia Cæſareæ Philippi verſans, quæſiviſſet ab Apoſtolis, ecquidnam de ſe homines ſentirent *Matth.* 16. 13.: varioſque vulgi ſermones referentes audiſſet, aliorum quidem Eliam, aliorum Jeremiam, ſivè alium ex Prophetis eſſe autumantium, eorum tandem ea de re ſententiam requiſivit. Tunc Petrus: Tu es, ait, Chriſtus Filius Dei vivi. Egregiam hanc Apoſtoli confeſſionem, tanquam Dei Patris revelatione dictatam, Jeſus laudare primùm, dein præmii loco in illo ſe Eccleſiæ firmiſſima contra Inferni impetus fundamenta jacturum; clavibus etiam Paradiſi collatis, ejus Regni fores pro libito claudendi recludendique facultatem permiſſurum pollicitus eſt. Poſt octo circiter dies (a), Jeſus in montem ſeorſum contendens, Petro, Jacobo, & Joanni comitibus ſelectis, in vertice ejuſdem montis gloriæ ſuæ ſpecimen exhibuit. Petrus rei admiratione attonitus, dein viſis Moyſe, & Elia cum Jeſu colloquentibus, exclamavit, oportere perpetuò ibi moram trahere, excitatis ad hoc tribus, pro Jeſu nempe, pro Moyſe, & Elia, tabernaculis.

Reduces cum Jeſu in Capharnaum, inter eundum, Apoſtoli mutuo inter ſe colloquebantur, quis eorum cæteris in Regno Cœlorum potior futurus eſſet *Matth.* 17. 23. 24. *Luc.* 9. 46. *Marc.* 9. 32. Interim Jeſus & Petrus præcurrentes, in Capharnaum diutiùs ante ſocios venerunt: ubi exactores medii ſicli (qui viritim Templo pendebatur) quæſiverunt à Petro, num Chriſtus tributum tunc ſolvere voluiſſet. Nec Jeſus detrectavit; ſtatim enim Petrum piſcatum miſit, futurum ſignificans, ut in faucibus piſcis fortè primò obvenientis, ſiclum pro amborum tributo inveniret. His à Petro executioni mandatis, atque tributis ſolutis, Apoſtoli ſupervenerunt; quos Jeſus de colloquiis in via factis ſciſcitatus, ſtatim plura de humilitate, atque modeſtia diſſeruit, evidenti ſatis argumento omnia ſibi comperta fuiſſe demonſtrans.

Diſſerentem ſemel Jeſum de præſtanda lædentibus venia *Matth.* 18. 21. 22., Petrus requiſivit, ſatiſne eſſet, ſepties uſque repetitam injuriam ſepties condonaſſe. Cui Jeſus, Et uſque ſeptuages ſepties, ait, eadem præſtare oportet (b). Divitiarum etiam perniciem Jeſu exaggerante, Petrus fidenter, Ecquid, ait, nobis erit præmii, qui poſthabitis omnibus, tibi comites adhæſimus? Jeſus manere ipſos & in Cœlo vitam æternam; tandem adfuturos judici Chriſto ſuis in ſedibus, judicandis duodecim Tribubus Iſraelis, aſſeſſores pollicitus eſt.

Feria tertia ante Paſſionem, arborem ficus, cui Dominus die præcedenti dira fuerat imprecatus, exaruiſſe intuitus, Chriſto indicavit *Marc.* 11. 12.... 21.; atque mane alterius diei in vertice Oliveti omnibus aſſidentibus, Jeſum requiſivit unà cum ſociis, quandonam excidium Templi futurum eſſet *Matth.* 24. 1. 2. *&c. Marc.* 13. 1. *&c.* Feria quinta miſſus à Jeſu unà cum S. Joanne, omnia ad Paſchale convivium requiſita diſpoſuit *Luc.* 22.; eaque die in veſperam inclinante, cum Jeſu & cæteris Apoſtolis in urbem ingreſſus convivio unà cum illis accubuit. Cùm ea occaſione Chriſtus proditionem ſibi ab uno ex convivis imminere ſignificaſſet, Petrus clam Joanni ſignificavit, ut virum illum ſibi revelari poſceret *Jo.* 13. 24. Poſt cœnam Diſcipulis inter ſe diſceptantibus, quis inter ſe cæteris præferendus fuiſſet, Jeſus poſitis veſtibus, eorum pedibus lavandis ſeſe diſpoſuit, animi demiſſionis illuſtre in ſe ſpecimen exhibens. Petrus reſiſtere primùm; deindè verò minitante Jeſu nullam ſecum partem habiturum, niſi acquieſceret, non permiſit tantùm, ſed & caput & manus ſe ad lotionem exhibiturum, ſi maluiſſet, profeſſus eſt *Joan.* 13. 6... 10.

Poſt aliquid temporis *Luc.* 22. 31. *&c.*, Jeſus Petro ſignificavit, inſidias ipſi, uti & cæteris Apoſtolis à Satana imminere; rogaſſe tamen, ne unquam ipſe à fide deficeret; monere proinde, ut cùm reſipuiſſet, nutantes fratres ipſe firmaret. Secundùm hæc, Petrus quo iret illum interrogavit, ſe enim præſto eſſe, vel ad carcerem, vel ad mortem euntem ſequi. Hæc jactantem Chriſtus ad mentem revocavit, prædicens futurum, ut mox eadem nocte ante galli cantum, ante auroram ſcilicet, non pro ſe tantùm mortem oppeteret, ſed vel noſſe quidem ter recuſaret. Poſt cœnam ad montem Olivarum venit, ubi Petrum, Jacobum, & Joannem unà ſecum aſſumens, in ſecretiora proceſſit, virtutem ſuam coram illis teſtibus oſtenſurus. Interea Petrus, quamquam ardentioris in Dominum ſtudii, non ſecùs tamen ac cæteri, in ſomnum reſolutus eſt: quare Jeſus ipſi imbecillitatem ſuam, qui ne per horam quidem unà ſecùm vigilare potuiſſet, exprobravit. *Marc.* 14. 37. *Matth.* 24. 40. *&c.*

Superveniente interim ſatellitum manu, Juda ductore, Petrus ſtricto gladio cæcis ictibus cædens, Præceptoris ſui defenſionem aſſumpſit. Sed Jeſus pugnacem virum reprimens, gladium in vaginam reducere juſſit, ſimulque amputatam ea occaſione auriculam Malcho, Summi Sacerdotis ſervo, reſtituit *Jo.* 18. 9. *&c.* Secundùm hæc, Jeſum in domum Caiphæ à militibus deductum, Petrus è longinquo proſequutus, favore alterius Diſcipuli, apud aulicos cogniti, introductus eſt. Ingreſſus, igni in medio atrii excitato unà cum militibus, & ſervis acceſſit *Jo.* 16. 15. 18.: quare ſtatim ab ancilla quadam agnitus, tanquam Chriſti Diſcipulus palam accuſatus eſt. Subito indicio proditus, ſtatim Petrus ne facie quidem virum illum noſſe proteſtus eſt. Mox atrio egreſſus, dum in veſtibulo erat, cantantem gallum audivit. Iterum altera ancilla eadem de illo coram præſentibus prodidit; & Petrus eadem ac priùs ſacramento affirmavit. Poſt horam, quidam ex præſentibus rurſum ſimilem de illo ſuſpicionem promovit; cui aſſentientibus omnibus, nam & Galilæum eſſe ex indicio ſermonis cognoverant, & cognatus quidam Malchi illius, cui Petrus aurem præciderat, illum ſe in horto vidiſſe affirmabat, Petrus ſulus repetita aſſertione perjurio negavit. Continuò galli cantus adhuc loquentis auribus iterum inſonuit, ſimulque Jeſus non longè ſtans, virum intuitus, geminata monitione & criminis & oraculi memoriam excitavit. *Matth.* 26. 67. 75. *Marc.* 14. 54... 64.

Statim igitur egreſſus è loco Petrus, effuſis lacrymis crimen ingemuit, toto facilè Paſſionis tempore, feria 6. ſcilicet, & toto Sabbatho in luctu perſeverans. Dominica ineunte, cùm Maria ad Sepulchrum Domini ſollicita veniens, vacuum (jam etenim reſurrexerat) inveniſſet, ſtatim ejus rei nuncia ad Apoſtolos venit. Quare Petrus, & Joannes ad locum convolantes, Joannes quidem, quamvis citiùs perveniſſet, intima tamen ſepulchri primus non penetravit: Petrus verò ingreſſus, atque ſedulò omnia ſcrutatus, inſtitas poſitas obſervavit. Regreſſi poſtea Jeroſolymam ambo, quid crederent, prorſus ambigebant; cùm Jeſus religioſis mulieribus videndum ſe præbens, juſſit Reſurrectionis ſuæ ad Apoſtolos, & ad Petrum nuncium referre. Vide Jo. 20. 1. &c. Luc. 25. 12. &c. Eadem die & Petro ſeſe revelavit, ejus dolorem veluti ſolatus; præſentiam ſuam, tamquam conceſſæ veniæ pignus, exhibens. *Marc.* 16. 7. *Luc.* 24. 34.

Succedentibus diebus, Petrus in Galilæam juxtà monitum Chriſti regreſſus, in Lacu Geneſareth unà cum nonnullis Apoſtolis piſcatui operam dabat *Jo.* 21. 1. *&c.*; cùm Jeſus in ripa ſe ſe exhibens, juſ-

(a) S. Matthæus habet ſex, S. Lucas octo circiter.
(b) Vide Matth. 19. 7. &c. A. Chr. 37. Ær. 33.

juſſit in lævam navigii retia laxare. Cùm illi paruiſſent, ingentem illicò prædam, quantam ne retia quidem ſine ſciſſione ferrent, retraxerunt. Eo indicio Jeſu agnito à Joanne, eoque ſignificante, à Petro, ſtatim idem Petrus tunica accinctus, (nudus enim erat) mari ſe commiſit, innatanſque ad Jeſum advolavit. Retractis igitur è mari retibus, Jeſus una cum Apoſtolis appoſitis piſcibus refectus eſt. Poſt hæc, Petrum an ſe amaret, requiſivit. Affirmanti illi, Jeſus ut oves ſuas paſceret, commiſit: tum futurorum abdita revelans, oſtendit futurum, ut, quidum junior erat, ſe ipſum pro libito cingebat, atque quocumque dabat voluntas, ibat, modo cum ſenior eſſet, ab alio cingeretur, invitus in locum ingratum adducendus. Quibus ſanè verbis ſubobſcurè martyrium illius ſignificavit. Dum hæc Jeſus ad Petrum, Petrus viſo Joanne, ecquid illum maneret, requiſivit: cui Jeſus nihil illius intereſſe dixit, res aliorum inveſtigare: Si enim voluiſſet, ut Diſcipulus ita maneret, quorſum hæc ad Petrum? Proinde futurorum S. Joannis eventuum Petrum certiorem reddere noluit. Poſt receptum in Cœlum Jeſum, Apoſtoli, qui ſpectaculo teſtes adfuerant, Jeroſolymam regreſſi, Spiritus S. illapſum, juxtà Domini promiſſionem exſpectarunt. In eadem igitur domo omnes mutuo charitatis vinculo conjuncti, & eidem orationis muneri intenti, uſque ad ejuſdem Spiritus lapſas cœlitus flammas, omnes verſati ſunt. Eo temporis ſpatio, S. Petrus Apoſtolorum, & Fidelium cœtui electionem Apoſtoli in locum Judæ proditoris, qui ſupplicio vitam abſumpſerat, propoſuit. Conſilium omnes probarunt, communique conſenſu Joſephum Barſabam, & Matthiam in eam rem ſelegerunt. Tum implorata precibus Dei ope, ſortium arbitrio electio alterutrius commiſſa eſt; in Matthiam autem munus ſortitò cecidit.

Decima ab Aſcenſione die, Spiritus S. in Apoſtolos, & Fideles omnes una congregatos illapſus, bonis illos cœleſtibus, ac maximè Linguarum peritia cumulavit. His ad ſtuporem uſque repleti omnibus, qui ad ſolemnitatem Pentecoſtes convenerant, Judæis admirationi fuerunt; neque enim in animum ſibi inducere poterant, qui Judæi, & fere omnes Galilæi, vernaculam tantùm linguam callentes, omnium ſtatim Orientalium Linguarum peritiſſimi apparerent. Non deerant, qui rem totam vini hauſti miraculo deputarent *Act.* 2. 1. *&c.* quam calumniam Petrus repulſurus, verba palam facere aggreſſus eſt, oſtendens, non muſto quidem Fideles ebrios eſſe, ſed Spiritus S. œſtro juxta Joelis Prophetiam 2. 28. abreptos. Inde orationem ad Jeſu Chriſti Divinitatem deflectens, promiſſum illum Meſſiam eſſe oſtendit; tum ejus reſurrectionem, atque Aſcenſionem ſuo, & aliorum Apoſtolorum teſtimonio probavit, qua in re Scripturæ Oracula impleta fuiſſe oſtendit. Deinde Sancti Spiritus à Chriſto in Cœlum recepto miſſi veritatem ex prodigiis omnium oculis ſubjectis demonſtravit.

His verbis auditores commoti, omnes ad Apoſtolos concurrere, quærentes quid facto opus eſſet; injunctiſque ab illis pœnitentia, & Baptiſmo, præſto ſeſe exhibuerunt. Omnes igitur inſtruens Petrus, Baptiſmo dein ad 3000. numero initiavit. Poſt elapſos aliquot dies, Petrus, & Joannes ad horam orationis nonam in Templum ſeſe conferentes *Act.* 3. 1. *&c.* (ea enim hora precibus deſtinabatur) virum 40. annorum natum, & pedibus à nativitate impeditum nacti ſunt. Hic ante januam Templi jacens, eleemoſynam ab introeuntibus petebat; quare ambos Apoſtolos pro more eadem rogavit. Reſpondit Petrus, ſibi quidem pecuniæ, quod conferret, nihil eſſe; verùm pro auro, & argento ſanitatem in nomine Chriſti reciperet. Juſſus proindè ſtare, ſtatim expeditus ſurrexit. In ſignum verò receptæ ſanitatis, ante Apoſtolos in Templum præcurrens, elata voce Dei beneficium prædicabat, atque Petrum manibus tenens, liberatorem ſuum populis ad rei novitatem confluentibus oſtendebat. Tunc Apoſtolus ea data occaſione, Chriſti virtutem, cui tantum, non ſibi, recepta à viro ſanitas referenda eſſet, etiam atque etiam commendavit. Monuit proinde, ut criminis ſui immanitatem agnoſcerent, qui hunc Jeſum Mundi Servatorem, & Meſſiam occidiſſent; quem tamen occidendum à Prophetis antea prænunciatum fuiſſe oſtendit. Hortari ſe igitur omnes dixit, ut ipſos commiſſi criminis pœniteret, Deique Filii morte proficerent.

Adhuc illo ad populum loquente, Sacerdotes, & Saducæi ſupervenerunt *Act.* 4. 1. *&c.* qui ambos Apoſtolos in carcerem deducentes, ad alteram diem, veſpera enim jam proceſſerat, cauſam diſtulerunt. Ea die, eaque occaſiune uſque ad 5000. virorum ad Fidem traduxerunt. Mane igitur alterius diei Patres Magiſtratus, & Principes Sacerdotum convenientes, ambos Apoſtolos coram ſe accitos interrogarunt, cujus nomine prodigium illud feciſſent. Quibus ſtatim Petrus, ſe quidem invocato Jeſu Chriſti Nazareni nomine, claudum illum reſtituiſſe. Illius nempe viri, qui poſt toleratum crucis ſupplicium, à Deo revocatus erat ad vitam: Qui lapidem ſe exhibuerat angularem reprobatum quidem a Judæis, ſed in quo uno ſola ſupererat ad ſalutem ſpes. Tantam amborum conſtantiam Synedrium admirans, ſubduci illos juſſit, deliberaturum quid in cauſa oporteret. Viſum eſt tandem, ſilentium loquentibus de Chriſto indicere. Quare illis revocatis, hanc Synedrii deliberationem ſignificarunt: cui ambo Apoſtoli adeò non acquieſcere profeſſi ſunt, ut dicerent à Deo loqui juſſos, ne hominibus parerent, effecturos. Remittendos nihilominus Senatus cenſuit, grandia minatus, ni paruiſſent.

Ad ſuos igitur Apoſtoli reducti, omnium, quæ ſibi contigerant, hiſtoriam recitarunt *Act.* 4. 23. *&c.* His auditis, Fideles omnes in preces effuſi, Divinam opem implorarunt, cujus virtute firmati, fidem audacter prædicarent, nihil hominum minas, & terrores metuentes. Quas ſimul preces abſolventibus illis, ſtatim ingenti tremore locus concuſſus eſt, novoque Spiritu omnes animati. Sub idem tempus, Fideles plurimi bona ſua diſtrahentes, pretium ad Apoſtolos retulerunt, *Act.* 5. 1. &c. quorum etiam exemplum vir quidam Ananias, & conjux ipſius Saphira imitati, partem tamen pecuniæ clam ſibi retinuerunt. Partem igitur pretii deferens Ananias, ad Petrum ſe contulit; cui ſtatim Apoſtolus mendacii, & ſimulationis in Spiritum Sanctum crimen objiciens, ſubductam clam pretii partem exprobravit. Simul hæc Apoſtolo loquente, Ananias exanimis concidit, ſtatimque defunctum corpus elatum, ſepulturæ mandatum eſt. Poſt tres horas Saphira ejus uxor ſupervenit; cui Petro eadem fermè exprobrante, ſimili pœna affecta eſt. Ingens ea de re terror non Eccleſiam tantùm, ſed eos omnes, ad quos rumor delatus eſt, invaſit.

Interea Eccleſia in dies augebatur, ad eam rem non parùm conferentibus Petri prodigiis, cujus umbra, ſi tantummodo deductos ad id ægrotos contigiſſet, ſtatim ad valetudinem revocabat. Concitata proinde in Apoſtolos Summi Sacerdotis, & cæterorum, qui illi adhærebant, Saducæorum nempe, invidia, omnes eorum opera in carcerem detruſi ſunt. Mox tamen Angeli virtute educti, juſſique palam in Templo Verbum Dei prædicare, in eo ſtatim apparuerunt. Quare à Principibus Sacerdotum acciti, cur majorum juſſionibus non paruiſſent, interrogarunt. Reſpondente Petro, & cæteris Apoſtolis, maluiſſe ſe Deo, quàm hominibus morem gerere, tanto furore exarſerunt, ut de nece illis inferenda deliberarent. Inclinantes in extrema animos Gamaliel ad ſaniora conſilia revocavit, oſtendens, opus illud ſivè à Deo eſſe, & nullis hominum conatibus deſtruendum; ſive ab alio quopiam, & ipſum pec ſe mox fore diſſolvendum. Flagellis igitur cæſos, 39. ictibus in ſingulos, remittere viſum eſt; ne unquam tamen Chriſtum prædicare auderent, cautum.

Exor-

Exorta poſt necem S. Stephani Jeroſolymis perſecutione, omnes, exceptis Apoſtolis, in diverſa diſperſi ſunt, *Act.* 8. 1. &c. Ea occaſione S. Philippus Diaconus Evangelium, nec fruſtra ſanè, Samariam invexit. Eò igitur SS. Petrus & Joannes ſeſe conferentes, Spiritum S. contulerunt iis, quos S. Philippus (quod ſolum Diaconis permiſſum erat) baptiſmo initiaverat. Hanc Apoſtolorum virtutem, conferendi ſcilicet Spiritum Sanctum, Simon Magus baptiſmo jam ablutus, admirans, eandem ſibi oblato pretio comparare tentavit. Ea re Petrus offenſus, haberet ille pecuniam ſuam in perditionem imprecatus eſt; ſciret autem, nullam habere in eo miniſterio partem, utpotè cui cor à Deo averſum fuiſſet. Monuit denique, ut veniam commiſſi criminis à Deo, ſi unquam impetrare potuiſſet, precibus & lachrymis efflagitaret. Poſt hæc, ambo Apoſtoli Jeroſolymam regreſſi ſunt.

Sopita jam perſequutione, Petrus per ſingulas urbes, inviſendorum Diſcipulorum gratia, diſcurrens, Lyddam fortè venit. Nactus ibi virum quemdam, Æneam nomine, octavo jam anno paralyſi laborantem, ſtare juſſit ſanum; ſtatimque convaluit. Eo prodigio palam omnibus exhibito, mirum quam prædicationi fidem apud cives conciliavit. Accidit intereà, ut Tabita fœmina religioſa, Joppe degens, diem clauderet; quare accitus illuc à Lydda Petrus, ſtatim veniens, defunctæ conclave ſolitarius ingreſſus eſt. Effuſus poſtea in preces, dein defunctæ corpus reſpiciens, vivam incolumemque ſurgere juſſit. Nec plura: ſtatim fœmina apertis oculis reſpiciens, viſo Petro è lecto ſurgens aſſedit. Ejus prodigii fama per urbem vulgata, plures ad fidem adduxit. Ibi Petrus aliquibus diebus in domo Simonis cujuſdam coriarii ſubſtitit.

Vir quidam Centurio, vir religioſus, Cæſareæ Palæſtinæ verſabatur, *Act.* 10. 1 &c. is autem juſſus ab Angelo Petrum Joppe verſantem accire, ſtatim duos ex domeſticis ſuis illuc tranſmiſit. Iis excipiendis, utpotè à viro non Judæo miſſis, Petri animus cœleſti quadam viſione præparatus eſt; neque enim recipiendis ad Fidem Gentilibus ullus adhuc aditus patuerat. Apoſtolus igitur in tectò ædium Simonis hoſpitis ſui verſans, ſubita extaſi raptus, linteum ampliſſimum è Cœlo demiſſum ſpectavit, omnis generis animantia, & reptilia, qua pura, qua impura, continens. Quæ ſanè viſio ter repetita eſt, additaque ſimul vox imperans; ut occideret & manducaret. Cùm Petrus nihil ſe impurum deguſtaſſe unquam reſpondiſſet, vox iterum: *Quod Deus purificavit, tu impurum ne dixeris.* Poſt hæc, linteum in Cœlum receptum eſt; ſtatimque viri à Centurione miſſi ſupervenientes, omnium, quæ Centurioni acciderant, hiſtoriam retulerunt, orantes inſuper, ut ſecum Cæſaream venire Apoſtolus non gravaretur. Mane igitur alterius diei ſimul omnes, adjunctis etiam nonnullis ex Joppe fratribus, viæ ſe commiſerunt.

Venientes Cornelius cum neceſſariis & amicis excepit, *Act.* 10. 14. &c. atque ante primas ſalutationes, ſtatim Centurio ad Apoſtoli pedes accidens, pronus adoravit. Promptè tamen ab illo relevatus, neque enim ſe niſi hominem eſſe profeſſus eſt, omneſque ſimul domum ingreſſi ſunt. Vix igitur introductus Petrus expoſuit, ſe quidem cum Ethnicis conſuetudinem habere religioni ducturum; ſed à Deo per viſum admonitum, ne hominem quemcumque immundum reputaret, ideò prompto ad ipſos animo veniſſe: quid igitur vellent, exponerent. Tunc Cornelius totam viſionis ſuæ hiſtoriam narravit; qua audita, Petrus Deo gratias egit, qui ab Evangelii ſalute nullum hominum genus excluſiſſet. Statim verò de Jeſu Chriſto viris illis verba facere aggreſſus; cùmque adhuc loqueretur, Spiritus Sanctus ſubitò in præſentes illapſus, diverſarum linguarum miraculo proditus eſt. Nec Petrus, poſt hæc, differendam baptiſmi gratiam viris, qui Spiritum Sanctum obtinuiſſent, cenſuit.

Regreſſum poſtea Jeroſolymam Apoſtolum Fideles ex circumciſione compellarunt, quòd cum Ethnicis conſuetudinem habuiſſet. Ille omnibus, quæ ſibi acciderant, narratis, & murmur ſedavit, & omnes eò deduxit, ut de aperto Gentibus ad vitam per pœnitentiam aditu gratias Deo referrent, *Act.* 11. 1. Paulò poſt, Antiochenam Eccleſiam eo veniens fundaſſe, ejuſque Epiſcopum omnium primus egiſſe creditur (a). Ibi diutius ſubſtitiſſe S. Chryſoſtomus *t.* 1. *hom.* 42. aſſerit; ſeptennio vulgò creditur (b), interrupto tamen, & diverſis annis. Eo etenim temporis ſpatio Jeroſolymam, Provincias Aſiæ Minoris, Bithyniæ, Cappadociæ, & Ponti (c) excurrit, ut ex Epiſtola ad Fideles illarum regionum, ſuccedente tempore data, intelligimus. Inde ſuffecto, ut vulgo credunt, in Epiſcopatu S. Ignatio, Romam migravit A. Ær. 42. Claudii 2. & 25. ante conſummatum Romæ martyrium; tantundem enim Romanam Eccleſiam rexiſſe vulgò in eadem Eccleſia receptum eſt.

Cùm igitur Romam ſub Claudio veniſſet, ea occaſione conſuetudinem cum Philone Judæo Alexandrino iniiſſe, cumque illo pluries colloquutum ferunt (d). Veniendi autem Romam (e) Apoſtolo potiſſimùm in cauſa fuiſſe narrant, ut Simonem Magum, qui præſtigiis ſuis eo homines dementaverat, ut divino cultu coleretur, retunderet. Vir ſanè Apoſtolici aſpectus, atque vera ejus prodigia multum præſtigiis, & Magi æſtimationi detraxere; ſed cùm brevior fuiſſet Apoſtoli in Urbe mora, quam ut è gradu impoſtorem penitùs dejiciendi ſpatium relinqueretur; ideircò ad alium ejuſdem Apoſtoli adventum plena de Mago victoria reſervata eſt.

Cùm igitur Petrus Jeroſolymam ad Paſchalem Solemnitatem veniſſet A. Ær. 44. Herodes Agrippa mota in Chriſtianos perſequutione, primo in Jacobum majorem fratrem Joannes gladio animadvertit; dein gratiam Judæorum etiam atque etiam ſe initurum intelligens, *Act.* 12. 1. &c. Petrum in carcerem detruſit, poſt exactam Paſchalem ſolemnitatem, gratum populo ſpectaculum ejus nece exhibiturus. Ejus mali avertendi cauſa, Eccleſia univerſa in preces effuſa, impetravit tandem, ut nocte diem neci deſtinatam præcedente Angelus in carcerem veniens, Petrum inter geminos milites dormientem, totidemque catenis vinctum excitans, ſtare juberet, diſruptiſque catenis, patentibus ſuo imperio januis, extra carcerem per viam quamdam deduxit. Hic relictus ſubitò à ductore Petrus, cui libertatem ſuam accepto referre debuiſſet, intellexit. Recta igitur ad Fideles in domum Mariæ matris Joannis, quò omnes ad orationem convenerant, ſe contulit; quem cum januam pulſantem puella quædam nomine Rhode vidiſſet, gaudio impos facta, ne recluſis quidem foribus, gratum ad domeſticos nuncium attulit. Illi inopinata nuncianti parum creduli, Petri Angelum pro Petro apparuiſſe rati ſunt; ſed cùm alter præ foribus inſtaret, tandem iis recluſis, Apoſtolum agnoverunt, à quo omnium, quæ ipſi acciderant, certiores facti ſunt.

Ex ea urbe faceſſere coactus, quid interim uſque ad habitum A. 51. Jeroſolymæ Concilium, egerit, incertum; faciſſe tamen Romam ſecundò petiit, unde datam credimus primam ejus Epiſtolam A. 50. ſcriptam. Illi ſcribendæ, uti & phraſibus ſuggerendis, opera Marci uſus Apoſtolus creditur; tabellionem verò habuiſſe conſtat Silvanum, eundem fortaſſe ac Silam, in Actibus celebrem. Scripta eſt *Babylone*, nempè juxta Veterum interpretationem (f), Romæ; inſcripta autem ad Fideles Bithyniæ, Ponti, Galatiæ, Aſiæ, & Cappadociæ. Quamquam autem potiſſimùm Fideles ex Judæis reſpiciat, Fideles tamen ex Eth-

(a) A. Chr. 39. Ær. 36. Vide Euſ. Chron. S. Leo ſer. 80. Hieron. in Galat. 11. De Vir. Illuſt. c. 1. Chryſoſt. t. 5. hom. 12. &c.
(b) Greg. l. 6. Ep. 37. (c) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 1.
(d) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 17. Hier. de Vir. illuſtr.
(e) Euſeb. l. 2. c. 14. Cyril. Cathech. 6. Juſtin. Apol. l. 1. & 2. Vide v. Philo.
(f) Euſeb. l. 2. c. 15. Hieron. de Vir. Illuſtr. c. 8. Oecum. in 1. Petr. 5.

ex Ethnicis non negligit. Græco ſermone, & digna Principe Apoſtolorum energia exarata eſt.

Lato interea ab Imperatore Claudio edicto, Judæi omnes, ideoque & Petrus, Roma exulare juſſi ſunt an. Chr. 54. ær. 51. quòd, ait Svetonius *in Claudio c.* 25. tumultus impulſore *Chreſto* (quo nomine facilè Jeſus Chriſtus inſinuatur) plurimos excitaſſent. Redux igitur in Judæam Petrus, Concilium Jeroſolymis habuit, in quo poſt diſcuſſam ſedulò, quæ agitabatur, cauſam, plena prudentiæ verba ad cœtum fecit, *Act.* 15. 7. &c. Ejus orationis ſumma fuit, non oportere Ethnicos jugo Legalium, quod via ipſi & Patres eorum tulerant, ſubjicere; cùm Ethnici, non ſecùs ac Judæi, ad fidem æquè vocati, & uterque populus ad ſalutem acciti eſſent. In eandem ſententiam Jacobus Minor Epiſcopus Jeroſolymæ ivit; eadem etiam ab univerſo Concilio probata, decretumque, ne Fidelibus ex Gentibus aliud injungeretur, præter à fornicatione, uſu ſanguinis, & idolothytorum in cibo abſtinentiam. Ea de re Concilium literas ad Fideles Antiochenos dedit, inter quos eadem controverſia agitabatur.

Succedente tempore, S. Petrus Antiochiæ verſans, conſuetudinem cum Paganis inivit, nullam in cibis, *Galat.* 2. 11. Legalem diſcretionem obſervans an. Chr. 51. Mox verò ſupervenientibus quibuſdam è Judæa ex Hebræis Fidelibus, veritus ne illos offenderet, à priſtino cum Fidelibus ex Paganis conſortio, atque menſa ſe ſubducebat. Quod Apoſtoli factum S. Paulus animadvertens, metuenſque, ne eo exemplo Ethnici ad Legalia obſervanda cogerentur, contra Jeroſolymitani Concilii definitionem, liberioribus verbis Petrum palam objurgavit. Petrus ea qua par erat, animi demiſſione & ſilentio fratris admonitionem excepit, neque ab ea, qua cæteris præerat, dignitate erroris ſui patrocinium quæſivit, æternum virtutis ſuæ monumentum, ait Pelagius Papa *Tom.* 5. *Concil.* hoc uno geſto univerſæ Eccleſiæ relinquens. Diſceptatio, quæ de hoc argumento S. Auguſtinum inter, & S. Hieronymum agitata eſt, omnibus notior eſt, quàm quid aliud; eamque nos tamquam à noſtro inſtituto alienam ultrò prætetimus, ad Epiſtolas amborum Patrum Lectorem remittentes.

Reliqua S. Petri geſta ab Concilio Jeroſolymitano habito an. Ær. 51. uſque ad Romanum iter paulò ante obitum deſiderantur. Divina igitur revelatione (a) obitus ſui tempus inſtare intelligens, datis ad Fideles, quos ad fidem adduxerat, literis, ea, quæ præſens docuerat, ſcripto in memoriam revocavit. In hac ſecunda epiſtola etiam atque etiam Fideles monet, ut traditæ ab Apoſtolis doctrinæ adhæreant, bonorum nempe operum exercitio, nihil curantes ea, quæ à pravis Doctoribus (nempe à Sectatoribus Simonis Magi, ut vulgò creditur) jactabantur. Sermo in illa incidit de Pauli Epiſtolis, quas Apoſtolus laudat, addens, ab indoctis nonnullis in pravum detorqueri. De hujus ſcripti authoritate aliquandiu dubitatum eſt (b); ſtylo enim à prima epiſtola diſcrepare videtur. Hujus tamen diverſitatis Interpretes in cauſa eſſe potuerunt; ex teſtimonio etenim Veterum conſtat (c), non S. Marcum tantùm, ſed & Glauciam quemdam, Hæreſiarchæ Baſilidis, ut ipſe quidem jactitabat, præceptorem, eandem Epiſtolam interpretatos fuiſſe. V. noſtr. Diſſert. in hanc Epiſt.

Sub idem ferè tempus (d) ambo Apoſtoli Petrus, & Paulus Romam venientes, pluribus ſimul miraculis, neque inanibus prædicationibus coruſcarunt. Simon etiam Magus præſtigiis ſuis populos ſeducere conabatur; cui ut opinionem Meſſiæ de ſe conciliaret, in Cœlum palam aſcendere coram omnibus viſus eſt. In aera ignito curru Dæmonum opera jam ferebatur (e); cum ambo Apoſtoli in preces effuſi, adeò valuerunt, ut malis ſpiritibus in fugam actis, Magus pondere ſuo præceps in terram cadens, toto confractus corpore non ſtatim quidem, ſed ad Brundam translatus, ignominia, & dolore extimulante, ex alta porticu ſeſe dejiciens, interiit. Porrò Brunda locus creditur Romæ ſitus; Romæ etenim Magum obiiſſe plures Antiquorum aſſerunt. Narrat S. Ambroſius *ſerm.* 68. Apoſtolum Petrum ea de re Ethnicorum invidiam in ſe concitaſſe, à quibus in necem quæſitum, ut eorum furori ſeſe ſubduceret, cogentibus Fratribus Roma receſſiſſe. Cùm igitur ad portas urbis jam perveniſſet, Chriſtum Jeſum obvium habuit; illum verò quonam tenderet interrogans, reſpondentem audiit: *Vado Romam iterùm crucifigi*. Horum verborum ſenſum Petrus aſſequutus, mortem ſibi pro Dei gloria obeundam intellexit; quare regreſſus, ad Fratres viſionem narravit: mox verò ab Ethnicis comprehenſus, poſt toleratum novem menſibus carcerem, tandem crucis ſupplicio in via ad Oſtiam ſublatus eſt, die 29. Junii; eademque die, & loco S. Paulus capite obtruncatus interiit. Ferunt, capite in terram obverſo in ſupplicium elatum fuiſſe (f); quod ultrò ipſe à tortoribus petierat, cùm ne Jeſu Chriſti gloriam, ait S. Ambroſius, affectare videretur, tum ut ſupplicii cruciatus augeretur (g).

Ejus Apoſtoli cadaver primò in Catacumbas, ſecundo ab Urbe lapide illatum; deindè in Vaticanum (h) translatum ferunt, ubi perpetuò manſit. Utriuſque Feſtum, Petri, & Pauli, die 29. Junii celebratur. Obiit autem A. 66. *Æræ*, poſt adminiſtratum Romanum Epiſcopatum 24. ſivè 25. annis; ætatis ſuæ 76. ſivè 75. Succeſſorem habuiſſe S. Linum vulgò creditur. Oris illius habitum ex veteri imagine deſumptum, ita Nicephorus *l.* 2. *c.* 37. depingit. Corpore erat non craſſo quidem, ſed procero rectoque; ore albenti, ad pallorem inclinato. Coma & barba denſa, criſpanti, atque breviori. Oculis nigreſcentibus, maculis quibuſdam ſanguineis aſperſis, quibus alta ſupercilia & prominens frons imminebant; naſo verò oblongo, ſimo potiùs, quàm acuto.

Fuerunt inter Ethnicos, qui Magiæ Apoſtolum accuſarent (i), plurium illum veneficiorum reum, quin & occiſi infantis unius anni, pro aſſerendo Jeſu Chriſti cultu 365. annorum ſpatio, damnantes; poſt eos verò annos Religioni Chriſtianæ finem impoſitum iri jactitabant. Superſtitionum plurimarum uſum ab eodem Apoſtolo didiciſſe Ebionitæ comminiſcebantur (k), veluti lotiones quotidianas antè prandium, abſtinentiam ab animantibus; quibus authoritatem conciliaturi, libellum inſcriptum, *Itineraria S. Petri*, ſub S. Clementis nomine ſuppoſuerant. Eadem etiam fide plurium Librorum Author idem Apoſtolus legitur (l), uti Actorum quorumdam, Evangelii, Apocalypſis, Prædicationis, & Judicii. Similem laudem ſubolent *Recognitiones* S. Clementi adſcriptæ, in quibus amplior Apoſtoli hiſtoria. Apocalypſim S. Petri laudat S. Clemens Alexandrinus in Hypothypoſibus *in Excerpt. Clem.* illud autem opus die Feriæ ſextæ majoris hebdomadæ in Eccleſiis Palæſtinæ quinto ſæculo legi conſueviſſe conſtat (m). Librum Prædicationis S. Petri Apoſtoli rejicit Origenes *de Princip.* ſæpiùs verò laudat S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 1. *&* 2. *&* 6. Evangelio S. Petri utebantur Hæretici Nazaræi, cujus etiam fragmenta quædam Origenes recitat. Liturgiæ quædam ſub

Petri

(a) Athan. de fuga. Vide 2. Per. 1. 14.
(b) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 25. ex Orig. Didym in 2. Petri, Hier. de Vir. Illuſtr. c. 1.
(c) Clem. Alex. l. 7. Stro. (d) Circa A. Ch. 65.
(e) Arnob. l. 2. Cyrill. Jeroſ. Cath 6. Ambroſ. Hexaemer. l. 4. 5. 8. Sulp. Sev. hiſt. l. 2. Iſid. Peluſ. l. 1. Epiſt. 13. Theodoret. Heretic. fabul. l. 1. c. 1. (f) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 1. Pruden. Aſter. Chryſoſt. in Gen, hom. 66. &c.
(g) Ambroſ. de interpell. Job. t. 2. l. 1. c. 1. In Pſal. 118. Aug. ſerm. 293.
(h) Greg. Mag. l. 3. Ep. 30. (i) Vide Aug. de Civit. l. 18. c. 53.
(k) Epiph. hær. 30. c. 15. (l) Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccl. c. 3. Hier. de Vir. Illuſtr. c. 1.
(m) Sozom. l. 7. c. 19.

Digitized by Google

Petri nomine apud Orientales receptæ, vulgò ab Apoſtolo abjudicantur (a).

S. Serapion Epiſcopus Antiochenus (b), Evangelium S. Petri in Eccleſia Rhoſenſi in Cilicia, ne turbas conciret, legi permiſit; mox tamen intelligens, ejus authoritate Docetas errores ſuos confirmaſse, opus illud in examen revocavit, nactuſque inter tam quàm plurima nonnulla pernicioſa, & falſa admiſta, illa ſeorſim deſcripta, ſolida refutatione adjecta, ad eandem Eccleſiam, venturus & ipſe quàm primùm potuiſset, tranſmiſit. Conjugio copulatum fuiſse hunc Apoſtolum ſupra jam inſinuavimus; poſt obtentum verò Apoſtolatum, à conjugio prorſus abſtinuiſse, uxorémque ſuam ſororis tantùm loco habuiſse, Patres teſtantur (c). Sunt etiam, qui credant hanc fœminam (d), uti & cæteras aliorum quorundam Apoſtolorum, viris ſuis in itineribus, & prædicationibus comites adhæſiſse, neceſsaria miniſtraturas, aliaſque fœminas rebus fidei inſtituentes.

De uxore Petri memoriæ proditum eſt (e), martyrió vitam conſummaſse, cui inter ſupplicia animum adjeciſse Apoſtolum perhibent, his verbis: *Mulier, Domini recordare*: Ferunt etiam, natam ex his conjugibus filiam nomine Petronillam, ſivè Petrinam, cujus nomen in quibuſdam Martyrologiis die 31. Maii legitur. Quin S. Clemens Alexandrinus *l. 5. Strom.* & S. Epiphanius *hæreſ. 30. c. 22* duas Apoſtolo filias tribuunt: & S. Auguſtinus *in Adimant. c. 17.* de filia ejuſdem Apoſtoli agit. Porrò de his filiabus plura in Actis SS. Nerei, & Achillei; Conſule Bollandiſtas ad 31. Maii.

PHACEE, filius Romeliæ, doctor copiarum Phaceiæ Regis Iſraelis, qui verſis in Dominum armis (f), in turri Regiæ Domus clauſum viribus Argob & Arie (g), necnon 50. Galaaditarum fultus, obſedit. Munitione capta, & Rege occiſo, Imperium occupavit. Pravum Jeroboami filii Nabat, qui totò Iſraeli offendiculo fuerat, exemplum ſecutus eſt. Eo regnante Teglathphalaſar Rex Aſsyriorum, ditionem Iſraelis invadens, Aion, Abel-Maacha, Janoe, Cedes, Aſor, Galaad, totaque regione Nephtali occupatis, incolas in Aſsyriam traduxit. Inita tandem ab Oſee filio Ela conſpiratione, Phacee oppreſſus, ſublatus eſt (h), regnumque adverſario occupandum reliquit. Cætera ejus Regis geſta in Annalibus Regum Iſraelis deſcripta legebantur.

PHACEIAS, filius & ſucceſsor Manahem Regis Iſraelis (i). Biennio tantùm Regno præfuit, malis Jeroboami filii Nabat veſtigiis inſiſtens; Conjuratione Phacee filii Romeliæ in Regio Palatio ſublatus eſt. Vide *Phacee*.

I. PHADAIA, vir ex urbe Ruma, pater Zebidæ matris Joachimi Regis Judæ, 4. *Reg.* 23. 36.

II. PHADAIA, filius Jechoniæ Regis Judæ, & pater Zorobabelis, ac Semei. Vide 1. *Par.* 3. 18. 19.

III. PHADAIA, filius Pharos 2. *Eſdr.* 3. 25. & 8. 4.

PHADASSUS, pater Gamalielis Principis Tribus Manaſſis, in egreſſu Hebræorum ex Ægypto (k). Nomine Tribus Manaſſis munera ad Tabernaculum detulit.

PHADON, unus ex patribus, ſive Principibus Nathinæorum, 1. *Eſdr.* 2. 44. & 7. 48.

PHAENON: Vide *Phinon*.

PHAHATH-MOAB, nomen loci in Moabitide, 1. *Eſdr.* 2. 6. & 8. 4. & 10. 30.

PHALAIA, Levita 2. *Eſdr.* 8. 7. & 10. 10. & inter Primores, qui è captivitate regreſſi ſunt, necnon unus ex iis, qui fœdus cum Domino initum apud Nehemiæ obſignavit.

PHALANX, vox Græca, ac nomen in Macedonico exercitu. Porrò Phalanx 2000. ſive etiam 8000. peditibus ſelectiſſimis conſtabat. S. Hieronymus ea voce utitur, deſignandis copiis Iſraelitarum eo tempore, quo Phalangis Macedonicæ ne nomen quidem auditum erat. *Goliath ſtans clamabat adverſus Phalangas Iſrael* 1. *Reg.* 17. 8. Hebræus legit: *Ordines*, ſeu *ordinatas Iſraelis copias*.

PHALEA inter primores Sacerdotum, qui initum à Nehemia cum Domino fœdus ſignarunt. 2. *Eſdr.* 10. 24.

PHALEG, filius Heber natus A. M. 1757. ante Chr. 2243. ante Ær. 2247. qui à patre nomen indutum *Phaleg*, nempe *diviſio*, quod tunc potiſſimùm terra in partes diſtribueretur, *Gen.* 11. 10. & 10. 25. ſivè quia Noë terram inter nepotes divideret, aliquibus ante confuſionem linguarum annis (l); ſivè quia Phaleg eodem anno in lucem prodierit, quo cœpta Babelis ædificatio, & Linguarum confuſio accidit; ſivè tandem, quia Heber Prophetico Spiritu ventura præcognoſcens, nomen illud futurorum indicium filio impoſuerit. Quod autem hac in re negotium Interpretibus facit, eſt 1. quia Phaleg nonniſi 100. poſt diluvium annis natus eſt, quo ſanè tempore numerus hominum non eò uſque auctus videtur, ut tantùm opus, turrim nempe Babelis moliri poſſet. 2. Jectan filius Phaleg 13. filiorum pater erat, quo tempore partitio Linguarum contigit, *Gen.* 10. 26. Cum igitur Phaleg anno 34. Heberi in lucem editus fuerit, *Gen.* 11. 16. eo tempore Jectan frater ipſius, tot jam filiorum pater nunquam eſſe potuerat. Non eſt igitur, cur diſperſionis tempore natus Phaleg credatur. Niſi tamen ea, quæ Moyſes de 13. filiis Jectan narrat, eodem in loco, ubi de confuſione Babelis agit, per anticipationem dicta fuiſſe credamus. Cùm enim filii Jectan ampliæ regionis tractum occuparent, commodè omninò inter cæteros poſteros Noë, qui per Orientales Provincias diſperſi ſunt, ab eodem Moyſe recenſentur. Verùm de his ſatis. Phaleg 30. annis natus, Reu genuit (m), atque 239. annis grandævus diem clauſit.

PHALEL filius Ozi, 2. *Eſdr.* 3. 25.

PHALLETH, filius Azmoth, vir ſtrenuus, qui Davidi, dum in Siceleg verſaretur, acceſſit. 1. *Par.* 12. 3.

PHALLU, filius Ruben natu ſecundus, & pater Eliab, & author familiæ Phalluitarum (n).

I. PHALTI, filius Raphu, qui ad explorandam Terram promiſſionis inter duodecim electus fuit. *Num.* 13. 10.

II. PHALTI, ſive *Phaltiel*; filius Lais; cui Saul filiam ſuam Michol, Davidi per injuriam ablatam, nuptum tradidit, quam David deinde vi ſibi vindicavit 1. *Reg.* 25. 44 & 2. *Reg.* 3. 15. Nonnulli Interpretes (o) autumant, hunc virum adulterii committendi, atque capitalis pœnæ adulteris indictæ, *Lev.* 20. 10. metu, ab ea conjuge prorſus abſtinuiſſe; neque enim Legales cæremoniæ in eo repudio ſervatæ fuerant. Sed hæc levia ſunt. Saul enim Davidem perduellis, & proſcripti loco habebat, cujus proinde bona omnia, & uxores Regiæ poteſtati ceſſiſſent. Neque ſanè filiam ſuam Phalti tradidiſſet, neque ille recepiſſet unquam, ſi ab ea ſibi abſtinendum fuiſſet. Ex quo verò Michol filios illos habuit, quos Scripturæ teſtimonio genuiſſe conſtat, niſi ex Phalti? nullos enim ex Davide genuiſſe conſtat; 2. *Reg.* 6. 23. Vide *Michol*.

PHALTI, quod nomen veluti de urbe uſurpatur, 2. *Reg.* 23. 26. *Helles de Phalti*; & 1. *Par.* 11. 27. *Helles Phalonites*. Urbes *Phalti*, & *Phallon* æquè ignorantur.

PHALTIAS, filius Hananiæ, & pater *Jeſeia*, ſivè *Jeſi*, è Tribu Simeonis, qui Amalecitas in monte Seir prælio vicit (p).

(a) Vide Baron. Tillemont. t. 1. Hiſt. Eccl. S. Pierre art. 39. 40. & Fabric. Cod. apocr. N. T. (b) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 6. c. 12. circa an. 200. (c) Clem. l. 3. Strom. Chryſoſt. de Virgin. c. 82. (d) Vide S. Arit. T. 1. Miſcell. Baluz. (e) Clem. Alex. l. 7. Strom. Euſeb. l. 3. c. 30. Hiſt. Eccl. (f) 4. Reg. 15. 25. An. M. 3245. ante Ch. 755. ante Ær. 759. (g) Poſſunt Argob, & Arie nomina eſſe duarum urbium trans Jordanem, quæ partibus Phacee faverent. (h) 4. Reg. 15. 30. A. M. 3265. ante Ch. 735. ante Ær. 739
(i) 4. Reg. 15. 22. 23. A. M. 3243. ante Ch. 757. ante Ær. 761. (k) Num. 1. 10. & 2. 20. & 7. 54. 59. & 10. 23.
(l) Uſſer. ad A. M. 1757. (m) Gen. 11. 18. A. M. 1787. ante Ch. 2213. ante Ær. 2217. (n) Gen. 46. 9. Num. 26. 5.
(o) Author Tradit. Heb. in Libb. Reg. & alii quidam. (p) 1. Par. 3. 21. & 4. 42. incertum quo anno.

PHALTIEL, filius Ozan è Tribu Iſſachar, qui dividendæ Terræ promiſſionis cum cæteris electus fuit. *Num.* 34. 26.

PHANNIAS, ſive *Phanaſus*, filius Samuelis, è Sacerdotali genere, & vico Aphtaſi oriundus (a). Vir erat ingenio ruſtico, indoctus, & ſumma Pontificatus dignitate eò indignior, quò nec ſatis quid illa eſſet ſciebat. Cùm ſeditioſi Templum occupaſſent, exauthorandi, eligendique Summos Sacerdotes authoritatem ſibi arrogârant. Quare Matthatia filio Theophili abdicato, de ſucceſſore eligendo deliberarunt circa A. Ær. 68. Cùm autem olim in iis electionibus ſortium uſum obtinuiſſe contenderent (b), Summum Sacerdotem ſortium arbitrio commiſerunt. Jactæ igitur ſuper familiam Eniakim (c) ſortes, in Phanniam ceciderunt. Sub eo Pontifice Templum à Romanis everſum eſt, anno 70. Æræ.

I. PHANUEL, filius Hur, è Tribu Judæ 1. *Par.* 4. 4.

II. PHANUEL, filius Seſac. 1. *Par.* 8. 25.

III. PHANUEL, è Tribu Aſer, pater Annæ viduæ religioſæ, & Prophetidis, quæ Dominum in Templo à parentibus oblatum agnovit, *Luc.* 2. 36.

PHANUEL, urbs transjordanica, juxta torrentem Jabok. Cum Jacob è Meſopotamia redux, ad torrentem ſubſtitiſſet (d), ante auroram alterius diei, tota ejus familia torrentem tranſgreſſa, ipſe ſolus in adverſa ripa manens, Angelum obvium habuit; quocum ab aurora uſque luctatus, tandem ab Angelo, ut liber ſe dimitteret, requiſitus eſt. Jacob nonniſi benedictione impetrata abire ſivit. Ex hoc, nomen loco indidit *Phanuel*, ſive *Panuel*, vel *Peniel*, dicens: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Succeſſu temporis, urbs ab Iſraelitis ibi condita eſt, quæ Tribui Gad ceſſit. Gedeon è cæde Madianitarum redux, turri ejus urbis everſa (e), in cives ultimo exterminio ſævit, cum ſibi ſuiſque copiis antea commeatus inſultantes denegaſſent. Eandem poſtea urbem Jeroboam filius Nabat reſtituit (f); Regium etiam Palatium adjeciſſe; Joſephus *Antiquit.* 8. *c.* 3. eſt author.

PHARA, Gedeonis ſervus, qui cum hero in caſtra Madianitarum explorandi gratia ſubrepſit. *Judic.* 7. 10.

PHARA, urbs Tribus Ephraim (g), in Textu Græco, & *Judic.* 12. *ult.* *Pharathon* appellata.

PHARAI, de Arbi, vir ſtrenuus in exercitu Davidis 2. *Reg.* 23. 35. Alibi Naharai filius Azbai nuncupatur. 1. *Par.* 11. 37.

PHARAM, Rex Jerimoth, quem una cum Adonibeſecho Rege Jeruſalem pugnantem Joſue prælio vicit, captumque interfecit, necnon defunctum corpus in ſupplicium tolli juſſit. *Joſue* 10. 3. 24.

PHARAN, deſertum Arabiæ Petrææ, ad meridiem Chanaanitidis, & ad ſeptentrionem, & orientem Sinus Elanitici. Codorlahomor fœderatique Reges bello in Reges Pentapoleos illato, regionem uſque ad arva Pharan vaſtarunt (h). Agar è Domo Abrahami depulſa, in deſerto Pharan una cum Iſmaële filio ſedem fixit (i). Iſraelitæ à Sinai moventes, in eodem deſerto caſtrametati ſunt (k); ex quo Moyſes ad explorandam Chanaanitidem certos viros miſit *Num.* 13. 3. Porrò cùm viri illi miſſi legantur è Cades *Num.* 13. 27. eam urbem in deſerto Pharan conſtituamus oportet. Ipſum etiam montem Sinai in eodem deſerto locaſſe Moyſes viſus eſt, cùm Dominum in monte Pharan ſeſe Iſraelitis videndum exhibuiſſe commemoraverit, *Deut.* 33. 2. Paria in Abacuc 3. 3. leguntur, *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* In Pharan, juxta Maon & Carmelum, David perſequentem Saulem declinavit, 1. *Reg.* 25. 1. 2. Viri illi, qui Adad filium Regis Idumææ adhuc infantem in Ægyptum ſuffurati ſunt, ex Idumæa orientali in Madianitidem, inde in regionem Pharan, ac demum in Ægyptum venerunt, 3. *Reg.* 11. 18. Ædes hujus regionis ut plurimùm in ſaxo exciſæ erant. Simon Geraſenus prædam omnem ex hoſtibus relatam eò deferebat (l).

PHARAN, urbs Arabiæ Petrææ, tridui itinere ab Ela, ſive Ailat, orientem verſus (m), ex qua nomen deſerto Pharan inditum.

PHARAO, nomen potiſſimum Regum Ægypti, omnibus illis Regibus à Minæo (authore Joſepho) Memphis conditore, pluribus ſæculis Abrahamo antiquiore, uſque ad Salomonis ætatem, ſpatio plus quàm 3300. annorum, commune (n). Addit idem Scriptor, nomen illud Ægyptiis *Regem* ſonare; quare nonniſi poſt acceptam Regni poſſeſſionem, natali nomine relicto, à Regibus uſurpari conſueviſſe. Hinc, ait Joſephus, Herodotus 330. Reges à Minæo conditore Memphis enumerans, omnia eorum nomina ſilet, quòd omnibus unum Pharaonis nomen ineſſet. Cùm verò fœminæ Regni hæredes eſſe poſſent, nomina non poſſent, ideò unicam, quæ in eorum Regum ſerie occurrit, Nicaulen, proprio nomine appellat. Tandem concludit Joſephus, ex monumentis gentis noſtræ conſtat, nullum Regem Ægyptiorum à Salomonis ætate Pharaonis nomine ultra appellatum.

In hac Joſephi narratione plura ſunt oſcitanter tradita. Herodotus quidem *l.* 4. *c.* 4. 99. 100. narrat, Menem, ſive Minæum, fuiſſe Ægyptiorum Regem, & Memphecos conditorem, ex quo 330. Regum ſeries deducta; poſt illos, ait, *Nitocrim*, non *Nicaulem* regnaſſe: ſed unum fuiſſe eorundem Regum nomen *Pharaonem*, nuſquam illum aſſeruiſſe, ſed & liquidò contraria innuiſſe, conſtat. Narrat enim, nomina eorumdem Regum in monumentis Sacerdotum Ægyptiorum extitiſſe; inter illos verò 18. Æthiopes fuiſſe, uti & fœminam alienigenam, nomine Nitocrim, recenſeri; cæteros verò omnes Ægyptios genere (o). Hinc in fragmentis Manethonis (p), Regum Ægypti nomina ſervantur, nec niſi in Sacra Scriptura nomen Pharaonis legitur.

Fabulæ etiam deputanda ſunt ea, quæ idem Joſephus ſubdit, Reginam nempe Nicaulem, ſive Nitocrim, ipſiſſimam eſſe Reginam Saba, 3. *Reg.* 10. 1. &c. & à Salomonis ætate nomen Pharaonis apud Ægyptios Reges omninò deſiiſſe; eò namque nomine Nechaus appellatur ſub Ezechia 4. *Reg.* 18. 21. ſub Joſia *ibid.* 23. 29. & ſucceſſoribus; uti & ejuſdem veſtigia occurrunt ſub Joakimo *ibid.* 23. 35. & in Prophetis Iſaia, Jeremia, & Ezechiele, ætate ſanè Salomonis poſterioribus. Quare fieri potuiſſe credimus, ut Ægyptii eo nomine tamdiu Reges ſuos appellarint, quamdiu Lingua Ægyptiorum obtinebat, ſuiſque Regibus paruerunt. Obſoleviſſe verò, poſtquam occupata ab Alexandro Magno Regione, Græcorum Lingua prævaluit.

Bochartus de animal. par. 2. l. 5. c. 17. in ea eſt opinione, nomen Pharao crocodilum ſignificare, quo ſpectaſſe credit Ezechielem illis verbis 29. 3. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum.* Genuinam ejus nominis radicem in verbo Arabico *pharah*, extolli, præeſſe, deprehendiſſe Clericus *in Gen.* 12. 15. ſibi viſus eſt: Abbas Renaudot *Diſſert. de Lingua Cophtica* aſſerit, *Pharao* idem eſſe ac Ægyptium *Pouro*, quod Regem ſonat: Kircherus

Oedip.

(a) Joſeph. de Bello l. 4. c. 5. Antiq. l. 20. c. 8. (b) Ordo quidem familiarum Sacerdotalium ſortito diſtributus eſt: Sacerdotum verò numquam. Vide 1. Par. 24. 7. & Luc. 1. 9.
(c) Eadem facile ac familia Jakim, 1. Par. 24. 12. inter familias Sacerdotales ordine duodecima.
(d) Gen. 32. 24. &c. A. M. 2265. ante Chr. 1735. ante Ær. 1739.
(e) Judic. 8. 17. A. M. 2759. ante Ch. 1241. ante Ær. 1245.
(f) 3. Reg. 12. 25. Circa A. M. 3030. ante Ch. 970. ante Ær. 974. (g) 1. Mach. 9. 50.
(h) Gen. 14. 6. A. M. 2079. ante Ch. 1921. ante Ær. 1925. (i) Gen. 21. 21. A. M. 2113. ante Ch. 1887. ante Ær. 1891.
(k) Num. 10. 12. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490. (l) Joſeph. de Bel. l. 5. c. 7.
(m) Euſeb. in Pharan. (n) Antiq. l. 8. c. 2. (o) Herodot. l. 2. c. 100.
(p) Joſeph. l. 2. contr. Appion. Vide & Syncell. Chronic.

Digitized by Google

Oedip. Ægypt. l. 1. c. 76. ejus etymon derivat ex *pharah*, quod interdum ſignificat liberare; quare Pharaonem reddit, virum liberum, nempè legibus ſuperiorem.

Pharaonum catalogum operæ pretium eſſet recenſere, ſi quid certi de illorum initio, & ſucceſſione haberemus. Verùm Manetho, quem Euſebius, & Julius Africanus ducem ſecuti ſunt, plurimum diſſidet ab antiquis Chronologis Ægyptiis, à Syncello Monacho laudatis: quamvis in eo utrique conveniant, ut illam Dynaſtiis Ægyptiis antiquitatem tribuant, quam vel prorſus, vel partim deſerere Chronologi noſtri coguntur. Hinc incertum catalogum ſubiſtere ſupervacaneum ducimus, Lectores remittentes ad Chronicon Euſebii; à Scaligero editum, Syncelli, & ad Opus Equitis Marshami, inſcriptum: *Canon Chronicus Ægyptiacus &c.*

(Paucis hic damus hiſtoriam Pharaonum, quorum meminit Scriptura. Omnium, qui innotuerint, primus eſt Pharao, quo rerum potiente Abraham deſcendit in Ægyptum *Geneſ. 12. 10.... 15. 16. &c.* Anno Mundi 2084. ante J. C. 1916. ante Æram Vulgarem 1919. Abraham fame adigente coactus recipere ſe in Ægyptum, admonuit uxorem ſuam Sarai, eximiæ pulchritudinis fœminam, ut ſororem ſe non uxorem ſuam diceret; norat enim tanta fœminæ pulchritudine illectos Ægyptios, ſibi illam aſſumpturos, illaturos verò Abrahamo necem, ſiquidem intellexiſſent uxorem ejus fuiſſe. Nec vana ille; ſtatim enim ac Ægyptum attigerunt, rapta eſt Sarai in ædes Pharaonis; quæ cùm Abrahami ſororem ſe proderet favorem illi conciliavit, & compendium. Poſſedit ille greges opimos & magno numero ſervos, quæ divitiæ erant ejus temporis maximæ.

Sed Dominus non ferendis incommodis afflixit Pharaonem, ejuſque domeſticos; ex quo tandem intellexerunt, mulierem illam conjugio cum Abraham copulatam fuiſſe. Accitum ergo virum interrogarunt, cur hæc ementiretur, cur ſororem ſuam, non uxorem illam edixiſſet. Quare agnitam uxorem ſibi reciperet. Simul autem juſſit Pharao deduci virum extra Ægyptum, unà cum omnibus, quæ eſſent illius. Certum nomen hujus Regis latet; ſed quantum ea hiſtoria intelligimus, & Deum ipſe metuebat, & ſyncera Religio ex Ægypto penitùs non exulabat.

Alter Pharao, de quo Scriptura, regnabat in Ægypto quo tempore Joſeph ab Iſmaelitis mercatoribus emptus vendentibus fratribus ſuis, tranſlatus eſt in Ægyptum (a). Princeps idem, vel fortè ejus ſucceſſor, myſticum illud per ſomnium ſpectavit, ſeptem ſcilicet pingues vaccas ſpicarumque plenarum totidem; quas abſumpſerunt ſeptem graciles vaccæ, ſpicæ itidem graciles, quarum in ariſtis nihil præter rubiginem (b). Intelligens autem quantæ eſſet perſpicaciæ Joſeph, è carcere eductum coram ſe ſiſti juſſit, atque ſomnii expoſiti aptam adeò interpretationem ab illo obtinuit, ut ſtatim renunciaret totius Ægypti atque Aulæ Præfectum, ſolo fermè ſibi retento Regis titulo: in tantum ut Joſeph veluti Pater Pharaonis, & in tota ditione Princeps haberetur *Gen. 45. 8. 9.* Idem pariter Pharao deſcendentes in Ægyptum Patriarcham Jacob cum familia univerſa excepit, aſſignavitque illis in ſedem regionem Geſſen.

Tertius Pharao perſecutione in Iſraelitas à ſe mota notus eſt in Scriptura. Novum hunc fuiſſe Regem perhibet Moyſes, atque ignorantem Joſeph (c): *Surrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph.* Intelligens Rex ille Iſraelitas numero viribuſque augeri, opprimendos cenſuit oneribus. Applicavit igitur condendis Urbibus, Tentoriis, Pithon & Ramneſſes, impoſitis, ut præeſſent operibus miniſtris duris, & immitibus. Sed preſſi, magis magiſque augebantur; quare mandatis oneravit obſtetrices Ægyptias, quæ enitentes fœminas Hebræas curabant, ut mares omnes extinguerent, puellis tantum reſervatis. Neglecta hæc; namque obſtetrices illæ Dominum timentes, pueris æquè ac puellis parcebant.

Molimina hæc ſua incaſſum recidere intelligens Pharao lato edicto ſancivit, ut in profluentem projicerentur mares omnes è fœminis Iſraelitis naſcentes, fœminis tantùm ſervatis. *Exodi 1. 22.* De juſſionibus hiſce nihil omiſſum; agente tamen Numine factum eſt, ut Moyſes & ab interitu reſervaretur, & aleretur in Aula ipſa Regis Ægypti, curante filia ejuſdem Pharaonis, quæ expoſitum illum in Nilo offendit (d). Adultus jam Moyſes ac cædis Ægyptii peſſimè excipientis Hebræum hominem reus (e), recipere ſe ex Ægypto coactus eſt, ſupplicium, quod ſibi minitabatur Pharao, evitandi cauſa.

Poſt plurium annorum tractus octuageſimum annum agens ætatis, juſſus à Deo rediit, edidítque coram Pharaone prodigia, quæ nos explicavimus V. *Moyſes* (f). Vero propius autumamur, Pharaonem hunc, quem allocutus eſt Moyſes, & quo pariter regnante Ægyptus affecta eſt plagis, alium fuiſſe ab eo, qui reum illum occiſi Ægyptii ad necem perſecutus fuerat. Idem Pharao coactus liberam dare Hebræis facultatem, ut ex Ægypto ſecederent, ſtatim facti pœnitens inſecutus eſt eum exercitu & curribus abeuntes; ſed Erythræi verticibus abſorptus eſt, quibus imprudens ſeſe immiſcerat inſequens fugitivos. Hiſtoricorum nonnulli id ſumpſere ſibi ut nomen huic Pharaoni darent, alii, ut Appion, appellantes *Amoſim* vel *Amaſim*; alii cum Euſebio *Chenchrem*: alii cum Uſſerio *Amenophim*; ſed nihil certi.

V. Pharao tutum dedit effugium apud ſe Adad filio Regis Idumææ (g); conciliavitque illi nuptias tradita ſorore Reginæ Ægypti ſponſæ ſuæ, ac tandem loca quædam ipſi aſſignavit, & natu ea eo filium Genubath educavit in Aula. Poſt Davidis obitum Adad Idumæam repetiit.

VI. Pharao filiam ſuam conjugem aſcivit Salomoni Regi Hebræorum *3. Reg. 3. 1.* & captam Gazer incendit, exterminavit incolas ejus Chananæos, Urbemque tandem dotis loco aſſignavit Salomoni, pro nuptiis filiæ ſuæ cum eodem Rege *3. Reg. 9. 16.*

VII. eſt Seſac (h), qui in Regnum ſuum excepit Jeroboamum, perduellem Regi ſuo Salomoni hominem. Idem Seſac bellum indixit Roboam filio ac ſucceſſori Salomonis (i), obſeſſam Jeroſolymam tandem obtinuit, direptiſque ſacris ac Regiis Ærariis, potiſſimùm verò aureis ſcutis Salomonis, abiit; Roboam ænea pro aureis illis conflari curavit in uſum militum corporis cuſtodum. Ex ſecundo Paralipomenon intelligimus exercitum Seſac validum fuiſſe 1200. curribus, 60000. equitibus, ac infinitis fermè peditibus, qui Regem in expeditionem eamdem ſecuti fuerant ex Ægypto. Conſtabat exercitus ex Libybus, Troglodytis, Æthiopibus (k), omiſſis incolis Ægyptiis; quæ ſanè magnam exhibent potentiæ Seſac opinionem.

Addit idem Author redactas ab illo in poteſtatem munitiſſimas Urbes Juda, atque Jeroſolymam uſque penetraſſe. Roboam & Principes Juda in Urbe ſeſe continentes, ſuſtinendam obſidionem cenſebant, at Semeias Propheta Domini verba denunciavit futurum, ut permitterentur omnes in manus Regis Ægypti. Tunc dejecto faſtu agnovere juſtam Dei ſententiam, recluſiſque portis ultrò exceperunt Ægyptium. Vide V. *Seſac.*

VIII. Pharao fœdus inivit cum Ezechia in Sennacheribum Regem Aſſyriæ (l). A. M. 3290. ante Chr. 710. ante Ær. 714. Fusè hæc omnia deducta habes V. *Sennacherib*, & *Ezechias*. Ipſe eſt facilè Princeps ac

Sethon

(a) Gen. 37. 28. A. M. 2276. ante Chr. 1724. ante Ær. 1727. (b) Gen. 41. 2. &c. A. M. 2289. ante Ch. 1711. ante Ær. 1714.
(c) Exodi 1. 8. circa A. M. 2427. ante Chr. 1573. ante Ær. 1576. (d) Exodi 2. 2. &c. A. M. 2433. ante Chr. 1567. ante Ær. 1570.
(e) A. M. 2473. ante Chr. 1527. ante Ær. 1530. (f) A. M. 2513. ante Chr. 1487. ante Ær. 1490.
(g) 3. Reg. 11. 15. &c. circa An. M. 2960. ante Chr. 1040. ante Ær. 1043.
(h) 3. Reg. 11. 40. circa A. M. 3026. ante Chr. 974. ante Ær. 977.
(i) 3. Reg. 14. 25. & 2. Par. 12. 2. &c. A. M. 3033. ante Chr. 967. ante Ær. 970.
(k) Hebræus ex Lubim, Suchim & Chuſchim. (l) 4. Reg. 18. 21. Iſai. 36. 9. & 2. Par. 32. 3.

Sethon Herodoti l. 2. Sacerdos Vulcani, qui obviam procurrens Sennacherib circa Peluſio, adjutorem habuit Vulcanum; immiſſa enim ab illo ingens murium copia, funes arcuum hoſtilium ac lora militum voravit.

IX. Pharao *Nechao* vel *Nechos*, filius Pſammetici, manus cum Joſia conſeruit, fuditque (a). Meminit illius Herodotus. Vide V. *Nechao*.

X. *Pharao Ophra* vel *Ephræus* (b), fœdere cum Sedecia Rege Juda compoſito ſuppetias illi ducturus venit in Nabuchodonoſorem Regem Chaldææ. Lata ſunt in hunc Pharaonem vaticinia plura ab Ezechiele cap. 29. & 30. & 31 & 32. Appellatur *Apries* ab Herodoto lib. 2. cap. 161. Meminit etiam illius Habacuc 2. 15. 16. Vide pariter Iſaiam 19. & 20. & Jeremiam cap. 46. 16. 17. &c.

Hæc ferme Sacræ Scripturæ de vetuſtis Pharaonibus Ægypti. Paſſim aſſerta quædam addunt Muſulmani (c), quæ curioſi Lectores hic collecta habere è re ſua eſſe judicabunt. Habent igitur Pharaonem illum, quo regnante Jacob venit in Ægyptum, appellatum fuiſſe *Rian*; ejus ſucceſſorem *Muſaab*; illum verò quem convenit Moyſes, *Cabous* aut *Valid*. Prior ille Pharao ad ſummam dignitatem extulit Joſephum; ſecundus favit Judæis Joſephi gratia; tertio excidit è memoria non Joſephus tantum, ſed ſuus ipſius ſtatus; obtruſit enim ſe tanquam Deum, dicens ad ſuos: *Ego ſum Dominus veſter ſupremus*, *i. e. veſter Deus* (d). Hebræi recuſantes conſtanter agnoſcere illum in Deum, diram in caput ſuum perſequutionem provocarunt, quæ tandiu duravit, quandiu ducente Moyſe ex Ægypto pedem non retulerunt.

Eutychius, Patriarcha Alexandrinus, refert à Chriſtianis Orientalibus appellatum fuiſſe *Amiouum* Pharaonem illum, qui Hebræis gravis inſtans, Maris rubri vorticibus abſorptus eſt. Mahometani nonnulli nuncupant *Senan BenUlvan*. Plura etiam interciunt, hiſtoriam narrantes ingredientium Ægyptiorum intra alveum Maris rubri; eò enim deducti ſunt ab Angelo Gabriele, albentem equum inequitante; extincti Principis cadaver hinc inde rejectum fuiſſe dicunt à fluctibus; primùm ſcilicet in litus, quod tenebant Hebræi, tum in averſum ubi Ægyptii, ut omnes intelligerent & necem ejus & ſupplicium.

PHARATON, urbs Ephraim, in Amalecitide, patria, & locus ſepulturæ Abdonis, Judicis Iſraelis, *Judic.* 12. 15. Hanc urbem munitionibus firmavit Bacchides (e). Textus Latinus 1. *Mach.* 9. 50. eam appellat Phara.

PHARES, filius Judæ ex Thamar, *Gen.* 38. 27. Thamar duobus ſcita gemellis, partus dolore diſcruciabatur. Phares primus manum ex utero eduxit, ac deinde ſtatim reduxit. Obſtetrix brachium illius purpureo filo alligavit, hæc addens: Cur familiam turbas? ſive, cur ſeparationis murum diſjeciſti? Præpoſtero enim motu nativitatis ordinem invertens, fecit, ut incertum eſſet, utri ex fratribus jus primogeniti deberetur: inde nomen Phares obtinuit. Quo anno gemini fratres in lucem prodierint, in Scripturâ non legitur. Phares filium habuit *Heſron*, & *Hamul*. *Num.* 26. 20. 21.

PHARES. Cùm Balthaſar Babyloniæ Rex ſolemni convivio exceptis amicis, & concubinis, Vaſis Sacris Templi Domini miniſtrari juſſiſſet, ſubitò in pariete manus ſcribentis apparens, hæc verba ſignavit: *Mane*, *Thecel*, *Phares*; nempè: Numeravit Deus, appendit, diviſit; diviſit ſcilicet Regnum tuum inter Perſas, Medoſque (f). Eadem nocte Balthaſar vita, & regno privatus eſt. Vide *Balthaſar*, ſivè *Daniel*.

PHARISÆI, quorum ſecta omnium vetuſtiſſima, atque ſpectatiſſima inter Judæos habebatur. De ejus origine nihil habemus explorati. Author 4. *Mach.* 6. ſcribit, ætate Joannis Hircani Summi Sacerdotis tres obtinuiſſe apud Judæos Sectas, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſeniorum. De his tribus ſectis ſermo eſt apud Joſephum, poſt relatam epiſtolam Jonathæ ad Lacedæmones. Porrò epiſtola illa data eſt A. M. 3860. altero verò anno Jonathæ vita functo Simon ſucceſſit; eique poſt octennium Hircanus, qui 29. annis rerum potitus eſt. Quare Phariſæorum initium circa annum 3820. ante Ch. 180. ante Ær. 184. definiri poteſt.

Illos tamen recentiores autumat S. Hieronymus *in Iſai.* 8. qui Scribas, & Phariſæos ex diviſione Scholæ Hillelis, & Sammai derivat: Hillel ſucceſſorem habuit Akibam, præceptorem Aquilæ Pontici, qui ſecundo Eccleſiæ ſeculo floruit, & Verſione V. T. ex Hebræo in Græcum clariſſimus eſt. Ex Joſepho autem *Antiq. l.* 4. c. 17. ſcimus, Sammaï, ſivè Simæam Herodis Magni ætate, nempè paulò ante exortum Chriſtum vixiſſe. Hunc Hillelem Phariſæorum patrem, & potiſſimum ejus ſectæ decus, etiam Rabbini agnoverunt. Sed Vetuſtiores eſſe Phariſæos ne dubitamus quidem, cùm ex pluribus Joſephi teſtimoniis (g) conſtet, diù ante Herodem ſub Hircano, Alexandro Jannæo, & Salome, ejus uxore illos invaluiſſe.

Nomen *Phariſæus* ex voce Hebræa, quæ ſonat diviſionem, ſivè ſeparationem, derivatur; quippe qui religioſioris vitæ genere à cæteris Iſraelitis diſtinguerentur (h). Plura fatis, ſivè ab æterno præſtituta de rerum ſucceſſione à Deo decretis tribuebant, ut non multum à Stoicis abludere ex Joſepho, qui profeſſione Phariſæus erat (i), intelligamus. Ait enim, plura quidem illos fato conceſſiſſe, non tamen liberi arbitrii hominibus conceſſiſſe diſpendium; quare eorum de fato ſententia nullam libero arbitrio neceſſitatem imponebat, uti S. Epiphanius *hæreſ.* 16. autumaſſe videtur. Aſtrologiæ, eodem Joſepho teſtante, deditiſſimi erant, rati ſe abditiſſima Providentiæ conſilia ſyderum inſpectione reſeraturos.

Ejus ſectæ homines numero, ſcientiæ, & vitæ frugi ac rectè inſtitutæ fama adeò invaluere, ut illis vel Reges deferre cogerentur. Alexander Jannæus Rex Judæorum, quòd toto regni ſui tempore cum Phariſæis minimè conveniſſet, multis ſæpè jactatus eſt; quare experimento ſuo doctus, in extremis agens, uxorem ſuam monuit, ut Regni ſui felicitatem Phariſæorum amicitia ſibi compararet (k). Eâ occaſione totius Regni adminiſtratio Phariſæorum arbitrio permiſſa eſt.

Cum Jeſus Chriſtus in vivis ageret, Phariſæorum fama plurimùm in populo obtinebat. Illos enim tanquam Legis ſtudio & vitæ innocentia probatiſſimos obſervabant; quàm de ſe opinionem, & crebris jejuniis, & prolixis orationibus, exacta decimarum ſolutione, ac tandem eleemoſynarum largitione promovebant. Verùm hæc elatione quadam, oſtentatione, hypocriſi, & famæ comparandæ ſtudio, non virtutis, agentes, dealbata veluti monumenta exhibebant; in facie quidem ornata, interius verò taniem & corruptionem eclantia, *Matth.* 23. 27. Fronti & cubito oblongas, latioreſque membranas, certis Legis ſententiis inſcriptas, alligabant; palliis quin etiam anſulas quaſdam, & fimbrias longius quàm pro more pendentes geſtabant, quo indicio Legis ſtudio cæteris præſtare viderentur.

Erant etiam, ait S. Hieronymus *in Matth.* 23. 27. qui

(a) 4. Reg. 22. 29. 33. &c. Jerem. 46. 2. A. M. 3394. Ante Æram 609.
(b) Jerem. 44. 30. A. M. 3414. ante J. C. 586. ante Æram 589.
(c) D'Herbelot Bibliot. Orient. pag. 345. (d) Alcoran. cap. Nazeath.
(e) Antiq. l. 13. c. 1. (f) Dan. 5. 1. &c. A. M. 3466. ante Ch. 534. ante Ær. 538.
(g) Antiq. l. 13. c. 18. & Gorionid. l. 4. c. 6. & alibi.
(h) Antiq. l. 18. c. 2. (i) In vita ſua initio, & Antiq. l. 13. c. 9.
(k) Antiq. l. 13. c. 28. de Bel. l. 1. c. 4.

qui veſtium lacinias ſpinis armarent; quibus inter gradiendum crura compuncta, jugem excitarent Dei memoriam, & duris tolerandis animus aſſueſceret. Crebra illis manuum lotio, ut nunquam manibus illotis menſæ accumberent; nec ſegnius in aliis rebus externis munditiæ ſtudium. E via, ſive foro regreſſi, veriti, ne quid impuri tetigiſſent, manus à cubito uſque ad digitorum extremitatem lavabant, *Marc.* 7. 4. Cum Publicanis, & aliis, quos probro ducebant, hominibus, non à cibo tantum, & potu orationiſque commercio abſtinebant, *Matth.* 9. 11. *Luc.* 7. 39. ſed ne tangere illos quidem ſuſtinuiſſent. Vaſa eorum omnia, & utenſilia, lecti etiam tabulæ, ſæpè aquis eluebantur; nec ipſi rarò frigida ſeſe immergebant, ut luſtrarentur. *Joſeph. in Vita ſua.*

Plura ſponte jejunia obſervabant; biduum ſingulis hebdomadis ſe ſe in jejunio transfigere Phariſæus in Evangelio gloriatur, *Luc.* 18. 2. feriam nempè ſecundam, & quintam, juxta S. Epiphanium *hæreſ.* 16. Porrò jejunia Phariſæorum multò quam cæterorum auſteriora erant. Illos verò Chriſtus in Evangelio ſuggillat, *Matth.* 15. 5. *Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes; exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes .... Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava ... & Pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi.* Querebantur Phariſæi, ſe atque Joannis Baptiſtæ Diſcipulos plura ſervaſſe jejunia, cùm interim Jeſus, ejuſque Diſcipuli à communi more non recederent. *Marc.* 7. 11. Narrat Joſephus, juveniles annos ſub diſciplina Bannæi ſeſe traduxiſſe, qui nihil coctum in cibo admittens, iis tantùm quæ ſponte terra produxiſſet, victitabat.

In rebus Religionis, Veterum traditioni unicè ſtudebant; cui tamen quædam, ſuâ opinione neceſſaria addentes, omnia tandem tamquam Veterum authoritate accepta obtrudebant. Eo obtentu, Legis præcepta multis infarſerant rebus inanibus, ſuperfluis, & duris, quibus id effecerant, ut Legis jugum intolerandum redderetur. Ipſa etiam Legis maxima præcepta detortis interpretationibus adeò corruperant, ut eo nomine à Jeſu Chriſto acrioribus verbis caſtigari meruerint. Ita præceptum colendi parentes eò detorſerant, ut filius ab illis in neceſſitate alendis eximeretur, ſi diceret: Res illa, quam petitis, Deo jam devota eſt; vos tamen oblationis meæ participes eritis. *Marc.* 7. 10. 11. 12.

In Sabbathi obſervantia Phariſæorum cavillationes vel maximè invaluerunt; quare ſæpè ea de re Jeſus cum iis diſceptavit. Ea die ægrotum ſanare apud illos nefas; *Luc.* 6. 7. *Jo.* 9. 16. quamvis unico prolato verbo tota res à Jeſu conficeretur. Ægrotos ea die ad Jeſum valetudinis obtinendæ gratia deducere Phariſæi improbarunt; uti & irreligioſum paralyticum lectulum ſuum poſt receptam à Domino ſanitatem Sabbatho transferentem habuere. *Marc.* 9. 11. *Jo.* 5. 8. 9. Ex his omnibus validum capiebant de Chriſto eloquendi argumentum; neque enim fieri potuiſſe dicebant, ut à Deo veniſſet homo, qui Sabbathum eò uſque violari ſinebat. *Jo.* 9. 16. Corporis continentiæ ſervandæ modi de aliis narrat S. Epiphanius *hær.* 16. erant enim, qui ſomnum fermè ſibi interdicerent; qui ſuper aſſem vix pede latum cubantes, ſiquid altius dormirent, ſubitò in terram lapſi excitari ad orationem cogebantur; qui tandem ſuper ſtratos inæquales & acutos lapides, ſive ſuper ſpinas dormirent, quo vel in ſomno cruciarentur.

Chriſtus vitio Phariſæis vertit orationes, quas ſive in Synagogis ſtantes, ſive in capite viarum producebant; uti & viduarum domos ſub orationis obtentu direptas. *Matth.* 23. 14. 15. Illos etiam accuſat, quòd maria terraſque curſitarent, ut vel unicum ex Ethnicis Proſelytum redderent; illum continuò corrupta doctrina imbutum, non juſtum ex impio, ſed ex pravo deteriorem efficerent. Splendida ſanè monumenta Prophetarum memoriæ erigunt, *Luc.* 11. 47. 48. *Matth.* 23. 29. ait Chriſtus, Patres ſuos de perſecutione in illos indicta accuſantes; cùm interim paria in eos præſtent, qui ſaniora ipſis perſuadent. Ejus ſectæ viri cupiditates pravas, cogitationes, & rei malæ propoſitum negligentes, ea tantùm crimina deputant, quæ in externum actum prodierint. Hinc Joſephus *Ant. l.* 12. c. 13. Polybium irridet, qui Deos de inito ſolùm in corde conſilio Templum Dianæ expilandi ab Antiocho ultionem exegiſſe arbitratur.

Exiſtere Spiritus & Angelos, uti & animæ immortalitatem, *Act.* 23. 8. Phariſæi rectiſſimè ſentiebant; quibus & metempſycoſis cujuſdam genus adjiciebant, juſtorum animas (a) de uno in aliud corpus tranſmigrare autumantes; cùm interim impii tenebricoſo carcere perpetuò damnentur. Hinc Phariſæi quidam Jeſum Chriſtum Joannem Baptiſtam ſive Eliam eſſe, ſuſpicati ſunt. *Matth.* 16. 14. Mortuorum reſurrectionem, & quæ inde conſequutura eſſent omnia, contra Sadducæos tuebantur. *Matth.* 22. 23. Joſephus tandem profeſſione Phariſæus (b), in ea fuit ſententia; Dæmones ſcilicet mortalium invaſores, ipſiſſimas eſſe impiorum animas, alienorum corporum contubernium quærentes; quas tamen adjurationum vi interdum depulſas recedere tradit (c).

Communi Templi & Iſraelitatum excidio ſuperſtes ſecta Phariſæorum manſit; cùm hodie uſque vulgò Judæi illam ſequantur (d), traditionibus quibuſdam, pro veterum Phariſæorum more, unicè adhærentes. *Eas traditiones*, quas Legem oralem appellant, *ſi quis rejecerit*, inquiunt Recentiores *Rabbiniſtæ*, quod eſt novorum Phariſæorum nomen, *apoſtata, & capitalis criminis reus eſt.* Benjamin Tudelenſis circa finem ſæculi duodecimi florens, narrat, inveniſſe ſe in ſuis itineribus Phariſæos perpetuum de exitio Sionis, & Jeroſolymæ luctum agentes, quà lacrymis, quà abſtinentia à carnibus, nigris veſtibus, perpetuis jejuniis, excepto Sabbatho, & continuas per dies preces pro liberatione Iſraelis exhibentes.

Inter novos, vetereſque Phariſæos ſummus eſt opinionum conſenſus: omnia fatis ſubjecta; exceptis iis, quæ à libero hominum arbitrio pendent, pronunciant. Hinc eorum illud: *Omnia in manu Cæli ſunt, excepto timore Dei*; quibus inſinuant; ſive boni, ſive mali agendi liberam hominibus facultatem permitti. Qua de re paria fermè illos cum *Remonſtrantibus* in Batavis ſentire Baſnagius aſſerit *Hiſt. des Juifs*, l. 3. c. 3. a 8. In jejuniis, aliiſque corporis afflictationibus remiſſior eſt noſtrorum temporum diſciplina, quamquam idem perſeverat jactantiæ veterum traditionum, & metempſychoſeos tenax animus. Qui de hæreticis ſcripſerunt Patres, ſuo ordine Phariſæos inter cæteros recenſuerunt; perinde ac illorum ſecta à religiis Judæis ita ſecreta atque damnata eſſet, uti ab Eccleſia hæretici. Verùm alia fuit ſectarum apud Judæos conditio; omnes enim Synagogæ corpori jungebantur, quamvis moribus & opinionibus è cæteris diſcrepantes deprehenderentur. Phariſæis etiam & Sadducæis Summa Religionis, & Reipublicæ munia demandata fuiſſe conſtat (e).

PHARNAC, pater Eliſaphan, è Tribu Zabulonis. *Num.* 34. 25.

PHAROS, cujus familia 2172. hominibus florens Babylone regreſſa eſt (f).

PHAR-

(a) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 2. De Bel. l. 2. c. 12. (b) De Bel. l. 7. c. 23.
(c) Vide Comment. in Matth. 8. 29. 30. 31.
(d) Serrar. trihæreſ. c. 26. Baſnage Hiſt. de Juifs. l. 3. c. 3. n. 15.
(e) Vide noſt. Differt. de ſect. Jud. ante Comment. in Marc. Serar. & Baſnag.
(f) 1. Eſdr. 2. 3. & 8. 3. & 10. 25. & 2. Eſdr. 2. 25. &c.

PHARPHAR, alter è geminis fluviis Damaſci, ſeu potiùs Barradis, ſive Chryſorrhoæ ramus, urbem & ſubjectos agros perluens. 4. *Reg.* 5. 12. *Nunquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluvii Damaſci, omnibus aquis Iſrael?* Amnis Damaſci è monte Libano fluens, propè urbem in tres ramos dividitur, quorum duo ſubjectis urbi hortis irrigandis impenduntur; tertius tranſverſam urbem permeans, juncto dein cum cæteris alveo, quinque vel ſex leucas ab urbe ſeptentrionem verſus, terram ſubit (a).

PHARSANDATHA, filius natu major Amani, ſimili ſupplicio, ac pater, à Judæis adverſarius ſublatus (b).

PHARUE, pater Joſaphat, è Tribu Iſſachar. Huic Joſaphat ejuſdem Tribus præfecturam Salomon conceſſit. 3. *Reg.* 4. 17.

PHARURIM. Nathanmelech, Eunuchus Joſiæ Regis ſedem habebat ad introitum Templi in *Pharurim*, quam vocem Chaldæus, & vulgò Commentatores *ſuburbium* interpretantur. Porro ad occidentem Templi locum fuiſſe dictum *Parbar* conſtat. 2. *Par* 26. 18. Mihi quidem veriſimillimum videtur, *Pharurim*, ſive *Phrurim* idem eſſe, ac Græcum *Phrourion*, quod cuſtodes ſignificat, quare Nathanmelech juxta excubias Templi ſedem habebat.

I. PHASAELUS, frater Herodis Magni, & filius Antipatri Idumæi, natu major (c). Cùm Hircanus ſummus Sacerdos, & Princeps Judæorum, præcipuam Regni adminiſtrandi curam Antipatro commiſiſſet, ille Phaſaelum filium natu majorem ducem copiarum Judææ, & Præfectum Jeroſolymæ, atque adjacentis regionis conſtituit. Phaſaelus plurima exhibitis prudentiæ, & virtutis documentis, utrique dignitati parem ſe oſtendit. Felicem enim, poſt occiſum Malichum opera Herodis fratris ipſius ad Tyrum, patriam ſe illius fratrem interre molientem, prælio proſtravit (d). Paulò poſt, delatis ad M. Antonium ambobus fratribus, Herode & Phaſaelo, veluti qui tota ſibi arrogata Regia auctoritate, nudum nomen Hircano reliquiſſent, Herodes animum Judicis ita blanditiis demulſit, ut adverſarii ab incepto deterrerentur. Tandem dum bellum Antigoni contra Herodem gerebatur, Pacorus filius Regis Parthorum ducto in Judæam exercitu, Antigoni jura vindicare aggreſſus eſt. Quare deſtinato in Galilæam Barzapherne cum exercitu, Pachorum quemdam Regis Perſarum Pincernam cum equitatu contra Jeroſolymam præmiſit. Pachorus igitur unà & Antigonus ſubitò urbi imminentes, primò impetu occuparunt; quibus deindè & Templum ceſſit. Interea Herodes, & Phaſaelus, qui Hircani partibus favebant, in Regia palatio ſe continebant; ſed Pachorum urbem, rogante Antigono, ingreſſum (antea enim in ſuburbiis cum ſuis copiis ſubſtiterat) Phaſaelus obviam progreſſus, in domum ſuam adduxit. Inde Phaſaelus, ſimulatis Pachori perſuaſionibus deceptus, cum illo in Galilæam ad Barzaphernem de pace acturus, venit. Barzaphernes primò hominem hilari vultu, & muneribus excepit; deindè ſubitò hominem in cuſtodiam tradi juſſit; quam perfidiam deteſtatus Phaſaelus, capite ſaxo alliſo, ſibi necem intulit (e).

PHASAELUS, filius Phaſaeli, vir Salampſo conſobrinæ ſuæ, & filiæ Herodis Magni (f).

PHASAELUM, nomen turris, quam opere quadrangulari Herodes Jeroſolymæ ædificari, & nomine fratris ſui appellari juſſit (g). Quadraginta cubitis in quadratum, & totidem in longum porrigebatur. In faſtigio porticus regnabat, brachiis ſuffulta; exinde verò nova emergebat turris, ſuis pinnis & loricis redimita, in qua nihil eorum, quæ ad magnificentiam facerent, non aulæ, non balnea deſiderabantur: totumque opus ad 90. circiter cubitos erigebatur. *De Bel. l.* 6. *c.* 6.

PHASAELIS, urbs tribus leucis à Jordane, in campo ad torrentem Carith. *Sanut. de ſecret. fidel. Cruc.* Eam Herodes in honorem fratris ſui & condidit & appellavit: quam ad ſeptentrionem Jerichuntis ſitam eſſe Joſephus eſt author. *Antiq. l.* 1. *c.* 16. & *l.* 17. *c.* 9. Tranſjordanicam fuiſſe vulgò Itinerantibus perſuaſum, nihil tamen ea de re apud Joſephum.

PHASE, *Paſcha*. Vide *Paſcha*. Idem Feſtum Hebræi dicunt *Peſach*, Græci *Phaſe*, ſeu *Paſcha*.

PHASERON, cujus filii partibus Bacchidis faventibus, 1. *Mach.* 9. 66. ideò totam familiam Jonathas Machabæus delevit.

PHASGA, mons tranſjordanicus in Moabitide. Mons Nebo, Phaſga, & Abarim perpetuo jugo ſiti ſunt, juxta montem Phogor, è regione Jerichuntis, in via inter Liviadem, & Eſbus, ſive Eſebon (h).

PHASHUR, vir, cujus filii numero 1247. è captivitate Babylonica regreſſi ſunt. 2. *Eſdr.* 7. 41.

PHASSUR, vir è poſteris Emmer, filius Melchiæ, & pater Jeroboami, è genere Sacerdotali (i), princeps, ſeu præfectus Domus Domini. Is auditum Jeremiam mala in Jeroſolymam prædicentem, primò percuſſit, deindè ad carcerem detrudi, atque nervo conſtringi juſſit. Manè altera diei liberum abire permiſit, cui Jeremias ait: Non Phaſſur vocavit Dominus nomen tuum (nempe *augmentum ſplendoris*, ſeu *qui pallorem inducit*, ſed *Magur Miſſabib*, nempè *paverem undique*. Siquidem, adjecit Jeremias, non eris ultrà hominibus terrori, ſed contemptui omnibus, & deſpectui. Deus enim tibi, tuiſque amicis pavorem incutiet, & gladium, ut coram te ſanguis amicorum effuſus decurrat. Tu verò, unàque tota familia tua, captivi Babylonem traducemini, ubi tandem abſumpti, in terra aliena cum omnibus amicis, quibus falſa oracula venditaſti, ſepulturæ mandabimini. Oraculum illud impletum creditur poſt captam à Nabuchodonoſore Jeroſolymam.

Poſt aliquot annos (k), obſidente jam urbem Nabuchodonoſore, Phaſſur, & Sophonias juſſu Sedeciæ, Jeremiam adierunt, ſciſcitantes, num Deus extenta prodigiorum ſuorum manu populum obſidionis anguſtiis depreſſum levaturus eſſet, urbemque liberaturus? Quibus Jeremias reſpondit, Deum in cives Jeroſolymitanos fame, peſte, & gladio animadverſurum, ac deinde omnes unà cum Rege hoſtibus permiſſurum.

PHATUEL, pater Joelis prophetæ. *Joel.* 1. 1. Ex Hebræorum doctrina, patres prophetarum, quorum nomina in Scripturis occurrunt, eodem prophetiæ dono claruerunt.

PHATURA. Vide *Pethor*, patria Balaami.

PHATURES, urbs, & regio Ægypti, de qua Jeremias 44. 1. 15. & Ezechiel 29. 14. & 30. 14. Hujus ſitus ferè ignoratur, quamquam apud Plinium (l), & Ptolemæum Geographum ſub nomine *Phaturis* deſcribitur. Sita tamen in ſuperiori Ægypto videtur. Apud Iſaiam 11. 11. *Petros*, ſive *Patros* appellatur, ac Regionem *Phetruſim* ſedem poſterorum Miſraim eſſe conſtat. *Gen.* 10. 14. Porrò illius everſionem prædicit Ezechiel. Cum Judæi illuc confugiſſent, invito Jeremia, Deus ſe illos reducturum Iſaiæ ore prænunciavit.

PHAU, urbs Idumææ, Regia Aſar. *Gen.* 36. 34.

PHEDAEL, filius Ammiud, è Tribu Nephtali, qui cum cæteris à Moyſe electus eſt, ut dividendæ inter Tribus Chanaanitidi præeſſet. *Num.* 34. 28.

PHEGIEL, filius Ochrani, Princeps Tribus Aſer,

(a) Vide Maundrel. Voyage d'Alep à Jeruſalem. (b) Eſther 9. 7. A. M. 3496. ante Ch. 504. ante Æc. 508.
(c) De Bel. l. 1. c. 8. A. M. 3957. ante Ch. 43. ante Ær. 47. (d) De Bel. l. 1. c. 10.
(e) De Bel. l. 1. c. 11. A. M. 3954. ante Ch. 46. ante Ær. 50. (f) Antiq. l. 18. c. 7.
(g) Ant. l. 16. c. 9. (h) Vide Euſeb. & Hieron. in Nabo, & Abarim.
(i) 1. Par. 9. 12. Jer. 20. 1. &c. & 21. 1. A. M. ut credimus, 3594. ante Ch. 406. ante Ær. 410. eodem anno, quo Joſias occubuit. (k) Jer. 21. 1. &c. A. M. 3415. ante Ch. 585. ante Ær. 589.
(l) Plin. l. 6. c. 29. & lib. 5. c. 9. Phaturites Nomos.

Digitized by Google

Aſer, qui nomine totius Tribus pelvim & patinam argenteas, ſimila oleo conſperſa plenas, itemque vas thure plenum, bovem, arietem, agnum in holocauſtum, hircum pro peccato; duos boves, quinque arietes, totidemque hircos, & agnos pro ſacrificia pacifica obtulit (a).

PHELDAS, filius Nachoris ex Melcha *Gen.* 22. 22.

PHELELIA, filius Amſi, pater Jeroham, è familia Phaſſur filii Melchiæ, de quo ſupra, è genere Sacerdotali; 2. *Eſdr.* 11. 12.

PHELETH, filius Phallu, è Tribu Ruben, pater Hon, & Jehielis, *Num.* 16. 1.

PHELETI. Pheleti, & Cerethi, celeberrimi ſunt ſub Davide (b): illos enim fortiſſimos ejus milites, & corporis cuſtodes fuiſſe conſtat. Originem trahebant ex Philiſthinis urbis Geth; unde nomen *Pheletim* derivatum videtur. *Pheletim* reddi poteſt, viri, qui contundunt, diſcindunt &c. *Cerethim* verò, homines, qui excidium, & deſtructionem inducunt: quod ſanè hiſcè *Pheletim*, & *Cerethim* congruit. Sunt, qui eodem nomine ſignificatos intelligant viros magni Synedrii: alii *Pheletium* ex Hebræo *Pala*, ſive *Nipla* derivant, quod redditur, prodigia patrare: quare putant, viros illos prodigiorum patrandorum virtute claruiſſe.

PHELONI, urbs Judææ, undè ortum trahebat Ahia, vir fortiſſimus in Davidis exercitu: 1. *Par.* 11. 36.

PHELTI, ſive *Pheltias*, filius Banajæ, Princeps populi ſub Sedecia Rege Judæ, qui author fuit, ne monita Jeremiæ, ſuadentia, ut Nabochodonoſori populus ſe ſubmitteret, auſcultarentur (c). Cùm Ezechiel captivus in Meſopotamia verſaretur, per viſionem intuitus eſt ſtantes ante fores Templi Jeroſolymitani viros 25. inter quos eminebant Jezonias filius Azur, & Pheltias filius Banajæ, *Ezech.* 11. 1. Audivit autem à Deo, eos viros, perniciosa moliri in urbem; dicentes inter ſe, domus illius jam diù ædificatas fuiſſe; addentes, urbem ollam eſſe, ſe verò carnes. Quare, ait Ezechiel, hæc dicit Dominus: urbem totam cædibus repleviſtis, adeò ut olla carnibus referta videretur: ego tamen vos ex urbe extractos, gladiis trucidandos ab hoſtibus tradam. Hæc oracula fundente Propheta, Pheltias occubuit.

PHENENNA, ſecunda Elkanæ patris Samuelis uxor. Hæc numeroſa prole ſuperbiens 1. *Reg.* 1. &c. nec Deo, uti par erat, beneficium acceptum referens; Annæ ejuſdem viri uxori ſterilitati inſultabat. Sed Deus mox Annæ fœcunditatem concedens, æmulam ſive edita prole orbans, ſive effœtam reddens, in ordinem redegit: quo illud Annæ in Cantico reſpexiſſe videtur: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt*, 1. *Reg.* 2. 5.

PHEREZÆI, veteres Paleſtinæ incolæ, qui Chananæis admiſti, imò & ex Chananæis derivati, in eadem regione verſabantur. Quare à cæteris Chananæis in eo tantùm diſtincti videntur, quòd certis ſedibus carentes, huc, illuc per totam regionem, Scytharum & Nomadum inſtar, vagabantur: hinc *Phereſæi*, ideſt *ſparſi*, & *diſperſi*, dicti ſunt. *Pherazoth* ſonat vicos, & oppida. Porrò Pherezæi certis ſedibus, ut jam diximus, deſtituti, Jordanis oras, montes, & agros ſparſim incolebant. Non rarò duo illi populi *Chananæi*, & *Pherezæi*, velut potiſſimi in tota regione memorantur: hinc ætate Abrahami, & Lothi, Chananæus, & Pherezæus regionem occupaſſe traduntur, *Gen.* 13. 7. Viris Tribus Ephraim querentibus, *Joſue* 17. 15. cum Joſue de anguſtia regionis, quæ ſibi obtigerat, reſpondit Joſue, irent, & Pherezæis, ac Rephaim pulſis, in montibus ipſorum ditionem prorogarent, eoſque montes cultui ſubigerent. Salomon ambos illos populos, Chananæos & Pherezæos, nondum ab Iſraelitis edomitos, ſibi vectigales adjecit, 3. *Reg.* 9. 20. 21. & 2. *Par.* 8. 7. Eſdræ ætate, adhuc Pherezæorum nomen auditum, cùm ejuſdem generis fœminas plures ex Iſraelitis duxiſſent, 1. *Eſdr.* 9. 1.

PHERMESTA, ſeptimus filius Amani, una cum patre à Judæis, quibus erat infeſtiſſimus, interfectus A. M. 3496. ante Chr. 504. ante Ær. 508. *Eſth.* 9. 9.

PHERORAS, quartus filius Antipatri, & Herodis Magni frater, de quo nihil fermè, quam malæ artes, quibus Regiam Herodis familiam turbavit, in hiſtoria Judæorum memoriæ proditum eſt. Ipſo enim potiſſimo authore, Mariamne uxor Herodis, ac duo ipſius filii, Alexander & Ariſtobulus, neci traditi ſunt. Salampſo ſuæ ex fratre Herode neptis, nuptias idcirco recuſavit, quòd ancillam ſuam deperiret (d): quamquam tandem Cyprum, alteram fratris filiam, duxit. Conſpirationis Antipatri in Herodem conſcius acceſſit: deindè ex urbe ſeſe ſubducens (e), in transjordanica receſſit, nunquam fratrem ſe viſurum ultrà pollicitus. Nec ſanè ab eo propoſito dimoveri ſe, quamquam ab Herode gravi morbo correpto accitus, paſſus eſt. Herodes verò paria non rependit; ſupremo etenim morbo ægrotanti Pheroræ ſtatim accurrens, fraternæ in illum benevolentiæ argumenta exhibuit apertiſſima. Interim Pheroras obitum ſibi inſtare cernens, plenam venenis arculam, ſibi ab Antipatro in perniciem Herodis tranſmiſſam, igni tradidit (f). Defuncto ſolemni pompa Herodes parentavit: quibus peractis, ſecretæ ipſius cum Antipatro in ſe conſpirationis certior factus eſt. Unde ſtatuendæ in Antipatrum necis initium factum eſt.

PHES-DOMIM, ſive *Aphes-dommim*, locus inter Soco, & Azecam, 1. *Reg.* 17. 1. & 1. *Par.* 11. 13. Vide *Aphes-domim*. In Textu Regum pro *Aphes-dommim*, in Vulgata legimus: *In finibus Dommim*. Porrò illuc Philiſthæorum copiæ unà cum Goliath convenerant, iterum ad eundem locum coacti ſunt Philiſthæi paulò poſt initium à Davide Regnum; quorum vim Eleazar, & Semma, viri fortiſſimi exercitus Davidis, in medio campi hordeo ſati conſiſtentes, ſoli repreſſerunt, 1. *Par.* 11. 13. 14. Verùm hujus loci nomen credunt nonnulli *Dommim*, ſive *Dammim*, nempè *cruorem*.

PHESHUR, vir, cujus poſteri numero 1247. è Babylonia regreſſi ſunt. 1. *Eſdr.* 2. 38. idem eſt ac *Phaſhur*. 2. *Eſdr.* 7. 41.

PHESSE, filius *Eſthonis*, Calebi nepos. 1. *Par.* 4. 12.

PHETEIA, author decimænonæ familiæ ſacerdotalis 1. *Par.* 24. 16.

PHETHROS, *Iſa.* 11. 11. idem ac *Pathros*, & *Phatures*. Vide *Phatures*.

PHETRUSIM, quintus filius Mizraim, *Gen.* 10. 14. ex quo incolæ *Phatures*, ſive *Phetri*, regionis in ſuperiori Ægypto. Vide *Phatures*.

PHIALA, fons celeberrimus, ad radices Hermon, undè Jordanis fluit; cui ex amplioris receptaculi ſimilitudine, Græcum nomen *Phiala* inditum eſt. Narrat Joſephus *de Bel.* *l.* 3. *c.* 18. in via ad Trachonitidem, 120. ſtadiis à Cæſarea Philippi, lacum Phialam occurrere, ad rotæ ſimilitudinem tornatum, alveum ita implentibus aquis, ut nunquam deficiant, vel exuberent. Hinc Jordanem oriri à Philippo Tetrarcha Galilææ omnium primo, evidentiſſimo argumento demonſtratum eſt: injectæ enim ab illo in lacum paleæ, per latentes canales delatæ, ad *Panium*; (ubi primæ amnis ſcaturigines credebantur) emerſerunt. Vide *Magedan*, ſive *Dalmanu-*

(a) Num. 7. 71. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ant. Ær. 1490.
(b) Vide 2. Reg. 8. 18. & 20. 23. & 3. Reg. 1. 38. & 1. Par. 18. 17.
(c) Confer. Ezech. 11. 3. Hæc eſt lebes, nos autem carnes: cum Jerem. 1. 13. Ollam ſuccenſam ego video.
(d) Antiq. l. 16. c. 12. (e) Antiq. l. 17. c. 5. 6. De Bel. l. 1. c. 19. A. M. 3999. ante Ch. 1.
(f) Joſeph. ibid. A. M. 3999. ante Ch. 1. ante Ær. 4.

manitha. Idem nomen *Phiala* aliis pluribus lacubus, ſive aquarum receptaculis inditum eſt (a).

(PHIALA. Hac voce ſermone vernaculo deſignari conſuevit vitreum quoddam vaſculum ore anguſto. Conſtat tamen Græcum *Phiale*, & Latinum *Phiala* exprimere potiùs calicem (b), vas latum, expanſum ferè in lancis figuram. Utitur ſæpè voce *Phiala* in ſua verſione S. Hieronymus, reſpondetque Hebræo *Kaphoth Exod*. 25. 29. & 37. 16.; exprimit autem volam manus, vel coclearia Exodi 25. 29. Porrò eâ voce deſignatur vas thuri continendo in Numeris 7. 14. Principes familiarum, qui offerunt *Caphoth*, offerunt illa thure plena; & in Libris Regum junguntur ſemper *Caphoth* thuribulis. Sunt igitur ſcyphi genus quoddam continens thura, imponenda ſuper panes propoſitionis. Vide Levit. 24. 7. *Panes ſuper eos (panes) thus lucidiſſimum*. Aptè Septuaginta vertetunt *Thuiske*, quod derivatur ex thure; Latinè redderetur *Acerra*. In vetuſtis marmoribus plura variarum figurarum exhibentur, pleraque tamen formata ſunt in arculas quadratas, oblongas.

In Judic. 5. 25. Hebræum *Sephel*, quod ſonat *Simpulum*, S. Hieronymus reddidit *Phialam*. *In Phiala Principum obtulit butyrum*. Erat *Simpulum* inſtrumentum caudatum, cujus extremus limbus deſinebat in cocleare; utebantur autem illo ad hauriendum vinum & ad libationes in ſacrificiis. Inſculptum frequentiſſimè ſpectatur in vetuſtis nummis inter cætera ſacrorum inſtrumenta.

In 1. Eſdræ 1. 9. Hebræum, ſeu potiùs Chaldæum *Agartalim*, redditum eſt *Phiala*. Derivari poteſt *agartalim* è Græco *crateres*: poſitum eſt autem *caſlele*; pro *crateres*; id autem ſcitè expreſſit S. Hieronymus voce *Phiala*. Septuaginta reddiderunt *Mysteres*, cujus vocis latet ſignificatio, niſi fortè deſignet refrigeratorium quoddam vas.

In 2. Eſdræ 7. 70. Hebræum *Miſrakoth*, quod exprimit potiùs ſeu pateras, ſeu vas aptum libationibus effundendiſque liquoribus, redditum eſt à S. Hieronymo *Phialas*. Eadem voce utitur Amos 6. 6. exprimendis ſcyphis, quibus in conviviis utuntur locupletes: *Bibentes vinum in Phialis*; Hebr. *in Miſrakim*. Docet Zacharias 9. 15. & 14. 20. valuiſſe ea inſtrumenta ad libationes vini in Altari: *Replebuntur ut Phiala, & quaſi cornua Altaris*. Ex his omnibus Textibus apertè demonſtratum arbitror, *Phialam* aliud quid exprimere quàm vernaculè apud nos *Phiole*, una *Phiala*. Idem etiam ſpectatur in Apocalypſi 5. 8. ubi exhibentur viginti quatuor Seniores habentes *Phialas plenas odoramentorum*. i. e. acerras vel thuribula ſuſpenſa. Et cap. 15. 7. & 16. 1. exhibentur ſeptem Angeli tenentes Phialas aureas plenas ira Dei triumphantis, quam effundunt ſuper terram.)

PHICOL, Dux copiarum Abimelechi, Regis Geraræ, Abrahami ætate. *Gen*. 21. 22. V. *Abimelech*.

PHICOLA, vicus Jeroſolymæ proximus, patria Joſephi, filii Tobiæ, & nepotis Oniæ I. Summi Sacerdotis. *Joſeph. Antiq. l*. 12. *c*. 4.

PHIDEAS, filius Azoram, inter Summos Sacerdotes Judæorum, ordine decimus ſeptimus, juxta Joſephum *Antiq. l*. 12. *c*. 11. Succeſſorem habuit *Sudeam*, eodem Joſepho authore; nihil enim de duobus hiſce in Sacra Scriptura.

PHIGELLUS, ſive ut alii, *Phygellus*, vir Chriſtianus, & Aſiaticus, qui, cùm S. Paulus in carcere detineretur, Romæ verſabatur: 2. *Timoth*. 1. 15. A. Æ. 65. ac de illo loquitur Apoſtolus: *Averſi ſunt*, ait, *à me omnes qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes*. De hoc viro nuſquam præterea, nec ſane honorifica mentio occurrit. Metaphraſtes in ſermone de SS. Petro, & Paulo narrat, virum illum Epiſcopum Epheſiorum ab Apoſtolo inſtitutum, Judæis fidelibus malum authorem fuiſſe, ut fidem deſererent. Plura etiam de Phileto, & Hermogene narrat Pſeudo-Abdias, in vita S. Jacobi Majoris. Facilè tamen pro Phileto legendum Phygellus, ut in Editione Latina Sixti V. extat. Verùm hæc omnia, ne excepta quidem authoritate Metaphraſtis, dubiæ fidei ſunt. Ambroſiaſter *in* 2. *Timoth*. 1. 15. perhibet, duos illos viros hypocritas fuiſſe, & ſeductores, nec Apoſtolo adhæſiſſe, niſi ut ſtruendis in illum calumniis, & perſecutionibus occaſionem captarent. Verùm detectos tandem ab illo ſeceſſiſſe.

PHI-HAHIROTH. Hebræi è Sochoth moventes, venerunt in Etham, ubi Deus verba ad Moyſem faciens, *Exod*. 13. 20. & 14. 2. *Loquere*, ait, *filiis Iſrael: reverſi, caſtrametentur è regione Phi-hahiroth, quæ eſt inter Magdalum, & Mare contra Beelſephon*. Porrò vox *Phi-hahiroth* reddi poteſt, *anguſtiæ Hiroth*, ſive *fauces Hiroth*. Moyſes *Num*. 33. 8. eundem locum *Hiroth* tantummodò appellat; uti & Euſebius, ac S. Hieronymus. Alii reddunt eam vocem *ad oſtium foſſatæ* (c); Septuaginta Exod. 14. 2. habent *è regione ſubmerſi*; alii, *è regione anguſtiarum libertatis* (d), alii, *anguſtiæ ſcrobis*. Nos verò credimus, *Hiroth* eandem eſſe ac *Heroum*, ſive *Heroopolim*, ad oram extremam, quâ Mare Rubrum in anguſtum deſinit (e); vel ſaltem eamdem, ac urbem *Phagroriopolim* ibidem ſitam, juxta Strabonem *l*. 17. & Metropolim *Phagroriopolitidis*. Quare Phihahiroth ſonare videtur fauces, quæ occurrunt juxta Heroum, quas fauces Hebræi tranſgreſſi, ad Mare Rubrum caſtra habuerunt.

PHILADELPHUS. Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti. Vide *Ptolemæus*, & *Septuaginta Interpretes*.

PHILADELPHIA, urbs Myſiæ, in Aſia Minori, cujus Epiſcopum virum ſanctiſſimum (Angelum ibidem dictum) ita affatur in Apocalypſi 3. 7. Dei Filius: *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit: ſcio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere, quia modicam habes virtutem, & ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum. Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur. Ecce faciam illos, ut veniant, & adorent pedes tuos; & ſcient, quia ego dilexi te. Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum, tentare habitantes in terra. Ecce venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs; & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen Civitatis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de Cælo à Deo meo, & nomen meum novum*.

Quiſnam Epiſcopus iſte Philadelphiæ fuerit, incertum. Aureolus & Lyranus (f) S. Quadratum Apoſtolorum Diſcipulum, qui ſcriptam à ſe pro Chriſtianis Apologiam Adriano Imperatori exhibuit, ſuſpicantur. Illum etenim Apoſtolum appellant Græci in ſuo Officio; munuſque & nomen Evangeliſtæ, variis Provinciis Evangelica prædicatione peragratis, obtinuiſſe, Euſebio authore *l*. 3. *c*. 37. *hiſt. Eccl*. conſtat. Verùm de ejus Epiſcopatu Philadelphiæ nihil apud Veteres. Extat quidem S. Quadratus Athenienſis Epiſcopus, & Martyr circa an. Chriſti 175. ſed illum alterum eſſe ab Apologiſta, neque Philadelphiæ Eccleſiam adminiſtrare potuiſſe ſatis conſtat.

PHILADELPHIA, alio nomine *Rabbat*, ſive *Rabbath-Ammon*, *Rabbat filiorum Ammon*: *Ammana*, ſive *Rabat-ammana*, Metropolis Ammonitarum, ſita in montibus Galaad, juxta fontem amnis Arnon. Interdum Arabiæ, interdum Cœle-Syriæ tribuitur; atque ab Euſebio 10. mil. paſſibus à Jazer ad orientem collocata eſt. Hanc urbem Regi Og patuiſ-

(a) Reland. Palæſt. l. 1. c. 41. (b) Athen. lib. 3. Homer. Iliad. Pl.
(c) Ità Syriac. (d) Rab. Salom. Rag. (e) Strab. Plin. alii.
(f) Vide Halloix. Vit. Quad.

paruiſſe probabiliùs credimus; quippè in qua Moyſis ætate lectus terreus ejuſdem Regis novem cubitis longus, & quatuor latus ſpectaretur. *Deut.* 3. 11. Inter decem urbes Decapoleos transjordanicas recenſeri ſolet. *Plin. l.* 5. *c.* 18. Addit Joſephus *de Bel. l.* 3. *c.* 2. Peræam, regionem nempe transjordanicam inter eum amnem & Philadelphiam claudi. *De Bel. l.* 3. *c.* 2. Vide *Rabbat-Ammon*. Ferunt, nomen urbi inditum à Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege. Eos incolas fide initiaſſe S. Ignatius Martyr videtur, cujus erat Epiſtola ad illos ſcripta.

PHILARCHUS, vir perditiſſimus, à Judæis una cum Timotheo duce exercitus Syriæ trucidatus (a): annus tamen ejus cædis, uti & cætera ipſius geſta ignorantur.

PHILELLEN, nempè *Græcorum amicus*, cognomen Ariſtobuli Regis Judæorum, filii, & ſucceſſoris Alexandri Iannæi. *Joſeph. Antiq. l.* 13. *c.* 19.

PHILEMON, civis locuples Coloſſarum urbis Phrygiæ, fide initiatus unà cum Appia uxore, ab Epaphra S. Pauli diſcipulo; neque enim Apoſtolus eam urbem unquam adivit. Hujus viri nomen fortaſſè latuiſſet, niſi Oneſimus ipſius ſervus furti reus Romam evaſiſſet; ubi ſervitiis ſibi S. Paulum emeritus, ac tandem ab illo fide & baptiſmo initiatus eſt. Hinc ab eodem Apoſtolo ad Philemonem remiſſus (b), ejus ad illum literis commendatus; literis, inquam, quibus ab innatam eloquentiam Paulo peculiarem, vividam illam, capiendiſque animis comparatam, nihil reliquum eſse ex Exemplaribus adhuc extantibus intelligimus. Porrò Philemon ædes ſuas in Eccleſiam, *Philem. v.* 2. Domeſticos omnes pares in Religionis profeſſione habebat; miſeris patrem ſe & refugium præſtabat. Coloſsenſium Epiſcopus ab Apoſtolo initiatus fuiſse in Conſtitutionibus Apoſtolorum *l.* 7. *c.* 46. traditur; Gazenſem vero in Palæſtina Eccleſiam gubernaſse, atque in ea munus Apoſtoli obiviſse (c), indeque Coloſſas reverſum una cum uxore Appia ſub Nerone martyrium conſummaſse in Menæis legimus. Plura etiam ibidem de ejus Martyrio, ac de prodigiis poſt mortem editis Coloſſis, in loco nempè Sepulturæ, narrantur. Ejus memoria die 22. Novembris in Martyrologiis colitur.

PHILETUS. S. Paulus ad Timotheum ſcribens (d) illum admonet: *Prophana, & vaniloquia devita, & ſermo eorum, ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubvertunt quorumdam fidem.* Porrò de Phileto nihil ſatis certum afferre poſsumus; neque enim fidem adjiciendam credimus iis, quæ Pſeudo-Abdias in vita S. Iacobi Majoris narrat, etiamſi ultrò demus, apud illum in nomine erratum non eſse, neque pro *Phygello* poſitum *Philetum*. Hæc autem apud illum de Phileto. S. Iacobo filio Zebedæi per Synagogas Judææ, & Samariæ diſcurrenti, fidei annunciandæ gratia, Hermogenes, & Philetus ejus diſcipulus, pervicaci fronte reſtiterunt. Sed tandem Philetus ad ſaniora conſilia revocatus, Præceptorem ſuum ad S. Jacobum adducere conatus eſt. Hermogenes non repugnavit tantùm, ſed & diſcipulum, ne iret, magicis incantationibus obligavit. Verùm Apoſtolus nexibus reſolutis, Phileto ut ad ſe veniret, liberam fecit poteſtatem. Quare Hermogenes inanem eſſe artem ſuam in virum ſanctum intelligens, manus tandem fidei victas dedit.

I. PHILIPPUS, Rex Macedonum, Alexandri Magni pater. De hoc Rege quamvis conſultò nunquam in S. Scriptura agatur, dum tamen Alexandri ipſius filii fit mentio, quandoque nominatur. Cùm nuptias Cleopatræ filiæ ſuæ cum Alexandro Rege Epiri Egææ (urbs eſt Macedoniæ) celebraret, proditione Pauſaniæ filii Ceraſtæ ſublatus eſt (e). Porrò auro Perſarum proditionem hanc ſollicitatam fuiſſe Alexander Magnus in ſua ad Darium Epiſtola contendit. *Q. Cur. l.* 4. *c.* 1. *Arrian. l.* 2.

II. PHILIPPUS, cognomento Aridæus, frater Alexandri Magni, cui in Regno Macedoniæ ſucceſſit A. M. 3681. Occiſus eſt A. M. 3687. ante Ch. 313. ante Ær. 317.

III. PHILIPPUS, frater collactaneus Antiochi Epiphanis, 1. *Mach.* 6. 14. 55. & 2. *Mach.* 9. 29. Phrygia oriundus, Antiochi familiariſſimus. Præfectura Jeroſolymæ ab eodem Rege donatus, Judæos ab avita Religione removere pluribus injuriis conatus eſt (f). Apollonio, & Serone prælio à Juda Machabæo fractis, Philippus ſuppetias à Ptolemæo Cœle-Syriæ Præfecto quæſivit; à quo ſtatim Gorgias & Nicanor cum valido exercitu miſſi ſunt. Aliquandiù poſt (g), Antiocho trans Euphratem ad colligendas pecunias ſe conferenti Philippus comitem ſe adjunxit; à quo deindè mox obituro 1. *Mach.* 6. 14. totius Regni adminiſtratio, unà cum Regia corona, Regiis veſtibus, & annulo, commiſſa eſt, ut ea tamdiù apud ſe haberet, donec ea reſtituendi Antiocho Epiphanis ejus filio tempus adeſſet. Verùm Regni adminiſtrationem Lyſia invadente, cùm Eupator ætate adhuc eſſet imbecillior, Philippus viribus imparem ſe ſentiens, ne in Syriam quidem regredi auſus eſt. Igitur in Ægyptum contendens, unà ſecum corpus Epiphanis detulit, & Ptolemæum Philometorem, ut armis Lyſiam coerceret, etiam atque etiam rogavit (h). Alterò anno, Lyſia bello contra Judæos gerendo occupato, Philippus Syriam ingreſsus (i), Antiochiam invaſit. Sed Lyſias promptè occurrens, urbem ſtatim recepit, in qua captum Philippum capite damnavit (k).

IV. PHILIPPUS, filius Herodis Magni ex Cleopatra, una ex ejus conjugibus, qui Salomem filiam Herodis cognomento Philippi, & Herodiadis, duxit. Porrò Herodias, fœmina eſt cæde Joannis Baptiſtæ in Evangelio notiſſima; & Salome ejus filia Philippi uxor, ea eſt ſaltatrix, quæ ejuſdem præcurſoris caput poſtulavit. *Matt.* 14. 3. *Marc.* 6. 17. 19. &c. In ſupremis Herodis tabulis Philippus poſt Archelaum appellatus eſt, atque Tetrarcha Trachonitidis, Gaulonitidis, Batanææ, & Paneadis relictus. Cùm Archelaus Romam peteret, ut ab Auguſto paternæ hæreditatis poſseſſionem obtineret, totius Judææ, & negotiorum adminiſtrationem Philippo commiſit (l). Succedente tempore, Varus Syriæ Præfectus eumdem Philippum Romam miſit, ut Archelai, atque ſuaſmet res ipſe curaret. *Joſeph. de Bel. l.* 2. *c.* 8.

Poſtquam Auguſtus ſupremam Herodis voluntatem ratam habuit, Philippus Tetrarchiæ ſibi relictæ adminiſtratione ſuſcepta, quietum pluribus annis Regnum habuit; quippe qui ſua conditione contentus, nihil antiquius ducebat, quàm ut populum optimè gubernaret (m). Ea aula prodeunti ſi quis fortè occurriſset, jus ab illo poſtulans, gradum ſiſtebat, quocumque eſset in loco, ibique ſellam, quam ſemper ad eum uſum paratam habebat, ſtatuens, utraque litigantium parte audita, extemporaneam ſententiam ferebat. Idem Princeps Paneadem mœnibus cinxit, *Cæſarea Philippi* nomen indidit: Vico Bethſaidæ, patriæ S. Petri, ad lacum Geneſareth protogato, nomen *Juliadis*, in honorem Juliæ filiæ Auguſti impoſuit. Poſt adminiſtratum 37. annis Regnum, obiit (n).

V. PHI-

(a) 1. Mach. 8. 13. Vide Comment. ibid. (b) A. C. 61. Romæ tunc Paulus in vinculis detinebatur.
(c) Menæ. 22. Novem. (d) 2. Timot. 2. 17. 18. A. C. 65. paulò ante Apoſtoli obitum.
(e) Diod. an. 1. Olymp. 3. Juſtin. l. 9. c. 6. A. M. 3668. ante Crh. 332. ante Ær. 336.
(f) 2. Mach. 8. 8. & 5. 22. A. M. 3838. ante Ch. 162. ante Ær. 166. (g) A. M. 3839. ante Ch. 161. ante Ær 165.
(h) 2. Mach. 9. 29. &c. A. M. 3840. ante Ch. 160. ante Ær. 164.
(i) 1. Mach. 6. 55. &c. A. M. 3341. ante Chr. 159. ante Ær. 163. (k) Vide Joſeph. Ant. l. 12 c. 5. (l) De Bel. l. 2.
(m) Antiq. l. 18. c. 6. (n) Antiq. l. 18. c. 6. A. Ær. 33. Ch. 36. Tiberii 20.

Digitized by Google

V. PHILIPPUS, alio nomine *Herodes Philippus* (a), filius Herodis Magni, ex altera Mariamne, filia Simonis ſummi Sacerdotis. Hic Herodiadem duxit, ac filiam habuit Salomem ſaltatricem, quæ caput Joannis Baptiſtæ petiit. Herodias tandem, Philippo repudiato, Herodi Antipæ fratri ipſius nupſit. V. *Herodes Antipas*, & *Herodes Philippus*.

VI. S. PHILIPPUS APOSTOLUS, oriundus Bethſaida, in Galilæa, quem conjugio obligatum, filias genuiſſe quamplures Euſebius *hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 31. eſt author. Jeſus Chriſtus eum virum conſpicatus, ut ſibi comes adhæreret, invitavit: *Jo.* 1. 43. nec ille recuſavit: quin & paulò poſt, Nathanaelem nactus, Meſſiam ſe à Prophetis annunciatum deprehendiſſe in Jeſu filio Joſephi Nazareno aperuit. Nathanael mirum ſibi videri ait, ſi boni aliquid è Nazáreth prodiiſſet: verùm ab altero invitatus, ambo ad Jeſum, & cum illo poſtea ad nuptias Canam Galilææ contenderunt. S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 3. tanquam vulgari fama certum tradit, hunc virum, cùm à Jeſu comes accerſeretur, illud ab Evangeliſta relatum rogaſſe: *Matth.* 8. 21. 22. *Permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum*; cui Dominus, *Sinite*, ait, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Quæ ſanè Jeſu Chriſti verba ad Apoſtolum quemdam dicta fuiſſe, etiam Tertullianus *de Bapt. c.* 12. teſtatur. Verùm neque apud Evangeliſtam Philippi nomen ea occaſione uſpiam apparet; ac mirari ſubit, cur S. Joannes vocationem ejuſdem Apoſtoli ſedulò deſcribens, eam rem prætetiiſſet.

Accitum illum à Jeſu ſub initium prædicationis illius, & poſt annum circiter ad Apoſtoli dignitatem evectum fuiſſe conſtat (b). Cùm Jeſus turbæ 5000. virorum prandium parare ſtatuiſſet, *Jo.* 6. 5. Philippi animum tentaturus, quæſivit ab illo, undenam tantum panis comparari potuiſſet, quod tantæ turbæ ſufficeret. Reſpondit Philippus 200. denariorum ſummam imparem futuram. Quidam ex Ethnicis Jeſum intueri cupientes, Philippum adivere: ille autem una cum Andrea, cui eorum deſiderium communicaverat, rem ad Jeſum detulit (c). In ultima Cœna idem Apoſtolus Jeſum rogavit, ut votis omnium explendis, Patrem ſuum videndi omnibus liberam poteſtatem faceret: *Jo.* 14. 8. 10. cui Jeſus, Qui, ait, Filium, intuetur, perinde eſt ac ſi Patrem aſpiciat. Hæc de S. Philippo in Evangelio.

S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 3. ſcribit, hunc Apoſtolum filias ſuas aliquas conjugio collocaſſe: Theodoretus *in Pſal.* 116. in utraque Phrygia fidem annunciaſſe; Euſebius *hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 31. Hierapoli in Phrygia Pacatiana ſepulturæ fuiſſe mandatum. Polycrates Epiſcopus Epheſinus *apud Euſeb. hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 24. teſtatur, SS. Philippum, & Joannem Paſcha celebraſſe die 14. Lunæ. Idem Epiſcopus narrare videtur, Papiam ex relatione filiarum ejuſdem Apoſtoli audiviſſe, S. Philippi tempore, defunctum ad vitam fuiſſe revocatum. Obiit 87. annorum ætate grandævus ſub Domitiano, ſive Trajano, ſi pſeudo-hiſtoriis de ejus geſtis aliqua fides habeatur. Acta quædam à Gelaſio Pontifice rejecta, & Evangelium, quo Gnoſtici utebantur (d), ejuſdem Apoſtoli nomine falsò inſcripta erant. Vide Bollandiſt. ad 1. Maii.

Duas ejuſdem viri filias perpetuam virginitatem coluiſſe (è quibus Papias prodigium defuncti ad vitam revocati audiverat) ambas unà cum patre Hierapoli, ſepulturæ mandatas Polycrates Epiſcopus Epheſinus teſtatur *apud Euſeb. hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 31. Prodigium illud ejuſdem fœminis tribuendum autumat. Sozomenus *l.* 7. *c.* 27. De altera filia ejuſdem Apoſtoli, fœmina ſanctiſſima, cujus ſepulchrum Epheſi viſebatur, apud eundem mentio incidit (e). Hæc fortaſſe conjugio copulata erat, & probabiliter ea eſt, quam Græci S. Hermionem appellantes, atque filiam S. Philippi, & Epheſi ſepultam teſtantes, venerantur (f).

VII. S. PHILIPPUS, inter ſeptem Diaconos ab Apoſtolis poſt Aſcenſionem Chriſti ſelectos, ordine ſecundus. *Act.* 6. 5. Cæſaream Palæſtinæ patriam habuiſſe ferunt (g), ubi ejus filiæ verſabantur *Act.* 21. 8. 9. Poſt martyrium S. Stephani, Fideles omnes, exceptis Apoſtolis, relicta Jeroſolyma, in diverſa abierunt: inter quos S. Philippus Sebaſtem, ſive Samariam contendit; *Act.* 8. 1. ubi pluribus editis prodigiis, pluribuſque ad fidem converſis inclaruit. Baptiſmum ille quidem conferebat, ſed cum Diaconus eſſet, à Sacramento Confirmationis diſtribuendo abſtinebat. Hinc ad Apoſtolos miſit, nuncians, Samariam quidem verbum Dei recepiſſe: venirent proinde, & Sacerdotalium manuum impoſitione Sanctam Spiritum in Fideles inducerent. Inter cæteros, qui Baptiſmo initiati ſunt, Simon Magus etiam S. Philippo ſalutari Lavacro ablutus eſt; ſed à S. Petro impetrare non potuit, ut impoſitione manus Apoſtolicæ Spiritum obtineret: quin & oblato pretio emere ſibi hanc poteſtatem Spiritum S. conferendi conatus, à S. Petro audaciam execrante, rejectus eſt.

Cùm adhuc S. Philippus, uti credimus, Samariæ verſaretur, ab Angelo ad plagam meridionalem ejuſdem regionis miſſus eſt, per viam à Gaza deſerta Jeroſolymam ducentem (geminæ enim ſunt Gazæ, vetus, & nova; quarum illa tum temporis deſerta erat, atque ad viam Ægypti ſita). Eò igitur Philippus ſe conferens, Æthiopem quemdam nactus eſt, Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, & Præfectum Regii Ærarii, qui poſt impenſum vero Deo Jeroſolymis cultum, ad propria curru vectus remeabat. Tunc Philippus ſecreto S. Spiritus impulſu incitatus, propiùs ad currum accedens, audienſque hominem Prophetiam Iſaiæ legentem, interrogavit, an ea, quæ legebat, aſſequeretur. Reſpondit ille, ſe imparem eſſe Oraculis illis abſque interprete: quare Philippum rogavit, ut unà ſecum in curru aſſideret.

Occurrebat fortè legenti illud: *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum*. Eunuchus Philippum interrogavit, num de ſe Propheta, an de altero quopiam loqueretur? Philippus ex his orſus, Jeſum Chriſtum annunciavit; & cùm inter eundum ad quemdam fontem perveniſſent, Eunuchus quæſivit, an baptiſmo initiari poſſet? Interroganti Philippo; utrùm crederet, Jeſum eſſe Filium Dei, affirmavit alter; quare conſiſtente curru, ambo deſcendentes, alter alterius ope ablutus eſt (h). Poſt hæc, ex aqua ambobus egreſſis, S. Spiritus Philippum rapuit, qui ſtatim ab Eunuchi oculis evanuit. Philippus proinde ſubitò Azotum tranſlatus eſt, & munere Evangelicæ prædicationis reſumpto, fidem per omnes urbes, quibus occurrebat, ſpatio triginta leucarum, annuncians, Cæſaream Palæſtinæ pervenit.

Eunuchus iſte primus Æthiopum Apoſtolus creditur (i); eumque Abyſſini fidei ſuæ authorem agnoſcunt. Nec deſunt, qui Apoſtolum illum con-

(a) Apud S. Marc. 6. 17. Philippus appellatur, & Matth. 14. 3. A. 23. 31. &c. Herodes.
(b) Luc. 6. 13. Matth. 10. 2. A. Ær. 30.
(c) Jo. 12. 20. 22. paulò ante paſſionem.
(d) Epiph. hæreſ. 26. c. 13. (e) Apud Euſeb. l. 3. c. 31.
(f) Vide Valeſ. Not. ad Euſeb. (g) Iſid. Peluſ. l. 1.
(h) Vetera quædam Mſſ. Græca, & Patres aliqui in eo loco legunt, S. Spiritum ſuper Eunuchum baptiſmo ablutum deſcendiſſe. Vide Mill. var. lect. N. T.
(i) Hieron. in Iſai. 53. 7. & Epiſt. 103. Vide Iren. l. 3. c. 12. Euſeb. l. 2. c. 2. Fromond. in Acta.

conſtituant Arabiæ Felicis, & Taprobanæ (a); quippè qui Reginam Candacem in Arabia Felici regnaſſe autumant. Vulgò tamen creditur, hæc Regina, cui Eunuchus parebat, in Peninſula Meroe ad meridiem Ægypti ditionem obtinuiſſe; ibi enim fœminas regnaſſe conſtat; è quibus nonnullæ Candaces appellabantur (b). Hujus S. Eunuchi memoria die 27. Auguſti à Græcis recolitur (c).

Ut ad S. Philippum regrediamur, nihil de illo exinde, nempè ab anno 33. Æræ, in S. Scriptura occurrit. Relicta Palæſtina, Trallienſem Eccleſiam in Aſia fundaſſe, atque rexiſſe, ibique poſt plura edita prodigia in pace occubuiſſe, Græcorum recentiorum, fide perhibetur (d). Apud Latinos, Uſuardum nempè, & Adonem *ad 6. Junii*, Cæſareæ obiiſſe, ibique trium filiarum ipſius unà cum patre corpora condita fuiſſe feruntur. Quarta filia, quæ Epheſi obierit, apud Adonem legitur (e); ſed hanc cum S. Hermione, filia S. Philippi Apoſtoli, illum confudiſſe conſtat. Eaſdem utriuſque Philippi filias non ſatis diſtinxiſſe Cajus vetus Eccleſiæ Romanæ Sacerdos videtur, cùm quatuor filias Philippi Diaconi Hierapoli in Phrygia verſantes commemoret (f). S. Paula Cæſaream veniens (g), ædes S. Philippi, ipſiuſque filiarum inviſit. Feſtum S. Philippi Diaconi apud Græcos die 11. Octobris, apud Latinos die 6. Junii recolitur.

PHILIPPI; urbs Macedoniæ Romanorum Colonia, quò S. Paulus prædicationis gratia veniens A. Ær. 52. *Act.* 16. 12., inter cæteros, Lydiam purpurariam fidei myſteriis initiavit. Puellam quamdam ancillam oracula, ope cujuſdam ſibi familiariſſimi Dæmonis, magno heri ejuſdem fœminæ lucro, fundentem, pulſo Dæmone ad ſilentium adegit. Ea res ſeditionem in illum totius urbis, hero ejuſdem puellæ inſtigante, concitavit; quare comprehenſus, juſſu Magiſtratuum Paulus flagris cæſus, tandem in cuſtodiam traditus eſt. Sed manè alterius diei eumdem civem ſe Romanum prodentem, factum excuſantes dimiſerunt.

PHILIPPENSES, accepti à Deo per Apoſtolum fidei beneficii memores ſemper fuerunt. Paulo enim ſemper præſto erant *Philippi* 4. 16. cum ad illum in Achajam eleemoſynas tranſmittentes, tùm Epaphroditum ſuæ Eccleſiæ Epiſcopum ejus miniſterio, cùm Romæ in carcere detineretur, deſtinantes an. Chr. 61. *Philipp.* 2. 12. 13. Cùm Epaphroditus in morbum Romæ incidiſſet, S. Paulus, ut Philippenſes à ſollicitudine pro illo liberaret, vix convaleſcentem remiſit, adjecta Epiſtola ſua ad eoſdem Philippenſes, in qua eorum liberalitatem debitis laudibus proſequitur, tum & gratias refert pro eo, quod erga ſe ſtudium, curamque fovebant. V. *S. Paulus*.

PHILISTHIM, *Philiſthæi*, populi Palæſtinæ, ex Inſula Caphtor derivati *Amos* 9. 7. *Jerem.* 47. 4. quare è Caphtorim originem trahunt, illi verò è Chasluim, filiis Mizraim, ut ex Moyſe conſtat *Gen.* 10. 13. 14. Hinc Philiſthæos generis ſui authorem Mizraim Ægyptiorum patrem habuiſſe conſtat. Porrò ex Moyſe ſcimus *Deut.* 2. 23., Caphtorim filios Caphtor, pulſis Hevæis, totum tractum ab Hazerim uſque Gazam tenentibus, in eadem regione ſedem fixiſſe. Nonniſi igitur poſt Hevæos ſive Chananæos Philiſthiim Palæſtinam (quam poſtea regionem diutiſſimè tenuerunt) occupaſſe oportet; quamvis certus hujus expeditionis annus definiri non poſſit. Illud tamen conſtat, eos populos diutiùs antè Abrahæ adventum (h), illam regionem frequentaſſe. Nos v. *Caphtor*, ſive *Caphtorim* probavimus, nomen illud de *Inſula Creta* intelligendum.

Nomen *Philiſthiim* Hebræum non eſt, ſed quod proinde Septuaginta *Allophylos* reddere conſueverunt. *Phelethim* & *Cerethim* Philiſthæos fuiſſe conſtat, quos Septuaginta interdum reddunt *Cerethim* (i), interdum *Cretenſes*. Vide *Phelethim*, & *Cerethim*. Populi *Casluim*, ſive *Casluchim*, è quibus Caphtorim derivati, primò Pentapolim Cyrenaicam, juxta Paraphraſtem Jonatham, ſivè regionem Pentaſchœnitem in Ægypto inferiori, juxta Paraphraſtem Hieroſolymitanum, incoluerunt. In Marmarica occurrit in Ptolomæo urbs *Axilis*, ſivè *Azylis*; & in Lybia ad Ægyptum, *Sagilis*, ſivè *Satylis*, quæ ſanè nomina Casluim affinia videntur. Hæc enim regio Ægypto, ubi cæteri filii Mizraim verſabantur, proxima eſt, atque Inſulam Cretæ è regione poſitam habet. Strabo *l.* 17. portum Cyrenes, & Cretæ (quem ille appellat *Crium-metopon*, nempè frontem arietis) ſpatio 2000. ſtadiorum determinat. Inter hæc duo loca negotiationis commercium inſtitutum fuiſſe Strabo, & Plinius teſtantur. Populi igitur Casluim probabiliter Colonias è Cyrenaica ad Inſulam miſerunt, quæ poſtea ad oras uſque Palæſtinæ prorogatæ ſunt. Porrò hoc ſyſtema omnium, quæ huc uſque excogitata ſint, probabiliſſimum videtur.

Neque harum gentium, *Cretenſium* nempè, & *Cerethim*, nomina tantummodò conſona, ſed & mores, arma, Numina, inſtituta affinia videntur, ut in Diſſertatione de Origine, & Philiſthæorum ante Comment. in 1. Reg. latè deducimus.

Jam ab ætate Abrahami Philiſthæos in Palæſtina potentiſſimos fuiſſe, neque ſuis Regibus, atque urbibus florentiſſimis deſtitutos conſtat. Inter gentes anathemati devotas, quarum regiones Deus Hebræis traditurus erat, non recenſentur; quippè qui à genere maledicto Chanaan alieni eſſent. Eorum tamen regio eodem ac cæterarum Gentium fato armis Joſue Dei juſſu ſubactata eſt *Exod.* 15. 45. 46. 47. & quòd gens illa, ſedes populo Dei attributas occupaſſet *Joſue* 13. 2. 3. Quamquam diu Philiſthæi ſub jugo non manſerunt, cum Judicum, Saulis & Davidis ætate ſuos haberent *Sarenim*, Reges nempè, ſivè Satrapas; eorumque Regnum in quinque Satrapias diſtributum eſſet; ac tandem Judæos oppreſſiſſent variis bellis, ſub Heli, Samuele, & Saule (k). Quamvis autem in ordinem aliquando, ut à Tamgar, Samſone, Samuele, Saule, redacti fuiſſent, non tamen adeò, ut proſtrarentur; ſiquidem nonniſi ſub Davide Iſraelitarum ſervituti primò ſubjecerunt. 2. *Reg.* 5. 17. & 8. 1. &c.

Inde uſque ad Joram filium Joſaphat nihil ab illis innovatum (l). Sub eo Rege Juda (Regibus enim Juda parebant) deſciſcentes, vi armorum ab illo iterum ſubacti fuiſſe videntur. Iterum denique jugum excuſſiſſe illos ſub Ozia conſtat; quamquam brevi in officio ſe continere armis ejuſdem Principis coacti fuere (m). Sub Achaz afflictum malis Regnum Philiſthæi illatis armis vaſtarunt; 2. *Par.* 28. 18. quam injuriam Ezechias, filius & ſucceſſor Achaz, nova ſervitute iis populis oppreſſis, ultus eſt *Reg.* 18. 8. Tandem Regno Juda labente; in priſtinam libertatem ſeſe aſſeruerunt; quin & Iſraelitas variis affligiſſe malis, in ſcelera populi ſui armis Philiſthæorum Deo animadvertente, ex minis Prophetarum Iſaiæ, Amos, Sophoniæ, Jeremiæ, Ezechielis intelligimus.

Aſaradon, qui poſt Sennacherib regnavit, Azotum per Thaſthan Ducem copiarum ſuarum expugnavit *Iſa.* 20. 1. Eamdem orbem ſpatio 29. annorum obſeſſam (longiſſima eſt omnium, quæ huc uſque innotuerint, obſidio) Pſammetichus Rex Ægy-

(a) Soph. c. 12. Vide Baron. in Martyrol. Roman. 6. Junii. (b) Vide Strab. l. 17. Plin. l. 6. c. 29.
(c) Caniſ. tom. 2. (d) Menæa 11. Octob. (e) Ado, & Martyr. Rom. 6. Jun.
(f) Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 31. (g) Hieron. Ep. 27. An. Ch. 386. (h) In Palæſtinam venit Abraham An. M. 2083. ante Ch. 1971. ante Ær. 1921. (i) Vide Ezech. 25. 16. Sophon. 2. 5. 6.
(k) Spatio circiter 120. annorum, ab An. M. 2848. uſque ad 2960. (l) Spatio circiter 240. annorum, à 2960. quo primum à Davide ſubacti ſunt, uſque ad 3116. quo à Joram deſciverunt 2. Par. 21. 16.
(m) 2. Par. 26. 6. 7. Ozias Regnum inivit an. 3194.

Ægypti, tandem ſubegit, authore Herodoto *lib.* 2. c. 157. Perſeverante Tyri obſidione, quæ annis 13. duravit, Nabuchodonoſor diviſis copiis, earum partem reducendis ſub jugum Ammonitis, Moabitis, Ægyptiis, aliiſque populis Judææ finitimis adhibuit (a). Quam procellam una cum cæteris Syriæ, Phœniciæ, & Palæſtinæ gentibus, etiam Philiſthæos involviſſe, veriſimillimum eſt. Inde ad Perſas ejuſdem populi dominium translatum; ex quibus ad Alexandrum Magnum, qui urbem Gazæ, ſolam inter urbes Phœniciæ, ſibi reſiſtere auſam, ſubvertit (b). Poſt Antiochi Epiphanis perſequutionem, Aſſamonæi eorum ditionem, captis ſingillatim urbibus, paulatim abrodentes, tandem conceſſa per Tryphonem Syriæ adminiſtratorem Jonathæ Aſſamonæo totius oræ mediterraneæ à Tyro uſque ad Ægyptum præfectura 1. *Mach.* 9. 59. in totam eorum ditionem imperium propagarunt. Ex Philiſthæis, qui parvam ejuſdem Regionis portionem occupabant, Palæſtinæ nomen inditum eſt.

PHILOLOGUS, vir, quem S. Paulus ſuo nomine ſalutatum voluit *Rom.* 16. 15; cætera ignotus. Epiſcopatum Synopis in Ponto geſſiſſe Græci ad diem 4. Novembris, ejus Feſto ſacrum, teſtantur. Conjugem habuiſſe Juliam, de qua Apoſtolus ibidem, Origenes autumavit. Sunt tamen, qui ambigant, an nomen illud Juliæ viri ſit, an fœminæ.

PHILOMETOR, Ptolemæi VI. Ægypti Regis cognomentum. Vide *Ptolemæus*.

PHILO, clariſſimus Judæorum ſcriptor, patria Alexandrinus, è Sacerdotali genere, & pater Alexandri Lyſimachi, Alabarchæ, ſive Principis Judæorum, qui frequentes Alexandriæ morabantur. Virum clariſſimum Joſephus *Antiq. l.* 18. *c.* 10. appellat, quem ſanè clariſſimum fecit eloquentiæ, atque Philoſophiæ Platonicæ fama, undè vulgatum illud apud Alexandrinos: *Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat* (c): neque alio appellabatur cognomine apud doctos, quam Platonis Judæi ſivè alterius Platonis (d). Ætate grandævus, legatione functus eſt Romæ pro Judæis Alexandrinis, jus ejuſdem civitatis genti ſuæ coram Imperatore Cajo aſſerturus circa annum Ær. 40. Cùm igitur reducem Cajum è Galliis expectaſſet, ſupplicem illi libellum Legati porrexerunt; quos Imperator præter ſpem comiter, & amiciſſimè excepit (e).

Aliquandiù poſt, in rurali domo Imperator Legatos iterum audivit, quibus gentis eorum audaciam objecit, quòd uni ex univerſo Orbe Divinos honores ſibi denegarent, ac deindè blaſphemias dictu horrendas evomuit. Adjecit, ſcire ſe quidem oblata ab illis pro incolumitate ſua ſacrificia; ſed alteri, non ſibi. Inde compoſita ad gravitatem voce quæſivit, cur à ſuilla carne ſe abſtinerent, ac tandem quo jure civitate ſe donatos eſſe contenderent. Hæc identidem, & inter eundum ſciſcitabatur, ne data quidem Judæis reſpondendi facultate. Deindè re infecta illos dimiſit, illud dictitans, videri ſibi eas gentes minus impias, quàm infelices, & ſtultas, quæ Divinos ſibi honores exhibere recuſarent.

Philo pluribus ſcriptis claruit, quorum plerique ſuperſunt, & ab eruditis ſummo in pretio habentur. Ex illo morem inductum exponendi Scripturas allegorico ſenſu Photius *Cod.* 105. autumavit; nec ſanè alteram methodum, quam quæ apud Philonem, plures ex Patribus, ac potiſſimùm S. Clemens Alexandrinus, & Origenes ſecuti ſunt. Fatendum tamen, morem illum diù ante Philonem obtinuiſſe, uti ex Libro Sapientiæ (f), & Eccleſiaſtico intelligimus. Tradit Joſephus, hunc virum opus excogitaſſe, in quo ea, quæ Moyſes ſub Allegoriis addiderat, explicarentur (g). Tandem hoc explicandi Scripturas genere S. Paulus frequenter uſus eſt; quo ſanè argumento ſatis conſtat, Judæis ante Philonem Allegoricam explicationem non infrequentem fuiſſe. Vide *Allegoria*.

Plures ex antiquis autumarunt, deſcriptos primorum Fidelium Alexandrinorum mores à Philone in Libro *De Vita Contemplativa*, ubi de Therapeutis loquitur. De hoc argumento aliquibus annis diſceptatum eſt in utramque partem, Mont-faucon, pro opinione affirmante; Baſnagio, Du Pin N. Divionenſi Præſide negantem propugnantibus, quos adi. Philonem familiarem fuiſſe ferunt (h) S. Petri, quo tempore ſub Claudio ambo Romæ verſabantur. Quin & fidei nomen dediſſe illum Photius *Cod.* 105. teſtatur, quamquam poſtea facti pœnitens à propoſito diſceſſit. Photius nullo Antiquorum ſuffragante teſtatur. Obitus ejus certum tempus latet.

PHILOPATOR, Ptolemæi IV. Regis Ægypti cognomentum. Vide *Ptolemæus*.

PHILOSOPHI, *Philoſophia*. S. Paulus ad Coloſſenſes 2. 8. *Videte*, ait, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam*; & in Actis 17. 18. S. Lucas refert Apoſtolum, cùm veniſſet Athenas, detractores ſermonum ſuorum offendiſſe Philoſophos Epicureos, & Stoicos. Inſectatur non rarò Apoſtolus in ſuis Epiſtolis fictos Sapientes fucatamque ſapientiam hujus ſæculi, nempe utique Philoſophiam Paganorum, nunquam non averſam ſe præbentem ſapientiæ Jeſu Chriſti, & veræ Religioni, quippe quæ opinione Philoſophorum & Sapientium hujus ſæculi perinde habebatur ac ſtultum quoddam commentum, nec ratione fultum, nec evidentia, nec eloquentia, nec acumine eorum, à quibus annunciabatur. Unum etenim illarum momentum erat virtus Dei, ejuſque authoritas, & operatio S. Spiritus, intus agenti in corde mentibuſque eorum, qui invitabantur ad fidem.

Nomen Philoſophia derivatur è Græco *Philos*, amans, & *Sophia*, ſapientia. Philoſophi nomen primus ſibi adſcivit Pythagoras, repudiato nomine Sophos vel Sapiens, quo olim diſtinguebantur viri in ſcientiis doctiſſimi. In Sacra Scriptura ſpectare licet non fucatos Sapientes, atque Opera Philoſophica in Libro Proverbiorum, Eccleſiaſte Salomonis, ſicut & in Libro Sapientiæ atque Eccleſiaſtici. Opera hæc ſunt moralia, ubi axiomata plura Religionis eximia, pietatis etiam plura, dirigendæque ad normam recti vitæ aptiſſima, ratiocinii eſt parum. Porrò veteres Orientales minùs amabant ratiocinationem, quàm Philoſophi Græci; plus intendebant ad ſcopum, ac præcepta ſua dabant per ſententias & axiomata. In Libro Eccleſiaſtis genus quoddam diſputationis inſtituitur; ubi promuntur ſenſus impiorum cæterorumque negantium immortalitatem animæ, ac providentiam, ſummum bonum conſtituentes in voluptate, divitiis & honoribus. Argumentorum, quæ ab illis formantur, vis omnis explicatur; tandem futilia & vana arguuntur à Salomone ſermonem cogente in favorem Religionis ac timoris Dei.

Liber Job genus eſt etiam Operis Philoſophici, in quo tres vel quatuor inductæ perſonæ diſputant, ſuo ſinguli loco, de providentia, atque agendi ratione Dei in homines, agitantque grandem illam quæſtionem, an mala omnis hujus mundi in pœnam noſtrorum criminum lata ſint, vel Dei habeantur experimenta, quibus electos ſuos ponit in diſcrimen.

Liber inſcriptus: *Sapientia Salomonis*, Lucubratio eſt Philoſophiæ moralis digeſta potiſſimùm ad

inſtitu-

(a) Antiq. l. 10. c. 11. (b) Strab. l. 16. Arian. l. 2. de exped. Alex.
(c) Hieron. de Viris Illuſtribus c. 11. Phot. Cod. 105.
(d) Hieron. Epiſt. 84. (e) Philo Legat. ad Cajum.
(f) Sap. 18. 24. collatus cum Philone l. 3. de vita Moſ.
(g) Joſeph. Proœm. in Antiq. ad finem.
(h) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 2. Hieron. de Viris Illuſtribus c. 11.

inſtitutionem ampliſſimorum virorum ac Principum. Ampliora agitat *Eccleſiaſticus*; varias enim vitæ conditiones complexus, apta ſingulis præcepta moralia aſſignat. Refert nomen *Sophia Sap.* 6. 23. Sapientia ex Hebræo *Zaphiniah*, res occulta, deſcribitque Philoſophi Hebræi occupationem *Eccli* 39. 1. *&c.* exhibet enim illum intentum ſcrutandis ſenſibus veterum parabolarum, ſtudio Sapientiæ Veterum Scriptorum Propheticorum, hiſtoriarum de rebus ab inclytis viris geſtis, tempus fallentem ſuam in excurrendis Orbis regionibus, quò ſe inſtruat in variis moribus atque opinionibus diverſarum gentium, agniturum tandem bonum ac malum, quod eſt inter homines: ſed nihil habet antiquius quàm ut Deum fatiget precibus ſamen ab illo poſtulans, quæ ſi obtinuerit, ait, theſauros ſapientiæ ſuæ effundet Sapiens tanquam largo imbre, ac nominis ipſius fama, quà latè patet terrarum orbis protendetur.

Sub idem ferè tempus, quo apud Græcos formabantur Sectæ Philoſophorum Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, apud Judæos pariter ſpecie quadam æmulationis abitum eſt in Sectas Philoſophicas, Eſſeniorum, Phariſæorum, & Saducæorum. Stoicorum aliquid referebant Phariſæi, Epicureorum Saducæi, Eſſenii ad Academicos accedebant. Porro Phariſæi tumidi erant homines, thraſones, vani, Stoici. Saducæi negabant immortalitatem animæ, exiſtentiam ſpirituum, animamque exſolvebant ab omnibus ſimul religionis, ad futura quod attinet, vinculis, uti Epicurei. Frugi magis homines, ſimplices & religioſi erant Eſſenii, viciniùs prementes veſtigia Academicorum.

Quemadmodum autem Græcorum Philoſophia poſtquam longa ætate in honore fuit & obſequio; merito eorum, qui illam profitebantur, recidit tandem in contemptum & opprobrium omnium, vitiis pedeſtribuſque moribus eorum qui nomen Philoſophi ſuſtinebant; eædem pariter vices apud Hebræos Phariſæi e. g. qui ab ipſo Sectæ exordio nomen ſibi fecerant, exacto in Lege Dei obſequio; odium in ſe tandem concitarunt Principum ac proborum contemptum, ambitione intolerabili erroneiſque interpretationibus, quibus Dei Legem depravarant.

Philoſophi, quos inſectatur Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos, vaſtam mentis ſuæ cognitionem exaggerabant, prædicabant moralis ſuæ elegantiam, Scriptorum eloquentiam, robur & acumen argumentorum. Laborabant veluti morbo tumore animi, curioſitate, præſumptione, hypocriſi, ambitione. Rationi deficiebant omnis, ubique dominari affectabant, & quanquam vitam agerent criminibus corruptiſſimam, atque ipſi ſe exhiberent naturæ injurios, exaggerabant ſe tamen tanquam viros probos, ac noſcere ſe Deum glorіantes moribus illum ſuis probro afficiebant. Humilitatem Crucis Chriſti, vim prodigiorum ipſius, moralis ſanctitatem, ſublimitatem myſteriorum, evidentiam Miſſionis ipſius opponit thraſonibus illis Apoſtolus.

An Philoſophi Pagani ſententias morales ſuas eximias è ſacris Scripturis hauſerint, quæſtio agitatur. Patres ea in re commiſſos inter ſe habemus, affirmantem alii ſententiam, negantem alii propugnantes. Philo Judæus *de vita Moyſis l.* 1. *pag.* 657. 658. docet ante adornatam juſſu Philadelphi Verſionem Moſaicorum Librorum de Libris ſanctis nihil noſſe Gentiles. Ariſtæas *de* 70. *Interpp.* affirmantem inducit Demetrium Phalereum, neminem ex Hiſtoricis, Vatibus, ac Scriptoribus Græcis meminiſſe quidquam Librorum Hebraicorum; ratos autem illos, qui inſerere aliquid ex iiſdem Operibus in ſuis Lucubrationibus tentaſſent, prohibitos fuiſſe inflictis à Deo vindice pœnis; quod allatis exemplis probat. Origenes *in Cantic.* defendit nomen Moyſis latuiſſe Græcos, nec legi in eorum Scriptis. Joſephus *contra Appionem* l. 1. ſilentium illud Græcorum agnoſcit, cujus affert rationem; nimirum Libros Judaicos nunquam illos legiſſe. Lactantius *de Orig. Error. l.* 2. *c.* 11. diſertè aſſerit de Prophanis: *Nullas literas veritatis attigerant*. Et *de vera Sap. l.* 4. *c.* 2. miratur Pythagoram & Platonem Ægyptum petiiſſe, Chaldæam & Perſidem diſcurriſſe, ut inſtruerent ſe in Religione moribuſque earum gentium, nec contuliſſe ſe potiùs in Judæam, quò & facilis tranſitus, & prona omnia, quæ fruſtra alibi ab illis quæſita ſunt.

Patres alii numero majores affirmantem tuentur. Tradunt clariſſimos illos Veterum Philoſophos ſacros Libros ac Prophetas noſſe. Cenſet S. Auguſtinus de Civit. l. 8. c. 11. & de Doctr. Chr. l. 2. c. 28. Pythagoram vidiſſe Jeremiam in Ægypto; quem etiam conſuetudinem habuiſſe cum Ezechiela in Judæa, tenent quidam apud S. Clementem Alex. *Strom. l.* 1. addunt noviſſe illum Judæos, è legibus illorum plures in ſuam Philoſophiam tranſtuliſſe (a). S. Clemens Alexandrinus verba faciens ad Græcos *Protrept. pag.* 46. &c. affirmat, quidquid in Legibus Platonis veritatis elucet, accepto referendum eſſe Hebræis; ex iis fontibus eorum Vates ſublimiores ſenſus & ditiores phraſes in ſuum ſuccum derivaſſe. S. Juſtinus Martyr, Apolog. 1. pag. 15. & Apolog. 2. pag. 81. 82. fuſiùs hoc argumentum proſequens, pluribus adductis exemplis demonſtrat Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram; Platonem contuliſſe ſe in Ægyptum, Moſaicoſque Libros conſuluiſſe. Philoſophus Celſus (b), Chriſtianorum inſectator acerrimus, ultro agnoſcebat affinitatem ſententiarum Platonis cum Moyſe atque Prophetis Judæorum; ex quo abſurdam hanc conſecutionem inferebat, nimirum Hebræos exſcripſiſſe Græcos; quaſi ſcilicet Moyſes & Sacri Scriptores recentiores eſſent Platone Græciſque Poetis.

Defendit Tertullianus in Apologetico Legiſlatores Paganos nihil ſanxiſſe boni, niſi ſi quid ex Hebræis adoptarint: *Sciatis ipſas quoque leges veſtras; quæ videntur ad innocentiam pergere, de Divina Lege, ut antiquiori, formam mutuatas*. Addit Vates illorum & Philoſophos è fontibus Prophetarum hauſiſſe; Dæmones verò pernicioſa quadam arte de induſtria aliquid veritatis inſinuaſſe in Scriptis Prophanorum; quo ſcilicet eiſdem ipſis veritatibus crearet invidiam, cùm Deus ſuo tempore manifeſtaret illas mundo: neque enim vulgò homines ſat habituri erant perſpicaciæ vel æquitatis ad ſecernendam veritatem ab eo errore, cui jungitur admiſceturque. Gemina Philoſophatur S. Juſtinus Apolog. 2. Euſebius integrum librum 11. ac 12. Præpar. Evang. ingentis illius Operis impendit ad demonſtrandum, Platonem hauſiſſe potiſſima Philoſophiæ ſuæ atque Theologiæ è Libris ſacris Judæorum. Theodoretus Serm. 1. ad Græcos pag. 466. 471. 472. tuetur veteres Philoſophos Pherecidem, Pythagoram, Thaletem, Platonem excurriſſe Ægyptum, & audiſſe docentes non Ægyptios tantùm, ſed etiam Hebræos, quorum ſe dogmatibus adeo imbuerit Pythagoras, ut & reciperet circumciſionem ab Ægyptiis imitatione Judæorum ſervatam. S. Ambroſius (c), perſuaſum habuiſſe videtur potiſſimum ſcopum Platonis, Ægyptum iter ſuſcepturi, fuiſſe, ut conferret Leges Moyſis & oracula Prophetarum: *Eruditionis gratia in Ægyptum profectus, ut Moſis geſta, Legis oracula, Prophetarum dicta cognoſceret*.

Cùm autem quæſtionem facti verſemus, momenta facti potiùs, quàm authoritatum expendenda ſunt. Porro illa in duas claſſes diſtinguuntur: 1. Expendenda ſententiarum utrinque & phraſium inter Sacros prophanoſque Authores affinitas in iis, in quibus nonniſi data opera convenire poſſent. 2. Ingenua confeſſio eorum, qui alios exſcripſere, ſeu coævorum Scriptorum. Profecto in Scriptis Vatum ac Philoſophorum

(a) Hermipp. apud Joſeph. contra Appion. l. 1. pag. 1046. (b) Origen. contra Celſ. l. 6.
(c) In Pſ. 118. Serm. 2. 4. 5. 13. & de fuga ſæc. c. 8. & de bono mortis cap. 10 & 11. num. 51. & de Arca Noe c. 8.

prophanorum nullam ingentiam oſtendimus confeſſionem, debere ſe ſcilicet aliquid Scriptoribus ſacris; coævus Author nullus id affirmat: quæ utrinque affinia ſpectantur, hæc caſui meliùs tribuerentur; & in iis maximè convenit inter illos, in quibus cordati quique Scriptores inter ſe facilè cohærerent. Nihil igitur inferendum eſt ex iis, pro ſententia accuſante Græcos plagii ex Hebræis.

Quin nec legiſſe eorum volumina Græcis pronum erat; vel enim conſuluiſſent fontes & originalia, aut Verſiones. Græci externarum linguarum ſtudium negligebant; & Judæi de ſanctitate Librorum ſuorum anxii, religioni duxiſſent Paganis illos communicare. Nec magis pronum erat adire Verſiones, nulla enim ſuppetebat ante Verſionem Septuaginta ſub Ptolemæo Philadelpho adornatam, diu poſt ætatem Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis, Socratis, Chryſippi, Zenonis, & veterum Philoſophorum, ac Legiſlatorum Græcanicorum. Quin & vero propius eſt verſionem, quam appellant Septuaginta, multo poſteriorem eſſe ætate Philadelphi, uti nos V. *Septuaginta*.

Celebris alia eſt quæſtio de veteribus Philoſophis, an ſcilicet æterna ſalute potiantur. Proponitur num ductum luminis rationis ſequentes, vitamque dirigentes ad recti moralis normam, valuerint, etiam amota Lege & Evangelio, removere ſe è damnatione atque æternis ſuppliciis. Videtur utique Apoſtolus ad Rom. 1. 20. &c. non excludere è Cœli felicitate Gentiles, qui vitam egerunt laudabilem. Ita profectò illos Philoſophi Gentiles ſunt *inexcuſabiles*, *quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Si ergo glorificaſſent utique excuſarentur. Addit c. 2. 9. &c. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco; non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum ..... Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Et ꝟ. 26. *Si igitur præputium* (Gentilis) *juſtitias legis cuſtodiet, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur, & judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per literam & circumciſionem prævaricator legis es?*

Ex his omnibus inferre licet Gentiles Philoſophos, qui legis naturalis ductum ſecuti fuerunt, nec Deum juſto honore fraudarunt, pares fuiſſe ut juſtitiam obtinerent coram ſupremo Judice, apud quem merita; non perſonæ ſpectantur; paremque illos habuiſſe ſortem ac Judæum, qui legem civilem ſervaverit, ac tandem ſententia damnandum Judæum prævaricatorem. Defendit S. Juſtinus Martyr. Apolog. 2. pag. 83. veteres illos Philoſophos, qui vitam ad normam rationis inſtituerunt, Chriſtianos anticipatò fuiſſe, quanquam Jeſum Chriſtum necdum noverint, quippe qui ejus doctrinam & dogmata præcoci obſervatione tenuerint. Tales agnoſcit apud Græcos, Socratem aliosque nonnullos; & apud Barbaros Abrahamum, Ananiam, Azariam, Miſaelem, Eliam, & plures. S. Clemens Alexandrinus *Strom.* lib. 1. & lib. 6. docet eos, qui Jeſu Chriſti adventum prævenîſſent, duplex ad juſtificationem obtinendam habuiſſe adjumentum, Legem ſcilicet & Philoſophiam. Valebat Philoſophia, ut juſti redderentur, vel ſaltem ut diſponerentur ad juſtitiam, vel gradus erat ad illam; produxit illa quidem juſtitiam, non verò abſolutam & perfectam. Addit, Paganos ante obitum Jeſu Chriſti fatis functos præſtolatos fuiſſe apud inferos, ſive ejus adventum, ſive Apoſtolorum, quorum audita prædicatione ſtatim crediidiſſe, ac ſalutis compotes factos fuiſſe.

Tuetur S. Chryſoſtomus, *Hom.* 37 *in Matthæum*; Gentiles ante Jeſum Chriſtum ſalutem obtinere valuiſſe, abſque eò quòd illum confiterentur, ſi tantùm renunciato Idolorum cultu agnoviſſent atque coluiſſent unicum Deum rerum omnium Creatorem; hæc enim, juncta ſimul vita ad juſtitiæ normam exacta, valuiſſe ſola ad immittendos illos in poſſeſſionem æternæ felicitatis, juxta doctrinam Apoſtoli ad Romanos 2. 10. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*. Tradit Origenes, *contra Celſum lib.* 2. animam Jeſu Chriſti è corpore ſecretam conveniſſe non ſemel mortuorum animas, ut dociliores aptioreſque ad excipiendam doctrinam ſuam converteret. Sermonem habens S. Gregorius Nazianzenus de Jeſu Chriſti ad Inferos deſcenſu relinquit in ſuſpenſo, num omnes, nemine excepto, vel eos tantùm, qui crediderunt, ſalute donaverit. Ambroſiaſter, i. e. Hilarius Diaconus, *in Epheſ.* 4. 8. docet Jeſum Chriſtum Inferos expoliaſſe captivis, ibi detentis, reis ſive prævaricationis Adam, ſive peculiarium criminum; omnes verò, qui ejus prædicationi fidem non renuiſſent, duxiſſe ſecum in Cælum more triumphantis.

Regnant hæc paſſim in ſcriptis plurium Veterum, quos in Diſſertatione de ſalute Gentilium, præfixa Epiſtolis S. Pauli laudavimus. Recludunt Judæi Regni Cæleſtis fores varii generis Paganis (a) e. g. iis qui integra fide ſervaverint præcepta, quæ Noemo data ſibi errantur; ſicuti & iis, qui de Deo ac divinitate recta ſentientes, vitam pariter egerunt rectam & laudabilem uti e. g. Socrati, & Platoni. Quatuor genera hominum è ſalute excludunt Thalmudiſtæ, nimirum gentiles Balaamo & Doeg ſimiles; ac Judæos imitantes Achitophel & Giezi; ex quo ſecta inter Paganos, moribus ſuis non exprimentes ſive Baal ſive Doeg, ſalutis compotes futuros.

Laudatur pariter in eam rem Toſtatus *in Geneſ.* 17. Catharinus *in Epiſt. ad Rom. cap.* 11. Eraſmus *in Colloq.* & facilè etiam Recentiores alii nonnulli, quibus ea ſediſſe potuit perſuaſio, veteres Philoſophos, uti Socratem, Senecam, Platonem obtinuiſſe ſalutem, ea ſcilicet opinione, illos Deum reipſa agnoviſſe, vitamque egiſſe ad normam recti laudabilem. Cùm verò opiniones illæ ad trutinam Theologicam expenduntur; cùm eorum dogmata moreſque Philoſophorum propiùs ſpectantur, evaneſcit ſtatim grandis illa de merito eorum Virorum opinio.

Conſtat utique *ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo Hebr.* 11. 6. conſtat *fidem ſine operibus mortuam eſſe Jacob.* 2. 26. conſtat tandem abſque fide ſaltem, uti vocant, implicitam in Liberatorem & Meſſiam nemini datum eſſe, ut ſalutem obtineat; *Act.* 4. 12. *Nec enim aliud nomen eſt in Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Porro Philoſophi; de quibus magna prædicantur, deſtituti ſunt fide, quam charitas animaret, probis operibus, ac fide in Meſſiam; quis ergo audeat tales homines in ſalutem immittere?

Socrates (b) reliquos vitæ probitate vincens, de prædicato accuſatur: adorabat nubes (c); jurabat per canem marem ac fœmellam, per anatem (c). Illum ludibiat Lactantius tanquam ſcurram, ſi ſuperſtitionibus hiſce irridere ſecretò cogitabat Religionem Athenienſium, quos inter degebat, ac religionem ſacramenti. Stultum verò appellat, ſi in his omnibus Numinis aliquid agnoſceret. A Magiſtro ſuo amoliri conantur Diſcipuli Socratis impactum in illum crimen Atheiſmi, demonſtrantes impenſum fuiſſe ab illo cultum Diis Græcorum. Animam agens præcepit offerri gallum gallinaceum in ſacrificium Æſculapio. An hæc accenſeant hominem inter ſanctos & prædeſtinatos?

Seneca, quem virum admirantur Veterum plures, librum ſcripſerat de ſuperſtitionibus Paganicis (e); & poſtquam abſurda illarum omnia ſcelevaſſet, concludebat tandem ſapientis eſſe hæc omnia ſervare ad obe-

(a) R. Moſes, & R. Meyr. Gubar. (b) Juvenal. Satyr. 10 (c) Ariſtoph. Nub.
(d) Tertull. Apolog. (e) Aug. de Civit. l. 6. cap. 6.

ad obediendum præcepto morum legumque; exterius inſuper ipſa eadem exercenda eſſe, negata tamen illis intus in corde fide. Vitio Philoſopho huic vertit Dio in *Excerpt. Valeſ. lib. 61. pag. 685, 686.* inlandiſſima crimina, quæ etiam docuerit Neronem diſcipulum ſuum; exprobrat pariter auctas brevi temporis ſpatio turpi fœnore in immenſum divitias, nec ab infami lucro adhuc ceſſare. Tales ſe homines præbuerunt honeſtiſſimi quique Paganorum Philoſophi, quorum mens ſterili divinitatis notione imbuta, impar erat ad omnia; Deum enim probro afficiebant, quà morum, quà etiam ſententiarum in rebus Religionis abſurditate. Nec ultra hic nos de argumento, quod excuſſimus in peculiari Diſſertatione in Epiſtolam ad Romanos.

Notant Orientales Philoſophiam Thaletis Mileſii, quæ rerum omnium principium in aqua conſtituit, affinitatis habere plurimum cum Moſaica & Ægyptiorum, eadem ferme tenentium, ſicut & Phœnicum omnia producta tenentium è limo ſat diluto, & aqua cœnoſa: cum viciſſim Perſæ & Zoroaſtres propiùs accederent ad dogma Anaxagoræ, primam rerum omnium naturalem cauſam ponentis in igne).

PHINEES, ſivè ut Judæi pronunciant, *Pinchas* filius Eleazari, & nepos Aaronis, inter Summos Sacerdotes Judæorum tertius, ab A. 2571. uſque ad 2590. ante Chr. 1410. ante Aer. 1414. In Scriptura ob id laudatur, quod eo, quo tenebatur, Divinæ legis ſtudio, Dei gloriam ultus fuerit. Cum enim mulieres Madianitides in caſtra Iſraelitarum veniſſent, ut eos in Idololatriam, & fornicationem inducerent; Zambri quidam palam ad Madianitidem, nomine Cozbi, ingredi auſus eſt. Quare Phinees ſtricto enſe, in lupanar coram omnibus ingreſſus, utroſque in verendis uno ictu tranſfodit; quo uno viri geſto plaga, ſivè morbus à Deo in ultionem ſceleris jam in populum immiſſus ceſſavit (a).

Tunc Deus Moyſem alloquutus, ſignificavit, ob unum illius viri facinus ſe ab exterminando populo deſtitiſſe. Quare ſuo nomine illi denunciandum præcepit, Sacerdotii dignitatem ipſi, poſteriſque in perpetuum fore aſſerendam. Quod tamen Dei fœdus cum Phinea, ea tantum conditione ratum firmumque futurum videtur, ſi ejus poſteri in obſequio manſiſſent (b); ſcimus enim Sacerdotium tandem ex familia Eleazari, & Phinees in poſteros Ithamari tranſlatum; ac deindè poſt evolutos 150. annos circiter, iterum familiæ Eleazari reſtitutum.

Porrò de tranſlatione Sacerdotii ex una in alteram familiam, hæc memoriæ prodita ſunt. Ab Aarone uſque ad Heli, ſpatio circiter 335. annorum, poſteri Phinees regnarunt (c). Indè ad Ithamari familiam tranſlata dignitas, ignotum tamen qua ratione, & cauſa. Tandem familia Eleazari ſub Saule emerſit; cum enim Achimelech, aliique Sacerdotes Nobe, juſſu ejuſdem Regis neci traditi fuiſſent, Sadoc è genere Phinees, ab eodem ſubſtitutus eſt. Eodem tempore Abiathar, è familia Heli, Summi Sacerdotis munere apud Davidem fungebatur; hinc poſt obitum Saulis utrique, Sadoc nempè, & Abiatharo, ſua dignitas à Davide ſervata eſt. Verùm ejuſdem Regis ætate labente, cùm Abiathar partibus Adoniæ contra Salomonem faviſſet, à Regio favore excidit. Quare omnia dignitatis munera in unum Sadocum collata ſunt. Poſt Sadocum, ejus familia uſque poſt captivitatem Babylonicam, quin & ad everſionem Templi regnavit, ſpatio nempè 1084. annorum, quot ab obtenta dignitate per Sadoc, excluſo Abiatharo, excurrerunt (d).

Aliud etiam monumentum ſui in Legem ſtudii Phinees edidiſſe traditur. Cùm enim Iſraelitæ tranſjordanici ad ripam fluminis acervum quemdam erexiſſent, Judæi ciſjordanici, veriti, ne illi Deum, Legemque deſerere cogitaſſent, ipſum Phinees, alioſque Optimates miſerunt, ut ab illis rationem ejus rei exquirerent. Venientes igitur illi audierunt, monumentum illud in memoriam ſui cum illis fœderis, duiuſque inter utroſque populos originis excitatum eſſe: quare Phinees factum vehementer probans, intellexiſſe ſe dixit, immunes eos eſſe ab omni criminis ſuſpicione; ex quo certiſſimum capiebat argumentum Divinæ in populum propenſionis.

Hunc Virum Jeſus filius Sirach ſuo elogio proſequitur *Eccl.* 45. 28. *Phinees*, ait, *filius Eleazari, tertius in gloria eſt* (nempè in Summo Sacerdotio gerendo) *imitando eum* (Aaronem) *timore Domini, & ſtare in reverentia gentis* (in communi Iſraelitarum lapſu fidelis), *in bonitate, & alacritate animæ ſuæ placuit Deo pro Iſrael* (Deum Iſraeli conciliavit). *Ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis, Principem ſanctorum, & gentis ſuæ, ut ſit illi, & ſemini ejus Sacerdotii dignitas in æternum.* Adjicit, fœdus illud à Deo cum Phinees initum, non abſimile fuiſſe fœderi, quod Deus cum Davide ſtatuerat: ex illo autem jus datum eſſe Phinees, ut inſtrueret populos, judicaret, ac tandem gloriam ſuam ad futura ſecula propagaret.

Certus obitus illius annus ignoratur; ſed cùm poſt obitum Joſue vixerit, & ante primam captivitatem ſub *Chuſan - Raſathaim*, quo tempore ſinguli ſine Principe ſua ſponte regebantur *Judic.* 17. 6. *&* 18. 1. *&* 21. 24. ideò circa A. M. 2590. ante Ch. 1410. ante Ær. 1414. diem clauſiſſe cenſetur. Sub eo Pontifice contigit hiſtoria Michæ, & virorum è Tribu Dan, qui urbem Lais occuparunt, necnon uxoris Levitæ in montibus Ephraim violatæ *Judic.* 20. 28. Huic ſucceſſit eſt *Abiezer*, ſive *Abiſue*.

Vitam illum diutiſſimè produxiſſe Rabbini comminiſcuntur, nempe, juxta aliquos uſque ad Heli, ſivè etiam ad Samſonem juxta alios. Sunt inter illos (e), qui eundem credant cum Heli, ſeu potiùs cum Elia (f); quod ejus ætatem non modicè prorogaret. Vir Dei, qui Summum Sacerdotem Heli Divino juſſu conveniens, nimiam ipſius in filios indulgentiam reprehendit, alter non erat à Phinees, ſi Authori Traditionum Hebraicarum in Lib. 1. Regum c. 2. delectamus. Non deſunt etiam, qui Davidis, & Eliæ ætatem illum attigiſſe autument (g); quamquam probabiliùs illud tantummodò intelligendum videntur, Prophetam Eliam eo fuiſſe zelo, ut ipſum Phinees referret; uti Joannes Baptiſta venturus in ſpiritu & zelo Eliæ ab Angelo prænunciatus fuit (h). Apud Judæos receptum eſt, piorum animas genere quodam metempſychoſis donatas eſſe (i).

PHINEES, filius Heli Summi Sacerdotis, & frater *Ophni*. Vide *Heli*, & *Ophni*.

PHISCON, ſeu potiùs *Phyſcon*, alio nomine Ptolemæus *Evergetes* VII. Rex Aegypti. V. *Ptolemæus*.

PHISON, amnis inter quatuor Paradiſum voluptatis irrigantes, quem *Phaſim* fluvium Colchidis celeberrimum autumamus. Regionem Hevilat aquis auro divitibus decurriſſe Moyſes teſtatur *Gen.* 2. 11. 12. Porrò amnis iſte è montibus Armeniæ defluens, in Pontum Euxinum oſtio dimidia leuca amplo, atque alveo 60. brachiis alto devolvitur. Nullus fortaſſe

(a) Num. 25. 7. &c. & 26. 1. Pſal. 105. 30. A. M. 2553. Ante Chr. 1447. ante Ær. 1451.
(b) Ita Dion. Carth. Tirin. & alii. (c) Aaron electus Pontifex An. M. 2515. Heli Pontifex & Judex an. 2848.
(d) Sadoc ſolus regnavit, excluſo Abiatharo An. M. 2989. Templum everſum eſt A. M. 4073. Ær. 70.
(e) Chronic. Euſeb. ad A. M. 860.
(f) Vide Origen. t. 7. in Jo. (g) Vide Rabbin. apud Morin. exercit. Bibl. l. 2. exer. 5. c. 3.
(h) Luc. 1. 17. Vide etiam Matth. 11. 9. & 17. 11. 12. Marc. 9. 13. (i) Vide Interpp. in Matth. 16. 14. Lightfoot. Harmon. p. 2. ad Jo. 1. 20. 21.

amnis pluribus Mæandria verſatur; quippè cui obvios in decurſu montes declinet. Hinc Plinii ætate 150. pontes terebat (a); neque aliò ſpectare videtur illud Moyſis: *Circuit omnem terram Hevilat*: nempè, uti credimus, Colchidem. Aurum ejuſdem regionis, & Colchidis divitiæ tota Antiquitate celebrantur. Ejuſdem, ſive finitimarum regionum torrentes, & amnes (non enim novimus veteres Colchidia limites) auri paleas vehebant; Strabone authore *lib.* 11. quibus colligendis, ait, incolæ arietum vellera in defluentem injiciebant; machinis etiam ad eam rem utebantur ligneis, veluti alveolis perforatis. Aurum *Phaz*, *Uphaz*, ſivè *Ophaz*, de quo interdum Scriptura (b), idem credimus cùm auro Phiſon, ſive Phaſidis (c). Sunt qui Phiſon de Gange dictum arbitrentur: ſed ille nimis diſtat ab Euphrate, & Tigri, quos unà cum Phiſon & Gehon è Paradiſo fluere Moyſis teſtimonio conſtat.

PHITOM, una ex urbibus, cujus ædificationi Hebræi in captivitate Ægypti à Pharaone addicti fuerunt. *Exod.* 1. 11. Quo nomine deſignatam credimus urbem *Pathumon*, ſitam, Herodoto authore *l.* 2. juxta canalem, à Regibus Necho, & Dario ductum, quò è Mari Rubro in Nilum, & hinc in Mediterraneum pervia heret navigatio. Apud veteres Geographos (d) occurrit etiam Nili ramus, dictus *Pathmeticus*, *Phatmicus*, *Phatnicus*, ſivè *Phatniticus*. Urbes *Phitom*, & *Rameſſe* ſitas tradit Brocardus *Deſcript. Terræ Sanctæ* quinque leucis ſuprà Nili divortium, ultrà eundem amnem; qua in re non Veterum fidem, ſed incertam ſuæ ætatis apud Ægyptios traditionem ſequutus eſt. Marshamus autumat, urbem *Phitom* eamdem eſſe cùm *Peluſio*, ſivè *Damiata*.

I. PHLEGON, de quo S. Paulus *Rom.* 16. 14. Epiſcopus Marathonis in Attica, ſi Græcorum fidei deferamus. Ejus Feſtum à Græcis & Latinis die 8. Aprilis celebratur. Cæteræ ejus viri latent.

II. PHLEGON, Adriani Libertus, qui Hiſtoriam per Olympiades digeſſit uſque ad annum Chr. 140. circiter. Ad annum quartum Olympiadis 202. qui exit circa dimidium anni 33. Æræ, Eclypſim quamdam ſolis notavit, omnium uſque ad eam ætatem maximam, ut pleno meridie ſydera in Cœlo conſpicerentur (e): quam deinde ingens terræmotus conſecutus, Bithyniam concuſſit. Porrò hanc Eclypſim tenebras illas ſignificare, quæ in obitu Chriſti totam terræ faciem oppreſſerunt, plures Critici autumant. Hæc in cauſa fuerunt, cur nomen Phlegonis in noſtro opere reponeremus.

PHOEBE, Diaconiſſa, quæ Cenchris, portu Corinthi, verſabatur, S. Paulo probatiſſima. Putat Theodoretus *in Ep. ad Rom.* in ædibus ejuſdem fœminæ ſubſtitiſſe Apoſtolum, quamdiu Corinthi, & in ejus vicinia moratus eſt. Epiſtolam ejuſdem Apoſtoli ad Romanos datam, in qua eadem fœmina etiam atque etiam commendatur, ipſa eadem detuliſſe creditur; de illa autem hæc Apoſtolus *Rom.* 16. 1. 2. *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris, ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis, & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit, etenim ipſa quoque aſſtitit multis, & mihi ipſi*. Sunt inter Scriptores noſtræ ætatis, qui nullo Veterum ſuffragante, Phœben uxorem fuiſſe S. Pauli crediderunt (f). Munus ejuſdem fœminæ ipſius ſexui, & conditioni reſpondiſſe veriſimillimè creditur, nempe viſere & edocere Chriſtianas mulieres, miniſtrare eleemoſynas, ac tandem ægrotis ſolatio eſſe, & adjumento. Feſtum ipſius ad diem 3. Septembris in Martyrologiis conſignatur.

PHOENICIA, provincia Syriæ, cujus limites varii ſunt. Interdum enim à ſeptentrione ad meridiem porrecta, inter Orthoſiam, & Peluſium definitur (g): Interdum fines ejus ad meridiem mons Carmelus, & Ptolemais ſtatuuntur (h). Olim ſanè, cùm ſcilicet Hebræi Palæſtinam occuparunt, brevibus concluſa terminis totam Philiſthæorum regionem excludebat: Philiſthæi autem totum tractum tenebant ad Mediterraneum à monte Carmelo uſque ad ditionem Ægypti. Neque latior erat ejus tractus continentem verſùs, cùm ab Iſraelitis Galilæam tenentibus cingeretur.

Quare cùm de Phœnicia agitur, tempora diſtinguenda ſunt. Ante ſuſceptam à Joſue in Palæſtinam expeditionem, hanc regionem tenebant Chananæi, filii Cham in undecim familias diſtincti, quarum potiſſima Chanaan habebat authorem, utrùm nempè illum Sidonis authorem, & caput eorum Populorum, qui peculiari nomine Chananæi, & à Græcis Phœnices appellati ſunt. Porrò gens iſta ſola inter omnes à jugo ſervitutis immunis fuit, non ſub Joſue tantùm, ſed etiam ſub Davide, & Salomone, cæteriſque eorum ſucceſſoribus. Verùm Regibus tandem Aſſyriæ, & Chaldæis parere coacta eſt: deindè in ditionem Perſarum, Græcorum, & Romanorum tranſiit. Hodie Othomanorum Imperio ſubjecta eſt. Quare jam 2000. ab hinc annis alienum Imperium, & leges patitur: ſiquidem Reges illi, quos interdum Aſſyrii, Chaldæi, Perſæ, & Græci regimini dederunt, ſecundam ab illis authoritatem habebant.

Potiſſimæ Phœniciæ urbes celebrantur Sidon, Tyrus, Ptolemais, Ecdippus, Sarepta, Berythus, Biblus, Tripolis, Orthoſia, Simira, & Aradus. Nonnullæ etiam Libani urbes Phœniciis parebant. Interdum Græci Authores univerſam Judæam Phœniciæ nomine comprehendunt (i). In veteribus Notitiis Eccleſiaſticis diſtinguitur *Phœnicia ſupra mare*, & *Phœnicia Libani*, ad quarum primam ſpectabant Tyrus, Berithus, Arce, Gegarta, Paneas, Trieris, Sidon, Biblos, Orthoſia, Aradus, Gonaiticus Saltus, Ptolemais, Tripolis, Botrys, Antaradus, & Politiana: ad alteram verò pertinebat Edeſſa, Abila, Juſtinianopolis, Gonaiticus ſaltus, Laodicea, Damaſcus, Palmyra, Salamina, Heliopolis, & Regio Jambrudarum, Magludarum, & Regio Orientalis. Sanè latior erat tum temporis Phœniciæ tractus.

PHOENICII. Phœnices olim Maris Rubri litora incoluiſſe; inde verò regionem occupaſſe ad Mediterraneum, inter Syriam, & Ægyptum author eſt Herodotus *lib.* 4. *c.* 104. Quod ſanè authoritati Moyſis congruit, eos populos derivantis à Cham patre Ægyptiorum, & circumjacentium populorum. Nomen Phœnicia in Libris Sacris Hebraicè ſcriptis nunquam occurrit; frequenter verò in Libris Græci Originalis, uti in Machabæis; & in Libris Novi Teſtamenti. In Hebræo enim perpetuò extat *Chanaan*: quare ea conſulantur, quæ nos v. *Chanaan* diſſeruimus. Verùm S. Matthæus, qui Hebraicè, ſivè Syriacè ſcripſit, Chananæam appellat eam fœminam, quæ apud S. Marcum Græcum Scriptorem *Syrophœnix*, ſive ex Phœnicia Syriæ traditur: tunc enim Phœnicia regio erat Syriæ, & hæc duo nomina ideo jungebantur, ut populi illi ab aliis Phœniciis Africanis, nempè Carthaginenſibus, diſtinguerentur. Etymon ejus nominis, ſivè ex palmis Græcè *phœnix* dictis, quæ frequentiſſimæ erant in Phœnicia, ſivè ex viro illo Tyrio, cui nomen Phœnix, de quo in fabulis; ſive tandem ex Mari Rubro, cujus fuiſſe incolas Phœnices ferunt, derivandum eſt. Phœnix interdum rubrum ſignificat, unde *Puniceus*, &

Phœ-

(a) Plin. l. 6. c. 4. (b) Cant. 5. 11. Jerem. 10. 9. Dan. 10. 5.
(c) Vide Noſt. Comment. in Gen. 2. 11. 12. (d) Strab. Plin. Ptolem. (e) Euſeb. Chronic. & Hieron. Chron. & Chron. Alex. (f) Vide Tolet. in Rom. 16. (g) Vide Herodot. l. 4. c. 39. & l. 7. c. 89. Strabo l. 16.
(h) Hieron. ad Iſa. 29. & ad Amos 8. (i) Vide Relandum Palæſt. l. 1. c. 9. p. 50.

Phœnicum coloniæ. Alii idem nomen acceſſunt ex Hebræo *Pinxas*, ſive Phinées; alii ex *Bene-anak* (a) nempè filius Anak, ſivè ex poſteris Enacim. Scitum eſt enim gigantes filios Enak celebratiſſimos fuiſſe in Palæſtina.

Plurium rerum inventarum gloria Phœniciis tribuitur: illis enim ſcribendi ars referri ſolet accepta. *Lucan. l. 3. v. 22.*

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Illis etiam navigatio, mercatura, Aſtronomia, & longa itinera tribuuntur (b). Bochartus incredibili labore oſtendit, deductas ab illis Colonias, atque relicta linguæ ſuæ veſtigia ferè in omnibus Inſulis, & oris Mediterranei. Omnium tamen celebratiſſima eſt Carthaginenſis Colonia. Ferunt, ſub Joſue adventum plures ex illis in Africam, aliaſque regiones ſe recepiſſe. Tingi in Africa duas extare ex candido marmore columnas tradit Procopius (c), in quibus Phœniciis inſcripta characteribus hæc leguntur: Nos gens ſumus, qui è prædone Jeſu filio Nave perſequente diffugimus.

PHOENIX, portus Cretæ, ad hujus Inſulæ Occidentem. S. Paulus Phœnicem veniens, cùm Romam duceretur (d), ibi hyemandum cenſebat, cùm hyems jam proceſſiſſet.

PHOENIX, avis rariſſima, atque ſingularis, de cujus ingenio mira feruntur. Vitam namque ad plura ſæcula producere, atque inde è cineribus redivivam emergere narrant. Cùm omnes aves, ajunt Rabbini (e), fœminis morem gerentes è vetito pomo deguſtaſſent; ſolus inter cæteras Phœnix eſu abſtinuit; quare genere quodam immortalitatis fruitur. Etenim poſt confectam 1000. annorum periodum, ſubito igne nidum ſuccendente, ille abſumitur; ovi tamen genus quoddam inter flammas illæſum perſeverat; è quo avis iterum reparatur. Alii dicunt, Phœnicem 1000. annis natu grandævum, poſitis plumis, mero ſenio deficere; mox verò refecto corpore, iterum vitales auras ſpirare.

Nonnulli inter Rabbinos (f) addunt, eandem avem obſequioſa in Noe veneratione deterritam, ne eſcam quidem victum ab eo cum avibus cæteris exquirere. Quo à Patriarcha animadverſo, oraſſe ſe dicit Deum, ut ejus vitam perpetuò conſervaret; cui Phœnix reſpondit: *In nidulo meo moriar, & ſicut phœnix multiplicabo dies Job. 29. 18.* Ex quibus intelligimus, Rabbinos verba illa de Phœnice fuiſſe interpretatos; quamquam de ſenſu eorumdem verborum infra ſermo redibit.

Rerum naturalium Scriptores plura ſuprà hominum fidem de Phœnice venditant (g). Narrant enim, illum eſſe aquilæ magnitudine, criſtâ decoratum eleganti ſſimè picta, collum auratis plumis ornantibus, cauda purpureis roſeiſque pennis inſigni, oculis inſtar ſyderis emicantibus. Addunt ſingularem ſemper eſſe, nunquam geminum; vitamque juxta quoſdam ad 500. annos, juxta alios, 1000. imò & ad 7000. (h) producit. Plinius ejus ætatem definit ad 660. ſivè 551. pro Exemplarium varietate: Solinus ad 540. Heſiodus aſſerit, Phœnicem novem corvorum ætatem, corvos autem novem hominum generationes explere.

Narrat Tacitus *Annal. l. 6. & l. 3. c. 9.* ætatem ejuſdem avis à quibuſdam uſque ad 1460. annos prorogari; ſe 500. annis diuturniorem illam minimè credere: ait verò tandem nihil eſſe ea in re certi. Addit, ætate ſua vulgatum fuiſſe, Phœnicem primò in Ægypto viſum fuiſſe ſub Seſoſtri; iterum ſub Amaſi; tandem ſub Ptolemæo Evergete. Sub Claudio anno 800. ab U. C. avem quamdam, quam Phœnicem eſſe dictitabant, Romam allatam, in pleno Senatu exhibitam fuiſſe; quod in Acta publica relatum fuit; Plinius eſt author: addit tamen paucis de veritate ejus avis impoſitum fuiſſe.

Neque etiam ſatis inter Authores convenit, quo lethi genere vitam abſolvat. Ferunt, illum cum proximum innovationis ſuæ tempus imminere ſentiret, pyram ſibi ex arborum ramis ſuaveolentibus inſtruere, in qua demum abſumitur. Inde ex reliquiis oſſium & medullarum vermis naſcitur, qui ſenſim adoleſcens, in avem transformatur. Ut avis illa invaluit, patrios cineres deferens, in Armeniam, ſivè in Arabiam volitans, in ara Solis pium pondus depoſuit. Paternum corpus in pila myrrhea compoſitum ad Templum Solis Heliopolim in Ægypto deferre tradit Herodotus *l. 2. c. 73.* Ex ea hiſtoria argumentum futuræ reſurrectionis PP. frequenter deducunt (i); quamquam aliqui ſub aliorum relatione rem aſſerere ſe profitentur (k): aliis tamen id ſatis pro vero habetur. Extant literæ quædam Regis Æthiopiæ ad quemdam Pontificem datæ, in quibus de phœnice in iis Regionibus verſante narratur; vulgatumque eſt, Clementem VIII. inſignis muneris loco plumam phœnicis ad Reginam Eliſabetham miſiſſe. Verùm omnia, quæ de phœnice narrantur, diligentiſſimis fabulam ſapiunt (l).

Septuaginta bis uſi ſunt voce *phœnix* pro indicanda ave, de qua diſſerimus, ut nonnullis Interpretibus viſum eſt. Alii tamen malunt nomen phœnix Græcum eſſe, ac de palma uſurpatum. Porrò duo iſta loca, hæc ſunt: *Juſtus ſicut phœnix florebit*, *Pſ. 91. 13.* *In nidulo meo moriar. & ſicut phœnix multiplicabo dies*, *Job. 29. 13.* Primum ex iſtis locis de phœnice ave explicant Tertullianus *de Reſur. c. 13.* & S. Epiphanius *in Phyſiolog.* Neque alio ſenſu alterum textum interpretatur Beda *Expl. Alleg. in Job. c. 29. 18.* cum pluribus Rabbinis. Verùm ſi Hebraicum Originale conſulamus, dubitatio omnis evaneſcit, cum vocem *Thamar* ibidem occurrentem nonniſi de palma uſurpari conſtet. Vox Hebræa *chul*, ſivè *chol*, quam Septuaginta verterunt, *Phœnix*, magis ambigua eſt; quare complures ex Rabbinis de ave interpretantur. Verum illam in Hebræo, aliiſque Linguis Orientalibus Hebræo affinibus arenam ſignificare ſatis conſtat: nec ſanè infrequens in Scripturis eſt arenæ ſimilitudo ad annorum multitudinem exprimendam. Quare eamdem vocis interpretationem ſervant peritiſſimi Interpretes, Chaldæus, Syriacus, Arabs, Montanus, Pagninus, Munſterus, Caſtalio, Junius, Mercerus, Vatablus, Codurcus, aliique plures. Septuaginta eundem textum reddunt: *Ætas mea ſeneſcet, ſicut truncus palmæ*: quid enim ſignificat, *truncus phœnicis*?

PHOGOR, mons celeberrimus ultra Jordanem inter Helebon, & Liviadem, authore Euſebio *in Abarim.* Montes Nebo, Phaſga, & Phogor adeò inter ſe conjuncti erant, ut perpetuo montium jugo excurriſſe credantur. Nomen Phogor à Numine quodam ibidem culto derivatum probabiliter autumamus; quippe cùm in eadem regione *Phegor*, ſive *Phogor*, ſive Beelphegor notiſſima eſſent nomina.

Vide

(a) Bochart. Chanaan. l. 1. c. 1. (b) Dionyſ. v. 904.
(c) Procop. Vandalic. l. 2. c. 10. Vide Noſt. Diſſert. de regionibus, quò Chananæi ſe receperunt, Comment. in Joſue præfixam. (d) Act. 27. 17. An. Ær. 60.
(e) Rabbi Oſaia in Bereſchit-raba. R. Jannai ibid. R. Jodam Simeonis fil. R. Salom. in Job. Alii apud Bochart. de animal. Sac. part. 2. l. 6. c. 5.
(f) Talmud. in Gemar. tract. Sanhedr. c. 11. Sect. 67. (g) Vide Plin. l. 10. c. 2. l. 13. c. 4.
(h) Cheremon apud Tzetzem.
(i) Baſil. Hexam. l. 8. Ambr. Hexam. l. 6. c. 23. Idem in Pſal. 118. ſer. 19. n. 13. Tertull. de reſurr. carn. Cyril. Hieroſol. Cathec. 18. &c. (k) Orig. l. 4. contra Celſ. ad finem.
(l) Vide Bochart. de Anim. ſacr. p. 2. l. 6. c. 5. & noſtram diſſertationem in illud Job. *ſicut palma multiplicabo dies*, ante Comment. in Job.

Digitized by Google

Vide *Num.* 25. 3. *Deut.* 4. 3. *Pſal.* 105. 28.

PHOGOR, urbs Tribus Judæ, cujus neque in Textu Hebræo, neque in Vulgata, ſed in uno tantùm Græco *Joſue* 15. 60. mentio occurrit. Sita erat juxta Bethleem, auctore Euſebio; atque S. Hieronymi ætate *Phora* appellabatur.

PHOLLATI, vir è genere Levitarum, & inter janitores Templi ordine octavus 1. *Par.* 26. 5.

PHOTINA, quod nomen Græci tribuunt fœminæ Samaritanæ, à Jeſu Chriſto fidei myſteriis initiatæ *Joan.* 4. 7. Plura de eadem fœmina, ejuſque filiorum & ſororum martyrio venditant; ſed omnia fidei Græcæ ſunt (a). V. *Samaritana.*

(PHRAORTES. Juxta virorum quorundam Doctorum opinionem, quam etiam tenuimus, Phraortem Regem Medorum, de quo Herodotus *lib.* 1. *cap.* 102. confundendum eſſe cum Arphaxad prælio victo à Nabuchodonoſore, de quo in libro Judith. Ejus rei gratia hiſtoriam hujus Principis à noſtro hoc Opere alienam non cenſemus.

Dejoci primo Medorum Regi, qui Ecbatanim condidit, ſucceſſit Phraortes. „Hic ſolo imperio Medo„rum non contentus, bellum ante omnes intulit „Perſis, eoſque primos in poteſtatem Medorum re„degit. Quibus nationibus potitus, valida utraque, „mox Aſiam ſubegit, aliam deinceps atque aliam „invadendo gentem, donec ad Aſſyrios oppugnan„dos pervenit; ad eos, inquam, Aſſyrios, qui Ni„num (Niniven) incolebant, quondam omnium „principes, ſed tunc à ſociis per defectionem deſer„tos, alioqui per ſe benè habentes. Adverſus hos „expeditione ſuſcepta Phraortes ſecundo ac viceſimo, „quam Regno potitus eſt, anno, cum plerâque exer„citus parte periit. Cyaxares filius ſucceſſit.

Hæc de Phraorte Herodotus; hæc autem de Arphaxad Scriptura: *Arphaxad Rex Medorum ſubjugaverat multas gentes imperio ſuo; & ipſe ædificavit Civitatem potentiſſimam, quam appellavit Ecbatanis...*. Conditam quidem eam Urbem à Dejoce patre Phraortis narrat Herodotus, quæ tamen non prohibent, quin cœptam illam perfecerit munitionibus atque ornamentis Phraortes. Proſequitur Scriptura: *Gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum. Anno igitur duodecimo Regni ſui Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui regnabat in Ninive Civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau circa Euphratem, & Tigrim, & Jadaſon in campo Erioch Regis Elicorum.* Duodecimus annus Nabuchodonoſoris incidit in noſtris Tabulis in A. M. 3347. ante Chr. 653. ante Ær. 657.

Quæ Scriptura narrat de Arphaxad, eadem recurrunt in Herodoto de Phraorte; Medis imperat, plures gentes adjicit Imperio ſuo, vincitur tandem à Nabuchodonoſore Rege Ninive & Aſſyriorum. Nec nominum diſcrepantia negocium faceſſit in hiſtoriis Orientalibus; ſcitum eſt enim Hiſtoricos illos nunquam fermè non diſcrepare à Græcis in aſſignandis Principum ſuorum nominibus. Videſis R. P. de Montfaucon in ſuo Libro Gallico, inſcripto: *Hiſtoria Judith veritas* (b); vide etiam noſtram Præfationem in eumdem Librum, & pro contraria ſententia D. Baſnagem *Antiquit. Judaic.* tom. 2. pag. 132. &c.)

I. PHUA, filius Iſſachar, & auctor familiæ Phuaitarum. *Num.* 26. 23.

II. PHUA, è Tribu Iſſachar, pater Tholæ Judicis Iſraelis. *Judic.* 10. 1.

III. PHUA, & SEPHORA, obſtetrices Ægypti, quibus Pharao injunxerat, ut Iſraelitarum maſculos, cum fœminas Iſraeliticas partu levarent, omnes ſuffocarent, fœminis tantùm parcentes (c). Eas fœminas Ægyptias fuiſſe Joſephi teſtimonio quamplures aſſeruerunt (d). Verùm S. Auguſtinus *contra Mendac.* c. 15. aliique nonnulli, Iſraeliticas fuiſſe genere credunt. Autumant Rabbini, *Phuam* eamdem eſſe cum Jocabed matre Moyſis, & Aaronis; Sephoram verò eamdem cum Maria filia Jocabed; quod tamen ægrè credimus, quamquam Hebræas illas fuiſſe, deducto ex obſequio earum in Deum argumento, conjicimus. Quid? quod Hebræi adeò ab Ægyptiis abhorrentes, fœminarum ejuſdem gentis operâ in excipiendis ſuorum è partu filiis uſos fuiſſe, vix in animum inducimus.

Nec fortaſſe raræ erant obſtetrices in populo florentiſſimo: ſed Phua, & Sephora omnium notiſſimæ fuerunt *Exod.* 1. 17. &c. Porrò illas Regis juſſionibus morem non geſſiſſe, Deum reveritas, Scriptura prodit; quare à maſculis ſuffocandis abſtinuerunt. A Pharaone igitur accitæ, ut cauſam ſuam dicerent, reſponderunt, Hebræorum fœminas alterius opera ut ſe non conſueviſſe, ut partu levarentur; ſe enim prius expedire, quam obſtetrices adeſſent. Textus Hebræus ad litteram habet: *Hebrææ mulieres feræ beſtiæ ſunt*; nempè facilem experiuntur partum, inſtar belluarum. Hæc verba alii ſic reddunt: *Vivaces ſunt adeo*, ut obſtetrice non egeant. Porrò illas fictam excuſationem prætendiſſe vulgò creduntur (e); quamquam enim Ægyptiæ, atque Orientales mulieres faciliorem, quam apud nos, partum experiuntur, ut obſtetricum opera aliquando non indigeant (f), omnes tamen fœminas Hebræorum æquè commodum partum habuiſſe vix in animum inducimus. Quod verò à Deo fortè in illum obſervantiæ præmium acceperint, non mendacium in cauſa fuit, ſed pietas, & in Deum religio. *Remunerata eſt benevolentia, non fallacia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis* (g).

Pro eo verò, quod in Vulgata legimus: *Ædificavit Deus eis Domus*, nempe obſtetricibus, legit Hebræus: *Ædificavit eis domos*. Quæ verba ſunt, qui ad Pharaonem referant; quaſi domos ædificaverit obſtetricibus, ut eam pariendi tempus inſtaret, fœminæ Hebræorum ad illas convenientes, atque exceptos à partu pueros ſtatim Regis Præfectis exhiberent, eorum ſexui explorando (h). Alii verò ad Deum cenſent referenda, quaſi illæ florenti poſteritate eas fœminas donaſſet, quem illi ſenſum iiſdem verbis attribuunt: *Ædificavit eis Domus.* Sed conſultus Hebraicus Textus (i) ſatis indicat, non obſtetricibus, ſed de Hebræis verba illa eſſe intelligenda, quorum domos florentiſſima poſteritate Deus etiam atque etiam provexit.

PHUL, Rex Aſſyriæ 4. *Reg.* 15. 16. qui regnante in Iſraele Manahem, in ejus ditionem venit, illum enim ipſe Manahem acciverat, quo ejus armis in Regno aſſereretur *Oſee* 5. 13. promiſſo mille talentorum argenti pretio. Venit igitur Phul, ac tamdiù ſubſtitit, quamdiù integram pecuniam non exegiſſet. Porrò hunc Regem filium habuiſſe *Sardanapalum* conjicimus, qui nempe Sardanapalus patrium nomen *Pul*, ſive *Puh*, proprio *Sardan* adjecit; quemadmodum *Merodac* nomen *Baladan* proprio conjungens, appellatus eſt *Merodac-Baladan*. Hinc conjecturæ ſi deferamus, *Phul*, ſive *Pul* idem erat, ac *Anacindaraxis*, ſive *Anabaxares*, quem prophani Scriptores Sardanapalo patrem tribuunt (k). Stephanus Byzantinus eumdem vicum, *Cyndaraxem*, Julius Africanus

Acra-

(a) Vide Boll. 20. Martii, & Martyrol. ad eam diem Salazar. M. hiſp. Baſn. hiſt. des Juifs. t. 6. l. 8. c. 4. ...

(b) La Verité de l'Hiſtoire de Judith.

(c) Exod. 1. 15. 16. A. M. 2431. ante Chr. 1569. ante Ær. 1573.

(d) Antiq. l. 2. c. 5. Carthuſ. Lyr. alii.

(e) Aug. contra Mend. Greg. Magn. l. 18. Moral. c. 3.

(f) Vide Ludolf hiſt. Æthiop. l. 1. c. 14. Chard. voyage de Perſe. tom. 2.

(g) Aug. contra Mend. c. 15.

(h) Hebræi, Fag. Muis. (i) Exod. 1. 21.

(k) Athen. l. 7. & 12. Dipnoſoph. Strabo, Suid. Arrian.

Acratarum; Euſebius *Acrazapem* nuncupat. Phul primus eſt inter Aſsyriæ Reges, quorum nomen in Scriptura occurrat.

PHUNON, ſive *Phunon*, caſtrametatio Hebræorum in deſerto *Num.* 33. 42. 43. alio nomine dicta *Phano*, *Phaino*, & *Metallo-phanon*, quod metalli fodinis ferax eſſet. Sita erat inter Petram & Segor, authore Euſebio *in Phanon*; qui alibi eumdem locum quatuor millibus paſſuum à *Dedan* ſtatuit (a). Fodinas Phaeni adeo lethalem vaporem exhalare tradit S. Athanaſius *Ep. ad Solitarios*, ut rei ad illas damnati intrà paucos dies exanimentur. In ſubſcriptionibus Conciliorum nonnulli Epiſcopi *Pheni* deprehenduntur.

Porrò ibidem æneus ſerpens a Moyſe erectus creditur, cujus aſpectu correpti ſerpentum veneno Iſraelitæ ſeditioſi ſanarentur. Non deſunt tamen, qui in caſtris ad *Salmonam* hæc contigiſſe autument. Quocunque autem acciderit in loco, res in Libris Numerorum ita deſcribitur. Itineris tædio correptus populus, murmur contra Dominum excitavit A. M. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452 *Num.* 21. 6. quamobrem Deus in populum ignitos ſerpentes (nempe ignam morſu inducentes) miſit. Hebræus legit *ſerpentes ſeraphim*, ſive *ſerpentes ardentes*, quod vulgo de *praſtero*, ſerpentis genere, cujus morſibus flamma quædam in vultu, totoque corpore ingens tumor inducitur (b). Iſaias 14. 29. & 30. 6. luculentiſſimè tradit, *ſaraph* anguem fuiſſe alatum, cujus generis in Arabia, & in Ægypto occurrere ambigit nemo (c). Vide *Serpens*.

Addit Moyſes: *Venerunt Iſraelitæ ad Moyſem, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te; ora, ut tollat à nobis ſerpentes. Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno* (levatum nempe in haſta,) *quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur*. De hac eadem hiſtoria Jeſus ad Nicodemum: *Sicut Moyſes*, ait, *exaltavit ſerpentem in Deſerto, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Quæ per allegoriam de morte & cruce pro ſalute Mundi ab ipſo ſubeunda, intelligenda ſunt.

Alibi nos v. *Noheſtaa*, animadvertimus, ſerpentem hunc æneum uſque ad Regem Ezechiam apud Hebræos integrum perſeveraſſe; ſed cùm Rex ille pius occaſionem ſuperſtitionis ex eo capere populum intellexiſſet, confringi juſſit, atque per contemptum *Noheſtaa* appellavit (d).

PHUR, & *Phurim*, ſivè, ut Hebræi pronunciant, *Pur*, & *Purim*, ideſt *ſortes*. Solemnitas eſt Judæorum in memoriam jactæ contra populum ſortis ab Amano, illis infeſtiſſimo. *Eſth.* 3. 7. Cùm enim ille ineunte anno ſortium arbitrio electionem commiſiſſet menſis, qui cædi omnium Iſraelitarum, qua latè patet Perſarum Imperium, deſtinaretur, duodecimus ejuſdem anni menſis ſortitò contigit. Quæ ſanè viri ſuperſtitio, committendi nempe rem illam ſortibus, Judæorum ſaluti, ejuſque exitio fuit; Judæis enim tempus datum eſt, ut opera Eſtheris, uxoris Aſsueri, ex invidia ab Amano in ipſos creata, apud Regem liberarentur. Servandæ apud poſteros hujus prodigioſæ liberationis memoriæ, Feſtum *Phurim*, ſivè *Purim* inſtitutum eſt. Vide *Aman*, *Eſther*, & *Mardochæus*.

Vox *Phur*, ſivè *Pur*, Perſica potiùs eſt, quam Hebræa, ac ſortes exprimit; quare dum in Vulgata legimus: *Miſſa eſt ſors in urnam, quæ Hebraicè dicitur Phur*; vox illa *phur* non ad urnam referenda eſt, ſed ad *ſortem*. Porrò hoc Feſtum Judæi Suſis verſantes die 14. Adar, qui Februario reſpondet; cæteri verò per ditionem Perſarum die 15. ejuſdem menſis celebrabant (e). Hæc religio noſtra etiam ætate apud Hebræos non obſolevit, quam quidem his cæremoniis obſervant (f). Præviam Solemnitati diem jejunii tranſigunt, ob ſervatum ab Eſther & Mardochæo jejunium. In eam diem ſi fortè Sabbathum, vel dies ante illud occurrerit, utpote quæ jejunio violanda non ſunt, jejunium die 13. Adar ſervandum biduò prævertunt. In eo verò jejunio totum ſpatium à veſperis ad veſperas impranſi tranſigunt; eaque religione omnes æquè poſt annum 13. ætatis obligantur.

Eadem die ante Feſtum, eleemoſynas indigentibus erogant, quo lautiora in eadem Solemnitate convivia ſibi parantes, communem lætitiam privatis gaudiis augeant: in quam rem etiam partem ex appoſitis dapibus ad illos tranſmittere ejuſdem Solemnitatis die conſueverunt. Veſpere diei decimæ tertiæ, incipiente Solemnitate, in Synagogam convenientes, lampades incendunt, vixque ſyderibus conſpectis, ſtatim Libri Eſther lectionem exordiuntur. Hunc Librum totum legunt, ſtatiſque quinque locis Lector elata pro viribus voce, adeò horrendum clamat, ut fœminæ, & pueri terreantur. Cùm nomina decem filiorum Amani recitanda ſunt, uno ſimul nec reſumpto ſpiritu, omnia pronunciat; eo indicio omnes eodem tempore periiſſe demonſtrans. Quoties nomen Amani inter legendum recurrit, pueri percuſſis Synagogæ ſubſelliis, malleolis, ſivè lapidibus, atque ingentibus clamoribus ſublatis, obſtrepunt. Olim receptum ferunt, ut lapis quidam, Amani nomine inſcriptus, in Synagoga exponeretur; quem toto lectionis ſpatio lapidibus tundebant, donec penitus contererent.

Abſoluta lectione, domum ſeſe reducunt, lacte potiùs, quàm carnibus cœnaturi. Ad auroram alterius diei iterum ad Synagogam, ubi poſt lectum locum Exodi, in quo de bello Amalech, nova iiſdem cæremoniis lectio Libri Eſther inſtituitur. Inde iterum ad propria, ubi convivia ſolemniſſima inſtructa; atque indè diei reliquum in ludis & tripudiis uſque ad exceſſum tranſigunt. Qua occaſione nec mulieres virili amictu, nec viri muliebri, contrà Legis præſcriptum, abſtinent. *Deut.* 22. 5. quin & vinum ingurgitare uſque eo licitum eſſe docent Rabbini, ut ne inter hæc quidem, Maledictus ſit Aman, Maledictus ſit Mardochæus, diſcernatur (g). Olim confectum paleis viri ſimulachrum, quod Amanum appellabant, in ſupplicio ſuſpendere conſueverunt; ſed cùm ea cæremonia in ludibrium mortis Jeſu Chriſti uſurpata videretur, Imperatorum Legibus ſub privationis omnium privilegiorum pœna, ab ea deſiſtere juſſi ſunt (h).

PHURIM, vel PURIM. Feſtum Purim vel *Sortium*, quo ritu à Judæis celebratur, è Bacchanalibus veterum Paganorum plurimum refert. Oblectamenta, lætitiæ ſignificationes, convivia, compotationes maximum ſunt ejus Feſti momentum. Qui olim ultionis ſpiritus animavit Judæos Suſarum, hæreditate tranſivit in nepotes, qui totos ſe illi permittunt laxatis habenis; vini compotationes indulgent ſibi ad exceſſum, quòd ſcilicet reputant Eſther largiori vino perfuſo Aſſuero liberationem Judæorum impetraſſe. Jubent aſſiſtere omnes ea die Synagogæ, viros, fœminas, pueros, famulos, quòd ſcilicet omnes impetrata libertate compotes facti ſunt, ſicut omnes obvolvebat mortis diſcrimen. Munera ea die conferuntur à Diſcipulis in Magiſtros, à Patribus familias in domeſticos,

à Ma-

(a) Idem in Daudan; (b) Lucan. l. 9.
(c) Vide Herodot. l. 2. c. 76. & alios apud Boch. de anim. Sacr. p. 2. l. 3. c. 13.
(d) 4. Reg. 18. 4. circa A. M. 3278. hinc ſerpens manſit annis 1726.
(e) Vid. Eſt. 9. 18. 19. 21. & 2. Mach. 15. 39.
(f) Vide Schikard. orat. de feſto Purim, & Buxtorf. Synag. Jud. c. 4.
(g) Rabb. in Minhagim.
(h) Cod. de Judæis, & Cælicolis, L. Judæos.

Digitized by Google

à Majoribus in minores (a); uno verbo Feſta ſunt omnia convivalia, læta, juxta id quòd præſcribitur Eſther 9. 22. *Scripſit ut quartamdecimam & quintam decimam diem pro Feſtis ſuſciperent, eſſentque dies iſti epularum atque lætitiæ, & mitterent ſibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur.*

Biduo Feſtum perſeverat, at ſolemnitas exitu primæ diei terminat. Biduum illud nemini feriale eſt ſtato præcepto, ſed ferialem habent primam diem voluntate, non lege. Secundæ diei nulla eſt nova lectio in Synagoga, & Feſti ſolemnitas minor; lætitiæ tamen ſignificationes nonnullæ adhuc perſeverant. Cùm annus ad tredecim menſes prorogatur, geminatus eſt menſis Adar, i. e. cùm periodus duorum vel trium annorum clauditur, recurrit annus lunaris uno menſe major: tunc autem duo ſuccedentes menſes appellantur Adar, cujus geminati menſis ſedes eſt inter Februarium & Martium, ſecundus autem hic Adar appellatur *Ve-Adar*. Vide in Dictionario Biblico v. *Menſis*, & ſupra *Intercalatio*. Cùm igitur alter recurrit *Adar*, bis etiam Feſtum ſortium celebratur; majus *Purim* componitur cum 14. primi Adar, minus *Purim* cum 14. ſecundi, ſed minus hoc Feſtum prioris illius oblectamentis ita deſtituitur, ut nihil habeat de Feſto *Purim* præter nomen.

In Pervigilio Feſti (b) exigitur hemiſiclus indictus olim pro Templo; nunc autem largitio eſt pro iis, qui iter Jeroſolymitanum ſuſcipiunt religione quadam inducti, atteſtantes inſuper in eo ſolo mandari ſepulturæ pro ea, quæ Judæos omnes tenet, perſuaſione, futurum ſcilicet ut Judæi omnes eo redigantur ad extremam Judicii diem, & ſi non aliter, certè per ſubterraneos canales eò devolvi oportere.

Legitur Textus Eſther, non è Libro impreſſo vel è Codice ad modum vulgarium Librorum, ſed è volumine membranaceo, pro veteri more, & peculiari quodam atramento deſcripto. Poſtquam expanſum eſt volumen, tres intonantur preces agendis Deo gratiis, quod ſcilicet Judæos appellaverit ad eam cæremoniam, e diſcrimine illos liberaverit, ſervaverit uſque ad Feſtum ſuperſtites. Lectori fas eſt ea die ſedere, cùm alioqui ſtantes ſemper Legem perlegant. Claudunt lectionem maledicta in *Aman* & *Seres*, ejus uxorem, ac fauſta in Mardochæum, Eſther, ac tandem in Deum populi ſui conſervatorem. Feriæ obſervantur quàm religioſiſſimè, maximè prima Feſti die; affirmantque Judæi hominem quempiam, qui ea die linum ſevit, nihil penitùs collegiſſe.

Theodoſii II. Imperatoris edicto vetitum eſt Judæis (c); è patibulis ſuſpendere ſimulacra quædam, quæ Aman appellabant, ſubjectoque igne dein & patibulum & icones aſſumere; iniquum enim videbatur in Feſtis ſuis inſultare illos myſteriis Chriſtianæ Religionis. Lex illa in reſcripto ad Anthemium Præfectum Orientis publicata eſt per Orientem anno 408. Verùm triennio poſt Judæi quidam exceſſu compotationum atque tripudii metas tranſgreſſi, contra Imperatoris edictum *Aman* ſuſpenderunt in patibulum; ſuſpenderunt autem non fictum quoddam ſimulacrum, ſed Chriſtianum quendam juvenem, quem verberibus fœdè dilacerarunt adeo, ut tandem necaretur. Acta ſunt hæc in Urbe Inmeſtar ſita inter Chalcidem & Syriam. Procurſum eſt a Chriſtianis ad manus; acriter utrinque decertatum, cruentumque prælium fecit Judæorum in ea regione ingens multitudo. Certior de omnibus a Provinciæ Præſide factus Theodoſius in reos ſeditionis animadverti mandavit, quorum ſupplicio pacata ſunt omnia.)

PHUTH, tertius filius Cham. *Gen.* 10. 6. a quo regio, uti credimus, *Phtempha*, *Phtemphuti*, ſive *Phtembuti*, Plinio & Ptolemæo nota, cujus metropolis *Thara*, in Ægypto inferiori, Libyam verſus; vel ſaltem pater fuit incolarum *Phtemites*, cujus metropolis *Buthus*. Porrò de populis *Phuth* frequenter apud Prophetas; illos enim Jeremiæ ætate Nechao Regi Ægypti paruiſſe ibidem legimus. *Jerem.* 46. 9. & apud Nahum inter populos recenſentur, qui urbi *No-Ammon* ſivè *Dioſpoli* ſuppetias laturi erant. *Nahum.* 3. 9. Vide comment. *in Gen.* 10. 6.

PHUTIEL, vir, qui filiam habuit, matrem Phinees Summi Sacerdotis. *Exod.* 6. 25.

PHYLACTERIUM, vox Græca, quæ ſonat *amuletum*, qualibus Ethnici utebantur, ut à certis morbis, certiſque periculis immunes eſſent. Hinc appenſos geſtabant lapides quoſdam, ſive metalli laminas ſub certis aſtrorum aſpectibus inſculptas. Ea ſuperſtitio noſtrâ ætate apud Orientales vulgò obtinet: neque tantùm hominibus, ſed etiam brutis ſervandis adhiberi ſolet. Sed hujus generis phylacteria noſtri argumenti non ſunt. Ad nos igitur ſpectant phylacteria, de quibus Chriſtus in Evangelio *Matth.* 23. 5. *Phariſæi dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Porrò phylacteria vocabantur quædam chartarum volumina, quibuſdam Legis ſententiis inſcripta, quæ ſive fronti, ſive pulſibus lævæ manus alligabant. Hujus cæremoniæ rationem ex verbis Dei in Exodo 13. 9. repetebant: *Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum ante oculos tuos* (nempe Lex) & ex illis v. 16. *Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem inter oculos tuos.*

Has autem Legis ſententias in phylacteriis ſcribebant: I. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quàm de jumentis, mea ſunt enim omnia*, & cætera deincepa uſque ad ℣. 10. cap. 13. Exodi: II. ab illo Exodi 13. 11. *Cùm introduxerit te Dominus in regionem Chananæi &c.* uſque ad ℣. 16. ejuſdem cap. III. à verſu 4. cap. 6. Deut. *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter Deus unus eſt &c.* uſque ad ℣. 9. ejuſdem. IV. à ℣. 13. cap. 11. ejuſdem Libri: *Si ergo obedieritis mandatis meis &c.* uſque ad integrum verſ. 21.


De hiſce voluminibus apud Leonem Mudena hæc legimus (d). Quæ brachiis alliganda erant, in membranis quadratas literas deſcriptas habebant, atramento ad eam rem ſedulò confecto. Porrò membrana iſta circumvoluta in coni formam, in vagina vitulino corio munita recondebatur; cui deinde quadratum fruſtum ex eodem corio craſſiori ſuppoſitum; ex fruſtulo ligula coriacea pendebat digito lata, atque cubito & dimidio longa. His ita præparatis, volumen cubito lævi brachii commendabatur; quod deinde ligula, primo in ſe parvo nodo inſtar Jod circumvoluta, deinde ſpirali amplexu circa brachium contorta, vinciebat: ligulæ autem ſpira ad extremitatem digiti intermedii deſinebat. Hæc phylacteria Hebræi appellant *Teffila-ſchel-Jad*, nempe tephila manus.

Phylacteria frontis ex quatuor membranarum fruſtulis, ſingulis ſuis ſententiis inſcriptis, conſtabant. Hæc fruſtula inter ſe in quadratum conjungebantur; quibus deinde junctis, litera Schin præfixa erat. Tandem coriaceum fruſtulum vitulinum, è quo binæ ligulæ de more pendebant, membranis ſupponebatur. Hæc in medio frontis immota tenebant ligulæ, quæ capiti circumvolutæ, in occipite parvo nexu inſtar Daleth vinciebantur; ex quo deinde in anteriora iterum circa pectus reducebantur. Horum nomen apud Hebræos; *Teffila-ſchel-roſch*, nempè tephila capitis. Utuntur autem illis noſtra quidem ætate, dum preces matutinas perſolvunt, nec niſi religioſiores in precibus meridianis, ſpontanea tamen pietate. In oppoſitis Phylacteriorum figuris notant.

A. 1. A. 2. Tephila capitis cum eorum ligulis.
A. 3. Tephila capitis abſque ligulis.

A. 4.

(a) Leo Modena Cærem. Jud. part. 3. c. 10. (b) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 5. l. 7.
(c) Idem tom. 8. lib. 8. cap. 6. pag. 194. (d) Cerem. de' Giud. 1. part. c. 11. n. 14.



TEPHILIM, seu PHYLACTERIA IUDÆORUM.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

A. 4. Tephila capitis cum ligulis Judæorum Hiſpanorum ſeu Luſitanorum more innodatis.
A. 5. Tephila capitis cum ligulis Judæorum Germanorum more innodatis.
A. 6. Forma Tephilorum capitis.
B. 1. Tephila manus inverſa, & abſque ligulis.
B. 2. Forma Tephilorum manus.
B. 3. Tephila manus cum ligulis Judæorum Germanorum more innodatis.
B. 4. Tephila manus cum ligulis Judæorum Hiſpanorum; ſeu Luſitanorum more innodatis.
C. 1. 2. 3. Litera Hebraica Schin ש, ad Tephilim gerentis dexteram locanda.
C. 4. 5. Litera Hebraica Schin, quatuor habens ramos, & ad ſiniſtram Tephilim gerentis collocanda; Phylacterium ſcilicet ita eſt componendum, ut in illud geſtantis fronte Schin trium ramorum dexteram, Schin quatuor ramorum ſiniſtram illud gerentis ſpectet.

Non deſunt, qui crediderint, uſum Tephilim (hoc enim nomine Judæi, quæ Evangelium, phylacteria, appellant) ab ipſo Moyſe obtinuiſſe (a): quin & Interpretes quamplures ſuſpicantur, Chriſti ætate vulgò apud omnes adeò invaluiſſe, ut neque Jeſus ipſe illis abſtinuerit (b); quare putant, Phariſæos a Jeſu caſtigatos, non quaſi phylacteria præferrent, ſed quod cæteris ampliora & majora oſtentarent. Quam tamen receptam vulgò conſuetudinem adeo obtinuiſſe vix animum induco, ut credam. S. Hieronymus tradit, ſua quidem ætate, Judæorum, Indorum, Perſarum, & Babyloniorum religioſiſſimos eo ſuperſtitionis ſigno a cæteris diſcerni conſueviſſe. Non ergo vulgò idem mos apud Judæos obtinebat, & quidem trans Euphratæos; quid igitur cis Euphratem? (c). Idem S. Hieronymus tradit, Phariſæos integrum Decalogum in phylacteriis deſcripſiſſe. Mos obtinebat apud Fideles, contra quem S. Chryſoſtomus *hom.* 43. *in Matth.* invehitur, phylacteria collo appenſa, nominibus quibuſdam Angelorum Hebraicè, & ſententiis quibuſdam Evangelii inſcripta, geſtare. Eadem etiam S. Hieronymus, & Gelaſius Pontifex damnarunt (d).

PIGMÆUS. Vide *Pygmæus*.

PILA, urbs Palæſtinæ. Quo loco legimus: *Ululate habitatores Pilæ*; *Sophon.* 1. 11. Hebræus habet, *Habitatores Machtes*, ſive, Habitatores *Dentis molaris*, vel habitatores *Mortarii*. Porrò *Machtes* de molari dente uſurpatur in hiſtoria Samſonis, *Judic.* 15. 19. ubi ut fortiſſimo viro potum præberet, Deus è molari dente, ſive è ſilice, dentis ſimilitudinem referente, aquæ venam eduxit; unde loco nomen manſit *Lechi*, ſive *Machtes*. Hinc credimus, eum locum præ oculis habuiſſe Sophoniam; ejus incolis clamorem indicens, quod illis vaſtatio immineret. Vide *Lechi*.

Sunt ex Interpretibus, qui nomen *Machtes* apud Sophoniam de Jeroſolyma dictum interpretentur; illa enim figurato ſenſu mortarium exhibebat, in quo cives omnes tundendi poſt captam urbem a Nabuchodonoſore (e). Quin & Hieronymus *in Sophon.* ſentire videtur, *Machtes* nomen eſſe vici in Jeruſalem, ad fontem Siloe; quem locum, fortè quod cavus eſſet, mortarium appellarunt; Rabbi Salomon de Tiberiade explicat, quæ in imo ſolo poſita, totius regionis humillima erat. Chaldæus tandem de valle Cedron interpretatur.

PILATUS, *Pontius Pilatus*, cujus genus, & patria latent; quamvis Romanus, vel ſaltem Italus vulgò credatur (f). In Præfectura Judææ Grato ſuffectus eſt, anno 26. ſive 27. Æræ, quam ab anno 12. ſive 13. Tiberii, uſque ad 22. ſive 23. ejuſdem, ſpatio 10. annorum adminiſtravit (g). Vir erat ingenio fervido, & pervicaci, qui Judæa turbata, ſeditionis, quæ deinde ſecuta eſt, fomitem exhibuit. Cùm exercitum ſuum Cæſarea Jeroſolymam in hyberna miſiſſet, inferri in urbem juſſit ſigna, Imperatorum imaginibus picta, quod alii Præſides ne unquam contingeret, ſollicitè caverant, ne Judæorum invidiam ſubirent, qui imagines omnes ſibi religione interdictas autumabant. Pilatus probè illud ſciens, noctu eadem ſigna, ac velata introduci curavit. Manè igitur re detecta, Judæi undique ex agro concurſum in urbem fecere, ac deinde omnes turmatim Cæſaream ad Pilatum ſupplices convenere, orantes, ut imagines tolleret. Recuſante Pilato, populus quinque ſolidis diebus, ac totidem noctibus ſupplex permanſit, neque receſſurus videbatur.

Quare ſexta die erecto Tribunali in foro Cæſareæ, Pilatus poſtquam aſſedit, acciri juſſit Hebræos, quaſi reſponſum illis daturus; ſed diſpoſitis circum militibus, coactum populum medium excipi, atque niſi recederent, cædem minitari juſſit. Tunc Judæi prono in terram vultu, colla omnes præbere, quaſi mortem expoſcerent. Tantam virtutem admiratus Præſes, imagines tandem Cæſaream reduci juſſit.

Non abſimilem hiſtoriam Philo ſub eodem Præſide contigiſſe narrat (h). Scuta antea in Herodis Regia collocata Cæſari conſecrare ſtatuerat. Quamquam autem nullis aſpera ſignis ſcuta illa exhibebantur, conſecratio tamen Judæorum religionem offendit. Facto igitur undique populi concurſu, Magiſtratus una cum 4. filiis Herodis, turbia præeuntibus; Pilatum convenerunt, deprecaturi, ne ſuas Leges perſunsari juberet. Præſes obſecrantibus pervicaciſſimè reſtitit: illi contra inſtabant minitantes omnia ſe tandem coactos ad Cæſarem delaturos. Pilato ingratiſſima contigiſſet Judæorum ad Cæſarem legatio, verito, ne ſcelera ſua auribus Principis committerentur; nequidquam tamen exorari ſe paſſus eſt. Quare Judæi à legatione quidem abſtinuerunt, ſed datis ad Tiberium literis, Principis opem implorarunt. Tiberius his acceptis, eadem die ad Præſidem reſcribens, factumque improbans, ſcuta quamocius tolli juſſit.

Hiſtoriam quandam de occiſis inter ſacrificia Galilæis nonnullis juſſu Pilati Evangelium inſinuat (i); cujus rei nuncio ad Chriſtum relato, ait Chriſtus: *Putatis, quod Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis; ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Quinam Galilæi iſti fuerint, incertum. Sunt, qui ſectatores credant Judæ Gaulonitæ (k), illius, qui tributa extraneis Principibus Judæos pendere non poſſe dicebat; ſed hujus opinionis ſolida fundamenta deſiderantur. Alii malunt (l), Samaritanos illos fuiſſe, quos ab impoſtore quodam inductos (m), montem Garizim ſpe theſauri effodiendi mox aſcenſuros, Pilatus ſuperveniens trucidavit; ſed hæc ſecundo ab obitu Chriſti anno, & 35. Æræ contigiſſe conſtat.

In Paſſione Chriſti Pilatus, quippè qui nonniſi Judæorum invidiæ & odii reum illum noverat, pro ejus liberatione operam aliquam impendit, *Matth.* 27. 18.

(a) Orig. Chryſoſt. Hieron. Euthym. in Matt. (b) Ligtfoot. Scalig. Maldon. alii.
(c) Hieron. in Matt. 23. ita & Theoph.
(d) Vide Buxtorf. Synag. Judaic. c. 4. &c. (e) Sanct. Tirin. Ribera &c.
(f) Petrus Comeſtor è loco in Delphinatu, non longè à S. Valier. ad Rhodanum illum acceſſit. Theophylactus in Matth. 27. è Ponto, ex quo illi nomen Pontius.
(g) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 5. (h) Legat. ad Cajum; quo anno, incertum.
(i) Luc. 13. 1. &c. A. Chr. ſive Ær. 32
(k) Vide Theoph. Euthym. Grot. Brug. &c.
(l) Maldon. Bez. (m) Antiq. l. 18. c. 5.

27. 18. Ejus ad eam rem animum ſollicitavit uxor, (a) quam ad pium illud pro inſonte officium moleſta quædam ejus noctis inſomnia inſtigaverant, *Matth.* 27. 19. Pilatus igitur Judæorum furorem lenire, damnato ad flagra Jeſu, tentavit, *Jo.* 19. 1. *Matth.* 27. 26. &c. inde rationem ejus liberandi inivit, propoſita ſive Barabbæ, ſive Jeſu in Solemniis Paſchalibus dimiſſione, *Matth.* 27. 16. 17. 20. 21. 26. *Jo.* 18. 39. 40. Denique cauſam hanc ad Herodem Regem Galilææ devolvere conatus eſt, *Jo.* 23. 7. 8. Cùm fruſtra ſe cum Judæis laborare intelligeret, clamantem etiam populum audiens, res Cæſaris illum proditurum ſi Jeſum dimitteret, *Jo.* 19. 12. 15. tandem allatâ ſibi aquam ad lavandum jubens, lotis manibus omnem à ſe effuſi ſanguinis innocentis culpam amovit, *Matth.* 27. 23. 24. ſtatimque cruci tradendum militibus permiſit. Sunt iſta quidem ad abſolvendum ab omni criminis ſuſpicione Jeſum Chriſtum apertiſſima; ſed tanta profectò non ſunt, ut ab omni impietatis, atque injuſtitiæ nota Præſidem, aſſertorem nempe innocentiæ, & calumniæ vindicem, eximant.

Cruci autem titulum præfigendum juſſit in hanc ſententiam Latinè, Græcè, & Hebraicè exaratam: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, *Jo.* 19. 19. Reclamantibus quibuſdam Judæis, atque ita corrigi poſtulantibus: Jeſus Nazarenus, qui Regem Judæorum ſeſe jactitavit, Pilatus nihil ſe correcturum profeſſus eſt. Sub veſperum requiſitus, ut corpora è cruce demitti ſineret, neque enim decebat Paſchalem Solemnitatem, ſubſequenti die recurrentem, eo aſpectu funeſtare, ultro conceſſit, *Jo.* 29. 31. Acquievit etiam Joſepho ab Arimathia, Jeſu Chriſti cadaver, ne ſupremo honore fraudaretur, poſtulanti, *Jo.* 19. 38. Tandem Sacerdotibus, qui ſupplicium Jeſu Chriſti ſollicitaverant, rogantibus, ut cuſtodes ad ſepulchrum mitteret, ne fortè cadaver à Diſcipulis Jeſu ſubriperetur, reſpondit, nec milites illis, nec copias deeſſe, quas in cuſtodiam diſponerent, *Matth.* 27. 65. Hæc de Pilato in S. Scriptura.

S. Juſtinus Martyr, Tertullianus, Euſebius (b), atque cùm veterum, tum noſtræ ætatis Scriptorum turba, morem apud Romanos obtinuiſſe tradunt, ut omnium Judiciorum ſuorum cauſas & Acta ſcriptis tradita, ad Cæſarem tranſmitterent. Hinc Pilatum cauſæ Jeſu Chriſti certiorem feciſſe Tiberium, pro recepta conſuetudine, perhibent. Tiberius igitur omnium certior factus, ſcriptis ad Senatum literis, neque Religionem Chriſtianam improbare, quin & optare, ut Divini honores Jeſu Chriſto decernerentur, viſus eſt. Verùm Senatu aliter ſentiente, res non proceſſit. In his Actis, ut ex verbis S. Juſtini colligere videmur, de prodigiis Jeſu Chriſti, quin & de veſtibus inter milites diviſis agebatur. Nec Reſurrectionem & Aſcenſionem ſilentio in illis prætermiſſas Euſebius inſinuat. Tertullianus, & S. Juſtinus ad Acta illa Lectores ea aſſertione remittunt, quaſi præ manibus eſſent.

Attamen nec Euſebium, nec S. Hieronymum, harum rerum ſtudioſiſſimos, ſimul & verſatiſſimos, nec Scriptores alios poſt ipſos, vidiſſe unquam Acta illa ſaltem ſincera, & originalia, apparet. Saltem, inquam, ſincera; quæ enim hodiè magno numero circumferuntur, nec vetera ſunt, nec inter ſe conſtant. Ineunte ſæculo quarto, Ethnici ejuſdem argumenti ſcriptiunculam ſuppoſuerunt (c), Jeſu ſanè parum honorificam, ac proindè longè aliam ab ea, quam S. Juſtinus, & Tertullianus ſecundo ſæculo laudarunt. Sua erant Quartodecimanis Acta Pilati, eorum errori faventia (d), alia tamen illa, uti credimus, ab iis, quæ Ethnici ſuppoſuerant; vix enim in animum inducimus, illos, licèt tum Chriſtianos, Ethnicorum ſcriptis uſos fuiſſe. Quid? quod Acta Ethnicorum Chriſti obitum ad diem 18. Quartodecimanorum verò ad 25. Martii conſignabant? Hæc tamen Acta ab iis etiam, apud quos memorantur, uti à S. Epiphanio, inter apocrypha rejecta ſunt. Sanctus Gregorius Turonenſis *hiſt. Franc.* l. 1. c. 21. ſe quidem Acta genuina habere putavit; ſed hiſtoria, quam ex illo laudat, eadem in Evangelio Nicodemi frequenter ſuppreſſo (e) deprehenditur. Porrò in hiſtoria illa legimus, Nicodemum à Sacerdotibus in conclave quoddam detruſum fuiſſe, nec alia, quàm Sacerdotibus, ejus cuſtodiam commiſſam. Fruſtra tamen hæc; ſiquidem parietibus ejuſdem conclavis Angelorum opera in aëra ſublatis, evadendi è carcere viro poteſtas facta eſt; quo elapſo, parietes in priſtinum reſtituti ſunt. Cùm Pontifices cadaver Jeſu à militibus, quorum cuſtodiæ commiſſum erat, repeterent, illi viciſſim Nicodemum à Sacerdotibus popoſcerunt; ſicuti enim reſtituere Nicodemum virum Deo beneficum Sacerdotes haud poterant, ita ipſi quoque Jeſum Filium Dei. Ad hæc rubore ſuffuſi Sacerdotes, milites remiſerunt. Hæ porrò fabellæ ſatis, quantùm arbitror, demonſtrant, Evangelium illud, quod adhuc extat, inter apocrypha, nullo dubitante, eſſe amandandum (f).

Extat epiſtola quædam Pilati ad Tiberium, quæ in recapitulationibus Pſeudo-Hegeſippi (g), & in Scripto quodam Marcelli Diſcipuli S. Petri nomine vulgato (h), quin & in Chronico Martini Poloni, & in Bibliotheca Sixti Senenſis *Biblioth.* l. 2. inſerta legitur, his verbis: *Pontius Pilatus Claudio* (i) *Imperatori ſalutem. Nuper contigit, cujus rei ipſe teſtis eſſe poſſum, Judæos ſeipſos, poſteroſque ſuos univerſos per invidiam crudeli damnatione perdidiſſe. Cùm enim ex oraculorum promiſſis majorum ſuorum authoritate reciperent, hoc expectarent, ut Deus illorum per Virginem juvenculam mitteret, qui jure Rex eorum diceretur, hunc me præſente miſit in Judæam. Is, quod omnibus notum eſt, cæcos viſum reſtituebat, leproſos mundabat, reſolutos nervis curabat; viderunt quoque ipſum Dæmonia abegiſſe, atque obſeſſos Spiritibus immundis liberaſſe: mortuos item è Sepulchris ipſe reſuſcitavit; imperabat ipſe ventorum turbinibus, ſiccis pedibus ſuper undas ambulabat; fecit alia quoque permulta miracula, ut vulgò etiam inter Judæos, & plebem Dei Filius diceretur. Principes verò Sacerdotum æmulatione & livore inſtincti, adverſabantur illi; captumque illum mihi tradiderunt, confictis ſceleribus enormem facientes, Magum appellabant, atque Legis eorum deſtructorem, & contradictorem. Quibus perſuaſionibus ſeductus ego, fidem querelis eorum adhibui, flagellatumque ipſis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent. Crucifixerunt igitur illum, & ſepulchro, quo conditus erat, cuſtodes adhibuerunt; inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die ipſum à mortuis reſurgentem viderunt. Nequitia autem Judæorum magis hoc facto exarſit, numeraruntque magnam pecuniarum vim ipſis militibus, quatenus Diſcipulos ipſius noctu corpus rapuiſſe prædicarent. Acceperunt quidem pecunias; nihilominus tamen publicè profeſſi ſunt, atque teſtantur, ſe viſiones Angelorum vidiſſe, ac Jeſum illum à mortuis verè reſurrexiſſe. Hæc autem ideò ſcripſi, ne quis magis ad mendacia Judæorum, ſi de re geſta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale.*

Aliam

(a) Vide v. Procula quod fœminæ illi nomen ab aliquibus tribuiſſur.
(b) Juſt. Apolog. 2. Tertull. Apologet. c. 5. 21. Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 2.
(c) Vide Euſeb. l. 9. c. 5. (d) Epiph. hæ. 50. c. 1.
(e) Vide Evang. Nicod. cap. 13. & 15. (f) Vide Fabric. apocr. N. T.
(g) Biblioth. PP. t. 7.
(h) Vide apud Florent. vetuſt. Martyrol. p. 105.
(i) Tiberium ex Claudia familia fuiſſe tradit Sueton. in Tiber. c. 1. & 42.

Aliam etiam Epiſtolam Pilati ad Tiberium, uti quidem inſcribitur, vulgavit Florentinus *Martyrol. Vetuſt. p.* 113. & alteram refert Hieronymus Xavier, in Hiſtoria Jeſu Chriſti Perſicè ſcripta. Apud Bollandiſtas *ad diem 4. Februarii* legimus fictam quamdam hiſtoriam Jeſu Chriſti à Pilato ad Tiberium tranſmiſſam. Græcam alteram ex Ms. Colbertino, notato n. 2493. Fabricius *in Append. apocryph. N.T.* vulgavit: nec melioris notæ aliam Græcam laudavit Cotelerius ex Ms. Bibliothecæ Regiæ ſignato n. 2431. Verùm hæc omnia nihilo meliora ſunt, quam quæ ſupra retulimus. Præterea Epiſtolam Lentuli ad Senatum ejuſdem argumenti, Lentuli, inquam, quem Pilato ſuffectum in Præfectura Judææ ferunt. Porrò in ea Epiſtola mira de prodigiis Jeſu Chriſti prædicantur. Illum verò procero corpore virum fuiſſe deſcribit, vultu auguſtum, ingenio mitem, ſeveritate quadam admixta, ut ſimul & amorem, & venerationem conciliaret; coma verò vini colore infecta, & nitenti, quæ ad aures uſque protenſa, deindè criſpanti undulatione in ſcapulas diffluebat: barba ejuſdem coloris promiſſa, & bipertita: oris color albus, rubro miſtus, oculi cærulei. Porrò Epiſtola hæc frequenter typis vulgata, non melioris notæ, quàm Acta Pilati, cenſetur.

Ut ad hiſtoriam Præſidis regrediamur, anno circiter à morte Chriſti, aquarum rivos Jeroſolymam deducere per aquæductus ſuſcepit (a). Porrò aquæ illæ 200. circiter ſtadiis ab Urbe, nempe 7. vel 8. leucis repetendæ erant; quare tantum opus moliſtus Pilatus, pecuniam ex Ærario Sacro extraxit. Ea res populi ſeditionem concitavit; ſtatim enim coeuntes turbæ contra Præſidem clamarunt, neque a jurgiis etiam contra illum & maledictis abſtinebant. Pilatus igitur urbem ingreſſus, milites quamplures ementitis veſtibus populo admiſceri curavit; coactus deinde ad concionem populus, cùm clamoribus verbiſque procacibus furere cœpiſſet, milites ſtatim, dato ſibi à Præſide ſigno, rotare arma, obvios quoſcumque, nullo facto inter ſontes inſonteſque diſcrimine, cædere, atque vulnerare cœperunt. Hinc ſeditio quievit.

Inde Joſephus *Antiq. l.* 18. *c.* 5. hiſtoriam Samaritanorum ſupra à nobis inſinuatam narrat. Impoſtor quidam frequentem turbam collegerat, illis ſe vaſa quamplurima pretioſiſſima à Moyſe in monte Garizim condita, revelaturum pollicitus. Quare illi ea ſpe illecti, arreptis armis, omnes ad vicum Tirarabam convenerunt, eum Ducem in aſcendendo monte ſecuturi. Pilatus re audita, faſtigio ſuis equitibus, & peditibus occupato, inde in Samaritanos impetum fecit; quos, pluribus occiſis, fudit, captoſque ſeditionis authores capite damnavit. Acres ea de re querelas Samaritani coram Vitellio Syriæ Præſide inſtituerunt, obtendentes coactas ad Tirarabam copias, non ſeditionis excitandæ, ſed violentiæ Pilati retundendæ conſilio. His auditis, Vitellius miſſo viro ſibi amiciſſimo Marcello, qui Provinciam adminiſtraret, Pilatum actutum cauſam ſuam coram Imperatore dicturum Romam miſit. Pilatus igitur anno 36. Ær & 23. Tiberii Judææ præfectura exauthoratus eſt; Romam tamen nonniſi poſt obitum Imperatoris pervenit.

Quem deinde exitum ejus cauſa habuerit, incertum: vetuſtiſſima tamen traditione vulgatum eſt (b), Viennæ in Delphinatu exulantem, in eas anguſtias redactum fuiſſe, ut necem ſibi conſciſceret. *Euſeb. l.* 2. *c.* 7. *Oroſ. l.* 7. *c.* 5. Quam hiſtoriam accepiſſe ſe Euſebius teſtatur ex Scriptoribus, qui Romanam hiſtoriam per Olympiades digeſſerunt, ſcilicet uti quidem videtur, ex Phlegonte Adriani Liberto. Extat ſupra Luceriam in Helvetiis Lacus (Pilati appellant), in quem virum illum ſe conjeciſſe ferunt, dum è loco exilii dilapſo, milites fugienti imminerent. Vulgò etiam dictitant, certa anni die ſpectrum quoddam Judicem referens ibidem apparere ſtatim, ac deinde in aquis demergi. Haſce verò aquas, ajunt, ſi quis re aliqua injecta turbaverit, ſtatim in univerſa regione procella conſequitur; quod proinde ne forte contingat, eò tendentes ſerio monent. Sed vulgarem fabellam rident, qui regionis deſcriptionem, ſedulò rem conſiderantes, exhibuerunt (c).

In Dictionario Biblico Cl. Simonii ſeptem vel octo ſententiæ Pilati referuntur, vel potius eadem variè apud varios, omnes tamen ſequioris ævi Scriptores, ut S. Anſelmum *de Paſſione*, S. Vincentium Ferrerium, Lanſpergium, Guillelmum Pariſienſem, Evangelium Nicodemi, Carthagenam, Sempronianum, Adrichomium, occurrens. Speramus tamen veniam nos facilè impetraturos, ſi eas fabellas neglexerimus, cum potiſſimum nihil in Evangelio appareat, ex quo ſententiam in ea re aliquam Pilatum tuliſſe credamus. Permiſiſſe enim tantummodo reum Judæorum furori memoriæ proditum eſt. *Matth.* 27. 26. *Marc.* 15. 15. *Jo.* 19. 16. *Luc.* 23. 24. quod longè aliud eſt, quam prolata ſententia illum damnare.

(Præſidem hunc ita depingit Philo Judæus *de legat. ad Caium*, ut exhibeat Judicem pretio vendentem juſtitiam, & ſententiam quam quis maxime voluerit accepta pecunia reddentem. Proſequitur rapinas ejus, injuria plura, cædes, tormenta inſontium, ac tandem ea, quæ nulla ſervata judiciali cautione præſtari mandaverat; uno verbo velut hominem deſcribit, qui Præfecturam egit inſigni crudelitate ſæviſſimam.

Quod attinet ad epiſtolam Pilati ad Tiberium, legebatur olim in Eccleſiis Gallicanis, quam pariter nactus ſum in vetere M. S. Luxovienſi, unde R. P. Mabillon accepit quidquid publico communicavit de Curſu Gallicano.

Popularis Viennenſium in Delphinatu traditio fert, Pilatum relegatum eò fuiſſe, idemque pariter ſolum patrium habuiſſe. Retinet hodie nomen *Prætorii Pilati* vetuſtum quoddam ejus Urbis ædificium in formam Templi, quod appellant *Notre Dame de la vie*. Hac populi opinione ducti Magiſtratus, inſcriptionem hanc ædificii fronti impoſuerunt: *Hoc eſt pomum ſceptri Pilati* (d). D. Chorier in ſuis Antiquitatibus Viennenſibus fabellas haſce refutavit; tenet autem memoriam hominis Itali appellati *Humbertus Pilatus* fucum feciſſe populari traditioni, quæ turri in ſolo Viennenſi proximè ad Rhodanum indidit nomen *Turris Pilati*, ſicut & domus quædam in agro juxta S. Vallier nuncupatur: *Domus Pilati &c.*

PILI. Levitæ qua die ſervitiis Domini conſecrati fuerunt, juſſi ſunt Lege *radere pilos omnes carnis ſuæ*; veſteſque ſuas lavare, inſpergique luſtrali aqua; ac præſtitis Sacrificiis, tum manu Aaronis Domino oblati ſunt *Num.* 8. 7.

Simili lege præſcriptum erat leproſis *Levit.* 14. 8. 9. radere pilos omnes corporis, qua die luſtrandi erant expiandique. Id autem ideo injunctum, quò deſignaretur optare ſe ut nihil remaneret in corpore, quo vitium aliquod occultaretur, detecta velle omnia, ut puri eſſe prorſus & mundi intelligerentur.

PILI CAPRARUM, quibus Moyſes uſus eſt in conficiendis velaminibus Tabernaculi *Exod.* 25. 4. *&c.* Veteres recentioreſque Scriptores omnes affirmant capras in Aſia, Phrygia, & Cilicia vellere tegi promiſſo, quo detonſo utuntur in pannis. Album id vellus capratum eſſe dicit Bellonius Obſerv. l. 2. c. 182. tenuiſſimum, nitidiſſimum, ad terram uſque prolixum, & fulgens adeo, ut ſerico non multum concedat, nec tonderi unquam, ſed pectinibus avelli; hæc omnia Busbequius, Iter Amaſen. Lavare capras illas in profluentibus ſollicitè curant Paſtores. Porrò lanam caprinam nent ad collum fœminæ, deferuntque

(a) Joſeph. l. 18. c. 14. Antiq. circa A. Ær. 34. (b) Ado Chron. Act. 7.
(c) Vide Geſner. in deſcript. ejus loci, & Hofm. in Dict. v. Pontius Pilatus.
(d) C'eſt ici le pomme du ſceptre de Pilate.

Angoram, ubi in pannos intexitur, imbuiturque ſolibus egregiè. Ejus mercis Emporia ſunt hodie Angoræ & Alepi. Videlis pariter Ariſtotelem, Hiſt. anim. l. 8. c. 18. 22. Plin. l. 8. c. 10. & Varron. de re ruſtica l. 2. & Virgil. Georgic.

D. Tournefortius, Itiner. to. 3. pag. 333. &c. æri incidi curavit capellas illas Angoritanas, vellutas, quas eſſe dicit omnium, quotquot in mundo, pulcherrimas, eaodoreque ſuo oculos præſtingere. Tenuitate lana illa ſericum æquat, ac ſponte in cincinnos 8. vel 9. pollicibus oblongos plectitur. Fabricatur ex ea lana egregia paonorum textura, ac maximè quos appellant, *Camelot*, *Cameloti*. Porro ejuſmodi capræ nullibi ſpectantur, niſi in ſolo 4. vel 5. dierum itinere ab Angora & Reibaſar. Hinnuli illarum degenerant longiùs tranſlati, facilè quòd alibi opimiora ſint quàm in deſignatis illis locis paleua. Porrò lanæ illæ venduntur à quatuor libellis adusque duodecim vel quindecim in ſingulas *ocas*, quin nec deſunt quorum ſingulæ ocæ aſcendant ad pretium 20. aut 25. ſcutorum, quod tamen pretioſiſſimi velleris genus unicè reſervatum eſt conficiendis pannis ad uſum aulæ Othomannicæ.

Opifices Angoræ pannos conficiunt ea impermixto vellere caprarum; cùm Bruxelienſes noſtri, qua inducti ratione ignoro, ſtamen ovinæ lanæ addant. In Anglia è pilis hiſce caprarum aliquid rude tamen & non ad colum ductum admiſcetur in capillamentis fictitiis.

PILI CAMELORUM. S. Joannes Baptiſta induebatur ſago è pilis camelorum Matth. 3. 4. Marci 1. 6. non pelle quidem cameli, ut à pictoribus atque ſculptoribus noſtris exhibetur interdum: ſed ut jam innuimus, ſago è pilis camelorum. Porrò animal illud præfert in certis quibuſdam corporis partibus ſericum tenuiſſimum, ex quo pretioſi operis panni; ſed ejus ſetæ aſperiores ſunt nec aptæ niſi ad pannoſa & rudiora ſaga. Notat hæc author Operis Imperfecti in S. Matthæum impreſſi inter Opera S. Chryſoſtomi. Refert Ælianus, hiſt. Anim. lib. 17. cap. 34. camelos eſſe quoſdam in locis circa mare Caſpium ferentes lanam tenuem adeò & carbaſinam, ut lanæ Mileti nihil concedat; confectiſque ex illa pannis veſtiti Sacerdotes, ac ditiſſimos quoſque ejus regionis. Suſpicantur nonnulli pannum *Camelot*, *Camelotto*, nomen ſuum referre è Camelo, quod ſcilicet è camelorum vellere texerentur; hodie tamen ejuſmodi pannorum artificium cameli nihil habet.

PINNACULUM *Templi*. Diabolus poſt tentatum Jeſum Chriſtum in deſerto *ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te. Matth.* 4. 15. Pinnaculum hoc Templi erat facilè Porticus ſeu lorica murorum regnans circa tectum illius ædificii, quod peculiariter Templum appellabatur. Conſtat enim in Palæſtina ædea areas habuiſſe ſuperiores lorica murorum ſeptas, ut lapſus prohiberent, quæ etiam cautio in Lege præſcripta eſt, Deut. 22. 8. Docet Joſephus Antiquit. lib. 6. cap. 6. in Latin. Templi culmen munitum fuiſſe cuſpidibus aureis præaltis, quibus prohiberentur ab acceſſu aves, ne tectis illis inſidentes fœditate aliqua ſanctitatem ædificii violarent. Non igitur ſuper tectum illud conſtitutus fuit Jeſus Chriſtus, ſed ſuper loricam murorum circùm regnantem.)

PINCHAS. Ita nomen *Phinees* ab Hebræis pronunciatur.

PINUS, arbor notiſſima, è genere abietum. Homo, ait Iſaias 44. 14. pinum plantavit, ex qua deindè Idolum finxit. Hebræus habet *oren*, quod Septuaginta, & S. Hieronymus reddiderunt *pinum*; alii *ulmum*. Alibi etiam in Vulgata *Iſa.* 60. 13. *pinus* occurrit; ſed Hebræus legit *thaſſur*, quod Septuaginta *cedrum*; alii *ulmum* vertunt. Tandem quo loco Vulgata 2. *Par.* 11. 8. legit *pinum*, in Hebræo eſt *algumim*; quod de omnibus æquè gummoſis arboribus uſurpatur. In Hebræo 2. *Reg.* 10. 11. non *algumim*, ſed *almugim* occurrit; quòd à Rabbinis explicatur corallium, ab aliis *ebenum*, ac tandem *braſilicum lignum*. Porrò plantarum, de quibus in Hebræo, cognitio ferme omnium in obſcuro eſt (a).

(PISCES. Quæſtio agitatur quomodo piſces obtulerint ſe Adam in Paradiſo terreſtri, ut peculiaria ſinguli nomina referrent, agnoſcerentque illum in principem, quemadmodum à brutis cæteris factum eſt. Negat S. Auguſtinus, de Geneſ. ad lit. lib. 9. cap. 12. oblatos illos coram Adamo; cenſet autem primum illum hominem vel poſteros paulatim nomina piſcibus impoſuiſſe, prout ſinguli revelabantur; ſufficere autem iſta ad aſſerendam Moſaicæ hiſtoriæ fidem. Factu utique erat impoſſibile, ut animalia in mari tantùm & in aquis ſpitantia ad illum omnia reducerentur in horto Eden, & in amnibus illum perluentibus.

Docuerunt Rabbini quinta creati mundi die Deo producente lucem vidiſſe duos immanes piſces, quorum unius vitam prorogandam eſſe uſque ad extremum tempus, ut Deus cùm illo ludens diem fallat, juxta illud Pſalmiſtæ 103. 26. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*. Alterum verò, inquiunt, necavit Deus, parataſque ſale carnes ſervat ad convivium Electorum in exitu Mundi. Apage ſabellas.)

PISCES, Hebraicè *Dag*, in reptilium cenſum vulgò ab Hebræis relati. Singulorum piſcium nomina Hebraica, rara quidem in S. Scriptura leguntur, imò an aliquid occurrat, prorſùs ignoro. Moyſes omnes ſimul piſces lacuum, fluminum & maris, in eſum permittit. *Levit.* 11. 9. *&c. Deut.* 14. 9. 10. dummodò ſquammis, & alis inſtructi ſint; utrinſque verò carentes rejiciendos jubet. Singulos tamen piſces nuſpiam recenſet. S. Barnabas in ſua Epiſtola tanquam ex Scriptura hanc ſententiam laudat: *Neque muranam, neque polypum, neque ſepiam comedetis*. De ceto, & crocodilo in ſuis articulis egimus.

PISCINA PROBATICA, lotioni ovium & hircorum ad uſum ſacrificiorum deſtinata; undè nomen *Probatica* ex Græco *probaton*, ovis. Vide *Bezth-ezda*, ſivè *Beth-zaida*.

PISCIS, qui Jonam deglutiit. Hunc vulgo Interpretes balænam fuiſſe, quam etiam ceti nomine Evangelium *Matth.* 12. 40. deſignat. Hebræum Jonæ 2. 1. legit tantum *magnum piſcem*; nec alter ſanè major balæna. Porrò illius piſcis adeò immanis eſt hiatus, ut plures ſimul homines continere poſſet; cui ſanè ventris amplitudo reſpondet: *Quanto hiatu*, ait S. Auguſtinus de balæna quadam, cujus ſcheletrum Carthagine ſpectabatur, *Ep.* 102. *nov. edit. qu.* 6. *n.* 31. *patebat os illud, quod veluti janua ſpeluncæ illius fuit?* Joannes Cabri Academicus Florentinus, balænam quamdam ad Hetruriæ litora an. 1624. jactatam deſcribit, adeò vaſto gulæ hiatu, ut vel equitem commodè contineret. Verùm bellua hæc carnibus non delectatur, ſed herba, ſivè maris ſpuma, & piſciculis albentibus, veluti alecibus, & ſimilibus victitat. Quæ ſanè argumento ſunt, monſtrum illud, quod Jonam voravit, balænam fuiſſe. Quid? quòd illa nec dentibus, nec ſpinis, ut cæteri carnivori piſces, inſtructa eſt? Quarè facilè Prophetam illæſum in ſtomachum tranſmittere; illæſum etiam tranſmiſſum, in ſtomacho, digerendis tantùm herbis & levioribus alimentis apto, ſervare potuit.

Aliis tamen hæc minùs probantur; quippè quibus anguſtior videtur balænæ hiatus, quam ut integrum hominem deglutire poſſit (b). Belluæ enim, ajunt, ſemipede tantùm guttur patet; & quæ inter illas adeò immanes cenſetur, ut ſola lingua 18. olei dolia reddat, ægrè humanum brachium in gutture admitterent, ait

(a) Vide J. H. Urſin. Arbore cum Biblicum:
(b) Vide Bochart. de anim. ſacr. p. 2. l. 5. c. 12. Rondelet. Aldovr. Scalig. cont. Cardan.

ait Bartholinus *de Morb. Bibl. art.* 114. Piſcis igitur Jonæ hunc authori fuiſſe creditur *canis carcarias*, quatuor molarium ordinibus in utraque mandibula inſtructa bellua, & faucibus adeo immanis, uti & ſtomacho, ut plures ſimul homines integros aliquando contineat. Hoc ceti genus *lamiam* etiam appellant, in cujus diſſecti ventre Maſſiliæ, & Nicææ, teſte Rondeletio, homines non integri tantùm, ſed quidam etiam ſuis armis inſtructus inventus eſt. Vidiſſe autem ſe perhibet, cujus fauces ſi fræno aliquo interjecto aperirentur, commodum ad ſtomacham aditum cani panderent. Ejuſdem monſtri ſtomachum, ajunt, Hercules armatus ſubivit, ditaniatiſque viſceribus piſcis, tantùm calore incommodi aliquid in coma paſſus, incolumis tamen egreſſus eſt (a).

PISIDIA, Aſiæ Minoris regio, quam Lycaonia ad ſeptentrionem, ad meridiem Pamphilia, Cilicia, & Cappadocia ad orientem, Aſiæ Provincia ad occidentem terminant. S. Paulus Antiochiam Piſidiæ prædicationis gratia venit (b).

PISTICA NARDUS, nempè ſincera, & minimè adulterata nardus. Genuina lectio videtur *ſpicata nardus*. Vide *Nardus*, & Comment. in Jo. 12. 3.

PITHOM, ſive *Pythom*, & *Phitom*, urbs Ægypti, de qua vide *Phitom*.

(PLACENTÆ, Plura ejuſmodi genera parabantur ab Hebræis ad oblationem in templo; conficiebantur autem è farina ſeu frumentacea, ſeu hordeacea; ſubigebantur interdum oleo, ſæpè melle, ſæpè tantùm jam coctæ irrigabantur oleo vel frigebantur oleo in ſartagine. Dum ſacris initiaretur Aaron, oblatus eſt in ſacrificium *Exod.* 29. 1. 2. *vitulus de armento, & arietes duo immaculati, paneſque azymi, & cruſtula abſque fermento, quæ conſperſa erat oleo, lagana quoque azyma oleo lita, de ſimila triticea cuncta.*

In Hebræo *Mincha Levit.* 2. 14. appellantur oblationes omnes confectæ è tritico, vel farina, vel maſſa, vel pane, vel è placentis aliiſque id generis. Porro oblationes illæ vel ſolæ, vel cum aliis junctæ exhibebantur. Interdum ſimila conſecrabatur: *Levit.* 2. 1. *Simila erit ejus oblatio*. Interdum in oblationibus datæ vel placentæ vel aliquid in clibano coctum *Ibid.* ℣. 4. *Sacrificium coctum in clibano*; interdum è ſartagine lagana: *Ibid.* ℣. 5. *Oblatio de ſartagine*; vel è craticula aſſata: *Ibid.* ℣. 7. *Oblatio de craticula*. Tandem offerebantur etiam ſpicæ torrendæ & grano excutiendæ, quod dein redigeretur in farinam, vel ut comminutum in morem farris offerretur. *Ibid.* ℣. 19.

Id generis oblationes omnes maſſæ, tritici, panis, placentarum vel ſimilæ in commodum pauperum, qui majoribus ſacrificiis impares fuiſſent, decernebantur. Hæc tamen dicta accipienda ſunt de ſpontaneis oblationibus, nulla lege præceptis; quoad præcepta enim in Lege ſacrificia unum animal alio compenſaverat Lex; e. g. loco duorum agnorum & ovis integrum erat tenuioribus offerre unum tantùm agnum cum geminis columbis *Levit.* 14. 21.

Quod attinet ad rationem offerendi placentas, id primùm curandum erat, ut ſale condirentur, ac fermentum removeretur; nihil enim non ſalitum, nihil non azymum patiebatur Altare. At Sacerdotibus in eorum uſum offerre vulgares fermentatoſque panes integrum erat omnibus. Igitur ſi placentæ in oblationem ſiſtendæ coctæ erant in clibano & linitæ vel ſubactæ oleo *Levit.* 2. 4. 5. remittebantur omnia in manu Sacerdotis, à quo coram Domino elevabantur. Tum ſegregata portio in Altari abſumenda igne, quæ ſtatim committebatur flammis; reliqua Sacerdoti cedebant. Si oblatio conſtaret è lagano oleo ſubacto, & in ſartagine frixo, redigebatur in micas, quæ affuſo oleo irrigabantur, tum omnia ad Sacerdotem, qui manus ex ea pulte implens projiciebat in ignem Altaris, reliqua ſibi ſervabat.

Si placentæ illæ vel panes offerebantur unà cum ſacrificiis animalium, qui ritus erat familiaris (majora enim Sacrificia ſuas exigebant placentas ac libationes vini oleique), ſubigebantur panes illi vel placentæ oleo, & offerebantur Domino: nec tamen id ſervabatur, ut libationes illæ ponerentur ſuper caput victimæ immolandæ, quod olim apud Græcos Romanoſque obtinuit; ſed affundebantur ſuper ignem, cui hoſtia imponenda erat. Quantitatem farinæ, vini, & olei ſingularum victimarum veluti condimenta, Lex determinaverat; alia enim decreta erat menſura pro ſacrificiis boum, altera pro arietum, altera pro capellis, ovibus, vel agnis (c). Boum ſacrificiis addebantur tres aſſarones ſimilæ, olei medio *hin* ac vini æquali menſura ſubactæ: arietum ſacrificiis accedebant ſimilæ gemini aſſarones, vel duæ decimæ Ephæ, cum tertia parte hin olei, ac vini tantundem: capellarum, ovium, agnorum, hædorum ſacrificia complebat decima ſimilæ ſubactæ quarta parte hin olei, & vini totidem. Videſis in tabula menſurarum cavarum Hebraicarum, quanta ſit capacitas aſſaronis & hin.

PLAGA. Uſurpatur interdum pro latere; *plaga Orientalis*, latus Orientale; *auſtralem plagam Cerethi*, ad meridiem Philiſthæorum. *Plaga maris*, latus Maris Mediterranei, i. e. occidens. Amos 3. 12. *In Samaria, in plaga lectuli, & in Damaſci grabato*; qui ſcilicet Samariæ & Damaſci regionem tenent, Blandiuntur ſibi Iſraelitæ ſpe longæ pacis, & tranquillam captant quietem, in lecto Damaſci ſtertentes, ſub Regno ſcilicet felici Jeroboami II. & in fœdere cum Regibus Damaſci. Sed quietem hanc Deus moleſtabit.

Plaga, pro vulnere accepta, exprimit & vulnus, & animadverſiones, & flagella à Deo miſſa, vel mala ab hominibus inducta; e. g. *Flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis Geneſ.* 12. 17. ingentibus ſcilicet malis incommodiſque. Lepra eſt Levit. 13. 2. &c. *Plaga lepræ*; i. e. ultio lepræ; perinde enim habebatur ac Dei vindicis ultio. Lepra ædium perinde ac hominum appellata eſt *Plaga lepræ*. Dominus luem vel mortem immiſit in Iſraelitas reos deguſtatarum carnium: *Et percuſſit eos plaga magna nimis Judic.* 11. 33. *&* 15. 8. *&* 1. *Machab.* 5. 3. Quam Deus exegit de Philiſthæis ultio, immiſſo ſcilicet murium exercitu, appellatur *plaga*.

Denunciatum eſt Davidi 2. *Reg.* 7. 14. futurum, ut, ſi filio ejus & in Regno ſucceſſori humanum aliquid obrepſiſſet, argueretur à Deo *in virga virorum & in plagis filiorum hominum*; non exterminio quidem illum puniturum Deum, ſed caſtigaturum perinde ac patrem filios, pro more ſibi conſueto puniendo filios hominum. *Plaga cordis* 3. *Reg.* 8. 38. eſt peccatum, iniquitas occulta, animæ vulnus. *Si quis cognoverit plagam cordis ſui &c. plaga cæcitatis*, *Tob.* 2. 13. cæcitas. *Plaga inimici percuſſi te*, *Jerem.* 30. 12. plaga lethali. Deus percuſſit Antiochum 2. *Machab.* 9. 5. *inſanabili & inviſibili* (intimo, occulto morbo) *plaga*. Hemorroiſſa Marci 5. 29. curata eſt de plaga ſua, ſeu incommodo ſolo tactu fimbriæ veſtium Jeſu Chriſti.)

PLAGÆ ÆGYPTI. Vide *Moyſes*. *Plagarum* nomen apud Hebræos mala omnia à Deo ultore inflicta, uti ægritudines, peſtes, epidemici morbi, lepra, mortes ſubitaneæ, fames, procellæ, publicæque omnes, ac privatæ calamitates obtinent.

(PLAGIARIUS. S. Paulus 1. Timot. 1. 10. plagiarios inter ſceleſtiſſimos accenſet. Porrò hac voce exprimitur hic furtum viri ingenui, qui in ſervitutem venditur. Plagiarii autem appellantur pariter, qui emunt retinentque hominem ingenuum. Ita Joſephum vendiderunt in ſervitutem fratres ipſius, quæ ſumma eſt injuria in hominem illata, quippe qui privatur re pretioſiſſima, libertate. Ea pariter appellatio

(a) Vide Bochar. ubi ſup. & noſt. Diſſert. ante Comm. in 2. Prophet.
(b) Act. 13. 14. & 14. 23. (c) Vide Num. 28. 1. &c.

Plagiarii prorogsta eſt *ad* eos, qui aliena Opera nſurpant, ſibi exſcribunt & tanquam ſna ſibi vindicant.)

PLANETA. Nomen illud in S. Scriptura nuſpism legitur; neque etiam ſatis conſtat, an Judæi planetas inter ſe, uti Venerem, Mercurium &c. diſtinguerent. Sole & Luna exceptis, facilè reliquos omnes à cæteris ſtellis non diſtinxerunt.

PLATANE, vicus Siduniorum, juxta Berytum, ubi Herodes duos filios detinuit, dum eorum cauſa à judicibus cognoſcebatur (a).

PLATANUS. Hebræum *harmon*. *Gen.* 30. 37. quod in Vulgata redditur *platanus*, à Recentioribus Interpretibus, Rabbinorum fidem vulgo ſequentibus, redditur caſtanea. In Ezechiele 31. 8. eandem vocem Septuaginta vertunt *abietem*; adeò plantarum nomina in Textu Hebraico occurrentia incerta ſunt, & lubrica (b).

PLEJADES, ſeptem ſtellæ in tergo tauri, vere ineunte conſpicuæ (c). Plejadum & hyadum nomina in Jobo 8. 31. *&* 9. 10. occurrunt; quarum illæ in tergo tauri, iſtæ in fronte micantes orientem & ver deſignant. Hebræus legit: *Numquid conjungere valebis delicias chima*, aut gyrum poteris diſſipare? Porrò *delicia* vocantur, quòd vernum tempus amæniſſimum ſit. S. Hieronymus vocem *chima Jo.* 9. 10. reddit *hyadas*, & *Jo.* 38. 31. *plejadas*; ac tandem *Amos* 5. 8. *arcturum* nempè caudam urſæ: quam etiam poſtremam interpretationem Aquila interdum ſervat. Urſa quidem in ima ſeptentrionali plaga micat; *chima* verò potiùs plejades deſignat.

(PLENITUDO varia in Scriptura ſignificat. *Plenitudo pugilli*, eſt pugillus, quantum manu tenetur. *Plenitudo Gomer*, plenum Gomer. *Plenitudo agri*, plenus ager. *Orbis terræ & plenitudo ejus Pſal.* 49. 12. quidquid in mundo continetur. *Tonet mare & plenitudo ejus* 1. *Par.* 16. 32. tonet ſcilicet fragore & agitatione fluctuum ſuorum, eorumque omnium, quibus refertum eſt, tributum ſuum reddat Domino. *De frugibus terræ, & de plenitudine ejus Deut.* 33. 16. cumuletur Joſeph benedictionibus à Deo, ejuſque latifundia & agri omnimodis bonis locupletentur.

Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur Prov. 19. 23. timor Domini dat vitam & bonorum omnium ubertatem. Hebræus *Timor Domini ducit ad vitam, & qui illam obtinuerit ſatiabitur*. Poſtremo hoc ſenſu ſatiandi uſurpatur interdum *plenum* & *plenitudo*. *Iſaia* 1. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? .... plenus ſum*; ſaturus ſum. *Plenus dierum Geneſ.* 25. 8. *&* 1. *Par.* 23. 1. ſatiatus diebus & vita.

Plenitudo ſapientiæ eſt timor Domini Eccli. 1. 20. perfectio, conſummatio. Sapientia *mirandam ſe præbebit in plenitudine ſancta* Eccli. 24. 3. in cœtu Sanctorum, univerſi ſcilicèt Iſraelis; & ℣. 16. *In plenitudine ſanctorum*. Cap. 35. 23. *Donec tollat plenitudinem ſuperborum*; cœtum ſcilicet ſuperborum. Ezechielis 32. 15. *Deſeretur terra à plenitudine ſua* deſtituetur Ægyptus incolis. *Plenitudo peccatorum* 2. *Mach.* 6. 14. complementum iniquitatis. *Tollit plenitudinem ejus à veſtimento*; *Matt.* 9. 16. fruſtulum novi panni inſutum veſti detritæ *tollit plenitudinem*; i. e. partem ipſam, quam ſarcit, majori ſciſſione corrumpit. *De plenitudine Jeſu Chriſti omnes accepimus Joan.* 1. 16. qua ille redundavit, gratia in nos omnes diffuſa eſt. *Plenitudo legis eſt dilectio Rom.* 13. 10. perfectio ſcilicet & conſummatio omnium legum. *Plenitudo temporis Galat.* 4. 4. qua Meſſias venit in mundum, tempus eſt deſignatum à Prophetis, vaticinia illorum implens. *Donec plenitudo gentium intraret Rom.* 11. 25. donec ſcilicet Pagani, ex quibus coaleſcere voluit Deus Eccleſiam ſuam, in illam ingreſſi fuerint per fidem.)

PLUMARIUS, *acu* pictor. *Opus plumarium*, alio nomine dicebatur *Opus phrygionicum*, *&* *acupictum*. Hebræum *rakamah Exod.* 26. 36. *&* 27. 16. *&* 36. 37. *&c.* ſonat opus phrygium ex plumis diſpoſitis; cùm Ezechiel 17. 3. de alis magnæ aquilæ vocem *rakamah* uſurpet. Hanc artem derivant Veteres ex Philoctete, cui ſolitario in Inſula Lesbo agenti, pennæ avium, quas venabatur, contextæ veſtimenta ſufficiebant (d):

Pro veſte pennis membra textis contegis.

Succeſſu temporis exquiſitiſſima opera eadem arte ex pennis varii coloris effecta ſunt (e):

... Hunc videas laſcivas præpete curſu
Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Nullum fuiſſe in Scripturis pennarum uſum facilè credimus; neque enim Moyſes aliud opificibus acu pingentibus in uſum Tabernaculi, niſi pretioſiſſimas, & ſplendidiſſimis ejus ætatis coloribus imbutas lanas concedit. Ea ſiquidem ætate recentius eſt ſericum; atque aurum colo ducendi artem, ut ejus in operibus phrygiis uſus eſſet, an priſci illi noverint, liquidò ſane non conſtat. Porrò inter res iiſdem opificibus à Moyſes aſſignatas non recenſetur, quamvis aurum in filamenta ductum textrinæ artificibus tribuerit (f). Velum ante Sanctum, & alterum etiam ante Tabernaculum, ſive atrium appenſum, opere phrygio ex lana hyacinthini, ſive cærulei, cœleſtis, & purpurei coloris, atque ex tenui lino, ſive goſſypio elaboratum erat *Exod.* 26. 36. *&* 28. 39. *&* 39. 28. *&* 27. 16. Paria de cingulo ſummi Sacerdotis leguntur; nuſpiam autem auri, ſive argenti ulla occurrit. Veſtibus acu pictis fœminæ principes & clariſſimi viri tantùm utebantur, uti ex Pſalmis & Ezechiele (g) intelligimus.

PLUVIA. Ex pluribus S. Scripturæ phraſibus intelligimus, Veteres Hebræos in ea fuiſſe ſententia, pluviales aquas ſuis receptaculis ſuper Cœlos aſſervari; quas proinde aquas Moyſes *ſuperiores*, uti & Maris undas, *inferiores* aquas appellat. Hinc Moyſes de aquis diluvii agens, non pro more imbres manaſſe, ſed *cataractis Cœli* apertis fuiſſe ſcribit (h). Nubes in magna ſiccitate ad Deum clamare ait Oſee 2. 21. orantes, ut de theſauris, ſive receptaculis ſuis aquas derivet. Alibi quoque S. Scriptura nubes deſcribit, quaſi utres aquis e firmamento demiſſis tumentes (i). Ipſe ros ex *abyſſo ex alto Deut.* 33. 28. nempe ex aquis ſuperioribus, deſcendit.

Nihil apud Authores Sacros frequentius, quàm de imbre *temporario & ſerotino*, *Deut.* 11. 14. *Oſee* 6. 3. quod Rabbini ita explicant, ut *pluvia temporaria* in Hebræo *jorah*, pluviam autumnalem; & *pluvia ſerotina*, in Hebr. *malkaſch*, pluviam vernam ſignificet. Porrò Judæi annum ab autumno exordientes, facile ea anni tempeſtate labentem pluviam temporariam appellare potuerunt.

Nos tamen nomine *Jorah* pluviam vernam, & *malkaſch* autumnalem explicare malumus. In Judæa autumnus, & ver ſolum pluvialia eſſe conſueverunt; cùm igitur *Jorah* ſemper ante *malkuſch* occurrat, ſimulque autumnus temporum ordine veri ſuccedat, inde ver nomine *Jorah* denotatum credimus. Quin etiam *malkuſch* ex verbo *lakaſch* derivatur: illud autem vindemiam, fœnum ſecundum, & herbam autumnalem pratorum colligere, moram trahere, differre ſignificat. Ad hæc, *malkaſch* eſt pluvia, quam terra maxime ſitiat. *Job.* 29. 23. *Prov.* 16. 15. *Oſee* 6. 3. ut i pluviæ æſtivo calori ſuccedentes. Imbrem vobis Dominus largietur, ait Joel 2. 23. *in Hebr. jorah* & imbrem *mal-*

(a) Antiq. l. 16. c. ult. (b) Vide J. H. Urſin. Arboret. Biblic.
(c) Ovid. Faſt. l. 5. 165. *Ora micant tauri ſeptem radiantia flammis.*
(d) Accium Poeta apud Cenſor. de die Natali c. 28. (e) Prudent. Hamartigen. v. 294.
(f) Vide Exod. 39. 3. & v. Polymitarius. (g) Pſal. 45. 15. Ezech. 26. 13. 16. 18. & 26. 16. & 27. 7. 16. 24. Vide noſtr. Comment. in Exod. 28. 39. (h) Gen. 7. 11. Vide etiam Pſal. 32. 7. & 41. 8.
(i) Job. 37. 11. & 38. 37. juxta Hebr. Pſal. 17. 13. & 4. Reg. 22. 12.

Digitized by Google

malKuſch, *in principio* (aoni). Poriò ſi *malKuſch* imbrem autumnalem ſonat, certa eſt etiam *jorah* de imbre verno ſignificatio. Paria nobiſcum Septuaginta (a) ſenſerunt; & Heſiodus (b) ejuſdem ſignificationis, ac Septuaginta, vocibus ad explicandam pluviam autumnalem & vernam uſus eſt.

(Deſcribens Moyſes terram Chanaan, cujus & relevat ſuper Ægyptum prærogativas *Deut.* 11. 10. 11. ponderat beatiorem eſſe Chanaanitidem Ægypto, cujus ſolum irrigandum eſt deductis arte atque ope machinarum rivulis; neque enim pluviis ſponte madeſcit regio. Palæſtina vero, ait, *montuoſa eſt & campeſtris, de Cælo expectans pluvias*. Qua arte Ægyptii aquas deducant in agros inundantibus Nili aquis impervios, narravimus V. *Peſ.* Ad Chanaanitidem quod attinet, ignorat nemo, madeſcere regionem uberiori rore æſtate, ac imbribus autumnalibus hyemalibuſque. Ex quo Deus ſpondet Iſraelitis: *Dabo vobis pluvias temporibus ſuis*, *Levit.* 26. 3. ſiquidem illi in fidem manſiſſent; viciſſim autem Moyſes minitatur refractariis in Deum imbres, non ex aqua humectantes, ſed è pulvere orientes atque exſiccantes: *Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem*: *Deut.* 28. 24.

Verbum ac ſermocinationes pluviis comparant ſæpe Hebræi: *Concreſcat, ut pluvia, doctrina mea Deut.* 32. 2. Eccleſiaſticus 39. 9. *Tanquam imbres* (Sapiens) *mittet eloquia ſapientiæ ſuæ*. Affirmat Jobus 19. 21. tempore florentium rerum ſuarum verba ſua avidè auſcultari ab auditoribus; & *Super illos*, ait, *ſtillabat eloquium meum. Expectabant me, ſicut pluviam; & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum.*

Pſalmiſta, Pſal. 134. 7. & Jeremias 10. 13. & 51. 16. ſummum potentiæ Dei argumentum ex eo deducunt, quòd *fulgura in pluviam fecit*. Præcedunt fulgura & tonitru, pluviam, & cum oculos præſtringit fulgur, cum reboat ingens quoddam tonitru, ruente procella, ſtatim intelligimus futurum, ut ingruat pluvia copioſior; quod nullo negocio explicatur. Fulgur, & tonitru cauſat nubes aliqua ſuper aliam cadens, quo etiam ex lapſu nubium decidunt pluviæ.

Commodè igitur deſignare crederetur, Propheta fulgura tanquam prænuncia eſſe, & ſigna naturalia imbris; fortè etiam populari perſuaſione tenebatur ſeo fulgura mutari in pluviam, ſeu imbrem producere. Sunt qui Textum exponant ita (c); Qua eſt potentia Deus fœdere jungit cum imbre fulgura, cum igne aquam, quæ duo ſunt alterum alteri adverſaria.)

PODAGRA. Rex Aſa pedum ægritudine in ſenectute laborans, podagra correptus fuiſſe creditur: 3. *Reg.* 15. 24. quem Scriptura reprehendit, quòd medicorum ſtudia, quàm Dei opera magis exquiſierit. Hoc uno ſemel in loco Scripturam podagræ meminiſſe animadverto.

PODERIS, Græca vox, veſtem ſtragulatam ſonans; uſurpatur autem de linea veſte, induſio, &c. ad pedes uſque producta. De podere S. Hieronymus *epiſt. ad Fabiol.* ſcribit, veſtem eſſe *ſtrictam, & corpori adhærentem, eamque ſimilem militum camiſiis*. Solemnis erat Sacerdotum veſtis, quo tempore in Templo miniſtrabant. Eodem nomine Author Sapientiæ 18. 24. tunicam appellat Summi Sacerdotis, cujus lymbum tintinnabula, & mala punica ornabant: *In veſte poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*. Hebræum *ephod*, Septuaginta reddunt *poderim* (d): idemque vertunt Hebræum *bad*, quod tunicam lineam ſonat; & Hebræum *coſchen*, quod in Exodo 25. 7. & 35. 8. pectorale & rationale indicat, veſtem quidem breviorem, ſed habitam tanquam partem alterius tunicæ talaris *mehil*, & apud LXX. itidem *Exod.* 28. 4. *poderim* dictam. Chriſtus *Apoc.*

1. 13. videndum ſe Joanni Apoſtolo præbuit, *podere* inductum, veſte nempe ſacerdotali, vulgò camiſio dicta, ait Lyranus.

POENITENTIA, Græcè *Metanoia*, vox eſt indicans dolorem de aliqua re geſta, (maximè tamen de crimine in Deum commiſſo) ſimulque ultionis de ſemetipſo ea de cauſa exigendi propoſitum *Rom.* 11. 29. *Sine pœnitentia enim ſunt dona Dei*. Uſurpatur etiam cùm de operibus pœnitentiæ, jejuniis, lachrymis, eleemoſynis, & operibus ſatisfactoriis; tum de Sacramento pœnitentiæ, ad impetrandam commiſſorum poſt Baptiſma criminum veniam inſtituto. Inanis pœnitentiæ typum exhibent Antiochus Epiphanes, Judas Iſcariothes, Pharao, Saul, & Achabus. Judæ fiducia, Antiochò ſinceritas, Achabo perſeverantia defuit. Pharao & Saul metu adeò doluerunt, ut nihil propterea ad meliorem frugem redacti ſint.

(POENITENTIA injungitur Levit. 5. 5. ei, qui intellexerit delictum ſuum, *ut agat pœnitentiam pro peccato, & offerat &c.* Sed Textus originalis habet tantùm: *Qui intellexerit delictum ſuum, & confeſſus illud fuerit*, offerat victimas in Lege præſcriptas. Nihil apertum hic de pœnitentia, ſed tantum de agnitione criminis, confeſſione, de oblatione ſacrificii ad expiationem; valent hæc utique tantundem ac agere pœnitentiam: nihil enim ejuſmodi præſtaretur, niſi tacto priùs pœnitudine corde.

In Libro Judicum 21. 6. 15. filii Iſrael *ducuntur pœnitentia*, dolent ſuper interſectione unius ex Tribu Iſrael i. e. pœnituit illos obſtinato bello excidiſſe Tribum Iſraelis: *Converſus Iſrael valdè doluit, & egit pœnitentiam ſuper interſectione unius Tribus ex Iſrael*; tum reparandi jacturam conſilium agitarunt.

Samuel Saulem ita affatus eſt: 1. *Reg* 15. 29. *Triumphator in Iſrael non parcet*; Hebræus: *Non mentietur*; pænitudine non flectetur, *neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam*. Deus reprobavit vos in æternum, quod ſuum propoſitum nunquam immutabit; neque enim Dei velut hominum ſunt conſilia, quæ pœnitudine revocentur. Rejecit vos, nec ultra recipiet. Eodem ſenſu Apoſtolus, Rom. 11. 29. *Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei*; Deus beneficia ſua non revocat: *non deſerit niſi deſeratur*.

In Sap. 5. 3. exhibentur impii in altera vita *pœnitentiam agentes* ejulanteſque; i. e. intimo animi dolore ac deſperatione tanguntur, probos videntes honoribus cumulatos, ſe verò opprobrio preſſos, ac in dolore ſepultos. Scitum eſt autem in altera vita fruſtra eſſe omnia, pœnitudinem, dolorem.

In eadem Sapientia 12. 10. 19. legimus: Deus judicia ſua exercens in Chananæos, & ſenſim ac per gradus illos ſubmittens ſupplicio, *partibus judicans, dabat locum pœnitentiæ*. Paria uſurpat Author agens de Hebræis, ac filiis Dei, demonſtraturus quam exercet Deus in electos ac reprobos ſeveritatem, eò tendere, ut revocet illos in officium ac excitet ad criminum pœnitudinem.

Pœnitentia, proinde valet interdum ac ultio; e. g. Eccleſiaſticus 48. 8. habet de Elia; *Qui ungis Reges ad pœnitentiam*. Græcus legit: *Ad exercendam ultionem*. Juſſus eſt à Deo Elias inungere in Reges Jehu & Azaelem *ad exercendam ultionem Dei in domum Achab* 3. *Reg.* 19. 15. 16. Eam tamen unctionem non ipſe per ſe Elias, ſed miſſo Eliſeo diſcipulo ſuo executus eſt.

Exhibent non ſemel ſacri Scriptores Deum pœnitudine vel ægritudine vel dolore tactum, quòd vel aliqua ſuſtinuerit, vel decreverit. E. g. Moyſes Geneſ. 6. 6. 7. de illo habet: *Pœnituit quòd hominem feciſſet in terra*, intuens ſcilicet crimina illorum & ſcelera ſummum malorum attigiſſe. Ita pariter pœnituiſſe Deus legitur 1. Reg. 15. 11. conſtituti

Sau-

(a) Sept. Ὑετὸν τῇ γῇ σου καθ' ὥραν πρώϊμον καὶ ὄψιμον.
(b) Heſiod. Opera & Dies l. 2. nuncupat ἦρι νέῳ ὄμβρον, pluvias vernas, & ὀπώρινον ὄμβρον, pluvias autumnales.
(c) Chryſoſt. Theodor. Heracleot. Theodoret. in Pſſ.
(d) Exod. 28. 31. & Ezech. 9. 2. 3. Septuag.

Saulis in Regem populi, quæ tamen dicta accipienda ſunt, non quaſi Deum præpoſteri conſilii vel mali alicujus admiſſi pœnituerit, vel quaſi ſententiam mutaverit velut agnito errore; aliena ſunt hæc à Deo. Sed interdum rationem agendi mutat in eos, quos refractarios ſibi intelligit; poſtquam enim mitiſſimè illos habuerit, excutit flagellum, tanquam pœnitens eorum, quæ priùs illis contulerat.

Pœnituiſſe etiam Deus dicitur ejus, quod alteri inferendum decreverat, mali, cum ſcilicet miſeratione illorum tactus, vel dimotus precibus, vel flexus pœnitudine illorum, quam promeruerunt, pœnam remittit, nec minas mandat exequutioni. Ita dictum de illo in Pſalmo 105. 43. *Et pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ*; quare id permiſit, ut populus gratiam nanciſceretur apud illos, quibus ſerviebat. Profitetur Dominus Jerem. 18. 8, reſpecturum ſe populum ſuum pœnitudine criminum ſuorum tactum, ut pœnitudine tactus illis, & ipſe tangatur pœnitudine de malo, quod illis inferre ſtatueras; i. e. mitiſſimè acturum in populum ſuum reſipiſcentem: Viciſſim autem, addit, ſi dictis meis ſurdas adhibuerit aures: *Pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus fueram ut facerem ei*.

BAPTISMUS POENITENTIÆ *Marc.* 1. 4. *Luc.* 3. 3. *Matth.* 3. 11. ille eſt, quem Joannes Baptiſta annunciabat Judæis, quos in Jordane tingebat, admonebatque, ut facerent fructus dignos pœnitentiæ *Matth.* 3. 8. *Luc.* 3. 8. Baptiſmus ille quidem peccata non remittebat, ſed diſponebat peccatores ad veniam recipiendam in Baptiſmo Jeſu Chriſti.

Pœnitentia Judæorum noſtra ætatis. Vide v. *Expiatio*, & *Confeſſio*.

SACRAMENTUM POENITENTIÆ à Jeſu Chriſto ideo inſtitutum, ut commiſſa poſt Baptiſmum crimina expientur, efficitur contritione vel ſincero criminum dolore, criminum illorum confeſſione, & ſatisfactione vel exercitio operum, quibus ſatisfactio præſtatur; ſed & potiſſimùm emendatione criminum ſeu vitæ reſipiſcentia. Porrò Sacramentum illud inſtituit Jeſus Chriſtus, traditis Apoſtolis ſuis ac per illos Epiſcopis & Sacerdotibus, Apoſtolorum ſucceſſoribus, clavibus Regni Cælorum ad aperiendas occludendaſque Cæli fores, ad ligandum & ſolvendum. *Matth.* 16. 19. Conſtituit illos Judices Eccleſiæ ſuæ, ut Dei nomine jus dicerent in animas fidelium. Simul autem illos renunciavit medicos morbis intimis Chriſtianorum tractandis relevandiſque, ea applicantes, quæ charitas & ſapientia illorum ſuggerit, remedia. Vide qualem ſe geſſerit Apoſtolus erga hominem inceſtum Corinthi.

POENITENTIA NINIVITARUM *Jo.* 3. 5. *&c.* in ipſo pariter Evangelio *Matth.* 11. 41. *Luca* 11. 32. commendatur. Futurum dicit Jeſus Chriſtus, ut Ninivitæ ſurgant in Judicio adverſus Judæos, illi enim admonente Jona egerunt penitentiam; Judæi vero tangi ad pœnitudinem recuſarunt, ſuadente Jeſu Chriſto, multò, quàm Jonas ipſe præſtantiore. Hæc Jonas de Ninivitis: *Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, & clamavit & dixit in Ninive ex ore Regis & Principum ejus dicens: homines, & jumenta, & boves, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant; & operiantur ſaccis homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum.*)

POESIS HEBRÆORUM. Nulla res adeò Criticorum calamos, quàm Poeſis Hebræorum exercuit; quamvis iiſdem ſemper ambagibus, iiſdem difficultatibus modò obvoluta ſit, ac primò apparuit. Quamdiù etiam de certa pronunciationis Hebraicæ ratione non conſtabit (& fortè conſtabit nunquam), harmonia, & quantitas ſyllabarum, adeòque & totus carminum lepos in obſcuro ſemper manebunt. Nullæ etiam regulæ ſuppetunt (uti in Græco & Latino aſſignantur), quibus quantitatem ſyllabarum, pedum, & regulas harmoniæ, necnon carminum conſtituendorum apud Hebræos aſſequamur: quamquam hæc omnia illis non defuiſſe, ex literis adjectis, eliſiſque in fine dictionum intelligimus. Liquidò enim ex iis conſtat, rythmicis quibuſdam legibus, vel ſaltem certis modulationibus eorum carmina adſtricta fuiſſe. Muſicæ etiam, & chorearum apud Hebræos rationes, quibus Hebræorum poeſis inſtructa eſſe conſuevit, omnes latent. Neque enim Hebræi carmina, niſi ad muſicos numeros pangebant, canebantque; quare in S. Scriptura chororum, chorearumque in cæremoniis religioſis frequentiſſima mentio. Ex his ſanè ſpes omnis carmina & poeſim Hebræorum clariùs aſſequendi præciditur.

Ætate quidem Joſephi, Origenis, Euſebii, & S. Hieronymi, quantum ex eorum verbis colligimus, ea res aliter ſeſe habuiſſe videtur. Joſephus enim *Antiq. l.* 2. *c. ult. l.* 4. *c. ult. l.* 7. *c.* 10. non ſemel tradit, Cantica à Moyſe adornata, heroicis condita eſſe carminibus. David verò, ait ille, carmina varii generis, cantica, odas, & hymnos in Dei honorem concinnavit: in illis autem varia admiſcuit carmina, alia trimetra, alia pentametra. Paria legas apud Origenem, & Euſebium *Præp. l.* 11. *c.* 3. ſive quòd ambo authoritati Joſephi ea in re detulerint, ſive quod ſuamet experientia veritatem compertam habuiſſent. Origenes enim Hebraicam Linguam callebat; & Euſebius nulli ſuæ ætatis doctiſſimo viro ſecundus habebatur.

S. Hieronymus *Præfat. in Chron. Euſ.* plus aliquid adjiciens, teſtatur Pſalterium ex verſibus alcaicis, jambicis, ſapphicis, inſtar Pindari, & Horatii concinnatum eſſe; Libros Job, & Salomonis, hexametris & pentametris; Deuteronomii Canticum (a), & Pſal. 118. *Beati immaculati in via*, & 144. *Exaltabo te Deus meus Rex*, jambicis quatuor pedum adornatos; ac tandem jambicos trium pedum referre Pſal. 100. & 111. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo in conſilio &c.* & *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis &c.*

In Lamentationibus Jeremiæ verſus quoſdam quaſi ſapphicos, & alios trimetros obſervat. Non ſemel etiam Librum Pſalmorum verſibus jambicis, veluti Pindari, Alcæi, Horatii, Catulli, Sereni, adſtrictum eſſe perhibet (b). In Præfatione in Job aſſerit, poſt illa verba: *Pereat dies in qua natus ſum*, reliqua deinceps fluere verſibus hexametris, dactylis, & ſpondæis conſtantibus: quamquam interdum, ait, alii quandoque pedes intermiſcentur ejuſdem quidem menſuræ, ſed ex dialecti diverſitate, impari ſyllabarum numero. Non raro etiam, addit, neglectis paululum metri legibus, quædam Poetæ harmonia, ſive numerus excidit, quod maximè rebus Poeticis aſſuetas aures delectat.

Philo *de vita contempl. in fin.* de Eſſenis agens, narrat, varia penès illos Veterum carmina ſervari, alia trimetra, alia in hymnos pro ſacrificiis concinendos diſpoſita, alia verò, quorum in choreis, & conviviis uſus erat. Poeſis regulas in Job & Pſalterio ſervatas, unus Franciſcus Vatablus aſſequutus (c) fertur; quocum ea ſcientia intercidit. Thodorus Herbertus carmina inſtar Latinorum & Græcorum in Biblis inveniſſe ſe credidit, & quædam ſanè indicavit. Meibomius *Journal des Scavans p.* 1699. rem poeticam Hebræorum, quæ ultrà ducentorum annorum ſpatio delituerat, aſſequutum ſe tandem jactitavit; quamvis ſua ſcientia ſolitarius frui, nec publico revelare voluerit. Scimus tamen illum, & poeſis hujuſce opinione, & correctionibus, quæ in S. Scripturam invexit, totum Textum invertiſſe. Franciſcus Gomam in ſuo Libro inſcriptos *Davidis Lyra*, regulas

(a) Hier. epiſt. ad Paulam Urbicam. (b) Epiſt. ad Paulin. & l. 9. Comment. in Ezech. c. 30.
(c) Mercer. in Job. c. 3.

Digitized by Google

gulas quaſdam de poeſi Hebræorum à regulis Græcorum, & Latinorum non abſimiles, præſcripſit; ſed à Ludovico Capellio refutatus, adhuc ſilet.

J. Clericus erudita ſanè Diſſertatione contendit (a), Hebræorum poeſim rythmicam fuiſſe, à poeſi Gallorum non abludentem; cujus quidem opinio pluribus arridet. Alii tamen nullas Hebræis præſcriptas in carminibus leges malunt. Addit Scaliger *animad. in Chron. Euſeb. p. 7. col.* 1. Hebræorum Linguam, quemadmodum Syrorum, Arabum, & Abyſſinorum, rudiorem eſſe, quàm ut certis numeris adſtringi poſſit. Auguſtinus Eugubinus putat, carmina Hebræorum, non quidem heroico, jambico, vel alio quocumque metro contineri, ſed neſcio quid in illis ſimile, uti in cantilenis Barbarorum audimus, ſonare. Paria ſentiunt Ludovicus Capellius, Martinus Martinius, Samuel Boblius, Valmurh, Auguſtus Pfeifferius, & alii nonnulli, cum Grotio (b). Poſterior hæc ſententia nobis etiam multò præ aliis probatur (c).

De poeſi Hebraica noſtræ ætatis, conſulendi Grammatici, & Theſaurus Buxtorfii præ cæteris, ubi regulæ & varia carminum genera exactiſſimè diſtinguuntur, & *Morin. Exerc. Bibl. l. 2. Exerc.* 18. *c.* 7.

(POETÆ. *Poeſis.* Poetis ſuis non deſtitutos fuiſſe Hebræos intelligimus ex veterum Canticorum & carminum fragmentis pluribus, quæ adhuc ſervantur in Bibliis. Quod autem animadverſione maximè dignum judico illud eſt, nimirum Poeſim illam ſuam Hebræos totam conſecraſſe; dicarunt enim efferendis laudibus Dei, atque magnificis operibus Dei extollendis, Hebræorum Poetæ, quorum ad nos uſque Opera tranſmiſſa ſunt, homines erant omnes Dei ſpiritu afflati; referuntur in eorum cenſum Reges, Legiſlatores, Prophetæ; Moyſes, Baruch, David, Salomon, Ezechias, Job, Iſaias, Jeremias, & Prophetarum plerique Lucubrationes ſcripſerunt carmine adſtrictas. Quænam verò Poeſis illa? Magnifica ea quidem, auguſta, ſublimis quantum mente aſſequi poſſumus. Phraſes, ſenſus, figuræ, varietas, actio, ad ſtuporem omnia. Ad artificium quod attinet latet illud penitus, quemadmodum alibi à nobis demonſtratum eſt.

Paganorum Poetas *Prophetarum* nomine donat Apoſtolus, ad Tit. 1. 12. *Dixit quidam illorum proprius ipſorum Propheta*, quòd ſcilicet perinde eſſent apud Paganos Poetæ, ac Prophetæ apud Hebræos; homines ſcilicet inſpirati, afflatique Apolline. Enthuſiaſmo quodam arrepti promebant verba; nec oracula plerumque aliter edebantur, quam carmine adſtricta; Prophetæ tandem interpretes erant Deorum ad homines.

Poeta ille Apoſtoli, erat Epimenides, de quo plura Veteres demonſtrantia opinionem habuiſſe apud homines Viri Diis chari & cælitùs afflati. Tradit Ariſtoteles, Rhetoric. l. 3 c. 17. re ipſa quidem nihil illum de futuris pandiſſe, ſed abdita quædam & ignota deteziſſe. Diogenes Laertius l. 1. & Plutarchus in Solon. narrant illum inſpecta Munichia munitione, quæ ipſe eſt portus Athenarum, exclamaſſe: O cæcitatem hominum! Si noſſent Athenienſes quantorum malorum munitio hæc cauſa futura ſit, diſcerperent illam dentibus. Dictis hiſce ſua fides ab eventu; poſt aliquot enim annos Rex Antigonus milites ſuos ibi conſtituit, ut Athenienſes contineret in officio. Semel etiam (d), metuentes adventum Perſarum Athenienſes confirmavit animis, non priùs venturos illos prænuncians, quàm intra decennium, futurum autem, ut cùm venirent poſt ingentem cladem remearent ad propria. Prædixit etiam Lacedæmonibus & Cretenſibus redigendos eſſe eos ab Arcadibus in captivitatem. Ex his fortè vaticiniis, ſeu veris ſeu creditis, conciliata eſt opinio apud Græcos, qua Epimenidem perinde ac vatem haberent: ea quo etiam Prophetæ nomen obtinuit ab Apoſtolo, ſive per ironiam, ſive alia quacumque ea cauſa.

Idem Apoſtolus *Act.* 17. 28. laudat Aratum Poetam, oriundum ex eadem ac ipſe Provincia, nempe è Cilicia. Hæc autem ex illo refert: *Ipſius enim & genus ſumus.* Fragmentum eſt alterius prolatoris; en integrum: *Ab Jove principium, quem nunquam mittimus ipſi infatum. Plena verò Jovis omnia quidem compita: omnes verò hominum cœtus, plenum verò mare, & portus. Ubique autem Jove indigemus omnes. Hujus etenim genus ſumus.* Alio utique conſilio, quàm ad relevandum meritum & fidem in Jovem ſive ad conciliandam opinionem in Aratum, Apoſtolus Arati ſententiam illam protulit in medium; hanc ille potiùs è ſervitute, ferè dicam, liberavit veritatem, quam vates iſte, ſenſum utique non penetrans, velut effutiit; uſus eſt autem illa Apoſtolus, ut probaret teipſa exiſtere verum Deum, gentibus, quæ cùm nihil deferrent authoritati Sacrarum Scripturarum, quodcunque ea illis argumentum deductum parvipendiſſent.)

POLITIA Hebræorum. Vide *Sanhedrium*, & *Tribunalia*, & *Judices.*

(POLYGAMIA. Apud Hebræos tolerata erat Polygamia, quin & Patriarcharum exemplo velut authoritate quadam fulciebatur. Nulla quidem lege conſtituta videtur; & Scriptura, quæ nomine prodit primum inter bigamos, ſicut nec ſilet nomina duarum uxorum illius *Geneſ.* 4. 19.; eadem pariter inſinuare videtur, factum ejus hominis improbaſſe viros ejus ætatis pios; quin & proventura ex illo mala virum ipſum timuiſſe: ita enim ad uxores ſuas effatus eſt: *Audite vocem meam uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum, ſeptuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Hæc ille, quaſi ſcilicet metuentes ad crimen illud Polygamiæ uxores confirmaret animis: Non ego, ait, crimen admiſi morte expiandum; neque enim hominem occidi. Quicunque injicere in me manus violentas auſus fuerit, ſeveriſſimè punietur. Crimen hoc meum cum Caini facinore illo comparate, vobiſque judicium permitto, ſi interfector Caini ultionem promeretur, quid non induceret in ſe mali Lamechi ſicarius?

Defendunt Rabbini Polygamiam jam inde à Mundi exordio obtinuiſſe, ut ſinguli antediluviani viri duas in torum adſciſcerent fœminas. Contra Tertullianus Exhort. ad Caſtit. c. 3. & de Monogam. c. 5. autumavit Lamechum, omnium primum, à conſtituto à Deo ordine receſſiſſe, geminas adſciſcendo uxores; quare addit: *Numerus matrimonii à maledicto viro cœpit.* Peſſimum ejus exemplum, proſequitur ille, appendices habuit uſque ad exitum nationis Judaicæ prolixas; ſed ante diluvium nemo viri facinus illud imitatus eſt. S. Hieronymus contra Jovinian. l. 1. Epiſt. 9. ad Salvian. & Epiſt. 11. ad Ageruch. Lamechum homicidam & ſanguinarium, mortalium primum fuiſſe dicit, qui unam carnem in duas fœminas divideret: diluvii autem aquis expiatum ſimul & ejus parricidium & Polygamiam (ponit Lamechum Cainum occidiſſe). Nicolaus I. *Epiſt. ad Lothar.* Lamechum accuſat adulterii, Polygamiæ cauſa; & Innocentius III. Cap. Gaudemus Extrav. de divortio, defendit nunquam permiſſum fuiſſe hominibus, ut plures ſimul jungerent uxores, abſque peculiari data à Deo facultate atque revelatione.

Qua

(a) Biblioth. Univ. May. 1688.
(b) Grot. in Luc. 1. 46. *Erant enim*, ait, *rythmi Hebræorum emmetri, ſed lege ſoluti, cujuſmodi etiam erant, & nunc quoque ſunt, eorum ſaltationes.*
(c) Vide noſtr. Diſſert. de poeſi Hebr. ante Comment. in Exod. & Authores in illa citatos.
(d) Plato de Legib.

Qua poſteriori ratione excuſant Polygamiam Patriarcharum, quibus id permiſſum à Deo, vel ſaltem altiori conſilio toleratum, creditum eſt. Lex Moſaica non obſcurè morem hunc obtinuiſſe innuit, nec tamen damnat. Rabbini permittunt Regibus uxores adusque 18. exemplo Roboami Regis Juda, qui totidem duxit. Iſraelitis verò tot ducere integrum dicunt, quot alendis ſufficiunt. Nihilo tamen ſeciùs Polygamiæ exempla apud privatos minùs erant, quàm communia; Sapientiſſimi quique incommoda ea in repluram metuebant. Sed loco uxorum ſubſtituebant concubinas, quarum erat minus incommodum. Porrò id diſcriminis ponunt Rabbini inter uxorem & concubinam, quòd uxor inſtrumento maritali ducatur, dote illi ſoluta; cùm interim concubinæ aliæ nullo maritali inſtrumento adſciſcerentur, manerent ſubmiſſæ ad nutum matrisfamilias, ut Agar Saræ; ac filii è concubinis nati nullam obtinerent in latifundiis paternis hæreditatem.

Nuptias ad priſtinum legitimum ſtatum revocavit Jeſus Chriſtus, quæ olim tolerabat Polygamiam & divortium, permiſſione ſubmota. Chriſtianis unicam tantum uxorem permittit, juxta illam Creatoris legem: *Creavit hominem ab initio, maſculum & fœminam creavit eos. Adhærebit homo uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.*

Polygamiam interdictam habent hodie Judæi orientales occidentaleſque; quam illis pariter vetarunt edictis ſuis Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius (a). Mahometani, qui ſibi jus illud vindicant, negant id tamen Judæis in ſua ditione verſantibus. Samaritani, Legis Moſaicæ ſtudioſiſſimi, uni fœminæ copulantur, reoſque damnant Judæos orientis, quod ſecretam ſervent Polygamiam. Prodiit Londini Liber inſcriptus: *Polygamia triumphatrix* Authore Lysero è Saxonia oriundo, qui ementitam gerit perſonam *Theophyli Alethei*. Porrò Opus illud plures viri docti ſcrutarunt.

Diſtinguitur Polygamia in ſimultaneam & ſucceſſivam: prior illa viro conciliat plures fœminas, damnaturque ſummo aſſenſu à Legibus, quà Canonicis, quà Civilibus. Succeſſiva ea dicitur, quà plures uxores altera poſt obitum alterius ducuntur: Hanc quidem ægrè licèt & invita permittit Eccleſia. Non rarò enim Concilia & Patres ſignificarunt minùs laudare ſe vota ſecunda. Canonicæ ſanctiones ſacros ordines interdicunt bigamis hiſce, niſi impetrata facultate id à ſe impedimenti removerint.)

POLIGLOTTA, ideſt plures Linguæ. Eo nomine Biblia illa inſcribi ſolent, in quibus pluribus impreſſus Linguis (ſaltem tribus), totidemque columnis diſtinctus Textus exhibetur. Porrò ex Polyglottis alia partem tantùm Scripturæ, alia totam continent. Celebratiſſima autem hæc ſunt.

I. Franciſci Ximenes de Ciſneros, ex Monacho S. Franciſci, Cardinalis, impreſſa A. 1517. quatuor Linguis, Hebraica, Chaldaica, Græca, & Latina.

II. Biblia Juniani, Epiſcopi Nebienſis, Monachi ex ordine S. Dominici: prodiit Pſalterium tantùm A. 1518. quinque Linguis Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina, & Arabica. Cætera volumina Mſſ. manſerunt.

III. Joannis Potken, Præpoſiti Eccleſiæ Collegialis S. Georgii Colonienſis, Pſalterium Hebraicè, Chaldaicè, Perſicè, Arabicè, ſivè potius Æthiopicè, & Latinè excuſum, anno 1546.

IV. Judæorum Conſtantinopolitanorum opera prodiit Conſtantinopoli anno 1546. Pentateuchus Hebraice, Chaldaicè, Perſicè, & Arabicè, unà cum Commentariis Salomonis Jarchi.

V. Iiſdem Judæis curantibus, editus eſt ibidem an. 1547. Pentateuchus Hebraicus, Chaldaicus, Græcus, Vulgaris, & Hiſpanicus.

VI. Joannes Draconita, Caroloſtadienſis in Franconia vulgavit an. 1565. Pſalterium, Proverbia Salomonis, Michæam, & Joelem Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, Latinè, & Germanicè; typis tamen ſubjectum opus Authoris obitu derelictum eſt.

VII. Benedicto Aria Montano curante, formis Chriſtophori Plantini, & juſſu Philippi II. Hiſpaniarum Regis, prodiere Biblia Polyglotta in 8. volumina diſtributa, an. 1572. in quibus præter Hebraicum, Chaldæum, Græcum, & Latinum Textum, Verſio Syriaca N. T. adjecta eſt. Polyglottis Ximenii ferè reſpondent.

VIII. Anno 1586. Heidelbergenſibus typis vulgatum eſt Opus, in quo quatuor columnis totidem Scripturæ V. T. Textus exhibentur, ſcilicet Hebræus, Græcus, & duæ Latinæ Verſiones, altera S. Hieronymi, altera Sanctis Pagnini; quibus adnotationes quædam, Vatablo adſcriptæ, ſubjiciuntur: hinc Operi nomen Biblia Polyglotta Vatabli.

IX. David Wolder Miniſter Lutheranus imprimi curavit Hamburgi per Jacobum Luciam an. 1596. Biblia trilinguia, Græca ſcilicet, Latina, & Germanica.

X. Elias Hutter Germanus, pluribus vulgatis Polyglottis claruit. Prima ejus Biblia Nurimbergæ an. 1599. impreſſa, (in Pentateucho tamen & Libris Joſue, Judicum, & Ruth deſiit) ſex exhibent Linguas, nempè Hebræam, Chaldæam, Græcam, Latinam, Germanam Lutheri; ſexta verò pro variis, ad quas Opus dirigitur, Nationibus varia eſt. Alii enim Verſionem legunt Slavicam, ex editione Vittembergenſi; alii Gallicanam Genevenſem; alii Italicam itidem Genevenſem; alii Saxonicam ex Germanica Lutheri adornatam.

Ejuſdem etiam Authoris opus eſt Pſalterium & N. T. Hebraicè, Græcè, Latinè, & Germanicè. Potiſſimam tamen impendit curam in editione N. duodecim Linguis adornata, nempè Syriaca, Græca, Hebræa, Italica, Hiſpanica, Gallica, Latina, Germana, Bohemica, Anglicana, Danica, Polonica. Prodiit hoc Opus Nurimbergæ an. 1599. duobus Voluminibus in fol., vel etiam tribus in 4.

XI. Biblia Cl. le Jay impreſſa Pariſiis apud Antonium Vitrè, an. 1645. ſeptem Linguas continet, Hebraicam, Samaritanam, Chaldæam, Græcam, Syriacam, Latinam, & Arabicam. Textus Græcus, Latinus, & Arabicus idem exhibetur, qui in editione Antuerpienſi. Nihil ea editione auguſtius, ſi chartam, & characteres ſpectes; pluribus tamen ſcatens mendis, Eruditis diſplicet.

XII. Vix Biblia Cl. le Jay in Angliam delata ſunt, cùm ejus regionis Eruditi alteram editionem emendatiorem, ampliorem, perfectioremque pararunt. Prodiit novum opus 5. Voluminibus an. 1657. Prolegomenis, aliiſque Tractatibus inſtructum, quæ omnia in primo Tomo inſerta ſunt. Quartus, & quintus Tomus novas quaſdam Verſiones Orientales adjectas exhibet; uti & ampla Variantium collectio 106. Tomo legitur. Brianus Valton huic editioni curas impendit, & nomen; appellatur enim vulgo Polyglotta Valtonii. Qui de hiſtoria Polyglottorum plura voluerit, adeat P. Le Long, Congr. Oratorii Opus inſcriptum: *Diſcours Hiſtorique ſur les principales Editions des Bibles Polyglottes. A Paris chez Pralard.* 1713.

POLYMITA. *Tunica polymita* eſt tunica variis intexta filamentis, variiſque diſtincta coloribus, cujus generis fuit tunica Joſephi (b). Hebræus habet: *Tunica paſſim*, qualis etiam fuiſſe veſtis Thamar filiæ Davidis legitur 2. *Reg.* 13. 18. Porrò veſtis *paſſim* ipſiſſima reputatur *tunica faſciata*, qua modo etiam Orientales utuntur. S. Hieronymus interdum *opus polymitum pro opere polymitario* in Textu Latino S. Scripturæ ſcripſit *Exod.* 28. 6. 15. & 36. 8. & 39. 8. in Hebræo autem ad literam eſt *opus cogitantis*, quod de aulæis dicitur. In Ezechiele 16. 10. 13., ſeu in Verſione S. Hieronymi ibidem vox *polymito* occurrit, Hebræo *meſchi*, quod Rabbinis, & pluribus Interpretibus eſt ſericum, reſpondens. Alibi in eodem Propheta 27. 24. Hebræum *rakamah*, quod opus phrygium ſonat, S. Hieronymus vertit *polymitarius*.

POLY-

(a) A. 393. (b) Gen. 37. 3. 23. Septuag. Χιτῶνα ποικίλον.

Digitized by Google

POLYMITARIUS, ſive *Polimitarius*, voa ſæpius in S. Scriptura tecurrens (a), & Hebiæo *choſcheb* (b), nempè artifex, cogitans, inventor, reſpondens. Ea ſedula locorum, ubi vox illa occurrit, diſcuſſione, uſurpatam intelligimus de artifice aulæorum, Græca voce *Polymitario* appellato, quæ propriè artificem ſonat, qui pannos pluribus coloribus, veluti aulæa, texit, & qui utroque, ſuperiori & inferiori, licio, & qui Turcica aulæa, ſive alia conficit. Porrò opera illa nuncupantur etiam *Phrygia*, *Phrygionica*, *Babylonica*, *Alexandrina*, & *Plumaria*, quòd aulæa, & panni acupicti ſimillimi ſint operis.

Ex Moyſis teſtimonio intelligimus, *Polymitarios* in operibus ad uſum Tabernaculi non lanas tantùm purpureas, hyacinthinas, & rubras adhibuiſſe, ſed aurum etiam in bracteas deductum: *Incidit bracteas aureas, & extendit in fila, ut poſſent torqueri cum priorum colorum ſubtegmine* (c).

[POMA ADAM. Jacobus de Vitriaco *Hiſt. Jeroſolym.* cap. 85. refert conſitas eſſe in Palæſtina arbores ferentes fructus ſpecioſiſſimos & mala Aſſyria, in quibus notari licet velut morſus hominis, unde nomen illis *poma Adam*. Meminit etiam Hottingerus arboris cujuſdam in agro Tripolitano Syriæ, cui vulgare nomen Almauz vel *poma Adam*. Nullos promit ramos, ſed tantùm veſtitur foliis in ſpeciem digitorum expanſis; prolixis verò adeo patuliſque, ut tegendo homini vel unicum ſufficeret. Fructum profert ceu fabæ recentis, cujus dulcedo ad mel, odor ad roſam. Sunt qui eodem nomine, *poma Adami*, appellent fructus illos in Palæſtina & Alexandria familiares, pendentes veluti faſciculo quodam confertos, tanta copia, ut interdum ad 20. ſimul exhibeantur; magnitudine verò majora pira æquant. Dulciſſimi ſunt & gratiſſimi; arboris folia ampla ſunt adeo, ut ſingula prolixitate ſua menſurent fermè duos pedes vel cubitum. Affirmant nonnulli arte quadam abſciſſos eos fructus pictam exhibere imaginem Crucifixi.

Vide ſupra *Mandragora*.)

POMPEJUS, *Cneus Pompejus* cognomento *Magnus*, inter clariſſimos Romanorum Duces. Ejus quidem mentio in Scripturis nulla; ſed de rebus ab illo cum Judæis, cujus rei gratia ſæpiùs de illo apud Joſephum, aliquid attingere operæ pretium duximus. Poſt confectum cum Tigrane primùm ann. 3938. deindè cum aliis gentibus an. 3939. bellum, Scaurum in Judæam miſit (d), qui auditis, cùm Damaſcum perveniſſet, diſſidiis inter duos fratres, Hircanum, & Ariſtobulum, ſperans ſe lucrum ex eorum diſſenſione relaturum, iter in Provinciam maturavit. Vix igitur Judæorum fines attigit, cùm amborum fratrum legationibus amicitiam ab utriſque flagitatus eſt. Scaurus Ariſtobulum 300. talenta offerentem fratri prætulit. Quare datis ad Hircanum, & Aretam, qui Ariſtobulum Jeroſolymis obſidione premebant, literis, imperavit, ut quantociùs, niſi mallent Romanos habere adverſarios, faceſſerent. Ita Ariſtobulus à præſentiſſimo periculo liberatus eſt.

Poſt aliquid temporis, Pompejus ipſe Damaſcum veniens, Hircanum & Antipatrum de Scauro querentes, quem auro Ariſtobuli corruptum accuſabant, coram audivit, ſimulque ab illis ſolicitatus, ut debitum jure primogeniti Regnum eidem Hircano reſtitueret. Altero ineunte an. M. 3940. ante Ch. 60. ante Ær. 64. mutuas duorum fratrum, tum & Judæorum de illis querelas audiens, omnia ad ſuum in Judæam adventum, quem brevi meditabatur, differenda cenſuit. Interim Ariſtobulus nihil Pompeii ſententiam curans, urbem munitionibus ac præſidio vallandam, etiam contra Pompeii conatus, ſi opus fuiſſet, curavit.

Confecto igitur Mithridatico bello (e), Pompejus iter in Judæam direxit, auditiſque iterum duobus fratribus, jus utriſque ſuum defendentibus, Ariſtobulum tandem arces ſibi tradere juſſit. Invitus licèt, paruit tamen Ariſtobulus; ſtatimque ut ad omnes eventus ſeſe præpararet, Jeroſolymam contendit. Pompejus euntem ſequutus, cùm omnem defenſionis opportunitatem prævertit, tum metu vires Romanas in ſuum caput inducendi eò adegit, ut coram veniens, & urbem dedere, & ingentem pecuniæ vim ſe ſoluturum polliceretur. Pompejus veniam his conditionibus deprecanti concedens, Gabinium ad urbem, & pecunias recipiendas miſit. Sed fruſtrà hæc, cum milites, foribus urbis clauſis, venientem excipere detrectarint.

Ea accepta injuria offenſus Pompejus, Ariſtobulum in vinculis tenuit, ſimulque exercitu urbi admoto, primò variis propoſitis conditionibus defenſores tentavit. His rejectis, obſidionem aggreſſus, ad ſeptentrionem Templi caſtrametatus eſt, ubi imbecilliora munimenta videbantur. Statim autem Romani milites laboribus belli jam aſſueti, aggeres imponendis machinis moliri; nec minùs impigrè Judæi crebras eruptiones, validamque defenſionem opponere; ut niſi Sabbathi religio obſtitiſſet, illis oppugnantibus, iſtis defendentibus, via alii ſuper alios profeciſſent. Verùm Romani ab invaſionibus die Sabbathi Judæos abſtinuiſſe, ſola defenſione contentos, animadvertentes, arrepta occaſione, ea die ab aggreſſionibus ſeſe continentes, perficiendis aggeribus inſtabant.

Ità abſolutis operibus, urgendis mœnibus & Templo machinæ Tyro advectæ admotæ ſunt. Toto ejus obſidionis ſpatio, illud non ſine Pompeii admiratione animadverſum eſt, nunquam matutina & veſpertina ſacrificia, veluti ſi alta pace omnia fruerentur, in Templo intermiſſa ſunt. Interim tertio obſidionis menſe per muros jam latè disjectos, Cornelius Fauſtus, filius Syllæ, omnium primus, & omnes demùm Romani in Templum evaſerunt, magna Sacerdotum aliorumque, qui fortè occurrebant, ſtrage. Contigit expugnatio illa an. 1. Olympiadis 179. die 28. menſis Caſleu, tertii anni civilis, partim Novembri, partim Decembri reſpondentis, an. M. 3941. ante Ch. 59. ante Ær. 63. quæ dies jejunio ob Prophetiam Jeremiæ à Rege Joakimo igni traditam, deſtinata erat.

Ingreſſus in Templum Pompeius, omnia luſtratus eſt, quæ intueri omnibus, exceptis Sacerdotibus, nefas. In penetralibus ejuſdem Templi menſam auream, candelabra, vaſa, thuribulum, aromata, præter hæc, theſaurum 2000. talentorum invenit. Ex his nedum aliquid contingere veritus eſt, ſed & expiari locum ſacrum à cadaveribus jubens, manè alterius diei ſacrificium Deo offerendum curavit. Dein Hircanum in Regnum & Sacerdotium, Regio tantùm titulo, & diademate denegatis reſtituit. Vide ejus belli hiſtoriam apud Joſephum *Antiq. l.* 14. *c.* 8. & Uſſerium ad A. M. 3941. ubi omnia, quæ apud prophanos Authores habentur, ea de re congerit. Cætera Pompeii geſta à noſtro inſtituto aliena ſunt. Fractus autem à Julio Cæſare in prælio Pharſalico, in Ægyptum fugit, ubi indigno ſatis letho à miniſtris Ptolemæi Junioris, poſtremi Ægypti Regis, ſublatus eſt an. M. 3956. ante Ær. 48.

POMUM, *Malum*. *Malum* interdum fructum utcumque deſignat, Hebræo *peri*, ideſt *fructus*, reſpondens; interdum verò malum, fructum nempè & arborem, Hebræo *taphua* congruens. Moyſes fauſta Joſepho deprecatur, *Deut.* 33. 14. ſcilicet *de pomis Cœli, fructuum ſolis, ac lunæ*; nempè de pomis, quæ Cœlum rore, ſol & luna influxibus fovent. Hebræus ad literam habet; *De delicatis fructibus adventus*

ſolis

(a) Exod. 35. 35. & 36. 35. & 38. 23. & 39. 3.   (b) Septuag. ὑφαντὰ Textilia.
(c) Exod. 39. 3. Vide & verſ. 9.
(d) De Bel. l. 1. c. 5. Ant. l. 14. c. 4. A. M. 3939. ante Ch. 61. ante Ær. 65.
(e) Antiq. l. 14. c. 6. de Bel. l. 1. c. 5. A. M. 3941. ante Ch. 59. ante Ær. 63.

Digitized by Google

ſolis, & de delicatis fructibus adventus lunæ. Chaldæus nomine fructuum lunæ ſignificatum interpretatur quidquid ſingulis menſibus; nomine verò fructuum ſolis, quidquid ſingulis annis provenerit. Erant enim arbores veluti ficus, & malorum aureorum, quibus nunquam ferè fructus deerant. Additur in eadem benedictione: *de pomis collium æternorum*; qua fortaſſe phraſi vineæ, olivarum, & ſimilium, quæ in collibus feruntur, fructus denotati ſunt.

Indicandis navigiis expeditiſſimis Job 9. 26. hiſce verbis uſus eſt: *Quaſi naves portantes poma*. Hebræus habet, *quaſi naves abah*, quod alii explicant de navibus, ſecundo vento delatis; Syriacus, *naves hoſtiles*; Chaldæus *naves optimis fructibus onuſtæ*; alii, *naves egregiè inſtructa*, alii tandem, *naves fluminis Aba*, in Babylonia.

Pſalmiſta cum Deo conqueritur, quòd urbs Jeruſalem ab hoſtibus vaſtata, redacta fuerit *in pomorum cuſtodiam* (a), veluti nempè tugurium pro excipiendis iis, qui in ſpeculam defendendis agrorum fructibus conſtituuntur. Hebræum *biim* ad literam ſonat acervum lapidum, ſivè ruderum, vel arenæ, qualis aliquando in agris, & vineis aggeritur. Confer *Mich.* 1. 6. *Ponam Samariam quaſi acervum in agro, cùm plantatur vinea*. Sponſa in Canticis 7. 13. gloriatur, ſeſe diligentiſſimè omnia poma nova, & vetera ſponſo ſervaſſe; *In portis noſtris omnia poma*. Hebræus habet, *magadim*, nempè res delicatiſſimas, & bellaria.

Salomon verbum opportunè dictum eſſe ait veluti *mala aurea in lectis argenteis*, *Proverb.* 25. 11. Hebræus *veluti poma aurea in ciſtis argenteis*. Porrò poma iſta aurea mala, citrea mala deſignare credimus. Primitiæ autem, ex Rabbinorum teſtimonio in caniſtris argenteis ad Templum deferebantur.

Vetitum à Domino erat, ne Hebræi primos poſt ſatam arborem fructus deguſtarent, ſed tribus prioribus annis tamquam impuros illos abjicere jubebantur. *Levit.* 19. 23. Quarti anni fructus Domino conſecrandi; quinto tandem anno in cibum permiſſi. Illud veluti tributum in ſignum ſuæ ſuper univerſam terram, atque omnis, quæ in illa gignebantur, poteſtatis Dominus indixit.

Brocardus *Deſcript. Terræ S.* ultrò fatetur, rara eſſe in Palæſtina mala, pyra, ceraſos, nuces, & alia hujus generis; ſed eorum ſterilitatem aliorum fructuum copia corrigi: ea ubertate, ut interdum veteres fructus novi emiſſi flores, & fructus excipiant; quò fortaſſe Moyſes ſpectavit in illa phraſi, *de fructibus lunæ*, uti ſupra notavimus. Malis etiam citreis, aliiſque peculiaribus pomis regio fœcunda eſt. Porrò poma iſta ex arbore quadam gignuntur, qua intrà biennium exareſcente, ex ejus emortuæ radicibus, nova germina prodeunt: foliis verò ad ſtaturam hominis erecti longis, & adeò latis obducitur, ut duo ſimul ex illis totum commodè hominem veſtiant. Pomis magnitudine ovi, & craſſo quodam cortice, flavoque obductis fœcundiſſima eſt, quæ in botri forma, interdum ad centum uſque conſerta, corbem mediocrem exhibent. Apud Joſephum *de bello l.* 2. *c* 18, & in tota Scriptura uberrima eſt regio ficuum, olearum, dactylorum ex palmis, mororum, piſtaciorum, amygdalarum, cappsrum, & uvarum. Balſama etiam Judææ apud Authores, tamquam ejus regionis fructus, notiſſima ſunt; nec raræ nuces, & ſiliquæ, quibus ad ſatietatem veſci filius Prodigus optaverat *Luc.* 15. 16. Sponſa in Canticis 1. 13. botri Cypri meminit, quæ arbuſcula eſt mali punici altitudine, cujus tamen botri ſolo tantùm odore in pretio eſſe videntur. Fructus in vicinis Sodomæ naſcentes, in Scriptura, & apud Hiſtoricos notiſſimi ſunt (b); quos ferunt in exterioribus elegantiſſimos fuiſſe, intus verò, nonniſi cinerem, & amaram quandam fuliginem continere: *Terram ipſam ſpecie torridam vim frugiferam perdidiſſe*, ait Tacitus *hiſt. l.* 5 *c.* 6.; *nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſivè herba tenue, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra, & inania velut in cinerem vaneſcunt*. Et Tertullianus *Apolog. c.* 40. *Olet adhuc incendio terra, & ſi qua illic arborum poma conantur, oculis tenùs, cæterùm contacta cinereſcunt*.

PONDUS. Expanſas ponderum, & menſurarum tabulas in calce hujus Dictionarii exhibebimus. Hic tantùm ſubjiciendum duximus, conſueviſſe Hebræos in commerciis argentum, & aurum ad pondus pendere, cùm ſignandæ monetæ uſus nondum apud illos obtinuiſſet. Indicandis ponderibus utebantur nomine *petra*, unde illud: *Non habebis in ſacculo petram, & petram Deut.* 25. 13. 15., (in Vulg. *diverſa pondera*); nempe non habebis diverſa pondera, juſtum, & injuſtum, ſed *petram juſtam, & veram. Petra & petra, epha, & epha, utrumque abominabile eſt apud Deum*, *Prov.* 20. 10. 23.; nempe Deus injuſtitias in commerciis deteſtatur. Siclus, & ſemiſiclus, ac talentum, non tantùm nomina ſunt nummorum quorumdam, auri, vel argenti ſummæ reſpondentium, ſed etiam pro pondere uſurpantur. Moyſes aromata deſignans, quibus thymiama ſuper Altare aureum adolendum conficeretur, 500. ſiclorum myrrhæ pondus determinat *Exod.* 30. 24. &c. Pondus comæ Abſalomi 200. ſiclorum erat 2. *Reg.* 14. 26. Eadem data proportione vox *talentum*, Hebraicè *Kikkar*, ſignificat, quamquam nonniſi deſignandis ingentibus ponderibus in uſu fuit.

(PONDUS SANCTUARII, vel *pondus Templi*. Ponderis Sanctuarii ſæpè Moyſes meminit (c), cùm deſignandum eſt pondus juſtum, publicum, certum. Viri plures docti (d) autumarunt pondera hæc Sanctuarii vulgaria ſuperaſſe. Contrà alii maluere (e) pondera communia viciſſe ſacrum; committuntur illi pariter inter ſe in æſtimando valore ac pondere utriuſque hujus ſicli, & quod ſit diſcriminis ſtatuendum inter ſiclum Sanctuarii, & ſiclum publicum vel *Siclum Regis* (f), vel ſiclum communem. Tenent quidam pondus Sanctuarii & pondus Regia oppoſitum eſſe quoddam ponderi gentium exterarum, Ægyptiorum, Chananæorum, Syrorum &c. Malunt alii *pondus Regium* eſſe pondus Babylonicum, & pondus Sanctuarii Judæorum; ad captivitatem uſque Babyloniςam nihil interceſſiſſe diſcriminis in ponderibus apud Judæos; & quæ ſemel tantùm leguntur de pondere Regis, ſcripta hæc fuiſſe vel recenſita poſt ſolutam captivitatem Babylonicam

Optimi tandem Critici (g) defendunt diſcrimen illud ponderum Sanctuarii & publici phantaſiæ eſſe ludibrium; duo enim illa in eo tantùm diſtingui, quòd priùs illud ſit ceu matrix & norma cæterorum omnium, ſervatum in Templo vel in publica aliqua domo; communia verò pondera ad normam illam probata fuiſſe & exacta; hæc autem nobis præ cæteris probantur. Ex 1. Par. 23. 29. intelligimus ſuum fuiſſe in Templo Sacerdotem conſtitutum: *Super omne pondus atque menſuram*. Præcipit Moyſes, Levi. 27. 25. *Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarii ponderabitur; ſiclus 20. obolos habet*. Nunquam autem diſcriminis quicquam notat inter ſiclum è viginti obolis.

(a) Pſal. 78. 1. Hier. In acervos lapidum. Aquila, Εἰς λιθόλογον.
(b) Deut. 32. 32. De vinea Sodomorum, vinearum. Vide Joſeph. Plin. l. 5. c. 16. Strab. l. 16. & alios paſſim.
(c) Exodi 30. 13. 24. Levit. 51. 5. Num. 3. 50. & 7. 13. 19. & 18. 16. &c.
(d) RR. Jechonias, Gedalias, Pagnin. Valer. Vatabl. Lipman. &c.
(e) RR. Salom. Lyran. Alii nonnulli.
(f) 2. Reg. 14. 26. *Ducentis ſiclis pondere publico*. Hebr. *pondere Regis*.
(g) Valton. Bonfrer. Alii plures &c.

Digitized by Google

obolis ſeu 20. gerah, & vulgarem, Ageus Ezechiel 45. 12. de ponderibus & menſuris in commercio Judæorum familiaribus, aſserit ſiclum æſtimari 20. obolis vel gerah; æquabat igitur pondus Sanctuarii: Tandem nec Joſeph, nec Philo, nec S. Hieronymus, ſeu Veterum alius diſcriminis quicquam notavit inter pondus Templi & populi.

Cæterum mos ſervandi matricem ponderum ac menſurarum in Templis non ſolis Hebræis fuit peculiaris. Ægyptii, referente S. Clemente Alexandrino, è collegio Sacerdotum unum aliquem habebant, cui impoſitum fuit munus menſuras omnes inſpiciendi ſervandique menſuras matrices. Obtinebat id pariter apud Romanos (a). Data lege Juſtinianus, *Novel.* 129. *cap.* 15. præcepit, ſervari in Templis Chriſtianorum pondera atque menſuras.)

PONTIUS PILATUS. Vide *Pilatus*.

PONTIFEX. Vide *Sacerdos*, ubi etiam catalogum Summorum Pontificum exhibuimus.

PONTUS, Regio Ponti, in Aſia minori, quam Pontus Euxinus ad Septentrionem, Cappadocia ad meridiem, Paphlagonia, & Galatia ad orientem, & Armenia minor ad occidentem definiunt. Ejus regionis incolas S. Petrum inſtituiſse ex eo colligunt, quod ad illos, cæteraſque finitimas gentes idem Apoſtolus Epiſtolam dederit. Inter fœderatos cum Codorlahomor Reges, qui expeditionem in Pentapolim ſuſceperunt (b), S. Hieronymus *Arioch Regem Ponti* commemorat. Sed Hebræum habet *Regem Ellaſar*; Jonathan *Regem Thalaſſar*; Syriacus *Regem Dalaſar*. Iſaias 37. 12. inſinuat, regionem Thalaſſar, ſivè in viciniis, ſivè intrà ipſos fines Eden ſitam eſse, cùm de filiis Eden in Thalaſsar verſantibus agat; atque eandem regionem unà cum aliis provinciis ad Tigrim à Regibus Aſsyriæ occupatam tradat. Septuaginta & Onkelos ſervarunt *Ellaſar*. S. Hieronymus reddens *Regem Ponti*, Symmachum ſecutus eſt. Grotius autumat, deſignatum *Regem Eliſariorum*, quos inter Arabiæ populos Ptolemæus recenſet; facilius tamen Rex gentis cujuſdam tranſeuphratææ eo nomine indicatur, uti & de aliis Regibus cum Codorlahomor fœderatis conſtat.

PORCUS, animal notiſſimum, cujus omnis in cibis uſus Hebræis interdictus. *Lev.* 11. 7. *Deut.* 14. 8. Inde verò tantus genti in porcinam horror, ut ne nomen quidem audire ſuſtinentes, illi indicandæ nomen indefinitum uſurpent; hoc animal, hæc res. Eleazarus religioſiſſimus ſenex, ad guſtandas vetitas illas carnes, vel ſaltem ut ſe deguſtaſse fingeret à miniſtris Antiochi ſollicitatus, nunquam acquievit; 2. *Mach.* 6. 8. quin & conantibus vi illas in os obtrudere, ſtrenuè reſtitit, mortem potiùs eligens, quàm Legis ſaltem in ſpeciem violatæ reus, pravo fratribus exemplo futurus, haberi. Hebræos & Phœnices à porcinis abſtinere tradit Porphyrius *de abſtin. anim.* quòd nulli ſint in eorum regione ſues. Addendum illi fuerat, ideò nullos vel ſaltem raros eſse inter eas gentes porcos, quòd ab inſito in illos horrore eoſdem alere prohibeantur; neque enim deeſsent alioqui ſuibus alendis paſcua, cùm Jeſu Chriſti ætate greges porcorum in Palæſtina fuiſse conſtet (c). Non deſunt, qui religioſos honores hiſce brutis à Judæis exhibitos credant; inde verò factum putant, ut ab eorum carnibus ſeſe contineant (d).

Judæus licèt (e) *& porcinum Numen adoret,*
Et Cilli (f) *ſummas advocet auriculas.*

Sed has calumnias refutare ſupervacaneum eſset. Hanc Judæorum abſtinentiam Ethnici deridentes, de illis dictitabant: *Juven. Satyr.* 15.

Nec diſtare putant humana carne ſuillam.

Auguſtus maluiſse ſe dixit (g), porcum eſse Herodis, quam filium; cùm Herodes duos treſve filios enecaſset. Neque Judæi tantùm, ſed & aliæ etiam gentes à ſue abhorrebant. Ægyptii ſanè adeò ſuem deteſtabantur, ut ſi fortuitò illum contigiſsent, ſtatim toto corpore in amne merſi, maculam frigida eluerent. Porculatores verò ab ingreſſu Templi, & commercio aliorum arcebantur (h). Arabes Scenitæ à porcinis abſtinebant; quin & in eorum regionem invectum animal, authore Solino, ſtatim interibat. Scimus, Adrianum, ut ab ingreſsu Jeroſolymæ à ſe reſtitutæ Judæos arceret, atque in ejuſdem populi contumeliam, porci ſimulachrum in foribus erexiſse.

PORPHYRIO, avis fluviatilis, cui ea purpureo roſtro nomen inditum. *Lev.* 11. 18. *Deut.* 14. 17. Quamvis inter impura à Moyſe recenſeatur, quòd fortaſse ingluviei vitio notetur, caſtitatis tamen, & pudoris ingenio adeò celebris eſt, ut proverbii loco uſurpetur: *Porphyrione caſtior*. Genus eſse *herodii* creditur; Judæis eſt *pica viridis*; Samaritanæ Verſioni *pellicanus*; Bocharto *vultur*. Hebræum *rachamach* ſonat miſericordiam; & vulturis in pullos pietas notiſſima eſt; quare Ægyptii ſymbolum pietatis vulturem pinxerunt.

(PORPHYRIO avis eſt cærulea, cujus tamen media pars caudæ ad extremum uſque limbum, cinereum ſubalbeſcens præfert; nigreſcit oculis nitentiſſimaque purpura fulget roſtro & cruribus. Digitis ſtruitur quatuor in morem picarum diſpoſitis. Rariſſima eſt, cujus quædam ſpectantur juxta Narbonam Hiſpaniarum, ubi nomine *Calamon* innoteſcit. Affirmat Plinius deferri ex Inſulis Balearibus, & avem eſse inſignis pulchritudinis, magnitudine galli. Potat aquas non ſorbendo ſed mordendo; eſcas aqua madefacit, quas pede ſtringens levat ad roſtrum. Narrat Ælianus Græcos Romanoſque abſtinuiſſe ab ea ave in conviviis.

Amat flumina; narratque Plinius in Comagene ſpectari id generis aves quàmplurimas. A fronte, vel à ſuperiori parte roſtri ad uſque ſummum verticem flava regnat macula fulicæ perſimilis, ſed vario colore. Quæ pars capitis ſuperiori huic reſpondet inferiùs, atque anterior colli facies ſubviridi imbuuntur. Cauda fermè deſtituitur. Tradit Ælianus Porphyrionem, ſi fortè in ea domo, in qua innutritus eſt, detexerit mulierem adulterium committentem, ſuſpendere ſe ſtatim laqueo, quo indicio hero ſuo detegit vitium uxoris. Apage fabellas!)

PORRUM, olus notiſſimum. Hebræi in deſerto manna faſtidientes, porrum, & cepas, quibus in Ægypto ſatiabantur, optabant. Porrò cepas etiam crudas in Africa, & Græcia ſuaviſſimas eſse Itinerantes teſtantur (i). Vitio Ægypto olim deputatum eſt, quod *allium cepaſque inter Deos in jurejurando haberet*, ait Plinius l. 19. c. 6. Et Juvenalis *Satyr.* 15. eorum ſuperſtitionem ita deridet:

Porrum, & cepe nefas violare, aut frangere morſu:
O Sanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina.

PORTA. De portis domorum apud veteres Hebræos nihil animadverſione dignum occurrit, niſi quod ſtipites ligneos habere conſueviſsent. Quare de Samſone memoriæ proditum eſt, fores portarum

(a) Fannius de Amphora. *Amphora fit cubitis, quam ne violare liceret, Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.*
(b) Matth. 8. 30. 31. Marc. 5. 11. Luc. 8. 32. 33. & 15. 15.
(c) Plut. Arch. Sympoſ. l. 4.
(e) Vulgò legitur. Et Cœli ſummas &c.
(f) Apud Macrob. (g) Herod. l. 2. c. 47.
(h) Bellon. obſerv. l. 3. c. 18. & 32. Spon. Voyage.

portarum urbis Gazæ humeris ſuis impoſitas; *Judic.* 16. 3. nempè repagula, ſtipites, & ſeras, ſi quas habebant, omnes ſimul abſtuliſſe. Hodie in Palæſtina ædium, & Templorum portæ multò humiliores ſunt, ne Arabes regionem obequitantes, illas ingredientes, violent. Apud veteres Iſraelitas nihil ſimile occurrit.

Sæpè tamen in Scriptura nomen *porta* locum denotat, ubi cœtus Judicum aſſidebat (a). Cùm enim Judæi vulgò in arvis exercerentur, locum Tribunalibus præ portis urbium conſtituere viſum eſt, ut lites citiùs poſſent expediri: *Ne cogerentur agricolæ intrare urbem, & aliquod ſubire diſpendium*, ait S. Hieronymus *in Zach.* 8. *Judices in portis reſidebant, ut tam urbanos, quàm ruſticos in exitu, & introitu urbis audirent, & finito negotio, unuſquiſque confeſtim ad ſedes proprias reverteretur.* Hujus Judicii forma apparet in cauſa Booz, & alterius viri, cognati Noemi, pro nuptiis Ruth Moabitidis, quæ agitata èſt pro portis Bethleem; *Ruth.* 4. 1. & in emptione agri ab Abrahamo procurata, ut Saram ſepulturæ mandaret: *Confirmatus eſt ager, quondam Ephronis, Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filiis Heth, & cunctis, qui intrabant portam civitatis illius.* Gen. 23. 10. 18.

Porta etiam interdum vim, & dominandi poteſtatem ſignificat; hinc Regia Imperatoris Turcarum *Porta* nuncupatur. Deus Abrahæ futurum pollicetur, ut ipſius poſteri *portas inimicorum poſſiderent*. *Gen.* 22. 17. Et Jeſus Chriſtus ad S. Petrum *Matth.* 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.*

(PORTÆ. Narrat Scriptura, 1. Reg. 5. 45. Idolum Dagon à Philiſtæis cultum coram Arca Domini concidiſſe dejectum, & ambas ſimulacri manus in liminari ejuſdem Templi projectas jacuiſſe: *Propter hanc cauſam*, addit, *non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur Templum ejus ſuper limen Dagon in Azoto uſque in præſentem diem.* Hanc Philiſthæorum religionem præ oculis habuiſſe videtur Sophonias 1. 9. verbis illis: *Viſitabo ſuper omnes, qui arroganter ingrediuntur ſuper limen*; quæ verba legit Hebræus: *Super omnes qui ſaltant ſuper limen.*

Solent Tartari ad obſequii ſignificationem cavere ne ſuper limen januæ Principis gradiantur (b). Caliphæ Bagdet (c) accedentes ad ædes ſuas cogebant proſternere ſe ſuper limen januæ, ubi commiſſum marmore habebant fruſtulum lapidis nigri Templi Mechæ, quò religionem populis ingererent majorem; accedentes igitur frontem ſuam lapidi applicabant. Porrò ſolium illud elatum erat plurimum, nec calcare pedibus citrà piaculum licebat.

PORTÆ INFERI. Rex Ezechias in ſuo Cantico depingens ſtatum, quò redactus eſſet in anguſtia morbi ſui, ita rem totam explicat: *Ego dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas Inferi.* Jeſus Chriſtus *Matth.* 16. 18. Eccleſiæ ſuæ ſpondet: *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Qua phraſi idem facilè innuitur, ac in Pſal. 9. 15. illud: *Qui exaltas me de portis mortis*; & Pſ. 106. 18. *Appropinquaverunt uſque ad portas mortis*; & Sap. 16. 13. *Deducis ad portas mortis.* Mortem, ſepulcrum, Infernos exhibebant Hebræi ceu regionem, quò ex univerſo Orbe homines novam alteram vitam acturi, confluerent. Depromſimus alibi ideam, qua illi tenebantur, de ſede veterum Gigantum, qui Reipublicæ ſpeciem quandam ſub terram componebant. Pares recurrunt phraſes apud Prophanos, è paribus fortè opinionibus acceptæ. Achilles apud Homerum Iliad. 11. 9. profitetur odio habere ſe tanquam portas mortis, illum, qui ore aliud, aliud corde præfert.

Inſtruitur Infernus juxta Mahometanos ſeptem portis (d); ſingulis verò illis ſuum eſt peculiare ſupplicium. Prior aditus ille eſt, ubi Muſulmani rei commiſſi criminis pœnas dabunt; ſecundus Chriſtianis torquendis deſtinatur; tertius Judæis; quartus Sabiis; quintus Magis, vel Guebris cultoribus ignis; ſextus Paganis & Idololatris; ſeptimus, qui profundiſſimus & abyſſus, locus eſt Hypocritarum, exteriorem tantùm perſonam Religionis ſimulantium. Alii nomine ſeptem illarum portarum deſignata credunt ſeptem peccata capitalia; alii ſeptem potiſſima membra hominis, quæ ſunt ad peccatum inſtrumenta.

PORTÆ ÆTERNALES, de quibus in Pſalmo 23. 7. 9. ſunt portæ Cœli. Invitantur Angeli, ut recluſis Cœli foribus redeuntem Dominum excipiant, quod Aſcenſioni Domini appoſitè convenit.

PORTÆ JUSTITIÆ: *Aperite mihi portas juſtitiæ Pſ.* 117. 19.; ſunt portæ Templi, quas Juſti, Sancti, Sacerdotes Domini, ſynceri Iſraelitæ ingrediuntur, Deo vota ſoluturi, & gratias acturi venientes; prohibentur autem ab illis reliqui omnes ſolis admiſſis Iſraelitis mundis, Juſtorum Natione.

PORTARE INIQUITATEM. Sacerdotes portant iniquitatem populi, expiant crimen. *Aaron portabit iniquitates eorum, quæ obtulerunt & ſanctificaverunt filii Iſrael in cunctis muneribus & donariis ſuis.* *Exodi* 28. 38. Levitici 10. 17. *Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato, quæ data eſt vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini?*

Portare iniquitatem, cùm de Iſraelitis privatis agitur, ſignificat portare criminis ſui pœnam, ad exomologeſim cogi; vel etiam puniri pro merito criminis ſententia Judicum vel Sacerdotum. Levit. 5. 1. Si quis in judicium vocatus ad teſtandum de re, cujus ipſe eſt conſcius, *niſi indicaverit portabit iniquitatem ſuam*; punietur morte; ita enim exponi ſolet illud: *Portare iniquitatem ſuam.* Vide Levit. 19. 8. & 20. 17. 19. 20. & 24. 15. Num. 9. 13. & 16. 31. &c.

Fateamur tamen oportet, illud, *portare iniquitatem ſuam*, tunc maximè, cùm de rebus occultis agitur, ſive de rebus minoris momenti, quarum expiationi certa ſunt in Lege præſcripta ſacrificia, exprimere tantùm crimen ſuum expiare, & offerre hoſtias ad ritum Legis. Scitum eſt *peccatum* & *iniquitas* in Scriptura deſignare non ſolùm peccatum commiſſum, ſed etiam peccati pœnam, & victimam illi expiando deſignatam.

Portare peccatum, uſurpatur etiam pro remittere, tollere, abſolvere atque indulgere. Saul ita Samuelem affatur 1. *Reg.* 15. 25.: *Nunc porta, quæſo, peccatum meum.* Jeſus Chriſtus *Joan.* 1. 29. appellatur Agnus Dei, qui portat vel tollit peccata, morte ſua illa expiat, remittit iis; qui pœnitudine tanguntur. Iſaiæ 53. 4. 12. *Verè languores noſtros ipſe tulit.* Et: *Ipſe peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.*)

PORTICUS. Vide *Templum*.

PORTIUS FESTUS. Vide *Feſtus*.

(POSSESSIONES DÆMONIS. In eo differt ab obſeſſione poſſeſſio, quòd in ea quidem Dæmon infeſtat exteriùs, interiùs verò torquet in poſſeſſione. Vide ſupra *Obſeſſio*. Exempla poſſeſſionum frequentiſſima ſpectantur maximè in Novo Teſtamento. Jeſus Chriſtus & Apoſtoli plures ex eo morbo curarunt; multò etiam plures reſtitutas ejuſmodi valetudines memorat hiſtoria Eccleſiaſtica. Cùm tamen experimentis plurimis conſtet veteratores plures ea arte abuſos de credulitate ſimplicium, obſeſſiones ac poſſeſſiones ſimulantes; factum eſt inde, ut ingenia quædam vulgaribus ſuperiora autumaverint, obſeſſiones æquè omnes morbos eſſe mentis & vitiatæ phantaſiæ affectiones; contingere etiam interdum ut bona fide quidam poſſideri ſe à Dæmone reputaverint: contingere etiam ſæpiùs ut ad certos fines alii ſimulatam Energumenorum larvam aſſumpſerint; uno verbo in obſeſſionibus & poſſeſſionibus omnibus ſyncerum eſſe

(a) Deut. 17. 5. 8. & 25. 6. 7. & 21. 19. & 22. 15. &c.
(b) Bergeron Iter Carpin. cap. 10.
(c) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 157. col. 1.
(d) Alcoran. cap. lapidi.

eſſe nihil, fucata omnia. Hæc autem plauſibiliora in hanc ſententiam promuntur.

Impar eſt Dæmon, ut natura ſua agat in corpora, quippe qui natura eſt ſpiritali, nec ſola, qua pollet, voluntate valet removere hominum membra, agere in humores & organa, niſi impetrata in eam rem à Deo facultate. Si quid tale natura ſua poſſet, infeſtarentur omnia poſſeſſionibus & obſeſſionibus, invidiæ ſuæ in homines exercendæ nunquam deeſſet, atque datam ſibi ad nocendum potentiam, ea, qua tumet, audacia ac faſtu invictiſſimè exereret. Quot, rogo, ſcaterent quotidie homines poſſeſſi, agitati, ſuffocati, in præceps acti, demerſi, igne abſumpti, ſi quid tale poſſe Dæmon concederetur? Si quis reponeret, adſtringi à Deo intra certos limites potentiam hanc Dæmonis ad nocendum, ut modum conſtituat, ne quantum poteſt furat in ſceleſtos & impios; huic reponimus, contingere quin etiam ſæpios ut caſtiſſimis moribus homines ab agente intus vel propiùs Dæmone moleſtentur. Quanta ab eo pertulerit Jobus ſat conſtat; infantes etiam torquentur Dæmone, nec eximuntur vici alii ſanctiſſimi, quorum eſt vita ad probitatem exacta.

Ut quid poſſeſſos utriuſque ſexus homines non exhibent niſi certi generis homines, & regiones? Integræ viciſſim gentes poſſeſſos ne norunt quidem. Unde, rogo, factum eſt, ut energumenos ſufficiant ſolæ regiones, quarum incolæ ſuperſtitione plurima tenentur, atque homines, quorum eſt mens imbecillior & humorum œconomia melancholia turbata? Interroget quis id morbi genere vitiatos utriuſque ſexus, & ſpondeo futurum, ut neminem offendat Energumenum, niſi vitio quodam ſeu mentis ſeu corporis affectum.

Si quis ſtatuat Dæmonem ſeu prohibere, ſeu impedire animæ operationes in energumeno, ut ſibi locum animæ vindicet; vel pariter Dæmonum turbam conſtituat agitantem ac poſſidentem unum aliquem hominem; ille certè arduam per ſe opinionem nova difficultate reddet intolerabiliorem. Quomodo enim concipiamus animam nihil agentem in corpore quod animat, atque commiſſum ſibi munus permittentem Dæmoni? Quomodo conveniet inter pravos illos Spiritus, qui ſimul unum hominis corpuſculum plures moderantur? Profecto ſi hæc citra miraculum præſtari concedamus, quodnam erit deductum è miraculis argumentum incredulis revincendis? Reponent illi ſtatim, quæcunque nos miracula appellamus, hæc in Dæmonem authorem commodè referri. Si verò nonniſi divino prodigio fieri poteſt, ut Dæmon hominem poſſideat, continuò Deum tenebimus authorem vel ſaltem conſortem Dæmonis in obſeſſionibus & poſſeſſionibus hominum.

Frequentiſſima adeò ſuppetunt exempla rerum mere naturalium, quæ ſpeciem exhibent ſupernaturalium; ut reputemus etiam non incongruè in eundem rerum cenſum referri pariter eas, quas appellamus Dæmonis poſſeſſiones. Vitiatæ phantaſiæ homines quidam tranſmutatos ſe credunt in lupos, boves, in vitrum, vel butyrum; aſſumptos ſe in Reges, vel Principes. Nemini tamen ſuccurrit in his rerum eventibus ſeu Diabolicum quidquam ſeu prodigium ſuſpicari. Omnium una eſt perſuaſio, turbatam eſſe illis cerebri œconomiam, affectam vitio mentem ſeu phantaſiam, ſeu ex nonio viſcerum calore, ſeu atræ bilis exceſſu. Medicorum tantùm auxilium, pharmacorum, ac balneorum quæſita; phantaſiæ ad ſanitatem revocandæ ſeu redigendæ in ordinem ingenioſa artificia excogitantur. Nonne profectò ejuſmodi remedia ſuccederent in poſſeſſis? nonne pharmacis naturalibus, purgaminibus, atque refrigerantibus, vel ingenioſo quodam artificio revocarentur ad ſaniora, puta e. g. perſuadendo illis abiiſſe jam Dæmonem & vacuum corporeis reliquiſſe contubernium? Experimenta id generis ſingularia narrantur, quæ tamen, ſi quis in medium referret, aſſertores poſſeſſionum ſemper reponerent id genus hominum nihil minùs fuiſſe quàm poſſeſſos: ultro fateri ſe multum ea in re datum illuſioni; ſed defendunt pariter in ingenti illa energumenorum turba, nonniſi temerè affirmari neminem reipſa à Dæmone teneri. Contrariæ opinionis fautores viciſſim tuentur vacuos eſſe ab infeſtatione Dæmonis ad unum omnes; & quæcunque poſſeſſis hiſce accidunt, commodè omnia explicari abſque eo quod agens Dæmon ſtatuatur: in eo totus diſputationis cardo verſatur.

Defenſores poſſeſſionum animadvertunt erroris damnandos fuiſſe Jeſum Chriſtum, Apoſtolos, & Eccleſiam, ſi hæc omnia mera eſſent ludibria; illiſque pariter incentoribus authoribuſque ageremur in errorem, cùm hanc ſervent agendi, loquendi ac precandi rationem, quæ veritatem Energumenorum inſinuat. Alloquitur Jeſus Chriſtus, & imperat Dæmonibus, quibus aguntur Energumeni; reſpondent illi, atque imperanti parent, argumenta præſentiæ ſuæ, miſeros illos quorum contubernium relinquere coguntur, dire torquentes, exhibent; violentis concuſſionibus illos agitant, projiciunt in terram, & tanquam exanimes relinquunt; recipientes ſe interim illi in gregem porcorum, omnes agunt in præceps, convolvuntque in mare. Quis hæc phantaſiæ ludibria appellet? An preces & adjurationes Eccleſiæ ludibria cenſenda ſunt, ludus, & terriculamenta imbecillium quarundam mentium? Miſſionis ſuæ argumentum id exhibet Jeſus Chriſtus, Dæmones ſcilicet expellere ſe *Lucæ* 7. 20. 21. eandemque pariter Apoſtolis ſuis poteſtatem in malos Spiritus collaturum ſe ſpondet, *Marci* 16. 17. An hæc omnia ludibria ſunt?

Damus ultrò plura aſſignari indicia ambigua genuinæ poſſeſſionis; ſed certa ſunt etiam plura. Eſto; poſſit aliquis ſimulare fictam Energumeni perſonam, geſtus, verba, motus, diſtortiones, clamores, ululatus, & alia quædam, quæ ſupra naturam videntur imitari; hæc utique omnia, ſeu incaleſcenti phantaſiæ, ſeu infecto melancholia ſanguini, ſeu veteratoris calliditati referuntur accepto. Verùm inſtructum aliquem audire ignotis illi antea linguis, audire pariter diſſerentem de iis, quæ hominis ingenium, ac ſtudium omne ſuperant; detegentem occulta & ignota; ſpectare hominem in aera ſublatum, vel agentem ac loquentem multò planè adverſùs inſitas naturæ ſuæ propenſiones; hæc omnia verò agentem, abſque eo quòd ad tentandum aliquid ſimile inducatur ſive rerum ſuarum commodis, ſive paſſione, ſive alia quacunque naturali cauſa hæc, inquam, præſtantem ſive omnia, ſeu pleraque ſimul, aliter ne, quàm re ipſa Energumenum reputabimus?

Plures ſunt autem Energumeni, quibus ex his multa ſimul quadrant. Sunt igitur re ipſa Energumeni quidam, ii maximè, qui in Evangelio tales exhibentur. Alto autem Numinis conſilio factum eſt, ut quo tempore Jeſus Chriſtus venit in mundum, Iſraelitarum multos poſſideret Dæmon; ut ea daretur occaſio illius potentiam exerendi, atque argumentis plurimis miſſionis & divinitatis ipſius ſynceritas demonſtraretur.

Quanquam autem id damus, raros eſſe maxime qui poſſideantur re ipſa à Dæmone; & ſi qui dantur, multò difficiliùs agnoſci; nihilo tamen ſeciùs prodigio deputandas illas, negamus. Eſto, nunquam id contingat niſi Deo permittente; nihil tamen habent ſeu repugnans, ſeu naturæ leges excedens. Cui, rogo, ſuccurret prodigium in eo agnoſcere, quod probus Angelus, ſeu proba nobis inſpiret, ſeu à diſcrimine ſubmoveat? ita pariter & malus Angelus valebit ducere nos in malum, turbas in corpore noſtro ciere, inducere procellas. Malorum Angelorum operationi imputat Scriptura necem primorum natu Ægypti & copiarum Sennacheribi excidium; ſicut & probos Angelos depluiſſe dicit ignem, quo Sodoma & Gomorrha abſumptæ ſunt. Prodigioſa ſunt iſta quidem in multis, ſed non in omnibus. Nihil aliud præſtat Deus, quàm ut poteſtate ſua abuti Dæmonem permittat; exercent illi vim hanc ſuam, quam in

ordinem redigit refrænatque Dei potentia. Nimis elato ſupercilio ſententiam ferimus in naturam illorum Spirituum, quam parùm adeo noſcimus.

Perſuaſum habuit Joſephus *Antiq. lib.* 7. *cap.* 25. poſſeſſiones illas Dæmonum effici ab animabus impiorum, quæ redigere ſe ad loca ſupplicii ſuis deſtinata metuentes, invadunt corpus hominis, quod agitant, torquent, diſcruciant, ut vel in necem inducere moliantur. Singularia hæc Joſephi videntur; vulgò enim Judæi reliqui conveniebant agente Dæmone poſſideri Energumenos. Scriptura in Libro Tobiæ 6. 10. & 8. 2. 3. docet, Aſmodæum Dæmonem in fugam actum fuiſſe nidore jecoris piſcis. Refert Joſephus *Antiquit. lib.* 8. Salomone authore ſcriptas fuiſſe adjurationes liberandis è malorum Spirituum tyrannide Energumenis; additque Eleazarum Judæum affectos eo morbo nonnullos revocaſſe ad ſanitatem, ſpectante coram Veſpaſiano; ſubjeciſſe autem naribus illorum olfaciendam radicem quandam à Salomone indicatam, quam annulo tenebat inclulam, pronunciato ſimul nomine ejuſdem Regis, atque aſſignata ab illo adjuratione recitata. Cecidit ad hæc in terram miſer, ceſſavit ab eo torquendo Dæmon. Habebant igitur perſuaſum agere Dæmones in corpora, ſicut & in corporibus impreſſiones aliquid illis cauſari. Videſis noſtram Diſſertationem de hoc argomento, ſive in nova Collectione noſtrarum Diſſertationum ſeorſum excuſarum Pariſiis ann. 1720. in 4. vol. 3. ſive in Verſione earum Latina edita Lucæ ann. 1729.)

POSSIDONIUS, ſive *Poſidonius*, quem una cum cæteris Nicanor ad Judam Machabæum de conditionibus pacis acturum miſit. 2. *Mach.* 14. 19.

PRÆADAMITÆ, homines, qui Adamo præceſſerunt. Qui æternum eſſe Mundum, & pluries innovatum putarunt, plurium hominum generationes ante Adamum enumerant; quæ fuit quorumdam inter Veteres ſententia. Ita S. Clemens Alexandrinus in libro Hypotyposeon apud Phot. Cod. 109. materiæ æternitatem, & metempſycoſim invehens, plures ante Adamum mundos commentus eſt. Julianus Apoſtata plures ſimul homines ab exordio Mundi creatos aſſeruit; quod etiam pluribus Mahometanis probatur. *Simon Lettres choiſies t.* 3. Author Libri Cosri ex veteribus quibuſdam monumentis neſcio quem Jambuzar, Zagrit, & Roanum, homines ante Adamum memorat, inter quos Jambuzar præceptor Adami habetur. Rabbi Abrar tradit, Jafar Ionan Turcarum, qui circa annum 770. florebat, in ea fuiſſe ſententia, ut tres Adami ante illum, de quo Moyſes, extiterunt; & præter hos, ſeptem alios extituros pro totidem Mundi revolutionibus aſſerebat.

Noſtra ætate Peirerius quidam hanc Præadamitarum hypotheſim innovans, commentus eſt, Deum diu ante Adamum plures ſimul homines per totam latè Mundi faciem creaſſe (a). Ea primus illis mortalibus Ethnicos derivat, uti ex Adamo Judæos, gentem electam, acceſſit. Moyſes enim, ait, unicè tradendæ Hebræorum hiſtoriæ vacans, cæterarum gentium, quarum nullum cum Hebræis negotium, hiſtoriam neglexit. Diluvium verò Noemicum, addit, non totum latè orbem ſubegit, ſed eam tantùm regionem, quam poſteri Adami incolebant. Adam autem Divinis juſſionibus refragatus, crimen in Mundum invexit, cujus virus totam ejus progeniem latè infecit. Sed Pagani ex Præadamitis derivati, cùm nec Legem, nec Dei mandata recepiſſent, nullius prævaricationis rei damnati minimè fuerunt; quamvis enim criminoſam vitam egiſſent, vitium tamen illis non imputabatur, quòd Deum ignoranter offendiſſent.

Commentitiam hanc, & impiam hypotheſim hîc refutandam non ſuſcipimus, Lectorem ad ea, quæ in *Gen.* 2. 17. diſputavimus, remittentes, & ad Scriptores de hoc argumento agentes. Porrò Author ille in Collegio Patrum Oratorii B. V. de Virtutibus prope Lutetiam Pariſiorum, errores ſuos damnavit, ubi etiam diem clauſit. Ejus liber primò Hollandicis typis anno 1652. vulgatus, ſæpiùs iterum excuſus eſt.

(Judæorum ſaltem nonnulli in ſuſpicionem venerunt aſſertæ Præadamitarum opinionis. Ex illis quidam tuentur (b) vel Moyſem ipſum docuiſſe geminos extitiſſe Mundos, ducto Geneſis initio ex litera *Beth* (c), quæ ſecunda eſt elementi, & duo ſignificat in numerali nota. Vetus quidam Rabbinus, ineditus, contendit (d) creatas fuiſſe à Deo res ſeptem ante Univerſum, videlicet Legem, Infernum, Paradiſum, Thronum gloriæ ſuæ, Sanctuarium, Nomen Meſſiæ, & Pœnitentiam, quibus omnibus fidem adſtruit ex Teſtibus Scripturæ æternitatem hiſce conciliantibus. In hunc Rabbinum ſuſpicionem erexit Maimonides, tanquam inclinantem in ſententiam Platonis de mundi æternitate. La Peirere Syſtem. Theolog. part. 1. l. 3. cap. 3. demonſtravit, pluribus in ſuam ſententiam laudatis, ſyſtema illud de Præadamitis propugnatum fuiſſe à Rabbinis. Fatendum eſt tamen è Judæis pleroſque, creationem tanquam fidei dogma tenentes, illi adverſari.

Quæ ſententia homines ante creatum Adamum invexit, apud Orientales obtinet. Interrogatus Giafar Sadik, unus è duodecim Imanis (e), num alter Adam ante noſtrum extiterit, repoſuit tres poſtremum hunc præceſſiſſe, ſubſecuturos verò poſt illum alios 17. Requiſitus iterum an alii à Deo procreandi eſſent homines poſt eorum Mundi, repoſuit: An vultis Regnum Dei vacuum, ejuſque potentiam inertem remanere? Deus jam inde ab æternitate ſua creator eſt. Ex ſeimè apud omnes Muſulmanos increbuit fama (f), Pyramides Ægypti excitaſſe ante Adamum quendam Gian Ben-Gian, cujus erat in Mundum univerſum Imperium ſæculis creationem Adami noſtri præcedentibus. Porrò temporis ſpatium illud tenuiſſe affirmant 40. Solimanos (g) vel Monarchas univerſales terræ, quorum fuit ſucceſſio per ſæculorum plurimorum ductum ante creationem Adami. E Principibus illis ſinguli imperabant certi generis creaturis, diverſis planè ab illis, quæ Adamo authore effuſæ ſunt, ratione tamen tanquam homines utentibus. Ex illis quædam pluribus inſtruebantur capitibus, aliæ erant multibrachiæ, aliæ pluribus corporibus multiplices. Sed multùm etiam in capitibus hiſce illorum diſcrimen, alia enim referebant Elephantinus, alia Vitulinos, vel Aprinos rictus, quin & monſtruoſiora alia. Has fabellas venditant Mythologiſtæ Orientales.

PRÆCEPTA NOACHIDARUM, ſeu præcepta à Noemo filiis ſuis tradita, quæ ipſa ſunt, Judæorum opinione, naturalis legis ſanctiones. Vide *Noachidæ* in Dictionario Biblico.

PRÆDA. Moyſes, ſeu potiùs Deus mandat *Num.* 31. 27. ut relata ex hoſte præda dividatur ex æquo inter eos, qui pugnaverunt, & reliquam omnem multitudinem. Quibus verbis injungitur diſtribuenda in duas æquas partes præda, ut dimidia portio maneat eos, qui decertarunt, dimidia pariter eos, qui ſe continuerunt in caſtris. Ita tamen, ut ſi exercitus manus conſerens 20000. implebat; qui verò ſe continuiſſent in caſtris aſcenderent ad 4000. priores illi dimidium totius prædæ haberent, quanquam numero eſſent inferiores.

Addit Moyſes: *Separabis partem Domino ab his, qui pugnaverunt, & fuerunt in bello: Unam animam de quin-*

(a) Præadamitæ ſeu exercitatio in Rom. 5. 12. 13. 14. quibus inducuntur primi homines ante Adamum conditi, an. 1655.
(b) Vide Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 6. cap. 6. (c) Gen. 1. 1.
(d) R. Eliezer in Pirke Abbot. cap. 3. (e) Bibliot. Orient. pag. 56. col. 2.
(f) Idem pag. 211. col. 1. (g) Idem pag. 820. col. 1. 2.

de quingentis tam ex hominibus, quam ex bobus & aſinis, & avibus, & dabis eam Eleazaro Sacerdoti, quæ primitiæ Domini ſunt. Ex media quoque parte filiorum Iſrael (qui non decertarunt) *accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ovium, & cunctorum animantium, & dabis ea Levitis, qui excubant in cuſtodiis Tabernaculi Domini.* Ex quo factum eſt, ut portio Eleazari & Sacerdotum major eſſet, data proportione, quàm quæ manebat 12000. illos milites, qui tunc manus conſeruerant, quàm quæ pariter & Levitis obtigit; quod autem tunc obſervatum eſt abiit deinceps in legem. Hujus exemplium habes in iis, quæ ſub Davide præſtita ſunt, poſt fuſos Amalecitas direptas Siceleg. 1. *Reg.* 30. 24. 25.

Defendunt tamen Rabbini ſub Regibus Iſrael aliam diſtribuendæ prædæ legem obtinuiſſe (a). Regi permittebantur Manubiæ devicti Regis, terrarum, mancipia, animalia, ſpolia, theſauri. Reliqua deinde prædæ in duas æquas partes diſtributa; Regia una portio, altera militum, qui manus conſeruerant. Porrò militaria hæc præda æquis partibus dividebatur tam inter milites in prælio pugnantes, quàm inter cæteros, qui caſtris defendendis ſeſe continuerant. Contendunt autem eas regulas jam inde à tempore Abrahami obtinuiſſe, quod ægrè quidem argumentis probatur; ſed legimus, *Geneſ.* 14. 20. Abrahamum obtuliſſe Domino decimas prædæ è quinque Regibus captæ; ſicut & ex illa munera obtuliſſe Melchiſedecho.

Par apud Prophanos diſciplina animadvertitur. Solemne erat Græcis olim, ut milites in unum manubias omnes conferrent; tum Rex vel Imperator inter omnes æquis portionibus cuncta diſtribuebat (b). Sua etiam ſpoliorum portio Diis conſecrabatur. Partem manubiarum primam offerri Jovi Feretrio alteram Marti, tertiam Quirino ſanciverat Numa (c). Interdum, quæ ſecernebatur Diis portio, abſumpta erat flammis, interdum conſecrabatur in Templis.

In Alcorano tit. *Anfal*, decernitur è relatis ab hoſte ſpoliis quinque portiones diſtingui; quatuor militibus permitti, quintam *pertinere ad Deum, ad Prophetam Mahometum, ejus neceſſarios, Orphanos, pauperes ac peregrinos.* Interpretes plures Muſulmanoi tenent nonniſi honoris quadam ſignificatione mentionem injici de parte ſpoliorum Domino conſecranda; ſed alii contraria defendentes tenent, impoſitum id arcto præcepto; quæ autem pars Deo cederet, hanc conferendam in ornamenta atque in ſacra tecta, ſeu Templi Mechæ, ſeu cæterarum Moſchearum. Portionem verò ad Prophetam ejuſque neceſſarios ſpectantem alii abolitam dicunt obitu ejus ac propinquorum, ac proinde juris eſſe totam orphanorum, pauperum, & peregrinorum; alii verò malunt impendendam eſſe in commune Muſulmanorum commodum, vel in Principem Meſchezæ loci vel locorum, ubi major ejus rei neceſſitas poſcit. Sed hæc res noſtras minùs tangunt; illud utique non obſcurè conſtat, Impoſtorem hunc totam eam diſciplinam è Lege Moyſis derivaſſe.)

PRÆDESTINATIO, *Prædeſtinare*, vox, quæ à Latinis interdum de ſimplici deſtinatione ad aliquem uſum, certamque rem uſurpatur: Eccleſiæ verò, & Theologorum conſenſu ad æternum Dei Conſilium, quo ad Fidem aliquos, ſivè ad Salutem æternam deſtinavit, aliis in maſſa infidelitatis, & corruptionis derelictis, ſignificandum transfertur. Porrò quos Deus ita negligendos duxit, reprobos; quos verò ſelegit, prædeſtinatos appellamus.

Duo prædeſtinationum genera diſtinguuntur; alterum ad Gratiam, alterum ad Gloriam; nec ſanè omnes, qui ad Gratiam, continuò etiam ad Gloriam prædeſtinatos conſtat: quot enim ſunt, qui ad Gratiam vocati, deinde à propoſito excidunt? Qui vero ad Gloriam ſelecti ſunt, illis nec prædeſtinatio ad Fidem, ad juſtificationem, immò nec perſeverantia deeſt, de quibus proinde Apoſtolus: *Rom.* 8. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Fide, atque Theologorum aſſenſu certum eſt, prædeſtinationis ad Gratiam beneficium gratis omninò conferri; quorſum enim alioqui *gratia* appellaretur? De prædeſtinatione ad Gloriam, Theologi inter ſe diſſident, alii enim omnino gratuitam contendunt; alii futura Electorum merita Deum præ oculis habuiſſe putant, cùm illos ad Gloriam deſtinavit. Primam ſententiam S. Auguſtinus, & qui illum ſequuti ſunt Patres, S. Thomas, & florentiſſimæ Eccleſiæ Latinæ Scholæ prætulerunt. Hanc prædeſtinationem ita S. Auguſtinus *de dono perſev. c.* 14. *n.* 35. definit. *Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud, præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Tam altè verò ea de gratuita omnino prædeſtinatione ſententia Auguſtini menti inſederat, ſententia, inquam, de gratuita prædeſtinatione Electorum ad Gloriam, qua Deus efficaciſſima Electis auxilia, quibus ad Gloriam deducantur, præparat, ut eam eſſe Eccleſiæ fidem indubitanter aſſeruerit *ibid. c.* 23. & *c.* 19. *n.* 48. *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe.*

(Perſuaſum tenuerunt veteres Hebræi, uti & nos pariter affirmamus, Deum ſcientia ſua prænoviſſe quæcunque à nobis præſtanda erant ſeu bona, ſeu mala. Id utique refert ipſa Divinitatis, providentiæ, ac ſcientiæ Divinæ notio. Deus ad Jeremiam 1. 5. *Antequam exires de vulva ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Cùm verò agitur de exhibenda juxta quadam idea ſyſtematis Hebræorum in prædeſtinationem & reprobationem, atque in fœdus gratiæ cum arbitrii libertate, rei difficultas ſentitur. Neque enim argumentum illud adeò tunc excuſſum erat, ac modo ſit; nec laboratum fuerat adhuc tanto molimine formandis ſyſtematibus Theologicis ad explicanda profunda illa myſteria, acumini ingeniorum noſtrorum impenetrabilia.

Philo (d), Joſephus *de bel. l.* 2. *c.* 12. & Rabbini (e) reputant Deum ab ipſo rerum exordio creaſſe omnes ſimul animas & materiam, qua conſtat univerſum, ut cum novum aliquod corpus formatur, non creatæ de novo animæ, ſed jam inde ab exordio factæ jungatur. Cenſet Philo Angelos, Dæmones, & animas ejuſdem eſſe naturæ omnes, nomine tantùm diſcerni; ſicut autem inter Genios pravi ſunt ac probi, ita pariter & animarum bonas eſſe & malas; animas perinde ac Angelos ſedes habere ſuas in celſiſſima aeria regione, ex quo influunt in corpora, animandis illis inſtruendiſque ſuis, ſeu bonis ſeu malis habitudinibus; tandem animas illas frui libertate perfecta, qua rectè vel ſecus utentes, promerentur ſibi in æternitate vel pœnas, vel ſupplicia.

Agnoſcit Joſephus Antiquit. l. 18. c. 2. & de Bello l. 2. c. 12. & l. 3. c. 10. Philiſtæos fatum admittere, nec tamen hominum libertatem atque ſupremum Dei in creaturas imperium excludere. Animas, quæ vitam ad probi normam inſtituerunt, è corpore reſolutas, loca repetere, quæ deſeruerunt, cum ſæcul-

(a) Vide Selden de Jure Nat. & Gent. lib. 6. cap. 16.
(b) Homer. Iliad. D.
(c) Serv. in Æneid. 6.
(d) De Gigant. 285. 286. & de Confuſ. linguar. pag. 331. de Plant. Noe pag. 216. de Somniis pag. 586.
(e) Menaſſe Ben-Iſrael Conciliat. in Geneſ. quæſt. 6. pag. 12. & de Creat. problem. 17. Vide Grot. in Sap. 8. 20. & in Joan. 9. 2.

ſacultate tamen redeundi ad aliud corpus, ſi quod maluerint, animandum; cum viciſſim impiorum animæ æternis ſuppliciis addictæ ſint. Tenebant Eſſeni animas pellectu quodam attractas illabi in corpora; quæ verò ibi vitam agerent ſanctam, eas poſt obitum corporis pergere ad loca deliciarum ultra Oceanum; impios verò manere loca quædam tenebroſa, ut ibi degant in tormentis.

Author libri Sapientiæ, quem cum Philone plures conſuderunt, ita loquentem Salomonem inducit cap. 8. 28. *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cùm eſſem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum*. In his utique paria ſpectes dogmata, quæ apud Philonem. Apoſtoli, *Joan*. 9. 2. quærunt a Jeſu Chriſto, num cæcus à nativitate quidem id ſibi incommodi promeruerit, ſeu merito ſuo, ſeu parentum crimine. Autumabant igitur animam illius præextitiſſe antequam veniret in corpus, paremque tunc fuiſſe crimini admittendo.

Origenes (a), qui cum Hebræis favebat præexiſtentiæ animarum, ex illis pariter adoptaverat facilè ſyſtema ſuum de prædeſtinatione & reprobatione hominum; quo ſcilicet ſtatuebat Deum voluntatis ſuæ decretum poſuiſſe ſervandis, ſeu puniendis hominibus, poſuiſſe ſcilicet ductu ſcientiæ illius ſuæ, cui omnes compertæ erant ſeu bonæ ſeu deteriores animarum, dotes, antequam illæ infunderentur in corpora; ſicuti pariter decreto huic Dei normam exhibuiſſe ſcientiam divinam de uſu pravo, vel ſecus libertatis animarum illarum, antequam alligarentur corpori, & poſtquam junctæ eſſent corpori, dum vitam acturæ eſſent in terra. Habebat igitur perſuaſum animas antequam migrarent in corpora, plena inſtrui libertate in bonum & malum; quæ verò hominibus in hac vita accidunt ſeu bona ſeu mala, ſeu proſpera ſeu adverſa pœnas eſſe vel præmia pro merito præcedentis vitæ, cujus rei gratia prælatum fuiſſe dicit Jacob Eſau, quorum prior dilectus, alter odio eſt habitus; hic ſervituti, alter imperio deſtinatus.

Nos igitur, ſi Origenem docentem audiamus (b), prædeſtinamur quidem, non præſcientiæ Dei beneficio, ſed meritorum noſtrorum jure. Promeruit Jacob prædeſtinationem ſuam digna illa cura, quam ſibi aſſumpſit, mores ſuos excolendi; quod cùm ab Eſau minus diligenter præſtitum fuiſſet, nec beneficiis ſibi Deo conciliando ſollicitus teneretur, ideo reprobandum ſe tanquam vas ignominiæ exhibuit. Ipſe pariter Apoſtolus Paulus ſovit in corde ſuo aliquid, cujus merito præberet cauſam electionis ſuæ illi, qui omnia præmovit antequam impleantur; norat enim Deus invictos illos viri labores pro excolendo Eccleſiæ agro. Id Origenis ſyſtema tanquam fundamentum exhibuit Pelagio conſtruendi ea, quæ de prædeſtinatione & reprobatione invexit; quo ſpectat illud S. Hieronymi in Epiſt. ad Cteſiph. de Pelagio: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*.

S. Joannes Chryſoſtomus in Epiſt. ad Rom. 9. tanquam oraculum & os Eccleſiæ Græcæ univerſæ merito habendus, ab opinionibus hiſce Origenis recedit, defendens à Deo reprobari ac prædeſtinari homines, non quidem merito operum præcedentium, ſed tantùm futurorum, quæ ipſe prænovit. *Qua de cauſa hic quidem* (Jacob) *amori, ille autem* (Eſau) *odio habitus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat. Cur igitur hoc dixit Deus: Major ſerviet minori? Quod non expectat, quemadmodum homo, à rerum exitu videre quiſnam bonus ſit, quiſnam item non talis; ſed etiam antea novit quiſnam malus, quis non talis. Hoc igitur præſcientia eſt ab ipſorum partu electionem facere; à primo enim die bonum, & eum item qui talis non eſt, & novit & pronunciavit. Quàm multi Matthæo meliores eſſe videbantur ab apparenti operum argumento? Verùm qui arcana novit, is & in cœno margaritam jacentem novit*.

De Pharaone verò agens, in Rom. 9. obſervat Regem illum ſcelerum ſuorum merito in crimine animum obfirmaſſe, in vas indignationis transformatum; viciſſim autem Judæos miſericordiæ vaſa effectos, ex genuina ipſorum probitate atque integra in Deum fide. Et hom. 80. in Matth. 25. ſcribit Regnum Cælorum jam inde à mundi exordio & antequam electi naſcerentur, ipſis electis præparatum fuiſſe, quòd ſcilicet Deus ex tunc prænoſceret quid illi futuri eſſent. Diſſerens ille pariter in ſententiam Pſalmi 138. 3. *Tu cognoviſti cogitationes meas de longe*; ſunt, ait, homines adeò rudes, & ſcientia deſtituti, ut dicant: Hic homo probus eſt, quòd à Deo electus ſit & dilectus, iſte impius, quod à Deo odio habitus. Contraria planè docet Propheta, operum noſtrorum experimento probari nos à Deo perhibens. Ex his verò argumenta exhibet illa nobis præſcientiæ ſuæ, quam ſcilicet præſcientiam experimento operum noſtrorum confirmat, veritus ne præſcientia ſua virtutum noſtrarum cauſa reputetur.

Græci Patres poſt S. Chryſoſtomum in eandem fermè ſententiam locuti ſunt, nec Græci recentiores aliter tenent, quàm veteres illi, qui præceſſerunt, Patres. Quoties de concilianda Eccleſia Græca cum Latina actum eſt, nunquam res fuit de prædeſtinatione & reprobatione. Ad dogma illud quod attinet conveniebat inter partes, quanquam diſſidium eſſet aliquod Græcorum cum Latinis in ratione illius exprimendi. Utrique damnabant Pelagium & Cæleſtinum defendentes homini nihil eſſe virium in bonum ſupernaturale, niſi adjuto gratiæ ſupernaturalis auxilio; cum interim Pelagius contenderet homini pronum eſſe uſum libertatis ſuæ in bonum malumque ad ſalutem ordinatum, etiam remota gratia, nec gratiam ipſam præſtari, niſi ad menſuram meritorum. Conſule noſtram Diſſertationem in Prædeſtinationem, & Reprobationem, præfixam Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos.

PRÆPARARE vel *parare* uſurpatur etiam ſæpè pro conſtituere, fundare, firmare. Reſpondet Hebr. *Kun* hæc omnia deſignanti. *Præparans montes in virtute ſua Pſal*. 64. 7. fundans, firmans montes in ſua potentia. *Parata ſedes tua ex tunc Pſal*. 92. 2. conſtituta ab æternitate. *Super flumina præparavit orbem terræ Pſal*. 23. 2. firmavit ſcilicet ſuper aquas.)

PRÆPUTIUM, pellis, quibus glandula virilium veſtitur, quam in circumciſione infantis præcidebant, iis cæremoniis, de quibus ad vocem *Circumciſio*. Præputium Pueri Jeſu in circumciſione abſciſſum, plures Eccleſiæ apud ſe habere gloriantur; ut Cathedralis Eccleſia Podii in Velaunis, Collegialis Antuerpiæ in Belgio, Eccleſia B. V. de Columba in Diœceſi Carnutenſi, S. Cornelii Compendienſis, S. Jo: Lateranenſis Romæ. Contraria harum Eccleſiarum jura difficile eſt conciliare, cum & Præputium illud unicum fuerit, neque ſanè conſtet, an ad nos uſque pervenerit.

Interdum pueri ſine præputio naſcuntur, quod ſpeciale Divinæ Providentiæ beneficium eſſe infantibus illis collatum Hebræi putarunt. Moyſem illo donatum aſſerunt. Porrò nulla in pueris illis circumciſio ſervatur, ſed tantùm paululum abſciſſa pelle, ut duo, treſve ſanguinis guttæ eliciantur, tota cæremonia peragitur. Cùm Judæorum ſententia præputium, ſive incircumciſio, macula eſſet omnium fœdiſſima, atque hominem vocare incircumciſum probri loco haberetur, ideò Ethnicos, & alienigenas per contemptum *incircumciſos* appellabant. Et S. Paulus *Rom*. 2. 26. Ethnicos *præputii* nomine, Judæos, *circumciſionis* ſignificat. *Si præputium juſti-*

(a) Apud Hieron. in Epheſ. 4. 2. Orig. in Mat. Fact. 35. pag. 123. & l. 2. Peri-Archon, & in Jo. 1. 5.
(b) Apud Hieron. in Epheſ. 14. & 4. 2. & in Ep. ad Rom. 1. & 9.

[illegible] *Legis* [illegible], [illegible] *in circumciſionem* [illegible]? *Et ipſis Galatis. Conditiona eſt* [illegible] *Evangelium prædicare, ſicut & Petro circumciſionis.*

Non defuiſſe ex Judæis conſtat, qui Religionis ſuæ inſigne prubri loco ducentes, Chirurgorum opera præputium ſibi reparare conabantur. 1. *Mach.* 1. 16. & 1. *Cor.* 7. 18. Ejuſmodi quoſdam opera Medicorum ad eam rem uſos fuiſſe teſtatur Origenes *Philocal.* c. 1. teſtatur; & S. Epiphanius *de ponder. & menſuris*, inſtrumentum in eam rem inventum, totumque artificium prodit. Eamdem operationem Cornelius Celſus Medicus celeberrimus integro capite 25. *l.* 7. deſcribit. Paria apud Galenum legas; & apud Bartholinum *de Morb. Bibl.* c. 36. laudantur Ægineta, & Fallopius, qui circumciſionis notas celandi ſecretum explicant; Buxtorfius alius apud eumdem longo Authorum Judæorum catalogo deducto, probat, morem illum refractariis à Religione familiarem fuiſſe (a).

Ex ea Judæorum perſuaſione, qui præputium & incircumciſionem probri loco, circumciſionem verò tamquam ingenui viri characterem habebant, derivatum credimus, ut res quæcomque impura, inutilis, perniciosa, figurata loquutione incircumciſa appellaretur. Moyſes tardiloquus *labiis* ſe eſſe *incircumciſum* fatetur. *Exod.* 6. 12. ſo *Auribus incircumciſis* apud Jeremiam 6. 10. ſunt Judæi ſurdis auribus ejus monita excipientes; quare eos hortatur, ut *corda circumcidant*; ad literam, *Auferte præputia de cordibus veſtris*, *Jer.* 4. 4. & 9. 26. ſcilicet faciles aures præbere. Moyſes iterius invehitur contra Judæos cordibus incircumciſos, qui Dei jugo colla ſubdere detrectabant. *Levit.* 26. 41. Illud etiam edixit: *Cum plantaveritis ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis* (nempè tribus prioribus annis.) Hebræus legit: *Fructus ejus erit vobis præputiatus*, *Levit.* 19. 23. Paria in N. T. habentur; S. Stephanus ita Judæos objurgat: *Incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. *Act.* 7. 51.

PRÆSENTATIO, vox, quæ uſurpari ſolet de oblatione filiorum natu majorum, quos parentes in Templo Domini exhibebant; ſivè de oblatione aliorum filiorum, ſivè rerum quarumlibet ex voto. Anna filium Samuelem duplici titulo Templo obtulit, 1. *Reg.* 1. 11. & tamquam filium natu majorem, & tamquam ſpeciali voto Deo dicatum. Quamvis autem priori titulo oblatus puer quinque ſiclis redimi potuiſſet, *Levit.* 27. 6. ſpeciali tamen voto ſervitiis Dei toto vitæ tempore addictus, in Tabernaculo ab ineunte ætate relinquendus erat.

Infantem Jeſum primogenitum ſuum parens Virgo in Templo ritè obtulit, ſolutiſque 5. ſiclis, Legali ſcilicet pretio, redemit, *Luc.* 2. 22.

Vetus tandem Eccleſiæ traditio, quam vetuſtiſſima (b) quædam indicant monumenta, tenet, B. Virginem Templo à parentibus ex voto conſecratam, triennem præſentatam fuiſſe, ibique ad duodecimum uſque ætatis annum, Angelis alimenta exhibentibus, manſiſſe. Adoleſcentem jam puellam collocare Sacerdotibus viſum eſt, ne indecorum aliquid in Loci Sancti Religionem admitteretur. Zacharias igitur Summus Pontifex Sacris veſtibus indutus, Sanctuarium ingreſſus eſt, effuſoque in preces Angelus Domini per viſum apparens, juſſit viduatos conjuge viros cogere: cujus autem virga (à ſingulis enim ſua deferenda) prodigio aliquo divinitus claruiſſet, illum puellæ

Tom. II.

ſponſum deſtinatum ſciret. His executioni mandatis, ſingulorum virgæ in Templo depoſitæ, manè ſingulis arefcentes reſtitutæ ſunt. Verum vix ſuam à Summo Sacerdote Joſeph accepit, ſtatim columba ex illa erumpens, capiti adſiſtens viri inſedit. Eo indicio Sponſo Mariæ agnito, connubium celebratum fuit.

Paria fermè in Evangelio de Nativitate Mariæ legas (c), de puella nempè in Templo à Parentibus oblata; ubi cum cæteris juvenculis ibidem educanda. Cùm verò decimum quartum ætatis annum jam attigiſſet, cæteris coævis puellis, facta ſibi à Summo Sacerdote poteſtate, in ædes proprias, nuptum mox tradendis, regreſſis; velle ſe dixit Templi ſervitio, cui voto parentum tota vita addicta erat, vacare; nuptiarum verò ſpem, virginitati ſuæ virgo dicata, omnem ſibi præciſiſſe ſciret. Summus Sacerdos his auditis hærens, tamquam de re nova Deum ſibi precibus conſulendum cenſuit. Toto igitur cœtu ſolemni quadam die ea de cauſa orante, ex propitiatorio Sanctuarii vox in auribus Summi Sacerdotis inſonans, omnes viros è familia Davidis conjugio ſolutos congregandos edixit: cujus verò inter illos virga floreret, eidemque virgæ S. Spiritus in columbæ ſpecie inſideret, ipſi puella traderetur.

Accitus ergo inter cæteros Joſephus jam grandævus, primo virgam non exhibens, nullo Divino prodigio deſignatus eſt. Regreſſus verò, virgam ſuam cæterorum virgis junxit, ſtatimque florem emiſit, atque S. Spiritus in columbæ ſpeciem inter flores inſedit. Eo indicio cuſtos Virginitatis Mariæ inter cæteros ſelectus eſt.

PRÆSEPE, ſivè *Præſepium*. Beata Virgo Puerum Jeſum enixa, in præſepio ſtabuli, cum alius non ſuppeteret locus, reclinavit. Porrò ſtabulum illud in rupe exciſa conſtituunt veteres Patres (d); quare Præſepium itidem in ſaxo exciſum fuiſſe potuit; facilè tamen receptaculum quoddam ligneum, Puero excipiendo aptum, continebat. Præſepe, quod Romæ ſervatur, ligneum eſt. Latinus Scriptor, quem ſuo nomine S. Chryſoſtomi Baronius laudavit, Præſepe illud lateritium fuiſſe ſignificat, quo ſublato, ait, alterum argenteum repoſitum eſt (e).

Juxta Domini Præſepe aſinum, & bovem pingere more receptum eſt; quam in rem laudari ſolet illud *Iſa.* 1. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*; & illud, *Abac.* 3. 2. *In medio duorum animalium cognoſceris*; uti & plurium Patrum ſententia, nempe Chriſtum in Præſepio à bove & aſino agnitum fuiſſe (f). Eadem ſentit Pſeudo-Lactantius in poemate, & Pſeudo-Proſper de promiſſionibus.

(Præſepe, ubi natus Infans Jeſus conſtitutus eſt. Refert S. Lucas 2. 7. Virginem SS. & S. Joſephum cùm in diverſorio vacuum ſibi locum non offendiſſent, receptiſſe ſe coactos in ſtabulum, ubi Virgo parens enixa eſt puerum Jeſum, *& pannis eum involvit, & reclinavit eum in Præſepio*. Veteres Patres (g) qui loci, ubi natus eſt Jeſus, meminerunt, natum illum conſtanter affirmant in ſpelunca exciſa in petra. Hunc locum non in Urbe Bethlehem poſitum affirmant S. Juſtinus *in Dialog.* & Euſebius Demonſt. lib. 7 cap. 4. & de vit. Conſtant. lib. 3. cap. 41. ſed in agro juxta Urbem. Illos meliùs de ſitu loci inſtructos fuiſſe, quàm cæteros omnes, ut credamus par eſt, cum S. Juſtinus indidem eſſet, & Euſebius ibi pariter verſaretur. Hanc ſpeluncam ad

V

extrema

(a) Vid. noſt. Comment. in 1. Mach. 1. 16. Vid. & S. Hier. in Iſa. c. 53 & in Jovin. l. 1. Lyran. in 1. Mach. 1. 16. Rup. l. 9. de Vict. Verb. c. 18. qui negant fieri poſſe, ut circumciſionis ſigna deleantur: cujus ſententiæ etiam videtur Origenes, Princip. c. 2.

(b) Protevang. Jacobi nu. 7. 8. &c.

(c) Evang. de Nativ. M. n. 6. 7. 8.

(d) [illegible] Juſt. Dial. Vide Baron. & Caſaub. Vide & Euſeb. Vita Conſtant. l. 3. c. 41. Hieron. Ep. [illegible] Orig. in Celſ. [illegible] (e) Baron. ad A. Ch. 1 § 5. [illegible] Chriſtiani quaſi pro honore [illegible]

(f) Nazianz. Orat. de Chr. Nativ. Nyſſen. de Chr. generat. Prudent. in Cath. [illegible] Kalend. Januar.

(g) Orig. in Celſ. lib. 1. Athanaſ. [illegible] in Luc. [illegible] Nyſſen. de Chriſti Nativitate [illegible] Theodoret. lib. 8. de Græc. affect. cur.

extrema Urbis Bethlehem, meridiem verſus conſtituit S. Hieronymus *Epiſt.* 24. *ad Marcell.*)

PRÆSES. Quicumque rei cuipiam, ſive operi præeſt, is continuo Præſes appellatur. Quare ſui ſunt Præſides Muſicæ, operum muralium, urbis, Templi; ac potiſſimùm ſuos habuit Judæa Præſides, ex quo in Provinciam à Romanis redacta fuit (a). Poſt damnatum exilio Archelaum Tetrarcham Judææ, Romani ſuos in illam Præſides miſerunt, quos interdum Præſides, ſæpè Procuratores, & Prætores appellatos conſtat. Parebant illi non Imperatoribus tantùm, ſed & Procoſſ. Syriæ, cujus pars Judæa habebatur.

Coponius, eques Romanus, omnium primus, ea præfectura donatus eſt (b), quam geſſit ab A. Chr. 9. & Ær. 6. uſque ad A. Ch. 13. & Ær. 10. Syriam *P. Sulpicio Quirino*, de quo S. Lucas 2. 2. adminiſtrante.

M. Ambibucus, ſivè *Ambivius*, circa A. 10. Ær. Coponium excepit, ac triennio Provinciam adminiſtravit; uſque ad annum ſcilicet 13. Ær. circiter; neque enim certum ejuſdem præfecturæ tempus à Joſepho *Antiq. l.* 18. *c.* 3. notatur.

Annius Rufus, ab A. 13. Ær. circiter rerum potitus eſt, anno ſcilicet, vel biennio.

Valerius Gratus, ſucceſſor Rufi, Provinciam habuit 11. annis, ab A. Ær. 15. vel 16. uſque ad 26. ſivè 27. *Joſeph. ibid.*

Pontius Pilatus, ad A. 26. ſivè 27. Ær. præfecturam iniens, exeunte A. 36. & Chr. 39. abdicavit.

Marcellus, à Vitellio Procoſ. Syriæ Pilatò ſuffectus A. 36. Ær. altero anno Ær. 37. conceſſam à C. Caligula Agrippæ Provinciam, una cum Regio titulo dimiſit.

Sub Agrippa, vetus Judææ ſtatus reſtitutus eſt; ſed eo vita functo, an. Ch. 47. Ær. 44. iterum in Provinciam à Claudio redacta, *Cuſpio Fado* ſub Procuratoris titulo (c) regenda commiſſa eſt.

Fado poſt biennium, anno ſcilicet Ær. 46. *Tiberius Alexander*, filius Alexandri Alabarchæ Judæorum Alexandrinorum, & nepos Philonis, in præmium ejuratæ Judaicæ Religionis ſucceſſor datus eſt.

Poſt biennium, A. Ær. 48. *Ventidius Cumanus* in Provinciam venit, quam uſque ad A. Ær. 52. habuit.

Felix, libertus Claudii Imperatoris, ab A. Ær. 52. uſque ad 60. in eadem Præfectura ſucceſſit.

Porcius Feſtus ab A. Ær. 60. Provinciam excipiens, an. 62. ibidem occubuit.

Albinus, Præſes fuit ab A. 62. ad 64. Ær.

Geſſius Florus, labente ann. Ær. 64. ſivè ineunte A. 65. omnium poſtremus eandem præfecturam iniit; qua peſſimè adminiſtrata, ſeditionem, ac bellum concitavit. Quid de illo factum ſit ab A. Ær. 66. quo Judæorum ſeditio cœpit, prorſus latet. Urbis excidium ad an. Ær. 70. conſignandum eſt.

(PRÆSIDES. Solemne erat Romanis mittere Præſides in Provincias ditionis ſuæ, ſicut & in Regna, quæ redegerant in provincias. Damus hic ſeriem Præſidum Syriæ, digeſtam à D. Boivin Seniori.

Anni ante Chr.	*Præſides Romanorum in Syria.*
62.	1. Scaurus. *App. Syriac. Joſeph. Antiquit. lib.* 14. *cap.* 8. *& 9. de bello lib.* 1. *cap.* 5. 6.
62.	2. L. Marcius Philippus. *App. Syr.*
59.	3. Cn. Lentulus Marcellinus. *App. Syr.*
57.	4. Gabinius. *App. Syr. & Parth. Joſephus Antiq. lib.* 14. *cap.* 10. 15. *Cicer. pro Sext.*
53.	5. M. Licinius Craſſus. *Joſeph. Antiquit. lib.* 14. *cap.* 12. *App. Syr. Parth.*
53.	6. C. Caſſius Longinus pro Craſſo abſente. *Joſephus lib.* 14. *cap.* 12.
52.	7. Bubulus. *Cicer. ad Attic. lib.* 6. *Epiſt.* 5. *App. Syr. & Parth.*
	Saxa. *App. Syr.*
49.	8. Metellus Scipio. *Joſeph.* 14. 13. *Cæſar. Bell. Civ. lib.* 1. *Plutar. Cicer.*
47.	9. Sex. Jul. Cæſar. *Joſeph Antiquit.* 14. 17. *& de Bell.* 1. 8. *App Civil. lib.* 3. *&* 4. *Dio* ... *Hirtius de Bello Alexandr.*
45.	10. L. Statius Murcus *vel* Marcus. *Strab. lib.* 16.

PRÆSIDES HEBRÆORUM. Vide infra v. *Theocratia.*)

PRÆTORIUM. Palatium Præfecti Romani, ubi ille jus dicebat, Prætorium in Evangelio appellatur (d). Eo ad cauſam dicendam Jeſus Chriſtus deductus eſt. Prætorium illud, ubi jus in Chriſtum à Pilato dictum eſt, poſt adeo varios Jeroſolymæ eventus, poſt excidium illius, everſamque urbem à Tito, adhuc, ſi ſuperis placet, oſtenditur; in Eccleſiam, uti ferunt, ſucceſſu temporis tranſlatum.

S. Paulus adductum ſe ad Prætorium Romanum teſtatur, *Philipp.* 1. 13. *Itaut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio, & in cæteris omnibus.* Porrò Prætorium hic de Palatio Neronis dictum aliqui interpretantur (e); alii de certo loco ubi Romanus Prætor jus dicebat. Palatium quidem Imperatoris nunquam Prætorii nomine appellatum occurrit; fieri tamen potuit, ut nomen illud, quod de domo Præſidis Jeroſolymæ uſurpabatur, Imperatoris Romani ædibus Apoſtolus tribuerit. Alii tandem deſignata eo nomine credunt caſtra Prætorianorum militum, quo Apoſtolus facilè adduci potuit ab eo milite, quem iiſdem vinculis ſibi alligatum, pro conſueto apud Romanos more, habebat.

PRESBYTER, nomen ex Græco *Preſbyteros*, quod ſonat *ſeniorem*. De Sacerdotibus uſurpatur, quos Hebræi *Cohen*, Græci *Hiereas* appellant. In Textu tamen Latino Scripturæ, Preſbyteri nomine non ſemper Sacerdotes appellantur; Judith in domum ſuam accivit Cabri, Carmi, & *Preſbyteros civitatis*, *Judith.* 8. 9. Jeſus filius Sirach ita pauperculum inſtruit, *Eccli.* 4. 7. *Preſbytero humilia animam tuam.* Et alibi *In multitudine Preſbyterorum prudentium ſta*, *Eccli.* 6. 35. Bini etiam ſeniores, ſive Judices Iſraelis, qui Suſannam accuſarunt, *Preſbyteri*, *Dan.* 13. 28. appellantur. In Latino tamen N. T. nomen *Preſbyter* tantùm de Sacerdotibus uſurpatur. Porrò de Sacerdotibus vide *Sacerdotes.*

(PRETIOSUS. Anima Saul *pretioſa fuit oculis* David 1. *Reg.* 26. 21. cùm ſolitarium illum nactus, abſtinuit ab eo manus; i. e. illum obſervavit, ſuſpexitque venerans tanquam pretioſum aliquod & meriti ſuperioris, à quo ſibi eſſet abſtinendum. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, ait Pſ. 115. 15. Pretioſiores ſunt illi Deo, quàm ut manibus impiorum permittantur; & Pſ. 71. 14. *Pretioſum nomen eorum coram illo*; charam apud ſe memoriam illorum retinet; Septuaginta & Vulgata reddunt: *Honorabile nomen eorum coram illo.* Iſaias 13. 12. *Pre-*

(a) Vide Matth. [illegible] 11. [illegible] & 28. 14. Luc. [illegible] & 20. 20. & 21. 12. Act. 23. 24. &c.
(b) Antiq. l. 19. c. 1. & de Bello l. 2. c. [illegible]
(c) Antiq. l. 20. c. 7. de Bel. l. 2. c. 19.
(d) Matth. 27. 27. Mar. 15. 16. Jo. 18. 28. 33.
(e) Ita Chryſoſt. Theodoret. Theoph. Eſt. Eraſm. Menoch. Huber. Diſſert. in hunc locum.

Pretioſior erit vir auro ; avidus inhiabit adverſarium perimendo hoſti, quam prædæ obtinendæ.

Pretioſus eſt etiam rarus. Dum tacitis præerat Summus Sacerdos Heli, *ſermo Domini erat pretioſus* 1. *Reg.* 3. 1. rarò Deus ſe communicabat, rari erant Prophetæ. Jobus 28. 10. de homine agens: *Omne pretioſum vidit oculus ejus;* nihil eſt rarum & pretioſum, cujus aſpectu ille ſatiare oculos ſuos non cupiat. Salomon *Prov.* 17. 27. docet: *Qui moderatur ſermones ſuos doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus vir eruditus.* Hebræus: *Pretioſus, vel qui raro ſpiritum emittit eſt vir intelligentiæ.*

Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris, ait Deus ad Jeremiam c. 15. 19. Si æſtimaveris quantum par eſt donum Prophetiæ munuſque illud, cui à me deſtinaris, eris os meum, ablegatus & interpres meæ voluntatis.)

PRIAPUS, Veterum Ethnicorum Numen, Bacchio, & Venere propugnatum. Lampſaci ortus in Helleſponto, eam urbem ſuo cultui addictiſſimam deinde habuit. Deus erat hortorum, & viretorum, aſini ſacrificio potiſſimum cultus. Numen Priapi legimus in S. Scriptura ſpeciali religione matronas Jeroſolymitanas veneratas fuiſſe, cujus Sacerdotium Maacha, Aſæ Regis Juda mater, per ſe gerere voluit. Templum tamen, ſivè ſpecum Aſa ſubvertens, impium Numinis ſimulachrum incendio tradidit, matremque ad ejuranda turpia myſteria coegit, 3. *Reg.* 15. 13. & 2. *Par.* 15. 16.

Hebræus habet, Maacham *Miphlezeth Aſtra* ſacricatam fuiſſe, ipſumque deinde *Miphlezeth* incendio juxta torrentem Cedron Aſam cremaſſe; amoviſſe inſuper à Regno (nempe ab ejus adminiſtratione) eandem Maacham, conflati *Miphlezeth* ream. Hanc Hebræam vocem de Priapo explicandam eſſe non omnes conveniunt; cùm plures *territamentum* vertant. Nec fortaſſe aliò ſpectavit S. Hieronymus, vertens *Priapum*, cùm ejus ſimulachra territandis avibus in hortis apponi conſueverint. *Horat. l.* 1. *Satyr.* 8.

. . . . Inde ego furum aviumque
Maxima formido.

Faciliùs tamen vox illa innuit obſcœnas illas figuras, quas Ethnici *Phallos* (a), ſivè *Ithyphallos* appellant, Adonidi viro Aſtartis, ſeu Veneris dicatas; *Phallus* enim ex Hebræo *Phalaz*, quod radix eſt vocis *Miphlezeth*, apertiſſimè derivatur; & *Aſtra*, cui Maacha ſuos *Miphlezeth* dedicavit, ipſiſſima eſt Aſtartes, ſeu Venus.

PRIMITIÆ. Munera, ſivè portiones fructuum, quas Hebræi Domino offerre jubebantur, in ſignum ſupremæ illius in totam gentem, atque in res omnes authoritatis, primitiæ appellabantur. Antequam in meſſem falces immitterentur, primitiæ ad Templum deferendæ erant, uti & non antea collectarum meſſium uſus ſingulis permittebatur, quàm ex illis primitias perſolverent; inde primitiarum nomen. Primæ omnium primitiæ totius Gentis nomine offerendæ erant, hordei manipulus, qui ſub veſperam diei 15. Niſan collectus (b), deinde in atrio Templi excutiebatur. Excuſſa igitur, & cribro purgata grana trium pintarum menſuram implentia, igne torrebantur, ac toſta in mortario terebantur.

Ita præparatum frumentum, ipſeque log olei ſuperfuſo, Sacerdotibus offerebatur, adjecto thuris pugillo; Sacerdos oblationem coram Domino ad quatuor Mundi plagas ſiſtens, tandem illius pugillo in ignem injecto, cætera ſibi retinebat. Poſt hæc, meſſes colligendi ſingulis facultas permiſſa. Vide *Manipulus.*

Collectis meſſibus, die nempe Pentecoſtes, aliæ Domino primitiæ totius gentis nomine offerebantur,

duo nempe panes ex duobus farinæ aſſaronibus, *Levit.* 23. 17. nempe ex tribus pintis ſingulos. Hos panes fermentatos fuiſſe conſtat; quamquam non duos, ſed unum Joſephus *Antiq. c.* 10. *l.* 3. commemorat, quo pane, ait, Sacerdotes cœnant, ita tamen, ut reliquiæ in craſtinum non ſuperſint.

Præter eas primitias, nomine totius gentis oblatas, ſuæ etiam ſingulis præſcriptæ erant; quamquam nec tempus, nec quantitas aſſignatur in Scriptura. Aſſignant tamen Rabbini, ſexageſimam nempe ex omnibus fructibus partem (c). Munificentiſſimi quadrageſimam pendebant; alii quinquageſimam; alii tandem ſexageſimam. Primitiis autem ſolemniter deferendis in turmas ex 24. hominibus conſtantes procedebant (d). Totam pompam bos ad ſacrificium deſtinatus præcedebat, oleatum foliis redimitus, atque rutilantibus auro cornibus. Vir etiam præibat tibia canens. Porrò primitiæ ex frumento, hordeo, ficubus, ex malis Armeniacis, olivis, & dactylis collecta erant. Omnes caniſtris deferebant quiſque ſuas, caniſtris autem, ſivè aureis, ſivè argenteis, ſeu vimineis pro cujuſque conditione. Inter eundum, cantica decantabant, & cùm ad urbem ſanctam perveniſſent, à civibus obviam procedentibus comiter excipiebantur.

Cùm pompa in montem, cui Templum inſidebat, perveniſſet, ſinguli, ne Rege quidem excepto, caniſtrum ſuum in humeros tollentes, ad atrium uſque Sacerdotum deferebant. Tunc Levitæ intonabant: *Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me, Pſal.* 29. 2. Qui verò primitias deferebat, hæc verba recitabat, *Deut.* 26. 3. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingreſſus ſum in terra, pro qua juravit patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Continuò verò caniſtrum in manu tollens, Sacerdote illud inferiùs ſubſtinente, proſequebatur: *Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero, crevitque in gentem magnam, & robuſtam, & infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptii, & perſecuti ſunt, imponentes onera graviſſima: & clamavimus ad Dominum Deum patrum noſtrorum; qui exaudivit nos; & reſpexit humilitatem noſtram, & laborem, atque anguſtiam: & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in ſignis, atque portentis: & introduxit ad locum iſtum, & tradidit nobis terram, lacte & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.* Eâ formula abſoluta, ſtatim caniſtro ad Altaris latera depoſito, pronus ſalutans adibat. De primitiis prolixum tractatum legas in Miſna, in tractatibus *Thrumoth,* & *Beccurim*, & Comment. ibid. in Exodum 22. 29. & 23. 19.

Quartum etiam primitiarum genus ſeparandum erat, *Num.* 15. 19. 20. quoties enim panis in uſum familiæ conficiendus erat, farinæ aqua ſubactæ portio in uſum Sacerdotis, aut Levitæ, in eadem urbe verſantis deſtinanda erat. Si nullus eſſet Sacerdos, ſivè Levita, in clibano relinquebatur igne abſumenda. Nulla certa hujus panis portio in Lege quidem præſcripta erat, ſed intra quadrageſimam, & ſexageſimam totius maſſæ ſegregandam eſſe traditione receptum, S. Hieronymus *in Ezech.* 45. affirmat. Morem illum familiarem Judæis fuiſſe ex Philone *de pręmiis Sacerdot.* colligimus; neque noſtra ætate obſolevit, uti Leo Modena teſtatur (e). Cùm autem conficiendi panis munus ad fœminas ſpectare ſoleat, ideò tanquam unum ex tribus præceptis ad fœminas pertinentibus habetur. Cùm farinæ maſſa 40. ovorum magnitudine aqua ſubigitur, placentulam quamdam ſegregant, quam in ignem projiciunt, illud addentes: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex Mundi,* qui

(a) Vide Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 5.
(b) Cod. Menachoth. Vide Maimon. in Temidim & Moſaphim.
(c) Vide. Miſn. tract. Thrumoth. c. 4. n. 3. (d) Ibid. tract. Bechurim c. 3. n. 3. &c.
(e) Cerem. de' Giud. p. 2. c. 9.

[illegible] *noſtra ſemen ſeminare poſſit.* In doctrina Rabbinorum nullum per diſertum, primitiarum præceptum, niſi ex Terra, & ambitibus, ut dictum eſt: ex tota vero maſſa, ſive aqua ſubacta, ſeu ex viceſima quarta pars offerenda erat, præter piſtores, qui ad ſolam quadrageſimam octavam obligabantur.

Primitiarum nomen aliquando in Scriptura uſurpatur de oblationibus ſpontaneis, quas Iſraelitæ ad Templum deferrent ob inſtruenda convivia charitatis, pro egentibus, amicis, & Levitis, qui in eorum ſecum ædibus verſantur, *Deut.* 12. 6. Primitiæ, & decimæ certiſſimi erant, atque uberiores Sacerdotum, & Levitarum proventus. Primitiæ autem tum ex fructibus agri, tum ex animantibus natu prioribus ſolvendæ erant. Infantes vero natu majores Domino quidem deſtinabantur, ſed oblatos in Templo, parentes, pretio quinque ſiclorum (a) ſoluto, atque [illegible], 2. ſolidorum, & denario, redimebant.

(Primitiæ. Latinum hoc nomen uſurpatur ad literam non ſolum de primitiis fructuum terræ, & de oblationibus, quæ Domino conſecrabantur; ſed etiam de rebus quibuſque ſui generis eximiis. E. g. Apoſtolus, Rom. 8. 23. de Chriſtianis: *Primitias ſpiritus habentes*; i. e. majorem ſpiritus Dei ubertatem ac perfectiora & excellentiora dona, quàm quæ Judæis collata ſint: Idem pariter de Chriſto è mortuis reviviſcenti, ait, 1. *Cor.* 15. 20. *Primitiæ dormientium*. De eodem Jeſu ſcriptum eſt etiam Apoc. 1. 5. *Primogenitus mortuorum*; ſeu reſuſcitatorum à morte. Idem Apoſtolus 2. Theſſal. 2. 12. ipſos è Theſſalonica Fideles electos à Deo dicit, *primitias in ſalutem*: ſelectos nempe delectu peculiari, quemadmodum mos eſt de primitiis, quæ de exquiſitiſſimis frugibus ſegregantur Domino.)

PRIMOGENITUS, nomen interdum primum, excellentiſſimum, & ſelectiſſimum quippiam ſignificans. Hinc Jeſus Chriſtus dictus eſt *Primogenitus omnis creaturæ*, Coloſſ. 1. 15. & *Apoc.* 1. 5. *Primogenitus mortuorum*; nempe ante omnes creaturas à Patre genitus, & primus, qui propria virtute è mortuis ſurrexit. Sapientia de ſe ipſa perhibet, ex ore Altiſſimi prodiiſſe *primogenitam ante omnem creaturam*, Eccli. 24. 5. Apud Iſaiam 14. 30. *primogeniti pauperum* ſunt omnium egentiſſimi; & apud Job. 18. 13. *primogenita mors*, eſt omnium teterrima. Et ſic de cæteris.

Poſt deletos gladio Angeli exterminatoris, omnes primores natu Ægyptiorum. *Exod.* 12. 29. Deus in Lege præcepit, ut omnes, qui primi ex quapiam matre orirentur, non inter homines tantum, ſed & inter bruta domeſtica, atque ſervitiis deſtinata, ſibi conſecrarentur. *Exod.* 13. 2. 3. 12. 13. Soli tamen mares huic præcepto ſubjecti erant; ſi enim fœmina prior orta fuiſſet, nihil pro illa, neque pro cæteris poſt illam filiis, à parentibus ſolvendum erat. Verum ſi ex pluribus uxoribus plures quiſpiam haberet filios natu majores, ſingulos etiam Domino offerre jubebatur, mox pretio quinque ſiclorum redimendos, *Levit.* 27. 6.

Animal purum, uti bos, agnus, hædus primum è matre ortus, Templo offerendum erat, nullo unquam pretio redimendum *Num.* 18. 17. Oblatum vero, ſtatim mactabatur; effuſoque circum Altare ſanguine, atque adipe in ignem ejuſdem Altaris injecto, cætera Sacerdoti cedebant. Animal impurum, cujus uſus in cibis non permittebatur, veluti equus, aſinus, camelus, hoc pacto, ſive aliquo ſe pro illo oblato, redimebatur. Aſinus, vel

ove, vel quinque ſiclis commutabatur, *Exod.* 13. 13. *Num.* 18. 16. non redemptus enecabatur, *Exod.* 13. 13. & 34. 20. Canes, utpote impura animalia, juxta aliquos Commentatores occidebantur (b); neque enim lucrum ex illis referre Sacerdotibus permiſſum: *Non offeres pretium canis in Domo Domini* (c).

Fructus arborum (d) recens ſtirpatarum prioribus tribus annis impuri cenſebantur: quarti anni fructus omnes ad Dominum ſpectabant; inde Dominis facta colligendi poteſtas.

Huic Legi an Jeſus Chriſtus ex Virgine natus, & unicus, ſubjectus eſſet, varii varia diſputant. Alii enim immunem fuiſſe cenſent, quippe qui in lucem editus ſit, intactum virginitatis clauſtrum in matre relinquens (e). Alii ſubjectum pronunciant; hinc enim etiam vim habuiſſe credunt verba illa Legis: *Omne maſculinum adaperiens vulvam*, [illegible] *maſculinum primogenitum* (f). Alii tandem perſuaſum habent, verba Legis unicè Jeſum Chriſtum ſpectaſſe, utpote à Moyſe oraculo prolata, qui futurum intellexit, ut Jeſus Chriſtus Virginis uterum aperiret, cùm in aliis fœtibus longè aliter contingat: nam, ait Origenes, *Omnium mulierum non partus infantis, ſed viri coitus vulvam reſerat* ... [illegible] *patefecit* (g).

In redimendis filiis natu prioribus Judæi noſtris quidem temporibus has ceremonias obſervant. Pro puellis nulla ceremonia ſpecialis decreta eſt; pro maribus vero trigeſima à partu die evoluta (h), aliquis ex poſteris Aaronis pro patris arbitrio vocatus, ſimulque pluribus in domum coeuntibus, pater in cratere, ſive in vaſe aliquo, auri, argentique plurimum defert. Reducto dein in Sacerdotis manum puero, quærit Sacerdos elata voce à matre, an ipſa puerum ediderit. Affirmante illa, iterum Sacerdos ſciſcitatur, an alium unquam natum ſive marem, ſive fœminam, ſive abortum, ſive aliud quodcumque ediderit. Illa negante, iterum Sacerdos: *Puer igitur*, inquit, *ad me jure primogeniti pertinet*. Dein ad patrem converſus, ſi vis, ait, *hunc tibi habere, redime oportet*. Ego, iterum reſpondet pater, *volo autem hoc*; & *argentum ideo obtuli*. *Vis igitur*, ſubdit Sacerdos, *illum redimere?* Cùm pater annuerit; ad adſtantes converſus ait: *Puer iſte tamquam natu primus mihi cedit juxta Legem: cujus redemptio eſt poſt menſem ſicles argenti quinque* &c. *Num.* 18. 16. *Verum ego*, ſubdit, *his contentus ſum*: ſimulque duos aureos nummos, vel circiter pro libito capiens, puerum parentibus reſtituit. Dies illa in tota familia ſolemnis habetur. Si pater, ſive mater ad genus Sacerdotum, ſive Levitarum ſpectent, filium non redimunt.

(Præter natu primores hominum & animalium, quæ offerebantur Domino, ſeu redimebantur ſoluto pretio, Sacerdotibus *Exod.* 13. 2. *Num.* 18. 15. aliud erat genus primorum natu, qui deducebantur ad Templum, ut charitatis ibi convivia inſtruerentur. Sermo eſt de illis Deut. 12. 17. 18. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voveris,* ..... *Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & ſervus, & famula, atque Levites qui manet in Urbibus tuis; & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam.* Et Deut. 15. 19. *De primogenitis, quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium, In conſpectu Domini Dei tui* [illegible]

(a) Exod. 13. 2. &c. & 34. 20. Num. 18. 16. Levit. 27. 6. (b) Vide Lyran. ad Deut. 23. 18. & Bochart. de [illegible] (c) Vide Deut. 23. 18. (d) Vide Levit. 19. [illegible]
(e) Cyrill. Jeroſol. hom. de Occurſu Domini. (f) Rup. Janſ. Toltat. aliique. Vide Cornel. à Lap. in Exod. 13. 2.
(g) Orig. in Luc. Hom. 14. Tertull. de Carne Chriſti c. 23. Ambroſ. in Luc. l. 2. [illegible] Pelag. Theophyl. Euthym. in Luc. 2.
(h) Leon. Moden. Ceremon. de' Giudei p. 4. c. 8.

comedes ea per annos ſingulos, in loco quem elegerit Dominus, tu & domus tua.

Conſtat utique primos natu brutorum æquè & hominum meri fuiſſe juris Domini, ut nec privatis fas eſſet ſive adhibere in cibum, ſive nuncupare voto, ſive addicere in uſus etiam pios, & in conviviis religionis; nihil habebant in illos juris. Si quos vero pretio redemiſſent, illis uti, quemadmodum & exteris bonis ſuis fas erat. Ex his igitur primoribus natu facilè inſtituebantur convivia, de quibus modò; ſeu potiùs primogenitorum nomine deſignata ſunt ſelectiſſima quæque & eximia in animalibus, quæ deſtinabantur ad convivia religionis agenda coram Domino; quemadmodum primitiarum nomen commune eſt oblationibus omnibus, quæ è rebus eximiis conſecrabantur.

Primoribus natu apud Hebræos, quemadmodum apud Gentes reliquas ſua erant privilegia ſingularia. Cùm autem obtineret apud illos polygamia, maximi erat momenti, ut certa illa jura ſtatuerentur. Hæc igitur ſancit Moyſes, *Deut.* 21. 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam; genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere; non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ; ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque de his, quæ habuerit cuncta duplicia.* Privilegia primorum natu hæc potiſſimùm cenſebantur; 1. Ut in illos conferretur jus Sacerdotii, quod olim ante Legem cedebat in partes primoris natu familiæ. 2. Duplex illis portio inter fratres aſſignata erat.

Jus illud Sacerdotii tandiu aſſerebatur majori, quandiu omnes ſimul fratres in eodem loco & familia colligerentur. Ex quo enim ambo ſegregatis ædibus abierant in familias, ſinguli Sacerdotium & Principatum domus ſuæ gerebant.

Duplex illa portio hæreditatis duplici ratione exponitur. Tenent alii aſſignatum fuiſſe majori natu dimidium totius hæreditatis; reliquum verò æquis partibus inter cæteros fratres diviſum fuiſſe. Sed alia Rabbinis ſedit opinio (a), defendentibus primori natu aſſignatam duplo majorem ac reliquis fratribus portionem. Si decedentis patris e. g. ſex liberi ſuperfuiſſent, hæreditatis as totus in ſeptem partes dividebatur; duplex portio cedebat majori natu, reliquæ fratribus, ſingulis ſingulæ. Si fatis ceſſiſſet prior ille, nati ex illo filii & hæredes patris jus ſuſtinebant: Privilegium illud nihil favebat puellis licèt natu majoribus inter fratres vel ſorores.

Jus primoris natu è Ruben in Joſeph tranſtulit Jacob; ſicut & Iſaac Jacob prætulit Eſau, ac David, Adonia amoto, extulit Salomonem; hæc tamen omnia ſingulari providentiæ diſpoſitione ac peculiari revelatione Dei præſtita ſunt.

Primogeniti appellantur in Scripturis *Gen.* 49. 3. principium, vel primitiæ roboris patris. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* Hebræus: *Fortitudo mea, & principium roboris mei.* Confer. Deut. 21. 17. Pſ. 77. 51. Primores natu ſunt primi fructus & prima molimina roboris juventutis patris.

PRIMUS. Non ſemper ea vox in Scriptura deſignat primatum quendam in ordine vel claſſe; ſed ponitur etiam interdum pro *antequam*. E. g. *Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino Luca* 2. 2.; quod ad literam ſonare videtur priorem illum fuiſſe cenſum, quem Cyrinus Syriæ Præſes curaverit. Verùm cùm inter omnes conſtet, Cyrinum vel Quirinum nullam egiſſe Syriæ præfecturam ſub Regno Herodis, ita neceſſariò Textus exponendus eſt: Hæc deſcriptio facta eſt antequam Cyrinus Syriæ præfecturam gereret. Ita pariter illud Joannis 1. 15. 30. *Ante me factus eſt, quia prior me erat.* Græcus ad litteram exprimit: *Ille erat primus mei*; erat ante me. Et Joannis 15. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis* (ante vos) *odio habuit.* Monet Jeſus Diſcipulos, *Matth.* 6. 33. *Quærite primùm* (ante omnia) *Regnum Dei*; & Apoſtolus, *Timoth.* 1. 15. 16. ſcribit exeruiſſe Deum miſericordiam ſuam ſuper ſe, qui *primus* erat *peccatorum*; additque: *Ut in me primo oſtenderet omnem patientiam*; patientiam ſcilicet illam in Apoſtolo priùs ſpectandam exhibuit, quàm in cæteros, ad quos idem Apoſtolus annunciabat Evangelium.

Primum tempus Geneſ. 30. 41.; ver. *Prima myrrha Exodi* 30. 23.; exquiſitiſſima. *Primus inter ſervos Saul* 1. *Reg.* 22. 9.; omnium honoratiſſimus. *Amicti auro primo Thren.* 4. 2.; auro pretioſiſſimo. *Frumentum primum Ezech.* 27. 17.; *Aromata prima. Idem* verſ. 22.; eximia frumenti & aromatum. *Quis ex vobis vidit domum iſtam in gloria ſua prima? Aggæi* 2. 4. in veteri ſplendore.)

PRINCEPS. Nomen Principis interdum uſurpatur de illo, qui primas tenet; ita dicuntur *Principes familiarum, Tribuum, domorum Iſraelis, Levitarum, populi, Sacerdotum. Synagogæ, ſivè cœtuum, filiorum Ruben, Juda &c.* Sæpè verò Princeps rerum dominum ſignificat; uti Princeps exercitus Pharaonis, Phicol Princeps copiarum Abimelechi, Putiphar Princeps Eunuchorum, ſivè cuſtodiæ Regis Ægypti. Joſephus in eodem carcere detentus eſt cum Principe piſtorum &c.

PRINCEPS SACERDOTUM, interdum Summus Sacerdos, ſive ille, qui tunc temporis rerum potitur, 2. *Mach.* 3. 4. *Matth.* 26. 57. ſivè ille, qui munere ſuo antea functus eſt, appellatur. Interdum vir ille, qui Sacerdotibus in Templo miniſtrantibus præerat (b); ſicut etiam Præfectus Templi, & familiarum Sacerdotalium Principes nuncupabantur; hinc ſæpè plurali numero Principes Sacerdotum in Evangelio audiuntur, *Matth.* 2. 4. & 16. 21. & 21. 15. 23. & paſſim.

PRINCEPS CIVITATIS, 2. *Par.* 18. 25. & 34. 8. qui eamdem in urbe authoritatem obtinebat, quam Procurator Templi in eodem Templo. Paci, & politiæ continendæ operam dabat.

PRINCIPES SINAGOGÆ in Veteri Teſtamento, *Exod.* 34. 31. *Num.* 4. 34. & 31. 13. appellabantur primores Tribuum, & familiarum Iſraelis, qui cœtibus populi præſidebant. In Novo *Princeps Synagogæ* erat vir, præſidens cœtibus religioſis, in Synagoga coactis; *Luc.* 8. 41. *Act.* 13. 15. & 18. 17. quem Judæi *Naſi Synagogæ* nuncupant. Aſſeſſores nonnullos habebat, quos etiam Principes Synagogæ appellatos legimus, *Act.* 13. 15.

PRINCEPS HUJUS MUNDI, S. Joanni 12. 31. & 14. 30. & 16. 11. Diabolus eſt, qui poteſtati ſuæ omnia Mundi regna ſubjecta habere gloriatur, *Matth.* 4. 9.

PRINCEPS CAPTIVITATIS. Judæi Orientales eo nomine virum è ſuo cœtu appellabant, cui ipſi in Provinciis trans Euphratem parebant. (c)

(Damus hic ſeriem Principum Captivitatis poſt ruinam prioris Templi, deductam è minori Chronico Judæorum, inſcripto *Seder-Olam Zuta*.

1. Jechonias à Rege Nabuchodonoſore translatus in captivitatem.
2. Salathiel, ejus filius, regnante Balthaſare.
3. Zorobabel, Salathielis filius, qui populum in Judæam ſub Regno Cyri reducit.
4. Moſollam, filius Zorobabelis; eo tempore ceſſat Prophetia. Moritur, ſi fides Judæis, ſub Alexandro Magno.
5. Hananias ſub Regno Salomonis, Alaſcan, & Mappatis Græcorum Regum, & Alexandri Magni ſucceſſorum; (*Salomon* Ptolemæi Lagi filius eſt, *Alaſcan*, Seleucus, & *Mapparis*

Caſſan-

(a) Selden. de Succeſ. in bona c. 5. 6. 8. (b) Vide Jerem. 20. 1. & 29. 25. &c. & 2. Par. 35. 8.
(c) Vide Baſn. Hiſt. des Juifs t. 2. l. 4. c. 3.

Digitized by Google

Caſſander). Hananias moritur an. 140. Græcorum vel Seleucidarum.

6. Bararhias Hananiæ filius ſub Ptolemæo regnat, qui Legem in Græcum tranſtulit, & ſub Antiocho, qui Antiochiam conſtruxit, moritur An. 170. Græcorum.
7. Hazadias ejus filius, An. 175. Judæi indigniùs habiti à Nicanore ad arma procurrentes illum cum exercitu trucidant.
8. Iſaias ejus filius.
9. Abdias ejus filius, qui regnante Herode Magno moritur.
10. Samajas ejus filius, qui decimam generationem Davidis poſt captivitatem conſtruit.
11. Sechanias ejus filius, qui An. 166. ruinæ Templi, vel 236. Æræ moritur.
12. Ezechias ejus filius, qui Arbeel ſepulturæ mandatus eſt.
13. Nathan poſthumus.
14. Hana ejus filius.) *Quatuor hiſce Principibus*
15. Akob ejus filius.) *unicus fuit ſupremus Prin-*
16. Nahum ejus filius.) *ceps vel Præfet Academiæ*
17. Jochanan ejus filius.) *Nahaneel.*
18. Saphat ejus filius.
19. Anam, ſive Hona ejus filius. Samuel lunaticus à conſiliis aderat illi. Eo tempore Naradæa capta eſt. Sepeliri juſſit in Judæa juxta Chajam.
20. Nathan ejus filius cum Ezechiele viro à ſecretis. Perſæ Judæos perſequi ſtatuerunt anno 245. ab everſione Templi.
21. Natal ejus filius cum Doctore Sabi.
22. Akabias ejus filius cum R. Adam. In Judæa ſepultus eſt. Rex Perſarum Syriam ſubjugavit.
23. Mar-hona frater cum Abal, & Joſepho filio Hamæ Doctoribus. Sapor Niſibim occupat.
24. Ocba ejus frater cum A. Henanel Doctore.
25. Aba ejus nepos cum Rabba, & Rabbena Mundus Rege caruit Anno 416. ab everſione Jeruſalem.
26. Chana ejus frater.
27. Saphira ejus frater, cum Atta Marpotæo.
28. Cahana ejus filius, cum Rabbena.
29. Hona ejus nepos
30. Hona patruus præcedentis. In matrimonium duxit filiam Haninæ Academiæ Principis.
31. Filio hujus Principis ruina domus David accepto relata; namque cùm ille Haninam malè egiſſet, lues per totam familiam graſſata eſt; excepto.
32. Zutra poſthumo. Iſaac Academiæ Princeps ſub eo Rege occiſus eſt. Mir Magnus floret, qui columnam igneam aſpicit, jugum excutit Perſarum, Regiumque invadit titulum, & retinet ſeptennio; tandem occiſus interit. Actus eſt etiam in patibulum Zutra
33. Zutra ejus filio. In Judæam redit poſtulatque ſibi Scholæ præfecturam. Princeps Senatus renunciatus eſt anno 452. poſt everſionem Jeruſalem, & 522. ante Æram.
34. Garia ejus filius.
35. Zutra ejus filius.
36. Jacobus ejus filius.
37. Migas ejus filius.
38. Nehemias ejus filius.
39. Abdim ejus filius, qui 87. generationem implebat.
40. Jacob Phinees ejus filius, Magiſter Hatſab.
41. Aazarias ejus frater, qui 89. generationes implevit.

En magnificam planè ſeriem Principum Captivitatis; qui tamen illam inſpexerunt propiùs, menda nacti ſunt plura & anachroniſmos (a). Contendunt Principes illos Captivitatis non priùs cœpiſse Babylone, quàm ineunte tertio ſæculo Jeſu Chriſti anno 220. Succeſſionem, quam dedit Author minoris Chronici, nullo veteris Authoris teſtimonio fulcit, non Joſephi, non S. Juſtini Martyris in *Dialog. cum Tryphone*; traditionem verò illam Sapientium, cui unicè innititur, minimæ eſse in hiſtoria authoritatis. Si Nathan, quem virum Author Chronici in Palæſtinam revocat quo tempore Simeon pater Judæ Sancti Patriarchatum gerebat, geſſiſset Judæorum Principatum trans Euphratem, nunquam profectò ſubſtinuiſſet, ut ab ea dignitate ſeſe abdicans, acceptaret alteram *Patris Domus* Judicii in minima Urbe Palæſtinæ, Tiberiade. Rediit ille trans Euphratem poſt actam longi temporis in Judæam moram; & cum gentis ſuæ Patriarcham ſpectaſset, ſimilem alterum in Babylonia conſtituere meditatus eſt. Extulit igitur filium ſuum *Hunam*, qui caput omnium Patriarcharum Transeuphratæorum reputandus eſt.

Cæterùm de claro Principis nomine quod perſtringamus, nihil eſt. Sæpè enim apud Scripturam Authoreſque Judæos nihil ultra ſignificat, quàm caput familiæ, vel qui inter æquales præeſt. Principes Synagogæ in Germania, & nonnullis Italiæ Provinciis nomen ſibi arrogant *Ducis* vel *Principis Judæorum*; nec tamen ſuperbus ille titulus, ſive ampliorem illis dignitatem, ſeu imperium majus conciliat.

Princeps Exercitus, in Geneſ. 21. 33. eſt exercitus, minimè licèt, Imperator, vel etiam Præfectus militum cuſtodum corporis. Abrahamus apud cives Hebron inſignitur titulo *Principis Dei*, *Geneſ.* 23. 6. magni Principis. *Princeps piſtorum Geneſ.* 40. 20. Pharaonis primas tenebat inter Regios piſtores. *Principes familiarum Leviticarum*, erant viri in familiis ampliſſimi. *Princeps Sacerdotum* eſt Summus Sacerdos. Nicodemus eſt apud Joan. 3. 1. *Princeps Judæorum*, vir inter Judæos ampliſſimus. *Principes Phariſæorum* ſunt ejus ſectæ primarii.

PRINCIPIUM. Vulgò deſignat rerum exordium: *In principio* (ab exordio) *creavit Deus Cælum & Terram* *Geneſ.* 1. 1. Deſignat etiam interdum æternitatem: *Joan.* 1. 1. *In principio erat Verbum*. Sapientia de ſe perbibet Eccli. 24. 14. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*; Prov. 8. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.*

Principium eſt etiam Oriens in illo Geneſ. 2. 8. *Deus plantaverat Paradiſum voluptatis a principio*; Hebr. *ad Orientem*.

Principium filiorum Geneſ. 49. *Deut.* 21. 17. eſt major natu. *Principium gentium Amalec*; *Num.* 24. 20. Amalecitæ vetuſtiſſimam referunt inter gentes primamque originem, inter omnes timendi ſunt. *Principium filiorum Ammon. Dan.* 11. 41. principes ampliſſimi, ac ſelecti inter Ammonitas. *Principium viarum Domini*; *Job.* 40. 14. Behemoth ſive Elephas inter cætera animantia à Deo creata eximium eſt, in quo Deus virtutem ſuam immenſam utcunque demonſtrare cœpit, inter ejus opera potiſſimum eſt Sermo eſt hic tantùm de animantibus terreſtribus. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. *Pſal.* 109. 3. Hic *principium* duplici ſenſu exponeretur; ſive enim poſitum eſt pro æternitate, qua Pater Verbum genuit, ſive pro poteſtate atque Imperio. Authoritas Filii potiſſimùm exeretur die virtutis ipſius, ſive extrema judicii die. Poſtrema hæc interpretatio placuit Patribus Græcis. Variè redditus eſt Textus Hebræus. Legunt Judæi: *Populus tuus devotus eſt tibi in die roboris tui*; ultrò ſe magnis ingerit diſcriminibus, ut te ſequatur die prælii. Septuaginta aliter legerunt: *Liberalitas Principatus tecum eſt*. Hebræum *Nadab*, ſonans liberalem, exhibere ſe ultro ac ſpontè offerre, uſurpatur etiam interdum de Principe, cujus eſt dos potiſſima liberalitas *Principium verborum tuorum veritas Pſal* 118. 160. ; verbum Dei innititur potiſſimùm veritati. Verborum ac promiſſionum ipſius

certa

(a) Baſnag. Hiſt. Jud. tom. 2. lib. 4. cap. 11.

certa eſt fides ac veritas. Hebræus ad literam: *Caput verbi tui eſt veritas.*

A' principio Iſaiæ 41. 26., exprimit etiam remotiſſimum tempus. Provocat Deus Idola eorumque cultores, ut res occultas, quæ jam inde *à principio*, ab exordio mundi, contigerunt, producant in publicum. Deſcendiſſe pariter dicit ex Ægypto populum ſuum *à principio Iſaiæ* 51. 5.; jam inde à remotiſſima ætate. Queruntur Judæi apud Dominum derelictos eſſe ſe, dimiſſoſque manibus gentium, ut *à principio Iſai.* 63. 19. antequam ſcilicet Deus favorem illis ſuum præſtitiſſet, agnoſceretque in peculiarem ſibi populum. Jerem. 7. 12. Deus ipſe tradit in Silo *habitaſſe nomen ſuum à principio*; jam inde a remotiſſima ætate: & Thren. 5. 21. *Innova dies noſtros, ſicut à principio*, ut olim ſcilicet, exere miſericordiam tuam in nos, quemadmodum olim ab antiquo.

Principium peccati eſt filiæ Sion, quia in te inventa ſunt ſcelera Iſrael Mich. 1. 13.; exordium criminis atque ærumnarum Sion & Juda illud fuit, quòd ſcelera Regni Iſrael in ſe tranſtulerit imitatione. Hæc fons & origo malorum omnium.

Principium (nempe ego principium), *qui & loquor vobis Joan.* 8. 25.. Ita reſpondet Jeſus interrogantibus Judæis ecquis eſſet? Ego, ait, principium ſum, id enim nomen maximè quadrat mihi, cùm ex me omnia creata ſint, ac per me ſubſiſtant. Hoc illi nomen vindicat Apoſtolus, Coloſſ. 1. 18. *Qui eſt principium primogenitus ex mortuis*; & S. Joannes Apoc. 1. 8. *Ego ſum* (Jeſus loquitur) *Alpha & Omega, principium & finis*. Verba illa: *Principium qui & loquor vobis*, aliter explicant nonnulli: Antequam vobis, quis ſim, prodam, audite, quæ vobis mihi annuncianda ſunt. Favet huic expoſitioni Græcus, legit enim non caſu recto, ſed obliquo accuſativi. *Principium quod & dico vobis.* Ante omnia audite quæ loquor. Aliter. Ego idem ſum, qualis toties & jam inde à principio manifeſtavi vobis.)

PRINUS, *ilicis arboreæ* genus quoddam, ſive *quercus vireſcens*. *Quercus vireſcens* ideò appellatur, quòd foliis lauro ſimillimis, albeſcentibus, aſperis, dentatis inſtar ſpinarum, numquam orbetur. Alter ex illis ſenioribus, qui Suſannam accuſaverant, vidiſſe illam cum adoleſcente ſub prino teſtatus eſt *Dan.* 13. 58. 59. Daniel nominis omen capiens (Græcè enim ſcindere, *priſai* dicitur) reſpondit: Manet Angelus Domini, gladium habens, ut ſecet te medium. Hæc Danielis verba, quæ ad vocem Græcam alludunt, quibus autographus Danielis textus numquam Hebraicè exaratus fuiſſe videtur, apud Interpretes latè diſcuſſa lege.

PRISCILLA, ſive *Priſca*, mulier Fidelis, ex Epiſtolis S. Pauli, & Actis notiſſima, quæ interdum cum viro ſuo *Aquila* commemoratur (a). Ambo conjuges Corinthi verſantes, Apoſtolum illuc venientem hoſpitio diutius exceperunt; quocum Aquila ejuſdem artis exercitio, nempe tentoria conficiendi, jungebatur (b). Aquila & Priſcilla una cum Apoſtolo Corinthο ſecedentes, Epheſum venerunt (c); ubi diutiùs morantes, Evangelii annunciandi munus obivere. Illorum domus adeò compoſita erat, ut Eccleſia ab Apoſtolo appellaretur, *Rom.* 16. 5. Inde Romam divertentes, cùm Apoſtolus Epiſtolam ad Romanos an. Chr. 58. ſcriberet, ibidem verſabantur; quos idem Apoſtolus addito elogio ſalutatos omnium primos voluit. Regreſſos poſt aliquod temporis in Aſiam S. Paulus in Epiſtola ad Timotheum iterum ſalutari juſſit (d). Ibidem diem clauſiſſe feruntur, eorumque memoriam Latini die 8. Julii, Græci verò S. Aquilæ Feſtum die 14. ejuſdem menſis celebrant.

(PROBARE, eſt capere experimentum, tentare. *Ut probaret vos venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis, Exodi* 20. 20.. Deuteronomii 8. 16. *Poſtquam afflixit ac probavit, ad extremum miſertus eſt tui.* Injunxit Deus Gedeoni, ut adduceret copias ſuas ad aquas, & ibi ait, *probabo illos Judic.* 7. 41. Proverbiorum 17. 3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita corda probat Dominus.* Verbum *probo* ponitur etiam pro cognoſcere, examinare. 1. Theſſal. 5. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Lucæ 12. 56. *Faciem Cæli noſtis probare.* Et Philipp. 1. 10. *Ut probetis potiora*; ita pariter Rom. 12. 2. *Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona &c.* 4. Reg. 25. 19. *Probare tyrones* de illo dicitur, qui vel milites exercet, vel tyrones format ad bellum. Hebræus: *Qui eſt magiſter laniorum, vel coquorum, vel cuſtodum corporis.*)

PROBATICA. Vide *Piſcina probatica.*

PROCHORUS, inter 7. primos Diaconos (e), paulò poſt Domini Aſcenſionem ſelectus. Primus fuit Nicomedienſium Epiſcopus, ſi fides Græcis; & Antiochiæ, ubi pluribus claruit prodigiis, die 9. Auguſti martyrium conſummavit, ſi Adoni deferamus. Recentior quidam, & fabuloſus impoſtor, hiſtoriam S. Joannis Evangeliſtæ ſub nomine Prochori, indignam quidem tanto authore, ſuppoſuit.

PROCLA, *Procula, Proſcula, Claudia Procula*, nomen erat uxoris Pilati, quod in Evangelio Nicodemi legiſſe ſe Vincentius Bellovacenſis, *Specul. hiſtor. l. 7. c.* 41. teſtatur: ſed in exemplari à Fabricio vulgato hæc tantùm leguntur: *Matrona ipſius Pilati procul poſita.* Idem nomen Proculæ apud Malalam in Chronico, Nicephorum *l.* 1. *c.* 30. Pſeudo-Dextrum occurrit. Hanc mulierem, Deum veritatem, ſalutem obtinuiſſe nonnulli ex Patribus aſſeruerunt (f). Alii fidei nomen dediſſe, ac demum inter Sanctas cooptaram tradunt (g). Somnium illud, quod de Jeſu Chriſto mulieri contigit, alii à bono ſpiritu (h) alii verò à Dæmone, verito, ne quid infortunii ex nece Chriſti ſibi contingeret, ſuppoſitum autumant (i).

(PROFUNDUS. Uſurpatur interdum pro ſepulchro, vel de loco, ubi mortuorum animæ poſt obitum detinentur: *Excelſior Cælo eſt; & quid facies? profundior Inferno, & unde cognoſces? Job.* 11. 8. Et cap. 17. 16. *In profundiſſimum Infernum deſcendent omnia.* Iſaias 7. 11. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, ſive in excelſum ſupra.*

Profundum eſt etiam loco maris poſitum. Pharaonis copiæ *ferebantur in profundum*; (in mare) *Et deſcenderunt in profundum quaſi lapis Exod.* 14. 25. & 15. 5. Pſal. 106. 24. *Qui deſcendunt mare in navibus, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* Prov. 22. 14. & 23. 27. *Fovea profunda os alienæ.*

Profunditas cogitationum in bonam partem uſurpatur pro prudentia ſubacta, & conſiliis ſapientiſſimis: *Aqua profunda verba ex ore viri* (Sapientis) *Prov.* 18. 4. Prov. 20. 5. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri (impenetrabile eſt) Pſal. 91. 6. *Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*; nemo pertingere ad illas valet. Iſaias 20. 15. *Væ qui profundi eſtis corde*, ſimulatis intimos animi ſenſus, rati fallere vos poſſe Deum.

Ezechiel 3. 5. 6. *Non ad populum profundi ſermonis & ignotæ linguæ tu mitteris.* Valet hic *profundus* pro difficili, abdito, ignoto, quemadmodum & 1. Cor. 10. de ſpiritu omnia pervadente. *Omnia ſcrutantur*

tantur

(a) Priſcilla ferè ſemper appellatur. Priſca verò 2. Timoth. 4. 19.
(b) Act. 18. 2. 3. 18. A. Chr. 52. (c) Act. 17. 18. A. Chr. ſivè Ær. 54.
(d) Timoth. 4. 19. A. Chr. 65. (e) Act. 6. 5. A. Ær. 33. ſivè 34.
(f) Orig. in Matth. Chryſoſt. in Matth. Hilar. Can. 33.
(g) Menol. Græc. apud Corn. à Lapide.
(h) Ambr. l. 10. in Orig. Chryſoſt. Hieron. in Matth. Leo Mag. Serm. 11. de Paſſ. Mald. Grot. Brug. in Matth.
(i) Evang. Nicod. Pſeudo-Cypr. Ser. de Paſſ. Athan. ad Max. l. 1. Beda Anſelm. hiſt. ſcholaſt.

Digitized by Google

tan tur etiam profunda Dei. Et Daniel. 2. 21. *Revelat* (Deus) *profunda & abſcondita*.

Profitetur Apoſtolus *Rom.* 8. 9. neminem ſat virium habiturum, ut ipſum ſeparet à charitate Dei: *neque altitudo*, ait, *neque profundum*, non Cælum, non abyſſum non Angelos, non Dæmones; proverbialis eſt & hyperbolica phraſis. Et ad Ephel. 3. 18. *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum Myſteriorum Dei*, ejus virtutis, charitatis, ac conſiliorum &c.

Peccare profundè occurrit Iſai. 31. 6. & Oſee 9. 9. exprimitque longam criminum habitudinem atque inveteratam Idololatriam, vel etiam profundam quandam, & grandem iniquitatem, crimen longa jam habitudine intimè in anima inſinuatum. *Profundè peccaverunt, ut in diebus Gabaa*, eò devenerunt iniquitatis, ut vel crimina vetuſta Gabaa à ſe aliena non judicarint, ait Oſee. *Convertimini ſicut in profundum receſſeratis*, ita nempe revertimini ad Deum quemadmodum in immenſum receſſeratis ab illo. Et Iſai. cap. 7. 11. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni*. Hebræus ad literam: *Profunda poſtulationes tuas*, pete arduum aliquod, & ferè dicam, occultum vel ad imum inferni fundum.

PROHIBERE eſt vetare *Levit.* 4. 22. *Quod Domini lege prohibetur*. Vel removere 1. *Reg.* 25. 33. *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem*. Tandem valet continere: *Ecce labia mea non prohibebo Pſal.* 39. 10. non ceſſabo ſcilicet à tuis laudibus. *Prohibe linguam tuam à malo Pſal.* 33. 14. contine labia ne malum verbum promant. *Mortuo non prohibeas gratiam Eccli.* 7. 37. grati animi ſignificationem exhibe in mortuos. Aggæi 1. 10. *Prohibiti ſunt Cæli, ne darent pluviam*. Eccli. 46. 9. *Prohibere gentem à peccatis*; removere à crimine. Jeremiæ 48. 10. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*; retinet gladium ne cædat.

PROMISSIONES. Nomen illud in Novo Teſtamento uſurpatur de ſpe facta à Deo olim Abrahamo cæteriſque Patriarchis dandi hominibus Meſſiam. Hoc certe ſenſu poſitum eſt nomen promiſſionum apud Apoſtolum *Galat.* 3. 16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*. Tempus earum promiſſionum eſt Meſſiæ adventus *Act.* 7. 17. *Filii promiſſionis*, ſunt potiſſimum Iſraelitæ poſteriori Iſaac, ut oppoſiti Iſmaelitis ex Iſmaele & Agar *Rom.* 9. 8. *Galat.* 4. 28. tum etiam Judæi reſipiſcentes, & Chriſtiani ut oppoſiti Judæis incredulis, qui fidem renuerunt Jeſu Chriſto. Chriſtiani potiti ſunt factis ad Patriarchas promiſſionibus; exciderunt ab eo jure increduli Judæi. De Chriſtianis ſcribit Apoſtolus ad Epheſios 1. 13. *Signati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto*, i. e. Spiritu Sancto quem Deus promiſit Fidelibus in pignus futuræ beatitudinis. *Primum mandatum in Promiſſione Epheſ.* 6. 2., cui ſcilicet Deus ſpem promiſſionum innexuit, illud eſt: *Honora patrem tuum & matrem tuam*; adjecit enim huic mandato Deus ſpem illam: *Ut benè ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*.

Promiſſiones generatim exprimunt etiam vitam æternam, quò ſpes omnes Chriſtianorum collimant. *Hebr.* 10. 6. *Ut reportetis promiſſiones*. De vetuſtis Patriarchis ſcriptum eſt Hebr. 6. 12. *Fide & patientia hæreditabant promiſſiones*. Dei promiſſiones omnes impletæ ſunt in Jeſu Chriſto 2. *Cor.* 1. 20.

Tandem promiſſio eſt non ſemel votum. *Num.* 30. 13. Si voti ream ſtiterit ſeſe uxor, renueritque ejus voto ſtare maritus; *Non tenebitur promiſſionis rea*. Eccleſiaſt. 5. 4. *Melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere*.

PROPHANARE deſignat contemptum & abuſum rerum; homo immundus, qui res ſacras tangit, illas prophanat. Prophanus ille eſt, in quo ſacri nihil. Porrò abſtinendum eſt Prophanis ne quid de rebus ſacris loquantur, aut ſcribant. Nefas prophano, vel laico tangere ſacra vaſa, atque Divinis myſteriis ſeſe immiſcere. Prophanus eſt, qui res ſacras traducit, ſive illis abutitur, ac tandem qui ſe maculat fœdiſſimis moribus, atque probroſa committens. Prophanum appellat Scriptura *Hebr.* 12. 16. Eſau, quòd ſcilicet jus primoris natu vendiderit, jus, inquam, ceu ſacrum aliquod reputatum. Convivas adhibere Hebræos renuebant Ægyptii, quia prophanum putant cum illis convivium. *Geneſ.* 43. 32. Sacerdotes è ſtirpe Aaron munus habebant commiſſum diſcernendi inter ſacrum & prophanum, inter mundum & immundum; *Levit.* 10. 10. cujus rei gratia vini uſum interdictum habebant in Templo toto miniſterii ſui tempore. Vetabantur etiam reſervare carnes hoſtiarum pacificarum ultra biduum; ſi quis tertia die aliquid ex illis deguſtaſſet: *Levit.* 19. 7. *Prophanus erat & impietatis reus*, ac eo nomine damnabatur.

Quæ animalia impura declarabantur à Lege, impuritatem & prophanationem inducebant in eos, qui illa ſeu contingerent, ſeu deguſtarent. Iſaias 65. 4. Prophanitatis arceſſit ſuillam deguſtantes, additque: *Jus profanum in vaſis eorum*. Cùm urbs Jeruſalem, & Templum ſimul comparantur, urbis ſolum *prophanum* declaratur, *Ezech* 48. 15. deſtinatum ſcilicet pro communibus uſibus, atque in ſedem Laicorum: *Prophana erunt Urbis in habitaculum*. In 2. Mach. 12. 23. Pagani de exercitu Timothei *Prophani* appellantur. *Prophanæ vocum novitates* ſunt Apoſtolo 1. Timot. 6. 20. novæ quædam phraſes ac voces in Religionem invectæ.

Prophanare Templum, prophanare ſabbatum, Altare, familiares ſunt phraſes exprimentes violationes quietis Sabbaticæ, ingreſſum Paganorum in Templum, & quæ in eodem Templo indigna committuntur, Sacrificia impia in Altari Domini oblata.

Prophanare juſtitias Pſal. 88. 32. vel præcepta Domini, illa violare.

Prophanare fœdus Pſal. 88. 35. vel promiſſiones ſacramento juratas, eſt illarum fidem violare, vacuas illas reddere.

Prophanare ſemen ſuum Eccli. 47. 22. gloriam ſuam obſcurare. Author Eccleſiaſtici 47. 22. perhibet Salomonem prophanaſſe *Semen ſuum*, quòd ſcilicet criminibus ſuis id effecerit; ne Deus ſpiritum conſilii concederet Roboamo filio ſuo, cujus præpoſtera conſilia abalienarunt animos Iſraelitarum, ac ſciſſionem induxerunt decem Tribuum.

Prophanare vineam vel arborem, eſt in uſus communes ac vulgares reddere. *Quis eſt homo, qui plantavit vineam & necdum fecit eam eſſe communem?* (Hebr. nondum prophanavit) *vadat & revertatur in domum ſuam, ne fortè alius homo ejus fungatur officio Deut.* 20. 6. In Levitico 19. 23. Moyſes ſanctionem præſcribens de fructibus arborum recens implantatis, immunditiam primorum fructuum exprimit nomine circumciſionis: *Quando plantaveritis lignum pomiferum, auferetis præputia eorum*; i. e. ſpecie quadam circumciſionis primos trium annorum fructus, qui perinde habebantur ac impuri. Quarti anni fructus, conſecrandi erant in Templo; quinto tandem anno cedebant in uſum heri, uti cætera ejus bona, tunc autem efficiebantur prophani & communes. Spondet Jeremias 31. 5. Iſraelitis futurum ut redeant in Regionem ſuam, ac vineis implantent montes Samariæ, eaſdemque vineas *prophanent*, i. e. in uſus communes habeant. Vulgata reddit: *Plantabunt plantantes, & donec tempus veniat non vindemiabunt*, uſque ſcilicet ad quintum annum. Hebr. *Plantabunt plantantes, & prophanabunt*.)

PROPHETIA, nomen ex Græco *Prophetes*, quod ſonat hominem futura proſpicientem. Olim apud Hebræos, *Videntes* appellabantur, 1. *Reg.* 9. 9. deinde *Nabi* ex radice *nabah*, prædicere, divinare, dicti ſunt. Sæpè etiam in Scriptura Prophetæ *Homines Dei, Angeli*, ſivè *Miſſi à Deo* nuncupantur. Verbum *nabah*, *vaticinari*, apud Hebræos latiſſimè patet; nam & futura prædicere, & etiam Divina inſpiratione aliquid effari ſignificat. Hinc Deus ad Moyſem, *Exod.* 7. 1. *Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, nempe tuus erit ad populum interpres. S. Paulus Poetam quemdam ità laudat, *Tit.* 1. 12. *Dixit quidam proprius eorum Propheta*; Poetas enim

Divino

Digitized by Google

Divino æſtro concitos Ethnici arbitrabantur. Non raro etiam impoſtores Divinas inſpirationes jactantes, Prophetæ nomen in S. Scripturis obtinent.

Cùm autem Prophetæ, quo tempore Divina patiebantur, violentis quibuſdam motionibus agitarentur; hinc quicumque ſivè bono, ſivè malo ſpiritu abrepti pariter agitabantur, Prophetas agere dicebantur. Ita Saul in domo ſua prophetabat, dum malo ſpiritu agitante contorquebatur, 1. *Reg.* 18. 10. *Prophetare* etiam eſt, inſtrumentis ſivè muſica canere, atque choreas ducere. Samuel ad Saulem: *Obvium habebis*, ait, *gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipſoſque prophetantes. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium*, 1. *Reg.* 10. 5. 6. Filii Aſaph inſtituti ſunt, *ut prophetarent in cytharis*, 1. *Par.* 25. 1.

Quicumque etiam Scripturam explicabant, ac in Eccleſia verba faciebant, *prophetare* apud Apoſtolum dicuntur, 1. *Cor.* 11. 4. 5. & 14. 1. facilè enim Divini Spiritus æſtro, quem fortè variis corporis agitationibus prodebant, in verba propellebantur. Quin & prodigium patrare, mortuum ad vitam revocando, in Scriptura prophetare dicitur.

De Eliſei cadavere legimus; *Et poſt mortem oſſa ipſius prophetaverunt*, *Eccli.* 48. 14. igniculos enim priſtini ſpiritus retinentia, mortuum ad vitam revocaverunt. Oſſa tandem Patriarchæ Joſephi prophetaſse dicuntur, *Eccl.* 49. 18. quod enim ille deliberatione fratrum ſuorum ab Ægyptiaca captivitate atque poſseſſione Chanaanitidis obtinenda pollicitus fuerat, hæc dato oſſium ſuorum pignore rata, & firma futura eſse ſpopondit.

Deus ſe Prophetis per inſpirationem communicare conſuevit, illuſtrata nempè Divino lumine mente, atque excitata eorum voluntate, ut quæ Spiritu ſuggerente intimo cordis ſenſu percepiſsent, ea verbis proderent. Ita Scriptores omnes Canonicos utriuſque Teſtamenti Prophetas agere tenemus. Interdum etiam Deus ſivè per quietem, ſivè nocturnis viſionibus Prophetas alloquebatur. Viſiones enim, & inſomnia Prophetica adoleſcentibus, & Senioribus Deum collaturum Joel 2. 28. pollicetur. S. Petrus pleno meridie in extaſim raptus, vocationis Gentium ad fidem certior factus eſt, *Act.* 10. 11. 12. Deus Abrahamo, & Jobo ſe ſe videndum præbuit, *Gen.* 16. 10. *Job.* 40. 1. uti & Moyſi in nube apparens, *Exod.* 13. 21. &c. eoſque omnes, quid potiſſimum vellet, inſtruxit. Interdum conceptis vocibus locutus eſt, uti Moyſi in rubo ardenti, & in Monte Sinai, ac Samueli per quietem noctis, *Exod.* 3. 2. & 1. *Reg.* 3. 4. Tria Prophetarum genera S. Auguſtinus Præfat. l. 19. contra Fauſt. diſtinguit; Judæorum, Ethnicorum, & Chriſtianorum. Judæorum quidem, omnibus noti ſunt; Ethnicorum, quos illi Poetas, & Divinos appellant; Chriſtianorum verò Apoſtolos, atque Apoſtolicos viros, de quibus Jeſus Chriſtus, *Ego*, ait, *mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & Scribas* (a).

Scripta ſexdecim Prophetarum in V. T. ſuperſunt; quatuor nempe majorum & duodecim minorum. Quatuor majores ſunt: Iſaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel. Baruch ut plurimum cum Jeremia confunditur. Judæi è numero Prophetarum Danielem expungunt, cùm genus vitæ à cæteris Prophetis alienum inter pompas, & temporales dignitates inſtituerit. Duodecim minores Prophetæ ſunt: Oſee, Joel, Amos, Abdias, Michæas, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias, quos chronologico ordine hic deducendos cenſemus.

1. *Oſee* ſub Ozia Rege Judæ Prophetam agere cœpit (b); atque munus illud ſub Joathan, Achaz, Ezechia, Regibus Judæ, & ſub Jeroboamo II. Rege Iſraelis, & ſucceſſoribus uſque ad excidium Samariæ proſecutus eſt (c).

2. *Amos*, Propheticum munus inivit anno 23. Oziæ A. M. 3214. & 6. annis circiter ante obitum Jeroboami II. Regis Iſraelis, qui contigit A. M. 3220.

3. *Iſaias* vaticinari cœpit ab obitu Oziæ, & ineunte Regnum Juda Joathan A. M. 3246. Sub Manaſſe, qui Regnum adivit A. M. 3306. vitam, & munus abſolvit, ſupplicio ſerræ abſumptus.

4. *Jonas*, in Regno Iſraelis ſub Ioas & Ieroboamo II. florebat, circa idem tempus, ac Oſee, Iſaias, & Amos. Jeroboamus II. obiit A. 3220.

5. *Michæas*, ſub Joathan, Achaz, & Ezechia Regibus Judæ. Porrò Jotahan Regnum inivit an. 3245. & Ezechias an. 3306. vitam abſolvit. Iſaiæ ſynchronus fuit, quamvis in munere prophetandi poſterior.

6. *Nahum*, ſub Ezechia, & poſt expeditionem Sennacherib poſt an. 3291. in ditione Juda oracula fudit.

7. *Jeremias* an. 13. Joſiæ Regis Juda, M. 3375. miniſterium inivit; quo etiam tempore Sophonias celebrabatur. Sub Sellum, Joachim, Jechonia, & Sedecia uſque ad captam per Chaldæos Jeroſolymam, an. M. 3416. munus proſequutus eſt. Biennio poſt, in Ægypto vitam abſolviſſe creditur. *Baruch* Diſcipulus, & à ſecretis Jeremiæ fuit.

8. *Sophonias*, ſub initium Joſiæ floruit, & ante annum ejuſdem Regis 18. M. 3381. quin & ante expugnationem Ninives, quæ an. 3378. contigit.

9. *Joel*, ſub Joſia, circa tempora Jeremiæ & Sophoniæ.

10. *Daniel*, deductus in Chaldæam an. M. 3398. anno 4. Joachim Regis Judæ. Babylone prophetam egit, uſque ad exitum captivitatis an. 3468. & fortaſſe etiam ultra illud tempus.

11. *Ezechiel*, captivus Babylonem adductus, unà cum Joachimo Rege Judæ an. M. 3405. ab an. 3409. uſque ad 3442. ad exitum nempè Regni Nabuchodonoſoris, prophetavit.

12. *Habacuc*, in Judæa degebat ſub initium Joachimi, circa an 3394. & ante expeditionem Nabuchodonoſoris an. 3398. Traductis in captivitatem Judæis, ipſe in Iudæa ſubſiſtens, ad Danielem in lacum leonum detruſum, cibos detulit.

13. *Abdias*, in Iudæa floruit poſt captam Ieroſolymam, an. 3414. & ante vaſtatam Idumæam anno M. 3419. juxta noſtram ſupputationem.

14. *Aggæus*, Ieroſolymam ductus an. 3414. è captivitate verò rediit an. 3468. prophetavit tandem anno ſecundo Darii filii Hyſtaſpis an. M. 3484.

15. *Zacharias*, eodem tempore, ac Aggæus, longiori tamen, uti quidem conjicimus, temporis ſpatio, ac ille, munus obivit.

16. *Malachias*. Hujus Prophetæ nullum certum tempus deſignari poteſt, niſi idem ac Eſdra credatur. Eſdras enim tempore regreſſus Nehemiæ an. 3550. munere Prophetæ fungi potuit.

Singulorum Prophetarum geſta, uti & de eorum ſcriptis, atque oraculis judicium in ſuis articulis exhibuimus. Nec ſanè, quos enumeravimus, Prophetæ tantum in S. Scriptura occurrunt. S. Clemens Alexandrinus *Strom.* l. 1. poſt Moyſem 35. & ante illum quinque enumerat. Ante Moyſem quidem Prophetas appellat Adamum, Noe, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum. Quinque etiam fœminas prophetiæ dono illuſtres recenſet Saram, Rebeccam, Mariam ſororem Moyſis, Deboram, Holdam. Ex utroque Teſtamento 73. Prophetas, & 10. Prophetides laudat S. Epiphanius (d). Prophetarum nomina hæc: Adam, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, Aaron, Joſue, Holdad, Medad, Job, Samuel, Nathan, David, Gad, Idithun, Aſaph, Heman, Etham, Salomon, Abias, Sameas, Oded, Heli Summus Sacerdos è Silo, Joad, Addo, Azarias, Hannani alio nomine Azarias, Jehu, Michæas filius

(a) Matth. 23. 34. Vide etiam Act. 13. 1. Erant Antiochiæ Prophetæ, & Doctores &c.
(b) Regnum inivit Ozias A. M. 3194. (c) Excidium Samariæ contigit A. M. 3283.
(d) Epiph. Fragm. apud Cotel. not. in Can. Apoſt. l. 4. c. 6.

Digitized by Google

Jeruſæ (a), Elias, Oziel (b), Eliad, Jeſus, filius Ananiæ, Eliſeus, Jonadab (c), Zacharias, alio nomine Anaoias, alius Zacharias, Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Iſaias, Michæas Moraſthites, Nahum, Habacuc, Obed, Abdadon, Jeremias, Baruch, Sophonias, Urias, Ezechiel, Daniel, Eſdras, Aggæus, Zacharias, Malachias, Zacharias pater S. Joannis Baptiſtæ, Simeon, Joannes Baptiſta, Enos, Mathuſala, Lameel, Balaam, Saul, Abimelech, Amala, Sadoc Propheta è Bethel redua, Agabus, *Act.* 21. 10. His addi potuiſſent Apoſtoli, S. Barnabas, Simon Niger, Lucius Cyrenenſis, & Manahem, *Act.* 13. 1. 2. & alii viciſſim expungi, uti *Ethan*, cùm idem ſit ac *Idithun*; *Joad*, *Obed Abdon*, qui prorſus latent; & *Balaam* vir impius, & Ariolus, ac tandem alii nonnulli, quorum nomina verorum Prophetarum honore indigna ſunt.

Mulieres prophetiæ dono inſignes ſunt: Sara, Rebecca, Maria ſoror Moyſis, Debora, Holda, Anna mater Samuelis, Judith, Eliſabeth, Anna filia Phanuelis, Maria Deipara; quibus adde filias S. Philippi Diaconi. *Act.* 21. 9.

Hebræi in Libro Megillah c. 1. ſolùm 48. Prophetas, & 7. Prophetides agnoſcunt. Prophetæ ſunt: Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, Aaron, Joſue, Phinees, Elcana, Eli, ſive Heli, Samuel, Gad, Nathan, David, Salomon, Addo, Michæas filius Jemlæ, Abdias, Ahias, Jeſu filius Hanani, Azarias filius Oded, Chaziel filius Mathaniæ, Eleazar filius Dodo, Oſee, Amos, Michæas Moraſthites, Amos (fortaſsè pater Iſaiæ) Elias, Eliſeus, Jonas, Iſaias, Joel, Nahum, Habacuc, Sophonias, Jeremias, Urias, Ezechiel, Daniel, Baruch, Nerias, Saraias, Machaſias ſivè Maaſias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Mardochæus, Hananeel cognatus Jeremiæ, Sellum maritus Holdæ.

Mulieres ſunt: Maria ſoror Moyſis, Debora, Anna mater Samuelis, Abigail, Holda, Eſther, Obſtetrices Ægyptiæ, quæ Hebræorum pueros ſervarunt. Poſt Malachiam, Prophetarum uſque ad id temporis deducta ſucceſſio deficere viſa eſt, ut ſub Machabæis (d) deſtructo Altari Holocauſtorum, lapides in quodam loco depoſiti uſque ſervarentur, donec veniret Propheta, ea de re conſulendus. Eo tamen temporis ſpatio Scriptores aliqui divinitùs inſpirati ſuſcitati ſunt, ut Authores Librorum Eſther, Judith, Machabæorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici; quæ ſanè Scripta in Canonicorum cenſum ab Eccleſia Catholica relata ſunt. Circa idem tempus, tres illæ celebres ſectæ Phariſæorum, Eſſeniorum, & Saducæorum audiri cœperunt.

Quos autem Hebræi habebant Prophetas, iiſdem, ait S. Auguſtinus de Civit. l. 18. c. 41. utebantur Theologis, Philoſophis, & in via juſtitiæ, & Religionis doctoribus. Vitam ut plurimùm à populo ſegregatam, ſivè in agro, ſivè ſeorſim cum Diſcipulis orationibus, manuum exercitio, & ſtudio intenti, inſtituebant. Domos habebant ſimplici opere conſtructas, quas ipſi ſuis manibus fabricabantur, ligna etiam, ſi opus foret, in eam rem ipſi cædentes. Nec tamen lucello operibus hiſce captando ſtudebant, quin & opus omne, quod contentionem mentis exigeret, reſpuebant, cùm muneri ſuo unicè ſibi vacandum intelligerent. Hinc Eliſeus ab Elia ad miniſterium appellatus, continuò aratrum deſeruit, 3. *Reg.* 19. 20. & Zacharias inter agricolas quidem, non verò inter Prophetas ſeipſum enumerat *c.* 13. 5. & Amos paſtorem ſe tantùm ficus compungentem, ut matureſcant, non Prophetam, prodit *c.* 7. 14.

Elias pellicea veſte, & coriacea zona ſuccinctus prodibat, 4. *Reg.* 1. 8. Iſaias ſacco indutus, veſte nempe pannoſa, rudi, & atro colore teterrima. Hæc vulgò Prophetarum veſtis. *Non operientur*, ait Zacharias 13. 4. de fictis Prophetis, Prophetarum Domini exteriorem habitum præſeferentibus, *pallio ſaccino, ut mentiantur.* Duo illi Teſtes, vulgò Henoch, & Elias crediti, in Apocalypſi 11. 3. ſacco amicti inducuntur. Porrò parſimoniæ ſtudium in omnibus Prophetæ præſeferebant; oblata illis munera panis erant, fructus, & mel; munera ſanè pauperibus digna 1. *Reg.* 9. 7. 8. & 3. *Reg.* 14. 3. & 4. *Reg.* 4. 42. In uſum illorum, veluti qui nihil poſſiderent, primitiæ ex fructibus terræ ſegregabantur. Fœmina Sunamitis Eliſeum hoſpitio excipiens, ſimplici ſanè, atque modeſto apparatu cellam illi deſtinavit 4. *Reg.* 4. 10. Idem Propheta ditiſſima munera à Nahamano oblata recuſavit; ac Giezi, quem illa accepiſſe norat, à contubernio ſtatim ſegregavit 4. *Reg.* 5. 26. Vitam verò frugi ducebant, uti ex hiſtoria colocynthidum, quas in cibum Prophetarum quidam ex fratribus coxerat, ſatis intelligimus 4. *Reg.* 4. 39. 40. Elias ſolo pane, & aqua ad prolixi itineris laborem ſuſtinendum ab Angelo inſtructus fuit 3. *Reg.* 19. 6. nec niſi pulmento Daniel à Propheta Habacuc refectus eſt *Daniel.* 14. 32. ac tandem ſolo pane, & aqua Prophetæ illi, curante Abdia, procuratore Achabi, in ſpeluncis latentes victitarunt 3. *Reg.* 18. 7.

Cœlibem vitam non omnes æquè Prophetæ ſervarunt; Samuel enim filios habuit, & Iſaias uxorem, quam *Prophetiſſam* appellat. *Iſai.* 8. 3. ac tandem Oſee fœminam proſtitutam ducere juſſus eſt *Oſee* 1. 2. A cœtibus tamen Prophetarum fœminæ aberant. Elias, & Eliſeus, quantum ſcimus, cœlibes erant; ac mulier Eliſei hoſpes, cautè admodum ad illum alloquendum acceſſit. Nam Giezi mediatore illum convenit, neque in ejus cellam, & coram illo ſe ſiſtere auſa eſt 4. *Reg.* 4. 27. Si dolore adigente, illa ad pedes Prophetæ accidit, ſtatim à Giezi prohibita, removetur. Aſpera quæque à Regibus, & populis, quos liberioribus verbis reprehendebant, Prophetæ tolerarunt; ut morte etiam ea de cauſa oppetiiſſe plures S. Paulus perhibeat *Hebr.* 11. 35. *Alii diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem* (præſentem vitam redimere abnuentes) *ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alii ludibria, & verbera experti; inſuper & vincula, & carceres. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & cavernis terræ.* Hæc Prophetarum vita, & obitus.

Singulorum Prophetarum geſta, cùm in ſuis articulis, tum in noſtris Præfationibus, ſivè in ſingulos illorum, ſivè in omnes ſimul deſcripſimus. Prophetarum ordinem ante diluvium cœpiſſe Pater Boulducus Capuccinus in ſuo Libro, *Eccleſia ante Legem*, defendit. Addit inſuper, jam ea eo tempore in varios ordines diſtributum hierarchiæ Eccleſiaſticæ crepundia exhibuiſſe. Plura in eam rem congerit, mira & peculiaria, quæ fabulam ſubolent. Si quis talibus delectetur, Authorem adeat.

(PROPHETÆ, Pſeudo-Prophetæ. Vide ſupra *Impoſtores*.

PROPHETÆ PAGANORUM. Vide *Oracula*, *Propheta*, *Enthuſiaſmus*.

PROPINQUUS vel *proximus* ſignificat neceſſarios, propinquos, gentiles ex eadem Patria vel Tribu, vicinos, & generatim homines, quos ſimul omnes jungunt ejuſdem naturæ ac legis charitatis vincula, quibus una inter omnes amicitia ſtringitur. Promenda ſunt modò de ſingulis hiſce exempla. *Cùm veneris ad propinquos meos*, *Geneſ.* 24. 41. (ad neceſſarios) ait Abraham ad Eliezer. *Dixit alter ad proximum*, vicinus ad vicinum *Geneſ.* 11. 3. 7. *Si voluerit propinquus ejus redimere Levit.* 25. 25. qui ſcilicet ejuſdem eſt Tribus vel familiæ.

Hoc pariter ſenſu uſurpatur propinquus in libro Ruth. *Quia ignorans percuſſit proximum Joſue* 20. 5.


Narra-

(a) 3. Reg. 22. 8. (b) Is fortaſſe, qui 1. Par. 24. 29. 14. nominatur.
(c) Fortè filius Rechab. (d) 1. Mach. 4. 46. A. M. 3840. ante Ch. 160. ante Ær. 164.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google



TABULA PANUM PROPOSITIONIS

Digitized by Google

Narrabat aliquis ſomnium ſuum proximo ſuo Judic. 7. 13 ſocius miles ad ſocium.

Jeſu Chriſti ætate Phariſæi nomen proximi reſtrinxerant ad homines gentis ſuæ amicoſque tantum, rati odium in adverſarios foveri poſſe impunè per Legem, Vide Matth. 5. 43. & Lucæ 1. 29. Sed Jeſus Chriſtus docuit, omnes æquè homines communi proximi nomine cenſeri, nec aliis irrogandam eſſe injuriam, quam à ſe quiſque propulſaret, homines æquè omnes diligendos amore, quo ſe amat quiſque, cujus dilectionis in ſinu vel ipſos hoſtes complecti oportere. Ita falſa dogmata Phariſæorum evertit, reſtituitque ad priſtinam ſanctitatem præceptum dilectionis. Vide Luc. 10. 29.

Propè timentes eum (Deum) *ſalutare ipſius, omnibus invocantibus eum in veritate Pſal.* 84. 10. *&* 144. 21. illis ſcilicet favoris ſui atque præſentiæ exhibet argumenta. *Putas ne Deus è vicino ego ſum, & non Deus de longe? Jerem.* 20. 23. an ego Deus, quem ſibi jam inde ab heri & nudius tertius formarunt ſibi homines? Non planè: Numen ſum æternum. Aliter: Ego ſum Deus e vicino omnia intuens, ac noſcens, non Deus longè à rebus diſtans.)

PROPITIATORIUM (a), alio nomine *Oraculum*, Hebraicè *Cappboreth*, Græcè *hilaſterion*. De hoc argumento egimus v. *Oraculum*. Propitiatorium Arcæ Fœderis, ubi tabulæ Legis recondebantur, operculum erat, ea ſolido quidem auro conſtans. Ad ejus extremitates duo aurei Cherubim ſurgebant, qui alis in anteriora obverſis, ſolium quoddam Deo exhibebant. Deus enim in Scriptura, veluti Cherubim aſſidens, & Arcæ ſuppedaneo inſiſtens, exhibetur. E' Propitiatorio Deus à Moyſe, ſivè à Summo Sacerdote conſultus, Oraculum reddebat. *Exod.* 25. 22. *Num.* 7. 89. indè fortaſſe Hebræum *Cappboreth* à S. Hieronymo *Oraculum* tranſlatum eſt. V. *Oraculum*. Eccleſiaſtico ſtylo *Propitiatorium* uſurpatur de corona, ſivè de umbella alio nomine *ciborio*, ſive *confeſſione*, quæ Altare protegit.

PROPOSITIO, *panes propoſitionis*. Hebræus ad literam, panes facierum. *Exod.* 24. 30. ſivè *faciei*. Eo nomine panes appellabantur, quos ſingulis hebdomadis, die Sabbathi Sacerdotes menſæ aureæ in Sancto coram Domino appoſitæ imponebant. Figuræ erant quadratæ, juxta Rabbinos, aureis bracteis diſtincti. Duodecim erant, pro ſingulis Tribubus Iſraelis, nec ſinguli tenues prorſus, cùm duobus ſinguli aſſaronibus, nempè ſex pintis farinæ conſtarent. *Levit.* 24. 5. 6. Cùm ſingulis ſabbathis recentes, & calidi imponerentur, ſubducebantur veteres, qui ſolis Sacerdotibus in uſu eſſe poterant. Quare ſi David in cibum illos adhibuit, id neceſſitate adigente factum eſt (b), qua crimen evitavit. Huic oblationem, thus, *Levit.* 24. 7. & ſalem, *Levit.* 2. 13. nec non, juxta nonnullos Interpretes, vinum addebant (c). Porrò thus adolebant in menſa aurea ſingulis Sabbathis, cùm recentes panes imponerentur.

Quo ordine panes illi ſuper Altare diſpoſiti eſſent, non ſatis inter Scriptores convenit. Tres acervos quatuor panibus in ſingulos, inſtrui conſueviſſe aliqui malunt; alii duos tantùm, ſex panibus in ſingulos. Nec ſanè niſi duos acervos pati videbatur menſa, duobus tantùm cubitis in longum, & uno in latum producta; maximè cùm panes illi, utpotè ſex pintis farinæ conſtantes, ampliores eſſe viderentur. Tradunt Rabbini, inter ſingulos panes tubulos quoſdam aureos diſpoſitos, quos duæ aureæ fuſcinæ, ad terram uſque pertingentes ſuſtinebant; tuborum enim beneficio panes ventilati à ſitu ſervabantur.

Triticum hiſce panibus conficiendis ab Iſraelitis exhibitum fuiſſe Moyſes quidem inſinuare videtur. *Levit.* 24. 8. ſed non alia planè ratione à populo exhibitum dicitur, quàm quod ipſe primitias, & decimas Sacerdotibus ſufficeret; ex primitiis autem, & decimis triticum pro panibus propoſitionis, uti & alia quæque in uſum Templi ſufficiebantur. Sub Davide Levitæ ex familia Caath *panes propoſitionis*, ſivè ut legimus in Paralip. 9. 32. *panes ordinandos* curabant. Levitæ facilè eoſdem panes conficiebant, præparabantque; ſed illos coram Domino apponendi Sacerdotum munus habebatur 1. *Par.* 23. 28. *Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis*. Verùm S. Hieronymus de Sacerdotibus ait: *Panes propoſitionis, quos juxta traditiones Hebraicas ipſi ſerere, ipſi demetere, ipſi molere, ipſi coquere debebatis. Hieron. in Malac.* 1. Vide Comment. *in* 1. *Par.* 9. 22. 23. 28.

Plures in eoſdem panes propoſitionis Rabbinicas animadverſiones Interpretes congerunt. Sex utrinque ſuper menſam diſpoſiti erant; utrumque autem ordinem duæ aureæ lances ad utramque extremitatem protegebant; ſuper lancem verò ſuperiorem duo aurei cratères hinc, & inde puriſſimo thure referti eminebant. Panes illi oleo ſubacti, azymi erant; & ſi Toſtato fides ſit, in aureo clibano cocti. Alii tamen contendunt, in cæmentitiis furnis ad hoc tantùm deſtinatis pro more paratos fuiſſe; coquendis autem ſelecta ligna, ſolida illa quantum fieri poterat, adhibebantur. Ad latera eorundem panum vas vino generoſiſſimo ſpumans appoſitum; ſed illud diligentiſſimè claudebatur, nè fortè vinum aceſceret. Hujus vaſis amplitudo, quarta pars *hin*, nempe pintæ, cum dimidia, atque octava inſuper pintæ parte, digito cubico, & aliquantò ampliùs. Cùm panes innovarentur, vinum illud in libationem Domino effundebatur. Vas autem continendo ſali appoſitum, aureum erat, operculo inſtructum, uti & vas thuris, ne pulvere, vel aliqua re fortè injecta, corrumperetur. Panis ille à Sacerdotibus munere ſuo in Templo fungentibus in eodem Templo comedebatur, neque extra Templum, ſive in proprias ædes efferre fas erat.

PROSELYTUS, vox ex Græco, *Proſelytos*; quæ ſonat alienigenam, ſivè advenam, & Hebræo *Ger*, ſivè *Necher* reſpondet. Proſelyti apud Judæos appellabantur, qui in eorum regione commorabantur, ſivè qui origine a Judæis alieni, ad eorum religionem tranſiverant. In Novo Teſtamento interdum viri illi Proſelyti, interdum Ethnici *religioſi & timentes Deum* appellantur (d).

Duo Proſelytorum genera à Judæis diſtinguuntur, videlicet *Proſelyti ſorium*, & *Proſelyti juſtitiæ*. *Proſelyti ſorium* appellantur, qui ſivè in Judæa, ſivè extra illam degentes, neque circumciſioni, neque Legalibus ſe ſe ſubmittentes, Deum tamen reverentur, & colunt, iis tantùm præceptis obſervatis, quos Noe filiis ſuis impoſuit, de quibus nos v. *Noachidæ*. Inter illos Naaman Syrus. Nabuzardan Dux copiarum Nabuchodonoſoris, Cornelius Centurio, Eunuchus Candacis, & alii nonnulli, qui in Actis Apoſtolorum recenſentur.

His Proſelytis initiandis, docent Rabbini, oportere, ut jurejurando coram tribus præſtito, ille ſeſe ad obſervantiam præceptorum Noachidarum obliget; hanc enim dicunt naturalem Legem eſſe, à cujus obſervantia nemo abſque ſalutis æternæ diſpendio ſeſe ſubduceret. Deſiiſſe Proſelytos illos vulgò Judæi credunt, ex quo Jubilæi obſervantia ceſſavit, ac Tribus Gad, Ruben, & Manaſſe transjordanica tenentes, in ſervitutem à Theglatphalaſſar abductæ ſunt. Verùm hæc Rabbinorum commenta habenda ſunt, cùm etiam Jeſu Chriſti ætate, plures occurrant Proſelyti; & Jeſus Chriſtus Phariſæis exprobret, maria illos terraſque obire, ut Proſelytum adducant; quem deinde corruptis doctrinis ex malo peſſimum efficiunt. *Matth.* 23. 25. Quin S. Lucas *Act.* 2. 11. plures Proſelytos, & viros Deum timentes Jeroſolymæ fuiſſe tradit, quo tempore S. Spiritus in Apoſtolos viſi-

(a) Vide Exod 25. 17. . . . 22. Hebræum Capphor, ex quo Cappboreth ſonat operire, ſuperinducere, claudere, expiare, ſolvere. (b) Matth. 12. 4. Vide 1. Reg. 21. 4. Levit. 24.
(c) Villalpand. de Templo l. 5. c. 57.
(d) Act. 2. 5. & 10. 2. 22. & 13. 16. 50.

Digitized by Google

viſibili illapſu deſcendit. Perſuaſum quidem habeo, plures ex illis Proſelytos fuiſſe juſtitiæ, ſed nullos etiam ex Proſelytis forium inter illos recenſeri vix in animum induco.

Sua erant Proſelytis illis privilegia. 1. naturalia præcepta ſervantes, ſeſe, inſuper ab idololatria, blaſphemia, inceſtu, adulterio, & homicidio continentes, ad vitam æternam jus obtinebant. 2. Permiſſum illis in ditione Iſraelitarum domicilium, eadem cum Iſraelitis ſorte fruituris; quamquam in ſolis vicis & ſuburbiis moram illis permiſſam fuiſſe aliqui obſervant. In urbes tamen non Proſelytos tantùm domicilii, ſed etiam Ethnicos ultrò introductos à Judæis, quod illis vitio in S. Scriptura vertitur, facilè intelligimus. Salomonis ætate, Proſelytorum numerus ad 153600. increverat 2. *Par.* 2. 18., quos ille cædendis lignis, lapidibus dolandis, comportandiſque ad Templi ſtructuram oneribus applicavit. Porrò Chananæi erant omnes, occupata per Joſue regione, incolumes relicti. Morticina, & ſuffocata Proſelytis illis vendere Judæi ex Lege poterant *Deut.* 14. 21.

Proſelytos juſtitiæ appellabant eos, qui Judæorum religione initiati, Legalibus & circumciſioni ſubdebantur. Paria illis cum populo Dei & alterius vitæ, & præſentis privilegia. Antequam myſteriis Judaicis Proſelyti illi initiarentur, ſi fides Rabbinis, quærebatur ab illis, ecquid in cauſa fuiſset, cur novæ ſectæ nomen dare decrevisſent, an lucri ſpes, an ambitio aliqua, vel ſimile quid in eam rem impulisſet. Florentibus ſub Davide & Salomone rebus, nullos admiſſos fuiſſe Proſelytos juſtitiæ Maimonides tradit; quòd, ait, non recti amor, ſed populi florentis proſperitas animos ad Religionem facilè inclinaſſet. Proſelyti quidem, docent Thalmudiſtæ, tanquam ulcus & rubigo Iſraelis habendi ſunt: nullaque ſufficiens ratio iniri poteſt, ne facilè admittantur (a).

Proſelytos optimè inſtitutos tandem ad circumciſionem admittebant; poſtque vulnus obductum, totum corpus in vaſe aqua pleno ſemel mergentes, baptiſmo abluebant (b). Toti cæremoniæ, quippè quæ actus eſset judicialis, tres Judices adſiſtere debebant; nec niſi die feſta peragebatur. Mancipia Proſelyti, ſi 13. ætatis annum nondum excesſiſſent, unà cum hero circumciſione & baptiſmo initianda erant; ab ea ætate ſponte quidem ſeſe offerentia excipiebantur; renuentia verò ſtatim ab hero divendebantur. Fœminas tamen captivas ſponte quidem oblatas baptiſmo tantùm tingebant; renuentes herus vendebat. Baptiſmum ſemel collatum, iterum innovare ſive in Proſelyto, quamvis à fide priùs deficiens, poſtea reſipuiſſet, ſive in novis poſtea exortis filiis, nefas erat. Nati tamen poſt patris baptiſmum filii ablui poterant, ſi Ethnica matre editi fuiſſent; quippè qui ex Ethnica matre nati, Ethnici haberentur, juxtà illud, *Partus ſequitur ventrem.*

Maribus antè expletum 12. ætatis annum; fœminis ante 13. abſolutum in Proſelytos nomen dare niſi impetrata à parentibus, ſive illis denegantibus à Judicibus facultate, vetitum. Eadem, quæ in maribus circumciſio, in fœminis baptiſmus præſtabat; utroque enim Sacramento ambo in novos homines reformabantur, ut ne veteres quidem parentes ultrà agnoſcerent, uti & mancipia priores dominos. Natis ante ſuſceptam à parentibus religionem filiis jus ad hæreditatem nullum: quare decedentis Proſelyti, cui nulli fuiſſent poſt converſionem filii, bona non fiſco, ſed primo occupanti addicebantur. Nova etiam anima è Cælo demiſſa Proſelytus donabatur. Hæc Rabbini.

Tria ad Proſelytum initiandum ex Rabbinis neceſſaria: baptiſmus, circumciſio, & ſacrificium; ſubducenda pro fœminis circumciſio (c). Hunc Proſelytorum baptiſmum Chriſtus ſpectaſſe creditur illis ad Nicodemum verbis. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei Jo.* 3. 5. .... 10. Nicodemo verò ad hæc ſtupenti, *Tu es*, inquit, *magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* ac ſi diceret, nihil eſſe, cur de iſtis miraretur, cùm baptiſmus Proſelytorum in Iſraele familiariſſimus eſſet.

Certos quoſdam homines ab *Eccleſia Dei*, *Deut.* 23. 1., nempè à juris Hebraici communione, alios quidem perpetuò, alios præſcripto tempore arcendos præcipit. Eunuchis cujuſcumque generis aditus numquam pervius. Spuriis nonniſi poſt decimam generationem, uti & Moabitæ, & Ammonitæ permiſſi. Ægyptii & Idumæi poſt ſecundam tantùm generationem admiſſi. His tamen omnibus Religionem profiteri inter Proſelytos fas erat. Joannes Hircanus Idumæos ſub jugum redactos, Legem Moyſis & circumciſionem excipere victoris jure coegit (d): quare, ait Joſephus, Idumæi inter Judæos reputati ſunt. Achior Princeps Ammonitarum (e), in Lege ritè inſtitutus, inter Judaicæ Religionis ſectatores, nulla alia initiatus cæremonia, ſtatim admiſſus eſt. Quod igitur iis gentibus interdictum erat, non id quidem Religionis profeſſio fuit, ſed populi Hebraici jus, dignitates & munera, à quibus certo temporis ſpatio abſtinebantur; donec nimirum ſuæ in Religione conſtantiæ argumenta exhiberent.

Vulgus illud *promiſcuum*, Iſraelitas ex Ægypto abeuntes ſecutum, *Exod.* 12. 38. inter Proſelytos juſtitiæ nomen dediſſe Hebræi arbitrantur. Proſelytos inter etiam Jethro ſocerum Moyſis recenſent. *Exod.* 18. 20. *&c.* Jacob ſola circumciſione initiatos Sichimitas inter Proſelytos cooptavit. *Gen.* 34. 24. 15. Solo baptiſmatis Sacramento admiſſos Ethnicos Salomonis ætate, nonnulli ex Rabbinis docuerunt, quippè quòd plus nimiò confluerent. Alii tamen, uti mox diximus, præcluſum eo tempore aditum Proſelytis ſentiunt. Si quis circumciſione obſignatus inter Proſelytos nomen dare poſtulaſſet, aperto iterum vulnere guttulæ quædam ſanguinis educebantur; atque ità cæremonia complebatur. Quoad ſacrificia Proſelytis præſcripta, adverto, Jethro holocauſta & hoſtias pacificas obtuliſſe, *Exod.* 18. 12. Olim receptum ferunt, Proſelytos in hoſtiam obtuliſſe ſive ovem, ſive duas turtures, duoſve columbarum pullos. Verùm poſtquam Judæi Templo caruerunt & Altari, ſacrificia in deſuetudinem abierunt (f).

PROSEUCHA, vox ex Græcos *Proſeuche*, (g), ſonans orationem, uſurpatur autem de loco, quò Judæi ad preces conveniebant; qui ſanè locus vix alter erat à Synagoga. Synagogæ tamen ferè in urbibus erectæ fuerant, nec ſub dio patentes; Proſeuchæ verò extra urbes, ad ripas amnium aperto aeri expoſitæ, niſi quantùm aliquarum arborum umbra protegebantur; additæ etiam quandoque contectæ porticus. De Proſeucha Philippis in Macedonia extra urbem poſita, in Actis 16. 12. eſt ſermo. Proſeuchas verò ità inſtituendas Maimonides præſcribit, ut ſpectare ſemper Templum Jeroſolymæ, pro urbis & loci, ubi erecta eſt, ſitu, introeuntes cogantur. Judæi Ægypti metu necis ſibi à Ptolemæo Philopatore imminentis ſoluti, Proſeucham juxta Alexandriam ædificaſſe produntur 3. *Mach. c. ult.* Duobus à Sichem m. paſſuum Proſeucham Samaritanorum occurrere narrat S. Epiphanius *hær.* 80. in planitie ad theatri modum conſtructam; qua in re Samaritanos, uti & in aliis omnibus, mores Judæorum ſequutos idem Sanctus obſervat. Fatendum tamen, apud Joſephum & Philonem, Proſeuchas & Synagogas promiſcuè uſurpari, & ab ambobus

illa

(a) Vide Seld. de Syned. l. 2. c. 2. a. 5. (b) Idem de jur. nat. & gent. l. 2. c. 2. & 3.
(c) Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth. c. 4. Vide Maimon. Halac-Iſuribiah. c. 13. 14.
(d) Antiq. l. 13. c. 17. A. M. 3875. ante Chr. 125. ante Ær. 129. (e) Judith. 14. 6. A. M. 3348. ante Chr. 652. ante Ær. 656. (f) Vide de his Seld. de Jur. nat. & Gent. l. 2. c. 3. &c. & de Syned. l. 1. c. 3. & Succeſſ. in bona c. 26. Baſnage Hiſt. des Juifs t. 5. l. 7. c. 8. edit. Pariſ. Leon. Moden. Cerim. de' Giud. p. 5. c. 3. Ligfoot. in Jo. c. 3.
(g) Proſeuche, Oratio. Juvenal. Sat. 3. *In qua te quæro proſeucha.*

illa ædificia in urbibus conſtitui. Vide *Synagoga*.

PROVERBIA; quo nomine apud Hebræos parabolæ, ſimilitudines, ſententiæ morales, axiomata, comparationes, ænigmata poetico ſtylo, figurato, brevi, & gravi propoſita cenſentur; quæ etiam omnia alio nomine *miſle* nuncupant. Salomonis ætate vulgo Sapientes viri hiſce plurimùm delectabantur: *Animadvertet* (Sapiens) *parabolam & interpretationem verba ſapientum & ænigmata eorum*. *Prov.* 1. 6. 7. Et Jeſus filius Sirach: *In verſutias parabolarum introibit Sapiens, occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur*. Regina Saba de Salomonis in ænigmatibus ſapientia periculum factura, ex ultimis terræ regionibus movit 3. *Reg.* 10. 1. Hiram Rex Tyri, literarum commercio ea de re cum Salomone inſtituto, ænigmatibus tentabat, & tentabatur (a), ſi aliquibus apud Joſephum fides. Veteres Græciæ Sapientes eo ſtudii genere claruerunt. Cleobulus (b) 3000. ſcriptis cantilenis, & Gryphis; ejus verò filia Cleobulina carminibus quibuſdam ænigmaticis editis claruerunt.

Proverbia Salomonis longè quàm illa omnia Opus ſunt utiliſſimum; ſapientiæ enim tanti viri, & meditationis florem exhibent. *Cùm eſſet*, ait *Eccle.* 12. 9. *ſanctiſſimus Eccleſiaſtes, docuit populum ... & inveſtigaut docuit parabolas*. Cujuſcumque conditionis hominibus inſtituendis regulæ in eo Libro præſcribuntur aptiſſimæ; Regibus ſcilicet, aulicis, rebus gerendis implicitis viris, heris, ſervis, parentibus, filiis. An Salomonem tantum habuerit authorem, aliquibus in dubium revocare viſum eſt (c); Grotius quidem autumat, Salomone curante quidquid in Veteribus Judæorum Scriptoribus ſcitè dictum occurrebat, excerptum in eodem Libro ad uſum ejuſdem Regis collectum fuiſſe; illum autem mole parvum ſub Ezechia ex ſententiis quorumdam poſt Salomonem Scriptorum acceſſione auctum fuiſſe. Eam collectionem, ait, Eliacim, Sobna, & Joake (d) adornarunt. Sed iſtæ temerè prorſus deductæ conjecturæ contrariam Patrum & Interpretum opinionem, eum Librum Salomoni tribuentium, planè non infringunt.

Fateamur tamen oportet, varium in eo Opere ſtylum & methodum deprehendi; novem enim priora capita, quorum fronti inſcriptum legitur: *Parabolæ Salomonis*, continenti ſtylo deſcripta, totius Libri veluti Præfationem conſtituunt. Caput decimum novo titulo inſtituitur; ex quo ſtylus alter brevioribus ſententiis vix mutuo cohærentibus, & per antitheſes ferè diſpoſitis interciſus. Hæc una ratione uſque ad cap. 24. ℣. 23. ſervantur. Novus indè titulus: *Hæc quoque ſapientibus*; ſivè, *en alias ſapientum ſententias*, novus ſtylus conciſus & gravis. In fronte cap. 25. hæc leguntur. *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*; ex quibus ſanè Grotius ſuam de Authoribus hujus Libri, viris ſub Ezechiæ Regno illuſtribus ſententiam probavit. Hanc collectionem cap. 30. 1. excipiunt: *Verba Agur filii Jake* (ita in Hebr.) Tandem cap. 31. omnium poſtremus inſcribitur: *Verba Lamuelis Regis*.

Ex his omnibus ſatis intelligimus, huic Operi, quale nunc extat, variis collectis Salomonis parabolis adornando plures Scriptores operam contuliſſe. Ex quo tamen Salomonis opus non eſſe, nulla prorſus ratione inferas; cùm enim vir ille Divino Spiritu ſapiens ter mille parabolas dictaſſet 3. *Reg.* 4. 32. fieri potuit, ut ex illis quædam à nonnullis excerperentur, uti ab Ezechia *Prov.* 25. Agur, Iſaia, Eſdra &c. excerpta tandem illa Librum conflarunt. Nuſquam ſanè ſcriptus à Salomone Liber ille proditur; & titulus, *Parabolæ Salomonis*, Authorem potiùs, quàm Collectorem demonſtrant. Vulgò Rabbini docent (e), Regem Ezechiam, ut populum Operibus Salomonis, iis maximè, quæ de plantis, & ſecretis naturalibus ſcripſit, abutentem averteret, pluribus ex iis ſcriptis, ſuppreſſis, ea tantum reliquiſſe, quæ adhuc ſuperſunt.

Canonicum eſſe Librum ambigit nemo, præter Theodorum Mopſueſtenum apud Veteres (f), & apud Recentiores, Authorem Epiſtolæ inſertæ in Collectione de placitis quorumdam Theologorum Hollandiæ; qui ſanè Scriptor humano fretum ingenio Salomonem opus dictaſſe autumavit. Verſio Græca ſæpe ab Hebræo recedit, pluribuſque etiam ſententiis auctior apparet. Græcus Editionis Romanæ pluribus etiam capitibus tranſpoſitus eſt; poſt cap. 24. ℣. 22 quatuordecim primi verſus cap. 30. inſeruntur; indè primus ordo reſumitur. Poſt cap. 24. iterum verſus 15. cap. 30. reſumitur; atque indè cap. 31. ordine ſuccedente, tandem ad cap. 25. & deinceps, uſque ad cap. 9. ſtylus vertitur. His cap. 31. ℣. 10. & deinceps uſque ad finem Libri continuatur. Hujus inverſionis quid fuerit in cauſa, planè incertum. In Veteribus Latinis Verſionibus plures cahibentur verſus, deindè poſt S. Hieronymum ſubducti; è quibus nonnulli etiam ſupererant ſuppreſſi, & notati in primo Tomo novæ editionis S. Hieronymi.

(PROVIDEO. Genuinam retinet plerumque ſignificationem. *Deus providebit ſibi victimam*, *Geneſ.* 22. 8. uſurpatus etiam pro quærere, præparare, providere: *Provideat Rex virum ſapientem Geneſ.* 41. 33. Valet etiam pro intentum eſſe & conſiderare. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper Pſal.* 15. 8. præ oculis illum ſemper habebam. Pro curare ac laborare: *Providemus bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus Rom.* 12. 17. 2. *Cor.* 8. 21. Tandem pro prævidere, prædicere *Galat.* 3. 8. *Providens autem Spiritus Sanctus*. Et Act. 2. 31. *David providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti*.

PROVIDENTIA. Dogma id eſt Chriſtianorum æquè ac Judæorum Sanctum, à Deo ſcilicet providentia ſua gubernari omnia; providentiam hanc verò æternam eſſe ac infinitam extendi ad omnia, ut illam non fugiat nè minimus de capite crinis, de vellere animalium pilus, de agro herba. Athei, quorum ſenſus exprimit Salomon in Eccleſiaſte 3. 18. 19. 20. & Saducæi poſt illos Providentiam pervicaciſſimè negarunt (g). Defendebant illi omnia dirigente fato, nihil Dei voluntate ſequi. Imparem eſſe Deum ſive præſtando, ſive committendo malo; nos ſibi relinquit nobis utramque fortunam, pro bonis maliſque operibus, quibus voluntatis noſtræ arbitrio nos ipſos tradimus.

At abſurda hæc ſententiarum vulgo rejiciunt Hebræi; quanquam non ſatis inter ſe convenientes in ratione explicandi effectus Providentiæ (h). Tenuiſſe videtur Maimonides Providentiam nihil curare ſeu commotionem folii, ſeu genituram vermiculi; ſed quæcunque ad animalium productionem & cætera minoris momenti pertinent, hæc caſui permitti. Vulgò Judæi perſuaſum habent ſtui homines deſpotica libertate in bonum malumque; quæcumque verò illis accidunt, ſeu præmia eſſe bonorum, ſeu pœnas malorum.

Ne dicas coram Angelo (*Eccleſ.* 5. 5.) *Non eſt providentia; ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos diſſipet opera manuum tuarum*. Loquitur Salomon in Libro Eccleſiaſte: Cave, ne ſecretò Providentiam neges; de intimis enim tuis ſenſibus teſtimonium dicet Angelus tuus, & Deus in furore ſuo te puniet. Hebr. *Ne dicas coram Angelo: Error eſt ignorantiæ. Cur te exponis iræ Domini ſermonibus tuis, ut perdas cuncta opera manuum tuarum?*)

(a) Dius apud Joſeph. Ant. l. 8. c. 2. (b) Laert. in Cleobulo.
(c) Rabb. & Grot. in Proverb. (d) Vide 4. Reg. 18. 26.
(e) Vide Zemach. David. & Seder Olam Rabba, c. 15.
(f) Conc. C. P. 4. collat. 4. art. 62.
(g) Joſeph. Antiq. l. 3. c. 9. & de Bello l. 3. c. p. 788.
(h) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. t. 4. l. 5. c. 13. Edit. Pariſienſis.

PSALMI. *Liber Pſalmorum*, Hebraicè *Sepher Tehillim*, Liber Hymnorum: in Evangelio *Luc.* 20. 40. interdum dictus *Liber Pſalmorum*, interdum tantùm *Propheta*; aliquando *David* ex nomine Authoris potiſſimè. Liber iſte, nec immeritò, totius Scripturæ veluti epitome habetur, cùm omnis in cæteris Libris latè deducta, compendio exhibeat. *Pſalmorum Liber*, ait S. Auguſtinus Præf. in Pſalmos, *quæcumque utilia ſunt ex omnibus continet*. Et Caſſiodorus Præf. in Pſalmos. *In hoc Libro ſpecialis Bibliotheca inſtructa eſt*. Hiſtoria ſacra, ait S. Ambroſius Præf. in Pſalmos, nos inſtruit, Prophetia de futuris præmonet, minæ impios coercent, moralia ſuadet; omnia æque in Pſalmis præſtantur; *Certat in Pſalmo doctrina cum gratia ſimul*. Indè omnes ſemper huic ſcripto plurimùm detulere; quod æquè omnes Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi memoria complecti debuiſſent. Indè ſuum Eccleſia Officium unicè fermè deduxit; & Pſalterii partem ſingulis diebus Eccleſiaſticis recitandam præſcripſit.

Totum Pſalterium Hebræi in quinque Libros diſpeſcunt, quam diviſionem Patres plurimi (a), vetuſtiſſimam rati, ſequuti ſunt. Euſebius in Veteri Originali Hebraico, & in optimis Editionibus Septuaginta illam ſervari teſtatur. S. Ambroſius illam improbans veluti contrariam Novo Teſtamento, in quo Liber Pſalmorum ſingulari nomine laudatur, refutat. Hæc tamen, quæ de Novo Teſtamento diximus, tantùm apud SS. Hilarium, Hieronymum, & Auguſtinum valuerunt (b), ut propterea diviſionem Pſalterii in quinque Libros Scripturæ contrariam damnarent. Nec inter Commentatores noſtri temporis magis, quam inter Veteres, ea de re convenit. Alii eoſdem & collectionis Pſalmorum & diviſionis Authores fuiſſe arbitrantur; alii recentiori manu poſt ætatem Apoſtolorum invectam, malunt. Hæc ſanè controverſia futilior eſt, quàm ut operoſius diſcutiatur.

Vetuſtiſſima tamen, & à priſtinis Collectionis Authoribus ea diviſio nobis ex eo probatur, quòd in fine cujuſcumque Libri eadem verba leguntur, quæ ab Eſdra, ſive ab iis, qui poſt captivitatem Babylonicam Bibliorum Collectioni allaborarunt, adjecta videntur (c). Illud tamen conſtat, in recenſione Librorum Scripturæ, Pſalterium ſemper apud Hebræos, & Catholicos unius Libri loco enumeratum eſſe. Primus Pſalterii Liber, juxtà Hebræos, Pſalmo apud nos quadrageſimo clauditur, ſecundus ſeptuageſimo; tertius octuageſimo: quartus centeſimoquinto: quintus Pſalterii finem æquat. Quatuor priores Libros hæ voces in Hebræo terminant: *Amen amen*: in Latino vero; *Fiat fiat*. Quintum in Hebræo & Latino excipit *Alleluja*.

Numerus Pſalmorum Canonicorum apud Judæos, & Catholicos certus ſemper fixuſque fuit. Centum enim & quinquaginta definiti ſunt: qui eum numerum excedit in Græco, à Canonicis ſemper rejectus eſt. Eorum diviſio non eadem apud omnes ſervatur. Nonus Pſalmus apud Judæos ℣. 22. abſolvitur; reliqui decimum Pſalmum conſtituunt; incipit autem: *Ut quid Domine receſſiſti longe?* Indè verò uſque ad Pſal. 113. numerus Pſalmorum apud illos à noſtro, & Græcorum diverſus, unitate præcurrit. Proteſtantes Hebræorum diviſionem ſequuntur; quòd eorum Libris legendis operæ pretium fuit adnotaſſe.

Pſalmum 113. *In exitu Iſrael &c.* in duos itidem diſtribuunt, ut Pſal. 114. apud illos incipiat: *Non nobis Domine*, & cum eodem Pſalmo clauditur; indè à noſtro & Græcorum ordine duplici Pſalmo exorbitant. Brevi tamen duos Pſalmos 114. *Dilexi quoniam &c.* & 115. *Credidi propter quod &c.* jungentes, à veteri exceſſu recedunt. Donec Pſal. 146. *Laudate Dominum quoniam bonus*, & Pſal. 147. *Lauda Jeruſalem &c.* jungentes, nobiſcum planè de reliquo conſentiunt.

Diſcrepant etiam nonnihil vetera Græcorum & Latinorum Exemplaria, in primi & ſecundi Pſalmi diviſione: duos enim in unum quædam confundunt; quædam diſtinguunt. Illud planè conſtat, Pſalmorum diviſionem non tantam obtinere antiquitatem, quantam quis opinaretur; nec rarò ut Pſalmis ſuus fluat ſenſus, alter alteri jungendus; vel etiam duas ſimul partes disjungendæ ſunt. S. Hilarii ætate Pſalmorum diviſio necdum apud Hebræos certa, ac firma habebatur; alii enim aliam probabant, ait idem S. Hilarius Prolog. in Pſal. & in Pſ. 2. Paria apud Origenem legas (d), qui author eſt, Pſalmos apud Hebræos nullis numeris adſcriptis in certa ſede conſtitui. Quod ætate Kimchi, duodecimo nempè ſæculo, obſervabatur (e). In noſtra Præfatione in Pſal. art. 2. & in Commentariis, plures Pſalmos adduximus, qui unico ab Authore ordine dictati, à ſe invicem revulſi ſunt.

Recepta apud Hebræos & Chriſtianos traditione vulgatum eſt, Pſalmorum collectionem Eſdræ potiſſimum tribuendam eſſe. Eſdræ illam authori deputant Euſebius, S. Hilarius, Theodoretus, Pſeudo-Athanaſius in Synopſi, Beda, aliique. S. Philaſtrius *hæreſ.* 77. tradit, Judæorum eruditiſſimos collectionem Pſalmorum adornaſſe, eodemque ordine ſingulos recenſuiſſe, quem à Priſcis, qui Pſalmos de manibus hoſtium vindicaverant, acceperunt. Porrò Pſalmorum Davidis collectio ante Ezechiam paruerat; cùm ille priſtinum Dei cultum reſtituens, Pſalmos Davidis in Templo cantari juſſerit 2. *Par.* 29. 25. *&c.* Nehemias Davidicos Pſalmos in Bibliotheca à ſe Jeroſolymis conſtructa repoſuit 2. *Mach.* 2. 13.

Qui ſpeculationibus delectantur, in ordine ipſo Pſalmorum conſilium & myſterium deprehendiſſe ſibi viſi ſunt. Aliis enim vitæ Davidis ſeries exhiberi videtur (f). Alii ordinem Solemnitatum, quæ in Templo celebrabantur, ſpectatum credunt (g). Priorum Pſalmorum triſtius ferè eſſe argumentum, lætum verò ſubſequentium, S. Chryſoſtomus *in Pſal.* 51. animadvertit. Ejus ordinis myſterium ſe nondum aſſequutum S. Auguſtinus *in Pſal.* 150. fatetur; videri tamen ſibi tres illas Pſalmorum quinquagenas ad vocationem, juſtificationem, & glorificationem Sanctorum non incongruè pertinere; quinquageſimi enim argumentum pœnitentiam: centeſimi miſericordiam; poſtremi laudem Dei in Sanctis reſpicit. Verùm, authore S. Hieronymo *in Jerem.* 55. *initio*, fruſtra in Pſalmis chronologicus ordo ad certæ Hiſtoriæ ſeriem relatus quæratur: hunc enim ordinem Lyrici Authores negligere conſueverunt. Si quis autem ſolerter Textum & Pſalmorum ſenſum deſpiciat, is profectò intelliget, Collectores Sacros curam quidem adhibuiſſe religioſam, ut nullum negligerent; quem verò ordinem in illis diſponendis ſequerentur, contempſiſſe; ut, modò nullum omitterent, nihil curaſſent, an mancus aliquis, à ſuis partibus avulſus, an cum aliis per incuriam confuſus, an bis repetitus irrepſiſſet. Ejus rei curam Pſalmorum intelligentiæ ſtudentibus integram reliquerunt.

Pſalte-

(a) Nyſſen. tract. 1. in Pſal. c. 5. Epiph. l. de menſur. c. 5. Euſeb. in Pſal. Ambroſ. & Author. Comment. in Pſal. ſub nomine Hieronymi.
(b) Hilar. Præf. in Pſal. Hier. Præf. in Pſal. ad Sophron. & Ep. ad Cyprian. Aug. in Pſal. 150.
(c) Vide Muis ad Pſal. 40.
(d) Origen. in Pſalm. 2. Vide nov. Edit. Hexapl.
(e) Vide Genebr. in Pſal. 9. 23. ſeu Pſal. 10. in Hebr. & Kimchi ibid.
(f) Hilar. Proleg. in Pſal. Ambroſ. Apol. David. c. 8. Orig. in Ep. ad Rom. l. 2. c. 3.
(g) Euthym. Prol. in Pſal.

Pſalterium totum Judæi & Chriſtiani omnes ſine controverſia inter Canonicos recenſent. Soli apud S. Philaſtrium occurrunt Nicolaitæ, Gnoſtici, & Manichæi, negantes Davidem Prophetiæ ſpiritu donatum fuiſſe; eique in ſcribendo S. Spiritum affulſiſſe. Idem aliquibus Anabaptiſtarum viſum eſt. Eccleſiæ tamen Chriſtianæ alia ſemper ſtetit ſententia; quippè quæ 150. Pſalmos Pſalterium conſtituentes Deo authori deputavit. Unum eſt, in quo viri quidam religioſi hæſiſſe aliquando viſi ſunt; diræ ſcilicet, quæ in adverſarios ſuos Propheta quandoque precatur. Sed Patres, & Interpretes vulgò non animo illa optante expreſſa, ſed futura prævidentis oraculo prolata obſervant: vel ſaltem eo ſenſu perdendos illos prænunciat, niſi ſcilicet reſipuerint; ac ſi dixerit: Peribunt ſanè, vel pereant, niſi in ordinem redigantur. Quin & Prophetam aliorum, non ſuos, in his ſenſus expreſſiſſe S. Chryſoſtomus *in Pſal.* 136. 11. animadvertit. Dæmones inviſibiles hoſtes maledictis illis proſcindi autumat S. Athanaſius. *Vide in Pſal.* 72. (a)

Pſalmorum obſcuritatem nihil prodit magis, quam in immenſum propè auctus Commentariorum numerus. Ultra quingenta Bocchius in Pſal. & Draudius Bibl. Claſſ. enumerant. P. le Long. *Biblioth. Sacr. t.* 2. 630. recenſet, non enumeratis iis, qui in tota Biblia, vel in partem tantùm Pſalmorum Commentaria ſcripſerunt. Quare omnibus collectis, ultra 1000. in Pſalmos Scriptores in medium afferri potuiſſent. Senſum autem Pſalmorum obvolvunt, 1. Textus Hebraici abſtruſitas, quæ ſanè in Pſalmis, utpotè Poetico ſcripto, magis quàm in aliis proſa exaratis Libris, ſeſe prodit. 2. Stylus ſublimis, eòque magis à noſtris moribus diſcrepans. Amanuenſes ad hæc, quem minùs aſſequebantur, Librum frequentiùs reſcribentes, crebrioribus mendis deformarunt. Quæ ſanè menda ex collatione Verſionis Septuaginta, Syriacæ, & S. Hieronymi cum Textu Hebraico noſtræ ætatis ultrò ſeſe produnt.

Quantùm autem omnes de inſpiratione Pſalmorum conveniant; vix duo tamen de Authore, ſivè de Authoribus illorum conſentiunt. Alii (b) unum Davidem eorum authorem agnoſcunt; alii (c) negant. Utriuſque partis rationes examini ſubjiciendas cenſeo.

Qui Davidem unicum Pſalmographum defendunt, his potiſſimum rationibus ſententiam ſuam fulciunt. 1. Hæc de ſe David ipſe prodit 2. *Reg.* 23. 1. *Dixit David filius Iſai, egregius Pſaltes Iſrael, Spiritus Dei locutus eſt per me &c.* 2. In omnibus cæremoniis, in quibus Cantica præſcribuntur, ſemper cautum eſt, ut Davidis Pſalmi canantur. In dedicatione Templi ſub Salomone, Levitæ Cantica à Davide adornata concinebant 2. *Reg.* 7. 6. *&* 1. *Par.* 23. 5. Cum Ezechias cultum Domini in Templo reſtituit, Levitis injunctum eſt, *ut laudarent Dominum ſermonibus David & Aſaph Videntis.* 2. *Par.* 29. 30. Porro muſicæ Præfectus erat ſub Davide, cui Rex ille Pſalmos quamplures muſicis notis mandandos, ſivè concinendos inſcripſit. In Dicatione ſecundi Templi poſt regreſſum è captivitate, laudes Domini Canticis Davidicis in cœtibus inſonabant 1. *Eſdr.* 3. 10. *&* 2. *Eſdr.* 12. 35. 39. Pſalmos Davidis in Bibliotheca Nehemias collocavit 2. *Mach.* 2. 13. Jeſus filius Sirach, Davidis ſtudium in pangendis hymnis & canticis Domini elogio proſequitur *Eccli.* 17. 18. In N. T. Jeſus Chriſtus & Apoſtoli Pſalmos Davidis nomine coram ipſis Judæis nunquam non laudant. *Matth.* 22. 42. *Luc.* 20. 41. *Mar.* 12. 36. qua de re Judæos, dictorum factorumque omnium Jeſu Chriſti cenſores acerrimos, nunquam obtrectatores experti ſunt. Neque eos tantùm Pſalmos ſub Davidis nomine laudant, qui ejus Regia nomen inſcriptum ferunt, ſed omnes paſſim, nullo alioqui titulo inſcriptos, uti & de Pſalmo 2. à S. Petro factum ſcimus *Act.* 4. 25. Recepta etiam & conſtans Eccleſiæ traditio, nunquam Pſalmos niſi nomine Davidis appellantis, eandem opinionem præjudicata fulcit authoritate: *Uſus Eccleſiæ Catholicæ Spiritus Sancti inſpiratione, generaliter & immobiliter tenet, ut quicumque eorum Pſalmorum cantandus fuerit, Lector aliud prædicare non audeat, niſi Pſalmos David*, ait Caſſiodorus Præf. Pſal. Quin & S. Philaſtrius hær. 79. eo proceſſit, ut contraria ſentientes hæreſis inſimulet. In eamdem ſententiam Joſephum hiſtoricum, Jonatham Paraphraſtem, omneſque veteres Judæos iviſſe tradit Perea in Commentariis, donec, Origene contraria urgente, teſtimoniis ex ſacris Libris deductis, Rabbini in ſententiam planè diverſam abrepti ſunt. Verùm quid Rabbini proficerent, negantes Davidem totius Pſalterii authorem eſſe, prorſus neſcimus; cujuſcumque enim eſſet authoris, ſemper tamen Canonicum Librum, & à Prophetis ſcriptum cenſebant. Ex Scriptis Origenis, quæ ſuperſunt, quid ille in ea controverſia ſentiret, nihil certi deduci potuit: Genebrardus verò author eſt, Rabbinos vulgò Pſalmos pluribus authoribus deputaſſe.

Hæc pro Davide. Contra Davidem verò non minoris momenti, nec infrequentium Scriptorum authoritates proferuntur. Ita pro ea ſententia S. Hilarius Præf. in Pſal. & Comment. in Pſal. 131. *Abſurdum eſt, Pſalmos David dicere vel nominare, cùm ibi Authores eorum ipſis inſcriptionum titulis commendantur.* Eadem apud S. Hieronymum Præf. in Pſ. ad Sophr. legas; & Ep. ad Cypr. *Sciamus errare eos, qui omnes Pſalmos Davidis arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inſcripti ſunt.* In nota titulo primi Pſalmi in Commentariis S. Auguſtini in Pſalmos ſubjecta, hæc leguntur: *Non enim omnes Pſalmi à David editi ſunt.* Sed hæc aliena manu in textum Auguſtini irrepſiſſe Eruditi animadverterunt. Auguſtinus *de Civit. Dei l.* 17. *c.* 14. alterius ſententiæ aſſertorem ſe prodidit: *Mihi credibilius videntur*, ait, *exiſtimare, qui omnes illos centum & quinquaginta Pſalmos ejus operi tribuunt.*

Nec Patres Græci ab ea Latinorum quorumdam Patrum ſententia abludunt. S. Athanaſius (d) contrariam ſententiam improbat: nec niſi 72. Pſalmos Davidi tribuens, cæteros illis deputat, quorum nominibus ſivè iidem Pſalmi, ſive præcedentes inſcripti ſunt. In Synopſi, quæ ejus nomen præſefert, Pſalmi quidam Authoribus Idithum, Aſaph, filiis Core, Aggæo, Zachariæ, Eman; quidam vero, quibus *Alleluja* inſcribitur, hiſce omnibus ſimul tribuuntur. Quod autem, ait ejus Libri Author, Pſalterium Davidis nomen exhibet, ipſe David in cauſa fuit, qui primus Pſalmorum inventor habetur, & quorundam Pſalmographorum munera & tempora direxit. David, ait Euſebius Cæſarienſis (e), 72. Pſalmos ſcripſit; cæterorum vero Authores in ipſa Pſalmi præſcriptione notantur; videlicet filii Core 11. Pſalmos concinnarunt; Aſaph 12. Salomon 2. Moyſes unicum; Ethan Jezraites unum. Davidem autem exhibet in choro Sacrorum Pſalmiſtarum modulos cum illis alternantem afflante ſingulos S. Spiritus aura, qui, cùm Spiritus aliquem invaderet, in ſilentio tantùm aliorum cantationes, *Alleluja* concinens, claudebat.

His Patrum authoritatibus appendices accedunt Rabbi-

(a) Vide Boſſuet Præfat. in Pſal. & noſt. Comment. in Pſal. 34.
(b) Chryſ. in Pſalm. 50. Ambr. Præf. in Pſal. 1. Aug. de Civit. l. 17. c. 14. Theodoret. Præf. in Pſal. Caſſiod. Prol. in Pſal. Enthym. Præf. in Pſal. Philaſtr. hær. 70. & alii recentiores.
(c) Hilar. Prolog. in Pſal. Pſeudo-Athanaſ. in Synopſi, & alii.
(d) In Pſal. p. 70. c. 2. nov. edit. Collect. Græc. PP.
(e) Præf. in Pſal. & in inſcript. Pſal. & in Pſal. 41. & 60. & 62.

Digitized by Google

Præter hunc Pſalmorum 150. numerum, alius in Hebræo, Chaldæo, & Vulgata omiſſus, legitur in Syriaco, ferè omnibus Exemplaribus Græcis, in Arabico, in Verſione Anglo-Saxonica, in Euchologiis Græcorum, S. Athanaſio, Euthymio, Vigilio Thapſenſi, Epiſtolis interpolatis S. Ignatii (a); & S. Chryſoſtomus Hom. 17. ad pop. Antioch. ad illum alludit. Ejus titulus ita inſcribitur: *Pſalmus gratiarum actionis David cum Goliath vieiſſet*; incipit autem: *Primus eram inter fratres meos, & adoleſcentior in Domo patris mei*. Hunc Latinè & Gallicè dedimus in calce noſtri Commentarii in Pſalmos.

Pſeudo-Athanaſius in Synopſi tradit, inter 3000. Pſalmos à Davide dictatos, Regem Ezechiam hoſce 150. ſelegiſſe, ſupreſſis cæteris; quod quidem ſe ex Paralipomenis accepiſſe ſignificat, ubi tamen talia vano labore quæras. Paria ex Paralipomenis laudat Joſephus Chriſtianus, Græcus Author (b). Eandem hiſtoriam ex Pſello refert, atque ipſe probare videtur Michael Glycas *Annal parte* 2. additque poſt captivitatem Eſdram 150. Pſalmos, quos in Bibliis legimus, ex 300. Pſalmis ſelegiſſe. Author Verſionis Syriacæ obſervat, Pſalterio duodecim Pſalmos apud quoſdam additos inveniri; quos ipſe tamen veluti apocryphos rejiciendos cenſuit.

PSALMI SALOMONIS, ſivè *Pſalterium Salomonis*. Vide *Salomon*.

PSALMI GRADUALES. Quindecim in Pſalterio Pſalmi à Pſal. 119. uſque ad 134. *Graduales* appellantur: in Textu Hebræo, *Canticum aſcenſionum*; in Chaldæo, *Canticum quod dictum eſt in aſcenſionibus abyſſi*. Porrò hæc Chaldæi explicatio ex traditionibus Hebraicis derivatur; ferunt enim cùm Templi fundamenta poſt regreſſum è captivitate jacienda eſſent, tantam è terra aquæ copiam erupiſſe, ut ad 15. cubitos elevaretur; illa autem etiam atque etiam affluente, univerſi Mundi ſalus periclitabatur; niſi Achitophel, vir ille celeberrimus, qui ſub Davide ante quingentos annos laqueo ſibi vitam præciderat, inſcripto quindecim gradibus Templi ineffabili nomine Jehovah, prompto remedio rebus afflictis ſuccurriſſet. Ad eam hiſtoriam referunt Judæi Pſal. 126. *De profundis clamavi &c.* qui unus eſt è Gradualibus. Junius, & Tremellius vertunt: *Canticum excellentiarum*, ſive Canticum eximium, quod ipſi De Muis & aliis Cll. Interpretibus non improbatur. Communem tamen interpretationem, *Canticum graduum*, vulgò plures ſequuntur.

Undè autem Pſalmis hiſce nomen? Ex 15. gradibus Templi, in quibus cantabantur, vulgò cenſent Interpretes. Sed ubi locorum ſiti eſſent gradus illi, inter omnes non conſtat; alii enim in exterioribus Templi, alii in veſtibulo collocant. Sunt, qui gradus 15. deſignent, per quos, Joſepho teſte *de Bel. l.* 1. *c.* 14. *in Græco*, ex ſepto mulierum in magnum atrium aditus patebat. Illos tandem gradus aliqui præferunt, per quos ab atrio Sacerdotum in veſtibulum Sancti aſcendebatur. Sed eos gradus, ſive qui in veſtibulo, ſivè qui præ foribus, ſivè qui in exterioribus Templi conſtituti eſſent, 15. numero extitiſſe, neque in Scriptura, neque in Joſepho veſtigium ullum apparet. Quin & apud Ezechielem 40. 22. 26. 31. 37. 49. alios octo, alios ſeptem tantùm gradibus aſcenſus conſtitiſſe legimus. Nunquàm etiam ceciniſſe Levitas in gradibus ſtantes apud SS. Authores invenimus: certus illorum locus ſivè propè Altare ſivè in atrio Sacerdotum conſtitutus erat.

Sunt, qui titulum illum Pſalmorum derivent ex cathedra in atrio Iſraelis erecta, ex qua interdum Levitæ Sacros Libros legebant *Eſdr.* 9. 4.; ſed illam legentibus quidem, nunquam tamen canentibus, conſtitutam ſcimus. Hieronymiaſter in Pſalmum 119. obſervat, plures fuiſſe inter Sacerdotes & Levitas Dignitatum gradus. Hæc quidem vera ſunt; ſed quindecim illos fuiſſe qui probet? Sacerdotales familiæ numero 24. totidemque Leviticæ numerabantur: quid autem hæc ad 15. gradus? Rabbinorum nonnulli, uti & Commentatores plurimi Hebræum titulum reddunt: *Cantica elevationis* (c); quod ſcilicet, inquiunt, elata voce, elatiori ſinguli modulo cantarentur.

Ne tamen fruſtra conjecturas congeramus, noſtrum ea de re ſyſtema ſubjungimus. Nos igitur Hebræum ità vertimus: *Canticum aſcenſionis*, ſivè regreſſus è captivitate Babylonica. Scriptura enim agens de regreſſu populi è captivitate Babylonica, verbo *aſcendere* frequentiſſimè utitur. *Quis eſt in vobis?* ait Cyrus in edicto pro Judæis 1. *Eſdr.* 1. 3. 5. 11. & 2. *Eſdr.* 7. 5. 6. *Aſcendat in Jeruſalem*. Et 1. *Eſdr* 2. *Hi ſunt autem provinciæ filii, qui aſcenderunt de captivitate*; & 1. *Eſdr.* 7. 9: *Prima die menſis primi cœpit aſcendere de Babylone*. In Pſal. 121. inter Graduales: *Tribus aſcenderunt in Jeruſalem*. Ac tandem *Ezech.* 39. 2. *Et aſcendere te faciam de lateribus Aquilonis*.

Ex his planè intelligimus, Judæos, quoties de itinere Babylone Jeroſolymam agendum eſſet, verbo *aſcendere* frequenter uti conſueviſſe; quippè quod è Babylone in planitie poſita, in Judæam regionem montuoſam aſcendendo iter pateret. Cantica igitur aſcenſionum facilè per eam occaſionem concinnata fuiſſe credimus, ob agendas fortaſſe ea de re gratias; quod potiſſimum eſſe Pſalmorum Gradualium argumentum obſervamus. Nec in illis rara etiam receptæ à populo libertatis mentio; quæ ſanè præterquam in noſtra hac hypotheſi commodiùs explicari non poſſunt. Huic noſtræ opinioni fulciendæ plura congeri poſſent Pſalmorum teſtimonia, quæ vel Lectoribus ultrò in Pſalterio occurrunt (d).

PSALMI ACROSTICI: quo nomine appellantur Pſalmi, ſingulis verſiculis, ſive mediis verſiculis alphabeti literas in Hebræo referentes. Eo artificio adornati ſunt Pſal. 24. *Ad te Domine levavi animam meam*. Pſal. 33. *Noli æmulari in malignantibus*. Pſal. 110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in Concilio*. Pſal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum in mandatis*. Pſal. 118. *Beati immaculati in via*. Pſal. 144. *Exaltabo te Deus meus Rex*.

PSALTERION, vox Græca, Latinè *Pſalterium*, muſicum inſtrumentum. De *Pſalterio*, *Libro Pſalmorum* latè egimus v. *Pſalmi*. Inſtrumentum hoc muſicum aliquando in S. Scriptura memoratur, & Hebræo *nebel*, quod Septuaginta vertunt *pſalterium*, ſivè *nablon*, reſpondere cenſemus (e). Ligneum erat, fidibus conſtans, cujus in cæremoniis Religionis uſus (f). Aliquando in Pſalmis *nebel* idem inſtrumentum eſt, ac *decachordum*, *Pſal.* 32. 2. & 143. 9., decem fidibus inſtructum, Hebraicè *haſhur*; interdum verò ambo illa diſtinguuntur. *In decachordo pſalterio* (Hebr. in *nebel & haſhur*) *laudabo te*. *Pſal.* 91. 4.

Affinia tamen inter ſe inſtrumenta illa fuiſſe liquido conſtat. Nablon enim Veterum Deltæ figuram referebat, ait S. Hieronymus in Pſal. 32. & 149. & 150., Caſſiodorus in Præf. in Pſal., & S. Iſidorus; quod cavo in ſuperioribus ventre inſtructum, digito vel plectro pulſatis fidibus, ex ſuperioribus in inferiora tenſis, reboans ſonum edebat. Solam verò *pſalterii* à *cithara* diſcrepantiam in eo conſti-

(a) Athan. ſerm. ad Marcellin. t. 1. Item in Synopſi t. 2. Euthym. in Pſalm. Vigil. Thapſ. l. 1. Epiſtol. Ignat. ad Mariam Caſſabol. c. 4.
(b) Joſeph. Chriſtian. in Hypomneſtico Mſ. l. 2. c. 120.
(c) Saadias, Hammond. Gataker. Vatabl. Du Pin. Ainſvort.
(d) Vide noſtr. Præfat. in Pſſ. Graduales.
(e) Hebr. Nebel. 70. Pſalterion, ſive Nablon. Pſalterion legitur Dan. 3. 5. 7. in Hebr.
(f) Vide 3. Reg. 10. 12. & 2. Par. 9. 11. & 2. Reg. 6. 5. & 1. Par. 3. 8.

Digitized by Google

interpres. Biennio poſt accitum Regni ſocium filium, deceſſit.

II. PTOLEMÆUS PHILADELPHUS, filius Ptolemæi Soteris, à patre in Regni ſocietatem aſſumptus anno 3719. Quin & Patrem omnia Regis inſignia in filium tranſtuliſſe, ſeque in ejus ſatellitium redegiſſe, contra cæterorum fidem, qui Regno cum vita ſeſe demiſiſſe Ptolemæum aſſerunt, Juſtinus *l.* 16. *c.* 2. eſt author. Ptolemæus igitur filius, cognomento *Philadelphus*, nempè fratrum ſtudioſus, quod de illo per ironiam facile dictum eſt, cùm duos ex fratribus, Argæum natu minorem ex Berenice germanum, & filium Euridices emendicatis cauſis occiderit (a). Potentiſſimus inter Ægypti Reges habitus eſt (b), atque præſtito literis favore celebris; cujus rei argumentum ſunt Bibliotheca Alexandriæ erecta, & Verſio Septuaginta procurata. Septimo Regni anno Verſionis illius conſilium ſuſcepiſſe aſſerit S. Epiphanius *de ponder. & menſur.* (c). De Verſione Septuaginta egimus ſuo loco, ubi totam illam hiſtoriam in dubium à quibuſdam revocari, nequid gravius dicam, latè narravimus. Verum iis, quæ ad hanc hiſtoriam exornandam adjectæ ſunt, fabellis ſepudiatis, rem geſtam ratam omnino firmamque tenemus. Quare adornatam ſub eo Rege ex Hebræo in Græcum Scripturæ, ſive univerſæ, ſive Pentateuchi Verſionem à Judæis Ægyptiis in gratiam eorum, qui in Hebræo, & Chaldæo hoſpites eſſent, perſuaſum omninò tenemus. Conſule Authores de hoc argumento agentes.

Hunc Regis in literas amorem, & ſtudium comparandorum ad inſtructiſſimam Bibliothecam Codicum, Veteres quidem omnes commendant (d), hujus verò Bibliothecæ curam Demetrio Phalereo demandatam fuiſſe nonniſi Pſeudo-Ariſtæas prodit. Cùm enim Phalereus dato Ptolemæo Lagi conſilio, parùm Philopatori faviſſet, uti jam ſuprà diximus, ab illo rerum potito exilio multatus eſt: quam ille pœnam impatienter ferens, aſpidis morſu necem ſibi conſcivit (e). Eam Bibliothecam ſub Ptolemæo Ariſtophanem curaſſe apud Vitruvium legimus; Zenodotum, apud Suidam; unus Ariſtæas eamdem Præfecturam Demetrio committit. Annos in Regno 39. exegit, authore Joſepho *Antiq. l.* 12. *cap.* 2. juxta S. Clementem Alexandrinum 37. ac tandem 38. habent Ptolemæus, Porphyrius, & Euſebius, cui poſtremæ ætati octo menſes Uſſerius adjiciendos cenſuit (f). Succeſſorem habuit Ptolemæum *Evergetem*, filium Arſinoes filiæ Lyſimachi. Berenice ejus filia Antiocho Deo, Syriæ Regi, uti ſtatim dicemus, nupſit.

III. PTOLEMÆUS EVERGETES, ideſt *beneficus*, filius Ptolemæi Philadelphi, Regnum Ægypti inivit an. M. 3758. ante Chr. 242. ante Ær. 246. Poſt diuturna inter Philadelphum & Antiochum Deum bella, conciliata demùm pax; cui magis magiſque firmandæ, nuptiæ Berenices filiæ Ptolemæi Philadelphi cum eodem Antiocho, adhuc ſuperſtite Laodice, ea qua duos filios genuerat, celebratæ ſunt A. M. 3744. ante Chr. 256. ante Ær. 260. Nihil ad earum nuptiarum pompam relictum eſt; tantumque auri & argenti pater filiæ in dotem aſſignavit, ut propterea *Phernophoros*, nempè *dotem ferens* appellaretur (g). Sed hujus conjugis exitus infelix; Antiocho enim fraudibus Laodices prioris conjugis ſublato, ejuſdem fœminæ à Berenice, ejuſque filii pueri adhuc, mors decreta eſt (h). Inter hæc Philadelpho decedente, Evergetes rerum potitus, opem ſorori, quæ Daphnem in aſylum confugerat, promptè laturus, in Syriam cum exercitu venit. Sorori juvandæ fruſtra ille quidem ſupervenit, cum & mater & filius furori Laodices ſuccubuiſſent: ſed ea occaſione pluribus Syriæ urbibus ſpontanea deditione in fidem receptis, provecto in immenſum Regno, regreſſus eſt. Jeroſolymam veniens, oblatis ſacrificiis, debitas Deo gratias pro acceptis beneficiis egit, authore Joſepho (i).

Patris in literas & Literatos viros ſtudium imitatus eſt. Libros omnes, quos optimos norat, exactiſſimè tranſcribi curavit, authore Galeno (k), quin & advectos Alexandriam Libros omnes ad ſe deferri jubens, deſcribendos ſtatim tradebat; redditoque tranſcripto codice, ipſe in Bibliotheca ſervandum Exemplar tradebat. Conduxerat pretio ab Athenienſibus Euripidis, Sophoclis, & Eſchyli Opera, ſtatim poſt deſcriptos ſibi Codices Exemplaria redditurum, dato 15. talentorum (l) pignore, pollicitus: pro Exemplaribus autem tranſcriptos egregiè Codices remittens, pecuniam neglexit.

Sub eodem Rege, Onias II. Summus Sacerdos Judæorum, vir puſillanimus, & pecuniarum avidus, 20. talentorum tributum, quod Regibus Ægypti pendebatur, negavit (m). Evergetem ea de cauſa arma parantem Joſephus filius Tobiæ, & nepos Summi Sacerdotis, celerrimè Alexandriam veniens, compeſcuit. Ab eodem autem Rege impetrata facultate exigendi per Cœle-Syriam, Phœniciam, Samariam, & Judæam tributa, duobus militum millibus ab illo ubtentis, Provinciam excurrens, immenſam adeo pecuniæ vim collegit, ut ex illis 16000. talentorum; duplum ſcilicet, quam ſoleret, in Regium ærarium inferret. Solidis autem 22. annis munus illud obivit.

Obiit Evergetes anno Regni 25. (n) ſivè morbo ſpontè contracto, juxtà Polybium l. 2. ſivè à Ptolemæo Philopatore, filio & ſucceſſore occiſus, authore Juſtino *l.* 29. *c.* 1. Sub ejus Regno viſam avem *Phœnicem* narrat Tacitus *Annal. l.* 6. cujus ſpectaculi novitas aves quamplurimas illius comites traxit.

IV. PTOLEMÆUS PHILOPATOR, nempè *Patris ſtudioſus*, cui *ex facinoris crimine* (o) *cognomentum Philopator* (per antiphraſim nempè) *fuit*; quippè qui patrem Evergetem occidit. Dictus etiam *Tryphon*, nempe voluptatibus deditus; ſivè *Gallus*, quod *Gallorum* Sacerdotum Deæ magnæ ritu, ſtigmata & corymbiferas coronas deferret, iiſdemque coronis redimitus in Bacchi cæremoniis prodiret (p). Tota vita voluptatibus, comeſſationibus nempè, & potationibus indulgens, omnes in id Regni curas convertit.

Antiochus Magnus Syriæ Rex, illatis in illum armis, plures Cœle-Syriæ, & Palæſtinæ urbes cepit: antequam Ptolemæus belli curas ex Ducibus in ſe avocaret (q). Verùm altero anno M. 3788. Antiocho Raphiam uſque penetranti, Ptolemæus cum valido exercitu occurrens, prælium commiſit. Res ad Antiochum, egregium ſanè Ducem, inclinabat: cùm Arſinoe ſoror & ſponſa Ptolemæi paſſis crinibus & lachrymis perfuſa, inter medios militum ordines diſcurrens, adeò apud illos valuit, ut novo ardore prælium reſumentes, plenam de hoſte victoriam

(a) Pauſan. in Atticis. (b) Vide Hieron. in Dan. 11. (c) An. M. 3727. ante Chr. 273. ante Aer. 277.
(d) Plut apud Athenæ. l. 12. c. 17. Vitruv. Præf. l. 7. Architect. Tertull. Apolog. c. 8.
(e) Diog. Laert. in Demetr. l. 5. ſegm. 78. 79. Cicer. pro Rabir. &c.
(f) Obiit juxta Uſſer. A. M. 3758. ante Chr. 242. ante Ær. 246.
(g) Vide Hieron. in Dan. 9. (h) Appian. Syriac. Hieron. in Dan. 11.
(i) Joſeph. cont. Appion. l. 2. Vide de his omnibus Dan. 11. 5. 6. & Hieron. ibid.
(k) Comment. 2. in Hippocrat. l. 3. Epideminrum.
(l) Quindecim Talenta 36000. librarum ſummam conficiunt.
(m) Antiq. l. 12. c. 3. 4. A. M. 3771. ante Chr. 229. ante Ær. 233.
(n) A. M. 3783. ante Chr. 217. ante Ær. 221. (o) Juſtin. l. 29. c. 1.
(p) Vide Uſſer. ad An. M. 3783.
(q) Polyb. l. 5. An. M. 3787. ante Chr. 213. ante Ær. 217.

etiam referrent 3. *Mach. c.* 1. *Polyb. l.* 5. Antiocho igitur cum reliquiis exercitus faceſſere coacto, omnes Syriæ & Palæſtinæ urbes ab illo ſubactæ, ſponte ad Philopatorem deditionem fecerunt, ſui in illum obſequii & ſtudii argumenta certatim exhibentes.

Hanc victoriam Judæi gratulaturi, optimatum legationem, & munera ad illum miſerunt: quibus Rex Jeroſolymam ſeſe venturum ſpem fecit. Eo igitur veniens, & ad Templum ſeſe conferens, ejus elegantiam, ordinem & magnificentiam pluribus extulit. Penetralia etiam, quæ nonniſi Summo Sacerdoti ſemel tantùm quotannis patent, ſcrutari volebat. Quo illius conſilio vulgato, omnia ſtatim clamoribus, & querelis inſonare; ſtatim etiam per univerſam urbem luctus & conſternationis facies. Zacharia interim Summo Sacerdote in preces inter Templum & Altare Holocauſtorum effuſo, gelido quodam horrore Rex correptus toto corpore contremuit, adeò ut pedibus officium recuſantibus, inter brachia ſuorum recidens, ſemianimis extra Templum efferretur 3. *Mach.* 1. 11. Redux Alexandriam, priſtinis voluptatibus reſolutus, unam inter hæc curam tantum habuit, ut Judæos minis & perſecutionibus ad avitam Religionem deſerendam adigeret. Latis igitur in illos impiis edictis, horrendis in Deum blaſphemiis cavit, ut Religione ſua poſthabita Diis regionis ſacrificarent; retractatis, privilegiis omnibus, jure civitatis, infamiæ pœna, ac tandem ultimo ſupplicio multatis. Eos verò, quos juſſionibus ſuis morigeros habuiſſet, illos etiam à veteribus privilegiis excidiſſe, atque candenti ferro hederæ pampini ſtigmate inuſtos, à civium Alexandrinorum commercio ſeparatos, inter viliſſimos habendos denunciavit. Qui tamen Bacchi myſteriis initiarentur, illis rata & firma omnia eſſe juſſit. In turri autem in veſtibulo palatii erecta, hanc appoſuit inſcriptionem: *Nullus huc ingredere, qui Diis non ſacrificet.*

Ex Judæis alii perſecutionis ponderi ſuccubuerunt; alii ſoluta Regiis ſatellitibus pecunia, periculum redemerunt. Quo ad Regem delato, adcò excanduit, ut non Judæorum tantum Alexandriæ, ſed in tota Ægypto exterminium jurejurando ſtatuerit. Quare latis edictis, omnibus urbium & Provinciarum Præfectis præcepit, ut Iudæos quoſcumque in ſuis provinciis verſantes, catenis onuſtos ad ſe tranſmitterent; quò veluti in Reipublicæ hoſtes, condigno ſupplicio in eos Alexandriæ animadverteretur. Capitali etiam pœna vetuit, ne quis unquam Iudæos celare auderet, bona illius univerſa denunciatori addicens 3. *Mach.* 3. Undique igitur, nulla habita ſive ſexus, ſive ætatis ratione, Iudæos Alexandriam tranſmiſſos, Rex in cenſum reduci juſſit. Omnes ab ingreſſu urbis prohibiti, in Hippodromo incluſi, adjectis etiam Alexandriæ Iudæis, in pœnam præſtiti clam fratribus auxilii. Poſt exactos in eo cenſu 40. ſolidos dies, cùm adhuc plures ſuppeterent Iudæi, ii, quibus id muneris demandatum erat, ad Regem detulerunt, majorem eſſe Judæorum numerum, quam ut exactè ſupputari potuiſſet 3. *Mach.* 4.

Gemini igitur inſtituti Iudæorum cenſus: alter eorum, qui ſacrificia immolaſſent, iiſque veteribus privilegiis mulatis, vita permittebatur: alter eorum, qui in avita Religione perſtiterant, iiſque mors decreta. Supplicio igitur in Hippodromo claudi, atque immiſſis elephantibus proculcari Ptolemæus juſſit. Hermon, qui belluas curabat, meri vini hauſtu thure immixto illas incitavit, atque ſtuporem veluti induxit, ne horrore cædis averterentur. Divinæ tamen Providentiæ conſilio factum eſt, ut Rex largiori de more vino ebrius, in ſomnum uſque ad decimam horam, quartam nempe circiter poſt meridiem, alterius diei reſolveretur. Excitatus dein ab Oeconomo, menſæ accubuit; quam in multam noctem produxit. Accitum tunc Hermonem nonnihil commotus rogavit, cur necem Judæorum tota die diſtuliſſet? Ille, uti & amici Regis omnes, profeſſi ſunt, ſe paratos eſſe mane illius diei edicta illius executioni mandare; quòd autem non paruerint, ſomnum ipſius, à quo excitari nefas, in cauſa fuiſſe, non auſos verò eo abſente, aliquid in Judæos moliri 3. *Mach.* 5.

Juſſit igitur Ptolemæus, belluas in craſtinam diem paratas haberi: quas cum præſto habere Hermon condicto tempore ſignificaſſet, Rex omnium oblitus, quæ antea dixerat, Judæorum in ſuo ac prædeceſſorum Regno fidelitatem etiam atque etiam commendavit. Statimque in potationes, & comeſſationes reſolutus, iterum Hermonem accitum rogavit, cur præcepta executioni mandare diſtuliſſet? Audita ab eo antea in mentem revocantibus convivis, ille necem Judæorum mane alterius diei ſacramento decrevit, juſſitque belluas in promptu haberi. Adjecit inſuper, ſe poſt deletos Judæos Ægyptios in Judæam excurſurum; qua univerſa igne, ferroque vaſtata, ſubverſiſque urbibus, Templum Jeroſolymitanum flammis abſumpturum, atque Sacerdotes trucidaturum, à quibus antea ab ingreſſu Sancti prohibitus fuerat.

His auditis, Judæi opem à Deo effuſis precibus popoſcerunt. Interim mane alterius diei Philopator cum ſatellitibus, atque belluis ea urbe egreſſus, Alexandrinis omnibus ad ſpectaculum concurrentibus, ad Hippodromum pervenit. Tunc Judæi gemitus & clamores innovantibus, duo ſtatim Angeli oris majeſtate terribiles coram Rege, cæteriſque adſtitere 3. *Mach.* 6. Soli Judæi ab eorum aſpectu prohibiti; cæteros verò, & maximè Regem tam gelidus horror invaſit, ut ſtupentes hærerent. Toto dein corpore Rex contremiſcens, priſtinæ feritatis oblitus, totus in miſericordiam converſus eſt. Belluæ verò in ducces efferatæ, paſſim in illos ſævierunt. Rex demum in præfectos ſuos iraſcens, acrius de illis conqueſtus eſt, quòd in Judæos iniqui adeò fuiſſent, quaſi ſcilicet ipſi propria authoritate rem tentaſſent. Septo autem recluſo, omnes liberi abire permiſſi ſunt: collata inſuper annona, quò & læta convivia, & gratiarum actiones tota hebdomada celebrarent 3. *Mach.* 6.; ac tandem de fratribus Religionis deſertoribus ultionem expetendi ſingulis facultas conceſſa: qua occaſione 300. trucidati ſunt.

Inde reſcripto à Rege impetrato, omnis criminis innoxii declarati ſunt; eorum ab omni retrò ævo in Reges Ægypti fidelitas commendata: Præfectis Provinciarum & urbium injunctum, ut qui Judæos hoſtes haberent, in illos tanquam Regis Regnique hoſtes animadverteretur. Quibus acceptis litteris, in ſuas ſinguli regiones remearunt.

Antequam tamen mutuò ſepararentur, viſum eſt columnam, & Proſeucham ſivè Oratorium, in loco receptæ libertatis erigere. Qua dedicata, omnes ad ſua remearunt, addicta jam fiſco bona repetentes (a). Poſt exactos 17. Regni annos Philopator occumbens, Ptolemæum Epiphanem ſucceſſorem reliquit (b).

V. PTOLEMÆUS EPIPHANES, qui ſive 4. annos natus, juxta S. Hieronymum *in Dan.* 11. ſivè quinque, ut Juſtinus *l.* 30. *c.* 1., patri Ptolemæo Philopatori in Regno ſucceſſit. Cùm Ægypti res ad puerum veniſſe Antiochus Magnus Syriæ Rex, & Philippus Rex Macedoniæ intellexiſſent, clam ejus necem moliri, Regnumque inter ſe dividere tentarunt. *Diod. Sicul. l.* 15. *Livius l.* 31. *Polyb. l.* 3. Antiochus igitur in Cœle-Syriam, & Judæam ingreſſus, brevi

(a) A. M. 3788. ante Chr. 212. ante Ær. 216. inter menſes Ægyptios Pachun & Epiphi, qui in Majum, & Julium incidunt.

(b) Ptolem. Canon. Clem. Alex. Stromat l. 1. Euſeb. Porphyr. A. M. 3800. ante Chr. 200. ante Ær. 204.

[illegible] Provinciam ſubegit [illegible] in quo (b) Scopas dux copiarum Ptolemæi cum valido exercitu movens, utraſque reduxit. Anno deinde [illegible], iterum Antiochus prò ſuo jure illas repetens, qua occaſione Judæi ſub Antiochi jura traducti, [illegible] deinde rerum ſtudioſiſſimi effecti ſunt (c). Quare Antiochus [illegible] amoris & fiduciæ in genteni [illegible], apud Joſephum legendis, illius profeſſum [illegible].

A. M. 3821 in Ægypto [illegible] Cleopatram filiam ſuam Ptolemæo Epiphani nuptum tradidit, Sed [illegible] [illegible] adminiſtratoribus Regis pueri [illegible] Cleopatra plus conjugis, quam [illegible] rebus faventem [illegible] illius animus [illegible] credebant. Tandem Epiphanes ſuſcepta in Seleucum Syriæ Regem expeditione A. M. 3824. ante Ch. 176. ante Æ. [illegible] ab uno ex Ducibus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ſufficerentur? [illegible] [illegible] locupletiſſimum. Quo ſuis reſponſo in vulgus ſparſo, [illegible] [illegible] veneno [illegible] (d). Regnavit annis [illegible] [illegible] Cleopatra Alexandrina [illegible] [illegible] [illegible] Regno ſucceſſorem [illegible] minorem.

VI. PTOLEMÆUS PHILOMETOR, filius Ptolemæi Epiphanis et Cleopatræ (e). Cum Judæorum res eo tempore ab Ægyptiis divulſæ eſſent, [illegible] Regi cum eorum Republica commercium [illegible] autem cum Antiocho Epiphane Syriæ Rege, [illegible] in ſuo articulo narravimus. Sub eo tamen Regum Templum [illegible] (f); de quo [illegible] Onias IV. & Onion.

Hanc Regem ejuſque uxorem Cleopatram ideo Judæis [illegible] Joſephus cont. Appion. l. 2., ut illis [illegible] Regno [illegible] committeret, atque Doſitheum & Oniam Judæos copiarum Ductores [illegible]. Quam [illegible] de ſe opinionem [illegible] [illegible] in Cleopatram [illegible] Ptolemæo Phyſcone Alexandriæ [illegible] jam Philometore [illegible] [illegible] Regina [illegible] [illegible] [illegible] Ariſtobulus Peripateticus Philoſophus, natione Judæus, in Ægypto [illegible] [illegible] [illegible] S. Clemens Alexandrinus, & Euſebius [illegible] (h).

Circa idem tempus A. M. 3850. ante Chr. 150. ante Ær. 150. [illegible] inter Judæos & Samaritanos controverſia, ſingulis [illegible] Templi [illegible] [illegible] Jeroſolymitano, illis pro Templo in monte Garizim [illegible], quod [illegible] illud [illegible] Deus [illegible] Legem Moyſis [illegible] [illegible]. Delata ad Reginam [illegible] [illegible] coram Rege [illegible] [illegible] ſacramento [illegible] [illegible] quod, præter Legis verba, [illegible] [illegible] [illegible] patrii Oratores ſacramento [illegible] [illegible] capitali ſupplicio è Rege [illegible] [illegible]. In [illegible] igitur [illegible] Samaritani, Sabæus, & Theodoſius coram Oratores ſupplicio [illegible] ſunt. [illegible]

Jonathas Machabæus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Alexandri Balæ Syriæ Regis, generi Philometoris, contra Demetrium [illegible] [illegible] Apollonium, [illegible] Demetrio [illegible] [illegible] [illegible] in Palæſtina prælio profligavit A. M. 3856. ante

Chriſtum [illegible] [illegible] [illegible] cum illo pugna, adhibito [illegible] Simone [illegible] [illegible] copias fregit, [illegible] [illegible] [illegible] expugnavit, ſubjectoque igne [illegible] Templum Dagonis ſubvertit; [illegible] [illegible] [illegible] milites [illegible]; inde [illegible] [illegible] [illegible] ad triumphum regreſſus. [illegible] Philometor in Syriam movens, [illegible] [illegible] Alexandro Balæ genero, [illegible] [illegible] ferret, re tamen, [illegible] Regno [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Veniens [illegible] Azoth [illegible] [illegible] & Templi, [illegible] cadaverum [illegible] ad [illegible] Regem [illegible] [illegible] quæ à Jonatha [illegible] [illegible] exaggerarunt, Rex [illegible] [illegible] Jonatha [illegible] [illegible] [illegible] Jonathas [illegible] [illegible] egreſſus eſt.

Philometor igitur [illegible] Balæ [illegible] [illegible] Antiochiam venit, [illegible] Regem [illegible] [illegible] ſui Regnorum inſignia [illegible] (k). [illegible] [illegible] bello contra Alexandrum Balam Syriæ Regem gravi in capite vulnere, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] (l).

VII. PTOLEMÆUS PHYSCON, ſeu ventre tumens, alio nomine Evergetes, ſive Beneficus, filius Ptolemæi Epiphanis, & frater Philometoris, qui [illegible] cum fratre, partim ſolus [illegible] annos ab [illegible] [illegible] regnavit. Diſſidia cum fratre uſque ad ejus interitum [illegible], ſed ſublata [illegible] Cleopatra uxore ipſius [illegible] [illegible] filio aſſerere [illegible] Phyſconis [illegible] [illegible] Onias Judæus, & Templi Onion author, [illegible] [illegible] pro illa exercitum Alexandriam duxit (m). Phyſcon in illum movens, [illegible] [illegible] Judæos omnes Alexandrinos ad elephantes damnare. Divinæ tamen Providentiæ conſilio [illegible] [illegible], ut quæ [illegible] in Judæos [illegible] [illegible], illæ converſo in [illegible] furore, [illegible] [illegible]. Vir autem terribili vultu [illegible] [illegible] Phyſcon factus, [illegible] gravius in Judæos [illegible] [illegible] quibus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ætatem [illegible] Judæos [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] liberationis celebrare, [illegible] [illegible] [illegible] Phyſcon [illegible] cum Philometore [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in Judæos à Philometore decretum barbarum [illegible].

Phyſcon ſuis cum Cleopatra ſorore [illegible] [illegible] ſponte fratris ſui Philometoris [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] A. M. 3859. ante Chr. 145. ante Æ. [illegible] Alexandriæ receptus, Rex ſalutatus eſt. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] puerum Principem [illegible] [illegible] [illegible] (n). [illegible] [illegible] Ægyptios [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Cleopatra [illegible] [illegible] filiam ejuſdem, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ab Alexandrinis Rex ſalutaretur. Nec [illegible] [illegible], quem ex Cleopatra ſorore ſua genuerat, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] capite, pedibus, manibuſque præciſis, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

(a) A. M. 3801 [illegible] [illegible] A. M. [illegible]
(b) A. M. 3806. ante Chr. 194. ante Ær. 198. Antiq. l. 12. c. 3. [illegible]
(c) Antiq. l. 12. c. 3. Polyb. l. 16. (d) [illegible] [illegible]
(e) Regnavit annis 34. ab A. M. 3825. [illegible] [illegible] [illegible]
(f) Antiq. l. 13. c. 6. A. M. 3854. ante Chr. 146 ante Ær. [illegible] [illegible] [illegible]
(h) Clem. Alex. Strom. l. 1. [illegible] [illegible] [illegible]
(i) A. M. 3856. ante Chr. 144. ante Ær. 148. [illegible] [illegible]
(k) 1. Mach. 11. [illegible] [illegible]
(l) [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
(m) Joſeph. [illegible] [illegible] (n) Juſtin. l. 38. c. 8. [illegible] [illegible]

ſuique Regnum [illegible] (a). Poſt tot [illegible] geſta, Phyſcon, exactis in Regno ab obitu fratris 29. annis; tandem in pace interiit, ſuperſtitibus tribus filiis relictis. Regni adminiſtrationem Cleopatræ ſorori, & ſponſæ ſuæ relicta, quem vellet ex filiis Regno præficere, ejus electioni permiſit. Illa primò Alexandrum inter fratres minorem, morigerum ſibi præ cæteris ſperans, ielegerat; ſed ab Alexandrinis ad præficiendum Ptolemæum Lathurum natu majorem demum coacta eſt (b), qui eum decem annorum ſpatio regnavit.

VIII. PTOLEMÆUS LATHURUS, filius Phyſconis ex Cleopatra; Regnum iniit an. M. 3888. Antiocho Cizyceno, qui ad ſuppetias Samaritanis, quos Joannes Hircanus Princeps, & Summus Sacerdos Judæorum arcta obſidione premebat, ferendas venerat, 6000. militum conceſſit. Brevi tamen Antiochus exercitum reducere coactus, & Ægyptiorum copiæ [illegible] præliis fractæ ſunt. Quare omnibus auxiliis Samaritani deſtituti, tandem poſt anni obſidionem urbem reddiderunt (c).

Regni poſſeſſione brevi Lathurus excidit; Mater enim locii in Regno illius pertæſa, Alexandrinos contra eundem ſollicitavit, effecitque, ut in Cyprum tandem ſe reciperet (d). Ibi verſantem Ptolemæum cives Ptolemaidis, ut ſibi in Alexandrum Jannæum Regem Judæorum, à quo tunc obſidione premebantur, opem ferret, acciverunt. Ille ſtatim comparata claſſe, mari ſe commiſit; quo Ptolemaidis cives audito, facti pœnitentia ducti, ut ſtatim regrederetur, adeò gratis rogarunt. Quibus tamen Lathurus minimè [illegible] ratus, iter proſecutus, claſſem ad Sycaminum, juxta Ptolemaidem expoſuit; Jannæus ſtatim obſidione ſoluta, ſuppetias à Cleopatra contra Lathurum ſecretò quæſivit, illum interim ſecundi fœderis ſpecie [illegible] ſibi conditionibus detinens, oblatis inſuper 400. talentis argenti, ſi urbes à Zoïlo in regione occupatas ſibi remitteret.

Verum Lathurus commercium Jannæi cum Cleopatra ſubodoratus, pacis conditionibus minimè ſtetit, hoſtilem in illum animum cepit. Ingreſſus igitur cum parte copiarum in Judæam, parte altera in obſidione Ptolemaidis relicta, prælium cum eodem Alexandro ad Aſoph in ripa Jordanis commiſit. Æquo primum marte pugnatum; tandem, victoria Lathuro ceſſit, qui in fugam Judæis verſos [illegible] inſecutus, plures trucidavit. Ea occaſione, 30000. [illegible] alios, 50000. Judæorum deſiderata ferunt (e). Accidit interea, ut Lathurus in quendam Judæorum vicum ſub veſperam ſe reciperet; ubi nonniſi fœminas, & infantes nactus, trucidari omnes juſſit, eorumque carnes in ollis coquendas præcepit; quò, auditum vel hoſtium patres regreſſi, eas dapes [illegible], hoſtes ſuos humanis carnibus victitare crederent, eoque indicio major illis terror incuteretur.

Secundis filii rebus Cleopatra ſollicitior facta, quod [illegible] illum, poſt vaſtatam impunè Palæſtinam, urbem Gazæ, ſub ipſos fermè Ægypti fines [illegible], occupaſſe, validum mari terraque exercitum comparavit A. M. 3911. ante Ch. 93. ante Æ. [illegible] Terreſtribus copiis Chelciam, & Ananiam filios Oniæ, Templi Onion in Ægypto conditoris, præfecit. (f) Claſſem autem ducendam in Phœniciam tradidit Alexandro filio ſuo, qui expoſitis in littore copiis, plurimas urbes, excepta Ptolemaide, ultrò in deditionem recepit. Chelcias, alter ex Ducibus [illegible]

etiam Cleopatra, in Cœle-Syria [illegible] Interim Lathurus vacuam præſidio Ægyptum ratus, provinciam invaſit; ſed fruſtra: ille quidem; præter ſpem enim miſſas à Cleopatra copias nactus, pedem referre coactus eſt. Gazam igitur regreſſus, ibidem in hybernis ſubſtitit (g).

Cætera v. *Cleopatra IV.* legas. Obiit Lathurus, A. M. 3923. ante Chr. 77. ante Ær. 81. poſt exactos in Regno 36. annos à morte fratris. Cæteros *Ptolemæos* Reges *Ægypti*, quorum geſta nihil ad hiſtoriam Scripturæ conferunt, legas v. *Ægyptus*.

PTOLEMÆUS MACRON, filius Dorymenis, [illegible] à Ptolemæo Philometore, Rege Ægypti, Cypri præfectura obtenta, toto eo tempore, quo Rex in minoribus egit, proventus omnes ejuſdem Provinciæ ſibi ſervavit. Rege tandem ſui juris facto, ratione ab illo exacta, theſaurum omnem antea comparatum in Ærarium intulit (h). Poſt aliquod temporis, [illegible] acceptas à Regibus Ægypti neſcio quas injurias ulciſcens, Inſulam Cyprum Antiocho Epiphani Regi Syriæ prodidit; à quo in numero amicorum adſcriptus, copiarum ductor in Phœnicia, & Cœle-Syria conſtitutus eſt. Scimus (i), Menelaum Supremi Sacerdotii invaſorem coram Epiphane delatum, in diſcrimen veniſſe, ut accuſationum ponderi incumberet; verum fulcitus ipſius à Ptolemæo defenſione, multorum quamvis reus criminum, abſolutus eſt; ejuſque delatores capitali ſupplicio damnati.

Poſt relatam à Juda Machabæo victoriam de Apollonio Præfecto Samariæ, & Serone Præfecto Cœle-Syriæ, Philippus, qui Jeroſolymis verſans, partibus Antiochi Epiphanis ſtudebat, ſuppetias à Ptolemæo Macrone quæſivit (k). Nec Macron ſegnior, Nicanorem, & Gorgiam, geminos ſtrenuiſſimos Duces, miſit; quos tamen ambos Judas prælio fregit. 1. *Mach.* 3. 38. Poſt obitum Epiphanis, Ptolemæus a priſtino favore non excidit. Ejus tamen hoſtes adverſarii, pluribus illum calumniis apud Eupatorem proſcindere; illum diffamantes perfidi in Principem animi, cui fidem [illegible] antum ſane non eſſet, 2. *Mach.* 10. 12. Suſpiciones etiam in ſe penes Aulicos creavit, quippè qui æquitas in Judæos gerebantur, minùs probabilis. Vix in [illegible] diutius ferre non valentes; propinato illum veneno, ſuſtulerunt, A. M. 3840. ante Ch. 160. ante Ær. [illegible] In Vulgata, 2. *Mach.* 10. [illegible] *Ptolemæus Macer* appellatur, genuinum tamen ejus nomen, *Macron*, quod Græca ſignificatione procerum ſonat.

PTOLEMÆUS, filius *Abubi*, ſive *Abobi*; gener Simonis Machabæi, & Præfectus arcis Dog, ſive Doch, aut Dagon in planitie Jerichuntis: Hic avaritia tumens, Judæa præfecturæ inhiabat; ejuſque rei conſilio, Simonis Machabæi ſoceri ſui necem molitus eſt (l). Cùm igitur Simon per univerſam Judæam viſendis urbibus decurriſſet, Jerichuntem [illegible] cum duobus filiis Matthia, & Juda veniens, [illegible] [illegible] ſuum in arcem Dog diverterat (m). Comiter à genero exceptus, inter cœnandum immiſſis ab illo viris, Simon ipſe, atque ambo ipſius filii, necnon & domeſtici illorum quidam occiſi ſunt. Statim verò Ptolemæus Antiochum Sidetem Regem Syriæ per literas de omnibus monet, rogatque, ut quantociùs ad ſe copias mitteret, quibus regionem jugo Machabæorum levaret, & ipſi occuparet. Alios igitur Gazaram miſit, Joannis Hircani, filii Simonis natu majoris, necem molitus eſt; aliosque [illegible]

(a) A. M. [illegible] ante Ch. [illegible] ante Ær. [illegible] Vide Juſtin. [illegible] [illegible]
(b) Vide Uſſer. ad A. M. 3888. ante Chr. [illegible] ante Ær. 116.
(c) Vide Antiq. l. 13. c. 17. A. M. 3895. ante Ch. 105. ante Ær. [illegible]
(d) Vide Juſtin. l. 39. c. 4. A. M. [illegible] ante Chr. [illegible] ante Ær. [illegible]
(e) Antiq. l. 13. c. 20. [illegible] A. M. 3900. ante Chr. 100. ante Ær. [illegible]
(f) Antiq. l. 13. c. 21. & 22. (g) A. M. 3902. ante Chr. 98. ante Ær. [illegible] [illegible]
(h) [illegible] in [illegible] [illegible] A. M. [illegible]
(i) 2. Mach. 4. & [illegible] Mach. 4. [illegible] A. M. 3840. ante Ch. [illegible] ante Ær. [illegible]
(l) [illegible]
(m) A. M. 3866. ante Chr. [illegible] [illegible]

etiam ad occupandam Jeroſolymam, & montem Sanctum miſit.

Tanta tamen ab uno viro imminentia mala Deus avertit; ſiquidem Joannes Hircanus opportunè omnium certior factus, ſubmiſſos à Ptolemæo viros necavit; magniſque itineribus Jeroſolymam contendens, omnia ejus conſilia occupavit. Hircano enim in urbem recepto, Ptolemæus, qui ingreſſum ex alia urbis parte tentaverat, excluſus eſt. Hæc Joſephus. Quid deinde Ptolemæo poſt ſublatum Simonem acciderit, nihil quidem in Libro 1. Mach. legimus: ſed in Libro, quem nomine quarti Machabæorum habemus, narratur, Hircanus omnium certior factus, Gazam (facilè *Gazeram*, ſivè *Gaderam*) ſe recepiſſe, ejuſque veſtigiis Ptolemæum cum omnibus copiis inſtitiſſe. Sed civibus Hircanum defendentibus, clauſiſque portis Ptolemæum rejicientibus, ille pedem referre coactus eſt. Inde Hircanus Jeroſolymam contendens, ſupremam Sacerdotii dignitatem, ac gentis ſuæ Principatum conſecutus eſt; ſimulque valido exercitu comparato, Ptolemæum in arce ſua Dagonis ſe continentem invaſit.

Arce igitur obſidione preſſa, atque mœnibus ariete pulſaria, res Ptolemæi in anguſtias devenerant. Cùm ille, inito conſilio, matrem, duoſque Hircani fratres in conſpectu aggreſſorum conſtituens, dire cædendos tradidit; adjectis inſuper minis, futurum, ut ſi ab hoſtibus premeretur, eorum cæde ultionem expeteret. Eo aſpectu Hircanus commotus, copias in caſtra reducebat. Sed fortis mater filio animum addebat, dicens, ſibi quidem, atque geminis filiis certam mortem imminere: nihil igitur moraretur, quin de patris ſui proditore pœnas exigeret. His confirmatus Hircanus, iterum copias ad arcem ducebat; ſed verberibus iterum matre, fratribuſque affectis, animo iterum deſpondens, copiis in caſtra reductis, ab obſidione tantùm non receſſit. Recurrente interim Feſto Tabernaculorum, in urbem muneri ſuo fungendo redit Hircanus: ea occaſione capta, Ptolemæus in tutum ab hoſtis conatibus ſeſe recepit. Hæc in 4. Mac. & apud Joſephum (a) occurrunt. Addit verò idem Joſephus, obſidionis deſerendæ annum Sabbathicum jam ineuntem Hircano in cauſa fuiſſe. Ptolemæum verò apud Zenonem, cognomento Cotylam, Regem Philadelphiæ Metropolis Ammonitarum contendiſſe.

Quæ tamen Salianus ad A. M. 3919. & Uſſer. ad an. 3869. egregiè refutant; cùm 1. Machabæorum Libro, Eccleſiæ authoritate inter Canonicos recepto, nihil de matre Hircani legatur; apertiſque verbis Simon, ejuſque filii inter dapes occiſi perhibeantur, quo proinde argumento ea, quæ Joſephus prodit, inter fabellas deputanda ſunt.

PUBERTAS. Ætas eſt, qua adoleſcentulis pubes ſuccreſcunt. Apud Romanos pubertas inter decimum quartum, & decimum ſextum ætatis annum definitur; quare 17. annis nati adoleſcentes civilem togam, veluti virilitatem ineuntes, ſumebant. Apud Athenienſes nonniſi 18. annos nati adoleſcentes in Ephebis conſtituebantur. Apud Hebræos, pubertatis certus terminus in maribus ætatis anno 13. & ſex menſibus conſtituebatur; quare exactis 13. ætatis annis, nonniſi poſt ſex menſes puberes habebantur. Statim autem à pubertate, Legis præceptis, atque potiſſimum connubii ineundi debito ſubdebantur.

Quoad fœminas, pubertas intrà ſpatium 12. ætatis annorum, & ſex inde menſium definiebatur; niſi fortè accidiſſet, ut intrà illud tempus pubes non apparerent, quæ generalis Legis exceptio eſt. Ex quo igitur puellæ 12. ætatis annos, & 6. inſuper menſes exegiſſent, ſi tamen pubes prodiiſſent, ſui juris pronunciabantur; neque patris præcepto à connubio ultra abſterreri poterant, cùm ſuo arbitrio regerentur. Monent tamen Rabbini parentes, ut filias quantociùs, ex quo ad pubertatem pervenerint, poſt exactos nempè 12. ætatis annos, nuptum tradant (b). Quo S. Paulus ſpectare videtur illis verbis (c): *Si quis turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat.*

Hæc ſpectantes Hebræi, filias præcoci adhuc matrimonio jungunt; quare Scriptura ut fœminam proſtitutam exprimat, hac utitur phraſi: *Relinquit ducem pubertatis ſuæ*, *Proverb.* 2. 17. nempe illum, quem ab ineunte ætate virum elegit. Luctum item amarum exprimens, hæc habet: *Plange quaſi virgo accincta ſacco, ſuper virum pubertatis ſuæ*, *Joel.* 1. 8.

PUBLICANUS, Græcè *Telones*, publicæ pecuniæ, ſeu vectigalium, ſivè alicujus, quo populus gravaretur, tributi exactor. Apud Romanos quidem duo erant Publicanorum genera; alterum eorum, qui per certos à ſe commiſſos viros vectigalia ex omnibus Imperii Provinciis exigebant, rationemque accepti apud Imperatorem inibant. Eorum munus in Republica ingenuum ſanè habebatur, cùm Cicerone teſte *orat. pro Planco. Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continentur.* Conſtituti tamen ab illis viri veluti publici prædones ex plebe conſtantes habebantur; quare requiſitus olim Theocritus (d), quam omnium ferociſſimam belluam haberet, reſpondit, urſos quidem & leones monſtra eſſe montana, quorum locum in urbibus Publicani & Paraſiti occupant.

Apud Judæos, ſi uſpiam alibi, Publicanorum nomen inviſum fuit. Cùm enim inſito libertatis ingenio gens tumeret, *Jo.* 88. 33. *Nemini ſervivimus unquam*; ſervitutis argumento indicta à Romanis tributa exigentes deteſtabantur. Galilæi in primis, Herodiani ſcilicet, ſeu Diſcipuli Judæ Gaulonitæ, ægrè adeò ſervitutem ferebant, ut ne licere quidem tributa externis Principibus pendere contenderent. Hinc eorum illud ad Chriſtum: *Licet nobis tributum dare Cæſari, an non? Luc.* 20. 22. *Marc.* 12. 14. Judæi cæteri Ethnicorum loco Publicanos habebant, *Matth.* 18. 17. *Sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.* Illos verò à Templo, a Synagogis, & ab ipſa precum communione; à Judiciis etiam & à teſtimonio ferendo removiſſe ferunt (e). Addunt, munera illorum non ſecùs ac pretium ex proſtitutione receptum, & alia hujus generis, à Templo fuiſſe rejecta. Jeſu Chriſti ætate, frequentes in Judæa Publicanos fuiſſe ex Evangelio intelligimus; quorum ſanè Zachæus inter primores habebatur (f); S. Matthæus verò è reliquorum vulgo. Phariſæi Jeſu Chriſto vitio verterunt, quòd Publicanorum amicitia, & convictu uteretur, *Luc.* 7. 34. & idem Chriſtus Phariſæis viciſſim exprobrat, fœminas proſtitutas, & Publicanos præ ipſis in ſalute quærenda ſapere, *Matth.* 21. 31. Deteriorem etiam de ſeipſis ideam Publicanos habere ex parabola Publicani & Phariſæi intelligimus, *Luc.* 18. 10. Publicanus ſanè ille ne in atrium quidem populi ingreſſum tentaſſe auſus videtur; dejectiſque in terram oculis, atque pectus tundens, veniam à Deo demiſsè implorabat. Zachæus profeſſus eſt, ſe, quandoquidem eo auctus eſſet à Jeſu Chriſto honore, ut eum hoſpitio reciperet, bona ſua omnia pro æqua parte cum egenis diviſurum, & quadruplo fraudes, ſi quas feciſſet, compenſaturum, *Luc.* 19. 8. Quæ ſanè Romanis Legibus pœna in Publicanos peculatores præſcripta erat (g).

(a) Antiq. l. 13. c. 14 15. & de Bello l. 1. c. 2. (b) Vide Buxtorf. Lexic. Vide & Selden. l. 6. c. de jure Nat. & Gent. & lib. de Succeſſ. in bona c. 9. (c) 1. Corinth. 7. 36.
(d) Apud Muſonium. (e) Vide Grot. ad Matth. 18. Ligtfoot. Hor. Hebr. in Matth.
(f) Luc. 19. 2. Princeps Publicanorum. (g) L. Hoc Edicto. in fine ff. de Public.

Non deſunt, qui Hebræis Legibus interdicta eſſe tributa, atque vetitum Publicani munus ſuſtineant (a), juxta illud: *Non erit vectigal pendens de filiis Iſrael, Deut.* 23. 17. Verùm conſtat, 1. non defuiſſe Publicanos è genere Iſraelis, ut Zachæus, & S. Matthæus; quorum tamen ordo maximè erat cæteris inviſus. 2. Herodiani, qui tributa extraneis pendenda non eſſe contendebant, nullam ea de re Legem laudabant; quippè quæ nulla eſſet in Textu originali Moyſis; & teſtimonium ex Deuteronomio mox allatum, alia ratione Judæi interpretabantur. 3. Diſcipuli Judæ Gaulonitæ negantes tributa extraneis pendenda, ingenuitatem tantum populi Iſraelitici, quos utpotè Dei gentem non alium habere Regem, quàm Deum, par eſſet, obtrudebant, *Joſeph. Antiq. l.* 18. *c.* 2.

PUBLIUS, *Princeps*, ſivè *Præfectus* Inſulæ Melitæ, quo tempore Apoſtolus tempeſtate ad ea litora jactatus eſt, A. Chr. 60 *Act.* 28. 7. Ille tridui hoſpitio Paulum ſocioſque humaniſſimè excepit; atque ab eodem Apoſtolo viciſſim valetudinem Patris, febri, & alvi fluxu laborantis, obtinuit. Ferunt ea occaſione nedum univerſam Publii familiam, ſed totam latè Inſulam fide initiatam fuiſſe (b). Ado, & poſt illum Latinorum nonnulli referunt, Publium Paulo impoſterum adhæſiſſe, à quo Epiſcopus inſtitutus, muneri prædicationis deputatus fuit: Athenarum verò Epiſcopum egiſſe, ubi tandem martyrium conſummaverit (c). Sed Publium Athenarum Epiſcopum alterum ab iſto fuiſſe oportet, cum ſub M. Aurelio martyr conſignetur.

PUBLIUS LENTULUS, cujus nomine inſcripta Epiſtola circumfertur, in qua ipſe, tamquam Judææ ante Pilatum Procurator, Senatum Romanum de rebus Jeſn Chriſti, addito ejus elogio, inſtruit. Epiſtola illa, cujus plura etiam ſuppetunt Mſſ. incipit: *Apparuit temporibus iſtis, & adhuc vivit vir præditus potentia magna, nomine Chriſtus Jeſus &c.* Sed hæc ſuppoſititia ſunt, atque toti Antiquitati ignota. Publius ſanè nunquam Judæx Præfecturam obtinuit; quam toto prædicationis Chriſti tempore Pilatus obivit: ante receptum verò ab ipſo Jeſu baptiſma Joannis Baptiſtæ, nulla ejus nominis fama per Judæam increbuerat: Vide Fabric. Apocryph. N. T. & Author. ab eo laudatos.

PUDENS, cujus Apoſtolus meminit, 2. *Timothi* 4. 21. quem Baronius An. 44. §. 61. atque alii quidam Senatorem Romanum, ab Apoſtolo Petro fide initiatum, cujus hoſpitio S. Paulus aliquandiù exceptus eſt, fuiſſe autumant. Verùm facilè ille confudiſſe potuit hunc Pudentem cum alio Pudente Senatore, quem patrem aſſignant SS. Praxedi, & Pudentianæ ſub S. Pio Papa, nempè 100. poſt ſcriptam epiſtolam annis. Sunt, qui crediderint, Claudiam, de qua ſtatim Apoſtolus in eadem epiſtola poſt Pudentem, ejuſdem viri uxorem fuiſſe (d). Recepta vulgò traditione ferunt, S. Petrum apud hoſpitem Pudentem Divina myſteria celebraſſe, eamque domum in primam Romæ Eccleſiam conſecraſſe; ex qua deinde Templum S. Petri ad Vincula (e). Feſtum S. Pudentis Diſcipuli Apoſtolorum, & inter Septoaginta Diſcipulos, quem poſt occiſum S. Paulum, à Nerone obtruncatum ferunt, Græci ad diem 14. Aprilis conſignant.

PUER; Pueri nomen in Scriptura ipſis adultis tribuitur, Joſephus ſexdecim faltem annos natus, Iſaac major viginti annis, Benjamin major triginta, *pueri* appellantur (f). Eodem nomine ab Hebræis, Græcis, & Latinis ſervi & famuli nuncupabantur. Hoc denique nomen ad virum ſignificandum uſurpatur: *Filii alieni mentiti ſunt mihi, Pſal.* 17. 46. *Pueris alienis adhæſerunt, Iſa.* 2. 6. *Puer centum annorum morietur, Iſa.* 65. 20. ſcilicet, homines ad 100. ætatis annum pervenient, nec mors prætmatura pueros rapiet.

(PUER (g) ad literam ſonat infantem, exprimitque primam ætatem. *Jerem.* 1. 6. *A, a, a, Domine Deus, neſcio loqui quia puer ego ſum*: Pueri etiam appellantur homines ætate adultiores; e. g. Joſeph cùm fratrum ſuorum proditione venditus ætatem ageret 18. annorum circiter. *Geneſ.* 37. puer eſt; puer Iſaac 21. annorum ætate juvenis. *Geneſ.* 21. 16. Benjamin 24. annorum ætatis eſt puer. *Geneſ.* 44. 20.

Exprimit etiam interdum filium alicujus, neglecta ætate. Interdum ponitur loco ſervi: Joſue *puer* erat *Moyſis Exod.* 33. 2. ſervus Moyſis; Abraham *puer Dei. Geneſ.* 24. 52. *Quod cum audiſſet puer Abraham.*

Puer valet interdum pro ſimplici & imperito: *Nolite pueri effici ſenſibus*; *Cor.* 14. 20. videte ne efficiamini in prudentia, ſed tantùm ſitis in malo pueri. *Væ*, ait Sapiens, *regioni cujus Rex puer eſt. Eccleſ.* 10. 16. Dominus in Iſai. 3. 41. minitatur Judæos: *Dabo pueros principes eorum*. Idem quoque Propheta cap. 65. 20. tempora Meſſiæ deſcribens: *Puer*, ait, *centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*. Cùm homo aliquis 100. annorum ætate grandis morietur, in vitæ juventa interiiſſe reputabitur, ac fureſcens Deus in ſontes, illos percutiet acerbo interitu, nempe cùm 100. annorum ætatem attigerint.

PUERI perinde valent ſæpè ac militea. *Surgant pueri & ludant* 2. *Reg.* 2. 14. Et 2. Reg. 3. 22. *Pueri David & Jacob*; milites; *Pueri Principum Provinciarum* 3. *Reg.* 20. 15. 17. *Pueri Alexandri* 1. *Mac.* 1. 7. 9. ſunt Duces exercitus Alexandri Magni, Principes qui in expeditionem euntem illum ſequuti ſunt. Vitio vertit Hebræis Iſaias 2. 6. *Pueris alienis adhæſerunt*; quod de infando crimine dictum aliqui explicarunt, ut illud Joelis 3. 3. *Poſuerunt puerum in proſtibulo*; alii verò (h) exprobraſſe credunt Prophetam nuptias cum exteris fœminis, ex quibus geniti infantes. Alii planiùs expoſuerunt: Adhæſerunt imitationi gentium exterarum, Idololatria illorum adoptata, fœdere cum ipſis juncto.

PUELLA data proportione quemadmodum *puer* uſurpatur pro filia minùs juſtæ ætatis, pro famula, pediſſequa, puella ingenua, filia nubili, virgine, & interdum pro fœmina quacunque. E. g. Judith 16. 14. *Filii puellarum* compunxerunt eos; & Amos 2. 7. *Filius & pater ejus ierunt ad puellam.*

PUGNA S. Pauli cum beſtiis Epheſinis. Vide v. *S. Paulus.*

PULCHRITUDO. Hebræum *Naveh*, ſonans pulchritudinem, ſæpè etiam valet manſio. *Dominus amavit ſpeciem Jacob*, ſuum Templum, ſedemque, quam elegit in Jacob: *Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Jacob, quam dilexit. Pſal.* 46. 5. Textus iſte eadem ratione exponi poteſt ac alter Pſalmi 49. 2. *ex Sion ſpecies decoris ejus*; & alter Pſalmi 67. 13. *Speciei domus dividere ſpolia*; Hebr. *Manſio domus*, qui domi ſe continuerunt prædam cum iis partiti ſunt, qui certarunt in prælio. Templum Domini ejuſque Tabernaculum, quæ loca ſunt Dei commorantis inter homines, appellantur etiam ſpecies manſio. Dominus ſpeciem Iſraelitarum, Arcam Domini, permittit manibus Philiſthæorum. *Pſal.* 77. 16. Templum appellat Jeremias 31. 2. *Pulchritudo juſtitiæ, mons ſanctus.* Et cap. 49. 19. illud comparat leoni, quem appellat *pulchritudinem robuſtam*, robur ejus deſignans. Job. 5. 3. *Maledixi pulchritudinem ejus* (ſtulti) ſtatim; Hebræus *ſedem ejus*. De ſpecie Jeſu Chriſti vide *Jeſus Chriſtus*.

PULVIS. Olim Hebræi in luctibus caput cinere ſeu

(a) Tertull. de Pudic. c. 9. Vide Caſaub. in Baron. Exerc. 2. §. 19. Grot. in Deut. 23. 17.
(b) Chryſoſt. hom. 54. in Acta Gregor. Magn. in Job. l. 27. c. 11. & plures recentiores.
(c) Vide Adon. Uſuard. Raban. Notker. Martyrol. Roman. ad 21. Jan. Tillem. not. 64. ſur. S. Paul.
(d) Eſt in 2. Timoth. 4. Boll. 19. (e) Baron. ad 19. Maji. Florent. p. 697 (f) Vide Geneſ. 37. 2. 3. &c. & 21. 5. & 44. 20. (g) Græc. *Pais* Hebr. *Naar*. (h) Cyrill. Teodoret.

ſeu pulvere conſpergebant: *Miſerunt pulverem ſuper capita ſua. Joſue* 7. 6. In Actis 22. 23. Judæi quidam, cùm maxime furerent, effuſo in aerem pulvere deſignarunt emblemate id effecturos ſe, ut in pulverem redigerent Apoſtolum Paulum, quem in Templo captum tenebant. In rebus mœſtis pulveri aſſidebant, dejiciebantque in terram faciem: *Ponet in pulvere os ſuum*; *Thren.* 3. 29. & Iſai. 7. 1. *Sede in pulvere filia Babylonis*. Pulvis etiam deſignat ſepulcrum & mortem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris Geneſ.* 3. 19.; & Job. 7. 21. *In pulvere dormiam*; & Pſalm. 21. 16. *In pulverem mortis deduxiſti me*.

Pulvis exprimit etiam multitudinem: *Faciam ſemen tuum ſicut pulverem terræ*. *Gen.* 13. 16. Balaam habens in conſpectu caſtra Iſraelitarum *Num.* 23. 10.: *Quis dinumerare poſſit pulverem Jacob*? Iſraelitarum, non ſecùs ac pulveris, immenſam multitudinem? Pſal. 24. 27. *Et pluit ſuper eos, ſicut pulverem, carnes*; tanto numero coturnices, quanto pulvis.

Deus ſuſcitat de pulvere egenum, ut ſolium gloriæ teneat. 1. *Reg.* 2. 8. Et: *Exaltavi te de pulvere, & poſui te ducem ſuper populum meum* 3. *Reg.* 16. 2., ait Propheta quidam ad Baaſan Regem. Contrario ſenſu redigit Deus in pulverem eos, qui conſurgunt in illum; qui de robore ſuo præſumunt, & conceſſa ſibi poteſtate abutuntur. Exſufflat illos ceu pulverem, redigit velut in pulverem areæ ubi triticum excuſſum eſt.

Mandat Jeſus Diſcipulis ut pedum ſuorum pulverem excutiant in eos, qui venientes illos nec excipere, nec auſcultare ſuſtinerent; *Matth.* 10. 14. *Marc.* 6. 11. *Luc.* 9. 5.; ut eo indicio demonſtrarent nullum habere ſe cum iis commercium, horrere ab iis omnibus, quæ illorum eſſent, derelinquere illos Deum obſtinationi cordis atque pravitati ſuæ.)

PUNCTA VOCALIA. Quamquam Hebræi in ſuo alphabeto vocales, & conſonas literas non ſecus ac cæteræ per orbem nationes, ſervant (a); in ſcriptionibus tamen vocales conſonantibus non jungunt. Interdum etiam ſi quas apponunt vocales, in pronunciatione ſupprimunt; vel tandem cùm vocales ſonum habeant planè varium, modò enim longæ ſunt, modò breves, iis, qui longa habitudine Hebraicis non aſſueverunt, eorum ſcripta legere difficile ſane contingeret. Huic difficultati minuendæ puncta vocalia invecta ſunt, quæ ſivè intra, ſivè ſuprà conſonas appoſita, ſivè delectum vocalium, ſi fortè deſierint, ſupplent, ſivè tandem earumdem ſonum, quantitatem, & valorem determinant.

Horum punctorum 14. Grammatici enumerant: ſcilicet quinque longa: Camets a, Tzere e, Chirec longum i, Cholem o, Schurech u. Totidem brevia. Patach, a. Segol, e. Chirec breve, i. Chametzchatuph, o. Kibbutz, u. Quatuor breviſſima. Scheva, e. Chateph patach, a. Chateph Segol, e. Cateph cametz, o.

Si Rabbinis atque nonnullis Chriſtianis, qui de Grammatica Hebræorum ſcripſerunt, fides haberetur, puncta iſta vocalia eamdem præſeferrent antiquitatem, ac Hebræorum ſcriptio, eorumque author, ſivè Moyſes, ſivè Eſdras, ſivè quidam ex Senioribus magnæ Synagogæ ejus ætate, habendi eſſent (b). Criticorum tamen ſenſus recentiorem eorumdem inventionem cenſet. Horum alii punctorum originem à Maſſoretis, ſivè Doctoribus Scholæ Tiberiadis circa annum Chr. 500. florentibus repetunt (c). P. Morinus ex Arabibus Grammaticam, & puncta vocalia Hebræos derivaſſe cenſet; Arabes autem nonniſi ſeriùs ſcriptione uti cœperunt; & cùm Mahumetanorum imperium confirmaretur, circa annum 622. uſus literarum apud ipſos non diù ante cœperat. Nomina punctorum vocalium Arabica prorſus, originem produnt. Ad hæc, primi apud Judæos Grammatici Arabes fuerunt, qui vernacula lingua ſcribentes, facilè etiam una cum arte Grammaticæ puncta vocalia invexerunt.

Pater Morinus, qui hoc argumentum latè diſcuſſit, invictè demonſtrat, Origenis, S. Hieronymi, & Talmudicorum Doctorum ætate, ſeptimo ſæculo florentium, puncta illa vocalia prorsùs ignota fuiſſe. Cùm autem Scriptor ille diligentiſſimè varia Judæorum ſcripta octavo, & nono Sæculo exarata excuſſiſſet, prima punctorum veſtigia in Libris Rabbinorum *Ben-aſer*, Præfecti Scholæ Judæorum occidentalium, & *Ben-nephtali*, Præfecti Scholæ Orientalium, qui ſub medium Sæculi decimi a. 940. florebant, deprehendit. Vetuſtiorem punctorum epocham conſtituere non audemus. Vide Morin. loco cit. Valt. loc. cit. Du Pin, Fraſſen, Thomaſſin. in metod. Stud.

Judæi recentiores in Bibliis ad uſum quotidianum impreſſis, punctis utuntur. In voluminibus verò ad uſum Synagogæ, quorum uſus in ſolemnibus Sacri Textus lectionibus, puncta non apponunt, ſicuti olim ſolebant. Samaritani etiam in Pentateucho veteribus hebræorum characteribus ſcripto, puncta non adhibent. Quæ illorum religio ſatis evidens eſt pro novitate punctorum argumentum.

(Creditus fuit olim Eſdras author eſſe punctorum vocalium in Bibliis Hebraicis, quæ ſedit animis opinio uſque ad Eliam Levitam Judæum Germanum, qui medio ſæculo 16. in eam opinionem ſcribens; defendit puncta illa vocalia non prius deſcripta fuiſſe in ſacris Voluminibus, quàm poſt abſolutum Talmud circa annum J. C. 500. aduſque eam ætatem rationem legendi ſacrum Textum, ſupplendique in illo vocalia perſeveraſſe in populo unicè per traditionem. Judæi omnes, tum qui puncta repetunt ab Eſdra, tum qui à Maſſoretis, defendunt rationem legendi, quam puncta determinant, divinæ eſſe authoritatis, ut nemini immutare vel minimum quidquam fas ſit; ſed Criticorum noſtrorum plerique, tàm qui Eſdram præferunt, quàm alii, defendunt inventum eſſe merè humanum, nullaque religione deterreri nos ab inferenda illis manu, cùm aliam lectionem ſuadet contextus ſermonis, analogia, vel ſana critices dogmata.

Hæc autem potiſſima argumenta allata ſunt ab utroque Buxtorfio patre & filio (d) ad aſſerendam punctorum vocalium antiquitatem. 1. Duo antiqua volumina inſcripta, *Bahir* & *Zohar*, paulò ante natum Jeſum Chriſtum illud, aliud verò paulò poſt digeſta, non obſcurè, nec ſemel punctorum vocalium meminerunt.

2. Maſſoretæ Tiberiadis, quibus rei inventæ honor tribuitur, non ſatis inſtructi fuiſſe ingenio videntur, ut id valerent, nec illis veterum Authorum teſtimonium ullum favet. Omnium primus, qui id illis juris vindicet promitur Aben-Ezra, ſæculi 12. Rabbinus. 3. Poſtquam Hebræus deſuevit apud Judæos, i. e. poſt captivitatem Babylonicam, vix fieri poterat, ut ſermo ille doceretur abſque ope punctorum vocalium: cœperunt igitur ad minus poſt Eſdram, nec ab illa ætate unquam ceſſarunt. 4. Summota authoritate punctorum vocalium, atque in cenſum artium humanarum rejectis illis, continuò lectio Textus permittitur incertæ lectioni; atque interpretationi ad arbitrium invectæ, actumque eſt penitùs de certa fide atque authoritate Sacrarum Scripturarum.

Sed hiſce commodè reponeretur; 1. Libros *Bahir* & *Zoar* multò minorem referre, quàm quæ illis aſſeritur, antiquitatem. Occurrunt enim legentibus

(a) Hebræorum vocales ſunt aleph, vau, jod, he, ain. He tamen aſpiratio potiùs eſt, quàm vocalia.
(b) Vide Morin. Exercit. Bibl. exercit. 18. l. 2. c. 1. &c. Valton. Proleg. Bibl. Proleg. 3. art. 38. &c. & alios paſſim.
(c) Elias Levit. Vide & Kimchi, Abenezra; Judam Levit. & alios apud Titin.
(d) Buxtorf pater in Tiberiade c. 9. Buxtorf fil. tract. de punctorum antiq. part. 1. c. 5.

quædam nequaquam ſcriptis mandanda niſi 1000. annis ſeriùs, quàm quo ſcripta volumina aſſerantur: nullus vetuſtus Author Opera illa ſeu novit ſeu laudavit. 2. Maſſoretæ Tiberiadis ſubſtituunt utique diutiùs in Judæa, ſummotaque etiam opinione, quæ de ſcientia illorum tenetur, ſummoto pariter teſtimonio Aben Esræ, & Eliæ Levitæ; conſtat nihilo ſeciùs non ambigue puncta vocalia ante eorum ætatem non adhuc obtinuiſſe.

3. Ex quo ab Hebraico ſermone deſueverunt Judæi, non ea fuit neceſſitas punctorum vocalium, quæ urgetur. Samaritani certè non minùs Hebræo inſtructi, quàm Judæi, hodie pariter carent punctis vocalibus; legunt nihilo ſecius Hebræum characteribus Samaritanis traditum & punctis deſtitutum. Arabes verò maximè norunt puncta vocalia. Commodè autem quà Arabica, quà Hebraica, quà Syriaca, & Chaldaica ſcripta abſque ope punctorum vocalium legerentur, tunc pariter cùm linguarum illarum uſus excidiſſet, dummodò veterum characterum forma ſarta tecta ſervaretur, ac vernaculus, qui obtineret, ſermo affinitatis haberet plurimum cum illo, cujus ſervantur characteres. Tandem ſermo iſte licet non vernaculus, perſeverat nihilo ſecius in Liturgia, in Precibus, ac tandem in vocibus planè multis, quarum in commerciis ac familiaribus ſermonibus eſt uſus. Quæ ſi vera ſtatuantur, uti re ipſa vera ſunt cum de Hebræo ſermone agitur, difficultas illa legendi Hebræum punctis vocalibus deſtitutum, immane quantum! minuitur. Conſtat utique Judæos plures, qui intimos linguæ ſanctæ receſſus ſanè non pervaſerunt, legere nihilo ſecius Hebræum abſque punctis & ſcribere pariter. Probant hæc, quidquid in contrarium opponatur, plurium ſæculorum ſpatio obtinere potuiſſe Hebræum ſine punctis, nec hodie pariter tantam eſſe illorum neceſſitatem, ut ſine illis lectio non ſuccederet. Adde, minùs veritati congruere illud, nimirum Hebraica ſcripta deſtitui prorsùs vocalibus; habent enim in promptu tres, vel quatuor, videlicet *Aleph*, *Jod*, *Vau*, *Hain*; geminæ verò iſtæ *He* ac *Het* aſpirationum loco ſunt. Porrò literæ & aſpirationes iſtæ nunquam non recurrunt in Textum; atque unicæ vocalis ope tota dictio legitur. Quanti ſint iſta momenti ille ſolus expenderet, qui linguæ hujus myſteriis initiaretur.

Quartum argumentum ex authoritate punctorum vocalium, vetuſtatem illorum obliquè tantùm demonſtrat; æque autem in ſuos aſſertores retorqueretur, applicando illud linguis Græcæ, & Latinæ, quæ nunquam vocalibus deſtitutæ ſunt; vocalibus enim illis, immotis etiam relictis accentibus atque Syntaxi, unica interdum ſententia decem variis ſenſibus varie exponeretur; quæ pariter ambiguitas major eſſet, ſi ordo paululum variandus ſuſciperetur. An ideò Textus Sacer ambiguæ lectioni & interpretationi arbitrariæ expoſitus diceretur? Quis in Orbe ſermo ambigua paſſim non offerens, amphibologica, incerta, nequidquam huic incommodo occurrentibus ſeu punctis ſeu accentibus, ſeu vocalibus? Fateor equidem in Hebræo ſine punctis vagante magis, quàm in cæteris aliis linguis, iſta ſentiri; ſed traditio, ratio ipſa rei, contextus ſermonis, & uſus totidem habendæ ſunt regulæ, quibus vagans alioqui lectio determinetur. Quo autem redigeremur, ſi nunquam liceret permittere ſibi aliquid contra lectionem & punctuationem Maſſoretarum? Quot ſententiæ feliciter reſtitutæ, ſcitiſſimè explicatæ, conſultis antiquis Verſionibus, relictaque ſyntaxi Maſſoretarum?)

PURGATORIUM. Quamquam Purgatorii nomen nuſquam in Veteri Novoque Teſtamento legitur, rem tamen aliis vocibus expreſſiſſe utriuſque Scriptores intelligimus. Eo enim nomine ſtatum animarum ſignificamus, quæ ex hac vita, non ſatis eluta quorumdam criminum macula, migrantes damnationi quidem æternæ impares, pares verò certis quibusdam pœnis à Deo inflictis judicantur: donec crimine prorſus ſolutæ, æterna demum vita potiantur.

Legimus in 2. Machabæor. 12. 43. milites Judæ in prælio occiſos, exutos Ducis juſſu veſtibus, idolothita quædam ſurripuiſſe deprehenſos fuiſſe contra Legis vetitum, *Deut.* 7. 25. 26. *Non inferes quidquam ex idolo in domum tuam.* Quare *omnibus manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſam eos corruiſſe. Atque ita ad preces converſi* (populus) *rogaverunt, ut id, quod factum erat delictum, oblivioni traderetur.... Et Judas facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, benè & religiosè de reſurrectione cogitans. Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Porrò hæc verba Judæorum ſenſum ante Chriſti adventum ſatis produnt.

In N. T. Jeſus Chriſtus quædam eſſe crimina profitetur, *Matth.* 12. 32. quibus neque in hac vita, neque in futura venia indulgetur; ſunt igitur quædam, quorum eſt in altera vita remiſſio. S. Paulus pro Oneſiphoro, qui è vita deceſſerat, rogat, ut *det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in die illa*, 1. *Timoth.* 1. 18. Preces ſane pro mortuis Purgatorium liquidò probant, ubi conſtitutis Spiritibus ſolatium per preces quæritur. Sed Dictionarium Biblicum ſcribens, controverſias mitto.

(Purgatorii genus quoddam perſeverans toto priori ab obitu hominis anno agnoſcunt Judæi. Porrò tractu illo temporis animæ integrum eſt commeare ultrò citròque ad corpus, reviſere loca & amicos, quibus dum viveret, peculiariùs inhærebat. Precantur Judæi pro requie mortuorum toto hoc tempore, certumque tenent precibus hiſce ſuis plurimum ſolatii & quietis, tum & criminum veniam, miſeris afferri.

Locus ille deſtinatus puniendis poſt obitum prævaricatoribus Iſrael, i.e. Judæis, quos ſtata die manent, quæ maxime promeruerunt, ſupplicia; locus, inquam, ille idem eſt ac Infernus, ubi detinentur impii, omni præciſa ſpe melioris ſtatus ac reditus. Sed inter utroſque diſcrimen eſt ingens 1. Suppliciorum; mitiora enim illi, hi verò duriora tolerant. 2. In ſupplicii duratione; modus enim erit ſuppliciorum prævaricatoribus Iſrael, quibus etiam contrahendis valent plurimum oblationes, & preces ſuperſtitum; in tormentis impiorum æterna omnia.

Hiſtoriolæ quædam leguntur in ſcriptis Rabbinorum (a), demonſtrantes Purgatorii dogma vulgò apud illos obtinere. R. Eliſeus filius Abiæ incidit in errorem duplicis principii; ſed tandem in exitu vitæ reſipuit. De ſalute ejus dubitatum eſt. Ex amicis ejus Meir ſpopondit procuraturum ſe, ut fumus è tumulo ejus ſuſtolleretur, indicium detenti viri in Purgatorio; Rabbinus alter Johanan effecturum ſe dixit, ut ſtatim fumus ille ceſſaret, indicium liberati è loco illo viri. Nec vana uterque: ſtatimque de ſalute Eliſæi pronunciatum eſt.

Accidit ut ſemel R. Akiba (b), ſpectaret in cœmeterio hominem diu antea defunctum, præcipiti curſu gradientem, ferentemque in humeris lignorum ſarcinam. Interrogavit Rabbinus num adjumenti aliquid indigeret; repoſuit alter ſe, dum viveret, Publicanum fuiſſe; expiandis autem, quæ in eo munere commiſerat, iniquis, damnatum fuiſſe ad exercendam carbonariam; rogare autem, ut de ſtatu ſuo certiorem faceret viduam conjugem & filium. Convenit

Akiba

(a) Vide Cod. Chagigeah & Ben Iſrael c. 1. p. 170. col. 2. & Bartolocc. t. 2. p. 252.
(b) Rab. Tanchan. Paraſch. Tuledoth. Noah.

Akibæ & mulierem & filium, docuitque poſtremum hunc pronunciare: *Benedictus ſit Dominus, & ſit ille benedictus*; quibus vix recitatis pater ſtatim è purgatorio liberatus eſt, obtulitque ſe Akibæ gratias acturus. Fidem, quantam utique merentur, hiſtoriis hiſce indulgemus, ſed probandæ de Purgatorio Judæorum perſuaſioni valent plurimùm.

Purgatorii locum hunc appellant *ſinum Abraham*, *theſaurum viventium*, *hortum Eden*, & *gehennam ſuperiorem*; Inferni verò locum nuncupant *gehennam inferiorem*. Tenent, Iſraelitas omnes partem habere ad ſæculum futurum, i. e. beatitudinem, ſeu poſt mortem ſtatim, ſeu poſt expiata in Purgatorio crimina. Soli è gente ſua rari quidam numero & ſceleſtiſſimi ita rejiciuntur à Cælo, ut nulla maneat miſeros ſpes reliqua (a). Reliquos alios diutius quàm per annum detineri Purgatorio negant. Dies Sabbati ſolaminis eſt animabus Purgatorii; extinguitur enim ea die ignis. Die ſolemnis Expiationis rogant plurimum, plura præſtant Judæi ſatisfactoria opera in ſolamen animarum, quæ in ſuperiori gehenna torquentur.

Muſulmani, quorum eſt abſurda Religio, è Judaiſmo, Chriſtianiſmo, ac Deiſmo coaleſcens, è Chriſtianis utique & Judæis ſuam de Purgatorio opinionem adoptarunt. Purgatoria ad minus duo recognoſcunt; primum appellant *Adhab-alcubor* (b), pœnam ſepulcri. Statim ac aliquis terræ conditus eſt, duo Angeli *Menkir* & *Nekir* defunctum interrogant, damnantque ad expianda ibi, quorum reus tenetur, crimina; ſed extrema judicii die eximuntur à ſupplicio merito ſubmiſſionis ſuæ ad Juſtitiam Dei, & interceſſione Mahometis. Dum primum illud judicium in ſepulcro agitur, reus purgare ſe de omnibus permittitur; ſed in ſupremo judicio homines vel loqui nihil, vel excuſationis aliquid afferre non audebunt &c. Turcis, qui Motazales appellantur, primum hoc Purgatorium ſepulcri non agnoſcunt; ſed vulgò ita tenent Mahometani.

Purgatorium alterum, juxta plures Muſulmanos (c), locus eſt, *Araf* appellatus, inter Paradiſum & infernum medius. Separantur autem hæc loca oppenſo velamine juxta nonnullos, ſive ſpiſſo muro juxta alios. Quinam homines in *Araf* detineantur, non ſat convenit inter plures. Deſtinant nonnulli Patriarchis & Prophetis; alii Martyribus, atque inter Fideles ſanctitate morum eximiis. Sed Doctoribus quàm plurimis viſum eſt addicere illi Muſulmanos, quorum bona ac prava opera tanto ſibi invicem reſpondent æquilibrio, ut nec ſatis meruerint ad Paradiſum, nec ſatis demeruerint ad Infernum. Proſpiciunt ex eo loco Sanctorum felicitatem; ſed cùm ab ea deguſtanda arceantur, ex privatione acerbo dolore torquentur. Sed tandem die magna Judicii, qui in eo loco detinentur, conſtituent ſe proſtratos coram Judice, agnoſcent & adorabunt ejus potentiam, atque hujus religionis merito aucta priora opera vincent pravorum æquilibrium, cauſamque ſibi adjudicabunt.

Præter duo hæc Purgatoria, tertium inferunt aliud *Barzak* (d). Hoc nomine appellant Muſulmani temporis illud interſtitium inter obitum & reſurrectionem; tenentque toto eo intervallo nec Paradiſum nec Infernum manere homines; quod ex præposterè accepta opinione Patrum quorundam deſumptum videtur; tenuerunt enim in ſtatu animarum nihil eſſe certi, niſi poſt diem Judicii.)

PURIFICATIO. Uti plura diſtinguebantur apud Hæbreos impuritatum genera, ita etiam plures injunctæ purificationes. Vide *Impuritates Legales*. De ſingulis etiam purificationibus in variis articulis egimus. Vide *Leproſi*, *Gonorrhæa*, *mortui*, *Nazaræi*. Mulier à puerperio infantis 46. dierum impuritatem ſervabat, *Levit.* 12. 1. &c. Prima hebdomada eamdem impuritatem ſuo attactu communicabat; cæteris inde diebus, domeſticis curis vacare impunè permittebatur, à rebus tantummodò Sanctis ſemota. A puerperio verò puellæ, ſexaginta dierum macula; atque duobus quidem hebdomadibus omnia ejus contactu impura putabantur; reliquis inde diebus, tantùm à rerum Sacrarum participatione, ab ingreſſu Templi, à Paſchate, ab eſu hoſtiæ pacificæ arcebatur.

Peractis puerperii diebus, ante veſtibulum Templi ſivè Tabernaculi ſe ſiſtens, agnum in holocauſtum, & pullum columbarum, ſivè turturis in ſacrificium pro peccato offerebat. Pauperes verò fœminæ pro agno duas turtures, ſivè geminos pullos columbarum, alterum in holocauſtum, alterum pro peccato immolabant.

Huic quidem: *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum &c.* S. Virgo obnoxia non erat (e); ſed tamen in argumentum humilitatis ad Templum de more ſe contulit, *Luc.* 2. 22. 23. &c. Tanti autem exempli monumentum Eccleſia die 2. Februarii Feſtum Purificationis, ſeu candelarum celebrat; in qua Fideles cereos geſtantes, Adventum Jeſu Chriſti eo ſymbolo ponè ipſis oculis ſubjiciunt; de illo enim Simeon in ſuo Cantico Prophetico cecinit: *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Qui verò ritibus Eccleſiæ indagandis ſtuduerunt, ejus ſolemnis ſupplicationis ritum indictum ab Eccleſia autumant, ut Ethnicorum prophana ſacrificia, eodem menſe luſtrandis hominibus, agris, & vicis celebrata, meliori, & ſaniori ritu ex hominum memoria obliterarentur (f). Cerei verò, addunt, adjecti ſunt, ut infamibus Lupercalium facibus opponerentur; lupercalibus enim homines veſtibus exuti, faces deferentes per vias diſcurrebant, in obvios quoſcumque impudentiſſimè inſoleſcentes (g).

Hujus ſolemnitatis author Imperator Juſtinianus circa medium ſexti ſæculi fuit; facilè tamen antea certis quibuſdam in locis celebrabatur. Sanè Juſtinianus Feſtum ad diem 2. Februarii conſignavit, injunxitque, ut eodem per totum Imperium ritu celebraretur; ex quo facilè apud alias etiam gentes ritus obtinuit. Feſtum illud nomine etiam Hypapantes appellatur, quæ Græca vox occurſum ſonat; Jeſu Chriſto etenim in Templum delato, Simeon, & Anna veluti occurrerunt; qui etiam coram Joſepho, & Maria pro illo teſtimonium tulerunt.

Eodem etiam Feſto Jeſu Chriſti in Templo oblatio celebratur, tamquam matris ſuæ Mariæ major natu; ex præcepto enim Legis, *Exod.* 13. 13. Majores natu filii Domino debebantur, ſolum dein quinque ſiclorum pretio redimendi. Qua de re vide *Primogenita*; ubi an Chriſtus, diverſa planè ratione, ac alii genitus, eidem Legi ſubjectus eſſet, diſcuſſimus (h).

(Judæi à Templo nimis diſtantes, qui conferre ſe non poterant ad locum illum ſanctum pro eluendis certis quibuſdam maculis, in commercio hominum vix evitandis; uti quæ contrahebatur macula in funeribus, quibus adſiſtere jubebat civile officium; eluebant ſe cinere Vaccæ rufæ, idcircò Jeroſolymis immolatæ, cujus cinis ad Iſraelitas diſtantes tranſ-

(a) Leo Modena p. 5. c. 10. Vid. & de vita functorum ſtatu, Sect. 8. &c.
(b) Herbelot. Biblioth. Orient. p. 57. (c) Idem p. 121. 122. (d) Idem p. 191.
(e) Vide Orig. hom. 8. in Levit. Baſil. in Iſai. 7. 14. Chryſoſt. hom. in occurſu Domini. Cyrill. Alex. l. 2. de Fide ad Reginas Procop. Theophyl. ad Luc. 11. Bern. Serm. de Puriſic.
(f) Februa Sacra, in honorem Plutonis celebrabantur.
(g) Lupercalia die 13. Febr. in honorem Panis celebrabantur.
(h) Vide de Feſto Puriſic. Boll. 2. Feb. Thomaſſin. in tract. de Feſt. Baillet. & in Martyrol. ſcribens. Tillem. t. 1. not. 7. ſur J. C.

tranſmittebatur *Num.* 19. 5. Vide infra v. *Vacca rufa*.

Si mas cum fœmina utantur licentia connubiali *Levit.* 15. 16. 17. 18. impuri manebunt uſque ad veſperam, eluentque maculam lotione veſtium & balneis. Si fœminæ incommodum ſexus acciderit *Levit.* 15. 19. 20. 21. impura eſto ſeptem diebus; quidquid toto eo temporis ſpatio tetigerit, maculam contrahet, quam etiam ſibi inducent quique tactu cubilis, veſtium, ſellæ ipſius; iiſque injunctum, ut impuritatem ad veſperum uſque retinentes, tum lavent veſtes expientùrque balneis. Si ad fœminam eo incommodo laborantem vir aliquis acceſſerit, manebit impurus ſeptem diebus, cujus etiam macula communicabitur lecto, cui incubaverint. Si quis volens prudenſque ad fœminam illam acceſſerit, delatus uterque ad Judices capite damnabitur *Levit.* 20. 18. Veteres Chriſtiani non unius loci mulierum incommoda illa perinde habebant ac maculas, vetitumque ſibi rebantur ad menſtruatas accedere, ideo fortè potiùs quod ita decere arbitrarentur, quàm quod religione id ſibi vetitum crederent. Fœminæ apud Græcos hodie pariter in menſtruis pedem continent ab Eccleſia (a); quin nec in domo ſua fœminas menſtruatas patiuntur Indi.

Quæ etiam fœda dormienti invitoque irreperent *Deut.* 23. 10. luſtranda balneis cenſebantur. Cui hæc acciſſent, injunctum pedem referre è caſtris, nec redire niſi poſt occaſum ſolis, lotoque puro corpore.

Aliæ pariter luſtrationes numero penè infinitæ invaluerant apud Judæos. Ita nec cibum capere *Marc.* 7. 3. 4. 7. 8. nec menſæ aſſidere ſuſtinebant, niſi poſt lotas manus, id curantes, ut aqua ab extremo digitorum aduſque ſummum cubitum deflueret. Cùm reſtituunt ſe domui, ſua eſt manuum lotio; lotio pariter injuncta utenſilium, vaſorum, cubilium atque omnium, quæ uſui inſerviunt, quod apud illos ex Veterum traditione manet. Non ſemel eo nomine reprehenderunt Chriſtum ejuſque Apoſtolos *Matth.* 15. 2. *Marc.* 7. 2. quod lotionem illam manuum, antequam accumberent menſæ, negligerent. In convivio nuptiali Canæ ſex erant ampliores hydriæ poſitæ, aquam continentes ad purificationem convivarum *Joan.* 2. 6.)

PURPURA, color purpureus, Hebraicè *argaman*, Græcè *porphyros*. Græci etiam in eadem ſignificatione utuntur voce *amorge*, ex Hebræo *argaman* derivata. Elegantiſſima purpura Herculi Tyrio authori tribuitur, cujus fortè canis vorato oſtreo quodam, cui nomen murex, labiis purpureo colore rubentibus domino occurrit. Sed Hercule vetuſtiorem eſſe purpuram, cùm apud Moyſem occurrat, ſatis conſtat; niſi Herculem Tyrium cum alio aliquo vetuſtiori Hercule (quem ſane à Græcis cum aliis ejuſdem nominis viris confuſum novimus) confuderint. Sed his omiſſis, purpura ſanè ſaturum rubrumque colorem, elegantem & nitidum refert: *Nigrantis roſæ colore ſublucens*, ait Plinius *l.* 9. *c.* 36 & *l.* 9. *c.* 38. *Concreti ſanguinis nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens*. Non eadem ſemper purpuræ ratio erat; alia enim ſaturum exhibens colorem, violaceum in rubeſcenti fundo referebat. Alia rubro ſaturo inſtar concreti ſanguinis micabat; alia tandem dilutior, ad coccinum accedebat. Porrò viridem iſtum colorem ita Plinius *l.* 9. *c.* 41. deſcribit: *Aſpectu leniter blandum, neque in oculos, ut carbunculi, vibrans*.

Coccineæ lanæ uſus frequens in operibus Tabernaculi, & in veſtibus Summi Sacerdotis erat. Principum etiam & Magnatum inſigne habebatur. Purpureæ veſtes, quibus Reges Madian utebantur, *Judic.* 8. 26. Gedeoni munus datæ ſunt. Byſſino purpureo amictu Vir mulieris fortis ſplendebat, *Prov.* 31. 22. Lineis ejuſdem coloris dives ille Evangelicus, *Luc.* 16. 19. purpureis tandem, & cæruleo cœleſti Idola Babyloniorum, *Jerem.* 10. 9. *Baruc.* 6. 12. 71. Daniel arcanis literis in aula convivii ſubitò viſis explicatis, purpura juſſu Regis Balthaſaris & torque aureo donatus eſt, *Dan.* 5. 7. Auream coronam, purpuram, & amici titulum Alexander Bala Syriæ Rex ad Jonatham Machabæum muneris loco miſit, 1. *Mach.* 10. 20. Tandem in ludibrium Regiæ Jeſu Chriſti dignitatis, purpura ille in Paſſione ſua indutus eſt, *Mar.* 15. 17.

(PURUS, *Puritas*, *Purgatio*, *Purificatio*, Nomina purus, puritas, variè uſurpantur. 1. de puritate extrinſeca. 2. de corde ſancto, puroque. Extrinſeca, ſivè homines reſpicit, ſanctis rebus tractandis idoneos, quibus etiam vitæ civilis officia inter homines agere fas eſt; ſivè bruta, quæ in cibum, tanquam pura, in Lege permittuntur; ſivè tandem res ipſas ſanctas, quæ ab omni legali macula puræ, domeſticis uſibus liquidò adhiberi poſſunt. Ita veſtes, ædes, utenſilia domeſtica legalibus quibuſdam maculis obnoxia erant, quibus affecta tunc tandem, cum primò expiarentur, in uſus adhiberi poterant.

Huic expiationi plures in Lege ritus indicti ſunt, de quibus vide *Impuritas*. Res aliæ ex ſeipſis impuræ cenſebantur, uti cadavera jam putreſcentia, & morticina; aliæ ex Dei tantùm præcepto, veluti animantia in Lege expreſſa; quæ ſanè nulla expiatione luſtrabantur. Homines vero, ſi fortè accidiſſet, ut impuritatem quampiam certo aliquo tempore contraherent, eo temporis ſpatio evoluto, maculam eluebant. Quæ quidem etiam data proportione, pro veſtibus, ædibus, & utenſilibus valebant, quorum luſtratio igne vel aqua peragebatur. Hominibus vero ad eam rem certa interdum indicta erant ſacrificia: frequenter toto corpore loti, ſivè balneis ſe ſe immergentes, purgabantur. Si quis cadaveris contactu, vel funeribus adſiſtens, impuritatem contraxiſſet, luſtrali aqua, cinere vaccæ rufæ, die ſolemnis Expiationis immolatæ mixta, abluebatur. Vide *Impuritas*.

Cor purum eſt cor ab omni crimine ſanctum, juſtitiæ tenax, neque Divinæ Legis violatæ conſcium. Huic puritati recipiendæ unica via per cordis converſionem, deteſtationem criminis, & minimè fucatum dolorem patet. Ea cordis habitudine, adjectis ſacrificiis in Lege præſcriptis, pro criminibus fortuito caſu, ſivè etiam data opera commiſſis, venia ſontibus indulgebatur; non ſacrificiorum quidem merito, ſed ſacrificantis fide, dolore, & charitate.

Moyſes quidem rationes hujus intimæ puritatis recipiendæ, non ita exactè aperteque proſequitur, ac regulas pro extrinſeca puritate præſcribit; quippè quod externam Reipublicæ faciem & in mutuis officiis homines continere Legiſlatorem deceat. Satis tamen ea de re ipſe, ac cæteri V. T. Scriptores indicant; quo minorem habendam eſſe rationem in ſacrificiis, aliiſque purificationum Legalium ritibus, quàm in fide erga Deum, cordis pœnitudine, & charitate oſtendant. Quam quidem veritatem egregiè prodit Apoſtolus, ſcripta ad Hebræos Epiſtola, nullam in ſemetipſis ſacrificia & legalia habere vim ad reparandos animæ morbos, atque injuriam Deo per crimen irrogatam compenſandam demonſtrans.

Excuſſo demùm, uti Legalium omnium, ita moleſto Legalium impuritatum jugo, in nova Chriſtianorum Lege nulla dein impuritatum ratio, quam animæ habetur: qua per crimen contracta, omnis adhibenda eſt cura, ut per pœnitentiam macula eluatur. Vide *Pœnitentia*.)

PUTEI. De puteis ſæpè Scriptura; quod etiam nomen uſurpatur interdum de fontibus, quorum ſcaturigines è terra, veluti è fundo putei ebulliunt. Hujus generis eſt puteus, de quo Sponſa, *Cant.*

(a) Tournefort Iter Orient. t. 44. Gallic.

Cant. 4. 15. *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Puteus eſt vivus leucâ à Tyro, quem illis Sponſæ verbis ſpectatum ferunt. *Puteus Jacob* juxta Sichem, alio nomine *fons Jacob* appellatur, *Jo.* 4. 6.

In agro Sodomæ, quem poſtea Lacus Aſphaltidis occupavit, frequentes erant *putei bituminis*, *Gen.* 14. 10. è quibus bitumen educebatur, quod nunc in ipſis Aſphaltidis aquis innatat.

Puteus erat etiam *Viventis & Videntis*, *Gen.* 16.13. Inter Cades, & Barad, quem Angelus reficiendo Iſmaeli corsm matre jam deficienti, Agari parenti indicavit. Arentis illius regionis mos eſt, puteorum oſtia arena ſuperinducta celare, ne tranſeuntes quique aquam furentur. Ea de cauſa frequentes inter Paſtores, & agricolas rixæ intercedunt; quarum exempla in rixa paſtores inter Abimelechi Regis Geraræ, & Iſaaci legas, *Gen.* 26. 15. 20. 21. 32.

Putei operis eximii Aſcalone erant; quorum authores Abraham, & Iſaac feruntur (a).

Puteo Jacob juxta Sichem Jeſus Chriſtus aſſidens cum Samaritana colloquutus eſt, *Jo:* 4. 6. Ibi deindè Templum dedicatum fuit, de quo S. Hieronymus(b), Antoninus Martyr ſexto ſæculo florens, Adamnanus ſeptimo, & Villibaldus octavo (c).

Puteus Hebræo nomine *Beer* appellatur; quæ ſæpè vox quibuſdam locorum nominibus jungitur, ut *Beer ſabe*, *Beeroth-Bene-Jacan*, *Beeroth*, *Beera*, da quibus in ſingulis articulis.

(Qui in deſertis Arabiæ puteos oculati teſtes ſpectarunt (d) affirmant ſimilis fermè operis eſſe omnes. Exciſi ſunt in petra; hiatu ſuperiori patent 18. palmis, vel 6. pedibus diametri; altitudinis vero habent à 19. ad 20. Illis detegendis indicio acus nauticæ uti Itinerantes ferunt nonnulli, quod ſcilicet ejus tractus nullæ ſint ſive Urbes, ſeu viæ Regiæ, ſiva aliquid aliud, quod locorum rudes Itinerantes eo ducat. Itaque nonniſi incolæ regionis, Arabes, vel mancipia quæ locum crebro triverunt, certum ad puteos iter indicarent. Plerumque noctu iter ad illos inſtituitur, evitandi diſcriminis ex Arabum occurſu imminentis gratia; quin & feſtinato opere impleri oportet aqua utres, ac recedendum, metu ne fortè alia Itinerantium manus ſuperveniens retardetur; alioqui etenim certamen non evitaretur. Aqua eſt earum ſcaturiginum algens adeò, ut crudam potare nemo audeat; ſed vino admixto temperatur. Statim verò in arena clima translata incaleſcit. Compertum eſt etiam tranſlatam è deſertis hiſce, & ſtatim ac Ægyptus vel Indiæ attinguntur, aceſcere; ad proprium clima reductæ priſtina reſtitui omnia. Non ſemel Arabes pravo nocendi conſilio puteos obſtruunt, ſeu ingeſta arena, ſeu obcæcatis fontibus, ſeu puros latices inficiant injecto cadavere aliquo, ex quo Caravanis aquarum providendarum commodum tollitur.

Itinerantes noſtrates admirantes celebrant puteum Joſeph in Urba Cairi, & opus eſſe illius Patriarchæ ne ambigentes quidem affirmant Mahometani. Structuræ eſt admirabilis, nec ſine ingenti auri profuſione ac temporis longiſſimi diſpendio abſolutæ (e). Ejus altitudo bipertita eſt; è ſummo ore ad medium uſque deſcenſus patet per gradus in petra exciſos, circum puteum regnantes; ex quo etiam deducuntur boves in aream quandam inferiorem quouſque ſuſtollitur aqua inſtrumento quodam rotæ, ac prolixarum catenarum, quibus innectuntur coriacei quidam congii gyrante rota viciſſim haurientes exhaurienteſque lympham. Porrò aqua illa hauritur duplici diverſo tempore, duplici rota altera ſuper alteram poſita. Inferior aquam demittit in receptaculum quoddam interius, ea quo ad ſuperiora putei effertur, ope ſecundæ rotæ.

Os putei patet 18. pedibus in latum, & 24. in longum, altitudo dimetitur 276. pedes. Secundum & inferius putei interſtitium longitudinis eſt 15. pedum, latitudinis 9. ſcalæ deducendis bobus regnantes ab orificio ſuperiori ad imum uſque 6. pedibus latæ ſunt, 9. altæ. Exciſa ſunt omnia ſcitè adeò ac delicatè, ut marmoris illud, quod munimen, ſeu loricam exhibet deſcendentibus na labantur, craſſitudinis referat tantùm, qua parte puteum reſpicit ſemipedem; per intervalla diſpoſitis feneſtris lux ab orificio ſuperiori demiſſa ad ſcalas tranſmittitur.

In ſecunda putei diviſione, quæ latitudine priori concedit, offert ſe ſeu porticus, ſeu ſcala ejuſdem, ac prioris illius figuræ, excepta latitudine & altitudine, neque enim latitudinis habet ultra 4. pedes & 6. altitudinis; cùm autem lorica careat, deſcendentibus incommoda eſt maximè & periculoſa. Aquarum ſeu pelvis ſeu fons in imo putei fundo altitudinis eſt 8. vel 9. pedum; ſalis aliquid offert aqua illa deguſtantibus, ut niſi neceſſitate cogente, vel cum ſiva arx ſiva putei reliqui in obſidione prohibentur, adhiberi ſoleat in potum.

Sermo eſt etiam de alio Joſephi puteo (f), quem eundem ipſum affirmant, ubi injuriam fratrum Joſephus ſuſtinuit; monſtratur autem in itinere Damaſco Jeruſalem 10. vel 12. milla paſſib. à terra Chanaan diſtans. Locum condita Moſchea, in memoriam rei geſtæ, conſecrarunt Mahometani; at ſitus ejus nimis longè abeſt Dothain, quo fratribus ſuis quærendis Joſeph ſe contulit.)

PUTIPHAR, Præfectus in aula Pharaonis Regis Ægypti, & Dux copiarum ipſius, juxta Vulgatam, ſive Præfectus lanionum, vel coquorum, juxta Hebræum, *Geneſ.* 37. 36. In eodem Textu *Saris*, nempè *Eunuchus* appellatur; quod tamen nomen non aliud facilè inſinuat, quam ejus in aula Principis præfecturam. Conjugio enim copulatum fuiſſe conſtat; neque filiis caruit, ſi Aſeneth filia Putipharis, conjux Joſephi, eumdem patrem, uti plures Interpretes volunt, habuit.

Hic pretio emptum Joſephum à Madianitis negotiatoribus, (fratrum illum proditione divenditum) ſervitiis ſuis addixit (g), eo ſucceſſu, ut ejus fidelitate plurimùm delectatus, totam illi domus œconomiam commiſerit. Succedente tempore A. M. 2287. ante Chr. 1713. ante Æt. 1717. uxor Putipharis puerum perditè deperiens, ad crimen ſolicitavit; renuente illo, fæmina verſo in odium amore, illum impudentiſſimè tentati in ſe criminis apud conjugem accuſavit. Uxoris delationibus Putiphar credulas nimis aures addicens, Joſephum in vincula conjecit. Suum tamen munus (carceribus enim præerat) brevi in illum tranſtulit; ſivè quòd ejus tandem innocentiam agnoverit, ſive omnium domeſticorum ad eam rem aptiſſimum judicaret, quamquam eodem cum cæteris carcere detentum.

Divino interim Spiritu afflatus Joſephus, dono interpretationis ſomniorum divinitus accepto, apud Pharaonem claruit, ea occaſione, da qua nos v. *Joſephus Geneſ.* 40. & 41. Hinc delata viro aulæ, atque univerſi Regni præfectura; conjugio inſuper copulatus cum Aſeneth, *filia Putipharis Sacerdotis Heliopoleos*, ſivè *Sacerdotis urbis On*, juxta Hebræum (h).

An Putiphar iſte idem cenſendus ſit cum hero Joſe-

(a) Origen. cont. Celſ. l. 3. Euſeb. ad vocem Phrear. Antonin. Martyr., Itiner. Reland. Palæſt. l. 3. p. 589.
(b) Hieron. in Epitaph. Paulæ. (c) Reland. Palæſt. l. 3. p. 1007.
(d) Relatio Caravanarum impreſſa Nancii.
(e) Paul. Luc. 3. Itiner. tom. 2. pag. 126. Gallic.
(f) Saadi Biblioth. Orient. pag. 707. & 729.
(g) Geneſ. 29. 2. An. M. 2276. ante Chr. 1724. ante Ær. 1728.
(h) Geneſ. 41. 45. A. M. 2289. ante Ch. 1711. ante Ær. 1715.

Joſephi, anceps eſt in utramque partem quæſtio. Hebræi, Origenes, S. Hieronymus, Rupertus, Toſtatus, aliique nonnulli, eumdem cenſent (a): & Judæi apud Origenem autumant, ab eadem Aſeneth de innocentia Joſephi Putipharem certiorem factum fuiſſe. Verùm Sacerdos Heliopoleos unus & idem eſſe potuit cum Duce *copiarum Pharaonis*, ſive Principe coquorum, lanionum, vel jugulantium victimas, quæ omnia unus Textus Hebræus commodè exprimit. Neque planè alicujus contra eam ſententiam momenti cenſenda eſt ratio, ex diverſa ſcribendi ejuſdem nominis ratione, quæ *Geneſ.* 38. & *Geneſ.* 41. intercedit; illic enim *Putiphar*, hic *Putiphara* ſcriptum legitur. Quamquam autem urbs Heliopolis, in qua publico Sacerdotio Putiphar fungebatur, plurimum a Tani, ubi ſedes erat Ægyptiorum Regum, adeoque & Aulicorum, diſtabat, ambo tamen munera unus & idem vir præſtare potuiſſet. Servitia enim Regi ita Putiphar præſtare valuit, ut ſimul Sacerdotio Heliopoleos fungeretur: ex Strabone enim *l.* 16. intelligimus, plures olim Sacerdotes Heliopoli floruiſſe, quorum potiſſimum munus Philoſophiæ, & Aſtronomiæ ſtudium erat, eorumque ædes ampliſſimæ ejuſdem Scriptoris ætate adhuc extabant. Porrò in Ægypto Sacerdotes illi primas obtinebant, ut non rarò etiam ad ſupremam dignitatem eveherentur; quare Sacerdotium ſimul, & ſummas aulæ, & militiæ functiones obire poterant.

Herus igitur Joſephi, ejuſque ſocer, unus & idem vir haberi poteſt. Quæ verò contra eam ſententiam afferri potuerant, his facilè ſolvuntur. Porrò has rationes v. *Aſeneth* legas. Vide & Comment. in Gen. 41.

PYGARGUS, aquilæ genus, albenti cauda. Apud Moyſem *Deut.* 14. 5. eſt animal quadrupes, in Hebræo *Diſon*, ſcilicet cinereus. Porrò Tragelaphus aliquid coloris cinerei in dorſo refert; & Bellonius *Obſervat. l.* 2. *c.* 51. *Tragelaphum* pingit maculis cinereis ad latera aſperſum. Pygargus Plinio l. 8. c. 53. eſt caper quidam, uti & Herodoto, Æliano, & Juvenali. Vid. Bochart. de Animal. Sacr. p. 2. l. 3. c. 20. neque alium fortè Septuaginta, & Vulgata ibidem deſignarunt.

PYGMÆI. De Pygmæis in Textu Latino Ezechielis 27. 11. Porrò quid eo nomine denotetur, ſatis conſtat. Pygmæi enim homines ſunt, *Quorum tota cohors cubito non altior uno*; quibus mutua ſemper cum gruibus bella, & ſanè Pygmæis ardua. Sed eos populos nonniſi in cerebro, & in ſcriptis Poetarum ſedem habuiſſe credimus. Hebræum *Gamadim*, quod Pygmæi redditum eſt, ad literam ſignificare poteſt homines uno cubito altos. Quid tamen Pygmæi ad mœnia Tyri delendenda? Siquidem *Gamadim* in Tyri præſidium, veluti ſtrenuos milites, Ezechiel conſtituit. Septuaginta hanc vocem verterunt *cuſtodes*, veluti ſi non *Gamadim*, ſed *Somerim* legerint. Symmachus habet *Medos*, ac ſi legiſſet *Gam Madai*; Chaldæus *Cappadoces*. Leviſſima tranſmutatione pro *Gamadim* legi poſſet *Gomerim*, de quibus tamquam filiis Japhet ſermo eſt *Gen.* 10. 14. & tamquam ſtrenuiſſimis viris *Ezech.* 38. 6. Urbs Phœniciæ nomine *Gamada* apud Plinium *l.* 2. *c.* 91. occurrit, niſi fortè mendum irrepſerit, ac pro *Gamada* legendum ſit *Gamala*.

(PYRÆA vel *Phyretea* ingentia erant ſepta, ſub dio, Soli conſecrata, ubi ignis perpetuus in honorem illius, quæ erat Orientalium ferè omnium in Solem religio. Vide ſupra v. *Chamanim*, & quæ conſulimus de religione veterum Perſarum v. *Perſæ*. Vide pariter v. *Ignis*, & v. *Zoroaſtres*.

PYRAMIDES. Ægypti pyramides notæ ſunt ex Veterum, & Recentiorum relatione. Fama eſt deſtinatas illas fuiſſe in ſepulcra veterum Ægypti Regum. A Præadamitis conſtructas tenent Mahometani (h), authoremque præcipuum nominant Gian-Ben-Gian, Mundi univerſalem Imperatorem, ſæculis creatum Adamum præcedentibus. Agit Ezechiel 32. 18. de ſepulcris Regum Ægypti, ſeu potiùs energia quadam Vatis deſcribit pompam deſcendentis Pharaonis ad Inferos, vel ad imum fundum terræ, comitantibus illum copiis Chaldæorum gladio trucidatis. *Fili hominis, detrahe multitudinem Ægypti, & filias gentium robuſtarum ad terram ultimam, cum his qui deſcendunt in lacum* (in ſepulcrum, vel ad Locum ubi Veterum Heroum animæ detinebantur.) *Quo pulchrior es? deſcende, & dormi cum incircumciſis. Gladius datus eſt* (Ægyptus gladio vaſtata,) *attraxerunt eam* (ad Inferos) *& omnes populos ejus. Loquentur ei potentiſſimi robuſtorum de medio inferni* (occurrent ei honoris gratia, excipientque non ſine officii ſignificatione.) *Ibi Aſſur, & omnis multitudo ejus .... Ibi Elam .... Ibi Moſoch & Thubal* (ibi ſcilicet ſedem habent, jacent in ſepulcris ſuis gladium habentes ſub capite poſitum.) *Et tu in medio incircumciſorum contereris. Ibi Idumæa, & Reges ejus, & omnes Duces ejus ... Ibi Principes Aquilonis omnes, & univerſi venatores* (homines violenti.) *Vidit eos Pharao, & conſolatus eſt ſuper univerſa multitudine ſua, quæ interfecta eſt gladio*.)

PYRRHUS, pater Sopatri, Beroe natus in Macedonia, *Act.* 20. 4. cujus geſta prorſus latent.

PYTHAGORAS, celeberrimus Philoſophus, quem alii Ezechielis Prophetæ diſcipulum tribuunt (c); quippè quibus Nazaratus Aſſyrius Pythagoræ præceptor, idem cum Ezechiele habeatur. Porrò hunc Philoſophum Chaldæam, & Ægyptum percurriſſe novimus; nec deſunt, qui ea occaſione didiciſſe illum credant, quæ ex Lege Moyſis notat (d); maximè autem ſuam Tetrachym, ſivè Quaternarium, quod ſanè idem credunt, ac nomen ſacrum *Jehovah*, quatuor literis ſcriptum.

Sed Pythagoram nunquam in Chaldæa Ezechielem vidiſſe, inita annorum ſupputatio demonſtramus. Propheta enim ille à Rege Jechonia adductus anno 3405. miniſterium ſuum an. 3409. cœpit; quod etiam an. 3430. quartodecimo poſt captam Jeroſolymam, proſequebatur. Tunc temporis egiſſe potuit annum ætatis 50. circiter, ſi in captivitatem trans Euphratem deductus annos natus 25. credatur. Poſt annum 3430. nihil de illo Propheta, ne de morte quidem ipſius, memoriæ proditum eſt.

Dionyſius Halicarnaſſeus l. 1. hiſt. editum Pythagoram tradit circa A. 3418. circa Olympiadem 47. quatuor poſt Numam generationibus. Ejus verò in Ægyptum adventum Uſſerius ad A. M. 3457. ſub Amaſi conſignat (e). In Ægypto autem, authore Jamblicho *Vit. Pythag. c.* 3. 4. 22. annis ſubſtitit. Deductus inde captivus Babylonem a militibus Cyri A. M. 3379. tandem in Italiam eodem tempore regreſſus eſt, quo Brutus oppreſſam à Tarquiniis patriam relevavit (f). Qui igitur fieri poteſt, ut Pythagoras præceptorem Ezechielem habuerit? Jamblichus in vita ejuſdem Philoſophi, illum frequenti diutinaque mora in Templo montis Carmeli Phœniciæ, ſivè Palæſtinæ delectatum fuiſſe ſcribit. Ex quo facilè intelligimus, illum cum Judæis conſuetudinem habuiſſe.

(Plerique eorum, qui hujus Philoſophi meminerunt (g), tenent auditorem fuiſſe Zoroaſtris in Babylonia, eoque tradente ſcientiarum decus illud viro acceſſiſſe, quo nominis ejus gloria longe lateque emi-

(a) Apud Hieron. in qq. Heb. in Gen. Orig. in Caten. Mſ Vide nov. edit. Hexapl.
(b) D. Herbelot Bibliot. Orient. p. 511. (c) Quidam apud Clem. Alex. Strom. l. 1.
(d) Hermipp. apud Joſeph. l. 1. contra Appion. Ariſtobul. Jud. apud Clem. Alex. Strom. l. 1.
(e) Plin. l. 36. c. 9. (f) Cic. Tuſcul. qq. l. 4. A. M. 3506.
(g) Apulei. Floridorum l. 2. Jamblich. vita Pythagoræ c. 4. Porphyr. vita Pythagor. Clem. Alexandr. Strom. l. 1.

[illegible] per Occidentum. Certò enim perſuademur Pythagoram deſignari à Porphyrio ſuo nomine *Zabrati* vel *Zarati*, & à S. Clemente Alexandrino ſub nomine *Nazarati*, ita verò illi, ſeu patrie (a). Cum Ægyptum ſubegiſſet Cambyſes, natus eſt ille Pythagoram, qui eò ſe contulerat, ut iis [illegible] ejus regionis imbueretur, captivum illum, cum cæteris habuit, miſitque Babylonem, ubi Zoroaſtres florebat. Inter Diſcipulos igitur clariſſimi [illegible] hunc docet ſeſe: *Zoroaſtres à [illegible] primis [illegible] [illegible] hominumque de rebus, & quibus expeditum eſſe hominem utraque ſubſtantiâ, per eſſe; [illegible] principia naturaſi, & natura [illegible] revelavit.*

Congruit hæc hiſtoria cum noſtra Chronologia, conveniuntque ferè omnes Pythagoram Babylone multùm profeciſſe plurimum è commercio cum Magis eius Regionis. Præter ea, quæ indicavimus, didicit Arithmeticam, Muſicam, res divinas, ac maximè de Immortalitate animæ dogma. Quas planè ſummis veritates illum omnium primum docuiſſe affirmant Græci Scriptores; non tamen adeo [illegible] tradidit, quin & plurimùm corrupit opinionem de Metempſycoſi accepta ex Indis, quò ſe contuliſſe fertur. In eo conſtitutam docebat animæ immortalitatem, in certâ ſcilicet viciſſitudinem ac transmigrationum periodo, quâ animæ in alia viciſſim & alia commeant corpora.

In doctrina hac & axiomatibus Pythagoræ, ſicut & in geſtis Diſcipulorum ipſius plura animadverſa ſunt deducta è Therapeutis, & Eſſenis, referentibus veteres illos Diſcipulos Prophetarum, unde originem ſuam aſſerunt Carmelitæ (b).

Servabant Pythagorici à carnibus abſtinentiam, omnia bona ſua in commune conferebant; nihil animatum deguſtabant, rejiciebant olei fomenta voluptateſque, albis veſtibus induebant, non lineis, ſed laneis; continebant ſe ac ſacramenta præſtarent; obſervabant ſenes, [illegible] coram ſolo [illegible] ducebant, ſilentium diuturniſſimum prorogabant in ſcholis, & opinionibus Doctoris ſui ad ſuperſtitionem deferebant.

Agnoſcebat Pythagoras ſingularitatem principii (c), ex quo indefinita quadam ratione procederet qualitas; ſed qualitas iſta nunquam divellebatur, aut materia, à ſuo principio, vel authore. Ex hac veritate deducebat omnia; in ambagibus hiſce neſcio quid deprehendiſſe ſibi viſum eſt de ſingularitate Dei in tres perſonas diſtincti. Damnabat Numinis imagines, cuicumque ſuum parum moriliquo, inferum ceremoniis offerre ſatagebat; porrò & cultus eius poſitivuſ & ſtudia in Deum verſabantur. Docebat ſal in conviviis typum eſſe unionis, & apud Hebræos in ſacris ſignum eſſe fœderis cum Deo, qui data Lege vetuerat offerri victimas non ſalitas (d). Ratio iſta tradendi dogmata ſua ſub ambagibus figurarum, & ſymbolorum obtinebat etiam apud Hebræos cæteroſque Orientales, qui ſæpè ſcientiarum abdita ſub allegoriis & parabolis occultabant. Vetat Jeſus Chriſtus *Matt.* 7. 6. Diſcipulis ſuis ne traderent Sancta canibus, & Margaritas porcis.

Hæc ſimul omnia conjecturas confirmant autumantium profeciſſe Pythagoram ex commercio cum Hebræis, ſivè dum verſatus in Ægypto, ſivè in Chaldæa, ſivè in Paleſtina.

PYTHON. Pythii nomen Græci Apollini, ob cædis Pythonis interfectori, tribuunt (e). Cùm verò Apollo divinationis, & oraculorum Numen haberetur, [illegible] futurorum Oracula [illegible] Pythonis ſpiritu afflati credebantur. Hinc Septuaginta, & Vulgata eam vocem ſæpè uſurparunt de Divinis, Magis, Ventriloquis, qui nempè è ventre loquebantur, iis vitiis præſtigii, dolis, & etiam diabolicæ operationis plurimum inerat; quos Deus capitali pœna conſulere vetuerat *Deut.* 18. 11. *Levit.* 20. 6. Saul hac fæce totam Iſraelis ditionem, exilio indicto, purgaverat, 1. *Reg.* 28. 9, &c. quos demùm ipſum adire non puduit: Pythonico œſtro furentes ſupplicio lapidationis mulctari Moyſes jubet, *Levit.* 20. 27. Quidam ex Regibus Judæ, veluti Manaſſes, Divinis juſſibus pellundatis, 4. *Reg.* 21. 6. Divinorum numerum provexerunt, quos dignos è tota ditione pius Rex Joſias exterminavit, 4. *Reg.* 23. 24. Puella quædam Ethnica eodem ſpiritu abrepta, quæ futurorum oracula fundens, ingentes dominis proventus conferebat, Apoſtolo occurrit, *Act.* 16. 16. qui Dæmone pulſo, puellam à mali hoſpitis contubernio liberavit. Factum inde, ut illius heri furentes ſeditionem in Paulum excitarent.

Vox Hebræa אוב, ſive *obotb*, *Levit.* 19. 31. quam *Pythones* vertunt, ſonat etiam utrem, ſeu pelliceum vas liquoribus continendis. Divini fortè cum ſuo [illegible], ſeu vero, ſeu ſimulato corriperentur, tumebant ſtatim in utris modum; quòd autem voces ex imo ventre verba excire viderentur, hinc apud Latinos *Ventriloqui*, apud Græcos *Engaſtrimythi* dicti ſunt. Jeroſolyma ad ultimam afflictionem, & dejectionem redacta, veluti ex cavo terræ, nempe ex imo ſpecu, verba depromet, tanquam Pythonis, ait Iſaias 29. 4.

An verum Samuelem, ſivè ſpectrum aliquod Saulî Pythoniſſa exhibuerit, v. *Samuel* in examen revocabimus.

Refert Diodorus Siculus l. 16. ſcrobem fuiſſe quandam in Delphis, unde vapor obtundens ſenſus exhalabat. Paſtor quidam animadvertens quæcumque ad locum propius accederent, ac reſpicerent intus [illegible], continuò effundi in ſaltus & balare, voce planè à conſueto diverſa, rem per ſe exploraturum venit, ſtatimque poſtquam interiùs reſpexiſſet, enthuſiaſmo quodam arreptus fuit, quo res futuras panderet. Sparſus rei hujus rumor accivit omnes ad locum, accedebantque omnes novo vaticinandi œſtro Prophetæ. Sed cùm plures violentia fatidici vaporis agitatorum iiſdem, agerentúrque in ſcrobem præcipites, viſum eſt conſtituere in loco fœminam Vatem, ad quam unicè reddere Oracula pertineret: atqui verò diſcriminis ex fovea pateretur, ſella quædam tripos fabricata eſt, cui illa aſſidens, vaporem exciperet, ac fatidico ſpiritu afflata panderet futura. Machina illa dein τρίπος appellata eſt, eratque dein inſtrumentum ad uſum ſacrificiorum; & Propheteſſæ nomen inditum *Pythia*. Hæc origo Oraculi Delphici.

Ferunt vetuſtiſſimum Delphi Templum lauri ramis intextum fuiſſe; dein è cera, & aliis apum factum eſt; tandem ex ære conflatum. Tenent Mythologi Draconem illum, cui nomen Python, antri cuſtodiæ fuiſſe conſtitutum, unde Themis pronunciandis oraculis trahebat ſpiritum (f); Apollinem verò, eò cùm veniſſet, jaculis confodiſſe Draconem, ex quo ſibi nomen promeruerit Apollinis Pythii. Narrant alii (g), anguem Pythonem è terra poſt Diluvium Deucalionis effuſum fuiſſe, uſum verò terriculamento hujus monſtri Dianam prohibendo fœtui Latonæ filiæ Jovis natu majoris; quare coactam illam profugiſſe in inſulam Aſteriam, appellatam poſtea Delos, ubi Apollinem & Dianam enixa eſt. Addunt Pythonem duos hoſce gemellos in cunis aggreſſum fuiſſe, ſed jaculis Apollinis interiiſſe; ex quo illi nomen Pythii, & ut rei geſtæ memoriam inſtituti ſunt ludi Pythii. Iſſe pariter Pythoniſſa ho-

(a) Jamblich. de vita Pythagor. & Apulei. Florid. [illegible]
(b) Vide Cudworth Of the Gentiles l. 2. Stanley Hiſt. Philoſoph. Pythagor. [illegible] Epiſtola [illegible] Reipublicæ Literariæ 1703. [illegible] Theſes Carmelitarum [illegible] (c) Diogen. Laert. l. 8. de vita Pythagoræ.
(d) Levit. 2. 13. (e) Ovid. Metam. l. 1. v. 441. &c.
(f) Apollodor. Biblioth. l. 1. Ovid. Metamorph. l. 1. (g) Macrob. Saturn. l. 1. c. 17.

[illegible] datum est [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

Q U

QUADRAGENA. Utitur hac voce Apostolus 2. *Cor.* 11. 24. ad designandos 39. flagrorum ictus, quibus animadvertebant Synagogæ in convictos de crimine violatæ Legis: *Quinquies quadragenas, una minus, accepi.* Ex præcepto Legis Mosaicæ dictinabant Judices ad flagra reos, quos maxime dignos censebant animadversione *Deut.* 25. 2. *Prosternent (eum) & coram se facient verberari; pro mensura peccati, erit & plagarum modus; ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Sæpe vel infirmitate (ætatis) vel criminis levitate numerus ille ictuum infligendorum extenuabatur, sed nunquam excedebat 40.

QUADRAGESIMA ideo dicitur, quod jejunium ad 40. dies protogatur; jejunium, inquam, servatum primo à Moyse in monte Sinai, cum traditam à Deo Legem *Exodi* 24. recepit; tum ab Elia Propheta, dum furentem Jezabelem declinaturus ad montem Horeb fugiebat 3. *Reg.* 19.; tandem à Jesu Christo, qui post Baptismum receptum contulit se in desertum, ubi 40. dierum noctiumque inediam prorogavit *Matt.* 4. 2. Eorum imitatione, sed potissimum jejunium Domini imitaturi, instituerunt Apostoli jejunium quadragesimale (a). Hujus quidem institutionis nulla est in Scriptura mentio, sed tenenda hæc [illegible] tradita à S. Augustino Epist. 118. ad Januar. regula [illegible], quæ generatim per Ecclesias constituta sunt, nec de eorum institutione quidquam in Conciliis apparet, hæc tanquam ab Apostolis derivata teneri oportere.

Credimus autem Quadragesimam obtinuisse in Ecclesia jam inde à prioribus sæculis. S. Ignatius in Epist. ad Philipp. Tertullianus de Jejuniis, Constitutiones, quæ Apostolorum inscribuntur, S. Irenæus laudatus ab Euseb. *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 24. Concilium Nicænum, Laodicenum, Agathense &c. Patres S. Leo, S. Basilius, S. Ambrosius, & alii loquuntur de Quadragesima tanquam de veteri Ecclesiæ disciplina. Ejus tamen observandæ ritus nec unius fuit semper, nec uno semper præcepto injunctus in Ecclesia; variatum est quà in numero dierum ejusdem, quà in tempore, ut quo inciperetur: sed hæc discriminibus probatur ipsi antiquitas, & longe latius obtinens disciplina. Namque in rebus disciplinæ summam sibi variandi libertatem permisit semper Ecclesia. Exitus Quadragesimæ semper præscriptus est in Paschate, vel in Resurrectione Domini, sed ejusdem modo citius, modo serius constitutum est; variatum est etiam in qualitate ciborum, & hora cibum sumendi. Verum rem totam prosequi nostri non est argumenti, sola enim ejus institutio ad Dictionarium hoc nostrum pertinet.

QUADRATUS, Numidius, sive C. Umidius Durmius Quadratus, qui præfecturam Judææ [illegible] [illegible] Alterà [illegible] Judææ turbas sedaret, occisis in Samaritanis Judæisque, qui arma in Romanos verterant, Cumano, & Celere Tribuno Romam missis, Claudium Imperatorem de omnibus certiorem fecit. Ea occasione, seditionis authores Jonathas filius Ananiæ, Ananias Summus Sacerdos, & Ananus filius Anani captivi Romam simul ducti sunt (b). Quadratum in præfectura Judææ decedentem Corbulo à Nerone missus excepit A. Chr. 60.

[illegible]

II. QUADRATUS, qui nomine celebris est Apologista Christianæ Religionis, sub Adriano Imperatore. Hunc ab Apostolis institutum (c) S. Spiritus propheticis donis elaboravit (d). Non desunt inter recentiores Interpretes, qui ipsissimum esse Philadelphiæ Angelum, quem Jesus Christus in Apocalypsi 3. 7. 8. 9. alloquitur, velint; quamquam eorum opinio neque cum Chronologia, neque cum historia ejusdem viri satis conveniat. Sub Trajano celebre jam nomen illius fuisse in Ecclesia Eusebius *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 37. testatur; quippe cum inter eos Apostolicos viros censeretur, qui Magistrorum suorum studium imitantes, Ecclesias ædificatas verbi Dei prædicatione plurimum provehebant. Horum illi animus suum solitum; cumulatæ bonis suis antea in pauperes erogatis, per Provincias dum discurrentes, longè, lateque Jesu Christi inauditum antea nomen nunciabant. Tanta autem prodigiorum, atque virtutis S. Spiritus apparatu Evangelii lucem exhibebant, ut non singuli tantùm viri, sed gens quandoque tota converteretur.

Hic primus inter Apologistas Christianæ Religionis habetur, qui scriptum à se Opus, idque ipse manibus Adriano exhibuit (e). Hanc Apologiam, utilissimi Operis elogio S. Hieronymus de Viris Illustr. c. 19. ornat, rationum pondere, fidei fulgente Discipulo Apostolorum dignam. Sanè furentem in Ecclesiam persecutionem unum illud Scriptum sedavit (f); cujus modo sola supersunt fragmenta. S. Quadratus Episcopus Atheniensium sub M. Aurelio Martyr apud S. Hieronymum, & in Martyrologiis Latinis legitur (g); sed hunc alium ab Apologista alii censent (h).

QUÆSTIO. Usurpatur in plerisque ad designandam disceptationem, vel difficultatem quamdam, dissidium. *Ex quo natum fuerit quæstionis.* Exodi [illegible] difficile aliquid. Instruit Apostolus Discipulos suos Timotheum & Titum, ut evitent *ineptas quæstiones, Timoth.* [illegible] *Tit.* 3. 9. versantes in genealogiis & in sensu verborum Legis. Valent hæc enim potius ad offendiculum, quàm ædificationi Fidelium. Scire se ait Sapiens, *Eccles.* 7. 30. quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis quæstionibus implicavit, & pluribus disputationibus [illegible]

Quæstio, supplicium. Mos erat apud Romanos supplicio quæstionis reos, ictibus illos subjicere [illegible] virgarum seu flagri, vel lori. Autumant nonnulli fontes adversus atque nudari, alligarique [illegible] columnæ, ut tergo offerrent ictibus (i). Malunt alii (k), manus eorum inseri paxillo in terram [illegible] alto pede & semis vel duplici pede; quo ita reus cerneretur miser, ut vultum haberet ad terram pronum, dorsum vero nudum offerret militibus. Tandem alii reputant (l) alligatum fontem à manibus capite pedibusque procumbentem teneri in solo, dum interim ab aliis toto corpore cæderetur. Mos iste flagris cædendi fontes hodie pariter obtinet apud Orientales.

Verba faciens S. Paulus *Act.* 22. [illegible] ad populum Jerusalem, & conversionis suæ ad fidem historiam retexens, [illegible] nactus est auditores, quoadusque illud aperuit, missum se à Deo ad annunciandam gentibus fidem; tunc subito ab omnibus clamore deposcebatur ad necem. Lysias Tribunus applicari illum quæstioni mandavit; sed cum alligaretur Paulus [illegible] Centurionem interrogavit, num fas esset indemnatum Civem Romanum flagris subjicere. Rem detulit Centurio ad Tribunum, & ille [illegible]

[illegible]

(a) Hieronym. Epist. ad Marcellam, Leo Magn. ser. 6. de Quadrag. (b) Antiq. l. [illegible] Bello l. [illegible]
(c) Euseb. Chron. a. 127. (d) Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 37.
(e) Euseb. Chron. A. 126. (f) Hieron. Ep. [illegible]
(g) Hieron. de Vir. illustr. c. 19. Bolland. [illegible] [illegible]
(h) [illegible] [illegible] art. [illegible] & not. [illegible]
(i) Cornel. Menoch. [illegible] (k) Ludovic. de [illegible]
(l) Arab. Ærop. vide nostram Dissertationem de Suppliciis, & [illegible]

ſtatim ad Paulum, interrogaturus num re ipſa Civis eſſet Romanus. Quod cùm ille fateretur, ſtatim apparitores omnes receſſerunt, & jubente Lyſia vi ſanctus ſolutus eſt.)

QUARTODECIMANI, Hæretici erant, Paſchalem ſolemnitatem die 14. Lunæ, in quamcumque diem incideret, celebrantes, contra receptam à ſanioris Eccleſiarum parte conſuetudinem, qui ad Dominicam poſt 14. Lunæ, illam conſignaverant. Surculus erant Montaniſtarum, & Quintillianorum, authore S. Epiphanio *hær.* 50. *c.* 1. Primò poſt Concilium Nicænum (a), à quo Paſchalis dies ad Dominicam 14. Lunæ ſubſequentem conſignata eſt, Quartodecimani Hæreticorum loco habiti ſunt.

QUARTUS. S. Quartus, Diſcipulus Apoſtolorum, cujus S. Paulus meminit *Rom.* 16. 23. Ejus Feſtum die 10. Novembris à Græcis celebratur, quem inter 70. Diſcipulos, & Epiſcopum Berythi conſtituunt. A Latinis, Uſuardo, Adone &c. die 3. Novembris colitur.

(QUIA vel QUONIAM. Reſpondet Hebræo *Ki*, & Græco *Oti*, quorum vulgaris ſignificatio eſt cauſalis *quia*; Sed interdum redundant hæc in ſermone; interdum reddi debent tantum *quid?* interdum *quapropter*. Exultra adductis exemplis aſſereretur ſignificatio *quia* pro *quid*, *quapropter*.

Hæc eadem particula redundare videtur in Textibus hiſce *Pſal* 123. 1. *Niſi quia Dominus erat in nobis*; & ; *Niſi quia Dominus adjuvit me*. *Pſal.* 93. 17.

Uſurpatur pro idcirco in hoc Textu Lucæ 8. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Contextus ſermonis, hunc particulæ *quoniam* ſenſum demonſtrat. *Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque. Quis ergo eum plus diligit? .... Æſtimo quia is, cui plus donavit*. Tùm additur: *Propter quod remittuntur ei* (ſcemtox) *peccata multa, quoniam dilexit multum*: i. e. utique idcircò dilexit multum; *cui autem minus dimittitur, minùs diligit*. En pariter alia exempla, *quia*, pro *quapropter* referentia. *Qui me miſit mecum eſt, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper* Joan. 8. 20. Et Joan. 14. 17. *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit*. In Pſ. 16. 6. *Ego clamavi, quoniam exaudiſti me*. In Pſ. 11. 5. *Credidi propter quod locutus ſum*. Hebr. *Credidi quia locutus ſum*. Jerem. 29 16. *Quia dixiſtis; ſuſcitavit nobis Dominus Prophetas in Babylone, quia hæc dicit Dominus*: i. e. quapropter hæc dicit Dominus.)

QUINTILIUS-VARUS. An ille anno Natali Jeſu Chriſti Syriam adminiſtrarit, incertum quidem, ſed communiori opinione receptum eſt (b). Prudentiæ, & æquitatis fama præfectum egit, uſque ad exilium Archelai an. Chr. 6. inter Saturnini, & Quirini, ſive Cyrini præfecturas medius, Judæo Antipatri filii Herodis præfuit (c). Archelaum, alterum Herodis filium, in obtinendo Judææ Regno apud Auguſtum authoritate ſua juvit (d). Turbas deinde, quas Sabini avaritia in Provincia exciverat, ipſe pacavit (e). Tandem è Provincia revocatus, in Germania unà cum toto exercitu periit, an. Ch. 9. cujus rei nuncio accepto, Auguſtus diſceratis veſtibus, atque intonſis ſolido menſis ſpatio barba, & crinibus, luctum egit acerbiſſimum (f).

QUIRINUS, Syriæ præfectus poſt Quintilium Varum. Vide *Cyreatas &c.*

(QUOTIDIANUS. Textus Latinus S. Lucæ 11. 3. habet: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; ſed S. Matth. 6. 11. legit: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*. Porrò Græcum *epiouſios*; quo uſi ſunt Evangeliſtæ æquè exprimit ſuperſubſtantialis vel ſufficiens, ſeu futurus, vel craſtinus. Notat S. Hieronymus in Matth. 6. Evangelium Hebræum, quo utuntur Nazaræi, tuliſſe *Machar*, quod eſt mane alterius diei, vel tempus futurum: *Da nobis panem noſtrum*, cibum quo ſuſtentemur *mane*, impoſterum, in futurum; providentiæ tuæ nos totos permittimus, de ſolicitudine alimentorum noſtrorum nos remittentes. Theophylactus & Suidas: *Da nobis panem noſtrum ſufficientem*, cibum, quo indigemus. *Epiouſios* hic opponitur *Periouſios* ſuperfluus. Qui defendunt lectionem ferentem *ſuperſubſtantialem* demonſtrant Chriſtianos in hac prece poſtulare non corporis ſed animæ cibum, ut noſcant Dei voluntatem, ejus verbum, gratiam, ſanctam Euchariſtiam, (g).)

R A

RAAB. Vide *Rahab*.

RAAJA, cujus filii Babylone regreſſi ſunt 2. *Eſdr.* 7. 50.

RAAMIAS, Babylone redux unà cum Zorobabele 2. *Eſdr.* 7. 7.

RABBA, urbs Judæ. *Joſ.* 15. 60. V. *Arebba*.

RABBAT, ſive *Rabbat-Ammon*, *Rabbat-Ammana*, ſive tantùm *Ammaus*, vel *Rabbat filiorum Ammon*, deindè *Philadelphia*, Metropolis Ammonitarum, in transjordanica. Jam inde à Moyſis ætate celebris habebatur, ibique ferreus lectus Og Regis extitiſſe traditur *Deut.* 3. 11. David ſuſcepto in Ammonitas bello, in hanc urbem Joabum cum exercitu miſit; in cujus obſidione Urias miles ſtrenuus eodem Rege clam imperante, ingruentibus hoſtibus derelictus interiit. 2. *Reg.* 11. 1. Ad ultimas anguſtias redactam David expugnaturus ad exercitum venit. 2. *Reg.* 12 28. 29. Exinde Regum Judà imperium paſſa eſt, atque dein eodem ac cæteræ Tribus transjordanicæ, fato Regibus Iſraelis ceſſit.

Labente autem Regno Iſraelis, cùm Teglatphalaſar adductis in captivitatem pluribus ejus regionis incolis, præſidio illam nudaſſet, Ammonitæ in reliquos debacchati ſunt. Hinc Prophetæ Jeremias & Ezechiel (h) futuram in Rabbat Metropolim Ammonitarum ultionem minitati ſunt; quod impletum credimus 5. annis poſt excidium Jeroſolymæ (i). Antiochus Magnus eam urbem ſubegit (k); quam antea Ptolemæus Philadelphus Philadelphiam de ſuo nomine appellatam voluerat. Ad eam urbem directa creditur S. Ignatii Martyris paulò ante obitum data Epiſtola. Porrò Philadelphia non longè abeſt à fontibus Arnon.

RABBAT-MOAB, ſeu Rabbat filiorum Moab, *Rabbat-Moba*, *Ar*, *Areopolis*, *Ariel-Moab*, *Kir-hareſeth*, ſive Urbs *muri fictilis*, apud Jeremiam 48. 31. Metropolis Moabitarum, quam fluvius Arnon mediam ſecat. Hinc in Libris Regum geminæ *Ariel Moab*, ſive gemini Leones Moab (*Ar* enim ſive *Arie* leonem ſonat) commemorantur. Varia urbs iſta fortuna jactata eſt, nec rarò minas Prophetarum exercet. Cùm olim viribus Regum Judæ, Iſraelis, & Edom obſideretur, atque in ultimas anguſtias redacta eſſet, 4. *Reg.* 3. 5. Rex Moab inito conſilio, primogeniti ſui ſanguine Diis litare conſtituta: cujus rei indignitatem non ferentes aggreſſores, ſtatim ſoluta obſidione abierunt. Reliqua lege v. *Ar*. Præſidio Roma-

(a) Concil. Nicæn. can. 21. Arab. (b) Tillem. ſur. J. C. t. 1. not. 4.
(c) De Bello l. 1. c. 20. An. Natali Chr.
(d) Antiq. l. 17. c. 12. de Bello l. 2. c. 5. (e) De Bello l. 2. c. 7.
(f) Vellej. Paterchl. l. 2. c. 117. Dio. l. 51. Svet. l. 2. c. 23.
(g) Vide Hieronym. in Matth. 6. Ambroſ. de Sacram. l. 5. c. 4. Abailard. Epiſt. ad S. Bernardum.
(h) Jerem. 49. 1. &c. Vide & Sophon. 2. 8. Ezech. 21. 20. & 25. 5.
(i) Antiq. l. 13. c. 17. (k) Polyb. l. 5. A. M. 3786.

Romanorum olim tenebatur, quod tranſitus Arnon momenti alicujus eſſe videretur (a).

RABBOTH, in Hebræo *Rabbith*, urbs Tribus Iſſachar. *Joſue* 19. 20.

RAB, *Rabbinus*, *Rabban*, *Rabbani*, nomen dignitatis apud Hebræos; quo præceptores, doctores, & primores in aliquo ordine, uti & præfecti in aula Principis, donabantur, Ita Nabuzardan Dux Copiarum Nabuchodonoſoris, dictus eſt *Rab Tabachim* (b), *Magiſter Laniorum*, coquorum, & cuſtodum. Aſſuerus ſingulis menſis præfecit *Rab domus ſuæ*, qui ſcilicet neceſſaria conviviis curaret. *Eſth.* 6. 1. Aſphenez *Rab Eunuchorum* in aula Nabuchodonoſoris apud Danielem dicitur; ubi etiam mentio occurrit *Rab Saganim*, nempè Principis Magiſtratuum, ſive Satraparum; *Dan.* 1. 3. & 2. 48. quin & ipſe Propheta *Rab Chartumim*, *Dan.* 5. 11. nempè Princeps Interpretum conſtitutus eſt. Ea Chaldæis deductum nomen videtur, cùm ante captivitatem nuſquam de Judæis dictum, ſed tantùm de Magnatibus Regum Babylonis occurrat.

Rab, & *Rabban* genuina ſignificatio eſt *Præceptor*, ſive *qui excellit*. *Rabbi* verò & *Rabbani* ſonat, Præceptor meus: *Rabbin* plurale eſt. Quare *Rab* magis præſtat, quàm *Rabbi*; & *Rabbin*, ſive *Rabbim*, quàm *Rab*, ſive *Rabbi*.

Antequam ad Rabbini dignitatem perveniant, multa Judæis dignitatum munera, uti apud nos, obeunda ſunt. Scholæ Præfectus *Cacham*, ſive *Sapiens* appellatur; qui verò Scholam *Cacham* frequentantes Doctoratum ambiunt, *Bachur* ſive *Electi* nomen obtinent: provectiores, *Cabar Rab*, nempè ſocii Præceptoris nuncupantur; uti & in ſcientia Legis, & traditionum magis exercitati, *Rab*, *Rabim*, *Morena*, nempè noſtri Præceptoris, appellatione donati ſunt.

Doctoratus dignitatem ſibi procurare probroſum, atque apertæ jactantiæ ſpecimen eſſe apud Hebræos Leo Modena teſtatur (c). Hinc nullum iis probandis inſtitutum examen; ſed quos viderint in Lege uſu potiſſimùm profeciſſe, publica voce *Cacham*, nempè *Sapientis* titulo donant. Hæc ſaltem apud Orientales recepta conſuetudo; in Germania verò, & Italia Rabbinus natu major, voce vel ſcripto titulum *Cabar Rab*, nempe Socii Præceptoris, ſive *Rab*, vel *Morena*, nempè Magiſtri, confert.

Cacham Rab, ſive Præceptor Rabbinus, in omnes cauſas ſententiam dicit; vetita, ſive permiſſa declarat; omnes inſuper Religionis controverſiæ, quin & civilia ad illum deferuntur. Connubiis etiam intereſt, divortii cauſas cognoſcit; conciones ſi quando voluerit, ad populum habet; ac tandem Academiarum Princeps conſtituitur. Primæ illi ſedes in cœtibus, & in Synagogis; penès illum mulctæ, & excommunicationis jus. Cui proindè obſequium ab omnibus demiſſum præſtatur.

In Scholis elatiori cathedra imminens, auditores ante pedes aſſidentes habet. Hinc S. Paulus ante pedes Gamalielis ſcientiis operam dediſſe ſe perhibet. *Act.* 22. 3. Apud Eſſenios, ait Philo (d), pueri ante pedes Præceptorum conſtituti, allegoricam Legum interpretationem auſcultant. Tradit Ambroſiaſter *in* 1. *Corinth.* Rabbinos cathedris; Diſcipulos provectiores ſubſelliis, Tyrones ſtoreis ſupra pavimentum inſediſſe. Quare Judæis adoleſcentibus proverbiali formula dicitur, ut in pulvere pedum Præceptorum ſuorum ſe provolvant (e), nempè ut ſcholas frequentantes, ante Præceptorum pedes aſſideant (f). Jeſus Chriſtus vitio Rabbinis, Doctoribus Iſraelis vertit, primos in menſis accubitus, primas in Synagogis cathedras, ſalutationes in via, & *Rabbi*, *mei Magiſtri* ſcilicet, nomen ambiiſſe *Matth.* 23. 6.

Rabbinorum verò ſtudia omnia ſimplicem Legis Textum, traditiones, cabalam, nempè arcanam Scripturæ Theologiam ſpectabant. Quæ tres ſcientiæ totidem conſtituebant Scholas, & Rabbinos. Qui literæ & Textui Scripturæ adhærebant, *Caraitæ*, ideſt *Literales* appellabantur; qui Legem oralem, & Talmud præferebant, *Rabbaniſtæ* dicti, veluti qui veterum Rabbinorum doctrinæ per *Cachamorum* canales derivatæ ſtuderent. Quos tandem Theologiæ arcanæ myſteria ex literarum & numerorum comparatione reſeranda delectabant, illis *Cabbaliſtarum* nomen erat; ac ſi dicerentur, Traditioni, regulis nempè ex Veterum traditione receptis, ſtudentes.

Caraitæ Pentateucho unicè ſtuduiſſe, omnibus explicationibus, paraphraſibus, ſive hypotheſibus Rabbinorum rejectis, Leo Modena *p.* 5. *c.* 1. eſt author. Illi autem origine ad Saducæos ſpectantes, eorum dogmata lenierunt, caſtigaruntque; ne enim omnium in ſe Religionum invidiam crearent, quod in Saducæis maximè diſplicuiſſe animadverterant, id totum rejecere; traditiones inſuper quaſdam vetuſtiſſimas admittentes. Nec tamen propterea odium Rabbaniſtarum evitare illis obtigit; à quibus *Mamzerim*, nempè *nothorum* nomine traducuntur. Nulla inter haſce duas ſectas connubia, ſive conſuetudines; atque Caraitam nomen dare inter Rabbaniſtas tentantem, cæteri Judæi rejiciunt.

Simonius in ſupplemento ad Leonem Modenam adjecto, & P. Morinus autumant, nonniſi circa octavum ſæculum poſt vulgatum Thalmud Caraitarum nomen apud Judæos audiri cœpiſſe. Eo verò appellatos credunt ab aſſertoribus traditionum viros illos doctos, qui erroribus ſub ſpecioſo Moyſis nomine obtruſis ſeſe oppoſuerunt. Caraitarum Opera rariſſima prodierunt; ſed Mſſ. nonnulla Simonius laudat, quæ typis mandans, operæ ſanè pretium feciſſet. Magis enim præſtarent Rabbaniſtarum Scriptis, fabellis, futilibuſque explicationibus ex Veteribus, uti jactitant, acceptis, refertiſſimis. Porrò Rabbini Hiſtoriam, Chronologiam, amœniores Literas, Antiquitatem, Geographiam ignorare conſueverunt; nec in Lingua Sancta niſi leviter aſperſi deprehenduntur. Hinc plures in Textu S. Scripturæ voces illos latent. Solæ illis traditiones ſapiunt; quas ubique obtrudentes effecerunt, ut eorum Scripta legentibus modica prorſus utilitas proveniat. Experientia enim compertum tenemus, eos qui, Rabbinorum lectioni ſtrenuam operam navarunt, fruſtrà ſe laboraſſe tandem intellexiſſe; nec didiciſſe fere, niſi, ut Opera, & ingenium Authorum contemnerent (g).

(RABBINI. Præter nomina *Rab* & *Rabbi* vel *Rabboni*, quibus diſtinguuntur Doctores Hebræi; alios ſibi pariter titulos vindicarunt, uti *Maran* Dominus, *More* Doctor, *Chacam* Sapiens, *Marbitz Thora* pulvinar Legis, eo quòd ſuper illos Lex poſita quieſcat; tandem *Don*, vel Dominus, quod poſtremum uſurpabant ſibi potiſſimùm Judæi in Hiſpania, eodemque hodie pariter inſigniuntur viri ampliſſimi ejus reginnis.

Potiſſimum Rabbinorum munus eſt conciones habere, publicis precibus præire, interpretari Legem in Synagogis; facultate augentur ligandi ſolvendique, i. e. declarandi; Cùm Synagoga tenuior eſt redditibus atque numero hominum unus tantùm eſt Rabbinus, qui ſimul gerit munera Judici & Doctoris. Cùm verò florent alicubi Judæis, tres ſibi præficiunt Paſtores, & unam Judicii Domum, ubi virilia omnia tractantur; tunc autem ſola populi inſtitutio ad Rabbinum pertinet, niſi opportunum cenſeatur advocare illum in Senatum, ut ſententiam ferat;

(a) Vide Notit. vet. Euſeb. & S. Hieron. in Arnon. (b) 4. Reg. 25. 8. 20. & paſſim Jerem. 39. 9. 10. & paſſim.
(c) Cerim. de Giud. p. 2. c. 3. (d) Philo. Lib. Quòd omnis probus liber. (e) Pirke Avoth. c. 1. §. 4.
(f) Eruditiſſimi quidam ſuſpicantur, nunquam in Templo aſſidere Judæos conſueviſſe, ſed tantùm in Synagogis. Quare Jeſus Chriſtus in Synagoga juxta Templum, non in Templo inter Doctores aſſediſſe creditur, Vide Deyling. Obſerv. t. 2. c. 30. (g) Vide noſt. Reſponſ. Fourmontio Ep. 2.

ferat: tunc autem primorem eathedram ſibi vindicat.

Penes Rabbinos eſt etiam authoritas novos alios creandi. Docent olim jus fuiſſe Doctoribus Doctoratu initiandi Diſcipulos ſuos; demiſiſſe ſe verò ab ea poſſeſſione in obſequium Hillel, retento ſibi tantùm jure poſtulandi ad eam rem facultatem à Principe Captivitatia ſaltem in Oriente. Modò ſat habent in conſeſſu nonnullorum Doctorum novum Rabbinum initiare. Interdum rem totam conficiunt per impoſitionem manuum unius ex Rabbinis, cùm ſcilicet plures cogere ſat commodum non eſt. In Germania verbo tantùm creantur; ſimul autem dum initiant, manua illorum reſtringunt ad certa quædam munera alita reſervatis; e. g. ad Legem docendam, non ad judicandum, nec etiam munus illud, cui deſtinatur, exercere integium eſt illis, niſi abſente Præceptore.

Nihil intentatum omittunt Rabbini, ut opinionem & authoritatem ſibi concilient apud populum, cujus innata animi propenſio temnendis illis inclinat. Defendunt Legum atque præceptorum à ſe datorum prævaricatores mortis diſcrimen ſibi parare. Quam in rem promunt exemplum R. Jochanan, qui è Diſcipulis ſuis unum in *ſtruem oſſium* redegit, quòd tradita ab illo dogmata admittere recuſaſſet. Affirmant inſuper neminem ex Rabbinis damnari poſſe, laudantes in eam rem factum quoddam R. Acher, qui in errores capitales incidit, admiſitque crimina digniſſima inferno. Accuſatur enim minus recta ſenſiſſe de poteſtate Summi Dei, admiſiſſe duplex principium, blaſphemo ore quædam effutiiſſe in Angelum Metatron, aſcendiſse in equum die Sabbati, trucidaſſe adoleſcentulum quendam auditorem, cujus diſcerpti cadaveris membra miſiſſe ad 23. Levitas. Nihilo tamen ſeciùs R. Meir Diſcipulus Acher ſuſtinuiſſe evitatam ab illo damnationem, ſed pœnas luere in Purgatorio, dictique ſui argumentum præbuiſſe educto fumo ex ejus ſepulcro die Sabbati; quem fumum cùm evaneſcere feciſſet Rabbinus alter, ex eo illatum eſt Achir obtinuiſſe ſalutem (a).

Plures reſervantur apud Judæos ſcripti à Rabbinis Libri Hebraici omnea, ſed altero à Bibliis eloquio; concedunt enim illis ſtyli puritate, pluribus inſerciuntur phraſibus ac vocibus ex alienis deductis linguis. Cum enim argumenta tractent fruſtra in Scriptura quærenda, coacti res novas exprimere, ex alienis idiomatibus voces adoptarunt, e. g. Aſtronomiæ, Medicinæ, ac Theologiæ; ſtylum tamen ſervant ad Scripturæ Sanctæ imitationem exactum. Variant etiam in ratione pronunciandi Hebræum; aliter enim efferunt Itali, aliter Germani; & viciſſim aliter Hiſpani ac Orientales; utuntur plerumque in ſcribendo characteribus minùs quadratis, minùſque nitidis ac quibus ſcribuntur Biblia, rotundiores ſunt tamen ac fluunt promùs; nec deeſt, qui optimè Hebræum Bibliorum excurrere noverit, atque impar ſit legendo Hebræo Rabbinorum. Duo ſunt ſtudia planè diverſa Scripturæ, nempè & voluminum Rabbinicorum.

Novem Doctorum claſſes diſtinguuntur apud Judæos (b): primam tenent Moyſes, Joſue, Eleaaar, & ſeptuaginta illi viri à Moyſe ſelecti, ut ſibi in gubernando populo ſubſidiariam operam præſtarent. *Exod.* 18. 21. Implent alteram Seniores poſt Joſue & Eleazarum, nempè ut Judæi quidem autumant, Judices & Patres Sanhedrini. Tertiam referunt Prophetæ. Succedit quarta magna Synagoga ex 120. Patribus poſt captivitatem collecta. Quinti ſunt Thanaim, de quibus in Miſna. Sexti Amoriam vel Scriptores Commentariorum Miſnæ. Septimi Giour vel Doctores eximii. Octavi Sebores vel ambigentes. Noni & poſtremi *Gaones*.

Adhibenda eſt mens, ne incautos perſtringant glorioſa illa elogia Hebræorum in ſuos Doctores, nec aſſerta illa Doctorum ejuſmodi nobilitas ex vetuſtate. Plurimum illis fieret negotii, ſi probare argumentis cogerentur proliaam Rabbinorum ſucceſſionem à Moyſe ad uſque noſtram ætatem continuatam. Abraham filius cujuſdam David, qui Piſcariæ degebat ineunte ſæculo duodecimo (c), longam retexnit Rabbinorum ſeriem ab Adam aduſque ſæculum noſtrum. Abraham Zacuth (d) Judæus, ex Hiſpania cum cæteris gentilibus ſuis pulſus, digeſſerat ipſe pariter catalogum ab exordio Mundi aduſque annum 1500. ſimilemque alteram traditionis catenam ad annum 1586. inneauit Gedalia. Sed in ſupputationibus ſuis diſcrepant Hiſtorici illi inter ſe, immane quantum; in anachroniſmoa planè craſſos incidunt; variant plurimùm in nominibus Doctorum; quæ omnia argumento ſunt inniti illos principiis maximè incertis, nihilque ſatis exactè noſſe eorum quæ ſcribunt.

Fruſtra Rabbini obtrudunt nobis vetuſtatem Scholarum ſuarum ac Doctorum; cùm enim propiùs rea tota diſpicitur, confuſa omnia & incerta ſe offerunt. Emphatico ſtylo celebrant nobis Academias Japhnis & Tiberiadis conſtitutas in Palæſtina poſt everſionem Templi, ſicut & Naardeæ, Pandebitæ, ac Soræ in Oriente, Promunt longos Doctorum, qui ibi profeſſi ſunt, catalogos, ſed turbatos adeò ac malè compactos, ut fidat illis nemo. Oggerunt Libros quoſdam, uti ferunt, antiquiſſimos, e. g. *Midraſchim*, vel Commentarios in Scripturam ſcriptos à Rabbinia Judæ Sancto coævis, i. e. anno 215. Jeſu Chriſti; in illis tamen laudatur Gemarrha, Opus diu poſt eam ætatem digeſtum. *Midraſchim Rabboth*, vel magni Commentarii tribuuntur Nachmanidi Authori, uti ferunt, exeuntis tertii ſæculi; nihilo tamen ſeciùs ſermo eſt ibi de tentata à Juliano Imperatore reſtitutione Templi Jeruſalem. Sententiæ Patrum vel *Pirke Aboth*, ſub nomine Eliezer florentia ſub Gamaliele II. vulgatæ recentius ſunt Opus, ut ipſa voluminis lectio demonſtrat.

Egimus alibi de Paraphraſtibus Onkelos, Jonathan, Joſeph cæco, de Gemarra, Thalmud, & Miſna, de quibus omnibus in ſuis vocibus. Conſule etiam Bartoloccium in ſua Bibliotheca Rabbinica, & D. Baſnag. hiſt. Jud. tom. 7. lib. 10. cap. 3. 8.

Inter Rabbinos primas tenent Nathan, Abenezra, Abraham Hallevi, Maimonides vel Moyſes filius Maimonis, Joſeph, & David Kimchi, Salomon Jarchi, qui omnes Doctores recentiores ſunt. *Nathan* Princeps Academiæ Romæ conſtitutæ, qui voces omnes Thalmudicas expoſuit, florebat ineunte ſæculo duodecimo; Aben-Ezra obiit anno 1174. cujus in Scripturam interpretationes literales ſunt & grammaticales, magnique habentur à Scriptoribus Commentariorum. *Abraham Hallevi* coævus vivebat Aben-Ezræ. *Maimonides* natus eſt Cordubæ anno 1131. Maimon ejus pater è Davidis genere ſeſe obtrudebat. Vulgò dicitur Maimonides inter Doctores Judæorum omnium primus à ludricia ceſſaſſe; appellatur interdum Moyſes Ægyptius, quòd Hiſpaniam deſeruerit, ut reciperet ſe in Ægyptum. Obiit ineunte ſæculo decimotertio.

Joſeph Kimchi, qui florebat ſub annum 1160. ſcripſit Commentarios nonnullos in Biblia, quos manuſcriptos ſervat Bibliotheca Vaticana, & Commentarium adverſùs Religionem Chriſtianam. Commoratum fuiſſe Narbonæ ſat conſtat; ſed Hiſpanus ne eſſet, an Gallus ambigitur; duos habuit filios Davidem & Moyſem Kimchi ſcientiarum gloria celebres.

David Kimchi filius Joſeph Kimchi ſtrenuam navavit operam grammaticæ, ejuſque Scripta maximi æſti-

(a) Excerpta Gemarræ apud Hottinger. p. 101. &c.
(b) Abravanel procem. in Libr. Nacha latathroth. Morin. lib. 2. exercit. Bibl. exercit. 2. c. 1.
(c) Abrah. Ben-David Haller Sepher Hakkabal. Vide Bartolocc. 1. 2. p. 18.
(d) Abrah. Zacuth, Juchaſim.

æſtimantur. Ad ejus viri nomen ſonans piſtinarium vel farina conſperſum, luſu quadam verborum ſpectantes Judæi, proverbiali formula dicunt, *nihil eſſe farinæ abſque Kimchi*; i.e. nihil ſcientiæ ſine eo Doctore. Moyſes Kimchi ejus frater Opera & ipſe quædam ſcripſit, ut illud: *Hortus voluptatis*, quod manuſcriptum ſervat Bibliotheca Vaticana.

Salomon Jarki, oriundus Trojæ in Campania, ideo *Jarki*, vel *Iarchi*, i.e. lunaticus appellatus eſt, quòd legerit in Academia Lunelli in Occitania, ubi Judæorum erat Academia ſæculo duodecimo. Exercuit ſe potiſſimùm in ſtudio Thalmud, ejuſque in Gemarram Commentarius tanta eruditione dives agnitus eſt, ut Author honoris elogio appellaretur Princeps Commentariorum. Conſule de his Rabbinis aliiſque, laudatos ſupra Scriptores, ac maximè Bibliothecam Rabbinicam Bartolocci.)

RABSACES, ſeu *Rab-ſache*, 4. *Reg.* 18. 17. nèmpè Princeps pincerna; quare non viri, ſed dignitatis nomen eſt. Sennacherib Rex Aſſyriorum (a) Rabſace ad Ezechiam miſſo, illi deditionem imperavit. Rabſaces igitur ad agrum Fullonis ſiſtens, Regem ad colloquium poſtulavit: procedentes autem juſſu ejuſdem Ezechiæ, Eliacimum, Sobnam, & Joahe tres Regiæ aulæ Præfectos, arrogantibus verbis monuit, ne in Regis Ægypti ope confiderent, quam fruſtra hucuſque expectaverant; neve ſpe Divini adjutorii ſibi blandirentur, cujus in collibus dicatas aras Rex Ezechias ſubverterat, cujus etiam juſſu Sennacherib expeditionem in Judæam ſuſceperat. Hæc quidem Rabſacem Hebraico ſermone coram frequenti populo effutientem, rogarunt legati, ut Chaldaicè loqueretur. Ille inſiſtens adhuc, converſo ad populum è mœnibus audientem ſermonem, ut Sennacheribi imperio ſeſe ſubmitterent, denunciavit; impiam deindè evomens blaſphemiam, futurum prænunciavit, ut quemadmodum aliarum gentium Numina fruſtra pro cultoribus ſuis in Regem pugnaverant, ita ejus potentiæ illorum Deus impar futurus eſſet.

His dictis, Rabſaces ad Regem regreſſus eſt; qui ſoluta obſidione Lachis, in Pharaonem, auxiliares copias ad Ezechiam adducentem, cum exercitu contendebat. In eo itinere Angeli Domini ultione Aſſyrii correpti, 85000. è toto exercitu perierunt; reliquias autem fugientis more Sennacherib Ninivem deduxit; ubi filiorum ſuorum proditione, ipſe tandem ſublatus eſt. *Iſa.* 37. 36. 37. & 4. *Reg.* 19. 35. 36. 37. Vid. *Ezechias*, & *Iſaias*.

RABSARIS, ſive *Rab-ſaris*, 4. *Reg.* 18. 17. Princeps Eunuchorum Sennacheribi, una cum Rabſace, & Thartan ad ſolicitandum Ezechiam ad deditionem miſſus. Porrò *Rab-ſaris* non viri, ſed dignitatis nomen eſt.

RACHA, ſive *Raka*, vox Syriaca, ſonans vacuum, vanum, hominem nihili, ſtupidum, uno verbo homuncionem. Qui alterum jurgii cauſa *raka* appellaverit, illum judicio, nempè Synedrio, damnandum Chriſtus denunciat. *Matt.* 5. 22. Jephte, ut in Hebræo legimus, à fratribus rejectus, manui *rekim*, viliſſimorum ſcilicet capitum, Ductorem ſe præbuit (b); ſimilemque *rekim* manum Nabat filius Jeroboami collegiſſe legitur *Par.* 13. 7. Porrò vocem *rekim* in textu Judicum contemptum exprimere, & geſtu quodam indignationis, velut expuendi, avertendi caput &c. pronunciari Ligtfootus aſſeruit.

RACHAL, urbs Tribus Juda, quò captam ab hoſtibus è direptione Siceleg prædam, David tranſmiſit. 1. *Reg.* 30. 29.

RACCATH. Vide *Reccbat Joſue* 19. 35.

RACCON, urbs Danitica. *Joſue* 19. 46. Vide *Arecon*.

RACEMUS, Græcè *botrus*, Hebraicè *benab*, ſivè *eſchol*. Cultiſſimæ erant, nec ſanè infrequentes optimiſque uvis refertiſſimæ in Palæſtina vineæ. Ingentes adeò ejus regionis botros fuiſſe oportet, quales prodit palmes ille in *valle botri* abſciſſus, quem in caſtra Iſraelitarum ad Cadeſ-Barne vecte à duobus viris deferri oportuit. *Num.* 13. 24. Mira ea de re narrant Itineraria: Doubdan enim aſſerit, in valle botri adhuc racemos colligi 10. ſive 12. librarum pondere (c). Forſterus in Lexico audiviſſe ſe narrat à quibuſdam Religioſis, qui in Palæſtina diutiùs verſati fuerant, in valle Hebronis racemos aliquando adeò immanes occurrere, ut ægrè à duobus viris deferrentur. Brocardus *deſcript. Terræ S. p.* 281. ex relatione quorumdam incolarum Antaradi prodit, in ea regione, ſicuti & in Phœnicia, & in vicinia Sidonis, tres quotannis vindemias, eaſdemque vineas tribus anni temporibus fructibus onuſtas eſſe. Menſe Martii, cùm vineæ racemos emiſerint, infœcundi palmites abſcinduntur; qui poſtea Aprilis menſe racemos emittunt, ſtato tempore mature ſcentes. Eadem vinea iterum menſe Majo amputata, in novos etiam fœtus turgeſcit, qui autumnali vindemia colliguntur. Porrò racemi illi, ſuccedentibus ſinguli temporibus matureſcentes, alii vindemiam menſe Auguſti, alii menſe Septembris, alii menſe Octobris exhibent. Hinc, ait Brocardus, recentes in Terra S. Racemi à Feſto S. Joannis, uſque ad S. Martini venduntur.

Iſraelitis vindemiam colligentibus in Lege præceptum eſt, ne botros fortè excidentes ſedulò legendos curent, neglectis etiam nonnullis in vite pendentibus; quæ omnia in uſum pauperum cederent. *Lev.* 19. 10. *Deut.* 24. 21. 22. Per viam autem tranſeuntibus vineas obvias ingredi, atque racemos carpere, dummodò tamen nihil ſecum deferrent, ſingulis licebat. *Deut.* 23. 24.

RACHEL, filia Labani, & ſoror Liæ, cujus nomen *ovem* ſonat. Jacob fratris Eſau invidiam declinaturus, in Meſopotamiam tendens, ad urbem Haran, ſive Charras venit, nactuſque ibi paſtores, an Labanum filium Nachoris noſſent, interrogavit A. M. 2245. ante Ch. 1755. ante Ær. 1759. *Gen.* 29. 1. Quibus non virum tantùm ſe noſcere, ſed ejus filiam Rachelem venientem cum grege proſpicere reſpondentibus, ipſe obviam puellæ factus, amplexu illam excipiens, filium ſe Rebeccæ ſororis Labani prodidit; ſimulque recluſo putei oſtio, gregem ipſius adaquavit. Læta ea de re puella domum ſtatim convolans, adventum adoleſcentis renonciavit: mox verò Jacob in eaſdem ædes deductus, comiter à Labano exceptus eſt. Menſe evoluto, Labanus nolle ſe dixit, ut gratis ſuis negotiis ſerviret; quare quid vellet mercedis, poſtularet. Adoleſcens ſeptennii ſervitutem pro nuptiis Rachelis filiæ natu minoris pactus eſt. His evolutis annis, Labanus pro Rachele Liam alteram ſororem natu majorem imprudenti Jacobo ſuppoſuit. Matutina luce ſubeunte, tandem Jacob agnita fraude, cum Labano de accepta injuria conqueſtus eſt. Ille regionis morem cauſatus, qui juniores filias ante natu majores nuptum tradi non patiebatur, pollicitus eſt pro alterius ſeptennii ſervitute Rachelem. His inter utrumque conſtitutis, completa cum Lia hebdomada, nuptiæ cum Rachele celebratæ ſunt. Secundam fœminam Jacob præ altera deperiit; ſed Deus Liam ſorori illius præferens, ſterilitatem huic, illi verò fœcunditatem largitus eſt. Hujus rei gratia altera alteri invidente, *Gen.* 30. 1. Rachel filios à viro poſtulavit; alioquin, ait, ægritudine conficiar. Jacob reſpondenti non à ſe quidem, ſed à Deo filios requirendos eſſe, propoſuit illa cum Bala ancilla ſua congreſſum. Ea Bala Jacob filium Racheli genuit, cui à matre nomen Dan inditum eſt, illud addente: Deus cauſam mihi adjudicavit. Alter deinde ex Bala natus filius, Nephtali à Rachele appellatus eſt.

Accidit interea, ut Ruben filius Liæ fructus quoſ-

(a) A. M. 3292. ante Chr. 708. ante Ær. 712. Vide 4. Reg. 18. 17. &c. Iſa. 36. 1. &c.
(b) Judic. 9. 4. & 11. 3. Septuag. Ἄνδρες κενοί. (c) Voyage de la Terre S. c. 21.

quoſdam, Hebraicè *dudaim*, in Vulgata *mandragoras* (a), ex agro referret; quarum appetitu capta Rachel, illorum partem à ſorore poſtulavit. Cui Liah ſatis illi habendum dixit, quòd virum ſibi rapuiſſet, quin in fructus; etiam filii ſui manum injicere tentaret. Altera pomorum cupiditate allecta, virum ſorori conceſſit, pacta eorumdem fructuum mercede. Jacob enim pro more regionum, in quibus polygamia obtinet, æquè ſe utrique uxori concedebat (b). Memor tandem Rachelis Dominus, filium illi conceſſit, cui à matre inditum nomen Joſeph, illud interim uſurpante: Alterum mihi natum Dominus largiatur (c). Aliquibus poſt annis M. 2265. ante Ch. 1735. ante Ær. 1739. *Gen.* 31. 1. à Jacobo conſilio redeundi in Chanaanitidem inito, Rachel *Teraphim* patris ſui, Deos nempe penates, ſurripuit (d).

Suſcepto igitur à Jacobo itinere, Laban de ejus ſeceſſione nonniſi poſt triduum admonitus, euntem ſtatim inſequutus eſt, ipſumque in montibus Galaaditidis aſſecutus, primo de fuga graviter conqueſtus eſt. Addidit inſuper, ne quid gravius in ipſum tentaret, Deo tantùm prohibente factum eſſe. Mox verò cur ſibi Deos ſurripuiſſet, expoſtulavit. Jacob, quem uxoria furtum latebat, velle ſe ait, ut impedimenta ſua omnia ſcrutaretur, & ſi apud quem Deum aliquem inveniret, ille coram fratribus interficeretur. Laban igitur tentoria Jacobi, Liæ, Balæ, Zelphæ ſcrutatus, nihil invenit. Cùm ad Rachelem perveniſſet, illa ſub ſtramentis camelorum Idolis celatis, illiſque aſſidens, viſo patre veniam poſtulavit, ſi conſuetis fœminarum incommodis detenta non aſſurgeret. Hac arte patrem fefellit.

Trajecto jam torrente Jabok, uxores & filii Jacobi in tres turmas diviſi ſunt. *Gen.* 33. 1. Ancillæ cum filiis ſuis in fronte procedebant. Sequebatur cum filiis ſuis Liah. Omnium poſtremi Rachel, & Joſeph incedebant. Eam autem rationem Jacob inivit, ut ſi fortè Eſau primam turmam percuſſiſſet, cæteræ fuga ſe ſubducerent; ſi verò & alteram aſſequeretur, tertia ſaltem ſupereſſet. Jordane trajecto, recta Salem, deinde Sichem, ac tandem Bethel ſe contulit; ubi ſacrificare Domino, olim ſibi eunti in Meſopotamiam viſo, conſtituerat. *Gen.* 35. 1. Tandem Hebronem verſus procedens, cùm terræ tantùm jugero (e) à Bethlehem alio nomine Ephrata, diſtaret, Rachel partus doloribus correpta, filium enixa eſt; cui mater nomen *Ben-oni*, nempe *filium doloris mei*; pater verò *Benjamin*, filium dexteræ meæ, indidit. Pariendi difficultate Rachel oppreſſa interiit (f); ejuſque cadaver Jacob ibidem ſepulturæ mandavit, monumentum inſuper ſtatuens, quòd pluribus ſæculis ſtetit (g).

Extat adhuc noſtra ætate pyramis, ſeu camera, quatuor quadratis ſtipitibus totidem arcus conſtituentibus innixa; quam totam murus trium pedum altitudine humilis ambigit, per quem anguſtus ſatis aditus tribus gradibus imminens patet. Narrat Cotovicus, monumentum iſtud ſex pedibus è ſolo aſſurgere, ſeptem verò pedibus in longum, tribus cum dimidio in latum excurrere; ſuperiora verò in rotundum terminant. Duo hujus ædificii latera, duo monumenta, vacua tamen protegunt. D. Le Brun, qui locum delineavit, teſtatur, monumentum iſtud in lapide exciſum, concameratio verò fornice protegi, quatuor ſubnixo cæmentitiis pilis, ſeu muri fragmentis, ex quibus ſepulchri ſpecies reſultat. Omnia tamen rudi, & inelegant opere conſtructa; nihil vetuſtate collapſum, ac ſi recens eſſet opus: quòd ſanè cum ætate Jacobi difficilè congruit; niſi tamen ſucceſſu temporis innovatum credamus.

(Jeremias Propheta cap. 31. 15. & poſt illum S. Matthæus 2. 18. Rachelis nomen uſurparunt ad deſignandas Tribus Ephraim, & Manaſſe, qui duo viri nati ſunt ex Joſeph filio Rachelis: *Vox in Rama audita eſt, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt*. Veritas Oraculo huic conſtitit, cùm utraque hæc Tribus deducta eſt in captivitatem trans Euphratem. Porrò Oraculum illud accommodavit S. Matthæus ad ea, quæ juſſu Herodis impleta ſunt in Bethlehem, cùm ſcilicet pueri omnes bimulæ ætati inferiores neci traditi ſunt. Tunc Rachel, quæ juxta eum locum jacebat ſepulta, extulit ejulatus ſuos pro miſeranda nece tot puerorum litaturum ſuſpicioni, & crudelitati ejus Principis.)

RADDAI, quintus filius Iſai, & frater Davidis, 1. *Par.* 2. 14.

(RADERE. Uſus radendi barbam & crines, quin & interdum totius corporis pilos familiaris fuit apud Hebræos. Levitæ, qua die initiabantur *Num.* 8. 7. cùm expiabantur Leproſi *Levit.* 14. 8. 9. radebant toto corpore pilos. Capta in bello fœmina atque à Judæo viro in torum aſcita caput habebat abraſum *Deut.* 21. 12. In luctibus Hebræorum & populorum finitimorum in Palæſtina raſio ſervabatur, uti pariter & in publicis vel privatis ingentibus calamitatibus (h). Vetat Deus Sacerdotibus calvitium in capite & in mento, *Levit.* 21. 5. Nazaræi *Num.* 6. 9. 18. pariter abſtinebant ab inferenda manu in comam perſeverante Nazaræatu; ſi verò accidiſſet, ut illis coram aliquis interiret, jubebantur ſtatim radere comam, & ex integro Nazaræatum inſtaurare. Robur Samſonis erat in crinibus, quos intactos tanquam Nazaræus ſervabat; via decalvatus ſtatim in cenſum cæterorum hominum redactus eſt.

Radere ſe totam barbam & crines, ſeu dimidium utriuſque inſignis erat in alterum injuria & contemptus. Hæc intulerat in Ablegatos Davidis Hannon Rex Ammonitarum 2. *Reg.* 10. 4. 1. *Par.* 19. 4. cujus rei ultionem exacturus David, bellum intulit gentibus illis fatale. Denunciat per Iſaiam c. 7. 20. Deus: *Radet Dominus in novacula conducta caput & pilos pedum, & barbam univerſam*; quod perinde valet ac ultionem exacturum Deum in populum ſuum conducto gladio gentium trans Euphratem. In luctibus interdum negligebatur intonſa barba. Miphiboſeth barbam ſuam non reformaverat, ex quo David exul Jeroſolyma declinavit ab Abſalomo. Deſignat Jeremias 9. 6. Arabes Judææ proximos hac phraſi: *His qui attonſi ſunt in coma*; tondebant illi circùm comam in honorem Numinis, quorum imitatione ne quid ſimile audeant Judæi, vetat Deus, Levit. 19. 27. *Neque in rotundum attondebitis comam*. Vide infra *Siſoe*.

RADIX. Malorum omnium ac criminum, quæ committimus, *radix* eſt cupiditas, i. e. fons & origo 1. *Timot.* 6. 10. *Ne ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*; *Deut.* 29. 18. i. e. ne ſint homines pernicioſi, qui mala à Deo in caput veſtrùm provocent: *Radices fellis, & amaritudinis*. Job. 19. 28. *Radicem verbi inveniamus contra eum*, argumenta nempè reprehendendi, cavillandi, vel accuſandi. Hebr. *Radix verbi eſt in me*, habeo parata quibus me defendam Pſ. 51. 7. *Deus evellet radicem tuam de terra viventium*; te ſcilicet exterminabit.

Radix exprimere etiam poteſt genus & poſteros *Proverb.* 12. 3. *Radix juſtorum non commovebitur*. Jeremias 12. 2. *Quare via impiorum proſperatur? Plantaſti eos & radicem miſerunt*. Apud Danielem, & in Libris Machabæorum Antiochus Epiphanes Judæo-

(a) Vide v. Mandragora. (b) Herodot. l. 3. c. 79. Vide Auguſt. cont. Fauſt. l. 22. c. 49.
(c) Gen. 30. 22. &c. A. M. 2259. ante Ch. 1741. ante Ær. 1745.
(d) Vide v. Teraphim. (e) Hebr. legit Kiberat. Vide v. Kiberathsrez.
(f) A. M. 2265. ſeu 2266. ante Ch. 1734 ante Ær. 1738. ſive 1739.
(g) Hebr. Matzebah. Septuag. Στήλην, nempe columnam, Hieron. Titulum.
(h) Hieronym. 48. 37. & 41. 5. Baruch 6. 30. Iſai. 7. 20. & 15. 7.

Judæorum inſectator acerrimus exhibitus eſt tanquam germen, & radix iniquitatis, emiſſum è Regibus Alexandri Magni ſucceſſoribus. Depingitur Jeſus Chriſtus in paſſione ſua *Iſai. 63. 2. ſicut radix de terra ſitienti*, quæ cùm humore deſtituatur, tabeſcit, Et Iſai. 11. 1. 10. appellatur *Radix Jeſſe*.

Contrario ſenſu Apoſtolus Rom. 11. 16. &c. docet Judæos perinde eſſe ac radicem quandam arboris; cui inſerti ſunt Gentiles; Patriarchas verò radicem eſſe puram, & ſanctam, undè Judæi tanquam rami: *Si radix ſancta, & rami*. Et ad Coloſ. 2. 7. *Radicem* eſſe tradit Jeſum Chriſtum, Chriſtiani verò, ait, *radicati & ſuperædificati in ipſo*.)

RAGABA, arx validiſſima in transjordanica (a), facile eadem cum Argob, de qua ſæpè in V. T. (b). Argob in regione Geraſæ, 15. m. paſſibus orientem versùs Euſebius conſtituit.

RAGAU, vaſta planities. Nabuchodonoſor Rex Ninives victoriam de Arphaxad Rege Medorum *in campo Ragau*, in campo Erioch Regis Elymæorum tulit. *Judith.* 1. 5. 6. Porrò campus *Ragau* planities videtur, urbi Rages in Media ſubjecta. Nabuchodonoſor verò, qui Arphaxad prælio fudit, eumdem credimus cum Saoſduchin Rege Aſſyriæ, qui in Phraortem Regem Medorum expeditionem ſuſcepit (c).

RAGAU, filius Phaleg (d), idem eſt cum *Rehu* (e). Fortaſſe urbs Ragæ, & campus Ragau ex eo viro nomen derivarunt; nam in Hebræo Rehu, & Ragau pro eodem uſurpantur, & in ſola pronunciatione literæ *Ain* diſcrepant.

RAGÆ, ſive *Rages*, urbs Mediæ, ſita ad montes Ecbatanæ. *Tob.* 5. 8. Tobias Senior relicto apud Gabelum civem Rages depoſito duorum talentorum, vel ea pecuniæ ſumma mutuò illi tradita, ut in Textu Latino, filium ſuum Tobiam juniorem ad illam repetendam miſit. Coactus tamen juvenis diutius Ecbatanis ſubſiſtere (f), ut cum Sara filia Raguelis nuptias celebraret, Angelum Raphaelem, quem virum itineris ſocium credebat, rogavit, ut Gabelum adiens, pecuniam exigeret: quod ab illo executioni mandatum eſt. Porrò Rages breviori quam diei itinere ab Ecbatanis diſtans, in plaga meridionali Mediæ inter montes regioni Parthorum finitimos jacet.

I. RAGUEL, alio nomine *Jethro*. Vide *Jethro* ſocer Moyſis.

II. RAGUEL, pater Saræ, & ſocer junioris Tobiæ, civis Ecbatanæ locupletiſſimus. Ejus filia ſeptem ordine viris nupta, totidem Dæmonis opera coram ſe interfectos habuit. *Tob.* 6. 11.... 14. His tamen nil territus Tobias junior, monitu Angeli Raphaelis, Saræ nuptias poſtulavit; ad quas etiam præcepto Legis, utpotè cognationis vinculo præ cæteris Ragueli conjunctus, cogebatur. *Num.* 35. 6. Raguel, invitus quidem, veritus ne quid ſiniſtri adoleſcenti contingeret, acquievit. Verùm Dei ope Tobias ſervatus eſt; quem Raguel quindecim diebus in domo ſua detinens, amicos omnes conviviis excepit; donatumque tandem bonorum ſuorum dimidio, & reliquam partem poſt obitum cautione promittens, dimiſit (g).

RAHAB, Jerichuntæ caupona, apud quam viri à Joſue ad urbem explorandam miſſi, divertentes latuerunt. Textus Hebræus (h) hanc fœminam appellat *Zona*, quod S. Hieronymus, & alii plures reddunt *Meretricem*. Sed alii (i) literam Textus originalis ſervantes vertunt cauponam. Porrò Salmon nunquam nec voluiſſet, nec ſi voluiſſet, Lege inhibente potuiſſet fœminam fornicariam ducere. Quid autem exploratoribus cum meretrice? An fortè arduum adeò, & difficile munus obeuntes, ad fœminam proſtitutam venire par erat? Qui meretricem illam ſentiunt, adduut, excuſandi criminis gratia, illam in cultum Deorum infame munus exercuiſſe.

Quamcumque tandem artem exercuerit, fœmina illa exploratores Joſue apud ſe divertentes hoſpitio excepit (k); quibus ſtatim Regi Jerichuntis nunciatis, ſtatim producere homines fœminam juſſit: illa viros ſecretis quibuſdam latebris abdens, reſpondit, ſe quidem illos excepiſſe, ſed occludendis mox urbis foribus egreſſos, demum abiiſſe. *Joſ.* 2. 3. Quare, ait, citato greſſu illorum veſtigia tenete, quamquam qua parte abierint, me prorſus fugit. Abeuntibus igitur Regis miniſtris, exploratores fœmina è ſolario domus productos allocuta eſt, dicens, ſcire ſe Dominum totam eam regionem Iſraelitis permiſiſſe, quorum jam terror incolas omnes corripuiſſet. Orare proinde, ut pro ea, quam de eorum ſalute curam iniverat, ſibi ſuiſque, cùm urbem victores tenerent, vitam concederent. Exploratores poſtulata ſe facturos ſacramento polliciti ſunt, ſi appenſa feneſtræ coccinea ligula, eo indicio à cæteris diſtingueretur. Omnes enim, addiderunt, domeſticos, qui intrà hujus domus fores ſe continuerint, incommodo aliquo afficere piaculum erit: ſi qui vero extra illam inventi fuerint, impunè occidentur.

His utrinque conſtitutis, per funem è feneſtra domus, quæ mœnibus urbis hærebat, demiſſi exploratores, abierunt, atque à fœmina moniti, per montium juga iter inſtituentes, ne à Regis miniſtris ab itinerum ſcrutatione redeuntibus deprehenderentur, tridui itinere in caſtra reverſi ſunt. Poſt aliquod temporis, populus ſex dierum ſpatio urbem in ſilentio circumiit: ſeptima tandem die poſt ſextam exercitus circumductionem, ſeptima demum finita, clangentibus ſubito Sacerdotalibus buccinis, elatoque ab omnibus clamore, urbis mœnia corruerunt. *Joſue* 6. 16. 17. Omnes Joſue priùs monuerat, ut urbe expugnata, quidquid prædæ occurreret, anathemati devoveretur, uni tantùm Rahab ejuſque domui parceretur.

Ducis præcepta executioni mandata ſunt: in urbem enim Hebræi per everſa mœnia evadentes, omnia anathemati devoverunt. Exploratores verò in ædes Rahab miſſi, fœminam, totamque ejus domum produxere, ne quid illis injuriæ irrogaretur. His egreſſis, ignis urbi ſubjectus eſt, diriſque devotus quicumque illius reſtituendæ conſilium ſuſcepiſſet. Salmon Princeps Judæ hanc fœminam duxit; ex qua natus Booz, pater Obed; ex Obed, Iſai pater Davidis Regis. Vide *Ruth.* 4. 20. Ita Jeſus Chriſtus fœminam hanc Chananæam in progenitorum ſuorum ſerie cooptatam voluit. *Matth.* 1. 5. In 1. *Par.* 2. 11. legimus, Nahaſſon filium habuiſſe Salmam, eumdem planè cum Salmone. Fidem hujus fœminæ Apoſtolus effert, quæ exploratores hoſpitio excipiens, atque latebris celans, excidium evaſit.

RAHAB, apud Pſalmiſtam, altera illa ab ea, de qua hucuſque egimus: *Pſal.* 86. 4. *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me*. In Hebræo etiam Pſal 88. 11. *Humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum*; legimus; *Sicut vulneratum Rahab*; ideſt dejeciſti Rahab (Ægyptium) quemadmodum hominem vulneribus confectum. Eamdem vocem Rahab uſurpat Iſaias 51. 9. & 30. 7. ut Pharaonis copiarumque ipſius in mari rubro demerſi excidium ſignificet. *Prudentia ejus percuſſit*, Hebr. *Rahab Joſ.* 26. 12. Porrò hanc vocem eruditiſſimi Interpretes dictam intelligunt de Ægypto (l), & de inferiori potiſſimùm ejus parte, quæ ex Deltæ literæ Græcæ, ſive trianguli ſimi-

(a) Antiq. l. 13. c. 23. (b) Deut. 3. 4. 13. 14. & 3. Reg. 4. 22. & 4. Reg. 15. 25.
(c) A. M. 3347. ante Ch. 653. ante Ær. 657. Vide Præfat. in Judith.
(d) 1. Par. 1. 25. Ita Vulg. & 70. Hebr. Rehu. (e) Gen. 11. 18. Ita Hebr. & Vulg. at 70. Ragau.
(f) Tob. 6. 6. & 9. 3. Textus Latinus Tob. 3. 7. legit Rages pro Ecbatanis, mendosè prorſus.
(g) Tob. 8. 22. &c. A. M. 3322. ante Ch. 678. ante Ær. 682. (h) Joſue 2. 1. Septuag. γυναικὸς πόρνης. Ita PP. paſſim.
(i) Ita Chald. Rabb. Lyr. Arias, Pagn. Tirin. Vide, ſi placet, Sanct. in 3. Reg. 3. 26.
(k) A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.
(l) Chald. R. Salom. Abenezra, Kimchi, Jun. Pagn. Munſt. Muis, Boch. Phaleg. l. 4. c. 24. &c.

ſimilitudine, cujus baſis Mediterraneo incumbit, *Delta* appellatur. Huic Ægypti Provinciæ adhuc nomen manet *Rib*, ſive *Rif*, nempè pyrus, figura enim proximè ad pyrum accedit. S. Hieronymus, & Veteres Græci Interpretes, ſæpè pro Rahab verterunt *audaciam*, *audaces*. Veteres Patres, & Interpretes(a), quibus originale conſulere non vacavit, nomen illud de fœmina Jerichuntina, cujus in ſuperiori articulo meminimus, uſurpatum autumarunt.

(In Dictionario Biblico cum viris quibuſdam Doctis ſcripſimus, ab Ægyptiis *Rif* appellari, quod Græcis eſt *Delta* Ægypti. Sed D. d'Herbelot in ſua Bibliotheca Orientali notat, ſub nomine *Rif* cenſeri illum Ægypti tractum, qui è Cairo porrigitur ſeptemtrionem versùs; indidiſſe verò Arabes nomen *Giouf* ejuſdem regionis potioni illi, quæ Græcis eſt *Delta*, continetque totum illud ſolum, quod complectitur Nilus aduſque oſtia in Mediterraneum.)

RAHABIA, filius Elieaer, 1. *Par.* 26. 25. qui unà & fratres, Levitæ omnes, cuſtodiæ Theſauri Templi Dei addicti ſunt.

RAHAM, filius Sammæ, & pater Jercaam è poſteris Caleb. 1. *Par.* 2. 41.

RAHELAIA, è familia Sacerdotali, unà cum Zorobabele Jeroſolymam redux. 1. *Eſdr.* 2. 2.

RAHUEL, filius Eſao ea Baſemath filia Iſmaelis. Filios habuit Nabath, Zaram, Lammam, & Meſam. *Gen.* 36. 4. 17.

RAJA, filius Sobal, pater Jahath, & nepos Judæ Patriarchæ 1. *Par.* 4. 2.

RAITHU, ſive *Raitho*, locus in vicinia montis Sinai, Authoribus mediæ ætatis celebratiſſimus.

I. RAM, filius Eſron, & pater Aminadab, è Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 9.

II. RAM. *Job.* 32. 2. *Eliu Buzites, de cognatione Ram;* quo in loco Ram facilè pro *Aram* uſurpatur; quare Eliu è cognatione Bua Nachorem Aramæum, ſive Syrum patrem babuit.

RAMA, editum quid ſonat: hinc plurima Palæſtinæ loca hanc vocem adjunctam habent, *Rama*, *Ramath*, *Ramatha*, *Ramot*, *Ramathaim*, *Ramola*, *Ramathan*. Interdum eadem urbs ſimul *Rama*, *Ramatha*, *Ramot*, *Ramathaim* appellatur, quæ plura nomina collem ſignificant. Occurrit etiam quandoque, ut vox *Ramu*, ſive *Ramot*, alteri nomini jungatur, ut locus, ubi collis, ſive urbs ſita eſt, deſignetur. Interdum etiam vox illa non urbem quandam, aut vicum, ſed collem aliquem ſignificat. Loca illa, quibus nomen *Rama* in Scriptura, hic ſubjicienda cenſemus.

I. RAMA, urbs Benjamin, *Joſue* 18. 25. ſita inter Gabaam & Bethel (b), montes Ephraim versùs, 6. m. paſſuum ab Jeruſalem, in plaga ſeptentrionali (c). S. Hieronymo tamen *in Oſee* 5. juxta Gabaam 7. m. paſſuum à Jeruſalem jacet; quam ſua ætate nonniſi ad parvum quemdam vicum redactam teſtatur *in Sophon.* 1. Viæ à Samaria Jeroſolymam imminebat; ex quo factum eſt, ut munitionibus à Baaſa Rege Iſraelis vallaretur, 3. *Reg.* 15. 17. *&* 2. *Par.* 16. 1. nequis unquam è ditione Juda in Iſraelem tranſiret. Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 6. illam appellat *Ramathon*.

Nullus dubito, quin eadem ſit urbs, ac *Ramatha* ſive *Ramathaim-Sophim*, patria Samuelis Prophetæ. 1. *Reg.* 1. 1. 19. *&* 2. 11. Cùm in confiniis Ephraim & Benjamin ſita eſſet, utriuſque Tribus homines ſæpè incolas habebat. Rama, Ramath, Ramathaim idem locus eſſe putetur: ſed *Ramam*, ſivè *Ramulam*, quam patriam Samueli aliqui aſſignant, aliam ſanè ab iſta fuiſſe conſtat, ut infrà dicemus.

De hac urbe locutus videtur Jeremias, narrans inventum ſe à Nabuzardano *Jer.* 40. 1. Chaldæorum exercitus Duce in medio captivorum, cùm *Rama* eſſet, ubi captivos illos ipſe collegerat; ſeque liberum à Duce remiſſum fuiſſe, & quocumque abire permiſſum. Neque aliam deſignari credimus urbem, ubi Dominus Rachelem apud eundem Prophetam ſolatur, de ductis ſcilicet in captivitatem filiis illius, Tribubus nempè Ephraim, & Manaſſe: *Jer.* 31. 15. *Vox in Rama audita eſt lamentationis luctus & fletus, Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt. Hæc dicit Dominus: quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrimis, quia revertentur de terra inimici.* Hanc Prophetiam S. Matthæus ad luctum Rachelis pro nece puerorum in Bethleem ab Herode patrata detorquet. Sed hæc literali, & hiſtorico ſenſu alio ſpectare ſanè conſtat.

Duo loca *Gabaa* & *Rama*, tanquam inter ſe proxima ſæpè in Scriptura junguntur (d). Sauli Gabaæ verſanti, cùm fortè in nemore Ramæ aſſideret, nunciatum eſt, Davidem in vicinia ſaltus Haret occurriſſe. 1. *Reg.* 22. 6. Sed hic Rama collem quemdam ad Gabaam deſignatum credimus.

II. RAMA, ſive *Ramatha*, vel *Ramola*, *Ramula*, *Ramba*, *Ruma*, *Remphtis*, urbs ad Occidentem Jeroſolymæ, inter Lyddam, & Joppem, juxta S. Hieronymum in Epitaph. Paulæ; ſive inter Joppem, & Jeruſalem, juxta nova Itineraria (e). Sita eſt 36. m. paſſuum à Jeruſalem, authore Phoca. Olim juxta illam, Lyddam verſus, amplum quoddam S. Georgii Templum ſpectabatur, addito ſub ejus nomine Monaſterio; ibique S. Martyris Corpus colebatur (f). Relandus Palæſt. l. 3. p. 950. ex Abulfeda narrat, banc urbem à Solimano filio Abdolmelic poſt excidium Lyddæ ædificatam; & Sanutus in Secret. fidel. crucis addit, excitatam illam juxta Lyddam, Arabum opera, poſtquam exercitus Cruce ſignatorum eam regionem excurrere cæperunt. Receptacula aquarum elegantis operis, & nonnulla Antiquitatis veſtigia, quæ ibidem ſpectantur, Le Brun deſcribit; addens urbem illam æquali, & conſtanti agro adjacere, 4. leucis à Jafa, ſivè Joppe, Lyddam habentem ad latus 3. m. paſſibus diſtantem.

Qui ſanè characteres ſatis apud nos deſignare videntur, eamdem eſſe urbem cum ea, quam Euſebius in Armathem, & S. Hieronymus in Epitaph. Paulæ pro Arimathia, patria Joſephi, ex Evangelio *Matth.* 27. 57. notiſſima, uſurparunt. Hanc enim S. Hieronymus inter Lyddam, & Joppem; & Euſebius in Thamnitide propè Dioſpolim collocat. Eadem eſt cum urbe, quæ è ditione Samariæ divulſa, Judææ adjecta eſt (g). Quæ ſi vera ſint: vetuſtiſſimam ſanè urbem fuiſſe, diutiùs ante Salvatoris ætatem, oportet. Quare ea, quæ de ædificatione illius poſt expeditiones Cruce ſignatorum narrantur, ſive de ejus reparatione, ſive de adjectis novis munitionibus intelligenda ſunt Euſebius & Hieron. in Armatha-Sophim, aliique nonnulli *Ramatham Samuelis*, ſive *Ramathaim Sophim*, cum hac urbe confudiſſe videntur; ſed præpoſterè planè.

III. RAMA, ſive *Ramatha*. In Itinerario Phocæ, urbs quædam *Ramath*, ſive *Armath*, patria magni Samuelis, 6. m. paſſibus à Jeruſalem, orientem verſus deſcribitur. Le Brun *Voyage de Syr.* narrat, ex urbe Rama ſe Jeroſolymam tendentem, Cobeb, Benop, Carth Jeneb, Soud, Souba, & *Samuelem* pertranſiſſe; Samuelem autem Templum eſſe colli imminens, cui olim urbem Samuelis inſediſſe vulgatum eſt. Sed, ait, urbs iſta ad ſeptentrionem, non ad occidentem Jeroſolymæ, in montibus Ephraim, non Juda, ſita eſt. Vide *Arimathia*.

IV. RAMA, urbs Tribus Nephtali, *Joſ.* 19. 36. in finibus Aſer. *Joſ.* 19. 29. S. Hieronymus in Hebræo legit *Hormu*; ſed Septuaginta, & Euſebius habent

Rama

(a) Aug. Pſeudo Hieron. Theodoret. Enthym. Latini plures in Pſ. 86. 5. (b) Vide Judic. 4. 5. & 19. 13.
(c) Euſeb. in locis. (d) Vide 1. Eſdr. 2. 26. & 2. Eſdr. 7. 30. Iſai. 10. 29. Oſee 5. 8.
(e) Vide Le Brun. p. 251. (f) Bernard. Monach. Itiner. an. 870.
(g) Vide 1. Mach. 11. 34. Antiq. l. 13. c. 8.

Rama. Idem Euſebius, & S. Cyrillus Jeroſolymitanus *in Zach.* Ramam in Aſer, & aliam in Nephtali collocant.

RAMATHA, & *Ramathaim Sophim*, eadem ac Rama, inter Bethel, & Gabaam, de qua ſupra.

RAMAT-LECHI, ſive *elevatio mandibulæ*, vel *jactus mandibulæ*, nomen loco inditum, quòd Samſon mandibulam illam Philiſthæorum nece inſignem, illuc projecerit (a). Fortaſſe eadem eſt ac *Lechi*. *Judic.* 15. 9.

RAMESSE, ſive *Rameſſes*, cujus nominis plures ſunt Ægypti Reges. Syncellus Chronic. ſex enumerat; ſcilicet:

I. RAMESSES, ſucceſſor Uſes, qui 29. annis regnavit.

II. RAMESSE-MENES, 15. annis.

III. RAMESSE-SEOS, 23. annis.

IV. RAMESSE-MENOS, 19. annis.

V. RAMESSE-TUBAETE, 39. annis.

VI. RAMESSE-VAPHRES, 29. annis.

Porrò omnes iſti Reges continuata ſucceſſione rerum potiti ſunt; tantùm inter ſecundum, & tertium, *Thuſimares* intermedius. Idem etiam Syncellus alium commemorat Rameſſem, inter *Armaim*, & *Amenophim* Ægypti Reges: & alium tandem, quem *Rhampſim* appellat, ſituumque ſuo ordine inter *Kerton*, & Amenemem collocat.

Apud Manethonem (b) occurrit *Rameſſes*, ſive *Armeſſes*, uti & *Rameſſes Miamum*, ante *Amenophim* Regem. Chronologiam Regum Ægypti turbatam eſſe plurimùm, alibi animadvertimus; ac certa illorum geſta fermè omnia latent. Regnum Rameſſis præceſſoris *Armais*, Uſſerius conſignat ad A. M. 2426. ante Chr. 1574. ante Ær. 1578. Uno tantum anno, & 4. menſibus regnavit. Hunc excepit *Rameſſes Miamum*, A. M. 2427. qui poſt exactos in Regno 66. annos, & duos menſes, *Amenophim* ſucceſſorem reliquit. Hunc Rameſſem nomine Regis novi deſignatum in ſacra Scriptura Uſſerius credit, qui Iſraelitas jugo ſervitutis oppreſſit, preſſit à Joſepho ſervitii immemor. *Exod.* 1. 8. Idem etiam urbes Pithom, & Rameſſem condidit; *Exod.* 1. 11. ac tandem Iſraelitas inſecutus, tranſitum maris rubri una cum exercitu tentans, *Exod.* 14. 28. aquis refluentibus oppreſſus eſt.

Marſhamus hunc ipſum Rameſſem ad ſæculum 16. Æræ Ægyptiacæ conſignat; quæ ſanè ætas in Regnum Joas, Amaſiæ, Azariæ, Joathan, & Achaz Regum Judæ incidit. Ab illo verò erectum inſignem illum Obeliſcum, de quo Plinius l. 35. c. 8. Hermapion (c), Ammianus Marcellinus, & qui noſtra ætate Romæ præ Templo Lateranenſi ſpectatur. Magnifica tamen elogia, quæ de illo Rege in eodem Obeliſco characteribus hieroglyphicis exarata leguntur, Mundi imperium, quod ipſi tribuitur, non alteri quidem juxta Marſhamum, Regi conveniunt, quàm Seſoſtris ſucceſſori, quem ille multò Moyſe poſteriorem credit.

Plinius *l.* 36. *c.* 8. de Rameſse, qui obeliſcum dedicavit, hæc notat: *Rameſes, quo regnante Ilium captum eſt*. Addit autem, monumentum illud 29. pedum altitudine aſsurgere, latitudine vero ad 4. pedes extendi; eique dolando 20000. virorum laboraſse. Cùm autem, narrat, Heliopoli erigendum eſſet, Rex, ut cautiores opifices præſtaret, in vertice filium alligari juſſit: metus enim, ne quid inſortunii Regio puero, ſibique deinceps contingeret, viros illos ſolicitabat.

Cambyſes Rex Perſarum, cum ſubjectum urbi ignem baſim ejuſdem Obeliſci jam corripientem videret, extinguendum præcepit; indignum judicans tantum opus eodem cum reliqua urbe fato abſumi. Auguſtus ex Ægypto Romam transferendos geminos alios Obeliſcos curans (d), de illo ne tentavit quidem. Conſtantinus Magnus tanti operis conſilium ſuſcepit; ſed renunciato Imperatoris obitu, cùm Alexandriam uſque translatus fuiſset, res intermiſsa eſt. Tandem Conſtantius ejus filius rerum potitus, opus reſumens, tandem Romam uſque deductum, in Circo maximo inſigne monumentum erigendum curavit. Dejectum verò, incertum quo tempore, Sixtus V. ex humo defoſsum, præ foribus Templi Lateranenſis an. 1588. ſtatuit (e).

RAMESSES, urbs Hebræorum opera, cùm in Ægypto eſsent, ædificata; cui fortè nomen ex Rege Provinciæ imperante, cujus juſsu ad opus cogebantur, inditum. Ejus urbis ſitus incertus. *Papremis* in Ægypto inferiori apud Herodotum l. 2. c. 59. 71. & 165. occurrit; & Plinius l. 6. c. 28. *Ramiſos*, & *Patamos* jungit, quæ ſanè gentes urbes Pithom & Rameſsem habuiſse videntur; eas verò idem Scriptor Arabibus ad Ægyptum adjacentes collocat.

RAMETH, ſive *Ramath*, *Joſue* 19. 21. vel *Beer-Ramath*, *Joſ.* 19. 8. vel *Ramoth ad meridiem*: 1. *Reg.* 30. 17. quæ diverſa nomina eandem urbem in plaga meridionali Tribus Simeonis deſignant.

RAMETH, urbs Tribus Iſsachar *Joſ.* 19. 21. eadem ac *Ramoth*, 1. *Par.* 6. 73. nec alia fortaſsè a *Jaramoth*. *Joſ.* 21. 29. Urbs erat Levitarum.

(RAMLA urbs Palæſtinæ in via Joppe Jeruſalem. Vide Dictionarium Biblicum v. II. *Rama*. Urbs erat ſuperba olim validiſque cincta mœnibus, feruntque domum illam, quæ hodie peregrinorum eſt Xenodochium, olim fuiſse Nicodemi Diſcipuli occulti Jeſu Chriſti. Spectanda ibi pariter ſe offerunt inſignia duo olim Templa, nunc Moſchææ, loco dicata quondam unum quidem S. Joanni, alterum, S. Mariæ ſub nomine quadraginta Martyrum, quorum corpora eò relata ſunt ex Urbe Armeniæ Sebaſte. Diſtant ab hinc 3000. paſſibus rudera veteris olim Lyddæ, tandem Dioſpolis, unius ex tribus Toparchiis additis Judææ *Marc.* 11. 24., ac celebris prodigio S. Petri, qui paralyticum Æneam valetudini reſtituit *Act.* 9. 33. 34. Redacta eſt hodie ex urbe in modicum vicum, nihil offerens dignum viſu, niſi Templum S. Georgii, quod veteris magnificentiæ ſuæ præfert argumenta. Ad Ramulam proximè colitur à Muſulmanis ſepulcrum Locmani ſapientis (f) cum monumentis pariter ſeptuaginta Prophetarum, quos ſepulturæ ibi datos credunt

RAMOTH, urbs celebris in montibus Galaad; unde loco nomen *Ramoth Galaad*; interdum tantùm *Ramoth*, quandoque *Ramoth Maſpha*, ſcilicet vigilis (g); apud Joſephum *Ramathan*, ſive *Aramatha*. In ditione Tribus Gad ſita erat, *Deut.* 4. 43. & 20. 8. Levitis ceſſit, atque inter urbes refugii in transjordanica ſelecta eſt. *Joſ.* 20. 8. & 21. 37. Sub noviſſimis regibus Iſraelis florebat; cujuſque cauſa inter reges Iſraelis & Damaſci bella interceſſerunt; conantibus Iſraelitis ejus imperium ab hoſtibus, a quibus tenebatur, vindicare. 3. *Reg.* 22. 3. In ejus obſidione Joram Rex Judæ gravi vulnere percuſsus eſt. 4. *Reg.* 8. 28. 29. & 2. *Par* 22. 5 Jehu filius Namſi opera Prophetæ ab Eliſeo miſſi ibidem in Regem inunctus. 4. *Reg.* 9. 1. Achab tandem Rex Iſraelis, inito ante eam cùm Syris prælio, occiſus eſt. Sita erat Euſebio 15. m. paſsuum à Philadelphia, orientem verſùs; S. Hieronymo verò in vicinia *Jabok*, ac proindè ad ſeptentrionem Philadelphiæ.

RAMOTH, filius Bani. 1. *Eſdr* 10. 29.

RANA, communiſſimum animal. Cùm Moyſes *Exod.* 8. 2. ranarum plagam in Ægyptum induxit, frequentes adeò fuerunt, ut eæ, tota terra operta, domos, lectos, ipſaque penaria ingrederentur; mortuarum

(a) Judic. 14. 17. Septuag. Ἀναίρεσις σιαγόνος. (b) Manetho apud Joſeph. lib. 1. cont. Appion.
(c) Hermapion apud Ammian. Marcell. l. 17. (d) Ammian. l. 17. Vide & Gruter. inſcrip. p. 186.
(e) Vide Marſham. Can. Chronol. Ægypt. ſæculo 16. (f) Joſue 13. 26. In Vulgata duæ urbes conſtituuntur, Ramath, Maſphe. (g) D'Herbelot. Biblioth. Orient. p. 7.

rum verò ſtrues ingentes adeò fuere, ut putreſcentes totam Ægyptum intolerabili fœtore inficerent.

(RAPERE, vulgari ſignificatione exprimit aliquid ab aliquo vi tollere: *Alii rapiunt rem ſuam Prov.* 11. 24.; uſurpatur etiam pro raptu mulieris vel puellæ: *Sichem rapuit Dinam, & dormivit cum ea Gen.* 34. 2. Et Judic. 21. 21. *Rapite ex eis ſinguli uxorem ſibi*. Saul furens in Jonatham filium ſuum, ipſum appellat 1. *Reg.* 20. 30., *Fili mulieris virum ultrò rapientis*, i. e. quærentis virum.

Rapuerunt verbum ex ore ejus 3. *Reg.* 20. 33., prolata ab illo verba aucupati ſunt; verbis ejus reum tenuerunt illum.

Rapere in Cœlum, in Paradiſum, ut de Apoſtolo, qui raptus fertur ad tertium Cœlum 2. *Cor.* 12. 2. 4., de homine, qui in ſpiritu ſupernaturali quodam ſtatu elevatur uſque ad Paradiſum, quamvis corpore perſeveret in terra. *Spiritus Dei rapuit Philippum*, tranſtulitque longiùs à loco, ubi Eunuchus Baptiſmate tinctus fuit *Act.* 8. 39. Tam rapido volatu tranſlatus eſt ut tanta hominis celeritas ſit nulla. Jeſus Chriſtus, *Matth.* 11. 12. jam inde à Joanne Baptiſta ait, *Regnum Cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, quod duplici interpretatione exponitur: ad obtinendum Regnum Cœlorum & vitam æternam vi in paſſiones ſuas agendum eſt, atterenda caro, ſuſtinenda crux, exercenda pœnitudo. Vel aliter. Jam inde à Joanne Baptiſta Regnum Cœlorum, prædicatio Evangelii & veritas à Jeſu Chriſto annunciata, vim patiuntur, impios habent adverſarios, Regnum Cœlorum direptioni, ferè dicam atque impotentiæ ſceleſtorum exponitur; vel tandem: Deus Cœlorum Regnum invidet nemini, tanquam in prædam omnibus permittit, violentibus patet.

Filius Dei non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo Philipp. 2. 6.; Deus, eſt Deo natura ſua, non vi, non rapina æqualis. Cùm Lucifer ſuperba illa cogitabat de ſe, *Similis ero Altiſſimo*, hæc ille quidem per ſummam blaſphemiam, impudentiam, injuriam, ſacrilegium omnium maximè inſigne uſurpavit.)

I. RAPHA, filius Beriæ, & nepos Ephraim (a).

II. RAPHA, quintus filius Benjamin. 1. *Par.* 8. 2.

III. RAPHA, filius Baanæ è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 37.

IV. RAPHA, ſive *Arapha*, pater veterum Palæſtinæ gigantum; ex quo nomen illis *Rephaim*, ſive *Raphaim* (b). Vide *Raphaim*.

RAPHAEL, ex ſeptem primoribus Angelis, qui Dei throno adſiſtentes, juſſionibus ipſius præſto adſunt. *Tob.* 12. 15. Angeli Raphaelis nomen ea tota Scriptura tantùm in hiſtoria Tobiæ legitur. Nuſquam verò in N. T. Ac ſanè illud animadvertendum eſt, Angelorum nomina primò tantùm poſt captivitatem Babylonicam invecta videri. Tobias ſenior mutuò traditam, ſive tantum, juxta Textum Græcum, depoſito commiſſam duorum talentorum ſummam apud Judæum, nomine Gabelum, miſſo Tobia juniore filio ſuo, repetendam conſtituit (c). Quæſito igitur ad juvenem deducendum è Ninive in Rages Urbem Medorum viro, Raphael ſub ementitis hominis exuviis occurrit; quorum, unius drachmæ quotidianam mercedem victumque (d) pactus, adoleſcentem dimiſit. Sub Azariæ igitur nomine Angelus Tobiæ itineris comitem ſe præbuit; eodem cum illo commeatu uſus, ut nullam unquam ſui ſuſpicionem ſocio exhibuerit.

Ambo iter ineuntes, ad diverſorium juxta Tigrim fortè pervenerunt; ubi Tobias ad amnem, ut pedes lavaret, accedens, immani cujuſdam piſcis in ſe procurrentis aſpectu territus eſt. Angelus juvenem confirmans, juſſit, branchia ejus apprehenſa, monſtrum in ſiccum educere; eductum verò exenterare, atque fel & jecur in opportunum tempus ſervanda præcepit. *Tob.* 6. 1. Cœpto igitur iterum itinere, cùm Ecbatanis propiùs accederent, narravit Angelus, filiam eſſe in ea urbe Raguelis cujuſdam, *Tob.* 6. 10. quàm ipſe ducere, utpotè cognatione ad fœminam, bonorum omnium domus ſuæ hæredem, propius ſpectans, debebat. Adoleſcens audiviſſe ſe dixit, illam ſeptem ordine viris nuptam, totidem à Dæmone occiſis orbatam fuiſſe. Quem Angelus bono eſſe animo jubens, nequidquam valere Dæmones in illos ſignificavit, quos Dei timor ad nuptias ſolicitaret. Haberet autem in promptu monuit piſcis capti cor, cujus ſupra carbones poſiti fumus Dæmones in fugam verteret.

Ut igitur ad Raguelis ædes divertere, *Tob.* 7. 1. Tobias, cautionibus ſibi ab Angelo præſcriptis omnibus ſervatis, nuptias fauſto prorſus eventu celebravit; & Dæmon ille, qui Saram utcumque infeſtabat, in ſuperiorem Ægyptum relegatus eſt. Diebus autem ſolemnibus nuptiarum *Tob.* 9. 1. Tobias ſocium rogavit, ut Gabelum adiens, pecuniam, cujus potiſſimùm gratia iter inierat, exigeret. Raphael actutum in Rages ſe conferens, illicò ad juvenem pecuniam reduxit. Inde duo comites, addita nova nupta, iter Ninivem verſus inſtituere; *Tob.* 11. cumque Haram venientes, medium jam iter confeciſſent, adoleſcens Angeli monitu magnis itineribus ſolus cum ſocio ad parentes, de mora illius, computatis diebus, ſolicitos, contendit. Via autem parentibus reſtitutus Tobias, poſt primas ſalutationes, à ſocio edoctus, felle piſcis capti oculos patris linivit: quo collyrio media circiter hora evoluta viſum ſenex recepit.

Statim ad hæc accitus ab utroque Tobia Angelus, quem mortalem adhuc credebant, offerentes ſibi ex æqua parte bonorum ſuorum portionem, quibus beneficia ab eo accepta rependerent, monuit primò, ut gratias Deo bonorum omnium largitori referrent. Addidit autem, ſe, cùm illi egentibus ſuccurrerent, cùm mortua corpora curarent, præſto fuiſſe, ut ipſorum preces Deo offerret: cum autem Deo accepti eſſent, tentatione probandi erant: factum tandem eſſe, ut à Deo ſanitatem obtineret, atque Sara ſponſa filio, pulſis Dœmonibus, pararetur. Denique Angelum ſe Raphaelem, unum ex ſeptem Dei Throno jugiter adſiſtentem prodidit: qui à Deo miſſus, eodem cum Tobia victu uſus videbatur, re tamen aliud inviſibile adhibuiſſet alimentum. His dictis, ſtatim evanuit. Vide hæc latius deducta v. *Tobias*.

Nomen Raphael reddi poteſt *pharmacum Dei*, ſive Medicus Dei: quod ſanè cum Angeli miniſterio, & conſilio Dei in eo mittendo ad Tobiam, & Saram liberandos congruit.

Porrò Azariam filium magni Ananiæ ſe prodidit, ex ampliſſima ſcilicet familia, uti Tobias, cui genus illud perſpectum erat, ſignificavit. Textus Hebræus, Syriacus, & Græcus ita verba Tobiæ referunt. *Tu es frater meus ex pulchra & bona progenie. Cognovi enim ego Ananiam, & Jonatham filios Semei magni, quomodo ibamus unà in Jeroſolyma ad adorandum, offerentes primogenita, & decimas germinum: & non erraverunt in errore fratrum noſtrorum. De bonæ radice es frater.*

An ſine mendacio verba illa Angelus uſurpare potuerit, diſquiritur: nec ſanè mendacium facilè excuſari poſſe videtur (e), utpotè qui Azariæ nomen, & patrem Ananiam, genus vero Iſraeliticum falsò præferret. Contra mentem locutus videtur, atque Tobiæ mendacium aſpectu perſuaſit: quippè qui ſe

viarum

(a) 1. Par. 7. 25. (b) Vide 2. Reg. 20. 6. 7. & 1. Par. 20. 4. Gen. 14. 5.

(c) Tob. 5. 5. &c. A. M. 3322. ante Ch. 678. ante Ær. 682.

(d) Nihil de hac conventione Vulgata. Sed in vetuſtis Textibus Hebraicis, Græcis, & Latinis apertiſſime, Drachma 8. ſolidos noſtrates circiter refert.

(e) Vide Gataker. l. 1. contra Edmund. Campian. p. 77.

viarum ducem præſeferret, cum Angelus eſſet. Sed Interpretes vulgo mendacium excuſant (a); miſſum enim à Deo ad deducendum Tobiam juniorem ſub aſpectu juvenis Azariæ, ejus perſonam induiſſe par erat. Angeli ſanè, qui ſe videndos Patriarchis, & Moyſi exhibuerunt, Deum referentes, tanquam Deum ſe gerebant. Porrò Tragœdiarum Actores, qui Cyri perſonam exhibent, Cyrum ſe, nec ſanè falſo, dictitant. Quin & quæ ſupra naturam gerunt, uti ſanè Raphaelem egiſſe conſtat, ad conſuetas naturæ regulas referre, atque judicare nefas omnino; altiora enim ſunt, & alterius ordinis: figuras exhibent, & myſteria. Quare nihil illis ad mendacium, ſi mendacium ſpectemus, tanquam crimen juſtitiæ, & veritati contrarium.

Quærunt inſuper, an Raphael in ſpecie tantùm, an re ipſa cibum potumque guſtaret; qua in re non planè inter Scriptores convenit. Sunt, qui in ſpecie tantum cibum ſumpſiſſe autument; quibus Raphaelis illud ſuffragari videtur: *Videbar vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*. Sola igitur comedentis ſpecies ante oculos Tobiæ verſabatur, cum interim Angelus dapibus abſtineret. Alii tamen (b) putant, Angelos, qui ſe hominibus videndos exhibuerunt, alimentis uſos fuiſſe; quin & pane Angelorum, juxta Scripturæ phraſim, *Sap.* 16. 20. ali Angelos in Cœlo S. Juſtinus Dialog. cum Tryphone admittit: Tertullianus contra Marcion l. 3. c. 9. vero vera carne inductos Angelos ſentiens, vero etiam cibo nutriri non negat.

S. Auguſtinus (c) nullum inter Angelos & homines quo ad cibum diſcrimen ſtatuit, niſi illud tantummodo, homines ſcilicet reparandis viribus vitæque ſubſtinendæ cibum capere cogi; Angelos vero dapibus recreari. Verba autem illa Raphaelis, *Videbar vobiſcum manducare, & bibere*, ita explicanda cenſet, ut neceſſarias eſſe illi dapes homines crederent, ipſum verò nonniſi voluptatis cauſa comediſſe. Ita etiam Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam cibum, potumque adhibuit. Quid autem factum eſt de alimentis illis, quæ Angeli, & ipſe Chriſtus poſt Reſurrectionem deguſtavit? Per cœcos corporis canales tranſpiratione nempe, & rarefactione diſſipabantur: certè in carnem, & ſanguinem non tranſmutabantur (d).

RAPHAIM, ſive *Rephaim*, veteres Chanaanitidis gigantes, quorum plures erant in ea regione familiæ. Vulgo ex Repha, ſive Rapha derivantur: non deſunt tamen, qui nomen Rephaim veteri regionis ſermone gigantes ſonare credant. Abrahami ætate, Rephaim in tranſjordanica in Aſtaroth-Carnaim aliqui verſabantur; in quos ſcilicet Cadorlahomor expeditionem ſuſcepit: *Gen.* 14. 5. nec Moyſis ævo in eadem regione omnino interciderant, cùm Og Rex Baſan ex Rephaim cognatione eſſet. *Joſue* 12. 4. Sub Joſue etiam in Chanaanitide gigantes occurrunt; *Joſue* 17. 15. quin & Davide regnante, urbem Geth Rephaim habuiſſe compertum eſt. 1. *Par.* 20. 6. 7. Goliath, Saphai, & alii nonnulli gigantes ad Rephaim ſpectabant. Molem corporum, & virium immanitatem deſcribit Scriptura, & nos in Diſſertatione de Gigantibus.

(Raphaim vel *Rephaim*. Exprimit vox iſta Gigantes Palæſtinam tenentes, antequam Hebræis cederet in ſedem. Textus quidam ſuppetunt in Scriptura, ubi vox illa redditur *Medici*; e. g. Pſ. 87. 11. *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut Medici* (Hebr. Rephaim) *ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* Verùm S. Hieronymus plerumque reddit eam vocem *Gigantes*; ac recurrit non ſemel in Scriptura locus infernus, ubi Rephaim gemunt, quò pariter deſcendunt impii, ſceleſti, impudici. Vide ſupra v. *Gigantes*.)

RAPHAIM. Vallis Raphaim ſub Joſue, & ſub Davide celebratiſſima (e), de qua Iſaias 17. 5. *Erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim*. Hic non rarò Philiſthæi caſtra habuerunt. In Græco appellatur *Vallis Titanum* (f), & in Vulgata Vallis gigantum 2. *Reg.* 13. 13. In finibus ſortis Judæ illam Joſue conſtituit; adeò autem ad Jeruſalem proximè accedebat, ut Judæne an Benjamin Tribubus inter ſe junctis tribuenda ſit, adhuc hæreamus. Euſebius in ditione Benjamin conſtituit; apud Joſue verò, & in Libris Regum, ubi de illa ſermo, ad Judam attinere ad meridiem, ſive ad occidentem Jeroſolymæ ſita, innuitur.

RAPHANEA, urbs Syriæ. In planitie inter *Arcas*, ſive *Arach*, urbem Judææ ditionis Agrippæ, & Raphaneam, amnis Sabbathicus fluebat (g), de quo nos alibi. Porrò *Raphanea* eadem credi poteſt ac *Arphad*. Vide *Arphad*. (h)

RAPHIA, urbs celebris, ad mediterraneum inter Gazam, & Rhinocoruram. Ejus nomen, quod tamen mirari ſubit, in V. T. nuſpiam legitur, niſi fortè eadem cenſenda ſit cum urbe Geth, à Raphaim occupata; 1. *Par.* 20. 7. unde fortè urbi nomen *Raphia*, ſive *Raphera*. Nec ſanè Geth ab eo loco abfuiſſe oportuit. Porro Raphia victoriis Philopatoris Regis Ægypti de Antiocho Magno Rege Syriæ ibidem relatis, celeberrima eſt (i). Ea primum occaſione nomen Raphiæ in Libris Judæorum occurriſe. Hanc urbem ab Alexandro Jannæo captam, atque bellis everſam Gabinius reſtituit, auctore Joſepho *Antiq.* *l.* 13. *c.* 21. Venientibus ex Ægypto primam inter Syriæ urbes Raphaim occurriſſe idem Joſephus *de Bel.* *l.* 5. c. 14. & Polybius *l.* 5 animadverrunt. Veteres quidam nummi in ea urbe cuſi ſuperſunt; & in ſubſcriptionibus Conciliorum Orientis nomina Epiſcoporum Raphiæ (k) leguntur.

RAPHIDIM, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto, *Exod.* 17. 2. Movens enim populus è deſerto Sin, ad Raphidim venit; ubi aquarum egeſtate laborans, ſeditionem in Moyſem excitavit. Quid enim oportuit, dicentes, ex Ægypto nos eduxiſſe, ut ſiti nos, filii noſtri, & pecora in deſerto conficeremur? Moyſes Dei ope implorata, à Deo juſſus populum, adhibitis inſuper Senioribus nonnullis, ad rupem quandam duxit. Monitus autem à Deo, virga ſilicem percutiens, aquarum venam eduxit, aquationi populi ubertimam (l). Ex populi murmure loco nomen *Tentatio* inditum tentante Deum populo, an ſcilicet ille cum ipſis graderetur.

Raphidim modico prorſus ſpatio ab Horeb abfuiſſe oportuit, cùm è ſilice Horeb aquæ vena erueretur. Eam vero aquam non caſtrametationi tantum Raphidim, ſed & montis Sinai, aliiſque, & fortè uſque ad Cades-barne ſuffeciſſe conſtat. *Bibebant autem*, ait Apoſtolus 1. *Cor.* 10. 4. *de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat* (in figura nempe) *Chriſtus*: ſivè quod deductus è ſilice rivus, ſive ipſa petra, ſivè tandem onuſtæ eadem aqua ſarcinæ populum ſequerentur, juxta illud Æliani *Variar. hiſt.* *l.* 12. *c.* 40. *Aqua Choaſpis Reges Perſarum perpetuò ſequebatur*: onuſta ſcilicet eadem aqua jumenta ad potum ſemper Regibus Perſarum in itinere præſtò erant.

(a) Vide t. 5. Oper. S. Aug. in append. Serm. 43. Carthuſ. Serar. Juſtinian. Menoch. Druſ.
(b) Paraph. Jonath. Rabb. quid. in Talm. Theodoret. q. 69. in Gen. 8. Thom. 1. p. q. 51. art. 2. & 3. ad 5.
(c) Aug. Serm. 362. de Reſurrect. c. 11. & l. 13. de Civit. c. 12.
(d) Grot. Menoch. Juſtinian in Tob. 12.
(e) Joſue 15. 8. & 18. 16. & 2. Reg. 5. 18. 22. & 1. Par. 11. 15. & 14. 9.
(f) Joſue 15. 8. & 2. Reg. 5. 18. (g) De Bello l. 7. c. 24.
(h) 4. Reg. 18. 34 & 19. 13. Iſai. 10. 9. & 36. 19. & 37. 13. Jer. 49. 23.
(i) 3. Mach. 1. 11. A. M. 3787. ante Chr. 213. ante Ær. 217.
(k) Reland. Palæſt. l. 3. p. 967. 968.
(l) A. M. 2513. menſe ſecundo ab egreſſu ex Ægypto.

Digitized by Google

erant. Fieri etiam potuit, ut petra Horeb in plauſtro vecta, doliı cujuſdam inſtar populi neceſſitatibus aquam ſufficeret.

Quam quidem poſtremam ſententiam Rabbini, & nonnulli inter Patres prætulerunt: *Poſt manna ſcatilem pluviam, poſt petræ aquatilem ſequelam*; ità Tertullianus de patientia 5. *Nonne immobilis petra, quæ populum ſequebatur?* ità S. Ambroſius l. 5. c. 5. de Sacram. Paria apud S. Chryſoſtomum, Ambroſiaſtrum, Photium apud Oecumenium, S. Thomam, Cantacuzenum *in Commentatiis ad* 1. *Cor.* 10 legas. Haſce verò aquas meritis Mariæ ſororis Moyſis cœlitus conceſſaa, poſt ejus obitum evanuiſſe, Judæi comminiſcuntur; hinc, ajunt, caſtrametatus ad Cades-barne populus, ubi Maria diem clauſit, aquæ penuria laborans, conſuetam ſeditionem excitavit. *Num.* 20. 1.

Quæ ſingulis hiſce ſententiis opponuntur, leges apud Interpretes (a). Interim iis tantùm narratis, prudens Lector quam cæteris præferat, facilè diſpiciet. Rivum adhuc ad radices Horeb fluere Itineraria teſtantur; quem tamen alii è terra, non è ſilice, ſcatere animadvertunt; quanquam, ajunt, in petra duodecim velut oſtia panduntur, erumpentis olim ex illis aquæ argumentum (b).

Raphidim quoque relata à Joſue in Amalecitas victoria, de qua nos v. *Amalec*, & *Joſue*, celebratur. *Exod.* 17. 18. Manus autem conſerentibus utrinque, Moyſes elatis ad Cœlum manibus orabat; quas ne unquam pondere laſſatus remitteret, (laſſatis enim paulatim manibus hoſtes pari paſſu prævaluiſſe experientia compertum habebat) Aaron & Hur ſuſtinebant. Vide *Exod.* 17. 8. *&c.*

RAPHON, urbs transjordanica ad torrentem quendam propè Carnaim, victoria Judæ Machabæi de Timotheo clara. 1. *Mach.* 5. 37-43.

(Rapbon Urbs in Scriptura nota tantùm ex victoria Judæ Machabæi, de Timotheo 1. *Mac.* 5. 37. Timotheus enim poſt reportatam exercitus ſui cædem coram arce Dathmam, novum inſtauraverat agmen ex Arabibus aliiſque collectia gentibus implens 120000. pedites & 2500. equiteas miſſiſque fœminis, infantibus, ac reliquis impedimentis Urbem Carnaim vel Aſtaroth-Carnaim ſitam trans Jordanem, acceſſu maximè difficilem, caſtra locavit ad Raphon ſeu fortè Saphon ultra & ad Septemtrionem Torrentis Jabok 2. *Mac.* 12. 20.

Habebat tunc Judas in armis tantùm 6000. virorum, miſſiſque exploratoribus, ut de exercitu hoſtium intelligeret, confertiſſimum eſſe agmen comperit collectum ex univerſis vicinis gentibus, atque omnia ad aggreſſionem parari à Timotheo. Statim ad hæc Judas movit in hoſtes, tranſmiſitque cùm ſuis torrentem; qua viri audacia attoniti hoſtes impetum ſuſtinere non valuere, ſed declinarunt in fugam.

* In omnibus geſtis à Juda Machabæo expeditionibus audacia regnat & ardor ſummus, ſumma item in exequendis rebus prudentia, ſumma in declinandis inſidiis hoſtium cautio, ſumma tandem ſolertia, ut inſidias in illos regereret. Via ad aures Judæ pervenit rumor Timotheum novum inſtauraſſe exercitum, & caſtra locaſſe trans Jabok ad Raphon, exploratores miſit intellecturus an veritati hæc omnia conſtarent, renunciatumque eſt illi: *Convenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt; & exercitus multus nimis.* Immania profecto erat exercitus ille, cùm agmine Judæ collatus; ita enim de copiis Ctius teſtatur, 2. *Machab.* 12. 20. *At Machabæus ordinatis circum ſe ex millibus, & conſtitutis per cohortes adverſùs Timotheum proceſſit habentem ſecum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos.* Nihil terretur ad immanem hoſtium exercitum, intelligenſque omnia parare illos ad aggreſſionem, ſuſtinere ictuentes è re ſua eſſe non cenſuit, ſed præveniendum ratus, movit in hoſtes, quod plurimum terrendis hoſtibus illis valuit.

Timotheus, qui ardorem Judæ probè norat, noſſe pariter viſus eſt, quæ ſibi imminebant, & quæ ad Præfectos exercitus ſui effatus eſt, demonſtrant apertiſſimè quanta eſſet animi imbecillitate, quàm parum ſtrenua, validiſſimo licèt exercitu fortis. Ait Timotheus: *Cùm appropinquaverit Judas & exercitus ejus ad torrentem aquæ, ſi tranſierit ad nos prior, non poterimus ſuſtinere eum, quia potens poterit adverſùm nos, Si verò timuerit tranſire & poſuerit caſtra extra flumen, transfretemus ad eos & poterimus adverſùs illum.* Doctus Commentariorum Scriptor obſervat in hunc Textum Timotheum victoriæ vel cædis ſuæ omen deduxiſſe ex facto hoſtium arbitrario, quod incertiſſimum eſt & ſuperſtitioſum maximè. Hiſce ego reponerem, nihil in hac re eſſe incertum, nihil ſuperſtitioſum; quotidiana enim experientia diſcimus, ſupremum exercitus Imperatorem prudentem ac rei militaris peritum Prophetam agere, abſque eo quod de ſuperſtitione accuſetur; novit enim manere ſe deteriora, ſi hoſtis ita ſe vel aliter gerat; ſin verò contraria omnia præſtiterit, certam ſibi ſpondet victoriam. Contingit non rarò, ut plena diſcriminis conſilia capiantur ex opinione, qua quis tenetur, rem habere ſe cùm hoſte rerum militarium ignaro, quem facilè conſilia illa ſua fugiant; ſæpe verò hæc repetentem peritiſſimum licet rerum militarium falli conſtat; hæc in rebus bellicis ſunt incerta. Sæpè ea, quæ rebus maximè opportuna conſilia, ac maximè ad militares regulas exacta videntur, dejiciuntur atque evertuntur contrariis quam pro expectatione hoſtium conſiliis; neque enim in mentem unquam venire, illa moliturum hoſtem, nec interdum id debet hoſtis ille prudentiæ ſuæ ſed caſui. D. de Turene fatebatur in quibuſdam rerum articulis plus negocii habuiſſe cum imperito hoſte, quàm cum rebus militaribus excultiſſimo. Cùm verò indoles antagoniſtæ habetur perſpecta, tùm rebus ſuis provideri poteſt adeò, ut toties vincatur hoſtis quoties ille paret in conſpectu. Alterum, quod obſervat Commentariorum Scriptor, magis exactum eſt ac juſtum quàm prius illud. Agnoſcendum eſt tamen, ait ille, Timotheum omen victoriæ ſuæ ex eo captare, quod timiditatis aliquid in exercitu Judæ indicabat: *Si tranſierit ad nos prior, non poterimus ſuſtinere eum, ſi verò timuerit tranſire, poterimus adverſùs illum.* Si militari virtute plus valuiſſet. Timotheus, nunquam viribus ſuperior continuiſſet ſe trans Torrentem; nihil enim vadum illi prohibebat, nihil ut ipſe prior procurreret in hoſtem, quem planè medium excepiſſet; ſed tranſmittentes hoſtes ſuſtinuit immotus, prælio victus eſt & facilè culpa ſua, qui metu victoriæ ab hoſtibus reportandæ animos Ducum ſuorum occupaverat.

Ut appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, ait Scriptor 1. Machab. 5. 4. 2. *ſtatuit Scribas populi ſecus torrentem, & mandavit eis dicens: Neminem hominum reliqueritis; ſed veniant omnes in prælium.* Veri ſpeciem præfert maximam ſubdubitaſſe Judam, num aliquorum è ſuis animi formidine quadam potentiſſimorum hoſtium tenerentur; quare hæc mandanda cenſuit. Torrens profectò iſte tranſvadari poterat, & Judas diviſis ſuis 6000. per cohortes, quibus ſingulis ſuos præfecit Duces i. e. ſingulas diviſit in plura agmina maximè conſerta pro conſueto more: *Transfretavit ad illos prior, & omnis populus poſt eum.* Temeritatis accuſari poſſet Dux Hebræus vadum tentans amnis, exiguis adeo copiis inſtructus, coram hoſte ultra 100000. tremendo, temeritatis, inquam, accu-

(a) Vide Interpp. in Exod. 17. & in 1. Cor. 10. 4.
(b) Morizon. Voyage l. 1. c. 1.
* *Animadverſiones in tranſmiſſionem Torrentis Jabok & fuſum exercitum Timothei ad Raphon à copiis Judæ Machabæi* 1. Mac. 5. 37. 38. *&c.* & 2. Mach. 12. 20. &c.

Digitized by Google

uccidari poſſet, niſi certo conſtaret illum ſpem ſuam omnem locaſſe in Deo, cujus in ſe præſentiſſimam noſcens opem nihil moliebatur fruſtra, & virtutis non ſpecimina tantùm edebat, ſed & miracula patrabat. Scitiſſimè hæc deſcribit Author 2. Machabæorum 12. 22. *Cùmque cohors Judæ apparuiſſet, timor hoſtium incuſſus eſt ex præſentia Dei, qui univerſa conſpicit, & in fugam verſi ſunt alius ab alio, ita ut magis à ſuis dejicerentur, & gladiorum ſuorum ictibus debilitarentur. Judas autem vehementer inſtabat puniens profanos, & proſtravit ex eis triginta millia virorum.*

Id maximè juvat animadvertiſſe in Machabæis, nunquam vel rarò adhibuiſſe in exercitu ſuo equitatum; ſemper peditibus inſtruunt agmen, ſed ſtrenuis, atque animo ad omnia paratis, quin & committere ſe vel in equites auderent; conſerti autem certabant adeò, ut penetrari agmen vix, ac ne vix quidem poſſet. Quod attinet ad agmen Timothei, ejus pedites in phalangem inſtruxerant, rejecerant equites in alas pro recepta methodo Aſiaticorum, quæ pariter & familiaris erat omnibus Occidentalibus, exceptis Romanis. Ruit in illos Judas tanto impetu, ac virtute, ut viam ſibi per medios hoſtes aperiret, verteretque pugnantes in fugam.)

RASIN, Syriæ Rex, qui junctis cum Phacee filio Romeliæ viribus, ditionem Achaz Regis Juda invaſit (a). Ineunte igitur Achaz regnum, Jeroſolymam Syri fruſtra obſedere; qui tandem pedem referentes, regione vaſtata, ad propria remigrarunt. Altero anno, ambo Reges iterum ditionem Juda ingreſſi, hoſtium exercitui, totique Provinciæ, Deo permittente, cladem intulerunt. Inde ſejunctis Iſraelitarum & Syrorum copiis, utrimque Judæi afflicti: Raſin enim regionem undique impunè excurrens, immenſam & captivorum & prædæ copiam Damaſcum reduxit (b); Phacee verò unico diei prælio 120000. hoſtium trucidatis, 200000. captivorum ſecum referebat; cùm occurrentis ſibi Prophetæ Obed monitu, remittere illos coactus eſt.

Sub idem tempus ſuſcepta à Raſin in urbem Aïlat, ſive Elath ad mare Rubrum expeditio; ex qua pulſis Judæis, Idumæos, à quibus fortè ſollicitatus venerat, introduxit (c). Hebræus & Vulgata legunt Raſin eam urbem reſtituiſſe Syriæ; ſed ex contextu ſatis intelligimus, pro Syria legendum Idumæam; Hebraicè *Edom*, pro *Aram*; quæ duo nomina in textu originali vix diſtinguuntur. Ad eas anguſtias redactus Achas, ſuppetias à Teglatphalaſar Rege Aſſyriorum ingenti pretio obtinuit: qui ſtatim Damaſcum obſidens, urbe tandem capta Raſin occidit, incolas verò in regionem *Kir*, fortè ad fluvium *Cyrum*, in libertam traduxit (d).

RATIONALE JUDICII: panniculus erat acu pictus, & pretioſus, 12. circiter pollicibus in quadratum, *Exod.* 28. 16. quem Summus Sacerdos ante pectus appenſum geſtabat. Panniculo 12. gemmæ quadruplici ordine inſertæ erant; ſingulis verò ſingula tribuum Iſraelis nomina inſculpta. *Duplex* fuiſſe conſtat; ſive quòd duplici compactoque opere elaboratum eſſet; ſive duplicato panno conſtabat, in quo *urim* & *thummim*, juxta Rabbinos, recondebantur. Nomen verò *Rationalis judicii* ſive ex voluntate Dei per illud explorata inditum eſt, ſive quòd ad Summum Sacerdotem Judiciorum prima pars ſpectaret; qui ſanè in cauſis magni momenti ſententiam ſuam niſi ſolemnibus veſtibus indutus non pronunciabat.

Hebræus legit tantùm (e) *coſchen*, & quandoque *coſchem miſchphath*, quod Septuaginta vertunt *logion*, ſive *logion creſeos*; & S. Hieronymus reddit *rationale*, *rationale judicii*. Quid *coſchen* ad literam ſonet, incertum; vulgò tamen ex Arabico *raſan*, ſcilicet craſſo, ſuffarcio, inæqualis, quod ſanè Rationali congruit, derivant. Vide quæ diximus v. *Ephod*, & Pectorale, & ſuo loco *Urim* & *Thummim*.

RAZIAS, ſive *Rhazis*, inter præſtantiſſimos Jeroſolymæ Doctores, in perſecutione Antiochi Epiphanis, & ſub Regno Antiochi Eupatoris, ac Demetrii Soteris (f). Cùm Alcimus Summum Sacerdotium à Demetrio pecunia emiſſet, ut dignitas ſibi aſſereretur, Nicanor in Judæam miſſus eſt. Verùm idem Nicanor compoſitis cum Juda Machabæo rebus, quietas Jeroſolymæ res agebat: quare Alcimus ſiniſtri aliquid in ſe ſuſpicatus, hunc de inita cum Juda Machabæo conſpiratione apud Regem accuſavit. Demetrius datis illicò ad Nicanorem literis, quantociùs Judam Machabæum cuſtodiæ commiſſum ad ſe Antiochiam tranſmittere juſſit. Nicanor igitur conſuetudine cum viro reſciſſa, manus in illum injiciendi conſilium inibat: quod ſentiens Judas, cautè ſeſe recepit.


Nicanor igitur ſpe fruſtratus, verſo in Sacerdotes furore, minis illos etiam atque etiam terruit. Inter hæc, Razias ad virum delatus, fortè quòd rebus Judæ faveret, atque Alcimo ſupremæ dignitatis invaſori adverſaretur. In Scriptura quidem nihil de ſtructis in illum calumniis; illuſtre tamen de ſtudio illius pro urbe, & gente teſtimonium reddit, ut patris Judæorum elogio donaretur. Sanctioris, & irreprehenſibilis vitæ genere vir ab omnibus obſervabatur, cujus in Judaica Religione ſtudii illud ſpecimen editum eſt, cùm Idololatriam invehentibus anteà fortiſſimè reſtitit. 2. *Mach.* 14. 38. Miſſis igitur 500. viris, Nicanor ad ſe virum deduci imperavit, magni ſanè momenti apud Judæos futurum ſperans, ſi virum hunc in ſuam ſententiam perduceret.

Cùm milites ad viri ædes perveniſſent, vim foribus inferre, ignemque ſubjicere volebant: quas in anguſtias Razias redactus, abreptum pugionem in ſuum pectus adegit, quòd mallet morte potiùs glorioſa oppetere, quàm impiorum manibus permiſſus, indigna genere ſuo tolerare cogeretur. Cùm verò, ut in re ſubita, vulnus ſibi lethale non inflixiſſet, atque ſubire jam ædes milites cerneret, in ſolarium domus advolans, præcipitem ſe in viam deturbavit, totoque capite ex lapſu confractus eſt. Cùm neque eâ ratione confectum ſe penitùs videret, reſumpto ſpiritu, in pedes ſeſe recipiens, per medium populum currens, in præruptam petram evaſit; ubi viſcera è ventre extrahens, ambabus manibus in populum effudit; ſimulque dominatore vitæ, & animæ invocato, ut ab illo ſtata die in vitam revocaretur, tandem vita deceſſit.

Hunc inter fortiſſimos Martyres Judæi recenſent, ejuſque, Saulis, & Samſonis exemplo licere quandoque manus in ſe violentas inferre demonſtrant. Id autem licere arbitrantur, 1. cùm propriis viribus diffidens aliquis, nè fortè perſecutioni ſuccumbat, timore adductus, ſpontaneo letho vim adverſariorum occupat. 2. quando in manus hoſtium incidens, ſumpturos illos occaſionem Divinum nomen blaſphemiis proſcindendi animadvertit. Circumcelliones, celebres Africæ Hæretici, S. Auguſtini ætate, ejus viri exemplo illatas in ſe ipſos violentias defendebant: quippe qui ſe præcipites agerent, ſexcentiſque aliis mortis generibus gloriam, uti quidem jactabant, Dei provexerunt. Recentiores quidam Theologi (g) Raziam excuſant, allato qua-

(a) 4. Reg. 15. 37. & 16. 5. &c. A. M. 3262. ante Ch. 738. ante Ær. 742. Vide etiam 2. Par. 28. 5. &c.
(b) 2. Par. 28. 5. A. M. 3263. ante Ch. 737. ante Ær. 741.
(c) 4. Reg. 16. 6. A. M. 3263. Hebræum lege Leedom pro Learam.
(d) 4. Reg. 16. 9. A. M. 3264. ante Ch. 736. ante Ær. 740.
(e) Exod. 25. 7. 27. & 28. 15. 29. 30. Septuag. interdum cuſchen reddunt ποδήρη, tunica talaris, interdum verò περιστήθιον pectorale.
(f) 2. Mach. 14. 37. A. M. 3843. ante Ch. 157. ante Ær. 161.
(g) Vide Lyr. Tirin. Serrar. in 2. Mach. 14. & Franc. Vict. Relect. de Humicid.

Digitized by Google



PECTORALE seu RATIONALE IUDICII

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE · VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

Digitized by Google

quarundam Chriſtianarum Virginum exemplo, quæ
ſponte illata ſibi nece, virginitatis ſuæ ſtupratores
ſacrilegos evaſerunt. Addunt inſuper, ſpeciali S. Spi-
ritus ductu virum in necem procurriſſe; uti ex inſti-
tuta probæ rectæque vitæ ratione ipſi quidem ſibi
perſuadent: quare nihil eſſe dicunt de æterna hujus
viri ſalute dubitandum.

Verumtamen SS. Auguſtinus, Thomas, aliique in-
ſignes Theologi (a), hiſtoriam iſtam referri quidem,
nuſquam verò in S. Scriptura commendari animadver-
tentes, nihil quod factum excuſet, ex ea deduci poſ-
ſe autumarunt. Fortis quidem viri, & apud Ethni-
cos magnanimi ſpecimen exhibet; ſed nunquid ſatis
cum Deo, ac præſtitutis ab ipſo Legibus conſtat? A
religione quidem, atque a ſtudio patriæ gentiſque
ſuæ, & ob invocatum inter moriendum Dei nomen
ille in S. Scriptura celebratur. Numquid hæc tanta
ſunt, ut factum contra Dei Legem apertam explora-
tamque excuſent? Si Raaias, ait S. Auguſtinus, im-
pium aliquid, & ſcelestum tentavit, quid impium
imitemur? Si verò pius erat, & juſtus, in hominem
pium, ſeipſum nempè, quid manus impias intulit?
*Dictum eſt, quòd elegerit nobiliter mori: melius vellem
humiliter, ſic enim utiliter. Illis autem verbis hiſtoria
gentium laudare conſuevit, ſed viros fortes hujus ſæculi,
non Martyres Chriſti.*

RAZON, filius Eliadæ, qui ab Adarezer Rege So-
ba domino ſuo, bello eum Davide implicito (b) fu-
giens, collecta prædonum manu, regionem Damaſce-
nam excurrebat, tantùmque profecit, ut tandem ca-
pta urbe, Rex Damaſci ſalutaretur. Porrò Regnum
illud iniiſſe videtur ſub Salomonis exitum; cùm Da-
vid urbem ſibi Damaſci, totamque Syriam ſubegerit,
devictaſque à patre regiones Salomon in obſequio
continuerit. Si verò labentibus Salomonis annis, pri-
mum Regnum Damaſcenum Raaon obtinuit, illum
ſane diutiſſimè vitam produxiſſe oportuit. A bello
enim Davidis in Adarezer, nempe ab ineunte Da-
vidis regno (c), uſque ad obitum Salomonis, ſpa-
tium 69. annorum interceſſit. Cùm verò Raaon co-
piarum Adarezer ductor fuiſſet, itque relictis, præ-
dones ſibi adjungeret, 25. ſive 30. annorum ætatem
egiſſe tempore ejuſdem belli oportuit. Regnum igi-
tur nonniſi 90. annis grandævus cepiſſe debuit; quæ
ſanè viri ætas, ſi cui ſuſpecta fuerit, ille citius,
quam ſub exitum Salomonis virum hunc Damaſcum
tenuiſſe, ſed Davidi & Salomoni vectigalem credat.

REBE, ſive *Reb*, Princeps Madianitarum, in præ-
lio cum Iſraelitis occiſus (d). Porrò bellum illud
juſſu Moyſis, Deoque injungente, à Phinees ſuſce-
ptum eſt, in ultionem ſollicitati à Madianitis ad
idololatriam populi, fœminis ſuis in caſtra immiſſis.

REBECCA, filia Bathuelis, & uxor Iſaaci. Elie-
zer Oeconomus Abrahami, ad Haran urbem Meſo-
potamiæ ad quærendam Iſaaco uxorem miſſus (e),
Rebeccam in Chanaanitidem ad virum in Beerſabee
verſantem duxit. Speratus ex eo conjugio fructus,
ſpatio 20. annorum deſideratus eſt: tandem fœta duo-
bus gemellis mulier, precibus Iſaaci conceſſis, pro-
divit (f). Cùm uterque fœtus in utero matris mo-
veretur, illa ea de re triſtis, Dominum conſuluit;
redditumque ei reſponſum, duarum in ejus utero gen-
tium authores contineri, quorum major junioris ſer-
vitutem paſſurus fuiſſet. Quem virum Rebecca ea
occaſione conſuluerit, incertum; alii Sem filium Noe
adiiſſe; alii Melchiſedechum, Heber, Abrahamum
autumant; alii ſacrificia in monte Moria (g), ſive
in Altari ab Abrahamo in nemore Beerſabee excita-
to (h), obtuliſſe, quorum merito Deum per quie-
tem mulieri futurorum eventus aperuerit.

Stato igitur tempore muliere duos gemellos pa-
riente, primus ſtatim rufus, & vellere quodam tan-
quam totus hirſutus prodiit, cui nomen inditum *Eſau*;
ſecundus prioris pedem manu tenens, in lucem edi-
tus, cui datum nomen *Jacob*, ſcilicet *Supplantator*.
Cùm ambo hi fratres adoleviſſent; Eſau venationi
& agrorum cultui ſe totum impendit; alter verò ho-
mo frugi, vitam à curis alienam ſub patris tentoriis
egit. Iſaac in Eſau, mater in fratrem inclinabat.
Quàre inita à Rebecca ratione, Jacob benedictionem
patris, excluſo fratre, invitoque etiam patre, ſubri-
puit (i); quam hiſtoriam latè dedimus, v. *Jacob &
Iſaac*.

Graſſante in regione fame, Iſaac in Geraram Phi-
liſthæis ſubjectam, in ditione Abimelechi, conten-
dit (k); ubi ab incolis de muliere rogatus, ſororem
ſuam eſſe, veritus ne ea ſublata necem ſibi conſci-
ſcerent, ſi uxorem proderet, commentus eſt. Abime-
lech, qui eadem commentum Abrahamum, antea
uxore orbaverat, eaque de cauſa Dei minas graviſſi-
mas ſuſtinuerat, ſedulò rem ſcrutari conſtituens, ex
jocis quibuſdam maritali prorſus libertate inter utroſ-
que viſis, veritatem ſubodoratus eſt. Quare accitum
Iſaac objurgavit, quòd & in fœminam, & in popu-
lum Dei ultionem ſimulatione ſua inducturus fuiſſet:
ſimul autem lato edicto, ne quis unquam fœminam
violare tentaret, capitali pœna prohibuit.

Cùm autem Jacob, uti ſupra innuimus, benedi-
ctionem fratri debitam arte matris ſurripuiſſet, Eſau
in illum furens, poſt obitum patris ejus necem con-
ſtituerat. Hujus conſilia Rebecca intelligens, filium
hortata eſt, ut in Meſopotamiam ad Labanum avun-
culum ſuum pergens, ex ea cognatione ſibi uxorem
acciperet (l). Spopondit verò ſe, pacato fratris fu-
rore, ipſi renunciaturam, ut reditum pararet. Ma-
tris perſuaſionibus Jacob acquievit; Rebecca verò con-
jugem conveniens, ut eundi facultatem filio præſta-
ret, author fuit, dictitans offenſam ſe ab Eſau, quòd
Hethæas duxiſſet: impatienter prorſus laturam, ſi
fortè Jacob ſimili matrimonio conjungeretur. Ex eo
tempore altum in Scriptura de Rebecca ſilentium, ut
emortualis etiam ejuſdem annus lateat; quanquam
obiiſſe illam ante virum ex eo intelligimus, quod
ejuſdem viri cadaver in eodem cum Rebecca conju-
ge monumento, ſimul cum Abrahamo, & Sara con-
ditum ſit. *Gen.* 49. 31. quò deinde etiam Jacob, &
Liah illati.

REBLA, *Reblata*, ſive *Riblata*, urbs Syriæ, in
regione Emath: incertum tamen quo ſitu. Hanc
urbem S. Hieronymus cum Antiochia Syriæ, vel ſal-
tem cum regione adiacente urbi Emath, ſive *Em-
mas* (ubi prima eo etiam tempore ſtatio euntibus
ex Syria in Meſopotamiam confundit) (m). Vetus
Antiochiæ nomen nobis prorſus ignotum eſt; illud
enim, quod poſt Regnum Seleucidarum, & noſtra
adhuc ætate obtinet, ſequioris eſſe ævi compertum

(a) Aug. Ep. olim 61. nunc 204. nov. edit, l. 1. cont. Gaud. c. 3. S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 5. Eſt. in 2. Mach. Natal. Alex. hiſt. V. T. &c. (b) 3. Reg. 11. 3. A. M. 2960. ante Ch. 1040. ante Ær. 1044.
(c) Regnum David cepit A. M. 2960. Obiit Salomon A. 3029.
(d) Num. 31. 8. A. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451. ante aliquos menſes ab ingreſſu Iſraelitarum in Chanaanitidem.
(e) Gen. 24. 1. &c. A. M. 2148. ante Chr. 1852. ante Ær. 1856.
(f) Gen. 25. 21. &c. A. M. 2168. ante Chr. 1832. ante Ær. 1836.
(g) Petr. Comeſt. hiſt. Scholaſt.
(h) Diodor. Procop. in Gen. Theodoret. q. 76. in Gen.
(i) Gen. 27. 1. &c. A. M. 2245. ante Chr. 1755. ante Ær. 1759.
(k) Gen. 26. 1. &c. A. M. 2187. ante Chr. 1813. ante Ær. 1817.
(l) Gen. 27. 41. &c. & 28. 1. &c. A. M. 2245. ante Chr. 1755. ante Ær. 1759.
(m) Hieron. in Iſa. 13. 1. & in Amos 6. 2. Item in locis in Reblata; & in Ezech. 47.

eſt. Fortaſſe plura S. Hieronymus noverat; aperiis enim verbis, nec ſemel tantùm, veterem Reblatam eandem cum Antiochia fuiſſe aſſerit.

Hanc tamen S. Doctoris ſententiam ne facilè admittamus, plura obſiſtunt. Antiochia enim longè ſanè ab Emeſa, ſive Emath diſtabat; neque viæ à Judæa in Meſopotamiam imminet. Moyſes enim limites orientales terræ Promiſſionis deſcribens, excurrere illam notat *ab Hazer-Enan, uſque Sephamam; & de Sephama in Reblat contra fontem Daphnes; inde pervenient contra Orientem ad mare Cinereth* (ſive Tiberiadis,) *& tendent uſque ad Jordanem, & ad ultimum ſalſiſſimo claudantur mari*, *Num.* 34. 10. nempè mari mortuo. Nomen Daphnes in Hebræo quidem non legitur; ſed Paraphraſtes Chaldæus, & S. Hieronymus reddunt fontem Reblat, & Daphnem juxta Antiochiam. Terminos ſeptentrionales terræ Promiſſionis Ezechiel 47. 17. conſtituit à Mari mediterraneo uſque *Hazer-Enam*, ſive *atrium Enam*. Urbem verò in finibus illis ſitam notat nomine Emath. Limites autem Provinciæ meridionales à media regione Auran, Damaſco, & montibus Galaaditidis deducit. Nuſquam ille de Reblat; ſed tantùm de Emath, in cujus regione Reblat conſtituta erat.

Porrò Urbs illa in amæniſſimo Syriæ loco collocata, gratiſſimam Regibus Babyloniæ ſedem præbebat. Pharao Nechaus Rex Ægypti ab expeditione in Carchamas redux, ibidem ſubſtitit; 4. *Reg.* 23. 33. quo deductum Joachaz Regem Judæ ſubſtituto in ejus locum Joachimo, regno exauthoravit. Cùm Nabuzardanus Jeroſolymam obſideret, Nabuchodonoſor Rex Babylonis in ea urbe ſubſiſtens, eventum opperiebatur. 4. *Reg.* 25. 6. *Jer.* 29. 5. *&* 52. 9. Regem autem Sedeciam, poſt captam urbem, eo cum cæteris captivis ductum, idem Rex primùm cædis filii, & Principum ſpectatorem eſſe coegit, deinde ipſi oculos eruit.

REB-MAG, inter Duces exercitus Nabuchodonoſoris, qui una cum Nabuzardano obſidioni Jeroſolymitanæ interfuit (a). Porrò nomen illud ducem Magorum vertendum cenſeo.

I. RECEM, inter Principes Madian, quem Phinees filius Eleazari Summi Sacerdotis, poſt abominationem Beelphegor interfecit (b).

II. RECEM, filius Core. 1. *Par.* 2. 43.

III. RECEM, filius Sares, 1. *Par.* 7. 16. è Tribu Gab, & familia Machir.

RECEM, urbs Tribus Benjamin, *Joſue* 18. 27.

RECEM, alio nomine *Petra*. V. *Rebem*, ſive *Petra*.

RECHA, ſive *Racha*, an urbs eſſet, & ad quam Tribum ſpectaret, ignotum. Vide 1. *Par.* 4. 12.

I. RECHAB, & Baana, duo ſicarii, qui Isboſeth filium Saulis interfecere, 2. *Reg.* 4. 2. Vide *Isboſeth*, ſive *Baana*.

II. RECHAB, filius Jonadab, Rechabitarum pater, cujus ſive ætas, ſive genus, incerta: quidam enim è Tribu Juda accerſunt (c), alii Sacerdotem, vel ſaltem Levitam credunt (d); cum apud Jeremiam 35. 19. legantur poſteri Jonadabi obſequiis Dei nunquam defuturi, Rabbinorum nonnulli autumant, ductis à Rechabitis filiabus Sacerdotum, ſivè Levitarum, natos ex iis conjugiis filios Templi ſervitiis addictos fuiſſe. Alii tandem credunt (e), nonniſi ſub Sacerdotum & Levitarum imperio, ut de Gabaonitis, & Nathinæis ſcimus (f), Rechabitas in Templo miniſtraſſe. Cinæos origine fuiſſe in 1. *Par.* 2. 55. legimus. *Canentes, atque reſonantes, atque in tabernaculis commorantes; hi ſunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.* Hebræus legit: *Janitores, & obedientes; qui in tabernaculis habitant; hi ſunt, qui vocantur Cinæi, qui venerunt de Chamath, patre Rechabitarum.*

Porrò Cinæi non ex Jacob, ſed ex Madian filio Cbus genus referebant. Hobab, ſive Jetro patrem Sephoræ, & ſocerum Moyſis authorem habentes, una cum Hebræis in Chanaanitidem venerunt, ſuaſque in ditione Juda ad mare Mortuum ſedes conſtituere. A cæteris Iſraelitis nonniſi agreſtis vitæ genere, atque urbium, & ſtructarum ædium contemptu diſtinguebantur. Sunt, qui Hobab, ſive Jetro, Rechabitarum authorem conſtituerint (g): addunt etiam Rechab unum eſſe ex nominibus ejuſdem viri, ex quo Jonadab ſub Jehu notiſſimus, genus referret; ac tandem Heber Cinæum ex Rechabitarum genere fuiſſe autumant. Veteres Rechabitas poſteros Jetro, & novos à Jonadab filio Rechab, ætate Jehu Regis Iſraelis inſtitutos, Serarius diſtinguit.

Miram prorſus hypotheſim Pater Boulducus de Rechabitis excogitavit (h). Horum enim originem ante diluvium in Enos, ejuſque poſteris ſcrutatus, inde continuata ſucceſſione poſt diluvium diducit, ſub nominibus, Cinæorum, Cinezæorum, Hebræorum, Nazaræorum, filiorum Prophetarum, ac tandem Rechabitarum, & Phariſæorum innotuiſſe contendens. Viros autem illos omnes Monachorum more Religiolam ſimul vitam egiſſe, ſuis ſivè omnium, ſivè ſingulorum cœtuum Præfectis conſtitutis, juxta Religioſorum Eccleſiæ Latinæ diſciplinam. Unde vero nomen Rechab? Mirum prorſus Authoris acumen! Eliſeus, ait, præceptorem ſuum Cæli alta tenere conſpicatus, ad illum clamavit: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus*, 4. *Reg.* 2. 12. Rex Joas ſupremo morbo detentum Eliſeum his verbis compellavit, 4. *Reg.* 13. 14. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* Hebræus legit: *Pater mi, pater mi, Rechab Iſrael.* Inde Rechabitarum nomen in Diſcipulos Eliæ, & Eliſei, filios illos Rechabaim, nempe duorum curruum Iſraelis. Neque hæc Authori ſatis: qui enim Rechabitas è curru Eliæ, Phariſæos ex equis ejuſdem deducit. *Phraſim* enim Hebraicè ſunt equi.

Sed inani prorſus labore etymologias longè petitas, dubias, & inutiles diduceremus. Scriptura docente intelligimus, *Jerem.* 35. 6. 7. Jonadab filium Rechab ſub Jehu Rege Iſraelis florentem, poſteris ſuis lege prohibuiſſe, ne quid unquam vini guſtarent, neve ædes conſtituerent, ſererent triticum, vineaſque colerent; ab omnibus etiam agrorum poſſeſſionibus removiſſe, vitamque ſub tentoriis injunxiſſe. Hæ Rechabitarum, & filiorum Rechab conſtitutæ leges, quæ nihil ad cæteros Cinæos, & poſteros Jetro ſpectabant. Porrò illorum inſtitutum tribus tantùm ſæculis manſit (i). Poſtremo Joakim Regis Juda regnantis anno, cùm urbs Jeruſalem obſidione à Nabuchodonoſore premeretur, Rechabitæ relictis agris, in urbem ſe receperunt, quamvis priſtinum ſub tentoriis degendi morem ſervarent. Ea occaſione Jeremias, juſſus à Domino, Rechabitas in Templum ductos, oblato vino tentavit, *Jerem.* 35. 1. Hæc autem Rechabitæ reſpondere: *Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: non bibetis vinum vos, & filii veſtri .... Cùm autem deſcendiſſet Nabuchodonoſor Rex Babylonis in terram noſtram, diximus: Venite, & ingrediamur Jeruſalem à facie exercitus Chaldæorum, & Syriæ, & manſimus in Jeruſalem.*

Et

(a) Jerem. 39. 3. A. M. 3416. ante Ch. 584. ante Ær. 588.
(b) Num. 31. 8. A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.
(c) Theodoret. in 1. Par. Initio. (d) Hegeſip. apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 23.
(e) Sanct. Cornel. in Jerem. 35. (f) Vide Joſue 9. 27. & 1 Par. 9. 2. Eſdr. 2. 43. 55. 58. 70. & 2. Eſdr. 7. 57.
(g) Arias Mont. in Judic 1. Sanct. in Jerem. 35. n. 5. &c. Serrar. Trihæreſ. l. 3. c. 9. Minerval. c. 13. &c.
(h) Jacob. Boulduc de Eccleſ. ante Legem l. 3. c. 16.
(i) Jehu Regnum iniit A. M. 3120. Joakim Rex Juda interfectus eſt A. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599.

Et factum eſt verbum Domini ad Jeremiam dicens: Vade, & dic viris Juda habitatoribus Jeruſalem, prævaluerunt ſermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis ſuis, ut non biberent vinum: ego autem locutus ſum ad vos, & non obediſtis mihi? Converſo dein ad Rechabitas ſermone, ait: *Pro eo quòd obediſtis præcepto Jonadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata ejus..... propterea non deficiet vir de ſtirpe Jonadab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.*

Hos facilè commune captivitatis fatum obvolvit A. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599. poſt captam Jeruſalem à Chaldæis, cùm Pſal. 70. hoc titulo inſcriptus ſit: *Filiorum Jonadab, & primorum captivorum*, nempe Ezechielis, & Mardochæi, qui poſt captam Jeruſalem, ſub Rege Joakim in captivitatem à Chaldæis trans Euphratem deducti fuere. E' captivitate reduces, in urbe Jabes transjordanica ſedem conſtituiſſe, ex 1. *Par.* 2. 55. intelligimus: *Cognationes Scribarum habitantium in Jabes, canentes, atque reſonantes* (Hebr. *janitores, & obedientes*) *& in tabernaculis commorantes. Hi ſunt Cinæi qui venerunt de Calore* (Hebr. *Chamat*) *patris domus Rechab.* Hujus Textus occaſione Scriptores diſſident; ſunt enim, qui *Jabes* nomen eſſe putent, non urbis, ſed viri, quem præceptoris loco ſuſpiciant Cinæi. Quæcumque ea opinio fuerit, nuſquam ſanè alibi de Cinæis in Libria poſt captivitatem ſcriptis legitur.

Ex Rechabitis, eorumque diſciplina Aſſidæos (a) aliqui derivant. Non deſunt, qui Rechabitas cum Eſſenis confundant (b). Quorum ſanè cum prioribus opinio conſtaret, ſi Aſſidæi, & Eſſenii una eademque gens, uti facilè credimus, habeantur. Rationem ſanè vitæ inſtituendæ longè aliam Eſſenis, ac Rechabitis fuiſſe conſtat. Ex Joſepho enim intelligimus, Eſſeniorum cœtibus certos fuiſſe agros, quos juncta ſimul opera colebant, ædes incoluiſſe, cælibem duxiſſe vitam, atque ſuas in Templo Jeroſolymitano cæremonias à cæteris Judæis ſegregatos, celebraſſe. Omnia planè in Rechabitis diverſa. Hegeſippus ab Euſebio hiſt. Eccl. l. 2. c. 23. laudatus narrat, cùm S. Jacobus ad ſupplicium duceretur, Sacerdotem quemdam è Rechabitarum genere ad Judæos, lapides in virum parantes, exclamaſſe: *Quid facitis? Juſtus erat pro nobis.* Porrò compertum eſt, ut jam innuimus, Rechabitas nunquam ad genus Sacerdotale pertinuiſſe: quòd verò in Templo miniſtrarent, id fucum authori fecit, ſive fortè nomen Sacerdotis pro Domini miniſtro uſurpavit.

Benjamin Tudelenſis narrat, in ſuis itineribus regioni cuidam Rechabitarum occurriſſe. Ita ferè rem deſcribit. *Ex Pundebita ad Euphratem in regionem Seba, hodie* Aliman, *regionis* Sennaar *finitimam veni. Inde viginti dierum per deſertum itinere, regionem Judæorum Rechabitarum tenui. Huic genti, cui alia appellatio* populi Theima, *quòd eorum regionis caput* Theima *ſit. Princeps nomine Hanan hac ætate præeſt. Urbs Theima amplitudine, & incolarum numero floret. Regio* 20. *dierum itinere inter montes ſeptemtrionales excurrens, munitiſſimis, atque inſtructis urbibus, nulli externo Principi parentibus, frequens eſt. Incolæ crebra excurſiones, quà in regiones finitimas, quà etiam in diſſitas, exercent. Agros colunt, greges alunt; regio enim opimis paſcuis abundat, Decima in uſus cedunt, cùm Diſcipulorum Sapientum, qui perpetuò prædicationi incumbunt, tum Phariſæorum, qui Sionis, & Jeroſolymæ caſum deplorant. Nullus hiſce viris, Phariſæis ſcilicet, vini carniſque uſus, atrata veſtes; ſedes nulla, niſi in cavernis; jejunia nonniſi Sabbatho intermiſſa; preces pro obtinenda libertate, & regreſſu Iſraelis à captivitate aſſiduæ.*

Judæi omnes Theimæ, & Thelimæ, 100000. *hominum numero florentis eadem pretantur. Illis Salomon frater Hanan præeſt; ambo autem illi Principes expanſis tabulis genus ſuum à Davide referunt. Eorum veſtes atrata, ut plurimùm, & attritæ, jejunia* 40. *dierum pro Judæis omnibus, qui in captivitate detinentur, apud illos inſtituta. Tota regio* 40. *urbibus,* 200. *vicis,* 100. *arcibus frequens eſt; metropolim habet Thenai; incolas verò Judæos* 300000. *circiter. Urbem Thenai inſtructiſſima mœnia circumdant, quæ complexu ſuo agrum cultus patientem, atque frumento uberem, longitudinis nempe, uti & latitudinis,* 15. *m. paſſuum continet. Princeps Salomon ædes habet cultiſſimis hortis amœnum.* Hæc de regione Rechabitarum Author 12. ſæculo florens; quamquam fabuloſa ille jactare ſatis videatur.

RECHAT, ſive *Rachat*, urbs Ephraim Joſue 19. 25.

REDEMPTIO. Primogenitorum redemptio. Vide *Primogenitu.*

REDEMPTOR, quo potiſſimùm nomine Jeſus Chriſtus Redemptor, & Servator Mundi deſignatur. Sed in Lege Redemptor appellatur, qui vindicandi hæreditatem jus habet, *Levit.* 25. 25. ſimulque qui illum arctiori cognatione ſpectat, cui redimendi ejus hæreditatem ab extraneo, ſive ab alio Judæo emptam jus eſt, *Levit.* 25. 47. 48. Cùm enim Deus per Moyſem caviſſet, ne agrorum fundus, ſive Hebræorum quiſquam jure venditionis perpetuò aliis addicerentur, juſſit anno Sabbathico, & anno Jubilæi bona, cæteraque omnia ad veteres dominos redire. Quin & ante illud tempus licebat illi, qui jure cognationis captivum fratrem ſpectaſſet, fratrem pretio redimere, ex quo nomen illi Redemptoris inditum. Vide plura in eam rem Levit. 25. 27.

Eam legem in hiſtoria Booz ſervatam legimus, *Ruth.* 2. 20. & 3. 9. &c. Hic arctiori cognationis vinculo cum Elimelech conjunctus, Rutham viri hæredem duxit; ex quo factum, ut hæreditatem illam ab extraneis vindicaret. Jeremias pariter, agrum nepotis ſui Hananeelis mox vendendum redemit, *Jerem.* 32. 7. 8. Qui cognatum ſuum neci traditum ulciſci permittebatur, ille *Redemptor ſanguinis*, Hebraicè *goel haddam* dicebatur *Num.* 35. 12. 16. 21. *Deut.* 19. 6. 12. qui ne gravius aliquid in homicidas inferret, Deus prompto remedio, præſcriptis in ſingulis Iſraelis provinciis urbibus refugii, cavit.

REEMA, alio nomine *Rhegma*, filius Chus, qui regionem Arabiæ, ex qua aromata, gemmæ, & aurum Tyrum deferebantur, *Ezech.* 27. 22. & *Geneſ.* 10. 7. frequentavit. Hanc nos regionem Arabiam Felicem ad oſtium Sinus Perſici credimus.

REFUGIUM. *Urbes Refugii.* Si qui caſu quodam, & imprudentes hominem peremiſſent, illorum ſecuritati Deus urbibus Refugii deſtinatis providit. Has igitur ſex numero Moyſes ad eam rem deſignavit, quò viri illi confugientes, tuti cauſam ſuam judicio purgare permitterentur. Ea illis tres citra, tres ultra Jordanem conſtitutæ: cis amnem, Ceder Nephtali, Hebron, & Sichem; trans verò, Boſor, Gaulon, & & Ramoth Galaad. Neque ſecuritati tantùm Hebræorum, ſed advenarum etiam cum Hebræis degentium ea ratione conſulium eſt, *Num.* 35. 15. Quamquam autem Rabbini advenarum nomine Proſelytos tantùm cenſent, neſcio tamen, an illi ſatis Legis mentem aſſequantur. Jubet etiam Deus, tres alias urbes Refugii deſignari, cùm Hebræorum ditio, & gens propagaretur, *Deut.* 19. 8. quæ cùm executioni nuſquam adhuc mandata occurrant, ideò ad Meſſiam hæc reſervari Rabbini comminiſcuntur.

Maimonides ex veteri traditione aſſerit, ſingulas 48. urbes Sacerdotibus, & Levitis aſſignatas, refugii, & aſyli privilegium obtinuiſſe; in eo autem à cæteris deſignatis refugii urbibus diſtingui narrat, quòd illæ confluentes omnes, nemine excepto, recipere tenebantur; hæ verò pro libito patere quibuſdam, alios verò ejicere permittebantur. Præter eas

Aa 2   urbes,

(a) 1. Mach. 2. 42. & 7. 17. & 2. Mach. 14. 6.
(b) Ita ex Nilo, & Svida Serrar. Trihæreſ. l. 3. cap. 9.

Digitized by Google

urbes, Templum Domini (a) aſyli jure, ac potiſſimum Ara Holocauſtorum donabantur. Aſylum Altaris ad Sacerdotes tantum Rabbini determinant. Qui ad Templum confugiſſent, eorum cauſa ſtatim ad Judices delata, ſi homicidii rei judicarentur, ex aſylo extracti, extra Templum capitali ſupplicio plectebantur. A crimine verò immunes adjectis ob eorum ſecuritatem cuſtodibus, per urbes refugii liberi diſcurrebant.

Porrò urbes illæ aditu faciles eſſe debuerant; viæ ad illas ſtratæ ſimul, atque accuratæ, ſuiſque pontibus, ſi quando opus eſſet, inſtructæ. Viæ iſtæ 32. ſaltem cubitis, ſive 40. pedibus patebant; & in biviis ne fortè errare contingeret, additis inſcriptionibus, iter monſtrabatur. Eaſdem vias ſingulis annis, die 15. Adar, Lunæ Februarii reſpondentis, urbium Magiſtratus luſtrabant, an inſtructæ ſatis eſſent, diſpicientes. Urbs neque aquæ, neque annonæ penuria laborare permittebatur; nullumque in iis armorum opificium, ne fortè occiſi conſanguinei ad ea emenda accedentes, gravius aliquid in homicidam tentarent.

Quicumque autem ad aſylum confugiebat, artis alicujus exercitio vitam tolerare, ne civibus gravior eſſet, tenebatur. Iis, qui ultionem exigebant, viri aliqui mites ſimul, & prudentes jungebantur, ut mitiora conſilia, atque Judicum ſententiam expectare perſuaderent.

Homicidam autem ad aſylum confugientem judiciali ſententia proſequi fas erat: quare ad Judicem coram populo accitus *Num.* 35. 12. illatum à ſe imprudente homicidium defendebat. Si Judicibus probaretur, tuta illi in urbe mora; damnatus verò capitali ſententia, pro Legis præſcripto plectebatur. An cauſa illa à Judicibus loci, ubi crimen commiſſum eſt, an à Magiſtratibus urbis refugii cognoſceretur, ex Scripturæ Textu (b) non ſatis Commentatores diſpiciunt. Duo ſaltem judicia à reo ſubeunda ex Joſue Textu colligere videmur: alterum ſcilicet in urbe refugii, cùm primùm ad locum accedebat, in quo ejus tantummodo relationi deferebatur: alterum in ipſa Rei urbe, qui coram Magiſtratu illius ſiſtebatur, ut cauſa judiciali ſolemnitate ageretur. In eo judicio abſolutus, à militibus ſecuritatis gratia in urbem refugii reducebatur.

Non igitur plena poſt judicialem abſolutionem reo permiſſa libertas, id agente Moyſe, ut pœna in homicidam etiam imprudentem indicta, animos ab eo crimine etiam atque etiam averteret. Poſt obitum verò Summi Sacerdotis nihil illos morabatur, quominùs liberi quocumque vellent, abirent *Num.* 35. 25. omni de illis ultionem exigendi facultate ſublata; quippè qui judiciali ſententia abſoluti fuiſſent (c).

De aſylo Græcorum & Romanorum nonnulla innuimus v. *Aſylum*, ubi etiam quædam de Aſylo in Templo Miſericordiæ ab Heraclidis Athenis conſtituto. Alterum etiam in eadem urbe Theſeus ſtatuit pro ſervis egentibuſque, quò à locupletiorum vexationibus in tutum ſe ſe reciperent. Gemina quoque in Inſula Calauriæ dedicata. Idem jus Templis Apollinis Delphici, Junonis Samiæ, Æſculapii Delii, Bacchi Epheſini, aliiſque in Græcia pluribus conceſſum (d). Romulus lucum Templi *Vejovis* aſylo ſacravit (e). Alter etiam eodem privilegio lucus Oſtiæ celebrabatur (f). Tota etiam Romæ urbs aſylo pro advenis ſacra fuit, S. Auguſtino authore de Civit. l. 5. c. 34. Porrò aſylorum loca adeò in Græcia frequentia occurrebant, ut Tiberius eorum omnia jura coactus tandem revocaverit (g): quæ tamen ejus edicta ſola ejus ætate viguerunt.

E Templo Jeroſolymitano ad Templa Chriſtianorum jus illud translatum eſt (h); cujus violatores reum ex Eccleſiis extrahentes, exilio, virgis, & barbæ atque comæ deglabrationi Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Magnus ſubjecerunt. Reos illos læſæ Majeſtatis Honorius & Theodoſius junior damnarunt. Poſtea crimina quædam ab eodem privilegio excipere viſum eſt. Homicidas, adulteros, raptores virginum Juſtinianus exemit. Hiſce graſſatores, agrorum nocturnos vaſtatores Innocentius III. addidit. Jus aſyli in Italia, alibique adhuc obtinet (i).

(REGENERATO duplici ratione uſurpatur ab Authoribus ſacris N. T. Primò exprimit ſpiritalem quendam ortum per Baptiſmum, tùm & per novam vitam, quam in reſurrectione generali opperimur. Primi hominis lapſu omnes naſcimur *filii iræ* juxta Apoſtolum, *Epheſ.* 2. 3. cui originali maculæ, qua filii Dæmonis efficimur, delendæ renaſcendum eſt nobis ad gratiam, qua reparamur in filios Dei. Non ſemel hanc doctrinam inculcat S. Joannes; e. g. in exordio Evangelii ſui docet eos omnes, qui crediderunt, ac exceperunt Jeſum Chriſtum, regeneratos fuiſſe in filios Dei, non voluntate carnis, neque hominis, ſed nova quadam regeneratione. Nicodemum inſtruens Jeſus Chriſtus *Joan.* 3. 3. 4. 5. docet. *Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus. Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex; Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci? Reſpondit Jeſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

Docet pariter Apoſtolus Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 1. 3. *Deum regeneraſſe nos in ſpem vivam per Reſurrectionem Jeſus Chriſti ex mortuis*; ſpes enim ex illa nobis eſt data hæreditatis incorruptibilis. Et Apoſtolus ad Titum 3. 5. tradit, Jeſum Chriſtum procuraſſe nobis juſtitiam, *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*; i. e. per Baptiſmum. S. Joannes *Epiſt.* 1. *cap.* 3. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Habemus hiſce ſatis expreſſam regenerationem ex Deo, ejuſque effectus immunes ſcilicet nos reddendi à peccatis.

Altera ſignificatio vocis *regeneratio* exprimit rationem aliam renaſcendi in altera vita, i. e. æternitati vel immortalitati. Priori illa regeneratione efficimur filii Dei, accepta morum innocentia, atque jure ad vitam æternam, quæ regeneratorum eſt hæreditas. Altera hac regeneratione immittimur in poſſeſſionem hæreditatis illius noſtræ. Jeſus Chriſtus *Matth.* 19. 28. *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael.*

REGES. *Jus Regis.* Cùm Iſraelitæ dari ſibi Regem, quemadmodum & cæteræ per orbem nationes, poſtulaſſent à Samuele, hæc Propheta ad eos expoſuit pro concione 1. *Reg.* 8. 11. 12. *Hoc erit jus regis qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis & faciet ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum; & conſtituet ſibi Tribunos & Centuriones, & Aratores agrorum ſuorum, & Meſſores ſegetum, & Fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificarias. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis ſuis. Servos*

etiam

(a) Philo Legat. ad Cajum. (b) Confer. Deut. 19. 11. 12. Joſue 20. 4. &c. Num. 35. 25.
(c) Vide Interpp. in Num. 35. & Joſue 20. (d) Vide Marſham. Can. Ægypt. ſæc. 13.
(e) Virg. Æneid. 8. v. 342. (f) Ovid. Faſt. l. 5.
(g) Svet. in Tiber. Tacit. Annal. l. 2. cap. 6. (h) Cod. Juſt. l. 9. tit. 29.
(i) Vide Maſium, & Serrar. in Joſue 20.

etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ejus ſervi. Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis; & non exaudiet Dominus in die illa; quia petiſtis vobis Regem.

In hæc verba quæſtio non facilis occurrit; num ſcilicet Samuel, quæ imminerent Iſraelitis hiſtoricè tantum narraverit, nihil ſeu probans, vel ſuffragio ſuo confirmans; vel potiùs jus ipſum Regis expoſuerit, legitimam ejus authoritatem docens. Variant autem ea de re Scriptorum ſententiæ. Sanior tamen illorum pars tenet, expreſſum hîc à Propheta non legitimum uſum Regiæ poteſtatis, ſed abuſum, quo à conceſſo ſibi in cæteros jure exorbitaturus eſſet Rex. Conſule in hanc poſtremam ſententiam *Grotium de jure Belli & Pacis lib.* 1. *cap.* 1. *& cap.* 4. *art.* 3. *&* 4. *& Schikardum de Jure Reg.*

REX CONVIVII. Solemne erat in conviviis, ut Rex crearetur, cujus eſſet authoritas ſuum Convivis locum aſſignandi; eligebatur autem vel per ſortes, vel arbitrio illius, qui inſtruebat convivium. Dabat ille præcepta convivalia, & reliqui imperanti parebant: Meminit hujus Scriptor Eccl. 32. 1. *Rectorem te poſuerunt?* (Hebr. Regem convivii) *Noli extolli; eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias, coronam & dignationem conſequaris corrogationis.* Porrò hæc non apud Græcos tantùm & Latinos invaluiſſe videntur, ſed & apud Perſas quoque. Quod etenim convivium inſtruxerat Aſſuerus *Eſt.* 1. 10. caruiſſe Rege nonquam ſingulare aliquid adnotatur: *Non erat, qui nolentes cogeret ad bibendum*; potabat quiſque pro ut ad bibendum adigebat ſitis; neque enim ad imperium Regis convivii calix erat exhauriendus. Querebatur Empedocles de Rege quodam convivii, à quo bibere juſſus erat, quique, recuſantis perfuſ caput, aſtiſſi vino mandaverat.

Rex. Solemne erat Gentibus atque Hebræis pariter Idolorum cultui addictis Numina illa ſua Regis titulo inſignire. *Moloch, Melchom, Adramelech, Anamelech*; nomina ſunt Deorum, quæ ſimul junctum præferunt nomen Regis. Non abſimile verò eſt illud Iſaiæ 37. 13. *Ubi eſt Rex Emath & Rex Arphad, & Rex Urbis Sepharvaim, Ana & Ava?* parallelum eſſe verbis illis capitis 36. 19. *Ubi eſt Deus Emath & Arphad? ubi eſt Deus Sepharvaim?* Amos 1. 15. *Ibit Melchom* (Deus eſt Moabitarum) *in captivitatem, ipſe & Principes ejus ſimul.* In Scriptura Deus ſingulis fermè paginis appellatur Rex Hebræorum.)

REGINA COELI. Hebræi Idolis addicti, eo nomine Lunam colebant, *Jerem.* 8. 28. *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli.* Alibi etiam iidem Hebræi ad Prophetam, *Jer.* 44. 16. *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, ut ſacrificemus Reginæ Cœli … Ex eo autem tempore, quo ceſſavimus ſacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indiguimus omnibus.* Idem autem eſſe Numen credimus cum Meni, in Hebræo Iſaiæ 65. 11. *Qui ponitis Fortunæ* (Heb. *Gad*) *menſam, & libatis ſuper eam* (Hebr. *& libatis Meni.* Vide *Meni.* Porrò idem Numen pro variis populorum ſuperſtitionibus varium nomen obtinebat: *Lunæ, Aſtartis, Triviæ, Hecates, Dianæ, Veneris cœleſtis, Iſidis.* Aræ illi in culminibus Domorum in arcæ modum complanatis, ad angulos viarum, pro foribus, & in lucis erectæ. Oblationes variæ, placentæ oleo ſive melle ſubactæ; additis vini, aliorumque liquorum libaminibus. Stellæ ſive lunæ cornutum ſigillo impreſſæ placentas illas Rabbini aſſeruerunt.

REGMA, Vide *Reema.*

REGNUM COELORUM: phraſis ſæpè in N. T. Jeſu Chriſti Regnum, populorum ad fidem vocationem, & prædicationem Evangelii, deſignans. Sæpe inter Meſſiæ characteres à Prophetis expreſſos, Regis & liberatoris dignitas nunquam deſideratur; in ipſis enim ejus paſſionibus, atque populorum ludibriis, quæ Chriſtum manebant, deſignandis, ſe temperare non poterant, quin de ejus Regno, potentia, & Divinitate aliquid innuerent. Zacharias ingreſſum Jeſu Chriſti Jeroſolymam prædicens: *Ecce Rex tuus, ait, veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ, Zach.* 9. 9. Quibus Prophetarum oraculis Judæi oculos perſtricti, Meſſiam Regia dignitate auctum expectabant, ejuſque adventum Regni Dei, & Regni Cœlorum nomine deſignabant. Quare Jeſus Chriſtus verum ſe Meſſiam demonſtraturus, veniſſe, vel imminere jam Regnum Cœlorum nunquam non prodit. Cùm verò de eventibus Eccleſiæ ſuæ poſt reſurrectionem diſſereret, hæc in Regno Cœlorum eventura prænunciat. Hoc tandem omnium ferè parabolarum exordium: Regnum Cœlorum ſimile eſt homini diviti Patri familias, &c.

Hinc in Evangelio plures hujus phraſis ſignificationes diſtinguuntur. 1. de adventu primo Filii Dei, ejuſque ortu, prædicatione, & manifeſtatione in Mundo, uſurpatur. Ita illud, *Luc.* 11. 19. *Si in digito Dei ejicio Dæmonia, profectò pervenit in vos Regnum Dei.* Et alibi: *Et circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella, prædicans Evangelium Regni, Matth.* 9. 35. & S. Lucas 17. 21. *Regnum Dei intrà vos eſt;* quod illis S. Jo. 1. 26. reſpondet: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.*

2. Vindictam Dei in Judæos pervicaces indicat; quàm ſane vindictam poſt obitum Chriſti Romanorum arma intulerunt, cùm everſa urbe, Temploque, ea in cives immanitate ſævierunt, ut obſidio illa extremi judicii imago cenſeretur. In hunc ſenſum redditur illud, *Matth.* 3. 2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Dei*, nempe flagellum Dei jam ſupra caput veſtrum inſonat. Conſonant etiam parabolæ decem Virginum, *Matth.* 25. 1. &c. & ſervorum, quibus Paterfamilias talenta ad negotiationem partitur, *Matth.* 25. 23. &c. Virgines enim à nuptiis excluſæ, & ſervus negligens in tenebras exteriores detruſus, Judæos pervicaces à Deo in hoſtium manibus derelictos deſignant.

3. Regnum Cœlorum eſt æterna beatitudo, præmium ſervis morigeris debitum: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum, Matth.* 7. 21. & 19. 14. *Sinite parvulos venire ad me; talium eſt enim Regnum Cœlorum.* Ac tandem 5. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.*

4. Eſt vocatio Gentium, Judæis excluſis. Chriſtus poſt commendatam Centurionis fidem, vocationem Gentium, & Judæorum reprobationem deſignans, ait, *Matth.* 8. 12. *Filii Regni ejicientur foras.* Huc etiam ſpectant parabolæ convivii, quo adventæ invitati, excluſi amici Patriſfamilias *Matt.* 22. 2. & coloniorum vineæ, qui ſervis heri pulſis filium ipſius oppreſſerunt, *Marc.* 12. 8.

5. Tandem Regnum Cœlorum ſæpiſſimè Eccleſiam Chriſti, prædicationem Evangelii, atque initam à Deo deducendi Electos ad fidem & gloriam rationem deſignat. Ita Chriſtus Cœlorum Regnum theſauro abſcondito comparat; quem vir quidam inventum bonorum omnium ſuorum pretio emit; *Matth.* 13. 44. uti & gemmæ comparat, quam empturus negotiator, omnia bona ſua divendit, *Matth.* 13. 45. Porrò theſaurus, & gemma fidem in Jeſum Chriſtum exprimunt. Alibi Regnum Cœlorum agro ſimile dicitur, in quo bonum triticum zizanio mixtum germinat, *Matt.* 13. 3. &c. ſeti, quod uno jactu bonos maloſque piſces capit, *Matth.* 13. 47. 48. quemadmodum Eccleſia bonos in hoc mundo malis habet admixtos. Sæpè etiam Regnum ſuum poſt reſurrectionem inſtandum Chriſtus edicit; poſt reſurrectionem enim potiſſimùm prædicato Evangelio, Electi ad fidem confluent.

Judæi & Apoſtoli … Regnum Meſſiæ

ſeu temporalis cujuſpiam Regis, potentia ſua hoſtes oppreſſuri, ditionem longè latèque extenſuri, à quo & reſtituendum eſſet Judæorum Imperium, throni Davidici gloria ſuo nitori reddenda, ſubjiciendæ imperio gentes & amicorum quiſque pro fidei atque obſequii ſui merito præmiis donandus. Hinc crebra illa diſſidia Apoſtolorum primas ſedes ſibi affectantium, *Matth.* 18. 1. *Marc.* 9. 13. hinc pariter filiorum Zebedæi per matrem ſuam ad Jeſum poſtulationes, ut ſcilicet ſibi primæ Regni ſedes aſſignarentur *Matt.* 20. 21. Vide v. *Regnum Cælorum* in Dictionario.

REGNUM DEI, ſynonymum eſt non ſemel Regno Cælorum. Sed in V. T. Regnum Dei exprimit ſummam Dei authoritatem in Creaturas, in Regna omnia Mundi, & in corda mortalium. Author Libri Sapientiæ cap. 10. 10. perhibet Deum *oſtendiſſe* Jacob fugienti Eſau ſuum *Regnum Dei*. Idem pariter Deus aperuit illi Cælos, per viſum intuendum offerens myſticam illam ſcalam, unde deſcendebant aſcendebantque Angeli: & Eccli. 47. 13. legimus Deum tradidiſſe David *Teſtamentum Regni*, fœdus, pignus atque promiſſionem Regni tam ipſi Davidi, quam ſucceſſoribus ejus aſſertam. Legimus pariter Sapientiæ 10. 14. Deum non deſeruiſſe Joſephum, ſed & illi procuraſſe *Sceptrum Regis Ægypti* non collato illi Regio titulo, ſed æquata ferme cum Pharaone authoritate. Vide Gen. 41. 40. *Uno tantum Regni ſolio te præcedam*. Jurat Nabuchodonoſor ultionem per thronum & *Regnum ſuum*, *Judith*. 1. 21.

REGNUM INFERNI. Regnum Satanæ exprimit imperium ſupremi Dæmonis, ſeu in cæteros adminiſtros, ſeu in impios ſuperſtites, ſeu in animas eorum, qui migrarunt ad Inferna. Docet Author Sapientiæ 1. 14. *Ante Crimen primi hominis nec Infernorum Regnum* (erat) *in terra*, vel juxta Græcum: *Pluto Regnum ſuum non habebat in terris*; imperium ſuum non exercebat in homines. Jeſus Chriſtus *Matth.* 12. 25. *Omne Regnum diviſum contra ſe deſolabitur, & omnis civitas vel domus diviſa contra ſe non ſtabit: Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſùs ſe diviſus eſt; quomodo ergo ſtabit Regnum ejus?* Reſpondet calumniis Phariſæorum accuſantium pelli ab ipſo Dæmones in nomine Beelzebub Principis Dæmonum; quod ab illis impudentiſſimè jactari demonſtrat; neque enim laborare Satanam deſtructioni imperii ſui, nec diſſidium eſſe inter Inferni Regni miniſtros.

Impios exhibet Pſalmus 48. 15. in Inferno poſitos, tanquam gregem ovium, quem loco Paſtoris, vel Regis ducit mors: *Sicut oves in Inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*. Depingunt Prophetæ Infernum tanquam Rempublicam, ubi Reges, & viri quondam in Terra Principes vanum aliquid priſtinæ gloriæ præſeferunt. Vide Iſai. 14. 9. &c. Ezech. 31. 15. &c. & 32. 20. &c.

In Job. 1. 6. & in 3. Reg. 22. 20. 21. exhibetur Satanas offerens ſe coram throno Dei, & excipiens ab illo mandata pro affligendis decipiendiſque hominibus; Habebant itaque Judæi perſuaſum nullam vel in malum eſſe illi deſpoticam authoritatem abſolutumque Regnum. Merum reputabant adminiſtrum juſtitiæ Dei atque exequendorum juſſionum ipſius, ſive pro inferenda ultione, ſive ad experimento probandos homines.)

REGON, filius Jahaddai. 1. *Par.* 2. 47.

REGULUS, anguis alio nomine *baſiliſcus*. Vide *Baſiliſcus*. Hebræum *Zipphoni* S. Hieronymus vertit Regulum; Græci quandoque *ceraſtem*; interdum *aſpidem* (a). Hebræum *ſaraph* (b) redditum eſt *regulus* quâ de re nos v. *Serpens æneus*. Porrò *zipphoni* optimè vertitur *baſiliſcus* (c).

REGULUS, parvum etiam Regem ſonat; aliàs vectigalem. Ita *Joſue* 13. 3. *Quinque Regulos Philiſthiorum*. Uſurpatur & de Regio Miniſtro. Hinc *Joan.* 4. 46. 49. *Erat quidam Regulus*, Græcus habet *Baſilicos* (d), quod reddi poteſt *Regius*, ſive *Palatinus*.

REHUM, Levita, filius Benui, Babylone unà cum Zorobabele redux, 1. *Eſdr.* 2. 2. & 2. *Eſdr.* 3. 17.

REI 3. *Reg.* 1. 8. vox, quam Ductorem copiarum, ſive Regiæ domus non infimum miniſtrum ſonare S. Hieronymus credidit: *Semei, & Rei, & robur exercitus David, non erat cum Adonia*. Eodem modo & Septuaginta verterunt. Author Traditionum in Reges & Paralipomena, *Semei* confundendum cenſet cum Nabat patre Jeroboami, & Salomonis præceptore; *Rei* verò eundem cenſet cum Ira Jaraite, *Sacerdote David*, 2. *Reg.* 20. 26. Hebræus Textus *Semei, & Rei*, ſive *Somei & Roei* reddi poteſt *audientes, & videntes*, nempe viri cautiores, quibus Regis conſilium perſpectum erat; vel Prophetæ eorumque Diſcipuli, videntes ſcilicet, & eorum auditores. Nonnulla Græca Exemplaria legunt: *Semei, & ejus amici*. Ita Edit. Complut. & Antuerp. & Pariſienſis.

REIA, filius Michæ, pater Baal è Tribu Ruben. 1. *Par.* 5. 5.

REKEM, alio nomine *Petra*, Metropolis Arabiæ Petrææ. Vide *Petra*.

(RELIGIO tripliciter uſurpatur in Scriptura; 1. Pro cultu externo & rituali Judæorum: *Hæc eſt religio* (cæremonia) *Phaſe*: *Exodi* 12. 43. *Quæ eſt iſta religio?* i. e. cæremonia. *Animas veſtras affligetis religione perpetua Levit.* 16. 31. perpetuo cultu: Poſt ſublatum Aman plures Judaicam religionem adoptarunt: *Plures eorum religioni & cæremoniis jungerentur*, *Eſther* 8. 17.

2. *Religio* eſt etiam genuina Religio & optima ratio colendi, atque obſequendi Deo: *Religio munda & immaculata apud Deum patrem, hæc eſt, viſitare pupillos &c. Jacob.* 1. 27. Perhibet de ſe Apoſtolus, Act. 26. 5. degiſſe in ſecta Phariſæorum, quæ in Religione Judaica omnium perfectiſſima reputatur.

3. Tandem *Religio* in Scriptura, uti & apud Prophanos exprimit *ſuperſtitionem*: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum*.)

RELIGIOSUS, *Act.* 2. 5. & 10. 2. & 13. 5. Græcè *Euſebes*, quæ vox interdum de Proſelyto uſurpatur; qui præcepta Legis naturalis, non verò Religionis Judaicæ ſervabat. Vide *Proſelytus*.

(RELIQUIÆ. Vix credo uſpiam in Scriptura nomen *Reliquiæ* uſurpatum occurrere, quo ſenſu accipitur Eccleſiaſtico ſtylo, nempe pro Lipſanis Sanctorum. Nihilo tamen ſeciùs certiſſimè aſſerendum eſt, Hebræos plurimo obſequio coluiſſe Reliquias; ſervarunt enim diu vas continens mannam, Virgam Aaronis, ſerpentem æneum; inſigni tenebantur obſequio in ſepulcra Patriarcharum & Prophetarum, quæ & reparabant, ornabantque. Eliſæus loco pretioſiſſimi depoſiti cuſtodivit pallium Eliæ; ſed ab hoc argumento alieno in loco verſamur.

RELIQUIÆ plerumque valent Poſteritas. *Sunt reliquiæ homini pacifico Pſal.* 36. 37. i. e. florens poſteritas; viciſſim autem: *Reliquiæ impiorum interibunt*. Exprimunt ſæpè raros illos, qui belli, captivitatis, ſeu peſtis diſcrimen evitant: *Perdat reliquias civitatis Num.* 24. 19. ne reliquus quidem unus in Urbe ſuperſit. *Salvatæ ſunt reliquiæ populi Judic.* 5. 13. reliquiæ ſcilicet Iſraelitarum è furore Jabim reſidui, vel qui ejus captivitatem evitarunt, ſervati ſunt ope Deboræ & Barach. Frequentiſſimè in Scriptura Iſraelitæ è captivitate Babylonica reduces appellantur *Reliquiæ Iſrael*. E. g. Iſaiæ 37. 32. *De Jeruſalem exibunt reliquiæ*; adhuc de Jeruſalem exibunt Hebræi, Urbs illa reſtituetur: Jerem. 42. 15. *Audite verbum Domini reliquiæ Iſrael*, Sophon. 2. 13. *Reliquiæ Iſrael*

(a) Vid. Prov. 23. 32. Iſai. 11. 8. & 14. 29. Jerem. 8. 17.
(b) Iſa. 30. 6. Septuag. E'κγονα ἀσπίδων πετομένων.
(c) Vide Iſa. 59. 5. LXX. Βασιλίσκων, alii: Viperæ. Vide & Bochartum.
(d) Nonnulla Exemplaria Græca habent. *Baſiliſcoi*, *Regulus*.

Iſrael non facient iniquitatem; Iſraelitæ è captivitate reduces pravum Idololatrarum patrum ſuorum exemplum non ſequentur. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt Rom.* 9. 27. & 11. 11. 5. 5. &c. licèt Deus rejecerit Iſraelitas merito pervicaciæ atque infidelitatis ſuæ, nihilo tamen ſecius ſervavit reliquias, quas maximè ſervandas cenſuit, infuditque in illis ſpiritum, & gratiam fidei; ceu triumphator aliquis, qui parcit reliquiis perduellium, cùm manibus clementiæ ſuæ ſe totos permittunt.

Reliquiæ valent etiam annona. *Benedictu horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ*, *Deut.* 28. 5. 17. Ranæ, quarum plaga Deus Ægyptum percuſſit, inſinuantes ſeſe per domos corruperunt *reliquias ciborum*. *Exodi* 8. 3. Tandem reſiduum rei cujuſque *reliquiæ* appellatur. Poſt ſatiata quinque panibus ac duobus piſcibus quinque millia hominum à Jeſu, *tulerunt* Diſcipuli *reliquias duodecim cophinos &c. Matth.* 14. 20.)

REMEIA, filius Pharos, muſicæ peritus, è captivitate Babylonica regreſſus, 1. *Eſdr.* 10. 25.

REMISSIO (a): quo nomine interdum annus Jubilæi, ſivè Sabbathicus deſignatur, quo ſervis libertas, & veteribus dominis priſtina hæreditas redditur. Vide *Jubilæum & Annus Sabbathicus*.

Interdum etiam hoc nomen de criminum veniâ conceſſa uſurpatur, juxta illud de S. Joanne dictum: *Venit prædicans Baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum*, *Marc.* 1. 4. *Luc.* 3. 3. Nec rarò etiam in N. T. Jeſum Chriſtum ſanguinem pro remiſſione noſtrorum peccatorum effudiſſe legimus (b).

REMMON, vox interdum excelſum aliquid ſonans. Eſt etiam urbis nomen in Tribu Simeonis, *Joſue* 19. 7. quam confundendam cenſemus cum alia in parte Judæ, *Joſue* 15. 32. & 2. *Eſdr.* 11. 29. quæ interdum *Remmus* appellatur. Sita eſt Euſebio in Erembon. ad meridiem Juda 16. m. paſſuum ab Eleutheropoli, meridiem verſus. Porrò plures urbes Juda Tribui Simeonis acceſſiſſe conſtat. Eadem facilè eſt, de qua Zacharias 14. 10. *De colle Remmon ad auſtrum*. Hebraicè: *A Gabaa ad Remmon*.

REMMON, vicus 15. m. paſſuum à Jeruſalem, ſeptentrionem verſus. *Euſeb. in Remmon*.

REMMON, rupes, quò Benjamitæ prælio fracti, ſe receperunt. Vide *Judic.* 20. 45. & 21. 13.

REMMONA, urbs Zabulon, 1. *Par.* 6. 77. eadem facilè ac *Dimona*, ſivè *Dumna*. *Joſue* 21. 35.

REMMON-ANTHAR, ſive *Amtar Joſue* 19. 13. quæ duo nomina unam tantùm urbem ſignificare aliquibus viſa ſunt; quamquam duas liquidò notant, *Joſue* 19. 7. Vide *Remmon* è Tribu Simeonis.

REMMON-PHARES, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto *Num.* 33. 19. Ex Rethma enim moventes, in Remmon-Phares venerunt; inde verò Lebnam.

REMMON-BEROTH, pater Banæ, & Rechab, interfectorum Regis Isboſeth, 2. *Reg.* 4. 5. 9.

REMMON, Damaſcenorum Numen, cujus Templum Regem Damaſci ſæpius adeuntem Naaman Syrus comitabatur, ipſumque obſequia ſe ſe inclinando præſtantem ſuſtinebat, 4. *Reg.* 5. 18. Sub eo nomine, quod altum ſonat; Solem à Damaſcenis cultum credimus; quippe qui celſiſſimus ſit. Saturnum denotari, utpotè inter planetas omnibus ſuperiorem Grotius in 4. *Reg.* 5. autumat. Seldenus de Diis Syr. Syntag. 2. c. 10. Deum altiſſimum, & Deum *Elion* Phœnicum maluit; Serrarius, Venerem. Porrò nullum aliud in tota Antiquitate Numen *Remmon* occurrit.

REMMON, *Adad-Remmon*, ſivè Maximianopolis. Vide *Adad Remmon*.

REMPHAN, ſivè *Rephan*. Amos 5. 26. ubi Hebræus vertit, quod in deſerto *Tabernaculum Moloch, & imaginem Idolorum ſuorum, ſidus dei ipſorum* tulerint; quem Prophetæ locum S. Stephanus laudans juxta Verſionem Septuaginta, ita habet, *Act.* 7. 43. *Sidus Dei veſtri, Remphan*. Vox illa plurimos Scriptorum conjecturas excitavit. Grotius in Amos 5. idem eſſe Numen cum Remmon cenſuit, tranſmutato ſolùm vocali *u.* in *v.* conſonam, & pro *Remmon*, redditum *Remvun*. Septuaginta pro *Remmon* legerunt *Remman*, 4. *Reg.* 5. 18. Porrò Remvan Grotio eſt planeta Saturni. Alii *Rephan* ex Hebræo *Rapha*, nempe ſegnem eſſe, derivant; Saturnus enim, inquiunt, cæteris planetis ſegnior eſt, & præ aliis lentus. Cappellus & Hammondus in *Act.* 7. 44. nomen eſſe cenſent Regis Ægypti, cujus nomen à ſuperſtitioſa gente conſecraretur. Sanè Regem *Remphim* Proteo ſucceſſorem Diodorus Siculus l. 1. aſſignat: quamquam idem Scriptor impium Regem, ut ipſe innuit, inter Numina cooptare ne cogitaverit quidem.

Ludovicus de Dieu in Amos 5. & in *Act.* 7. 43. ex Ægyptiaca voce derivatum nomen Rephan, Saturnum ſignificare tradit. In Alphabeto Cophtico Romam à Scaligero miſſo, nomen Rephan de planeta Saturni uſurpatur. Arabum *Reph* ſonat voracitatem; quod ſanè Saturno filios ſuos voranti congruit. Voſſio de Orig. Idolol. l. 2. c. 23. *Rephan*, ſivè, ut in Amos, *Chion*, ſivè *Chevan*, luna eſt. Qui tamen *Rephan* rejiciunt, Hebræo Textui Amos adhærentes, *Chion* ſivè *Chevan* Saturnum denotare contendunt (c); eodem enim nomine Arabes, Syri, & Perſæ, Saturnum appellant. Aliis Rephan mendum eſſe Amanuenſium in Textu Septuaginta viſum eſt (d), ex immutata litera K in R Græcum; quare pro *Kephan* redditum *Rephan*. Setuaginta *Ph* Græcum pro *V.* conſona facilè uſurparunt, ex quo pro *Kevan* legerunt *Kephan*. Hæ potiſſimæ hujus nominis conjecturæ (e).

REMPHTIS, urbs Palæſtinæ, eadem ac *Rama*, ſive *Ruma*, ad Lyddam. *Euſeb. in Ruma*.

(RENES. Renibus tribuebant Hæbræi agnitionem, gaudium, dolorem, voluptatem. Unde frequens illud in Scriptura (f): *Scrutans corda & renes, Deus*; ſicut &: *Probans renes & corda*, *Jerem.* 11. 20. Ita pariter fons amoris & generationis in renibus 3. *Reg.* 8. 19.: *Filius tuus egredietur de renibus tuis*. Queritur de Hebræis Deus eſſe ſe quidem in ore eorum, ſed non in renibus & corde: *Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum*. *Jerem.* 12. 2. Rogat Deum propheta in Pſ. 25. 2. *Ure renes meos, & cor meum*, amore ſcilicet tuo. Queritur ille pariter Pſal. 72. 21. noxia morbi qualitate, igne quodam depaſci cor ſuum, quòd ſcilicet renes noxio cruciarentur ardore: *Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt*.

In dolore & metu concutiuntur horrore renes. *Contremuerunt renes ejus* 1. *Machab.* 2. 24.; deficiunt. *Defectio in cunctis renibus*; *Nahum* 2. 10. diſſolvuntur, laxatiſque compagibus aquam fluentem dimittunt; *Compages renum ejus ſolvebantur*. *Dan.* 5. 6. Ezech. 29. 7. *Diſſolviſti omnes renes eorum*. Excitatum ſe à renibus dicit Pſalmiſta, Pſal. 15. 7. incitatumque ad perſolvendas Deo laudes: *Increpuerunt me renes mei*. Jeremias, Thren. 3. 13. Miſit (Dominus) *in renibus meis filias pharetræ ſuæ*; i. e. transfodit me ſagittis ſuis, ut pharetram omnem evacuaret in me. *Filiæ pharetræ* ſunt ſagittæ. Per metaphoram uſurpatum eſt *adeps renum frumenti*, quo exprimitur ſimila ſelectiſſima, vel ut reddit Vulgata: *medulla tritici*.)

RENGAN, locus, ubi Philiſtæi arma in Saulem inferen-

(a) Levit. 25. 10. &c. Num. 36. 4. Deut. 15. 1. &c.
(b) Epheſ. 1. 7. Coloſſ. 1. 14. Matth. 26. 28. &c.
(c) Vide Abenezra, Kimchi, Lud. de Dieu. Grot. Caſtell. Lexic. Pukoc. fol. ult. (d) Druſ. Mercer. Vitringa Livell. (e) Vide Noſtr. Diſſert. de Idololat. Hebr. in Diſſert. ante Comment. in 12. Prophet. minor.
(f) Pſal. 7. 10. Sap. 1. 6. Apoc. 2 23. Jerem. 17. 10. & 11. 20.

Digitized by Google

inferentes (quo in prælio Saul occubuit) caſtra habuerunt (a). In Textu Joſephi mendoſè *Rengam* pro *Sunam* irrepſiſſe videtur.

REPHA, *Rephaim*, Vide *Raphis*, *Raphaim*.

REPROBARE, ſæpè idem eſt, ac rejicere. Dominus *reprobat cogitationes populorum*, *Pſal.* 32. 10. nempe rejicit, condemnat. *Ex ore fatui reprobabitur parabola*, *Eccli.* 20. 22. nempè deſpicietur, nihili æſtimabitur. Jeremias de principibus Juda, ait 6. 30. *Argentum reprobum* (nempe ſcoria mixtum, cujus nullus in commerciis eſt uſus) *vocate eos*, *quia Dominus projecit illos*.

Tandem reprobationis vox de præſtitutis à Deo decretis uſurpatur, quibus impios in maſſa corruptionis permittit; in qua quidem maſſa omnes dum in lucem prodimus, deputamur; iiſdem verò validiora quædam denegat auxilia, quibus æternam beatitudinem certò aſſequantur (b). Ex reprobis alii peccatorum remiſſione in Baptiſmo, ſimulque actualibus nonnullis gratiis in vitæ decurſu obtentis, finalis tamen perſeverantiæ dono deſtituuntur (c). Aliorum verò reprobatio, ſive peccati Originalis corruptioni deputatur, ſive patrata ab illis criminibus, quorum ſcilicet rei, Divinam in ſe ultionem provocant. Quos autem Deus reprobatione projicit, ob merita, ait Auguſtinus, *Ep.* 194. *Nov. Edit.* n. 14. c. 23. damnat; *Merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur, ac potius ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur*.

REPROBATIO, vox quæ ſæpè de re uſurpatur aliquandiu habita, ac deinde rejecta, ſivè etiam de re quapiam, vel homine, quo aliquando uſi, modò tamen operam rejicimus. Ita S. Paulus *Hebr.* 7. 18. Deum reprobaſſe legem cæremonialem, inutilem prorſus, aſſerit: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*. Legimus etiam (d) *lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, factum eſſe in caput anguli*.

REPTILIA, Græcè *herpeta*, Hebraicè *remiſim*, inſecta ſunt pedibus deſtituta, vel adeò brevibus inſtructa, ut reptare videantur. Hujus generis cenſentur angues, vermes, locuſtæ, bruchi, & muſcæ. Reptilium genus Hebræi etiam ad piſces quoſcumque extendunt (e), idem quandoque nomen uſurpatur de brutis terreſtribus, jumentis, & beſtiis inferioribus. Uno verbo, *repens ſuper terram* (f) non rarò ſonat, ire, & gradi ſuper terram, ut quadrupedes ſolent.

REPUDIUM. Polygamia, & repudium Hebræorum Lege tolerabantur. De repudio ſatis egimus v. *Divortium*. Vide & noſtr. Diſſert. de Divort. ante Comment. in Deut. quare ejuſdem repudii recentiores cæremonias hic tantummodò ex Leone Modena referendas cenſemus (g). Puella infra decennium ætatis ſive patre ſuperſtite, ſivè illo orbata, alicui viro antea deſponſa, eoque deinde viduata, ſi fortè matre ſive fratribus aſſentientibus, viro alteri nupſerit, antequam annum duodecimum ætatis die integra excelſerit (quo termino elapſo mulier cenſetur) hunc virum pro libito dimittendi jus habet. Divortio autem indicendo ſola puellæ voluntas coram duobus teſtibus indicata, & ſcripto conſignata ſatis habetur. Inde illi libera alterius connubii facultas eſt. Puellæ violator vel quacumque ratione corruptor, Judicum ſententia ad nuptias adigitur, omni divortii privilegio, quin & 50. ſiclorum ſocero ſolvendorum pœna mulctatur, *Deut.* 22. 28. 29.

De repudii cauſſa hæc Moyſes, *Deut.* 24. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Quid illud: *propter aliquam fœditatem*, innuat, diutius inter Commentatores agitatum eſt. Recentiores tamen Judæi hæc juxta Leonem Modenam *p.* 4. *c.* 6. *Cerim. de Giud.* Morigeram etiam & dicto obſequentem uxorem, ſi viro diſplicuerit, dimittere fas eſt; quamquam niſi aliquid de illa ſuſpicioſum conceperit, ſeu reprehenſione dignum quidquam nactus, abſtinendum illi prorſus ducitur. Ut verò viri in officio contineantur, ne conceſſa à Lege libertate abutantur, pluribus libellum repudii difficultatibus Rabbini implicarunt, ut interim illis conjuges moram trahentes, temporis tandem beneficio diſſidentes animi tandem convenientes, ab incepto abſtineant.

Porrò libello exarando, quem *Gebes* (h) appellant, ſcriba adhibendus eſt, qui nullo cognationis vinculo, ſive utrumque conjugem, ſive alium quemdam ex teſtibus ſpectet. Quod etiam de iiſdem teſtibus, ampliſſimis ſcilicet Rabbinis, obſervandum eſt; neque enim duo ſimul cognati teſtis munere fungi permittuntur. Membranæ autem, quæ duodecim tantum lineas contineat, eſt committendum, ſcriptura rotunda charactere, ſuperſtitioſis quibuſdam minutiſſimis regulis ſubjecta, cum in characterum figura, tum in ratione ſcribendi, & in nominibus, & cognominibus conjugum deſcribendis; Divortii autem formula hæc: *Die ... menſe ... anno ... ego N. ſponte repudio, & abdico te, atque in ea libertate relinquo, qualem habebas, cum te duxi; atque liberam alterius conjugii tibi facultatem relinquo*. Obſignatur autem viri, & teſtium nomine.

His ſcriptis exaratis, Rabbinus ſuperſtitioſa ſtipulatione maritum ſciſcitatur, an ſponte neque aliqua ratione invitus uxorem repudiet. Porrò toti cæremoniæ, ſi fieri poſſit, decem tantum homines adeſſe debent, exceptis duobus teſtibus, qui ſcripto nomen ſuum ſubjiciunt, totidemque qui ſcripti tempus teſtantur. Sub hæc Rabbinus fœminam interrogat, & vir libellum repudii eidem fœminæ exhibet; quæ extenſis manibus, atque altera propè alteram poſita, membranam ſuſtinens, Rabbino dein tradit. Exhibens vir libellum, En, ait, repudium tuum; te ego à meo commercio abdicatam, liberam, quod ad conjugium attinet, pronuncio. His actis, Rabbinus ſcriptum legit; qua lectione peracta, fœmina libera cenſetur. Minutiora etiam quædam obſervant, quæ brevitatis gratia nec niſi ad differendum tempus excogitata, ultro prætermittimus. Monet autem Rabbinus fœminam, ut ad tres menſes conjugium cum altero differat, ne fortè fœtum ex priori viro fuiſſe contingat. Inde recedentes utrique conjuges in diverſa abeunt, nec deinceps ſimul illis morari licet; libera autem utrique alterius conjugii facultas. Hæc Leo Modenas.

Divortii jus penès viros tantùm fuiſſe ex Legis verbis colligere videmur; vel ſaltem nihil in illa, quod ad fœminas attinet; neque in V. T. ullo unquam exemplo fœminam à viri conjugio receſſiſſe diſcimus. Salome ſoror Herodis Magni prima occurrit, quæ Coſtobarum virum ſuum divortio abdicavit; quæ in re, ait Joſephus *Antiq. l.* 15. *c.* 11. Judæorum Legibus fœmina abuſa eſt, neque enim, ait, fœminis viros dimittere permiſſum eſt; & ſi quæ virum dimiſiſſet, alterum conjugium interdictum, niſi fortè libello repudii antea à viro dimitteretur. Herodias, de qua in Evangelio, *Matth.* 14. 3. *Mar.* 6. 17. viro abdicato, alteri adhæſit, uti ex Joſepho *Antiq. l.* 18. *c.* 7. colligimus. Ipſe autem

de ſe

(a) Antiq. l. 6. c. 15. Confer. 1. Reg. 28 4. Sunam. (b) Vide Aug. l. 1. de diverſ. qq. ad Simplic. n. 8. &c.
(c) Aug. l. de correpl. & grat. c. 13. n. 42. &c. Item c. 9. n. 20. 21.
(d) Pſal. 117. 22. Matth. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc. 20. 17. & 1. Petr. 2. 4. 7.
(e) Gen. 1. 20. Levit. 11. 46. Pſal. 68. 35. (f) Vide Gen. 1. 28. 30. & 6. 7. 20. 7. 8. 14. &c. Vide Hebr.
(g) Cerim. de Giud. p. 4. c. 4. (h) Vide Thalmud. tract. Gittim.

de ſe Scriptor ille teſtatur, ducta paulò poſt manumiſſionem conjuge, ab ea poſt modicum temporis intervallum Alexandriæ derelictum (a). Eadem de fæminis Chriſtus inſinuat, *Marc.* 10. 12. *Si uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. Tres ſorores Agrippæ junioris, Regis Trachonitidis, & Batanææ, paria in viros ſuos præſtiterunt. Berenice natu major, primò cum Herode Rege Chalcidis patruo ſuo nupta, deinde Polemoni Regi Ponti adhæſit, quem brevi dimiſit (b). Mariamne ſoror Berenices prius conjugium cum Archelao, ſecundis cum Demetrio Alabarcha, Principe Judæorum Alexandrinorum, nuptiis poſthabuit (c). Eodemque exemplo Druſilla Azizi Regi Emeſæ Felicem Judææ Procuratorem prætulit (d).

Divortium, quod Chriſtianis moribus ad ſolam adulterii cauſam redactum eſt, ſatis perpendimus v. *Divortium* (e).

(REPUTARE. Vox eſt noſtro etiam vernaculo ſermone veluti conſecrata ad exprimendum illud Apoſtoli ad Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt* (Gallic. lui fut reputée, ou imputée à Juſtice) *ei in juſtitiam*; quod deductum eſt ex Geneſi 15. 16. Deus imputavit illi ad juſtitiam, fidem ac ſpem, quam in ipſo ſuam poſuerat; non ſolùm illum reputavit in juſtum, ſed & juſtum effecit; reipſa enim erat juſtus non mera juſtitiæ imputatione, ſed inhærenti ſibi atque intus in corde inſidente juſtitia.

REPUTARE. Exprimit etiam ſæpè conceptam de aliquo opinionem, Geneſ. 31. 15. *Nonnè quaſi alienas reputavit nos?* ita nos habuit veluti alienas non filias; Et Geneſ. 48. 5. *Ephraim & Manaſſes ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi*; portionem hæreditatis inter filios meos, tanquam reipſa filii obtinebunt. Levit. 11. 4. *Quidquid habet ungulam, ſed non dividit eam, inter immunda reputabitis*; abſtinendum eſt vobis, ne adhibeatis in cibum. Judic. 4. 9. *Victoria non reputabitur tibi*; tibi non feretur accepto.

REPUTARE valet etiam recogitare ſecum: *Saul autem reputabat intra ſe*. Eſther. 6. 6. *Aman reputans quod nullum alium Rex, niſi ſe vellet honorare*; i. e. Aman ratus. Pſal. 143. 3. *Quis eſt filius hominis, quia reputas eum?*

Jeſus Chriſtus in Paſſione ſua *inter iniquos reputatus eſt Pſal.* 143. 3. Regnante Salomone aurum & argentum perinde erant vulgaria in Jeruſalem, ut tanquam *nihil reputarentur* 2. *Par.* 9. 20. Proverb. 17. 28. *Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur*.

REQUIES. Dies Sabbati in otio quodam religioſo tranſigenda erat ex Legis præcepto ab Iſraelitis, in memoriam ceſſantis Dei ab opere poſt ſex dies Creationis.

REQUIES exprimit etiam moram tranquillam, fixam, certam. Fratres veſtros comitabimini, *donec requiem tribuat Dominus* illis. *Deut.* 3. 20. & cap. 12. 9. *Neque enim uſque in præſens tempus veniſtis ad requiem*, nempe ad regionem aſſignatam vobis in ſedem. Nohema ad Ruth: *Quæram tibi requiem* Ruth 3. 1. ſtatum quendam certum. Sermonem habens David de Arca Fœderis, cujus nullus erat adhuc certus locus aſſignatus: *Surge*, ait, *Domine in requiem tuam Pſ.* 131. Et Eccli. 36. 15. *Miſerere civitati ſanctificationis tuæ Jeruſalem, civitati requiei tuæ*.

In ſenſu morali & ſpiritali requies exprimit ſtatum certæ ac permanentis quietis Beatorum in æternitate.

Verba illa Pſalmi 94. 11. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam* (in Chanaanitidem.) Quæ de conſtitutione Iſraelitarum in Terra promiſſionis dicta ſunt transferens Apoſtolus ad requiem, quæ manet Sanctos in Cælo, obſervat, ut quemadmodum præcluſus eſt aditus ejus regioni populo in pœnam incredulitatis, ita nobis metuendum eſſe, ne ſimilem incurramus pœnam; neque enim datur in Cælum aditus niſi per fidem & integrum mandatorum obſequium.)

RESA, filius Zorobabelis, pater Joannæ, inter progenitores Jeſu Chriſti, *Luc.* 3. 17.

RESEM, urbs Aſſyriæ, inter Ninivem, & Chale, ab Aſſur condita, *Geneſ.* 10. 12. Porrò urbs *Reſina*, ſive *Reſiane* ad amnem Chaboram in Meſopotamia, in nummis adhuc noſtra ætate extantibus celebratur (f).

RESEPH, filius Raphæ, & nepos Saræ filiæ Ephraim 1. *Paralip.* 7. 25. quamquam in Textu filius Saræ immediatus videtur.

RESEPH, *Reſiph*, *Reſaph*, ſive *Riſapha*; urbs Syriæ, de qua præter Scripturam, 4. *Reg.* 19. 12. *Iſa.* 37. 12. Ptolemæus, Tabulæ Peutingeri, & Notitia Orientis.

RESEPH; quæ vox occurrit in Hebræo Abacuc 3. 5. (g) quo enim loco Vulgata legit; *Egredietur Diabolus ante pedes ejus*; & Septuaginta; *Egredietur in campos poſt pedes ejus*; Hebræus legit; *Egredietur Reſeph*. Nomen illud Aquila reddit *volatile*; Symmachus, Theodotion, & quinta Editio *volucrem*. Verti etiam optimè potuit; *Egredietur carbo ante illum*; nempe ignis iræ Dei ante Dominum procedet, ſive morbis, ſive carbonibus, ſive tandem peſte hoſtes corripiet. Ex Hebræorum traditione S. Hieronymus *in Abac.* 3. 5. tradit, *Reſeph* nomen eſſe Dæmonis, qui aliis Dæmonibus præeſt, quemadmodum de Beelzebub Principe Dæmoniorum in Evangelio legimus. Nominis autem *Reſeph*, volucris nempe, etymon deducit ex celeritate; addit etiam, eumdem Dæmonem primam mulierem in horto voluptatis ſeduxiſſe, quare dirià à Deo iuſſus, inde nomen *Reſeph*, nempe *reptantis ſuper terram* (h), deduxiſſe. Tandem ipſiſſimum eſſe Dæmonem credit, qui aſcendenti ab aquis Baptiſmi Chriſto occurrit, atque in deſerto 40. diebus commorantem tentavit.

RESIA, filius Ollæ, ex Tribu Aſer 1. *Par.* 7. 39.

RESPHA, filia Aiæ, concubina, nempè ſecundi ordinis uxor Regis Saulis. Cum Rex Iſraelis, incertum qua de cauſa, atque quo tempore, Gabaonitas quamplurimos neci adjudicaſſet 2. *Reg.* 21. 1. *&c.* Deus in criminis ultionem triennalis famis flagello Iſraelem percuſſit (i). Injuriæ Gabaonitarum reparandæ, atque benedictioni Dei in Iſraelem impetrandæ, David Dominum conſulit; utque crimen Saulis expiaret admonitus, Gabaonitas requiſivit, quid pro injuria poſtularent. Poſcentibus illis, ut ſeptem filii, ſive nepotes Saulis crucis ſupplicio tradendi concederentur, David duos filios Reſphæ filiæ Aiæ, nempe Armoni, & Miphiboſeth, & quinque filios Michol filiæ Saulis, ex Hadriele filio Berzellai, ſeu potiùs Phaltiele, conceſſit. Illos igitur omnes Gabaonitæ in monte urbi ſuæ imminente crucibus affixere, ineuntis hordeaceæ meſſis tempore. Vide 1. *Reg.* 25. 43.

Tunc Reſpha filia Aiæ cilicium petræ inſternens, excubias miſeris egit toto temporis ſpatio, ab ineunte meſſe, quouſque pluviæ de Cælo labentes, Terram iterum fœcundarent. Eo, inquam, temporis ſpatio mulier miſeris cadaveribus adſiſtens, aves, per diem accedentes, & belluas noctu arcebat.

Qua

(a) Joſeph. de Vita ſua. (b) Antiq. lib. 20. c. 5. (c) Joſeph. ibidem.
(d) Joſeph. ibidem. (e) Vide noſtr. Diſſert. & Selden. Uxor. Hebr. & Comm. in Matth. 5. 32.
(f) Vide noſtr. Comment. in Gen. 10. 12. & Cellar. Aſiæ lib. 3. cap. 15.
(g) Ita Chald. Grot. Druſ. Piſc. Jun. Pagn. Mont. Anthrax, Carbo, morbus peſti affinis.
(h) Hæc ſignificatio in Lingua Syriaca occurrit.
(i) Ab A.M. 2983. uſque ad 2986. ante Chr. 1014. ante Ær. 1018. & 34. annis poſt interfectum Saulem, qui an. 2949. ceciderat.

Digitized by Google

Qua mulieris pietate ad Davidem renunciata, ille Saulis, & Jonathæ oſſa in Jabes Galaad ſepulta, Gabaam deferri, atque in tumulum Cis patris Saulis inferri curavit; quam etiam pietatem ad quinque illos viros à Gabaonitis ſupplicio abſumptos prorogavit.

Ea occaſione illi Legis mandato derogatum *Deut.* 21. 23. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur*; relicta enim miſerorum cadavera è ſupplicio pendentia ab ineunte vere uſque fortaſſe ad autumnum videntur; cujus quidem rei in cauſa fuit ſivè Saulis crimen ea pœna expiandum, ſivè quòd Gabaonitæ *Proſelyti* tantummodò *domicilii*, Legis præceptis non ſubderentur. Cùm autem David Gabaonitas compeſcere juſſus eſſet, idcirco tantam illis exigendæ de miſeris ultionis facultatem reliquit.

Diu ante hæc geſta, & paucis à Saulis obitu annis (a), Abner Dux copiarum Saulis, Reſphæ amore captus, ſivè illam duxit, ſivè faltem illa abuſus eſt. Cùm autem privatæ fortunæ homines Regium thorum violare nefas apud eas gentes haberetur, ideò Isboſeth filius Saulis, qui in Mahanaim in transjordanica, ope tantùm Abneri regnabat, factum viro exprobravit 2. *Reg.* 3. 7. 8. Abner ea reprehenſione offenſus, Isboſethi perniciem jurisjurandi religione apud ſe conſtituit; ſtatimque Davidem conveniens, ejus conſilii exequutioni mandandi, atque avertendi ab Isboſetho Regni rationem inivit. Hæc de Reſpha.

(RESPONDERE. Præter vulgarem notamque vocis hujus ſignificationem aliæ pariter ſuppetunt. *Reſpondere* eſt alternis choris cantare, ſeu cantilenas ſimili terminatione claudere; e. g. Exodi 15. 21. legimus Moyſi pangenti carmen euchariſticum poſt transfretationem Maris rubri, Mariam ejus ſororem *reſpondiſſe*, ac dixiſſe: *Cantemus Domino &c.* Moyſes cum virorum choro præcinebat ex uno latere; viciſſim autem Maria cùm puellarum choro alternatim modulabatur idem Canticum. Et Num. 21. 17. *Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud. Aſcendat puteus. Concinebant* (reſpondete): i. e. accinite illi vel alternis choris canite; & 1. Reg. 21. 11. *Nunquid non iſte eſt David, cui cantabant per choros, dicentes* (reſpondebant dicentes): *Percuſſit Saul mille, & David decem millia?* Cantabant ſcilicet alternis choris carmen illud Hebræum *Hanab*. Vulgata plerumque reddit *concinere*, conſtat tamen ſignificare ad literæ rigorem, *reſpondere*.

Uſurpatur id etiam pro accuſare, vel alterum defendere in judicio. Geneſ. 30. 33. *Reſpondebit mihi cras juſtitia mea*; patronum meum aget coram te juſtitia mea; & Deut. 31. 21. Carmen à vobis digeſtum, quod ea vobis diſcent, *reſpondebis eis pro teſtimonio*. Iſaias 3. 5. de Judæis: *Agitatio vultus eorum reſpondebit eis*; teſtimonium in illos feret ceu teſtis & accuſator, qui juſtitiam ſuam defendenti alteri adverſum ſe ſe opponit. Oſee 5. 5. pari ratione uſurpat: *Reſpondebit arrogantia Iſrael*.

Recurrit ſæpe in Scriptura illud, Deum ſcilicet reſpondere nobis, cùm poſtulationibus noſtris annuit. Job 14. 15. *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi*; & Ezech. 14. 3. *Nunquid interrogatus reſpondebo eis?* Ponitur id etiam cùm ad conſultationes Prophetarum Dominus *reſpondet*; i. e. detegit occulta, de quibus interrogatur.

RESPONDERE etiam accipitur in ſiniſtram partem; ut cùm de filio, qui petulans reſpondet Patri, de familiari, qui hero ſuo. *Quis es, qui reſpondeas Deo?* ut cauſationem pares adversùm illum, ut litem Deo intentes? *Sic reſpondes Pontifici Joan.* 18. 22.

Scribit Apoſtolus 2. Cor. 1. 9. *In nobiſmetipſis reſponſum mortis habemus*, tanquam homines quibus ſententia de morte ſua lata expoſita eſt, certò mortem noſtram habemus denunciatam. Reddunt alii Græcum: *In nobis metipſis præſentimus mortem*. Heinſius vertendum contendit: *Ante noſmetipſos habemus cautionem mortis*; i. e. certam ſponſionem immunitatis à morte.)

RESSA, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto; à *Lebna* enim moventes, *Reſſam* venerunt, ex qua *Ceelatam*, *Num.* 33. 22.

RESSA, urbs Arabiæ Petrææ celebris, eadem facilè ubi Hebræi caſtrametati ſunt. Arx ejus nominis in Idumæa apud Joſephum *de Bel. l.* 1. 12. occurrit; & urbem *Reſſam* inter Cades & Gazaram ad fidem S. Hilarionis opera traductam S. Hieronymus in ejus vita teſtatur. Eadem fortè eſt cum *Lariſſa*, apud Guillelmum Tyrium *l.* 11. *ad fin.*, & *Ariſchi* urbe Epiſcopali in deſerto filiorum Iſraelis (b). *Laris* maritima erat urbs, viæ Ægypti imminens.

RESTITUTIO. Illata proximo injuria ſivè in corpore, ſive in bonis, ſivè in honore reparanda naturali Lege præcipitur. In Lege Moyſis injunctum (c), ut *anima pro anima* (nempè vita pro vita) *oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede, aduſtio pro aduſtione, vulnus pro vulnere* reddatur. Quinque etiam boves pro uno, & quatuor oves pro unica rependendi. *Exod.* 22. 1. Venditi in ſervitutem furis pretio damnum ſarciatur. Fur in crimine deprehenſus, dupli pœna; qui verò agro alterius damnum intulerit, juxta æſtimationem damni mulctatur. Si quis imprudens debitas Templo oblationes, ſivè decimas ſcilicet, ſivè primitias neglexerit, tantumdem Sacerdotibus, addita etiam quinta reſtituat; & in expiationem criminis aries in ſacrificium immolandus. Iſraelitas illos, qui fœnus à fratribus exegerant, his mulctat Nehemias 2. *Eſdr.* 5. 11.: *Reddite eis hodie agros ſuos & vineas ſuas, & oliveta ſua, & domos ſuas; quin potius & centeſimum pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere ſoletis, date pro illis.* Hebr. legit. *Centeſimam argenti frumenti &c. quam vos exigitis ab illis, &c.*

(Zacchæus Luc. 19. 8. fidem ſuam obligat: *Si quid aliquem* (in munere meo Publicani) *defraudavi reddo quadruplum*. Fraudis ſeu violentiæ reos Publicanos Romanæ Leges damnabant ad quadruplum. Legali huic mulctæ ipſe ſe ſubmittit Zacchæus, additque dimidium bonorum omnium ſuorum, quod ſupra legalem illam pœnam eſt incrementum.

Quicunque reus tenebitur necati jumenti, vel alterius animalis, puta bovis, ſeu æſtimationem pretii, ſeu tantundem reſtituere cogebatur. *Levit.* 24. 18. 21.

Opperiebantur Judæi Eliam: *Elias venturus eſt, & reſtituet omnia. Matth.* 17. 2. *Marc.* 7. 11. Spectatum his verbis ad illud Malachiæ 4. 6. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* S. Petrus, Act. 3. 21. hanc ipſam poſtremam diem appellat *tempus reſtitutionis omnium*. In exitu Mundi id efficiet Jeſus Chriſtus, ut in unum coaleſcant Synagoga cum Eccleſia, cum Chriſtiano Judæus, & cum utriſque Paganus; tunc reſtituentur omnia in abſolutam numeris omnibus ſocietatem, unus erit unius ſingularis ovilis Paſtor.)

RESURRECTIO. In reſurrectione aſſerenda omnes qua Chriſtiani, quà Judæi conveniunt; nec ejuſdem apertiſſima teſtimonia in utroque Teſtamento deſiderantur. Neque hic ſermò de reſurrectione illa, qua interdum ad mortalem vitam homines revocantur; quo prodigio Elias, Eliſeus, Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli claruerunt. 4. *Reg* 4. 35. & 3. *Reg.* 17. 22. De reſurrectione illa in præſentiarum

(a) Circa A. M. 2956. ante Chr. 1044. ante Ær. 1048.
(b) Renaudot Liturg. Orient. t. 1. Guillel. Tyr.
(c) Exod. 21. 24. 27. Levit. 24. 20. Deut. 19. 21.

Digitized by Google

tiarum ago, quæ poſt ſæculorum exitum, æternæ vitæ, ſive felicis, ſive miſeræ fores recludentur: De hac enim *Pſal.* 15. 10. *Non relinques animam meam in inferno*, (in ſepulchro); *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. *Job.* 19.25. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Ejuſdem veritatis ſymbolum eſt & teſtimonium illud Ezechielis 37. 1., cui mortua oſſa per viſum objecta ſunt, quæ ſponte juncta, rurſus pelle, carne, nervisque obduci cœperunt, donec ſpiritu animata reſurgerent. Vide & *Iſa.* 26. 19.

Author etiam Libri Sapientiæ eadem remotis ambagibus prodit *Sap.* 3. 6. 13. & 4. 15.; quippè qui juſtorum animas perſecutionibus in Mundo probatas, tandem ſuo præmio *in die viſitationis* (ita enim reſurrectionem alibi etiam ſæpè appellat) donandas aſſerat. Quidam ex ſeptem fratribus Machabæis ſub Antiocho Epiphane martyrium tolerantibus 2. *Mach.* 7. 9. 14. 23. 29., Regem compellans, *Tu quidem*, ait, *ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis; ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit*. Eademque ſpe reſurrectionis fortis mater illos ad martyrium ſubeundum comparabat; qua fiducia tantum illos incendit, ut ultro minas Regis, & tormenta omnia ipſi provocarent.

Jeſu Chriſti ætate omnes prorſus Judæi, ſolis Saducæis exceptis, dogma illud recipiebant (a). Tunc Saducæos tolerabant, neque illos à Reipublicæ dignitatibus arcebant (b). Nunc verò Saducæos pro hæreticis habentes, veluti Epicureos illos tradocunt, nullam in futuro ſæculo partem obtenturos contendentes (c). Saducæos erroris Jeſus Chriſtus redarguit, & Fideles ſuos ſpe beatitudinis perfectæ poſt reſurrectionem animavit: Hujus autem reſurrectionis pignus, aſſertum jus, ſimulque formam in reſurrectione ſua idem Chriſtus exhibuit. In Epiſtolis Pauli perpetuus fermè de illa ſermo (d); aſſertum in impugnantes dogma; nutantibus confirmandis rationum momenta adjecta; myſterium & ratio indicata; quin ait 1. *Cor.* 15. 13.: *Si reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit*; &: *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*.

Judæi nonnulli Iſraelitis tantùm, cæteris denegata, reſurrectionem ſpondent; quamquam ab ejus privilegii communicatione ne ſceleſtiſſimos quidem Hebræos excludunt. Alii ad omnes latè extendunt. Sunt inter illos, qui poſt reſurrectionem nullam adhuc manere mortem credant, negant alii, animabus tantùm beatitudinem æternam concedentes (e).

Hæc autem in eam rem apud Leonem Modenam (f). Ex Judæis aliqui Pythagoream in corpora tranſmigrationem ſuſtinent; *gilghul* ideſt *revolutionem* appellant: quam illi opinionem variis S. Scripturæ teſtimoniis, Jobi maximè, & Eccleſiaſtici fulciunt. Sed hæc non omnibus æquè probantur, quamquam ejus aſſertores citra hæreticam notam inter Judæos tolerantur. Reſurrectio mortuorum unum eſt ex tredecim Judæorum articulis, uti & eadem reſurrectio in exitu ſæculorum, judicium extremum, cui homines corpore & ſpiritu ſe ſiſtent juxta Danielis illud 12. 2.: *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.*

Judæis etiam perſuaſum, univerſos latè homines; vel ſaltem Iſraelitas, in ditione Iſraelis ad vitam revocandos (g); unde unum eſt illis votum, ſepulchro in ea regione potiundi. Quæ enim ibidem jacuerint corpora, omnium prima ad vitam revocanda, & Regni Meſſiæ ſpectandi felicitate donanda autumant. Quid autem de juſtis fiet alibi ſepulturæ mandatis? Deus, ajunt, per occultos, cæcoſque meatus, in eam regionem devolutos, ibi eodem ſpiritu vitæ donabit. Huc autem vota Jacobi, & Joſephi, ut ipſorum reliquiæ in Chananæidem deferrentur, collimaſſe credunt. Ea ſpe illectos Judæi quidam religioſi è diſſitis quibuſcumque locis in Judæam cadavera ſua transferenda curarunt.

Varia de reſurrectione mortuorum in Eccleſia Chriſtiana ſententia ferebatur. Plures inter Veteres Patres duplicem reſurrectionem invexerunt (h): aliam nempè ante Meſſiæ Regnum, quì mille annis jura in terris dare debuerat; alteram poſt millenarium illud, felicitatis æternæ pro juſtis exordium. Quam Patres illos ſententiam ex Judæis derivaſſe, cum ex 4. Eſdræ 4. 35. & 6. 18., tum ex Teſtamento duodecim Patriarcharum (i), & pluribus Rabbinis diſcimus (k).

Veteres Philoſophi, qui de immortalitate animæ dogma tenuerunt, propugnarunt pariter reſurrectionem; ſive quòd utramque veritatem ebiberint ex Orientalibus gentibus, ad quas diverterunt, ſivè quòd è priori illa veritate de immortalitate animæ tanquam neceſſariam conſecutionem ſecundam hanc deduxerint, perſuaſi diù continerì non poſſe animam ab amica corporis ſocietate remotam. Sed aſſertam illam reſurrectionem aliter expoſuerunt. Pythagoras, qui omnium primus dogma de immortalitate animarum tranſvexit ad Græcos, Metempſycoſim, ſeu tranſmigrationem animarum in varia ſubinde & alia corpora admiſit. Thales (l) & Democritus (m) genus reſurrectionis ipſi pariter admittentes, qui illam explicarent, ignorabant. Platonis de reſurrectione opinionem meliùs, quàm cæterorum, tenemus (n); porrò ille in ſententiam Pythagoræ fermè concedebat. Rebatur enim animas poſt ſolutum corporis vinculum in priſtinam aſſeri libertatem, tùm iterum novo corporis carceri ſeſe immittere.

Platonis dogma adoptarunt deinde Phariſæi (o) apud Judæos, & Philo (p); atque ex ipſo pariter Evangelio (Joan. 9. 2. & Matth. 16. 14.) inſinuatur ex Judæis plures genus quoddam metempſycoſis admiſiſſe, quo tempore in vivis agebat Jeſus Chriſtus. Sed ex aliis teſtimoniis, quà Libri Sapientiæ 3. 6. 13., & 4. 15. quà 2. Machab. 7. 9. 14. 23. 29. conſtat vulgò in Gente illa obtinuiſſe dogma de reſurrectione, ita fermè explicatum, ac apud nos; & Jeſus Chriſtus in Evangelio certam ponit & docet eandem veritatem, repugnante nemine, niſi uois tantùm Saducæis, illam negantibus. Id pariter docuerunt Apoſtoli, nequidquam in contrarium molientibus Hæreticis, reſurrectionis adverſariis; docuit etiam conſtanter Eccleſia, perinde illud reputans, tanquam Chriſtianæ Religionis dogma potiſſimum.

Sed plures regnant in Eccleſia opiniones, quas Eccleſia ipſa tolerat, de tempore, circumſtantiis, & ratione exequutioni mandandæ ejuſdem reſurrectionis.

(a) Vide Matth. 22. 23. Luc. 20. 28. Mar. 12. 28. Jo. 11. 23. 24. Act. 23. & Jo. 6. 5. 29.
(b) Act. 5. 17. Antiq. l. 18. c. 2. (c) Menaſſe Ben-Iſrael de reſurr. Mort. l. 1. c. 1.
(d) Rom. 6. 5. & 1 Cor. 15. 12. &c. Philipp. 3. 10. 11. Hebr. 11. 35. Theſſal. 1. & 2. & per totas ferè Epiſtolas.
(e) Vide Menaſſe Ben-Iſrael de Reſurr. Mort. (f) Leo Moden. p. 4. c. 11. Cerim. de' Giud.
(g) Bereſchit. Rabba, ſect. 95. (h) Papias apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 39. Irenæ l. 5. c. 33. Juſtin. Dialog. Tertull. contra Marcion. l. 3. (i) Teſtam. Judæ n. 25. Zabulon. n. 10. Dan. n. 9. Levi n. 18.
(k) De Reſurrectione lege Noſtr. Differt. ad Comment. in Paul. c. 5. (l) Apud Ariſt. 13. de Anima c. 6.
(m) Apud Theopomp. Philippic. 8. apud Laert. in proœm. (n) Plato in Politico. Vide Auguſt. l. 13. de Civit. c. 19. & l. 22. c. 12. (o) Vide Joseph. l. 3. de Bell. Judaic. c. 14. p. 852. 853. &c.
(p) Philo de Gigant. p. 222. 223., & de Confuſ. linguar. p. 270.

ctionis. Interrogantibus Apoſtolis, quandonam exitus Mundi impleretur, & quando ipſe venturus eſſet, repoſuit Jeſus, nec Angelos id ſcire, nec illis revelare arcanum cenſuit opportunum. *Marc.* 13. 32. Monuit illud tantùm, nempè poſtremam illam diem superventuram tanquam furem, atque tunc capturam homines, cùm minus id ſibi imminere cogitaverint. *Matth.* 13. Docet Apoſtolus Theſſal. 5. 2. &c. ſuperſtites tunc futuros magno numero homines, qui ſtatim è vita tranſibunt ad mortem, indè ad reſurrectionem, tanta celeritate, ut citiùs, quàm in ictu oculi, immutentur, translato eorum corpore ad corruptibilitatem & immortalitatem.

E Patribus Græcis quidam (a) cum Rabbinis nonnullis tenent homines tunc ſuperſtites nequaquam è vita in mortem transferendos eſſe, ſed ſaltem hanc in ſe immutationem ſenſuros, ut ſtatim è vita mortali transmutentur in immortalem. Sed contraria huic opinio majori aſſenſu probatur; homines nimirùm omnes latam in filios Adam ſententiam ſubituros: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori; poſt hoc autem judicium. Hebr.* 9. 27.

Affirmat S. Hieronymus in Matth. 26. 6. receptam apud Judæos traditionem ferre, ut defuncti reſtituendi ſint vitæ, ſeu per quietem noctis, vel ſummo mane, quo potiſſimùm temporis articulo Jeſus Chriſtus è tumulo reſurrexit. Migrarunt hæc è Synagoga in Eccleſiam; propugnantur enim à Lactantio, *Inſtit. Epitom. & l. 7. de Divin. præm.* c. 19., à S. Chryſoſtomo in Matth. 25. & à Scriptoribus Græcis Chryſoſtomum ferme non deſerentibus. Fides huic adſtruitur ex 2. Petr. 3. 10. *Adveniet dies Domini ut fur*; ex illo Jeſu Chriſti Matth. 25. 6. in parabola decem virginum: *Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.* Prudentius, cujus verba in ſuum Officium tranſtulit Eccleſia, autumabat ſiniturum Mundum, adeòque & implendam reſurrectionem mane ineunte (b). S. Thomas, Toſtatus, Suarez (c) plena die hæc ſpectanda cenſent. Ad primum inſonantis tubæ clangorem id futurum prænunciat Apoſtolus 1. Cor. 15. 52. 53.

Quicunque inter Judæos favent Metempſycoſi, de ratione implendæ reſurrectionis verſantur ambigui; quomodo enim una ſingularis anima omnibus illis corporibus, per quæ olim migravit, inſidebit? Si unicum ſeliget, quid fiet de cæteris? An ſeligendum illi corpus permittetur, quod ſibi maximè opportunum cenſuerit? Negotium iſta faceſſunt. Tenent alii privilegium reſurrectionis primo corpori aſſerendum fore; alii poſtremo; cætera verò corpora pulveri permittenda, veluti arbores ſteriles in medio agri relictas. Maluerim ego potiùs pleroſque illorum, qui Metempſycoſi favebant, negaſſe generalem reſurrectionem, ejuſque loco ſubſtituiſſe tranſmigrationem illam in varia corpora, quam reſurrectionis nomine deſignaverint. In hanc ſententiam conceſſiſſe autumo Phariſæos, de quibus Joſephus.

At enim quæ reparatorum ejuſmodi corporum natura; quæ ſtatura corporis, ætas, ſexus? Jeſus Chriſtus *Matth.* 22. 30. docet homines poſt reſurrectionem futuros *velut Angelos Dei*; i. e. juxta Patres, futuros immortales, incorruptibiles, pellucidos, leves, micantes, utcumque ſpiritales, retentis tamen corporeis dotibus, quemadmodum & corpus Jeſu poſt reſurrectionem ſenſile erat, & carnibus, oſſibuſque conſtans. *Luca* 24. 39. Sed Jeſus Chriſtus refrænabat gloriæ ſuæ fulgorem illum, quo totum corpus micabat, prohibens ne reverberaret oculis Diſcipulorum ſuorum; cùm viciſſim gloria, ac fulgor beatorum corporum coruſcaturus ſit adeò, ut ſolem æmuletur, juxta phraſim Jeſu Chriſti *Matth.* 13. 43.

Veteres quidem Hebræi Doctores ſuſtinebant (d), reſurrecturos homines in eadem corporis ſtatura, iiſdemque qualitatibus, ac defectibus corporeis, quos olim referebant in vita; cæcus cæcitatem non deponet; claudus non rectus incedet; quam opinionem ſuam fulciunt cauſatione illa Samuelis, qui ſpectandum ſe præbuit Pythoniſſæ ſub eadem corporis ſpecie, quâ olim inter mortales; & ex illo Eccl. 1. 4. *Generatio præterit, & generatio advenit.* Eadem quoque inſederat perſuaſio Chriſtianis nonnullis, S. Auguſtino convis indoctis ex illo Jeſu Chriſti, qui vulnerum ſuorum ſtigmata poſt reſurrectionem conſervavit. Sed Doctor ille Sanctus opinionem hanc refutat (e), contendens ſtigmata illa retinuiſſe Jeſum virtute potentiæ ſuæ, quo incredulos Diſcipulos ſuos revinceret. Vide etiam quæ diſputat *Enchir. de Fide, Spe, & Charit. cap.* 9.

De reſurrectione etiam puerorum ardua ſunt plura. An brevi adeò corpore, & imbecilli, quo migrarunt è mundo vitæ reſtituentur? quid opus illis reſurrectione? Si verò adulto jam abſoluto corpore ac plena ætate reſurgent, tales erunt, quales nunquam antea; quare meliùs dicerentur venire in alteram vitam, quàm reſurgere. Hanc quæſtionem tractat S. Auguſtinus pro conſueto more exactiſſimè ſimul & modeſtiſſimè (f). Nihil audet affirmare, an Infantes tenui corpore, vel adulto reſurrecturi ſint; inclinat tamen in opinionem faventem reſurrectioni perfectæ ætatis. Et in *Enchir. cap.* 85. *ac de Civit. l.* 22. *cap.* 13. agens de reſurrectione Infantium, qui ante occubuere, quàm naſcerentur, in reſurrectione reſtituendum illis dicit, quidquid adulta ætas, niſi acerbo fato præciſa fuiſſet, contuliſſet illis, perfectionis; inſuper immunes futuros ab iis defectibus, quos adoleſcens illa ætas veniſſet. Veterum ac Recentiorum plures autumarunt omnes homines in reſurrectione eam relaturos ætatem, qualem Jeſus dum occubuit, i. e. annorum 33. vel 35. (g). Quare ſenes, & pueros ſeu de priſtina ætate aliquid decerpturos, ſeu priori addituros aliquid, ut omnes paria referant; ex his ſua fides conſtabat illis S. Pauli *Epheſ.* 4. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Sed præſtantiores doctrina viri explicant illud Apoſtoli de progreſſu Fidelium in viam Fidei, & virtutum, quoadaſque pertingant ad perfectionem.

Veterum ſanè pluribus incidit ſuſpicio (h) num fœminæ in reſurrectione ſexum retenturæ eſſent; ſuſpicandi autem rationem ducunt ex illis Jeſu *Matth.* 22. 30. *In reſurrectione non nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei*; & ex illo ad Rom. 8. 29. *Prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* Addunt hiſce marem tantùm, uti ex teſtimonio Moyſis conſtat, ex humo creatum fuiſſe; fœminam verò tanquam ſecundarium quoddam, & acceſſorium è mare deductam. Huic tamen reponitur, ſi diſcrimine ſexus nihil eſt opus poſt reſurrectionem, nullam tamen cogere neceſſitatem, ut mas potiùs ſervetur, quàm fœmina; nec in ſuo genere minùs abſoluta eſt fœmina, quàm mas; ratio illa productæ Evæ glorioſior eſt quodammodo quàm Adami; prioria

(a) Vide Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. in 1. Cor. 15. 51. Tertull. de Reſurrect. c. 41. Hieronym. ad Marcellam.
(b) Prudent. hymn. cathemer. (c) D. Thomas 3. part. in ſupplemento, q. 77. art. 3. Toſtat. in Matth. 25. Suarez 3. part. t. 2. diſput. 57.
(d) Bereſchith Raba, Paraſch 95. Gemar. Sanhedrin. & Jalkut Rabati.
(e) Auguſt. Serm. 242. n. 3. 4. &c. 250. c. 34. & Serm. 250. c. 3. nov. edit.
(f) Vide Auguſt. Serm. 242. c. 3. & epiſt. 167. nov. edit.
(g) Vide Aug. de Civit. l. 22. c. 15. Hieron. epitaph. Paulæ c. 12. Anſel. ſeu D. Thom. Eſt. in Epheſ. 4. 13.
(h) Origen. in Matth. 22. 30. Hilar. & Hieronym. in eundem locum, Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrian. Baſil. ſeu alius in Pſal. 94. alii apud Auguſt. l. 22. de Civit. c. 17.

prioris enim materia fuit hominis caro ; alterius verò humus . Tandem mulieris ſexus nihil minus eſt quàm vitium naturæ : *Non eſt vitium ſexus fœmineus, ſed natura*, ait S. Auguſtinus *de Civit.* l. 22. c. 17.

Cætera hujus argumenti fuſius diſcuſſa ſunt in Diſſertatione, quam nos adornavimus de exitu mundi & reſurrectione generali.

RESURRECTIO *Sanctorum* , qui è tumulo extulerunt caput, cùm Jeſus Chriſtus obiret , & poſt ejus reſurrectionem venientes in ſanctam Civitatem ſpectandos ſe pluribus obtulerunt *Matth.* 27. 51. 52. 53. prodigium eſt digniſſimum, cui modicam aliquam diſcuſſionem conſecremus . Horum qui vitæ reſtituti ſunt nomina ignorantur ; ſunt qui privilegium illud tributum cenſeant Antiquiſſimis inter Patres, & Patriarchas; ſunt qui recentiſſimis , & maximè notis Judæis illis, qui tunc agebant in vivis . Reputant tandem alii datum id tantùm iis , quorum ſepulcra ſivè Jeroſolymis , ſivè in proximo erant conſtituta.

Quæſtio eſt alia de hora reſurrectionis illorum . Defendunt quidam nonniſi poſt Jeſum Chriſtum reſtitutos fuiſſe Sanctos illos ad vitam; appellatur enim Chriſtus 1. Cor. 15. 20 *Primitiæ dormientium* , *& Primogenitus ex mortuis* . Origenes , S. Hieronymus (a), S. Gregorius Magnus *Hom.* 21. *in Evang.* Rabanus Maurus, Paſchaſius , Radbertus, Beda, Drutmarus, Lyranus, Gloſſa ordinaria, aliique plures in hanc ſententiam concellerunt. Verùm S. Chryſoſtomus *in Matth.* 27. & Græci Scriptores , quibus ſolemne eſt Doctorem illum ſequi, S. Hilarius *ibid.* aliique plures cenſent , rediiſſe illos inter vivos quo temporis articulo deceſſit Chriſtus ; quos ideò ante ſe exſuſcitavit Jeſus, ut triumphum mortis ſuæ vel ſub oculis ipſis exhiberet. Ultrò fatendum eſt utramque ſententiam in ſuſpenſum relinquere Textum S. Matthæi ; at ſi vera ſint , uti via ambigendi ratio eſt ulla, Sanctorum Patriarcharum animas non ante retuliſſe è Lymbo pedem, quàm poſt deſcenſum Jeſu Chriſti ; continuò pariter inferendum eſt, non ante, quàm poſt hæc omnia, rediiſſe illos ad vitam ; ſimulque neceſſaria conſecutione agnoſcendum , inter obitum Jeſu Chriſti , & reſurrectionem Sanctorum temporis intervallum aliquod interceſſiſſe.

At enim viri illi Sancti occubuerunt iterum , & in priſtinum tumulum illati ſunt poſt Aſcenſionem Jeſu Chriſti ; vel potiùs euntem illum in Cælum comitati ſunt? Duplex in hanc rem ſententia. Qui tenent deductos fuiſſe illos à Jeſu Chriſto in Cælum ad augendam triumphi ſui pompam, ſ[illegible]em opinioni ſuæ adſtruunt, ex illo Oſee 13. 14. *De manu mortis liberabo eos : Ero mors tua , o mors* , tùm ex illo Pſalmi 67. 19. *Aſcendiſti in altum , cepiſti captivitatem* ; ac tandem ex altero Apoſtoli ad Epheſ. 4. 8. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* . Quis profectò induxerit in animum commiſiſſe Deum, ut poſt reductos ad vitam viros iſtos ſanctos, ac illuſtres defunctos, iterùm manibus mortis permitteret? Perinde id eſſet ac ſi poſt datum ſaporem aliquem futuræ beatitudinis, iterùm illos acerbo mortis fructu paviſſet . Tandem juſti erat , clementis, ac ſummi Liberatoris , ut cœptum opus perficeret, & quos ad vitam jam reſtituerat in terris, deduceret ad æternitatem in Cælis.

Longo numero Patres in hanc ſententiam laudarentur . S. Ignatius Martyr ad Magneſ. Origenes in Matth. 27. & in Cantic. Author qq. ad Orthod. q. 84. S. Clemens Alexand. *Strom. lib.* 6. Euſebius *Demonſtr. Evang. cap* 12. S. Hilarius in Pſalm. 2. Beda, Rabanus, Drutmarus, Paſchaſius, Radbertus, & frequentiſſimi recentiores Interpretes non ambiguè aſſerunt, Sanctos illos Patres unà cum Jeſu Chriſto revocatos ad vitam, ſeu pariter cum illo æterna felicitate, ſocios ejus triumphi & aſcenſionis.

Sed & contraria huic opinio non minoribus fulcitur ſive argumentis, ſive teſtimoniis. S. Paulus, *Hebr.* 11. 40. non obſcurè docet : *Non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius providente , ut non ſine nobis conſummarentur*. Non igitur ſeu vitam adhuc prorogare , ſeu in poſſeſſionem gloriæ immiſſos eſſe rebatur. Docet ille pariter 1. *Cor.* 15. 20. Jeſum Chriſtum *primitias eſſe dormientium* ſomno mortis , qui evigilaturi ſunt tandem ad diem perpetuam . Ad hæc, ſi quis alius cum Jeſu Chriſto ad vitam erat revocandus , hoc utique privilegium tribuendum fuerat Sancto Regi David *Pſal.* 15. 10. S. Joanni Baptiſtæ, Patriarchis , ac Prophetis Jeroſolymæ , ac in Palæſtina ſepulturæ mandatis . Porrò verba faciens S. Petrus *Act.* 3. 29. ad Judæos Jeroſolymitanos luculenter aſſerit, ſepulcrum David adhuc ſpectari inter ipſos ; Davidem illum prænunciaſſe reſurrectionem Jeſu Chriſti, non ſuam. Quæ, rogo, vis eſſet hujus argumenti , ſi David revocatus ad vitam in Cælum unà cum Jeſu Chriſto aſcendiſſet? Reliquias & ſepulcrum S. Joannis Baptiſtæ tam ante, quàm poſt ætatem illam palam monſtrata fuiſſe ſat conſtat ; non igitur invaluit opinio utrumque illum aſcendiſſe in Cælum in conſortium gloriæ Chriſti.

Poſtremam hanc ſententiam tuentur ex Patribus quicunque argumentum diligentiùs excuſſerunt. Refutat diſertè Tertullianus *de Anim cap.* 55. illorum perſuaſionem, qui Patriarchas & Prophetas aſcendiſſe in Cælum poſt reſurrectionem Jeſu Chriſti tenebant. Chryſoſtomus homil. 40. in 1. Cor. 15. iterum obiiſſe eos dicit , qui revocati ſunt ad vitam , dum Jeſus Chriſtus penderet in Cruce ; & *Hom.* 28. *in Hebr.* 11. agnoſcit poſt Apoſtolum , Veteris Teſtamenti Juſtos non adhuc obtinuiſſe repromiſſionem. Gemina docet Theodoretus, gemina Theophylactus, aut Euthymius in *Matth.* 27. agnoſcentes ideò tantùm inter vivos ſpectatos Sanctos Patriarchas , ut documentum eſſent reſurrectionis Chriſti ; occubuiſſe poſt hæc iterùm , opperientes ſecundam reſurrectionem in exitu Mundi . S. Auguſtinus in ſua Epiſtola ad Evodium quæſtionem hanc agitans, non obſcurè mentem ſuam exprimit de temporaria Sanctorum illorum reſurrectione . S. Thomas 3. part. art. 53. ad 3. poſt relata utriuſque ſententiæ argumenta , iis accedit, qui obiiſſe iterum viros illos tenent ; quod & nos præferendum tanquam Scripturæ & Patribus magis conſonum cenſemus. Videſis noſtram Diſſertationem impreſſam in nova collectione noſtrarum Diſſertationum.)

RETHMA. Iſraelitæ in itinere per deſertum *de Hareroth venerunt in Rethma, profectique de Rethma caſtrametati ſunt in Remmon-phares* . *Num.* 33. 18. Locus iſte in deſerto Pharan haud procul à Cadesbarne ſitus eſſe debuit.

REU, filius Phaleg, *Gen.* 11. 18. 20. 21., natus A. M. 1787. cùm pater ipſius annum ageret 30. ætatis. Filium habuit Serug , ſivè Sarug , cùm annum ageret 32. ætatis, A. M. 1819 Obiit 239. annorum grandævus (b). Cæterùm *Reu*, ſive *Rehu* , idem eſt ac *Raga*. 1. *Par.* 1. 25.

(REVELARE *Revelatio* . *Revelare aurem* . Vide *Prophetia*, *Propheta*, *Aures*.)

REVELATIO, Græcè Apocalypſis : quare Apocalypſis S. Joannis interdum *Revelatio* nuncupatur.

Quæ Deus mira quadam ratione , ſive per quietem , ſive per viſionem , aut extaſim hominibus prodit , Revelationis nomine cenſentur . De revelationibus , & viſionibus ſuis agens Apoſtolus , tanquam alterius hominis privilegia narrat , quod gloriæ vitandæ cauſa ab illo factum eſt 2. *Cor.* 12. 1. 7. an verò in corpore , an extra corpus lactus Divina paſſus ſit, ignorare ſe dixit . Alibi etiam idem Apoſtolus recepiſſe ſe Evangelium prodit , non hominum miniſterio , ſed ſpeciali revelatione ſibi

(a) Origen. & Hieronym. in Matth. 27.
(b) A. M. 2026. ante Ch. 1974. ante Ær. 1978.

commiſſum, *Galat.* 1. 12.: qua etiam Divina revelatione motum, iter Jeroſolymitanum ſtatim poſt converſionem ſuam ſuſcepiſſe ſe prodit. *Galat.* 2. 2.

Tandem revelationis nomen de manifeſtatione Jeſu Chriſti Judæis, ac Ethnicis uſurpatur *Luc.* 2. 32.; uti & de manifeſtatione Gloriæ, qua ſcilicet Deus electos ſuos poſt judicium extremum donabit *Rom.* 8. 19.; ac tandem de mira providentiæ Divinæ ratione, Electis, & improbis deducendis coram omnibus prodita *Rom.* 2. 5.

Nihil moror de Latina ſignificatione hujus nominis *revelatio*, *revelare*, quod tantumdem eſt, ac abdita in lucem proferre: quo ſenſu ſecretum revelatum dicimus. *Revelare aurem* eſt, occulta quædam in aurem committere; *revelare turpitudinem*, ſive *ignominiam*, eſt cognatæ verenda detegere, cum illa copulari, & connubio jungi &c.

REUM-BEL-THEEM 1. *Eſdr.* 4. 8. 9. 17. 23. Vide *Bel-teem*.

REX. Primus Iſraelitarum Rex Saol conſtitutus eſt: ante illum, ſummum in eorum Republica jus primò penes Seniores erat, ut in Ægypto factum eſt. Deinde ad Duces à Deo excitatos delatum, uti ad Moyſem, & Joſue: tranſlata inde ad Judicees authoritas, Othonielem, Aod, Samgar, Gedeonem, Jephte, Samſonem, Heli, Samuelem. Deinde ad Reges jus devolutum, Saulem &c.

LATERCULUM CHRONOLOGICUM
Regum Hebræorum.

Saul; primus Rex Iſraelitarum, 40. ſolidis annis præfuit, ab anno M. 2909. uſque ad 2949.

Isboſeth, ejus filius, partem Regni Iſraelis habuit ſex vel ſeptem annis, ab 2949. uſque ad 2956.

David, unctus in Regem à Samuele A. M. 2934. tantùm poſt obitum Saulis rerum potitus eſt, an. 2949. Univerſam autem ditionem Iſraelis à nece Isboſethi, an. 2956. obtinuit. Obiit an. 2990. annis natus 70.

Salomon, ejus filius in Regem inunctus an. 2989. Poſt obitum patris an. 2990. obtentum Regnum annis 40. uſque ad obitum tenuit an. 3029.

Salomone vita functo, Regnum diviſum eſt, atque decem ſimul Tribus Jeroboamo paruerunt: duæ reliquæ Judæ, & Benjamin Roboamo filio Salomonis manſerunt.

REGES JUDA.

Roboam, filius Salomonis 17. annis regnavit ab an. 3029. uſque ad 3046.

Abia, triennio Rex, ab 3046. ad 3049.

Aſa, 41. annis præfuit, ab 3049. ad 3090.

Joſaphat, 25. annis regnavit, ab 3090. ad 3115.

Joram, quinquennio, ab 3115. ad 3119.

Ochozias, anno tantùm, uſque ad 3120.

Athalia, ejus parens, ſexennio, ab 3120. ad 3126.

Joas, opera Jojadæ Summi Sacerdotis, Regno reſtitutus, 40. annis, ab 3126. uſque ad 3165.

Amaſias, 29. annis, ab 3165. uſque ad 3194.

Ozias, alio nomine, *Azarias*, 27. annis uſque ad 3221. tunc enim in pœnam oblati in Templo thymiamatis lepra percuſſus, Regno abſtinere coactus eſt. Obiit poſt 25. annos, an. 3246.

Joathan, ejus filius, Regni adminiſtrationem ſuſcepit an. 3221. ſolus autem regnavit ab an. 3246. uſque ad 3262.

Achaz, 16. annis, ab an. 3262. uſque ad 3278.

Ezechias, 28. annis, ab 3278. ad 3306.

Manaſſes, 55. annis, ab 3306. uſque ad 3361.

Amon, 2. annis, ab 3361. ad 3363.

Joſias, 29. annis, ab 3363. uſque ad 3394.

Joachas, tribus menſibus.

Eliacim, ſive *Joakim*, 11. annis, ab 3394. ad 3405.

Joachim, ſive *Jechonias*, tribus menſibus & 10. diebus, an. 3405.

Matthanias, ſive *Sedecias*, 11. annis, ab 3405. uſque ad 3416.

Poſtremo ejus Regni anno Jeruſalem ab hoſtibus capta. Templum incenſum, ac tandem Judæi trans Euphratem captivi deducti ſunt.

REGES ISRAELIS.

Jeroboam, 22. annis regnavit, ab 3030. ad 3051.

Nadab, anno tantum. Obiit an. 3052.

Baſa, 22. annis, ab 3052. uſque ad 3074.

Ela, 2. annis. Obiit an. 3075.

Zamri, 7. diebus.

Amri, 11. annis, ab 3075. uſque ad 3086. Adverſarium habuit Thebni, qui prælio victus, vita, & Regno ceſſit, incertum quo anno.

Achab, 21. annis, ab an. 3086. uſque ad 3107.

Ochozias, 2. annis, ab 3106. uſque ad 3108. In ſocietatem Regni accitus fuit ab an. 3106.

Joram, filius Achabi, 12. annis, ab 3108. ad 3120.

Jehu, occupatum Regnum 28. annis tenuit, ab 3120. uſque ad 3148.

Joachas, 17. annis, ab an. 3148. uſque ad 3165.

Joas, 14. annis, ab 3165. uſque ad 3179.

Jeroboam II. 41. annis, ab 3179. ad 3220.

Zacharias, 12. annis, ab 3220. ad 3232.

Sellum, menſe, occiſus an. 3233.

Manahem, decennio, ab 3233. uſque ad 3243.

Phaceia, biennio, ab 3243. uſque ad 3245.

Phacee, 20. annis, ab 3245. ad 3265.

Oſee, 18 annis, ab 3265. uſque ad 3283.

Et hic finis Regni Iſraelitici 253. *annorum ſpatio concluſi.*

E captivitate reduces Judæi an. 3468. dominium inde Perſarum, ſpatio 104. annorum, paſſi ſunt uſque ad Regnum Alexandri Magni, qui Jeroſolymam venit an. M. 3672. Poſt ejus obitum an. 3681. Judæa primùm Regibus Ægypti, deinde Syriæ paruit, donec ab Antiocho Epiphane coacti Judæi, arma pro defenſione Religionis capientes, A. M. 3836. Machabæis Ducibus paulatim jugo ſervitutis relevati, tandem ſub Joanne Hircano alienum imperium excuſſerunt an. M. 3874. Tandem Romanorum armis Judæa ſubacta, in Provinciam redacta eſt.

Laterculum Machabæorum, ſivè Principum Aſmonæorum, quibus ſumma in Republica Judæorum, & Sacerdotii & Principatus authoritas delata eſt, uſque ad Regnum Herodis Magni.

Matthatias, pater Judæ Machabæi, obiit an. 3838. ſub initium perſecutionis Antiochi Epiphanis.

Judas Machabæus, quinquennio rerum potitus eſt, ab an. 3838. uſque ad obitum an. 3843.

Jonathas Machabæus, 17. annis, ab 3843. ad 3860.

Simon Machabæus, 9. annis, ab 3860. ad 3869.

Joannes Hircanus, 29. annis, ab 3869. uſque ad 3898. Poſt obitum Antiochi Sidetis Regis Syriæ, externum imperium excuſſit, an. 3874.

Ariſtobulus, omnium primus, qui Regis titulum aſſumpſerit, anno regnavit. Obiit an. 3899.

Alexander Iannæus, 27. annis, ab 3899. ad 3926.

Salome, ſivè *Alexandra*, uxor Alexandri Jannæi, novennio rerum potita eſt, Hircano ejus filio natu majori interim Summum Sacerdotium obtinente. Obiit an. 3935.

Ariſtobulus, frater Hircani, Regnum, & Summum Sacerdotium ſibi vindicavit, quibus triennio & tribus menſibus potitus, uſque ad 3940. tandem capta à Pompejo urbe, exauthoratus eſt, Sacerdotii, & Regis dignitate in Hircanum tranſlata, diadematis autem inſigne illi interdictum. Porrò Ariſtobulus Romam à Pompejo deductus eſt.

Aſſertos ſibi à Pompejo ſummos honores Hircanus tandem Antigono nepoti ſuo, & filio Ariſtobuli, qui ope Parthorum Regnum invaſerat, cedere coactus eſt A. M. 3964. Ne autem impoſterum Sacerdotium tentaret, auribus mutilatus eſt Hircanus, deductuſque Babylonem captivus, nonniſi an. 3968. libertati reſtitutus eſt. Tandem ab Herode occiſus eſt, an. 3974. & 48. ab obitu patris ſui Alexandri Jannæi, & 39. poſt Salomes, ſivè Alexandræ matris ſuæ deceſſum.

Antigonus, nepos ipſius, Regno & Summo Sacerdotio vi potitus, nonniſi biennio, & 7. menſibus

circiter

circiter rebus præfuit. Captus enim in urbe à Soſio an. 3967. deductuſque inde Antiochiam, eodem anno juſſu M. Aurelii capitali ſententia damnatus eſt.

Herodes Magnus, filius Antipatri ex Idumæa oriundus, Regnum à Senatu Romano obtinuit an. M. 3964. Obiit poſt 36. ſivè 37. Regni annos, 70. annorum ætate ſenior A. M. 4001. anno primo Chr. ante Ær. 3.

Poſt ejus obitum, Regnum in tres filios diviſum *Archelaum*, *Herodem Antipam*, & *Philippum*.

Herodi Antipæ Galilæa, & Petræa, ceſſit. Lugduni exulavit an. Chr. 43. Ær. 39. Inde in Hiſpanias translatus, ibi tandem occubuit. Regnavit 42. annis ab an. 4001. uſque ad 4042. Ch. 42. Ær. 39. Ejus Tetrarchiam Cajus Imperator Agrippæ I. conceſſit.

Philippus totam Batanæam, Trachonitidem, & Auranitidem obtinuit, uſque ad obitum an. 37. Chr. Ær. 33. Ejus deinde Tetrarchia in Provinciam redacta eſt.

Archelaus Regnum Judææ *Ethnarchiæ* titulo habuit, an. 4001. Chr. 1. ante Ær. 3. Viennæ in Gallia exulavit an. Chr. 9. Ær. 6. Inde Judæam in Provinciam redactam Præſides adminiſtrarunt, uſque ad an. Chr. 40. Ær. 37 Præſidum Chronologiam dedimus v. *Præſes*.

Agrippa I. filius Ariſtobuli, & nepos Herodis Magni ex Mariamne, cui Judææ pars cum Regis titulo a Cajo conceſſa an. Chr. 40. Ær. 37. Quadriennio poſt, Claudius Imperator reliquum Judææ ejus ditioni addidit, quam deinde C. Caligula Tetrarchia Herodis Antipæ ejus patrui, Lugduni unà cùm Herodiade exulantis, auxit. Obiit Agrippa an. Chr 47. Ær. 44. eoque vita functo, Judæa à Præfectis Romanorum iterum adminiſtrata eſt, uſque ad ejus excidium an. Chr. 73. Ær. 70.

Agrippa II. ejus filius, *junior* dictus, quo impari adhuc ad Regnum ætate (obeunte enim patre annum ætatis 17. agebat) Provinciæ adminiſtrationem Cuſpio Fado Claudius Imperator commiſit. Interim tamen Agrippa jus ab Imperatore aliquod obtinuit in Templum, in Sacrum Ærarium, & in Pontifices, quos eligere, vel amovere poſſet; quæ illi authoritas uſque ad excidium urbis, & Templi manſit. Continendis in officio, & in obſequio Romanorum Judæis plurimùm laborans, opera ſua fruſtratus, Jeroſolymæ obſidioni una cum Tito adfuit, copiis ſuis ad perduelles reducendos adhibitis. Regnum Calcidis à Claudio an. Chr. 52. & Ær. 49. obtinuit, quod deinde an. 53. eodem concedente, com Trachonitide commutavit. Prorogatum ejus imperium ad aliquas Galilææ urbes à Nerone an. 54. Obiit eo annorum ſpatio, quod ab an. Ær. 77. uſque ad 93. intercedit; incertum tamen quo potiſſimum anno.

Horum Regum geſta in ſuis articulis deſcripſimus.

LIBRI REGUM. Quatuor eo titulo Libri inſcripti ſunt; quamquam olim in Bibliis Hebraicis in duos tantùm dividebantur; quorum primus *Samuelis* nomine, ſecundus *Libri Regum* ſignabatur. Noſtræ ætatis Exemplaria omnia Hebraica, Græca, & Latina quatuor Libros præſeferunt: duo priores in Hebræo, *Samuelis* nomen: poſteriores, *Regum* præfixum exhibent. Apud Græcos omnes nomen *Librorum Regnorum*; apud Latinos, *Librorum Regum* innoteſcunt.

Primus Liber Regum ſæcularem hiſtoriam continet, ab ortu nempè Samuelis an. 2849. uſque ad obitum Saulis an. 2949. Poſt narratum Samuelis ortum, bella Philiſthæorum in Hebræos, qua occaſione Arca Domini in hoſtium poteſtatem venit, deceſſum Heli Summi Sacerdotis, ejuſque filiorum Ophni, & Phinees proſequitur. Hinc Arcæ à Philiſthæis reſtitutæ hiſtoria, & delatæ Samueli Judiciariæ in Iſraelem dignitatis narratur. Inde Saulis in Regem electio, & felicibus auſpiciis inita Regni adminiſtratio; ejus bella & victoriæ, reprobatio tandem, & Davidis in Regem inunctio; cujus ſtrenuè & fortiter geſta & ſiniſtræ fortunæ caſus, fuga, ac tandem Saulis cum Philiſthæis bellum, ejuſque interfecti hiſtoria deſcripta leguntur.

Secundus Regum, res geſtas 39. annorum exhibet, ab A. M. 2949. ad 2988. uſque, ſcilicet ad deſignatum à Davide biennio ante obitum ſuum (a) Salomonem Regni ſucceſſorem. Salutatus in Regem Juda David, tamdiu à cæterarum Tribuum imperio removetur, quamdiù Isboſeth filius Saulis, cui parebant, in vivis agit. Eo occiſo an. 2956., diviſum antea Regnum in unum Davidem coaleſcit: qui ea occaſione tertiò in Regem inungitur. Urbem Jeruſalem pulſis Jebuſæis ſubigit; Arcam Domini è Cariath-jarim in Civitatem Davidis deducit; pluribus Philiſthæos, Moabitas, Syros, & Idumæos præliis frangit. In Hannonem Regem Ammonitarum pro injuria ſuis Legatis irrogata armis illatis, in totam latè ejus ditionem imperium prorogat. Ejus belli tempore David Uriæ thorum violat; quod deindè crimen ipſius Uriæ cæde cumulatur. Mox verò Nathan reprehendente, illum facti pœnitet: quamquam in criminis pœnam & filii Abſalomi arma in patrem ferentis audaciam, ejuſque dein necem tolerare cogitur. Pacatum Regnum cenſui ſubjicit; quod cùm jactantiæ aliquid exhibere videatur, à Deo peſte immiſſa punitur. Tandem ad Templi ædificium omnia à Rege parantur. Hæc in ſecundo Regum.

Tertius Liber Regum, in quo 126. annorum hiſtoria, ab inuncto in Regem Salomone, accitoque à patre in Regni ſocietatem, uſque ab obitum Joſaphat Regis Juda deducta eſt, ab an. ſcilicet 2989. uſque ad 3115. Adonia Regnum affectante, Nathan & Bethſabee Davidem ad Regni ſucceſſionem Salomoni deferendam ſollicitant. David primùm, ſubindè Adonias, Joab, Semei, è vivis excedunt. Templum Domini à Salomone ditiſſimo, ſapientiſſimo, necnon celebratiſſimo Rege conſtruitur. Ejus in Idololatriam lapſus, & obitus. Roboam ejus filius Iſraelitarum animis inconſulto dato reſponſo à ſe abalienatis, ſcindendi Regni author eſt, & origo. Inde Jeroboam in decem Tribus Rex conſtituitur. Roboamum excipit Abia, poſt quem, continuata ſucceſſione, Aſa, & Joſaphat (b) regnant. Poſt Jeroboamum Regnum ad Nadab, dein Baaſam, Elam, Zamri, Amri, Thebni, Achab, Ochoſiam (c) delatum. Hoc tertii Libri Regum argumentum.

Quartus Regum, in quo 227. annorum res geſtæ memorantur, poſt obitum ſcilicet Joſaphati, & Jorami exordium an. 3115. uſque ad initum ab Evilmerodacho Babylonis Regnum; qui Jechoniam in libertatem aſſeruit an. 3442. In eo deducta Regnum Iſraelitarum, impiorum omnium, ſeries; Ochoſias, Joram filius Achab, Jehu, Joachas, Joas, Ieroboam II. Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, Oſee filius Ela, ſub cujus imperio Salmanaſar, capta Samaria, decem Tribus captivas in Aſſyriam deducit. Iis Regibus plures inſignes in Iſraele Prophetæ floruerunt, Addo, Oded, Ahias, Elias, Eliſeus, Oſee, Amos, Jonas, aliique plures.

In Regno Juda rari quidam Principes religioſi inter impios quamplures occurrunt. Joſaphat ſucceſſit Joramo; quem dein Ochoſias, Athalia, Joas, Amaſias, Oſias, alio nomine Azarias, Joathan, Achaz, Ezechias, Manaſſes, Amon, Joſias, Joachas, Eliacim, ſive Joakim, Jechonias, ſive Joachim, Mathanias, ſive Sedecias excipiunt. Sedecia regnante urbs à Chaldæis capitur, Templum incenſum, & populus Juda Babylonem captivus ducitur an. 3416. Inde in eodem Libro mors Godoliæ legitur, quem in Provincia relictum, Chaldæi reliquiis populi præfecerant; & ſeceſſus ejuſdem populi in Ægyptum; nec non Evilmerodachi in Joachim, ſive Jechoniam Regem Juda humanitas, quem ſcilicet è carce-

(a) Obiit David, an. 2990. (b) Obiit an. 3115. (c) Obiit an. 3109.

carcere eductum ſummo honore in aula ſua detinuit.

Eo temporis intervallo frequentes in Juda Prophetæ, Addo, Abias, Semeias, Hanani, Azarias, Jehu, Iſaias, Jeremias, Sophonias, Holda, Michæas, Joel, aliique plures. Inſignium Regum, necnon Prophetarum geſta in quarto Libro Regum exactè deſcribuntur.

De Scriptore horum Librorum inter omnes non convenit: ſunt enim, qui priores duos Samueli tribuant, cujus in fronte nomen in Originali Hebræo preſeferunt. Huic tamen Judæi nonniſi 27. capita prioris Libri aſſignant, in quibus res ab eo, & à Saule, & Davide, ipſo in vivis agente, geſtæ deſcribuntur (a). Cætera verò iidem Judæi Gad, & Nathano deputant, juxta illud 1. *Pa* 29. 29: *Geſta autem Davidis Regis priora, & noviſſima ſcripta ſunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad Videntis*. Hæc non improbabiliter dicta, ſuis tamen difficultatibus obnoxia ſunt; plura enim occurrunt, quæ recentiorem Samuele, & Nathano ætatem præferunt. Samuelis ætate *ſermo Domini erat pretioſus* (rarus) 1. *Reg*. 3. 1.; quæ verba Authorem produnt, cujus ævo frequentiores eſſent, quam ſub Samuele, Prophetæ. Prodit etiam Author, urbem Bethel ſua ætate *Bethaven*, nempè domum iniquitatis, appellatam 1. *Reg*. 13. 5.; quod illi nomen nonniſi poſt erectum in ea alterum ex vitulis aureis à Jeroboamo, inditum.

Excurrente regionem Geſſur, & Gerſe Davide notat Author, eamdem regionem olim à *Sur uſque ad Ægyptum frequentibus incolis cultum fuiſſe* 1. *Reg*. 27. 8.; nempè regionem Davidis ætate frequentatam ſuo tempore raro eſſe habitatore deſertam. Animadvertit inſuper, eos viros, quos olim Videntes appellabant (appellatos autem Samuele in vivis agente conſtat) ſua ætate Nabi, ſive Prophetarum nomen obtinuiſſe. Recentior eſt ergo Samuele Author, præſertim cùm de Samuele, veluti jam è vivis ſublato, agat, meritiſque laudibus illum proſequatur 1. *Reg*. 7. 15. Urbem quin etiam Siceleg ad Reges Juda pertinere narrat, ex quo ejus poſſeſſionem David ab Achis obtinuit 1. *Reg*. 27. 6.; quæ ſcilicet ab Authore animadverſa, floruiſſe illum produnt poſt Regnorum Juda, & Iſraelis diviſionem.

Plura hujus generis in Libro occurrentia, ſuſpicionem aliquibus induxerunt, Davidem, ſive Ezechiam, vel Jeremiam, aut Eſdram ex monumentis à Samuele, & Prophetis ſub Davide, & Salomone florentibus relictis Librum digeſſiſſe. Porrò ſi quis duorum Librorum ideam, rationemque conferat, mirum utrobique geſtorum, animadverſionum, & narrationum conſenſum deprehendet. Stylus autem æquabilis, atque perpetuus narrationis contextus, unicum liquidò Authorem & coævum produnt. Verùm plura occurrunt nova, & ſequioris ævi, quæ certè recentiori manu, & claritatis gratia adjecta videntur. Quare ſi Eſdram, Divino ſanè ſpiritu afflatum Scriptorem, eos Libros recenſuiſſe credamus, omnia plana ſunt, & ſumma ratione conſtare videntur.

Inter Canonica totum Opus Synagogæ & Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu recenſendum eſt. Ex quo etiam à Jeſu Chriſto in Evangelio teſtimonia laudantur, *Matth*. 12. 3. *Marc*. 2. 25. *Luc*. 6. 3.

Tertii & quarti Regum Authores, atque ætatem definire paris operæ negotium eſt. A ſingulis Regibus, Davide, Salomone, Ezechia, & aliis nonnullis peculiaria Regni ſui monumenta deſcripta fuiſſe aliqui arbitrantur. Alii hanc Prophetis, ſub eorum Regno florentibus, Iſaiæ, Jeremiæ, Gad, Nathano provinciam demandarunt; horum enim nomina, & ſcriptæ quorundam Regum hiſtoriæ non raro (b), tum in Libris Regum, tum in Paralipomenis laudantur. Revocantur etiam frequentiſſimè Lectores ad Commentarios & Annales Regum Juda, & Iſraelis, in quibus ſingulorum geſtorum nonniſi compendio in Libris deductæ hiſtoriæ deſcribuntur.

Duobus igitur Scriptorum generibus Libri Regum deputandi ſunt; primis nempe illis, qui Annales & Commentarios rerum ſua ætate geſtarum deſcripſerunt, ex quibus poſtea alii ſequioris ævi Scriptores hiſtoriam digeſſerunt. Vetera illa monumenta nuſquam ſanè extant: eorum tamen quæ in iiſdem Libris laudantur nomina, opera illa olim ſcriptis mandata fuiſſe certiſſimè produnt. Verum quoſnam Authores hiſtorias hasce ex veteribus monumentis digeſſiſſe dixerimus?

Vulgò Eſdram quatuor Regum, & amborum Paralipomenon, quales nunc extant, authorem conſtituunt. 1. Hujus hiſtoriæ authorem poſt captivitatem vixiſſe, ejus ſolutæ hiſtoria in calce Libri deducta 4 *Reg*. 25. 22. *&c* aperto eſt argumento. 2. Ætate ſua decem Tribus Aſſyriorum ſervitutem in criminum vindictam pati adhuc animadvertit. 3. Adverſos Juda & Iſraelis caſus pluribus proſequitur 4. *Reg*. 17.; quæ ſanè ejuſdem temporis Authorem decent. 4. Lectores ad veteres memorias revocat, ex quibus ille hiſtorias compendio deducit. 5. Sacerdotem fuiſſe, cum in Davidis familiam propenſiorem ſe prodat, ſatis intelligimus. Porrò characteres iſti Eſdræ mirè congruunt, Sacerdoti rerum notitiæ ſtudioſiſſimo, captivitatis, ejuſque ſolutæ tempore florenti, ac ſtrenuo veterum monumentorum, quæ poſtea temporum & perſecutionum Judaicarum injuria interciderunt, collectori.

Nec tamen plura ab Eſdræ ætate aliena in Libro occurrere inficias iverim. Narrat Author, Arcam Domini adhuc in Templo ſervari 3. *Reg*. 8. 8.; Regna Juda & Iſraelis nondum intercidiſſe. 3. *Reg*. 12. 19. menſium nomina *Siſ* & *Bul* commemorat, quæ Eſdræ ætate planè in oblivionem abierant. 3. *Reg*. 6. 1. 38. Tandem coævi Authoris ideam nunquam non exhibet. His conciliandis fateamur oportet, Eſdram Veteres Memorias totidem planè verbis in ſuum Librum tranſtuliſſe, ex quo plura invicem repugnantia in Textu reſultarunt: in illis autem conciliandis, ea erat Hiſtorici fides, nil laboraſſe. Hiſtoriæ tamen ille ultrò ſubeuntes animadverſiones quaſdam ad rem conducentes addidiſſe potuit; quippè qui argumentum probè noſſet, atque Divino ſpiritu afflatus, vera ſe veris adjicere compertum haberet.

RHAMNUS, rubus eſt, ſivè ſpinæ genus, cujus ter in Vulgata mentio occurrit: *Miſerunt omnia ligna ad rhamnum Judic*. 9. 14. *Egrediatur ignis de rhamno Ibid*. v. 15. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum Pſal*. 57. 10. Hebræus conſtanter habet *athad*, quod ſonat cardum, ſivè ſpinam. In Scriptura rhamnus planta eſt facilè ignem vividamque flammam concipiens. Ita illud Pſalmi mox laudati: *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos*; ideſt, antequam ſpinas ſuas in arbuſculam adoleviſſe noverint, vivos in furore ſuo abſorbet; Hebræus legit: *Priuſquam lebetes veſtri ſentiant ignem è ſpinis veſtris accenſum, Divinus furor, ut turbo, illos dejiciet*.

RHAZIAS, ſivè *Rhaſis*. Vide *Razius*.

RHEGIUM, urbs Italiæ in Regno Neapolitano, quò S. Paulus Romam tendens appulit A. Chr. 61. *Act*. 28. 12. 14. Quæ patrata ibidem ab Apoſtolo prodigia narrantur, ſilente S. Luca ejuſdem itineris ſocio, fidei ſunt incertæ.

RHEUM, vir ex familia Sacerdotali, è captivitate unà cum Zorobabele reverſus (c).

RHINOCEROS, bellua, cui ex cornu è naſo porrecto, nomen inditum. Plura ſunt bruta, quibus cornu è naſo ſeu fronte prominet, quæ non rarò inter ſe confuſa, nec in ipſis animalium hiſtoriis ſatis diſtinguuntur. Vide *Unicornis*. Porrò nomen rhinoceros, quandoque in Vulgata recurrit

Hebræ-

(a) Thalmudiſtæ, & Kimchi. (b) Vide 1. Par. 29. 29. & 2. Par. 9. 29. & 12. 15. & 13. 22. & 16. 7. & 20. 34. 37. & 26. 22. & 32. 32. (c) 2. Eſdr. 12. 3. A. M. 3468. ante Ch. 532. ante Ær. 536.

Digitized by Google

(a). Hebræum *reem* redditur in Vulgata, & Septuaginta indiſcriminatim *monoceros*, *unicornis*, & *rhinoceros*.

(Quòd nos *Rhinocerotem*, Hebræi appellant *Reem*, & Perſæ *Kerkhedam*. Familiare eſt in Inſula Rami maris Indici diſtante tridui navigatione ab Inſula Serendib (b). Eſt *Kerkhedan* minor elephante bellua, & major bubalo; gibbus pendet ſub ventre illi perſimilis, qui in dorſo cameli prominet. Eminet in naribus ampliſſimum quoddam cornu, quo utuntur in menſa Reges apud Indos; propiùs enim admoto veneno ſudat. Cornu illud medio diſſectum exhibet figuram hominis albis delineatam lineis, cum appictis etiam avium figuris.

P. Le Comte tradit Rhinocerotem longitudine æquare elephantem, ſed brevioribus inſtrui cruribus, & cornu pedis eſſe fiſſo. Bellua eſt omnium, quotquot in Mundo, ſingulariſſima, ſimile aliquid præferens apro, ſed majori plurimùm corporatura, amplioribus cruribus, & craſſiori corporis mole. Pellem tegunt ſquamæ ſubnigræ, latæ, craſſæ, duriſſimæ, ac diviſæ in parva quadrata vel tumores, linea circiter prominentes ſupra pellem more ferme Crocodili. Ejus crura velut intra arculas quaſdam continentur, & caput retrò tegit, obvolvitque integumentum quoddam compreſſum, integumento Monaſtico non abſimile, unde belluæ nomen apud Luſitanos, *Monachus Indus*.

Caput gerit craſſum, os parùm fiſſum, rictum productum, armaturque amplo & oblongo cornu, quo impetit Tigrides, Bubalos, Elephantes. Quod autem inter ſingularia hujus belluæ ſingulare reputatur, lingua eſt, quæ aſpera membrana limæ fabrili perſimilis eſt obducta. Quidquid bellua lingit, deglubat, voratque non ſine guſtu ramos arborum etiam ſpinoſiſſimos, quos lingua ſua verſat, & conterit ore nihil ſentiens incommodi. Tradit Feſtus venatu capi Rhinocerotem ad detrahendum corium ejus duriſſimum, ac validiſſimum, utpotè munitum ſquamis, & quatuor digitis craſſum; valet autem ad loricas, clypeos, & vomeris cuſpides.)

RHINOCOLURA, quod melius ſcribitur, quàm *Rhinocorura*, vox ſonans nares abſciſſas; quippè quòd cives ejuſdem urbis mutilatis eſſent naribus (c). Hanc hiſtoriam Diodorus Siculus *l.* 1. *c.* 60. ità deſcribit. Cùm Actiſanus Rex Æthiopiæ ditionem ſuam prædonibus purgandam ſuſcepiſſet, illis magno numero captis parcendum quidem, quod ad necem attinet, conſtituit; ſed abſciſſis naribus in locum quemdam deſertum incultumque relegavit; ubi condita ab illis urbs, Rhinocolura, à naribus civium abſciſſis, appellata eſt. Hanc de illis pœnam Regem Perſarum, (facilè Cambyſem) exegiſſe Seneca *de ira l.* 3. *c.* 20. narravit.

Juxta eam urbem amnis fluit: Ægypti fluvius (d) aliquibus creditur. Nos tamen eo nomine Nilum deſignatum conjicimus; Rhinocoluram verò alluenti nomen eſſe *torrens Bezor* 1. *Reg.* 30. 9. 10. 21., ſivè *torrens deſerti*, *Amos* 6. 14. Urbs illa interdum Syriæ, modò verò Palæſtinæ, cujus olim erat, ſæpè etiam Ægypto (e), cujus deinde ditioni acceſſit, tribuitur. Ejus Epiſcopus, Peluſii ſuffraganeus habebatur. In ea urbe diviſum à Noe Orbem in tres filios imperium ferunt (f). Vetus illius nomen, Hebræum nempe, antè appellatam à Græcis Rhinocoluram, atque excogitatam præciſarum narium fabellam ignotum eſt. S. Hilarion inclytus illorum locorum Anachoreta, Flacidiæ, in vico ad Rhinocoluram, diutiùs ſubſiſtit (g).

RHODE, ſivè *Roze*, ancilla in ædibus Mariæ matris Joannis Marci, quæ verſantis præ foribus S. Petri, ab Angelo è carcere liberati vocem audiens, via præ gaudio ſui compos, ne januis quidem Apoſtolo recluſis, ſtatim ad Fideles in eadem domo commorantes, ejus rei nuncia advolavit An. Ch. 47. Ær. 44. *Act.* 12. 13. Somnia narraſſe viſa eſt, donec clamans, atque pulſans januas Apoſtolus, introductus vera famulam prodidiſſe oſtendit. Hæc tantùm de Rhode memoriæ mandantur; quæ enim de ejus exilio, & martyrio in Sardinia feruntur (h), apocrypha ſunt & fabuloſa.

RHODUS, Inſula, & urbs Ægæi notiſſima, 100. m. paſſuum patens. Vetus illius nomen Aſteria, Ophiuſa, Etherea; quòd enim Rhodus, nempè *roſa*, appellaretur, ſivè Nympha Rhodia, Apollinis deliciæ, deindè in roſam transmutata; ſivè roſatum copia, & elegantia in cauſa fuere. Ex Coloſſo æreo 500. pedibus immani, opere Charetis Lydii, maximè celebratur; qui deinde 56. annis poſt terræmotu dejectus (i), atque ſucceſſu temporis à Saracenis ſub Conſtantino II. comminutus, 900. ære camelos oneravit. Duodecim annorum ſpatio, & 300. talentorum impenſa ſtructus eſt; adeò ingens ille, ut vel minimum ejus digitum nemo hominum complecti potuiſſet. Immanium lapidum pondere firmabatur, ne ventorum, ſivè tempeſtatum turbine unquam concuteretur. In oſtio portus Rhodi conſtitutus cruribus, atque ſuis baſibus impoſitis, apertum inter crura aditum navibus exhibebat, Coloſſenſes illos, ad quos Apoſtolus Epiſtolam dedit, Rhodios fuiſſe aliqui cenſent (k); ſed temerè prorſus, & nulla ſatis firma conjectura. Vide *Coloſſenſes*. Apoſtolus Jeroſolymam tendens Mileto Coam, inde verò Rhodum, ac dein Pataram Lyciæ venit An. Chr. 58. *Act.* 21. 1.

(Septuaginta in Geneſ. 10. 4. Rhodios accenſent inter filios Javan, ideo ſcilicet, quòd in Hebræo pro *Dodanim* legerint *Rhodanim*. Textus Samaritanus hic pariter legit *Rhodanim*, ſicut & eandem lectionem ſervat Hebræus in 1. Par. 1. 7. Euſebius, S. Hieronymus, & S. Iſidorus, Septuaginta præterunt, tenentque Inſulam Rhodum frequentaſſe *Rhodanim* è Javan ſatos. Nec lectionem ferentem *Rhodanim* reſpicit Bochartus; ſed defendit alios hic deſignari populos à Rhodiis, quorum eſt origo multò recentior, quàm ut conſtituti credantur à filio proximè lato à Javan. Reputat autem deſignari hìc potiùs à Moyſe populos Gallos ad Mediterraneum ſitos non longè ab oſtiis Rhodani juxta Maſſiliam, ubi nota eſt Regio Rhodanuſia, & Urbs cognomen.

Ipſi pariter Septuaginta ad Ezechielem 27. 15. reddiderunt *filii Rhodiorum*, pro *filii Dedan* quod eſt in Hebræo Legerunt illi facilè in Textu *Redan* vel *Rodan*. Sed in Geneſi 10. 7. eadem cum Hebræo lectionem ſervarunt, *Dedan*. Portò in Scriptis Hebraicis facilis eſt mutatio *Daleth* in *Reſch*. Si Textus Geneſeos lectionem *Dadan* non determinaret, commodè admitterentur in Ezechiele Rhodii; ejuſdem enim Prophetæ ætate vero propiùs cenſemus in ea Inſula incolas ſuos abundaſſe.)

RHODIUM, ſive *Rhodienſe*, *Numiſma*, quo nomine ab Eruditis duo quidam argentei nummi appellantur; alter in Theſauro Eccleſiæ S. Crucis in Jeruſalem Romæ; alter S. Joannis Lateranenſis Pariſiis ſervati. Ipſiſſimos autem credunt, quos Judas in pretium proditi Salvatoris à Judæis obtinuit; cuſos autem Rhodi ex ipſa inſcriptione, atque roſa in eorum antica, ſicut Coloſſi, ſivè Solis capite in poſtica impreſſis, ſatis conſtat. Similes nummos Goltzius, & Antonius Piſon olim viderant, atque delineandos curarunt. Accidere autem facilè potuit, ut ſimiles monetæ, in toto latè

(a) Num. 23. 22. & 25. 8. Deut. 33. 17. Job. 39. 9. 10. (b) D'Herbelot Biblioth. Orient. p. 708. & 959. (c) Strab. l. 16. (d) Joſue 15. 4. 47. Iſa. 27. 12. (e) Hieron. ad Iſa. 19. & 27. (f) Epiph. Anchorat. Chron. Paſch. (g) Hieron. in Vita ejuſdem. (h) Laudatur ejus rei teſtis Helcias quidam Epiſcopus Auguſtæ Vindelicorum: ſed Rhodes nomen nuſpiam in Martyrologiis. (i) Sub Ptolomæo III. cognomento Evergete Rege Ægypti, qui Regnum inivit A. M. 3758. ante Ær. 244. (k) Suid. Glyc. Zonar. Euſtath.

Imperio Romano obtinentes, Judæ ſolveтentur; quamquam vulgatam regionis monetam, Romanam nempè, Imperatoris tum temporis regnantis, *Matth.* 22. 20. 21. ſivè alteriua ex prædeceſſoribus, proditori ſolutam faciliùs credimus (a).

RHODOCUS, vir, qui ſecreta in exercitu Judæ Machabæi explorans, Antiocho Eupatori Regi Syriæ prodebat. 2. *Mach.* 13. 21. Deprehenſus tandem, & de crimine convictus, in carcerem detruſus eſt *A. M.* 3841. *ante Chr.* 159. *ante Ær.* 163.

RHOMPHÆA, vox in Textu Latino Eccleſiaſtici 20. 1. 4. *&* 26. 27. *&* 39. 36. & *Apoc.* 2. 12. ſæpiùs tamen apud 70. occurrens, Hebræo *chenith*, nempe lancea (b), & *Chereb*, enſia, reſpondet. Porrò rhomphæa eſt ingens, & oblongus enſis, qualem olim Thraces geſtare conſueverant (c): *Thraeas quoque Rhomphæa, ingentis & ipſa longitudinis, inter adjectos undique ramos impediebant*. S. Iſidoro enſia eſt anceps alio nomine *ſpatha* (unde apud nos nomen *ſpada*). Idem etiam nomen de haſta, ſive de pilo uſurpati Svidaa teſtatur.

RIBAI, pater Ithai viri fortiſſimi in exercitu Davidis, è Tribu Benjamin. 2. *Reg.* 23. 29.

RIMMON. Vide *Remmon*.

RINNA, filius Hanæ, è Tribu Simeonis 1. *Par.* 4. 20.

RIPHAT, ſecundus filiua Gomer, & nepos Japheti. *Gen.* 10. 3. in 1. Paralipom. 1. 6. *Diphat*. Porrò duæ ſimiles literæ *Reſch*, & *Daleth* apud Hebræoa non rarò confunduntur. Quam potiſſimum regionem ejus poſteri frequentarint, non ſatis convenit. Chaldæus, & Arabs *Franciam*; Euſebius *Sauromatas*; Chronicon Alexandrinum, *Garamantas*; Joſephus *Paphlagones* malunt. Olim ſane Paphlagones *Riphatæos*, ſivè *Riphaces* appellatos Mela l. 1. teſtatur; & in Bithynia finitima Paphlagoniæ, amnis Rhebæus, & gens atque provincia Rhebantum occurrit. His conjecturis Bochartus Paphlagones è Riphat derivat. Non deſunt tamen, qui Riphæoa montes ab illo dictos autument; quorum quidem ſententia nobis præ ceteris probatur, cùm alii filii Gomer regiones ſeptentrionales ad Scythiam, & ultra Pontum Euxinum frequentarint.

(RISUS. Eſt riſus lætitiæ ſignum; eſt & inſultantis, eſt deſidentia, ſecuri animi, & admirantis riſus. Sara exuberans gaudio de partu filii eundem filium appellavit *Iſaac*, i. e. riſum. *Væ vobis*, ait Jeſus Chriſtus, Lucæ 6. 25. *qui ridetis, quia lugebitis & flebitis*. Job. 5. 21. *In vaſtitate, & fame ridebitis*; ſecuro eritis animo inter hæc mala. Pſal. 2. 4. *Qui habitat in Cælis, irridebit eos*; vanos eorum conatus deſidebit. Proverb. 1. 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo*, Ridebat Iſmael de Iſaac *Geneſ.* 21. 9. inſultans ac graviter illum excipiens, ut exponit Apoſtolus Galat. 4. 30. *Quaſi per riſum* (per ludum) *ſtultus operatur ſcelus*, Prov. 10. 23.

RISUS generatim valet pro gaudio: *Eſt tempus flendi, & tempus ridendi*, ait Salomon, tempus ſcilicet lætam, & tempus mœſtam agendi diem. Luc. 6. 21. 25. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*. Eccleſ. 2. 2. *Riſum reputavit errorem* (gaudium voluptatem). Jacob. 4. 9. *Riſus veſter in luctum convertetur*; in dolorem, in pœnitudinem.

Non decet Sapientes *riſus*. Eccli. 21. 23. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem Sapiens vix tacitè ridebit*. Eccli. 7. 7. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti*.

RISUS. Abraham, cui ſpes à Deo facta eſt de Iſaac ſibi naſcituro *Geneſ.* 17. 17., admirantia fuit, agnoſcentis beneficium, non hæſitantis. Riſum illum referens Scriptura, non reprehendit, uti Saræ riſum.)

ROAGA, filius Somer, è Tribu Aſſer. 1. *Par.* 7. 34.

ROBOAM, filius, & ſucceſſor Salomonis, ex Naama Ammonitide ipſiua uxore. 3. *Reg.* 14. 20. 21. Annis natus 41. regnum inivit; quare ſtatim ab obtento regno, ſivè anno ante illud (d), Salomon eum filium genuerat, cùm ipſe annum ageret 18. ſive 16. circiter ætatis. Regnum 27. annis Jeroſolymæ tenuit (e).

Salomone vita functo, 3. *Reg.* 12. 1. *&c.* Roboam in Sichem ſe contulit, ut à coactis ibidem populis in Regem ſalutaretur. Eo temporis ſpatio Jeroboam filius Nabat, qui rebus contra Salomonem innovatis, ſub exitum ejus regni in Ægyptum confugerat, promptè Judææ ſeſe reſtituens, unà cum cæteris in urbem Sichem præſtò adfuit. Iſraelitæ autem Roboamum rogaverant, ut impoſitum à patre graviſſimum jugum leniret; juge illi obſequium ſe præſtituros, quemadmodum & patri olim exhibuerant, pollicentes. Quibus populi verbis jus regni familiæ Davidis uſque ad id temporis aſſertum non fuiſſe intelligimus. Roboam tridui tempus ad conſulendum poſtulans, populo remiſſo veteres patris conſiliarios, quid ſibi facto opua eſſet, interrogavit. Illis populo acquieſcendum ſuadentibus, ut eos deinde in obſequio haberet, Roboam adhærendum non cenſuit. Quare de adoleſcentiorum conſilio, quibuſcum à pueria conſuetudinem foverat, hoc populo expectanti reſponſum dedit: Unus meus pollex toti patris mei corpori pondere præſtat; quare ſi pater meus jugo vos affliait, ego graviori premam; ſi pater virgis, ego ſcorpionibus læviam.

His à cœtu auditis, murmur paſſim excitus, ac deinde in apertam ſeditionem re deveniente, Iſraelitæ à Roboamo ſeceſſere. Rex ſtatim Aduram tributorum Præfectum ad populum revocandum miſit, quem illi lapidibus impetentes oppreſſerunt. Quare ſibi metuens Roboam, ſtatim currum aſcendens, Jeroſolymam fugit. Tribus Juda, & Benjamin Roboamo adhæſerunt; decem reliquæ Jeroboamo filio Nabat ſummum jus detulerunt. Porrò Jeroboam averſi à Roboamo populi occaſionem nactus eſt, ut conceptum jamdiu conſilium, excutiendi ſcilicet ſervitutis jugum, executioni mandaret.

Roboam via Jeroſolymam veniens, coacto duarum Tribuum exercitu, 180000. ſelectorum militum in decem Tribus arma inferre ſtatuerat (f). Hanc expeditionem ineuntem Propheta Semeias avertit, Dei juſſu monens, ne in fratres ſuos arma converteret. Rex igitur verſis ad muniendum Regnum curis (g), quò ſe ab adverſarii conatibus tutum præſtaret, plures urbes munitionibus vallavit, nempe Bethleem, Etham, Thecue, Bethſur, Soco, Odollam, Geth, Mareſam, Ziph, Aduram, Lachis, Azecam, Saraam, Ajalonem, Hebronem, quibus omnibus ſuos præfectos, ſuaque olei, & vini promptuaria, & inſtructiſſima armamentaria conſtituit.

Frequentes etiam Sacerdotes, & Levitæ ex ditione Jeroboami in Regnum Juda ſe contulerunt; quippe quos immutatus à Rege Iſraelis Domini cultus, & geſtum ab optimatibus vitulorum aureorum Sacerdotium offenderat. Illi igitur, ut ſuis muneribus in Templo Jeroſolymitano exhibendis præſtò eſſent, in ditionem Judæ confugerant. Verùm neque Roboamus, ſubjectuſque ei populus ultra triennium in obſequio Domini manſit; cumulatis enim poſt illud tempus criminibus, Domini in ſe offenſionem, pluſquam patres ſui, concitavit. Erecta ſunt interim altaria prophana, dicata ſimulachra, atque luci in erectis collibus conſecrati. Conſtituta etiam publica virorum & fœminarum lupanaria, & tem-

(a) Selden. de Jure Nat. & Gent. l. 2. c. 8. (b) 1. Par. 11. 11. 20. & Pſ. 34. 3.
(c) Liv. an. 1. ab urbe. (d) A. M. 2989. ſive 2990. ante Chr. 1011. ſive 1010. ante Ær. 1015. ſive 1014.
(e) Ab A. M. 3029. ante Chr. 971. uſque ad 3036. ante Chr. 964. ante Ær. 968.
(f) 3. Reg. 12. 21. A. M. 3030. ante Chr. 970. ante Ær. 974. Vide & 2. Par. 10. 1. &c.
(h) 3. Reg. 14. 22. & 2. Par. 11. 5. &c.

Digitized by Google

& impia quæque admiſſa, qualia olim in Chananæos exterminium à Domino eatorſerant.

Uxores duxit Roboam duodeviginti, & concubinas ſivè ſecundi ordinis uxores 60. ex quibus 28. filios & 60. puellas genuit. Patris tamen animus præ cæteris in Abiam ex Maacha filia Abſalomi natum inclinans, in ſucceſſorem regni illum deſtinavit. Firmato regno, Roboam, uti ſupra innuimus, ſubjectuſque ei populus cultum Domini penitus abjecit, quod arma Seſac Regis Ægypti in ejus ditionem Domino diſponente deduxit (a). Direpta ab hoſtibus Templi Domini, & Regis æraria, detracta aurea ſcuta à Salomone conflata, vaſtata regio, atque 200. curruum & 60000. equitum, nec non immenſa peditum multitudine exercitu adaucto Seſac munitiſſimas Judæ urbes, totamque, Jeroſolymam uſque, regionem ſubegit. Inter hæc, Semeias Propheta Regem cæteroſque ſimul Principes conveniens monuit, hæc a Deo mala immiſſa, ob deſtitutam ab illis religionem. His Prophetæ verbis illi ſuum crimen noſcentes, jure ſe à Domino plecti profeſſi ſunt. Tunc Deus Semeiæ aperuit, nolle ſe populi curam deſerere; ſed experimento oſtendere voluit, quod inter ſervitutem Domini, & extranei Principis diſcrimen intercederet. Poſt liberatam ab hoſtibus regionem, Roboam ſcuta ærea pro aureis ab hoſtibus detractis conflavit; quæ, cum ad Templum iret, ſatellites præcedentes deferebant, redeuntes verò in armamentarium referebant. Domini in illum clementiam ejus animi demiſſio, uti & religionis veſtigia quædam nondum in Juda obliterata conciliarunt. Res ab eo geſtas latè ſolerterque Semeias, & Addo Prophetæ ſcriptis mandarunt; quæ tamen eorum opera noſtra ætate interciderunt, uti & hiſtoriæ bellorum, quæ inter Jeroboamum, & Roboamum toto regni tempore contigerunt. Obiit poſt 17. regni annos, atque in urbe Davidis ſepulturæ mandatus eſt, filio Abia hæreditatis ſucceſſore relicto.

Hujus Regis nulla ſanè honorifica mentio in Scriptura; nam de illo Jeſus filius Sirach poſt Salomonem verba faciens, ait *Eccl.* 47. 28. *Reliquit poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam, & imminutum à prudentia Roboam, qui avertit gentem conſilio ſuo*. Abia ejus filius hoc patrem elogio proſequitur. 2. *Par.* 13. 7. *Roboam erat rudis, & corde pavido*. Eundem præ oculis habuiſſe Salomon videtur illis verbis *Eccl.* 1. 18. *Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, utrùm ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis... & eſt quidquam tam vanum?*

ROGEL, fons Rogel, ſivè *Fullonis*. *Joſue* 15. 7. & 18. 16. Hebraicè enim *Rogel* eſt vir, qui lintea vel pannos purgandos pedibus tundit. Idem eſt cum fonte Siloe, ad Orientem Jeroſolymæ, & ad radices montis Sion. Prope eum fontem Abjathar, & Achimaas filii Sadoc Summi Sacerdotis in latebris ſe ſe continentes, de conſiliis Abſalomi Jeroſolymæ verſantis certiores facti, omnia Davidi prodebant. 2. *Reg.* 17. 17. Ad fontem Siloe & ad petram Zoheleth, Adonias filius Davidis Aulæ Davidis Principes convivio excepit (b).

ROGELIM, locus in Galaaditide, in transjordanica, patria Berzellai amici Davidis. 2. *Reg.* 17. 27.

ROGOM-MELECH, & *Saraſar*, qui miſſis legatis, Sacerdotes, & Prophetas Jeroſolymæ, an quinto menſe anni Sancti jejunium ſervandum eſſet, in memoriam everſionis, & cremati à Chaldæis Templi die 10. ejuſdem menſis (c), conſuluerunt (d). Zacharias Propheta interrogatus reſpondit, nihil Deum de jejuniis curare, juſtitia & charitate animis interim vacuis; eoque dato reſponſo nihil de jejunio indicavit; quare ad hunc uſque diem ejuſdem jejunii religio apud Judæos manet.

Duos verò illos *Rogom-melech*, & *Saraſar*, alii Proſelytos Babylonios, & in Aula Darii Principes fuiſſe autumant (e). Theodoreto ſunt gemini Duces ſivè Chutæorum, ſivè aliarum gentium, in Palæſtina verſantium. Grotius, Sanctius, Menochius malunt Judæorum procul à Jeruſalem degentium Principes. Nec ſanè aliundè, quàm ex transeuphratea gente, fortè Judæis, veniſſe legationem crediderim: quorſum enim Palæſtinæ Judæi ſuæ regionis ritum ignoraſſe debuerant?

ROHOB, pater Adarezer Regis Syriæ Soba (f).

ROHOB, Hebræis *Rechob*, urbs Tribus Aſer. *Joſue* 19. 28. quæ Levitis ea familia Gerſom ceſſit. 1. *Par.* 6. 25. *Joſue* 21. 31. Sita erat in Syria, viæ Emath imminens. *Nu.* 13. 21. & 2. *Reg.* 10. 6. 8. nec alibi facilè, quam inter Libanum & Antilibanum. Urbs Lais, ſive Dan, in regione Rohob memoratur *Judic.* 18. 28.

ROHOB, Iſraelita è captivitate Babylonica redux. 2. *Eſdr.* 10. 21.

ROHOB, ſivè *Roob*, vicus 4. m. paſſibus à Scythopoli. *Euſeb.*

ROHOBIA, filius Eliezer natu major, & nepos Moyſis. 1. *Par.* 23. 17.

ROHOBOTH, amnis Idumææ. Saul in transfluviali Rohoboth regione natus, inter Idumææ Reges occurrit. *Gen.* 36. 37. & 1. *Par.* 1. 48.

ROMA, nomen concubinæ, ſcilicet uxoris ſecundi ordinis Nachoris fratris Abrahami, quæ Tabee, Gaham, Tahas, & Maacham filios habuit. *Gen.* 22. 24.

ROMA, urbs à Remo Romuloque condita, anno Periodi Julianæ, juxta Uſſerium, 3966. M. 3256. ante Chr. 744. ante Ær. 748. ſub finem Regni Ezechiæ Regis Judæ. Notior eſt, quàm ut ejus hiſtoriam texere oporteat, neque profectò quiſpiam in Dictionario Biblico Romam perquiret. Sacri V. T. Scriptores, qui Hebraicè ſcripſere, numquam illius, quod ſciamus, meminerunt: at in Machabæis, & N. T. notiſſima eſt. Hanc S. Petrus Babylonis nomine memorat: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone*. 1. *Petr.* 5. 13. Eodem nomine eamdem S. Joannes *Apoc.* 14. 8. & 16 19. & 17. 5. & 18. 2. 10. 21. propriis adeò characteribus deſignat, imperio ſcilicet in omnes gentes, ſævitia in SS. & 7. collibus, quibus inſidet *Apoc.* 17. 9. ut nemini præter ipſam conveniant.

Rabbini vulgò Romam nomine *Edom* appellant, & prolata in Edom vaticinia, in hujus urbis excidio implenda arbitrantur.

Nonnulli Proteſtantes totius Antiquitatis ſententiæ repugnantes, S. Petrum Romæ unquam fuiſſe negant. Babylonem, de qua ipſe in prima Epiſtola, Chaldææ, vel Ægypti urbem eſſe dicunt. Quæ de S. Petri Romam itineribus, de victoria Simonis Magi, ipſiuſque in ea urbe martyrio narrantur, veluti fabuloſa rejiciunt. Hæc tamen ſi falſa ſunt, quid in tota Eccleſiaſtica Hiſtoria verum erit? Horum veritatem tota Antiquitas, nemine refragante, monumenta, ſepulchra, Templa, ſtatuæ, picturæ, loca publica, carcere, & martyrio ejuſdem Apoſtoli conſecrata, teſtantur (g).

S. Paulus bis Romam venit. 1. cum Cæſarem appellavit; 2. anno ante ſuum martyrium, Ær. 65.

Pluries etiam S. Petrus. Anno 42. illuc iviſſe, & tunc ſedem ſtatuiſſe creditur. Rediit fortaſſe circa annos 45. 58. & 56. Æræ. In ea urbe anno 66. martyrium complevit.

S. Joannes Evangeliſta Epheſo proſcriptus, Romam,

(a) 2. Par. 12. 1. &c. & 4. Reg. 14. 25. A. M. 3033. ante Chr. 967. ante Ær. 971.
(b) 3 Reg. 1. 9. A. M. 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015.
(c) Jerem. 52. 12. 13. A. M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588. (d) Zach. 7. 2.
(e) Ita Hebr. tempore S. Hieron. ad Zach. 7.
(f) 2. Reg. 3. 12.
(g) Vide Scriptores, qui de hoc ſcripſerunt, & noſtr. de hoc Diſſert. ante ult. T. Commenc.

mam, Domitiano Eccleſiam perſequente, anno Ær. 95. miſſus eſt; ubi in ferventi oleo merſus, nihil incommodi paſſus, integrior inde emerſit (a).

ROMANI. Hebræum *Cethim* Italiam ſonare S. Hieronymo ex eo conjicimus, quòd Textum originalem (b): *Venient in triremibus de Cethim, vaſtabuntque Hebræos* (ait Balaam), *& ad extremum etiam ipſi peribunt*; vertat: *Venient de Italia*. Verùm de Græcis vaticinium illud intelligendum, de Græcis ſcilicet, qui ſub Alexandri Magni ductu in *Hebræos*, nempè Perſas trans Euphratem regnantes arma intulerunt, ſubjectaque regione, ipſi demùm Romanis colla ſubmittere coacti ſunt. Eamdem etiam verſionem præfert Ezechiel. 27. 6. ubi Tyri opifices vecta ex Italiæ Inſulis materia, ædes pro ducibus navium Tyriorum fabricati fuiſſe perhibentur: *Prætoriola ex Inſulis Italiæ*. Sed quid pretioſi ex iis Inſulis in Phœniciam, proximaſque regiones vehi potuiſſet?

Hebræus duplici ratione verti poteſt: *Tranſtra tua fecerunt ex ebore pedibus proculcato, & vecto ex Inſulis Cethim*, ſive Macedoniæ. Porrò ebur *pedibus proculcatum* eſt ebur defoſſum ab elephantis, de quibus Plinius *l.* 8. *c.* 3. *Dentes deciduos caſu aliquo, vel ſenectu defodiunt*. Verùm cùm in Macedonia, quàm in Italia frequentius ebur non occurrat, ideò Bochartus, & Glaſſius vertendum malunt: *Tranſtra tua fecerunt ex ebore, & buxo è Macedonia tranſlata* (c). Buxus enim Macedonica celebratur. (d). Vocem Cethim Macedoniam ſignificare, v. *Cethim* oſtendimus. Hebræum Thubal pariter S. Hieronymus vertit Italiam *Iſa.* 66. 19. quod alii reddendum Hiſpaniam, alii Tibarenos malunt. Vide *Thubal*.

Tandem idem S. Doctor Hebræum *Cethim*, quod alibi Italiam verterat, quamquam nos de Macedonia intelligendum cenſemus, reddit *Romanos* (e). Daniel quidem 11. 30. de Romanis agit; ſed ideò planè, quia ſuper claſſem Macedonicam in portu Deli inventam ſolverunt (f). Omnibus eruditionis ſuæ nervis Bochartus *Phaleg. l.* 3. *c.* 5. Rabbinorum interpretationem, voce Cethim Romam & Italiam intelligentium, ſuſtinet. In ea Provincia urbes *Cethim*, *Echetiam*, & fluvium Cethum oſtendit; ſed deductis etiam non ſpernendis argumentis, de Macedonia vocem intelligi potuiſſe demonſtrat.

Romanum Imperium Daniel 2. 40. juxta Interpretes deſignat Imperio illo ferreo, quod cætera impellens comminuit. Nos tamen Oraculum illud de Imperio Lagidarum in Ægypto, & Seleucidarum in Syria intelligendum malumus (g). In Libris Veteris Teſtamenti Hebraicè ſcriptis, nec Romæ neque Romanorum ſive Italiæ nomina uſpiam occurrunt.

Sed in Libris Machabæorum, & in Novo Teſtamento frequens illorum mentio. Ita (h): *Et audivit Judas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis; & quicumque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias, & quia ſunt potentes viribus. Et audierunt prælia eorum & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum.* Rumor etiam delatus ad illum de adjecta Imperio Hiſpania, atque remotis quibuſcumque regionibus, Regibuſque ab extremis Terræ Orbis arma inferentibus devictis, ſicut & optimis ditionis ſuæ regionibus Philippum & Perſeum Reges Macedonum (ſive Cethæorum) expoliaſſe: uno verbo, vulgatum erat, Romanorum potentia Reges eligi, & removeri. Additum verò, nullum apud Romanos diadematis & purpuræ uſum; ſed omnia ad Senatum 320. Patribus conſtantem deferri; ſupremam verò dignitatem uni ex civibus per annum demandari, cui omnes citra invidiam & æmulationem ſubmitterentur.

Hæc de Romanis in Judæa ferebantur; quibus Judas Machabæus invitatus, miſſa ad illos legatione, amicitiam & fœdus rogavit; opem ſimul implorans, ut eorum authoritate Syrorum jugum, libertati & religioni Judæorum grave, excutere permitteretur. Comiter excepti a Romanis Legati, reſcriptum impetrarunt, cujus exemplaria Jeroſolymam mitterentur; alterum verò in ære inciſum Romæ manſit. In hanc verò ſententiam ſcribebatur: *Bene ſit Romanis, & Genti Judæorum in mari & in terra in æternum; gladiuſque & hoſtis procul ſit ab eis. Quod ſi inſtiterit bellum Romanis priùs, aut omnibus ſociis eorum in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit corde pleno; & præliantibus non dabunt neque ſubminiſtrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, ſicut placuit Romanis, & cuſtodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. Similiter autem etſi genti Judæorum priùs acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiſerit; & adjuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, ſicut placuit Romanis, & cuſtodient mandata eorum abſque dolo. Secundùm hæc verba, conſtituerunt Romani populo Judæorum: quòd ſi poſt hæc verba, hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex propoſito ſuo, & quæcumque addiderint, vel dempſerint, rata erunt. Sed & de malis, quæ Demetrius Rex fecit in eos, ſcripſimus ei, dicentes. Quare gravaſti jugum tuum ſuper amicos noſtros, & ſocios Judæos? Si ergo iterum adierint nos adverſùm te, faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum mari terraque.*

Primum hoc Judæorum cum Romanis fœdus initum eſt (i). Succedente tempore (k), Jonathas frater Judæ Machabæi rebus ſuis florentibus, miſſa Romam legatione, fœdus iterum innovavit. 1. *Mach.* 12. 1. *&c.* Legatos verò Patres reſcripto ad Præſides Provinciarum, ut in pace ad propria redirent, proſecuti ſunt. Tandem Simon Machabæus frater Judæ & Jonathæ, Numenium Romam iterum ad fœdus innovandum miſit (l); adjecto inſuper clypei aurei ingentis ponderis munere. Numenius ſummo honore à Romanis exceptus, votorum omnium à Senatu compos factus eſt; Judæi amici, fœderati, & fratres Romanorum appellati. Cujus rei fama ad Demetrium Nicatorem relata, ipſe novis honoribus ſummum Sacerdotem Simonem cumulavit, jus Pontificiæ dignitatis aſſeruit, inter amicos cooptavit, ac tandem eò gloriæ, quò nemo unquam, provexit.

Ante hæc omnia Romanorum Legati Q. Memmius, & T. Manilius in Syriam ad res cum Antiocho Eupatore agendas miſſi (m) pacem etiam Judæorum curantes, hoc ad illos reſcriptum dederunt: *De his, quæ Lyſias cognatus Regis conceſſit vobis & nos conceſſimus: de quibus autem ad Regem judicavit referendum, confeſtim aliquem mittite, diligentiùs inter vos conferentes, ut decernamus, ſicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus, ideoque feſtinate reſcribere, ut nos quoque ſciamus cujus eſtis voluntatis.*

Jeroſolymam Romani ter ſubegerunt: primo Pompeii armis A. M. 3941. ante Chr. 59. ante Ær. 62. Iterum Soſio duce A. M. 3967. ante Chr. 33. ante Ær. 37. Tandem à Tito everſa eſt, A. M. 4070. Chr. 73. Ær. 70.

In

(a) Tertull. l. de præſcript. c. 36. Hieron. in Juvinian. l. 1. c. 14. (b) Num. 24. 24. Ezech. 27. 6.
(c) Bochar. de Anim. p. 1. l. 8. c. 3. Glaſſ. gramm. l. 3. c. 1. (d) Plin. l. 16. c. 16.
(e) Dan. 11. 30. Vide Gen. 10. 4. & Interpp. in Dan. ibidem (f) Vide Liv. l. 44. 45.
(g) Vide noſtr. Comment. in Dan. ibidem.
(h) 1. Mach. 8. 1. &c. A. M. 3842. & 3843. ante Chr. 158. & 157. ante Ær. 162. & 161.
(i) A. M. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162. (k) A. M. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144.
(l) 1. Mach. 14. 24. &c. A. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139.
(m) 2. Mach. 11. 34. &c. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.

In provinciam, Regni privilegiis, & Rege orbata, redacta eſt, 1. poſt exilium Archelai Regis, filii Herodis magni A. Chr. 9. Ær. 6. Is autem rerum ſtatus manſit uſque ad annum Ch. 40. Ær. 37. Iterum in Provinciam poſt Agrippæ obitum A. Ch. 47. Ær. 43. rediit; donec A. Chr. 70. penitùs everſa eſt.

Romanorum in Judæa Præſides, vide V. *Præſides*.

Epiſtola S. Pauli ad Romanos ordine prima eſt, ſive ex Romanæ Eccleſiæ privilegio, ſive ea argumenti dignitate, ſive tandem ea myſteriorum, quæ in ea explicantur, excellentia. Omnium abſtruſiſſima eſt, atque humanum captum excedens, cui explicandæ, ait S. Hieronymus *Ep.* 151. *c.* 8. vix plura volumina ſufficerent. De hac porrò Epiſtola locutum credunt nonnulli Sanctum Petrum Apoſtolum illis verbis. 2. *Petr.* 3. 15. *Paulus Frater noſter ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant*. Sed verba illa alii ad Epiſtolam ad Hebræos ſpectare, nec temerè prorſus, autumant.

In ea Epiſtola totus eſt Apoſtolus, ut quæſtionibus nonnullis domeſticis inter Judæos, ac Ethnicos Fideles occurrat, & mutua ea de cauſa diſſidia componat. Judæi enim generis ſui, atque Divinarum ad Patres ſuos promiſſionum privilegio primas in Eccleſia ſupra Fideles ex Ethnicis affectabant: quippè quos extraneos & nonniſi gratuitò atque diſpenſatione quadam in Eccleſiam accitos habebant. Fideles vero ex Ethnicis his Judæorum objurgationibus offenſi, Sapientum, & Philoſophorum ſuorum merita efferebant; ſimul Legiſlatorum prudentiam, morum probitatem, ac tandem ſervata apud ipſos legis naturalia jura obtrudentes. Judæi autem addebant, in Legem Dei refractarii quem criminibus modum, non ipſi tantùm, ſed & Patres eorum ſervarunt? Hinc percluſus Judæis ad fidem aditus, apertus Ethnicis; quorum piæ Judæis crimina, & merito, & numero minora haberentur.

His diſſidiis componendis, Apoſtolus utrorumque audaciam verbis caſtigans, amborum crimina exaggerat, quorum ſanè merito utroſque à Fidei, & vocationis gratia excludendos demonſtrat. Quin etſi Judæi, uti & Pagani, Legibus ſuis obedientes fuiſſent, quid propterea hæc ad juſtificationis, & vocationis meritum? Nihil enim, ait Apoſtolus, ad Juſtitiam conferendam, niſi fides charitate conjuncta, cui bona opera accedant, conferre potuit. His jactis fundamentis, omnia, quæ contra obiici poſſent, veluti per tranſitum refutat, nimirum de gratuita vocatione, reprobatione, abſoluta Judæorum, & Paganorum reprobatione, atque legalium ſine fidei merito fruſtratione. Plura etiam data occaſione diſſerit de Judæorum ſupra Paganos prærogativa, nec non Divinarum promiſſionum fide; ex quo ſenſim ad prædeſtinationis, & reprobationis myſteria diſcutienda deductus, præcipuam Epiſtolæ partem illis explicandis, quamvis ad intentum argumentum parergon videatur, impendit.

Plures etiam vitæ inſtituendæ regulas in capitibus 12. 13. 14. 15. præſcribit, ac potiſſimùm de mutua inter Fideles concordia, quos de jure ſuo aliquantum decedere, ne fratres ſcandalo aliquo afficiant, jubet. In pſeudoapoſtolos invehitur, evitandoſque fidelibus denunciat. Tandem cap. 16. pluribus nominatim ſalutatis, Epiſtolam claudit. Data eſt ex urbe Corintho A. Ær. 58. cùm Apoſtolus iter Jeroſolymitanum ob deferendas Fidelium eleemoſynas pararet: delata verò à Phœbe Diaconiſſa Eccleſiæ Centhriæ ad Corinthum. Porrò Canonicam illam eſſe nemo uſpiam dubitavit. Græcè ſcripta, atque à Tertio Apoſtoli amanuenſe excepta eſt (a).

Plurima in Epiſtolis Pauli Marcionitæ expungentes, duo etiam Epiſtolæ ad Romanos poſtrema capita delebant. Epiſtolam hanc primò cap. 14. concluſiſſe Apoſtolus videtur: idem voluiſſe in cap. 15. verba illa monſtrant: *Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen*. Imò & clauſula illa ter in cap. 16. *v.* 20. 24. recurrens, totius manum ſcripturæ admotam indicat.

(Solemne eſt Judæis *Romanos* appellare Idumæos, & Imperium *crudele Imperium Edom*. Ægrè divinaretur ejus appellationis ratio, quæ Italiam & Romam diſſita adeo ab Idumæa loca, nec ullo cum Idomæis commercio unquam juncta, communione nominis ſociaverit. Cùm ea de re interrogantur Rabbinorum doctiſſimi, defendunt pervicaciter Idumæos ad Chriſtiana ſacra translatos Italiam invadentes Imperium ibi ſuum conſtituiſſe.

Abarvanel, apud ſuos inter viros graves reputatus, defendit jure appellari poſſe Romanos, & Chriſtianos generatim de nomine Idumæorum, eodem ſenſu, ac Iſaias impios ætatis ſuæ Judæos traducebat indita appellatione Sodomitarum, & Gomorrhitarum, quod mores illorum, & dogmata adoptaſſent. Ut enim Eſau invexit in familiam Jacob alienigenas plures, ita pariter & Imperium Romanum cum Eccleſia Chriſtiana coaleſcit ex omnibus ſimul gentibus, quæ Dei furorem in ſe provocant. Eſau furebat in Jacob, moliebaturque illum privare jure majoris natu, bonis, ac vita; paria agitant Chriſtiani in Judæos. Defendunt Cabaliſtæ animam Eſau migraſſe in corpus Jeſu Chriſti per metempſycoſim, undè factum, ut Hebraicè ſcripta nomina Jeſua, & Eſau eaſdem præferant literas, ſed ordine variato. Eſau prodiit ſub ſidere Martis, ex quo inſitam geſſit indolem viri ſanguinarii, & venatoris; paribus cenſebantur moribus Heroes illi Romani Regum ſanguine generati. Rufus erat Eſau; purpura utebant Imperatores Romani, ut & hodie pariter Cardinales. Sub eodem Martis ſidere natus Jeſus ſanguinem ſitiebat; ex quo mortis in ſe diſcrimen provocatit, ac nece pariter ſublati ſunt ex ejus Diſcipulis plures. Quàm inepta, Deus bone!

Joſephus Gorionidis rem illam narrat hiſtorico magis ſtylo, ſeu ut meliùs dicam, magis ad genium fabellæ. Tſepho Nepos Eſau in carcere à Joſepho detentus in Ægypto profugit ad Æneam Regem Carthaginis, & copiarum præfecturam ab illo obtinuit. Venit Æneas ille ex Africa in Italiam, ac duplici prælio fregit Turnum Regem Beneventi, è cujus latere avulſam Laviniam adſcivit in torum. Pablus nepos Æneæ interiit in prælio, ſicut & Turnus: utrique autem erectæ ſunt duæ turres, vel duo mauſolea, quæ Scriptoris illius ætate ſpectabantur adhuc inter Albam & Romam, appellabanturque altera quidem *Colabus*, alia *Cophurnus*.

Africani, duce Tſepho, repetierunt ſat frequenter Italiam, ad illam vaſtandam. Accidit ut ſemel amiſſum vitulum repererit in ſpecu, quem vorabat adhuc carnivoria dentibus monſtruoſa quædam bellua, media ſui parte hircus, & media homo. Monſtrum illud occidit, quo liberati terrore incolæ Tſephonem non ſecus ac Heroem venerati ſunt uſque ad oblationes, & liba. Illis etiam authoribus appellatus eſt *Janus*, fereus, quam occiderat, belluam: appellatus eſt & *Saturnus* de nomine Sideris quod tunc ab illis colebatur. Is fuit Tſepho nepos Eſau.

Succeſſorem habuit Latinum, quem excepit Æneas Trojanus; & diù poſt regnavit Romulus, Romæ conditor inſignis. Per eam ætatem David bello premebat Idumæos. Accidit, ut Adarezer & ejus nepos Zir inter Præfectos David partibus ejus deſertis reciperent ſe in Italiam, ubi condendæ Albæ Veteri dederunt operam. Regnarunt ibi, cujus utriuſque poſteritas ætate Joſephi Gorionidis, harum fabellarum Authoris, adhuc perſeverabat. Alias prætereo, ne patientia Lectoris videar abuti. Atque ita potiſſimùm factum eſt, ut Idomæi, per Tſepho, & Judæi per Adarezer ac Zir migratint in Italiam. Juvat ſubinde Judæorum oculis exhibere quæ ſit Judæorum indo-

(a) Salmeron. tom. 1. Proleg. 35. in fine, Latinè ſcriptam unus, quem ſciam, autumavit.

Digitized by Google

indoles, expanſis traditionibus atque tabellis ab illis digeſtis. Videſis Balnagium biſt. Jud. tom. 5. l. a. c. 5. Gallicè.

Nec apud Judæos tantùm traditio illa valuit; invaſit & Arabes; legiturque apud omnes fermè Munſulmanos Scriptores (a), natum ab Eſau filium *Roum*, cujus poſteritati accenſendi ſunt Imperatores omnes quà Græci, quà Romani. Tandem per omnes fermè Orientales, quæ de Libris Sacris norunt aliquid, pervagatur traditio, ætate Abdon Judicis Hebræorum coloniam quandam Idumæorum migraſſe in Italiam, ubi & conſtiterit; apud illos regnaſſe Latinum, nec alios originis authores habuiſſe Romulum conditorem Romæ. Non immeritò ſuſpicaremur omnes haſce fabellas ideò proculas fuiſſe primùm, ut Judæis jus quoddam conciliaretur onerandi Chriſtianos omnibus illis maledictis, quæ facri Libri apprecantur in Edom, & Idumæos, quæ ſemel conſtituta, deinde tamquam dogma Judæis & Orientalibus ſacrum manſerunt.)

ROMELIA, pater Phaceæ Regis Iſrael (b).

ROOB, ſivè Rooba Urbs Syriæ in Emeſena: Vide Rohob.

ROOB, vicus 4. m. paſſibus à Scythopoli. *Euſeb.*

ROS, filius Benjamin. *Gen.* 46. 21.

(ROS. In Hebræo Ezechielis 38. 2. 3. occurrit Gens quædam *Ros* appellata, quæ in Vulgata deſideratur. Hanc vocem appellativo ſenſu uſurpavit S. Hieronymus, veluti deſignantem caput. *Principem capitis Moſoch & , Thubal*, quo loco Hebræus legit *Principem Roſch, Meſech, & Thubal*. In Geneſis 10. 2. ubi de Thubal & Meſech occurrit etiam *Tiras*, quod affinitatis habet aliquid cum *Ros*. Septuaginta fidem Hebræi ſecuti ſunt in Ezechiele; ſatiſque convenit inter optimos Interpretes, *Ros* certum aliquem populum deſignare; ſed committuntur inter ſe in determinandis Gentis illius ſedibus, atque in deſignando, quo potiſſimùm nomine hodie cenſeantur.

Tenent Orientales (c) ex Japhet parente octavum filium natum eſſe *Rous*, de quo nihil Moyſes; ab illo verò frequentatam *Ruſſiam*, quam hodie Moſcoviam appellamus. Virum hunc fuiſſe dicunt inquietum, & turbidum, poſſediſſe tractum ultra Itel, ſeu Volgam, & crebris excurſionibus ſuis vaſtaſſe ditionem fratris ſui Khozar, qui bono pacis ceſſit ſponte Inſulas omnes ingentis hujus amnis devolventis ſeſe in Caſpium. *Rous* totum Inſularum ſolum ſerendum curavit frumento Turcico, quod vernaculo ſermone Turcæ hodie pariter appellant *frumentum Rous*, ſeu Bulgariæ; Legeſque in ſua ditione rogavit iniquiſſimas, ad quas ſubjectas ſibi gentes omnes adegit. Sanxit inter cætera, ut mares à ſucceſſione paternæ hæreditatis excluderentur, & omnia devulverentur ad fœminas. Invexit pariter morem tradendi enſem puero ſtatim ac tractando præ ætate par eſſet; ſimul illi denunciando: *Habet hereditatem tuam.*

Iidem pariter Scriptores referunt (d), natum è Japhet *Seclab* curas ſuas potiſſimas conſtituiſſe in ædificandis ædibus, & Urbibus, quod filios genuiſſet planè multos. Cùm illi excreviſſent in immenſum poſtularunt à fratribus ſuis filiis Rous agros ad cultum; ſed repulſam tulerunt. Verterunt ſe ad poſteros Khozar & Gomari, quos pariter agnoſcebant fratres; nec meliora ab illis; quarè id, quod precibus non potuerunt, obtinuerunt vi. Sed tandem vicinis omnibus fœdere in ipſos junctis coacti è loco ceſſerunt, receperuntque ſe in algentiſſimam Regionem ad ſeptimum clima. Tradit Mirkond populos Seclab hodie pariter tenere Regionem Hyperboræorum, ubi rigente hyeme abdere ſe ſub terram coguntur. D. d'Herbelot cenſet ipſos eſſe Samojedas, vel Lapones.

Idem Mirkond tradit è Seclab natum filium, à cujus ſtatim partu Mater interierit, undè infanti ſuffectum eſt ex ubere lepuſculæ, ex quo provectiori jam puero pernicitas indita eſt planè mirabilis, ut ſaltitaret, ac curreret expeditiſſimè; hæc autem poſt illum in poſteros omnes ceu hæreditas aliqua tranſmiſſa ſunt. Nomen *Seclab*, affine eſt adeo ad Sclavos vel Sclavones, itique pariter quæ de Sclavis alibi tradit D. d'Herbelot, ut mihi firmiſſimè perſuadeatur non alios populos præ oculis habuiſſe Mirkond. Vide Biblioт. Orient. pag. 470.

Ut regrediamur ad *Ros* vel *Roſch* Ezechielis, nec ambigentes credimus deſignari illo Ruſſos, vel populos ad Araxem *Roſch* appellatum ab incolis, quas veteres eſſe Scytharum ſedes ſat conſtat.

Ros ubertimus alluit Palæſtinam. Exercitus ſuperinfundentes ſeſe in hoſtem comparat Chuſai rori decidenti in terram 2. *Reg.* 17. 12. Specimen exhibebat ceu lenis imbris quotidiani. E rore depluente ſuper vellus vas integrum implevit Gedeon *Judic.* 6. 38. & Sponſus Cantic. 5. 2. madere ſuperinſulo rore cincinnos ſuos affirmat. Benedictionem apprecans filio ſuo Jacob Iſaacus *Gen.* 27. 28. rogat deplucre è Cœlo rorem, quo ejus agri pingueſcant. In ferventibus illis regionibus imbrium caritatem ſupplent abundantiores roris irrigationes. Sapiens Prov. 3. 20. *Nubes rore concreſcunt*; ſeu potiùs juxta Hebræum, nubes producunt vel diſtillant rorem. Et Prov. 19. 12. *Sicut ros ſuper herbam, ita hilaritas ejus* (Principis).

De pluvia agit Iſaias 18. 4. tanquam de rore; pluviæ etenim largitatem æmulabatur ros: *Sicut nubes roris in die meſſis*. Et cap. 26. 19. rorem illum, quem Deus pluit ſuper chara ſibi capita appellat *ros lucis ros tuus*, revocat enim deficientes ad vitam, illuminat, & libertati captivos reſtituit. Ita agit de captivitate Babylonica, tamquam de ſtatu quodam mortuorum, comparatque captivum populum ſuum languеſcentibus in prato herbis, quas novo vigori reſtituit decidens ros. Ita pariter Deus viſitans populum ſuum deficientes reſtituet ad vitam, & ad lumen. Reddunt alii Hebræum: *Ros tuus ros herbarum*, loco ros lucis vel auroræ. Viſitatio Dei rori comparata non ſemel recurrit in S. Scriptura. Vide Oſee 6. 4. & 13. 3. & 14. 6 Micheæ 5. 7.

ROTA. Sæpè recurrunt in Scriptura rotæ militarium curruum, rotæ plauſtrorum ad trituram, ac tandem in Ezechiele 1. 15. &c. & Dan 7. 9. habes rotas currus Dei, quarum ſanè magnitudo, decor, & nitor erat ſummus, ut ex magnifica Prophetarum deſcriptione intelligimus. Addit Ezechiel: *Spiritus vitæ erat in rotis*; affirmatque oculis diſſeminatas fuiſſe, vel potiùs gemmis tanquam oculis micantibus; ac tandem: *Et opus earum*, inquit, *quaſi rota in medio rotæ*; ſive ſcilicet ampliores rotæ minores alias continerent, velut orbita major minorem complectitur, ſive omnes æquali erant magnitudine, ſed rectis angulis ſeſe interſecabant, ut in omnem partem verſatilem unicam rotam exhiberent. Vide in Dictionario V. *Cherubim*.

Vita præceps, ac ſubito verſa impiorum exhibetur in Scriptura ſub idea rotæ impetu girantis: *Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti*: Et 1. Reg. 25. 29. *Inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi impetu & circulo fundæ*. Deſcribens Pſalmiſta Pſalm. 76. 17. caſum Pharaonis ejuſque copiarum in tranſfretatione Maris rubri: *ſagittæ tuæ*, ait, *tranſeunt*, (fulgura) *vox tonitrui tui in rota*.

Ænigmate quodam deſcribens Eccleſ. 12. 6. quæ ſenectus cauſat incommoda: *Confringetur*, ait, *rota ſuper ciſternam*; quod commodè exponi poteſt de naturali ductu urinæ & organo generationis, quod tunc faſciſcit. S. Jacobus 3. 6. linguam ſuggillans, ait: *Inflammat rotam nativitatis* (vitæ) *noſtræ*. Commodè profectò vitæ noſtræ maximè inconſtantis vices per rotam

(a) D. Herbelot Bibliot. Orient. p. 80. (b) 4. Reg. 15. 25. (c) D. Herbelot. Bibliot. Orient. p. 722.
(d) Idem p. 795.

totam exhibentur. Porrò vicibus illis multùm confert lingua, unde peccata plurima, ac mala.

ROXANE, filia Herodis Magni ex Phædra, octava illius uxore. Uni ea duobus filiis Pheroræ nupſit.

RUBEN, filius Jacobi ex Liah natus A. M. 2246. ante Ch. 1754 ante Ær. 1758. *Gen.* 29. 32. Cùm fortè puer in agro ambulans, fructus quoſdam inveniſſet, Hebraicè *Dudaim*, quod vulgò de *mandragoris* explicant, ad matrem detulit. *Gen* 30. 14. Eorum cupiditate illecta Rachel eorum partem à Liah requiſivit, pactaque permiſſionem concubitus cum viro obtinuit. Ex eo congreſſu Liah filium Iſſachar concepit. Succedente tempore, reducto jam è Chanaanitide Jacobo, Ruben patris thorum, cum Bala ejus concubina congreſſus, violavit. *Gen.* 35. 22. ex quo primogeniti jure cæterùm ſibi debito privatus eſt.

Cùm fratres occidendi Joſephum conſilium apud ſe conſtituiſſent, puerum de manibus illorum ſubducendi rationem omnem Ruben (a) inivit. Propoſuit igitur, ut in veterem ſiccamque ciſternam illum demitterent, data occaſione illum ad patrem deducturus. Ejus conſiliis acquieſcentes fratres, puerum veſtibus exutum in ciſternam demiſerunt. Sed paulò poſt, abſente Ruben, eductum, Iſmaelitis illac fortè tranſeuntibus vendiderunt. Ruben ejus rei ignarus, ad ciſternam venit, atque vacuam nactus, dilaceratis dolore veſtibus, nuncius ad fratres venit; à quibus initæ negotiationis certior factus eſt.

Jacob ad mortem decumbens, *Gen.* 49. 3. 4. *A. M.* 2315. *ante Ch.* 1685. *ante Ær.* 1689. crimen Rubeni cum Bala gravioribus verbis exaggerans ait: *Rubeu primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio. Effuſus es ſicut aqua: non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Moyſes ante obitum his Rubenum compellavit. *Vivat Ruben, & non moriatur, & ſit parvus in numero.* Nec ſanè Tribus Ruben uſpiam ſivè hominum numero, ſivè rebus geſtis floruit. Ejus ditio in regione meridionali transjordanica ſita erat, inter torrentem Arnon ad meridiem & Jazer ad ſeptemtrionem, montes Galaad ad orientem, & Jordanem ad occidentem. Quò potiſſimùm tempore Ruben obierit, incertum.

In Libro apocrypho, inſcripto: *Teſtamentum duodecim Patriarcharum*, legimus, Rubenum 30. annorum ætate juvenem, Balam Rachelis ancillam, concubinam Jacobi patris ſui, fortè nudam in balneo offendentem vehementer deperiiſſe. Capta igitur occaſione, cùm Jacob ad inviſendum Iſaacum patrem ſuum iviſſet, & fratres in Gader juxta Euphratem, ſive Bethleem ſubſiſterent, ea in ebrietate, atque indecoro corporis habitu dormiente turpiſſimè abuſum. Jacob de tota ea re Angeli revelatione certior factus eſt; & Deus inceſtuoſum juvenem ſeptem menſium ægritudine puniit; acerba adeò, ut niſi Jacob precibus obſtitiſſet, ad lethum fuiſſet reducendus. Hinc Ruben reſipiſcens, crimen ſuum adeò deteſtatus eſt, ut illi expiando, ab omni panis, carnis, vinique uſu ſeptennio ſe abſtinuerit. Sed hæc apocrypha ſunt, ad conciliandam authoritatem Libro Enoch, cæteriſque Judaicis traditionibus ſuppoſita.

(RUBUS ARDENS, è quo Deus ſpectandum ſe obtulit Moyſi ad radices Horeb. (*Exod.* 3. 2.). Paſcebat ille gregem ſoceri ſui Jethro, cùm in flammas abire Rubum quendam conſpexit, illæſis tamen ab igne omnibus; ſtatuitque propiùs ad ſpectandum prodigium accedere; ſed moventi è loco clamavit è medio rubi Deus: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Nuditas iſta pedum ſacer eſt ritus adoptatus imitatione à pluribus per orbem gentibus, in ſignificationem religionis erga ſanctitatem Templorum. Obtinet hodie pariter apud Ægyptios, Mahometanos Indos, Æthiopes, ut ad deſtinata precandi loca nudipedes accedant. Mandat Deus Sacerdotibus Hebræorum, ut accedentes ad Altare, ſeu limen Sanctuarii attingentes, lavent manus & pedes. (*Exod.* 30. 19.) Quin & perſuaſum habent Rabbini vulgò Iſraelitas detractis ſoleis acceſſiſſe ad Templum (b); quod pariter inſinuare videtur Juvenalis Satyr 6.

Exercent ubi feſta mero pede Sabbatha Reges.

An verò ſatis comperta tradiderint Authores illi, ambigo; nihil enim ſimile in Lege præſcriptum occurrit.

Quod attinet ad illum, qui è rubo ſpectandum ſe præbuit, non ſemel in Scriptura Dei nomine deſignatur (*Exod.* 3. 2. 6. 13. 14 &c.); idemque ſe Deum eſſe, Deum qui eſt, Deum Abraam, Iſaac, & Jacob, Deum, qui educturus eſſet è ſervitute Ægyptiaca populum, manifeſtat; & Moyſes benedictionem Joſeph impartiens apprecatur (*Deut.* 23. 16.): Benedictio *illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Joſeph.* Sed in Textibus Exodi jam laudatis quo loco habet Vulgata: *Apparuit Dominus*; legunt Hebræus ac Septuaginta: *Apparuit ei Angelus Domini*; quod pariter ſervat S. Stephanus *in Actis* 7. 3. & Apoſtolus *ad Galat.* 3. 19. affirmat Legem ab Angelis rogatam fuiſſe. Idem docet S. Hieronymus *in Galat.* 3. S. Auguſtinus *de Trinit. lib.* 3. *cap.* 11. & S. Gregorius Magnus *Moral. lib.* 28 *cap.* 1. cujus ſunt verba: *Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exteriùs miniſtrabant, & appellatione Domini oſtenditur, qui eis intus præerat.* Fateamur tamen oportet Veterum pleriſque (c) eam inſediſſe ſententiam, filium ſcilicet Dei apparuiſſe in rubo, quo in ſententiarum diſſidio definit S. Auguſtinus (*ſer.* 7. *de Scriptur. Vet. & Nov Teſtam.*:) *Duæ ſunt ſententiæ, quarum qualibet vera ſit, ambæ ſecundùm fidem ſunt.*

Tenent Mahometani in Arca fœderis repoſitum fuiſſe unum ex calceis, quos ea occaſione detraxit ſibi Moyſes, ut prodigii memoria perennaretur.)

RUFUS, filius Simonis Cyrenæi illius, qui crucem ad Calvarium ferentem Dominum adjuvit. *Marc.* 15. 21. Porrò hic Rufus celebris apud primos Chriſtianos fuiſſe videtur, cùm patrem de nomine filii Evangeliſta deſignet: *Simonem Cyrenæum, patrem Alexandri & Rufi.* An alius a Rufo, quem Apoſtolus *Rom.* 16. 15. unà cum matre ipſius ſalutatum voluit? S. Polycarpus Philippenſes exemplo S. Ignatii, & S. Rufi ad patientiam hortatur (d). Feſtum S. Rufi Martyris, filii, uti quidem inſinuant, Simonis Cyrenæi inter veteres Diſcipulos, qui primas inter Judæos, & Paganos Eccleſias conſtituerint, ad 18. Decembris Uſuardus, Ado, & vetera Martyrologia conſignant. In Chronico L. Dextri, quod impoſtoris opus eſt, mentio occurrit S. Rufi Epiſcopi Tortoſæ in Catalaunia, cujus memoria die 11. ſeu potiùs, juxta Ferrarium, 14 Novembris colitur; & S. Alexandri fratris ipſius, Martyris Carthagine nova, cujus Feſtum die 22 Martii celebratur.

II. RUFUS, de quo Apoſtolus *Rom.* 16. 13. An idem cum S. Rufo filio Simonis Cyrenæi? Ejus Feſtum in veteribus Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, Adonis, & Romano die 21. Novembris. Pſeudo-Dorotheo eſt Epiſcopus Thebarum. Quid de illo Hiſpani credant diximus in articulo ſuperiori.

III. RUFUS (Annius), qui Judæam poſt Ambivium, & ante Valerium Gratum ab an. Chr. 16. Ær. 13. uſque ad annum Ær. 15. ſivè 16. adminiſtravit.

IV. RUFUS (*Terentius*), ſivè ut Judæi, *Turnus Rufus*, in direpta, everſaque urbe cum decima legione

(a) Gen. 37. 20. &c. A. M. 2276. ante Chr. 1724. ante Ær. 1728.
(b) Rab. Salom. in Levit. 19. 10. Maimonid. in Miſn. de Benedict.
(c) Tertull. contra Judæos, Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Iren. l. 4. c. 26. Baſil. l. 2. &c. c. 4. contra Eunom. Hilar. l. 4. & 5. de Trinit. Theodor. qu. 5. in Exod.
(d) Epiſt. ad Philip. ſcript. an. 107.

Digitized by Google

gione à Tito relictus, (a). In deſerto, & vacuo ſolo Rufus aratrum egit, juxta Hebræorum traditionem. Simonem Gioram Ducem Hebræorum è cloacis Templi prodeuntem ad Titum miſit.

RUMA, vicus Galilææ apud Joſephum *de Bello l.* 3. *c.* 6. 9 Ejuſdem nominis locus etiam in Libris Regum deſignatur. 4. *Reg.* 23. 36. ſed Joſephus *Abumum* legit.

RUNCINA, vox ſonans *dolabrum* (b). Hermolaus Barbarus, & Calepinus malè ferram aſſamentis ſecandis. Eadem vox in Vulgata occurrit: *Artifex lignarius extendit normam, & formavit ſignum in runcina.* *Iſa.* 44. 13. Hebræum *Sared* potiùs ſonat filum, quod fabri lignarii rubro nigrove colore, inficiunt, ut lineas in ligno ad normam ſciſſionis deducant. Septuaginta habent *paragraphis*, quod Martini judicio, eſt norma, qua deducendis in charta lineis pueri utuntur. Senſus igitur Prophetæ eſt, artificem lignarium rude lignum in aſſerem primùm redactum, certis lineis ad ſciſſionem notare.

RUTH, fœmina Moabitis, quam Chelion filius Elimelechi ex Noemi in Moabitidem ſecedens, duxerat. Accidit interea, ut Noemi viro, & utroque filio jam orbata regreſſum in Bethleem patriam ſuam pararet. Ambæ nurus abeuntem ſequuturæ, præſto ſeſe exhibuerunt; ſed ſocru tenuitatem ſuam excuſante, Orpha altera ex illis in Moabitide manſit; Ruth migranti adhæſit. *Ruth.* 1. Hæc exeunte Judicum ætate (ſub judice Heli Joſephus *Antiq. l.* 5. *c.* 11. autumavit), contigiſſe conſtat. Tradunt Rabbini, Booz, qui deinde Rutham duxit, ipſiſſimum fuiſſe Abeſan Judicem Iſraelis, qui ſeptennio inter Jephte, & Ahialonem rerum potitus eſt, circa A. M. 2823. Magnum Chronicon Hebræorum hanc hiſtoriam ſub Aod, & quo tempore Iſraelitæ Egloni Regi Moab ſervierunt, conſignat. Alii malunt ſub Barach & Debora (c); alii ſub Gedeone; alii ſub Abimelecho. Sub Samgar, 20. annis poſt obitum Joſue, Uſſerius, & nos cum illo.

Ut igitur Noemi in patriam venit, Ruth nurum ſuam ad carpendas in agro ſpicas mittebat, ut vitam utcumque ambæ tolerarent. Accidit interea, ut mulier ad agrum viri divitis Bethleemitæ veniſſet, nomine Booz, qui Elimelechum ſocerum mulieris cognatione ſpectabat: ille autem, colligendis meſſibus fortè præſens, fœminam reſpiciens, primò quod ſocrui fidelis adhæſiſſet, laudavit; deinde pro libito ad capiendum cum meſſoribus cibum ventitare juſſit. Innuit quin etiam meſſoribus, ut data opera ſpicas negligerent à fœmina colligendas. Illa domum ſub veſperas reducta, humanitatem viri locupletis Noemi narravit; ſignificans inſuper, ſe ab illo invitatam, ut ad colligendas ſpicas non aliò diverteret. His auditis, Noemi in laudes effuſa eſt, qui eam humanitatem viro indidiſſet; nurui verò aperuit, hunc Booz cognatione ipſam ſpectare.

Inclinante meſſis tempore, Noemi commodioria fortunæ illi parandæ conſilio, nurum hortata eſt, ut noctu tacita ad pedes Booz, à quo eadem nocte aream hordei ventilandam norat, accumberet: dicto autem ejuſdem viri paratam ſe exhiberet. Paruit illico Ruth; notato enim loco, quò Booz decubiturus venerat, fortaſſe ſub arbore agri, tacita ad ejus pedes accubuit. Experrectus ergo Booz primò ſubito aſpectu terrore aliquo concuſſus eſt; ſed audita voce Ruthæ, quæ ut pallium extenderet in fœminam ſibi affinitate devinctiſſimam rogabat, confirmatus reſpondit, ſe quidem cognatione ad illam ſpectare; eſſe autem virum, qui arctiori cognationis vinculo nuptiarum jus ab illa exigere potuiſſet. Adjecit autem, ſe præſto eſſe connubio cum illa celebrando, ſi alter ſuo jure ceſſiſſet. Sub lucem autem ſurgens, pallium Ruthæ frumento oneravit; quam deinde non ſanè vacuam ad ſocrum remiſit.

Inde Booz præ foribus urbis ſe ſiſtens, atque Senioribus urbis convocatis, virum illum, ad quem cognationis jure nuptiæ cum Rutha ſpectabant, palam requiſivit, an vellet fœminam ducere. Illo renuente, ac ſe juri ſuo cedere palam profitente, Booz fœminam ſe ſibi vindicaturum profeſſus eſt. Ita nuptiæ celebratæ fuere, ex quibus Obed pater Iſai, & avus Davidis procreatus eſt.

Liber Ruth, ex quo hiſtoriam deſumpſimus, medius ſitus eſt in noſtris Bibliis inter Librum Judicum, & primum Regum, veluti qui cum præcedente continuetur, atque ſubſequentis exordium habeatur. Tradit S. Hieronymus *Prolog. Galeat.* idcircò apud Judæos Libro Judicum adjectum fuiſſe, quod hiſtoriam, quæ ſub Judicibus contigit, exhibeat *Judic.* 1. 1. *In diebus unius Judicis, quando Judices præerant*: quare apud veteres Patres complures ambo hi Libri in unum coaleſcunt. Recentiores tamen Judæi in ſuis Libris poſt Pentateuchum, quinque *Megilloth*, nempe Cantica, Ruth, Lamentationes Jeremiæ, Eccleſiaſticum, & Eſther ſubjungunt; interdum tamen Eſther inter eos Libros primus, interdum ſecundus, & aliquando quintus exhibetur. Scriptoris hujus libri conſilium eſt, Davidis genealogiam indicare: quare idem facilè author, qui primum Librum Regum dictavit, cùm genealogiam ejus Regis in ſuo opere inſciens, nimis longè ab incepto divertere cogeretur, ideò alteram hiſtoriam ſeorſim edendam aſſumpſit. Ipſe autem ſcripti Operis author ſub Judicibus hiſtoriam contigiſſe in Libri fronte notavit; ex quo ſanè intelligimus, ejuſdem authoris tempore Judices deſiiſſe. Quin & in calce Libri aliqua Davidis fit mentio; ex quo ſanè Scriptorem nonniſi ſub Davide opus adornaſſe cognoſcimus. Alibi etiam animadvertit, phraſes nonnullas in eo Libro occurrere, quarum geminæ nonniſi in Libris Regum deprehenduntur (d), uti: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi &c.*; & *Ego revelavi aurem*, nempè *ego dixi* (e). Canonicum eſſe Scriptum ambigit nemo. De ejus epocha inter Scriptores non convenit. Ruth Moabitis in genealogia Domini inſerta eſt. *Matth.* 1. 5.

RUTHA, olus notiſſimum. *Jeſus Chriſtus* Phariſæis exprobrat, decimas ab illis amenthæ, ruthæ, cæterorumque olerum ſolvi; quæ quidem cùm in hortis, non in agro, alerentur, à jure decimationis eximenda fuiſſent. Nec tamen illis religioſam hanc curam, optimam quidem, vitio vertere voluit: hoc enim in Phariſæis Deum offendebat, illos nimirum minutioribus quibuſdam ſtuduiſſe, cùm interim majora negligerent; quare ait; *Hæc facere oportuit, & illa non omittere.*

Planta quædam ruthæ magnitudine inſignis in arce Macheruntis in transjordanica ſpectabatur, quam, ait Joſephus *de bell. l.* 7 *c.* 25 *in Græco*, proceritate, & amplitudine nulla ficus æquabat. Ab Herodis Magni ætate herbam illam viguiſſe ferunt, nempè, ut minimùm, 73. annis ante belli Judaici exitum, cùm primùm exaruit.

RYDDA, urbs, quam Judæi Alexandro Jannæo Rege, pulſis Arabibus, ſibi vendicarunt. *Ioſeph. Antiq. l.* 14. *c.* 2.

SAAB,

(a) De Bell. l. 7. c. 1. A. Ch. 73. Ær. 70.

(b) Plin. l. 16. c. 42. *Pampinato ſemper orbe ſe volvens, ad incitatos Runcinatorum ruptus.* Arnob. l. 6. contra Gent. *ſimulacra runcinarum lævigata de planis.*

(c) Toſt. Lyran. Torniell. Genebr. &c.

(d) Ruth. 1. 17. Confer. 1. Reg. 3. 16. & 14. 43. & 20. 12. & 2. Reg. 3. 9. & 19. 13. & 3. Reg. 2. 23. & 19. 2. & 20. 10. & 4. Reg. 6. 21.

(e) Ruth. 4. 4. Confer. 1. Reg. 20. 2. & 2. Reg. 7. 27.

S A

SAAB, Locus Galilææ, patria Eleaaari filii Samæi. *Joſeph. de Bell. l.* 5. *c.* 9.

SAAL, filius Banni, qui ductam contra Legis præſcriptum alienigenam fœminam dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 29.

SAANANIM, urbs Nephtali (a).

SAARIM, urbs Tribus Simeonis. 1. *Par.* 4. 31. facilè eadem eum *Saraim*, è Tribu Juda. *Joſue* 15. 36.; plures enim Judæ urbes ſubindè Simeoni ceſſerunt.

SAARA, vicus in ditione Eleutheropolis; 10. m. paſſibus ab illa, Nicopolim verſùs. *Euſeb. & Hier.*

I. SABA, *filius Chus*. *Gen.* 10. 7. quem Sabam Inſulam, ſub Meroes nomine celebrem, frequentaſſe Joſephus *Antiq. l.* 2. *c.* 5. collatus cum *l.* 1. *c.* 7. S. Hieronymus, & Bochartus, aliique plures Arabiæ Felicis partem miſſunt.

II. SABA, *filius Rhegma. Gen.* 10. 7. Hebr. Schaba, quem in Arabia Felici verſatum eredunt, ubi Rhegma pater ipſius ſedem conſtituerat.

III. SABA, *filius Jectan. Gen.* 10. 26. quem Bochartus in Arabia Felici; nos verò in Perſia & in Armenia collocandum malumus. Ibi enim ejus nominis veſtigia ſupeſſunt, ac Jectan patrem ipſius, necnon & fratres finitimas illarum regionum Provincias habuiſſe conſtat.

IV. SABA, *filius Iecſan. Gen.* 25. 3. pater facilè gentium Arabiæ Deſertæ, ſivè finitimarum regionum. Ejus viri poſteros greges Iobi diripuiſſe eum Bocharto credimus. *Iob.* 1. 15.

REGINA SABA. 3. *Reg.* 10. 1. *&c. &* 1. *Par.* 9. 1. in Evangelio *Regina Auſtri*. *Matth.* 12. 42. *Mar.* 11. 31. juxta aliquos in Arabia (b); juxta alios verò in Æthiopia (c) regnabat. Porrò quam poſtea Meroem ex nomine ſororis Cambyſis, antea Sabam appellatam, undè Regina Saba, de qua in præſentiarum, Joſephus teſtatur. Aethiopes adhuc eam ſibi Reginam vindicant, ejuſque poſteros diutiùs apud ſe Regnum habuiſſe, expanſa etiam illorum ſerie, indicatiſque nominibus contendunt. Vide Ludolfum & Hieron. Alemid. Hiſt. Aethiop. Eunuchus Reginæ Candacis à S. Philippo baptiſmo initiatus, *Act.* 8. 27. ad fœminam principem illius regionis pertinebat. Nec ſanè fœminas apud Æthiopes regnare Antiquitati ignotum eſt (d). Inſula Meroe interdum Æthiopiæ adſcribitur; necnon, quemadmodum & Ægyptus univerſa, ad meridiem Palæſtinæ conſtituta eſt.

Qui ex Arabia Reginam illam accerſunt, has potiſſimùm rationes urgent. 1. Sabæi, Chulchim, ſive Æthiopes in Arabia ſanè hoſpites de omnium conſenſu non erant: potuit igitur Regina Saba iſtis populis in Arabia imperaſſe. 2. Ea regio Judææ meridionalis eſt. 3. Ex Arabia Felici veniens, de *extremo terra* veniſſe jure meritoque diceretur; quod in Evangelio de Regina Saba aſſeritur, veniſſe ſcilicet ab extremis finibus terræ ad Salomonem (e) auſcultandum; cùm regio illa ad meridiem Oceano, ultra quem nihil eſſe olim creditum, terminaretur: *Terra finesque*, ait Tacitus *l.* 5. *Hiſt. qua ad orientem vergunt, Arabia terminantur.* 4. Auro, argento, aromatibus, gemmis, quæ ſanè munera ad Salomonem à Regina allata, & in Inſula Meroe non ſuppetunt, aegio dives eſt. 5. Imperaſſe Sabæis Arabiæ Felicia fœminas, plures in Claudiani verſibus legiſſe ſibi viſi ſunt (f),

... Medis levibuſque Sabeis
Imperat hic ſexus; Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Et ſi quæ fides vulgi traditionibus, Reginam *Balkim* in urbe Sabæ, alio nomine Marib, ſive Mareb in Yemen regnantem ad Salomonem veniſſe apud Arabes vulgatum eſt. Vide quæ diximus v. *Candaule*, hoc enim nomine Regina illa apud Joſephum, alioſque appellatur.

(SABACON Rex Ægypti. Refert Herodotus *lib.* 2. Sabacum vel Sabacon Regem Aethiopiæ ſuperfudiſſe ſe Ægypto; Anyſim verò rerum tunc ibi potientem perfugiſſe in loca paludoſa, tota permiſſa Regione hoſti, qui regnavit ibi 50. annis. Illud habebat ſanctum ut neminem morti damnaret, ſed addicebat ſontes ad aggeres quoſdam è terra eruendos, muniendæ contra inundantes Nili aquas regioni. Reſtituit ſe tandem Æthiopiæ, poſtquam per ſomnum injunctum ſibi id mandati accepit, ut neci traderet, ſecaretque medios Sacerdotes omnes Aegypti. Id nunquam à ſe valuit imperare, maluitque regionem potiùs dimittere, ad id conſilii maximè impelliente quòd annorum ejus Regni in Ægypto numerus ab Oraculo definitus, jam effluxiſſet. Eo periculo liberatus Anyſis Regnum ſuum recepit. Succeſſorem habuit Sethonem qui Sennacheribo vivebat. Vide v. *Sennacherib*.

Narrant quidam (g) Sabaconem poſt invaſam Aegyptum apprehendiſſe pariter Regem Bocchorim, vivum ibi dantem, quo pyræ tradito Regnum uſurpaſſet. Veri ſpeciem habet plurimam Sabaconem hunc ipſiſſimum eſſe *Suam* Scripturæ 4. *Reg.* 17. 4. Cùm alieni Regni invaſor ille brevi potentiſſimus evaſiſſet, Oſee Rex Iſrael fœdere illum ſibi oſtringendum cenſuit, ratus ejus ope impetraturus, ut jugum Aſſyriorum excuteret 4. *Reg.* 18. 9. Hac ſpe illectus negavit tributa pendere Aſſyriis. Redigendo in ordinem perduelli Salmanaſar movit in illum, totamque latè regionem vaſtavit, ac Oſee in Samaria ſtrinxit obſidione. Quare ille poſt triennalem obſidionem deditionem facere coactus eſt, A. M. 3283. ante Chr. 717. ante Aeram 721.)

SABACTANI. Jeſus Chriſtus è cruce exclamavit: *Eli, Eli, lama ſabactani:* Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Ex corrupto Hebræo verbo *aſabtani*, ſivè *azabta-ni*, ſcilicet, ut dereliquiſti me, derivatur (h).

(SABÆI populi Arabiæ è poſteris *Saba*. Sed cùm plures cognomines viri authores populorum vel Tribuum noti ſint; ita pariter & plures Sabeæ gentes diſtinguendæ. Qui gregem Job involarunt *Job* 1. 15. Arabes erant facilè deſertæ Arabiæ incolæ, tenentes loca circa Boara, vel fortè manus erat Sabæorum huc illucque palantium, Egimus alibi de Saba filio *Jecſan*, qui non immeritò cenſeretur pater Sabæorum, de quibus modò.

SABÆI poſteri Sabæ filii Chus *Geneſ.* 10 7. ſunt facilè incolæ Arabiæ felicis, thure ſuo notiſſimi, quos Poetæ deſignant epitheto facilè mobilium ac levium, parebantque fœminis Principibus: *Medis levibuſque Sabæis imperat hic ſexus*. Claudian. in Eutrop. l. 2. Indè moviſſe Reginam Sabam ad auſcultandam ſapientiam Salomonis ſeſe conferentem, tenent plures; nec alios deſignatos credunt illo Pſ. 71. 10. *Reges Arabum & Saba dona Domino Deo adducent*; tum & altero Jeremiæ 6. 20. *Ut quid mihi thus de Saba affertis?* ac tandem alio Iſaiæ 60. 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes.*

SABÆI filii Saba filii Rhegma tenebant facilè loca in Arabia felici. Illos credo deſignari ab Ezechiele 27. 22. deſcribente mercatores ad nundinas Tyrias confluentes: *Venditores Saba & Regma, ipſi negotiatores tui*; tum pariter à Joele 3. 8. *Venundabunt eos* (nempè filii Juda filios veſtros) *Sabæis genti longinquæ.*

(a) Joſue 19. 33. Vide Mich. 1. 11. in Hebr. (b) Raban. Hugo, Dionyſ. Toſt. Janſen. Maldon. Cornel. alii.
(c) Hieron. in Iſa. 60. Theodoret. & Procop. 3. Reg. Vatabl. Sanct. &c. (d) Strab. l. 16. c. 17. Plin. l. 6. c. 26.
(e) Matth. 12. 42. Venit A. M. 3012. ante Cr. 988. anter. Ær. 992. (f) Claudian. in Eutrop. l. 2. v. 321.
(g) Vide African. in Syncello & 74. Euſeb. Chronic. (h) Ex Pſal. 21. 2.

SABÆI poſteri Jectan facilè eſpreſſi ſunt illo Ezechielis 27. 23. *Saba Aſſur, & Chemad venditor tui*. Locamus illos trans Euphratem; quare hic junguntur Aſſur & Chemad,

Sunt etiam *Sabæi* in Africa, in Inſula Meroe, unde Reginam Saba acceſſit Joſephus *Antiqu. l. 2. c. 5.* affirmans regionem illam antequam Meroe, Sabam appellaram fuiſſe.

SABÆI vel Sabii ſeu Zabii, nomen eſt inditum priſcis illis cultoribus ignis in Perſide, de quibus nos V. *Zabii*. Videſis hunc titulum in Dictionario Biblico.)

SABAIM *Iſa.* 45. 14. *Sabaim viri ſublimes*. Facilè Sabæi ſunt, ſivè Arabiæ Felicis, ſivè Aſiatici: A Cyro ſubmiſſi, ejus imperio acceſſerunt.

SABAITÆ, ſivè *Sabii*. Vide *Zabii*.

SABAMA, ſivè *Sebama*, *Sibma*, urbs Rubenitica. *Num.* 32. 38. *Joſue* 13. 19. Vineas Sebamæ ab hoſtibus Moabitarum vaſtatas ſignificat Iſaias 16. 8. Porrò urbem Sebamam, cæteraſque Rubeniticas Moabitæ poſt deductas in captivitatem à Teglathphalaſare decem Tribus, 1. *Par.* 5. 26. occupaverant *Jerem.* 48. 32. Heſebonem & Sebamam via 500. paſſibus inter ſe diſtare S. Hieronymus eſt author in Iſai. 16.

SABAN, urbs Tribus Ruben *Num.* 32. 3. eadem facilè ac *Sebama*.

SABANA, vir inter primores Judæorum 2. *Eſdr.* 9. 4.

SABAOTH, ſive potius *Zabaoth*, Hebræa vox, ſonans exercitus; quare *Iehova Sabaoth*, eſt Deus exercituum, ſivè Cœleſtium, Angelorum ſcilicet 3. *Reg.* 22. 19. ſivè aſtrorum; quæ veluti acies ſub armis ad nutum Dei ſtans exhibentur; ſivè tandem exercitus Domini habendus eſt populus Dei ſub utroque Teſtamento Duce Deo militans. Vox Hebræa *zaba* quandoque ad explicandum munus Miniſtrorum in Templo adhibetur. *Num.* 4. 3. quippè qui veluti milites in obſequio Domini maneant. Mulierum etiam præ foribus Templi nocturnas excubias agentium munus eodem deſignatur *Exod.* 38. 8.

I. SABARIM, locus in vicinia Hai, & Bethel. Cives Hai eruptione in Iſraelitas facta, cedentes illos ab urbis mœnibus Sabarim uſque inſequuti ſunt *Joſue* 7. 5. Sunt qui nomen illud appellativo ſenſu uſurpantes (a), reddant: fugientibus quouſque univerſos diſperderent, graves inſtiterunt.

II. SABARIM, limes ſeptentrionalis terræ Promiſſionis; quam quidem urbem Ezechiel 47. 16. inter fines Emath & Damaſci conſtituit. Vicus *Houvarin* apud Iſmaelem Abulfedam, ſitus in regione *Ems*, ſive Emath ad orientem, & meridiem ejuſdem urbis, idem facilè eſt cum Sabarim.

SABATHA, tertius filius Chus *Gen.* 10. 7. qui eam regionem Arabiæ Felicis frequentavit, in qua urbs *Sabta*, & populi *Sabthæi*.

SABATHACA, quintus filius Chus, pater, uti quidem creditur, populorum in Arabia, ſive in Aſſyria, Armenia, vel Caramania, in quibus omnibus regionibus veſtigia ejuſdem nominis ſuperſunt.

SABBATHA. Singula Judæorum Feſta uno Sabbathi nomine interdum ſignificabantur: hinc illud: *Sabbatha mea cuſtodite*, *Lev.* 19. 30. nempe, Feſta mea, uti Paſcharis, &c. Interdum etiam ſinguli hebdomadæ dies Sabbathi nomine deſignantur, juxta illud *Luc.* 18. 2. *Jejuno bis in Sabbatho. Una Sabbathi*, eſt prima hebdomadæ dies,

SABBATHUM, vox Hebræa, requiem ſonans. Cùm Deus ſex dierum opificio Mundum abſolviſſet, ſeptima requievit, nempè novis operibus creandis ceſſavit, *Geneſ.* 2. 2. Quare diem illam ſua benedictione conſecratam ſibi deſtinavit. Injunctum proinde Hebræis, ut in memoriam Creationis Sabbathi die abſtinentiam a ſervilibus, & intentiori legis auſcultandæ, atque orationis ſtudio Feſtam ducerent.

Sabbathi occaſione quæſtio agitatur, an ſcilicet Deus Mundum univerſum nutu ſimul totum ſtare juſſerit; vel ſex dierum ſpatio manum operi admoverit, adeò ut ſeptima die primùm ab opere ceſſaverit. Ea ſanè quæſtio utriuſque partis aſſertores habet doctiſſimos. Philo, Origenes, S. Auguſtinus, & recentiores aliqui (b) mundum una ſimul ſtetiſſe, ordinatum illum, & diſpoſitum autumant: quare Moyſis verba non ſex dierum, ſed ordinis, & rationis ſucceſſionem denotare defendunt; ut ſcilicet rudi populo major rerum creationis idea per partes, & certo quodam ordine diſtributa inderetur.

Sanior tamen Patrum & Interpretum pars continuatam per dies juxta Moyſis literam creationem ſuſtinent. Neque enim, ajunt, litera niſi per ſummam neceſſitatem deſerenda videtur. Quamquam repetita ad opus ſummi artificis applicatio, cautè quadam ratione explicanda ſit, ut cum ſumma ejus in agendo virtute conveniat; ſimulque cavendum, ne quid multiplicis, atque ſuperflui Deo in rebus faciendis tribuatur. Quæ quidem optimè cum ſucceſſiva rerum creatione cohærere poſſunt; Deus enim eductam ex nihilo materiam, virtute ſua ſtare juſſit; ſapientia verò aptum rebus conſtituendis motum imprimens, id effecit, ut ejuſdem materiæ partibus, paulatim ſeſe explicantibus, atque in liberiori campo convolventibus, tandem cognatæ ſimul particulæ in unum coaleſcerent; ex quorum complexu, qualem modò videmus, univerſus coaluit. Porrò primogenitus iſte motus ſpiritu, & ſapientia Creatoris directus, ſex dierum ſpatio manſit; inde requies à rebus producendis facta: conſervandis tamen, atque dirigendis, numquam à Deo ceſſatum.

Quæ vero in rebus communi materiæ motu conſtitui difficilius potuiſſent, uti homo, plantæ, animalia, illis Deus formandis certo temporis ſpatio ſeſe applicavit, modò materiam diſponens, modò in certam formam dirigens, modò tandem ſpiritum imprimens, juxta præſtituta ab Æterno Sapientiæ ſuæ Conſilio. Qui enim animam ratione utentem hominibus conceſſit, ab illo etiam inſitum brutis in ſui conſervationem, & reproductionem ingenium, & ejuſdem opera diſtinctæ ſingulæ plantarum ſpecies, atque illis data ſemina, ut novo fœtu areſcentium damna repararent.

Altera de Sabbatho quæſtio inſtituta: an ſcilicet ab ipſo Mundi exordio Sabbathi religio Divina Lege conſtituta eſſet, ac proinde apud primos mortales, & Patriarchas obtineret: quem ſenſum verba illa præſeferunt, *Gen.* 2. 2. *Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*. Nonnulli inter PP. atque Judæos Doctores, dicatum ab ipſo Mundi exordio Sabbathum contendunt (c). Menaſſe Ben-Iſrael de Creat. Probl. 8. ex veteri traditione aſſerit, Sabbathi religionem tamquam Legis naturalis appendicem Abrahamum poſteros docuiſſe. Non deſunt etiam, qui ſeptimæ diei obſequium etiam apud Paganos, manſiſſe, utpotè quod parem cum mundo antiquitatem præſeferat, autumaverint.

Philo de Opif. Mundi planè apertis verbis aſſeruit, Sabbathi Feſtum non peculiare tantum Judæis, ſed Mundo univerſo commune fuiſſe, quod proinde publicum Orbis Feſtum, quo Mundi natali dies celebraretur, appellari potuiſſet. Sabbathi religio, ait Joſephus contra App. l. 2. omnes latè urbes, quà Græcas, qua barbaras tenet. In quam rem teſtimonia Homeri & Heſiodi ad Ariſtobulo apud Euſebium Præpar.

(a) Septuag. Ἕως συνέτριψαν αὐτούς.

(b) Philo alleg. l. 1. & de Mund. Opif. Orig. l. 6. cont. Celſ. Aug. l. 4. de Gen. ad litt. c. 18. &c. de Civit. l. 11. c. 7. Confeſſ. l. 12. c. 29. Cajet. Canus.

(c) Vide ſi placet Clem. Alex. l. 5. Strom. Euſeb. Præpar. l. 13. c. 12. Vide Rabb. apud Selden. de jure nat. & Gent. l. 3. c. 13. &c.

Præpar. l. 13. c. 12. laudantur. Paria ex eodem Ariſtobulo, aliiſque Scriptoribus apud S. Clementem Alexandrinum Strom. l. 5. legas.

Inter eos, qui Sabbathum ſacrificio coluerint, Jobus laudatur (a), cum ſingulis ſeptem diebus ſacrificium Domino offerret. Laudatur & Joſephus, dum in Ægypto verſabatur, ſi Rabbinis fides. (b).

Contraria tamen ſententia non temerè prorſus apud alios aſſeritur. Vulgò enim Patres, & Interpretes conceſſam illam à Deo Sabbathi in ipſo Mundi exordio benedictionem, nihil aliud innuere autumarunt, quam diem illam jam inde deſtinatam eſſe, ut temporis ſucceſſu Feſta à Judæis haberetur. Neque ſanè uſpiam legimus, ſivè Patriarchas illos Sabbathum obſervaſſe, ſivè Deum quidquam de ea re ante Legem præſtituiſſe. Obliteratam jam certa die creationis Mundi apud Hebræos, ait Philo in Vita Moyſ. l. 1. prodigio tandem à Deo memoriam revocatam, cùm ſingulis hebdomadæ diebus, cœlitus manna dilabens, die Sabbathi ceſſabat. Septima dies apud Ethnicos Sacra Apollini habebatur, quem ſeptima die menſis ortum dictitabant, ſivè tandem ea religio ex Judæa ad Gentes derivata.

Sabbathum, cæteroſque feſtos dies datos à Deo Judæis Ezechiel 20. 12. 20. animadvertit, *ut eſſent in ſigna inter me* (nempè inter *Deum*) *&* *ipſos*; & alibi: *Sabbatha mea ſanctificate, ut ſint ſigna inter me, & vos*. Moyſes in Deuteronomio 5. 15. *Eduxit te inde ex Ægypto Dominus; idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbathi*. Vide *Exod.* 31. 13. S. Juſtinus Martyr, Tertullianus, Euſebius, S. Bernardus (c) nunquam à Patriarchis ſivè ante, ſive poſt diluvium, obſervatum Sabbathum, ne dubitant quidem. S. Irenæus hac de re ita: *Abraham ipſe ſine circumciſione, & ſine obſervatione Sabbathorum Deo credidit, & amicus Dei appellatus eſt* (d).

Sabbathi præceptum à Deo Hebræis datum eſt, cùm primum ad Maram veniſſent, menſe poſt egreſſum ab Aegypto, nempè a die 15. Abib, qui Martio reſpondet (e). Mannæ de Cœlo prodigium cœpit die Dominica, nempe ſex diebus ante Sabbathum, juxta Patres complures (f), die ante Sabbathum juxta alios nonnullos. Quæcumque tamen ea dies fuerit, occaſione ſanè, uti facilè credimus, ejuſdem mannæ Deus præceptum ſeptimæ diei dedit, cavens ne ea die ad manna colligendum quiſquam curreret, quippe quod ea die ceſſaret. Idem præceptum de Sabbathi quiete non ſemel in Lege innovatur, *Exod.* 20. 8. &c. *Levit.* 23. 3. *Deut.* 5. 12. *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſeptimo autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum, & advena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & terram & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificavit eum.*

Alibi etiam Deus Sabbathum ſe dedicaſſe ſignificat, ut eo veluti ſigno in memoriam acceptæ à Deo ſanctificationis populus revocaretur, *Exod.* 31. 13. 35. 2. In ejus verò violatores capitali ſupplicio animadverſurum edicit; quod quidem in homine die Sabbathi ligna colligente, ab omni populo lapidibus oppreſſo, obſervatum eſt *Num.* 15. 32. ... 35. Cæteris ſanè diebus Feſtis ignem excitare, cibos coquere licebat *Exod.* 12. 16. Sabbatho verò conceptis verbis inhibitum, *Exod.* 35. 2. 3. Ex Rabbinorum tamen doctrina, Lege illa tantùm opera quædam ſervilia, veluti panem, & carnes coquere, metalla liquare vetitum erat; quin & ad eas res vel ignem excitare neſas; ad fovenda verò calore membra, permiſſum. Ea die hebdomadarium munus Miniſtri in Templo inibant, eademque die recurrente, abſolvebatur: recentes panes propoſitionis menſæ aureæ impoſiti, veteribus ſubductis: *Lev* 24. 4. oblata certa duorum agnorum in holocauſtum ſacrificia, unà cum conſuetis vini, & farinæ libationibus. Tandem ait Lex, *à veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*: quæ verba non tam de Sabbatho, quàm de aliis Feſtivitatibus Legem conſtituunt. Hactenus de Sabbathi ritibus.

Modò quid potiſſimùm noſtra ætate Judæi obſervent, indicandum. Primum de Sabbathi religione præceptum in Lege præſcriptum eſt: *Ut diem Sabbathi ſanctifices*. *Num.* 28. 9. 10. Porrò ſanctificationem illam bonorum operum exercitio, orationibus, laudibus, & actionibus gratiarum, publico, & privato impenſo in Deum cultu, ſtudio Legis, juſtitia, innocentia, & corde pacato ſibi comparare ſtudent. Alterum præceptum eſt: *Non facies omne opus in eo*; *Lev.* 23. 32. quo ſane omnia intelliguntur non ingenui, & liberalis hominis opera, quæ non ſine labore, atque intenta in rebus gerendis mente exercentur; neque enim impenſum in Deum ſtudium cum humanarum rerum ſollicitudine conſtare potuiſſet. Hujus verò præcepti diſciplina variè variis quidem temporibus à Judæis ſervata eſt. Machabæorum ætate, ne permiſſum quidem ea die cenſebant hoſtibus arma inferentibus, ut in ſummis rerum anguſtiis, juſto bello reſiſtere 1. *Mach.* 2. 32. Inde jus defenſionis permiſſum (g); inferre verò arma, atque hoſtes opera urgentes impedire, quantum ex Joſepho *de Bell.* *l.* 1. *c.* 1. intelligimus, neſas habebatur; quare neque in hoſtili quidem regione caſtra ea die moveri patiebantur. *Antiq. l.* 13. *c.* 16.

Jeſu Chriſti ætate, & adaquare pecudes, & ſi qua fortè in foveam decidiſſet die Sabbathi, educere conceſſum erat; quamquam impia quadam religione morbos curari non paterentur. *Matth.* 12. 11. 12. Succeſſu temporis ſanxerunt, pecudi in foveam lapſo cibos exhibendos; cautum verò ne extraheretur. Judæi cum Jeſu Chriſto querebantur, ejus nempe Diſcipulos cogente fame, die Sabbathi inter medios agros flaveſcente jam meſſe pertranſeuntes, ſpicas quaſdam carpſiſſe, quarum granis manu excuſſis, utcumque victitaſſent. Quod à Jeſu Chriſto nonniſi neceſſitatis anguſtia excuſatum eſt, addens, Sacerdotes ipſos die Sabbathi munera quædam præſtare, quibus extra Templum diei religio violaretur. Adjecit inſuper, Filium hominis Dominum eſſe Sabbathi, neque homines pro die, ſed pro hominibus diem conſtitutum eſſe.

Inhibitiones primitivas, quas vocant, 39. numero in Sabbatho, ex quibus etiam alia plura deriventur, Rabbini recenſent. Quarum ſanè copia major eſt, quàm ut ſervari poſſit: hinc, addunt, prorogata diutius Iſraelitarum ſervitus; cujus jugo ſervata Sabbathi religione planè relevarentur (h). Vel pomum deglabrare, ſive coquere, pulicem, muſcam, vel quid ſimile inſectum, quod tantum ſit, ut ſaltem ſexus diſcerni poſſit, Sabbatho unguibus ſecare vetitum docent: nec permiſſum etiam muſica & inſtrumentis ita canere, ut puer à ſomno excitari poſſit. Hæc ſervantes Judæos Samaritani tamen tanquam irreligioſos traducunt (i); illis enim ignem excitare, matrimonio uti, è loco movere ſeſe, niſi tantùm, ut Domum Dei adeant, neſas; ſola vero ejus diei occupatio preces ſunt, actiones gratiarum, & lectio Legis.

Cc 2   Por-

(a) Abenezra apud Boulduc. in Job. l. 2. &c. (b) Becbai ad Bereſith. ſol. 37. (c) Juſtin. in Dialog. Tertull. cont. Jud. l. 4. c. 4. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 1. c. 4. Præpar. l. 7. c. 3. Demonſtr. l. 1. c. 6. in Pſal. 91. 1. S. Bern. in Cantic. ſerm. 50.
(d) Iren. adverſ. Hæreſ. l. 4. c. 30. Vide & Selden. de jure Nat. & Gent. l. 3. c. 13. &c. Spenc. de legibus Hebr. Ritual. l. 1. c. 4. ſect. 7. &c. & Noſtr. Comment. in Gen. 2. 3. (e) Exod. 16. 23. Ann. M. 2513. ante Chr. 1487. an. Ær. 1491.
(f) Orig. hom. 7. in Exod. Synod. Cæſar. apud Bed. Ambroſiaſt. in 1. Cor. 10. 5. Athan. Serm. 25. de temp. apud Aug.
(g) 1. Mach. 2. 41. Antiq. l. 12. c. 8. & l. 13. c. 1. (h) Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 11. (i) Epiſt. Samarit. ad Huntington.

Porrò præ cæteris à Deo indictis Solemnitatibus, Sabbathi religionis Judæi ſtudioſiores ſunt; illud enim tanquam peculiare feſtum à Deo ſibi tantùm dedicatum *Sponſam* ſuam appellant (a). Hæc hujus ætatis Judæorum de Sabbatho diſciplina, ex Leone Modena (b), omnium recentiorum Judæorum inſtar habendus. Rabbini, ait ille, omnia, quæ Sabbatho inhibentur, ad 39. claſſes, quibus ſingulis ſuæ eſſent conſequutiones, redegerunt, ſcilicet, arare, ſerere, metere, in manipulos redigere, & colligare, triticum excutere, cribrare, molere, farinam cernere, ſubigere, coquere, tondere, linea purgare, carminare, nere, fila torquere, telam inſtruere, colore imbuere, nectere, ſolvere, ſuere, diſſuere, ſcindere, ædificare, deſtruere, malleo percutere, venari, ſive piſcari, jugulare, excoriare, præparare, ſive deglubere & macerare, atque in operis exercitium ſcindere corium, ſcribere, lituram facere, lineas ad normam ſcriptionis ducere, incendere, extinguere, aliquid aliò transferre, rem ad vendendum exponere.

Harum conſequutiones plures enumerantur; ita non molendi præcepto vetitum, ne lima aliquid abradatur: quod ab ædificatione abſtinendum ſit, ideo neque lacti coagulando operam dare permiſſum &c. Lampadem accendere, ſive extinguere nefas; in quem proinde uſum Chriſtianos adhibere conſueverunt. Die Sabbathi non ſarcinæ tantùm quantumcumque deponunt, ſed nihil ſupra veſtes permittunt, niſi quæ neceſſitate excuſentur: quin & ornamentis atque laciniis fœminarum, natorum, & domeſticorum modum adhibent. Nullus ea die de negotiis ſermo, ne quid de ipſis negotiis dicam. Utenſile vel quid ſimile ponderis aliquid præſeferens, ne tractare quidem permiſſum; uti neque pecuniam exigere, equitare, ac navigio deferri. A' balneis, & à Chirurgorum opera, niſi rei anguſtia premantur, abſtinent. Integrum illis tamen per urbes, ubi verſantur, & ſuburbia diſcurrere; extra verò, nonniſi ſpatio 2000. cubitorum progrediuntur, uti v. *Iter Sabbathi* dicemus.

Nullum die Veneris opus aggrediuntur, quod poſt veſperam pertrahendum ſit. Hora ante Solis occaſum, cibos in Sabbathum paratos, tepefacto furno inferunt; poſt horam verò dimidiam, ab omni operum exercitio ceſſandum, Sabbathi religione exindè ineunte. Statim accenſa à fœminis in conclavi lampas, ſex vel ſaltem quatuor lucernis in multam noctem paratis inſtructam. Inſtructa ſimul & menſa, albenti nappa inſtrata, in qua panis, albenti, oblongo, & arctiori lineo tectus apponitur. Sunt qui bono ineuntis Sabbathi omine, albenti lineo manus & vultum eluunt. Inde recta omnes ad Synagogam, ubi certis quibuſdam precibus in Libris ritualibus deſcriptis recitatis, dein ad propria revertentes ſibi mutuò *bonum Sabbathum* imprecantur.

Ut ad ædes pervenere, parentes filiis, præceptores diſcipulis benedictionem largiuntur; ac dein omnibus menſæ aſſidentibus, pater-familias certas ſuper panem & vinum benedictiones pronunciat; inſtitutionis Sabbathi memoriam ſimul revocans. Tum ſacratum poculum Pater familias primum, deinde cæteri libant; idem & de pane præſtant: indè inſtructiſſima cœna conſequitur. Manè alterius diei, ſeriùs quàm pro more, è lecto ſurgentes, ad Synagogam ſe conferunt; ubi in Pſalmos, & preces in laudem Sabbathi effuſi, conſuetas ſubinde cantilenas, & precationes intermiſcent: tandem ſeptem viri recurrentem Pentateuchi lectionem abſolvunt. Eadem in lectione Prophetarum ſervant, lectione, inquam, quæ Legis lectioni congruat. His abſolutis, qui Librum manibus tenet, elato paululum codice, adſtantibus benedicit. Inde ſtatæ pro Principibus ejuſdem loci preces; quas demum matutina, ſive poſt prandium pro locorum conſuetudine, concio excipit.

Ineunte nocte, cùm primùm tres ſaltem minores ſtellæ in Cœlo obſervari poſſunt, is Sabbathi, & feriæ exitus. Quicumque in Synagogam conveniunt, conſuetis veſpertinis precibus certas quaſdam lectiones, & benedictiones ad Sabbathum relatas, adjungunt, quas data opera diutius protrahunt, cùm Purgatorii animas tota Sabbathi die pœnis levari arbitrentur. Inde domum reducti, facem, ſive lucernam duobus ſaltem ellychniis accendunt; ſimulque paterfamilias aromatibus nonnullis, & vino ritè benedictis, illorum quidem olfactu recreatur, hoc verò in lætitiæ ſignum effundit; noviſque recitatis benedictionibus, Feſto terminus imponitur, fauſtam hebdomadam mutuò imprecantibus.

Hoc Legis præceptum de feriis Sabbatho indictis, ita apud veteres Patres laudatur: *Omne opus ſervile non facietis in eo, præterquàm quod ad animam pertinet*. Hæc apud Tertullianum adv. *Jud.* c. 4. & contra Marc. l. 4. *Niſi quod fiet omnis animæ*. Eadem apud S. Hieronymum in Iſa. 58. legas. *Legis præceptum eſt, ne in Sabbatho opus ſervile faciamus ... ut illa tantùm faciamus, quæ ad animæ ſalutem pertinent*. Huic Gloſſæ neque vetuſtas deeſt, neque Judæorum jam olim recepta conſuetudo: cùm enim illi brutum in foveam lapſum educendum cenſuiſſent, omnia ſanè cætera rectè facta, & charitatis opera potiori jure ſibi permiſſa perſuadebant.

Quæ de Judæorum Sabbatho ab Authoribus prophanis memoriæ tradita ſunt, hæc ſanè eorum de rebus Judaicis ignorantiam produnt. Ferias ab illis Sabbatho indictas in honorem Saturni, cui ea dies ab Ethnicis dicata, Tacitus hiſt. l. 5. ſcripſit; in cultum Bacchi maluit Plutarchus Sympoſiac. l. 4. *Saboi* enim in Bacchi ſolemniis clamantibus populis, ideò *Sabbos* nomen Numini inditum. Cùm Judæi ex probroſo quodam morbo, Ægyptiis *Sabboſis*, convaluiſſent, ideò acceptæ valetudinis diem Sabbathum conſecrarunt, ait Appio Grammaticus l. 2. De Judæorum die Sabbathi jejunio plura iidem Authores comminiſcuntur: *Recutitaque Sabbatha palles*, ait Perſius *Satyr.* 5. & Petronius: *non jejuna Sabbatha Lege premet*. Porrò jejunio Sabbathum prophanare Judæi vetitum, ſed Scriptores illi idcirco decepti ſunt, quòd ſingulos hebdomadæ dies Hebræi Sabbathum appellantes, geminos ſaltem ejuſdem hebdomadæ dies jejuni tranſigerent; vel fortè ſingulas Hebræorum Solemnitates Sabbathi nomine nuncupari audientes, cùm ſolemnem Expiationis diem jejunio dicatam noſſent, ſingulis continuò Sabbathis eandem fuiſſe religionem autumarunt.

Iter Sabbathi. In articulo Joannis Hircani narravimus, in expeditione trans Euphratem à Judæis unà cum Rege Syriæ ſuſcepta, cùm fortè dies Sabbathi incidiſſet, Judæorum religione, quibus iter Sabbatho prohibebatur, totum exercitum in caſtris manere coactum fuiſſe. Pari de cauſa Judas ab urgendis copiis Nicanoris jam prælio fractis ſe ſe continuit. Chriſtus in Evangelio *Matth.* 24. 20. *Orate*, ait, *ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel Sabbatho*; & Ovidius *de remed. Amor.*

Nec pluvias vitet, nec te peregrina morentur.
Sabbatha.

Certum tamen itineris ſpatium permiſſum Iudæis ex eo conſtat, quòd ex urbis angulo, ſive ex agro ſingulis ad Templum, vel Tabernaculum ſe conferre permiſſum erat. S. Lucas ſpatium inter montem Oliveti, & Jeroſolymam deſignans, ait, tantum inter ſe diſtare, quantum Sabbathi iter ferret *Act.* 1. 12. Hoc ſpatium Rabbini ad 2000 cubitos definire conſueverunt. Mons olivarum 5. ſtadiis, nempe 625. paſſibus, ab urbe diſtabat, authore Joſe-

(a) Vide Selden. & Rabb. ab eo cit. l. 3. c. 10. de jur. nat. & gent.
(b) De' Riti Ebraici, p. 3. c. 1.

Joſepho *Antiq. l. 20. c. 6.* quare tantundem ſpatii circiter Sabbatho metiri fas erat; circiter, inquam; cum Joſephus *de Bel. l. 6. c. 3.* ſex ſtadia à monte ad urbem conſtituat. Origenes apud Oecumenium in Acta milliare, ſive 2000. cubitos concedit; quam etiam milliarii menſuram Judæi præſcribunt (a); quare ſi milliare Hebraicum 1000. paſſibus, ſive 5000. pedibus, quinque pro ſingulis paſſibus computatis, conſtet, fateamur oportet, cubitum duos pedes dimidio excedere. Cui loci diſtantia ignota fuiſſet, illum 2000. communibus paſſibus tuto iter habere potuiſſe, Maimonides *in Hilcoth Sabbath. c.* 27. §. 4. concedit; quod 1000. paſſibus geometricis ex quinque pedibus conſtantibus reſpondet. Ultra ſex ſtadia, ſive 750. paſſus iter habere vetitum ſibi Judæi apud S. Epiphanium *hær* 66. perſuaſum habent. In Verſione Syriaca Actuum ſeptem ſtadiis circiter iter ſabbathicum definitur, quod cum ſententiam quorumdam Rabbinorum, milliare ad ſeptem ſtadia, & dimidio prorogantium, congruit (b).

Sabbathum ſecundo primum, de quo *Luc. 6. 1.* quod potiſſimum fuerit, inter Interpretes non convenit. Sunt (c), qui ſecundam, ſunt (d), qui poſtremam Azymorum diem; ſunt etiam (e), qui Pentecoſtem deſignatam autument: Paſcha enim, ajunt, primum eſt Sabbathum, Pentecoſte ſecundum. Alii verò primum Sabbathum illud conſtituunt, quod menſe Tizri caput anni civilis primum occurrebat; ſecundum vero, quod in menſem Niſan, priorem anni Sancti, primum incideret. Verum Joſephus Scaliger de emend. tempor. l. 6. quem Scriptorum turba ſequitur (f), primum Sabbathum ſtatuit illud, quod ſecundam diem Azymorum conſequeretur. Judæi Sabbatha à Paſchate uſque ad Pentecoſtem hoc ordine recenſent: primum, quod occurreret, *ſecundo-primum* appellabant, nempe primum poſt ſecundam Azymorum; alterum, *ſecundo-ſecundum*, ſcilicet ſecundum Sabbathum poſt ſecundam Azymorum; tertium ordine, *ſecundo-tertium*; nempe tertium poſt ſecundam Azymorum, & ſic de ſingulis, uſque ad *ſecundo-ſeptimum*, proximum Pentecoſti, nempe quinquageſimæ diei à ſecunda Azymorum, præcedens (g).

Paraſceve Sabbathi, ſive *præparatio Sabbathi*, quo nomine feria ſexta deſignatur, cum in ea panis, & cibi pro Sabbatho coquerentur; ab his enim Sabbatho abſtinendum erat. Vide Paraſceve.

Sabbathum ad Dominicam translatum. Ipſa naturæ Lege cautum eſt, ut portionem aliquam noſtri temporis in cultum, & obſequium Dei impendamus, quod ſane tempus Moſaica Lege Sabbatho definitum eſt. Succeſſu temporis Apoſtolis viſum eſt, abrogato Sabbatho, Dominicam memoriæ Reſurrectionis Jeſu Chriſti dedicare; quippe quæ prima eſſet inter hebdomadæ dies juxta Hebræos, atque a Paganis Soli ſacra haberetur. V. *Dominica*.

SABBATHICUS. *Annus Sabbathicus*, ſingulis ſeptenniis apud Judæos recurrens, quo terræ ſua quies; captivi ad libertatem, & hæreditates ad priores dominos redibant (h).

Amnis Sabbathicus. Cum Titus in Syriam tendens (i), inter urbem *Areas*, ſive *Archas*, ditionis Agrippæ, & Raphanæam Syriæ iter haberet, in amnem Sabbathicum ex Libano in mediterraneum influentem offendit. Porro amnis ille ſingulis recurrentibus Sabbathis, ſive ſingulis 7. diebus, immodica aquarum copia, atque impetu fluebat, cæterum areſcens: inde nomen amni inditum, Sabbathicus. Eo ſpectaſſe Plinium *l. 31. c. 2.* credimus illis verbis: *In Judæa rivus omnibus Sabbathis ſiccatur.* Paulo ante idem de fonte Inſulæ Andri prodiderat, ſingulis 7. diebus liquore meraceo manante, qui tamen in aquam degenerabat, ſi à Templo Bacchi in eadem Inſula longius removebatur. Hæc in Textu Græco Joſephi; quæ cum Plinio minus conſtare videantur (Plinius enim ſingulis Sabbathis rivum ſiccari perhibet,) & aliis quibuſdam monumentis, pariter cum Plinio de flumine quodam Sabbathico narrantibus, repugnent, ideo Caſaubonus, Fullerus, aliique nonnulli (k), textum ita invertunt, ut contrarium plane ſenſum referat. Porro fluvio Sabbathico religioſa deeſſet requies, ſi ea die tantum flueret: ut ritè Sabbathum obſervaret, ceſſandum illi erat à curſu.

Alterius fluvii *Sabbathici*, ſive *Sambatiæ* mentio apud Rabbinos occurrit (l). Hunc trans Euphratem in remotiſſima regione, in qua decem Tribus florere adhuc agro, & divitiarum gloria jactitant, fluere perhibent. Proruit autem eo impetu, & murmure, ut ſonus noctu ad iter diei, diu vero ad iter mediæ diei prorogetur. Amplior eſt, altior, atque rapidior, quam trajici poſſit: die vero Sabbathi, quo aquæ prodigio ſtare cernuntur, diſpoſitis ad ripas cuſtodibus tranſitus Iſraelitis prohibetur. De fluvio Sabbatione ſermo eſt apud Jonatham filium Uzielis, quem Paraphraſis Chaldaicæ authorem, Joſepho illum, uti ferunt, vetuſtiorem, conſtituunt. Sed Paraphraſis illius alius fuiſſe Scriptor creditur; & Joſephus unus & primus occurrit, qui de amne Sabbathico facile commentitia ejerit. Sane neque itinerantibus, neque Geographis unquam amnem videre contigit; Plinius enim ex Joſepho hiſtoriam ſuam mutuatus creditur.

Dominicus Magri quidem in Syriam iter habens 19. annorum juvenis, narrat, veniſſe ſe cum comitibus ad ripam amnis Sabbathici veſpere diei Veneris 21. Junii; vidiſſe autem amnem ad Solis occaſum ſubito areſcere; cum vero mane alterius diei ſibi è loco abeundum eſſet, inde tractum, ut prodigii exitum non operiretur; probaturus ſcilicet, an priſtino curſu evoluto, Sabbatho flueret. In ejus rei teſtimonium itineris ſui ſocios, & incolas loci laudat; ex quo fidem Joſepho detrahendam deducit, cum tam longe abſit, ut amnis Sabbatho fluat, ut potius areſcat. Sed optandum fuiſſet, ut Scriptor ille non unius tantum noctis, ſed plurium hebdomadarum obſervatum prodigium adeo mirum narraret; potuit enim ſubito quodam caſu accidere, ut amnis è montibus provolutus, forte ad veſperam illius diei areſceret. Vide Bartoloc. Biblioth. Rabbin. t. 1.

(SEBEC. In Geneſ. 22. 3. quo loco habet Vulgata de Abrahamo: *Vidit arietem inter vepres hærentem cornibus*; Septuaginta & Theodotion legunt: *Vidit arietem hærentem in tubo Sabec cornibus*: Philo, S. Eucherius, Diodorus, ſicut & Septuaginta ac Theodotion illud *Sabec*, quod eſt in Hebræo, uſurparunt de genere quodam arbuſculæ. Euſebius Emiſſenus cenſet Sabec hircum exprimere, quod cornibus ſit erectis; ſed optimi quique Interpretes exprimunt hanc vocem de plexu veprium in tubo.)

SABEE, urbs Tribus Simeonis, *Joſue* 19.

SABER, filius Caleb, ex Maacha ejus concubina, 1. *Par.* 2. 48.

SABINUS, Auguſti in Syria Procurator, cui poſt Herodis Magni deceſſum, atque ſuſceptum ab Archelao iter Romanum, in arcem Jeroſolymæ, & Regium ærarium manum injicere tentanti populus reſtitit. Conſertis igitur utrinque manibus, cer-

(a) Reland. Palæſt. l. 2. c. 1. (b) Gemar. Bava Metzia & Gemar Juma. Vide Selden. de Jure nat. & Gent. l. 3. c. 9.
(c) Iſid. Peluſ. l. 3. ep. 110. Euthym. (d) Epiph. hær. 51. n. 31. Oſiand. not. ad Harmon. Evang. Var. Piſc. Druſ. Beza.
(e) Maldon. Mercatur. (f) Ligtfoot. in Luc. Caſaub. Exercit. 13. in Baron. alii paſſim.
(g) Vid. Interpp. in Luc. 7. 1. (h) Exod 23. 10. Levit. 23. 2. &c. Vide Annus Sabbathicus. (i) De Bello l. 7. c. 24.
(k) Caſaub. adverſ. Baron. exercit. 15. n. 20. Fuller. Miſcell. ſacr. l. 1. c. 4. Vide Verſionem Arnaldi d'Andilly.
(l) Vide Rabbinos in Biblioth. Rabbinic. Bartholocci t. 1. p. 100. &c.

certatum eſt, donec affectis clade Judæis, foribus facei ærarii igne ſubjecto, 400. talenta Sabino, cætera reliquorum direptioni patuerunt. Ea injuria populus offenſus, Romanum in Regio palatio obſedit, præſentiſſimo ſanè ejus periculo, niſi à Varo Syriæ Præfecto ſuppetias ſibi ſuæque manui rogaſſet. Venientem ſtatim cum exercitu Varum conſcientia criminis non ſuſtinens, cauta ſeceſſione præoccupavit (a).

(SACÆ populi ſunt Aſiæ (b), & Feſta Sacarum nota ſunt in Perſide (c). Communi Sacarum nomine apud Perſas, Scythas omnes deſignari affirmat Herodotus. De his nihil ad nos, niſi id tantum, quòd Seſach, de quo Jeremias 25. 26. & 51. 41. deſignare credimus Babylonem; & Feſta Sacarum celebrata credimus in honorem Lunæ. Vide v. *Seſach*.

SACCUS vox merè Hebræa, in alias ferè omnes tranſlata linguas, quæ præter notam ſignificationem ſuam uſurpatur etiam de veſte luctuoſa in funeribus amicorum, vel propinquorum ſolemni. In ſumma anguſtiis, in pœnitudine, in dolore ſacco renes accingebantur: *Accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner*, 2. *Reg.* 3. 31. & 3. *Reg.* 20. 31. *Ponamus ſaccos in lumbis noſtris*, eo humili ſtatu imploraturi clementiam Regis Iſrael. Conſcidit Achab veſtimenta ſua, cilicium veſtivit ad nudum, jejunio ſe maceravit, & *dormivit in ſacco* 3. *Reg.* 21. 27.

Quæ imminerent genti ſuæ mala intelligens Mardochæus, ſacco indutus eſt, & cinere caput conſperſit *Eſther.* 4. 1. 2. 3. Adſuiſſe ſaccum ſuper carnem ſuam affirmat Jobus 16. 16.

Viciſſim autem cum lætum aliquod afferretur, ſaccum, quo quis induebatur, dilacerabat: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*, ait Pſalmiſta, *Pſ.* 29. 12.

Solemne erat Prophetis, ut ſe induerent ſacco. Dominus injungit Iſaiæ *cap.* 20. 2. ut removeat à lumbis ſaccum, & nudus inteċtiſque pedibus incedat. Monet Zacharias 13. 4. futurum, ut Pſeudoprophetæ non amplius induant ſaccum ad prophetandum, imponendumque ſimplicibus. Utrumque Prophetam a Deo in exitu Mundi ſuſcitandum ut munus exerceat 1260. diebus, ſacco uſuros vaticinatur S. Joannes *Apoc.* 11. 3. Probos quoſque dum orarent ſacco accingere ſe conſueviſſe innuit Baruch. 4. 20. *Exui me ſtola pacis, indui autem me ſacco obſecrationis.*

SACHACHA, ſive *Sechacha*, urbs Tribus Juda *Joſue* 15. 61. ad plagam meridionalem in deſerto.

SACHAR, pater Ahiam, 4. *Par.* 11. 34. viri ſtrenui in Davidico exercitu.

SACHAR, ſive *Sechar*, vinum ſonat ex palmis, atque omne ſimul, quod ebrietatem inducit, ipſamque ebrietatem. Vide *Sicera*.

SACERDOTIUM. Quatuor Sacerdotii genera diſtingui facilè poſſunt. 1. Suum Regibus, Principibus & Patribus familias Sacerdotium erat; quod munus veluti à natura ipſis collatum videtur, cum ſacrificandi honorem digniſſimo conferre homines natura docente didicerint. Hinc nonniſi poſt Legem Moyſi datam dignitas Sacerdotalis, per omnes antea Reges & patresfamilias vagans, ad unam certam familiam reſtricta eſt. Cain enim, Abel, Noe, Abraham, Job, Abimelech, Laban, Iſaac, Jacob ſacrificia ipſi pro ſuo jure Domino obtulerunt. 2. Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, quod à præcedenti nonniſi viri dignitate diſtinguebatur; quippe qui à Deo ad exhibendam figuram Jeſu Chriſti excitatus fuiſſet. 3. Sacerdotium ad unam certam Aaronis familiam revocatum eſt. Cùm enim Deus fœdus cum populo ad montis radices ſtante initurus eſſet, Moyſes electo ſibi Mediatoris munere, Sacerdotium Aaroni reliquit. Vide Exod. 24. 5. 6. 4. Tandem Sacerdotium Jeſu Chriſti, & novæ Legis. De Sacerdotio Melchiſedechi egimus v. *Melchiſedech.* De cæteris in præſentiarum.

Ex quo igitur Dei juſſu Tribus Levi Tabernaculi obſequiis deſtinata eſt, & Sacerdotis munus familiæ Aaronis aſſertum, ſacrificii offerendi jus abrogatum cæteris ad unos Aaronicos Sacerdotes revocatum eſt: *Qui non eſt de ſemine Aaron*, ait Dominus *Num.* 16. 40. *ad offerendum incenſum ne patiatur; ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio ejus.* Nec ſanè oblatum Domino temerè thymiama Oziæ, ſive Azariæ Regi Juda, lepra propterea ſtatim affecto 2. *Par.* 26. 9. & à Regno, domoque ſtatim amoto, parvi ſteriſſe conſtat. Certis tamen rerum eventibus oblata à Judicibus, & Regibus Hebræorum ſacrificia, uti potiſſimum nondum certa Domino ſede Jeroſolymæ conſtituta intelligimus. Samuel à Sacerdotio planè alienus, agnum in holocauſtum obtulit, 1. *Reg.* 7. 9. à quo etiam hoſtia populi benedictione conſecranda erat; quamquam munus illud ad Sacerdotes ſpectare videtur, 1. *Reg.* 9. 13. Ipſe etiam Samuel Bethleem veniſſe ait, *ad immolandum Domino: Sanctificamini, & venite mecum ut immolem*, 1. *Reg.* 16. Saul Regis planè jure ait, 1. *Reg.* 13. 9. 10. *Afferte mihi holocauſtum, & pacifica; & obtulit holocauſtum.* Eadem præſtitiſſe Eliam in monte Carmelo legimus, 3. *Reg.* 18. 33. paria etiam Davidem in ſolemni Arcæ ad urbem tranſlatione, uti ex Textu intelligimus, 2. *Reg.* 6. 13. ſicuti & in area Areunæ, 2. *Reg.* 24. 24. Salomon ad æream Gabaone Aram aſcendens, ſacrificia mactavit, 2. *Par.* 1. 5. Hæc quidem exempla vulgò explicantur de oblatis ab illis Regibus Sacerdotum miniſterio ſacrificiis, ſed illis explicationibus Textus ſacer planè non favet, atque ſummo potiùs jure oblata ab ipſis Regibus ſacrificia, facultate ſibi tanquam Regibus, & Principibus populi aſſerta, cenſemus. Eodem enim jure David Sacerdotali Ephod indutus, Dominum conſuluit, 2. *Reg.* 6. 14. & 1. *Reg.* 23. 9. & 30. 7. & ſolemnem benedictionem populo indulſit, 2. *Reg.* 6. 18. Paria de Salomone legas, 2. *Par.* 6. 2.

Cùm Dominus pro eo, quod Iſraelitis conceſſerat, privilegio, eximendi ſcilicet majores natu populi à communi majorum natu Ægyptiorum clade, omnes ſibi majores natu Iſraelis vindicaſſet, *Num.* 3. 41. juſſit, redemptis à parentibus natis, ſibi in obſequium Tabernaculi tamquam compenſatione quadam Tribum Levi dedicari. Inde tota ea Tribus miniſteriis ſacris deſtinata eſt, vario tamen munere; ex tribus enim filiis Levi, Gerſon, Caath, & Merari, trium clariſſimarum familiarum authoribus, Aaronis tantùm familia inter Caathitas Sacerdotio gerenda ſelecta eſt: cæteri etiam ex familia Caath in Levitarum ordine manſerunt. De Levitis in ſuo articulo diximus: de Sacerdotibus modo aliqua.

Summus Sacerdos Religionis caput conſtitutus eſt, atque jus omne & judicia illi demandata: *Deut.* 17. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari; ſurge, veniensque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore* (d); *quæreſque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram, Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael* (e).

Ingreſſus etiam in Sanctuarium ſemel in anno certa die

(a) Joſeph. Antiq. l. 17. c. 12. A. M. 4001. Chr. 1. ante Ær. 3. (b) Herod. l. 3.
(c) Athenæ l. 14. c. 10. Strabo l. 11. (d) Nempe ad Summum Sacerdotem, uti Joſephus, Philo, Rabb. & plures Interpretes volunt. (e) Vide Deut. 19. 17. & 21. 5. & 23. p. 10. Ezech. 44. 24. Antiq. l. 20. c. ult. & contr. App. lib. 2. & noſtr. Diſsert. de Polit. Hebr. ante Comment. in Num. Selden. de Synedr. veter. Hebr.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE · VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

Digitized by Google



HABITUS SIMPLICIS SACERDOTIS

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google



SUMMUS PONTIFEX VESTIBUS PONTIFICALIBUS INDUTUS

Digitized by Google

die Expiationis ſolemnis Summo Sacerdoti patebit, *Levit.* 16. 2. &c. quò populi crimina, expiaret; uti diximus late v. *Expiato.* Obtinendæ autem dignitati, nuptiæ cum una tantum virgine, *Levit.* 21. 13. exigebantur; uti & certa quædam corporis vitia in Levitico enumerata à Sacerdotio arcebant, *Levit.* 21. 17. 18. *Non accedet ad miniſterium, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torvo naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel herniosus.* Cæteri etiam Sacerdotes vitio quodam corporis laborantes, à Sacrificio offerendo, ſimulque ab ingreſſu in Sanctum ad apponendos panes propoſitionis removebantur; de oblationibus tamen ad Tabernaculum factis participare ſingulis permiſſum *Levit.* 21. 21. &c.

Summus etiam Sacerdos conceſſo ſibi à Domino privilegio oracula conſultus edebat; cùm enim Sacerdotalibus ornamentis, ac potiſſimùm Urim, & Thummim indutus de re quapiam interrogaretur, occulta quædam, & futura Dei ſpiritu afflatus prodebat, *Exod.* 28. 30. *Eccli.* 45. 12. & 1. *Reg.* 23. 9. & 30. 7. Funus vel etiam parentum lugere Sacerdoti vetitum; uti & ingreſſu in locum, ubi cadaver jaceret, ne quid labis contraheret, *Levit.* 21. 10. Viduam, ſivè repudiatam, ſive proſtitutam ducere prohibitus, cum virgine tantùm de genere ſuo connubia miſcebat *Levit.* 21. 13. abſtinendum tamen illi à conjugio, quo tempore munus in Templo obibat (a).

Veſte utebatur Summus Sacerdos cæterorum veſtibus Sacerdotum ditiori, *Exod.* 39. 1. &c. Femoralibus ex tenui lino ad renes uſque indutus, tunica linea eleganti textuta nuda protegebat. Tunicæ trabea ſuper addita, colore hyacinthino, cujus fimbriam tintinnabula quædam aurea, & melogranata ex bracteis aureis elaborata, alterno ordine diſtinguebant. Fluentem hanc tunicam amplior quædam zona phrygii operis continebat, cui nomen *Ephod.* Porrò zona iſta duabus pretioſi operis vittis conſtabat, quæ è ſcapulis demiſſæ, ante pectus decuſſabantur, novoque mæandro in poſteriora reductæ tunicam cingebat. Quibus in locis ex ſcapulis deſcendebat, duabus pretioſis magniſque gemmis nominibus duodecim Tribuum ſex utrinque inſculptis, interſecabatur. Ubi vero eadem zona in pectore decuſſabatur, Pectorale, ſive Rationale reſpondebat. Rationale illud pannus erat quadratus, pretioſiſſimi operis, compactique, decem pollicibus latus, in quo duodecim gemmis inſertis, totidem Tribuum Iſraelis nominibus ſingula ſingulis inſculpta, legebantur. Sunt, qui Rationale illud inſtar peræ duplicatum credant; in pera autem Urim, & Thummim contineri. Porrò duo illa figuras quaſdam hieroglyphicas exhibuiſſe in fimbriis Rationalis aliqui maluerunt.

Summi Sacerdotis tiara ornamento quidem & auro tiaras cæterorum Sacerdotum vincebat: cujus tamen potiſſimùm figuræ fuerit, incertum. Vide *Cidaris.* Ejuſdem tiaræ anteriorem partem diſtinguebat lamina quædam aurea in fronte Sacerdotis aſſurgens, his verbis inſcripta: *Sanctam Domino*, huic autem continendæ, duæ quædam vittæ in occipite ſe invicem vincientes adhibebantur.

Cæterorum Sacerdotum munus erat ſacrificia in Altari ſuis manibus offerre, hoſtias jugulare, quibus & corium detrahebant ſanguine ad baſim Altaris effuſo 2. *Par.* 29. 34. & 35. 11. Eorum cura ignis in Altari Holocauſtorum perpetuus detinebatur: lampades candelabri noctu collucebant: panes propoſitionis confecti, & ſingulis Sabbathis, amotis veteribus, menſæ aureæ calentes impoſiti. Sacerdos hebdomadario munere in Templo miniſtrans, ſingulis diebus, mane, & veſpere thuribulum thymiamate fumans ſuper menſam auream, alio nomine Altare Thymiamatis, deponebat Vide *Luc.* 1 9. Conſueta Sacerdotum veſtis tunica linea inconſutili conſtabat, adjecto cingulo polymito, *Exod.* 28. 4. & reticulato opere, ut anguis exuvias exhiberet, latitudine trium digitorum contexto, ait Joſephus *Antiq. l.* 3. c. 8. Idem etiam narrat, zonam illam pectus intra brachia duplici mæandro conſtringentem, ac deindè ad gravitatem conciliandam defluentem, variis ex byſſina, purpurea, & hyacinthina lana, intextis floribus pictam fuiſſe. Hanc zonam ſacra facturi, ut expeditiores eſſent, ad ſcapulas rejiciebant. Ejus menſuram ad 32. ulnas Rabbini definiunt.

Summi Sacerdotis cingulum, polymito opere elaboratum, authore Moyſe, *Exod.* 28. 39. & 39. 3. 5. auro etiam adjecto, cæteris præſtitiſſe vulgò creditur. Sunt tamen, qui nihil inter hæc fuiſſe diſcriminis autumaverint. Vide Braun. de veſt. Sacerdot. Hebr. Summo tamen Sacerdoti gemina erat zona; altera interulæ continendæ; altera coercendæ tunicæ hyacinthinæ, Hebræis dicta *cheſchec ephadat*, *Lev.* 8. 7. de qua nos ſupra.

Cidaris vulgarium Sacerdotum *Exod.* 28. 4. in Hebræo *mighaoth*; Summi verò Sacerdotis tiara *miznepheth* appellatur. Nullum inter haſce duas voces diſcrimen intercedere, uti & ambo iſta capitis ornamenta inter ſe convenire Rabbini teſtantur. Eam verò ita Joſephus *Antiq. l.* 3. *c.* 8. deſcribit: *Vitta linea ſæpe in orbem replicata, & conſuta, quam ſuperne alia tela integit, uſque ad frontem deſcendens; & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans.* Hæc Cidaris ſpecie caſſidem referre videbatur; quare in Hebræo *mighaoth*, id eſt caſſis, appellatur.

Aliam ejus rei ideam S. Hieronymus ad Fabiolam exhibet. *Rotundum*, ait, *eſt pileolum, quale pictum in Ulyſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite; non habet acumen in ſummo, nec totum uſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabrè opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia extrinſecus appareant.* Vitta quidem Cidarim ligari Moyſes inſinuare videtur, cùm in Sacerdotum conſecratione mitras illis alligatas perhibeat (b).

Summi Sacerdotis pileus ex Rabbinorum ſententia, obtuſiori vertice inſtar turbantis, à cæterorum Sacerdotum Cidari differebat, quod illa acutior eſſet, ac in modum nocturni pileoli aſſurgeret. Ejus gloriam ampliori deſcriptione Joſephus *Antiq. l.* 3. *c.* 8. ſui temporis certè ornamentum præ oculis habens exaggerat. Eſt, ait, pileus hyacinthinus, alteri, de qua jam diximus, ſuperimpoſitus, occiput & circum tempora protegens Totus autem triplici corona calyculis herbæ hyoſcyami perpetuo ornatu ambitur; cujus tamen anteriorem coronæ partu lamina aurea Dei nomine inſculpta interſecat.

Comam Sacerdotes (c) in Templo miniſtrantes minimè promiſsam gerebant, ſed forfice tondebant: *Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondent capita ſua.* Nudato capite ſacra operari nefas erat; inofficioſi eſt enim hominis noſtra etiam ætate apud gentes quaſdam caput ante aliquem detegere. Femoralia linea ad illa adſtricta, uti Summus Sacerdos, geſtant, veriti ne fortè ad Altare aſcendentibus indecori aliquid videatur. *Exod.* 28. 42. & 39. 27. Levitis ſolemnes veſtes nullæ, niſi quas poſtea a Rege Agrippa obtinuerant A. Ch. 62. exindè enim tunicam ſacerdotalem ſum-

(a) Vide Joſeph. l. 17. c. 8. de Matthia Pontifice.
(b) Exod. 29. 9. Lev. 8. 13. Hebr. *Circumpoſuit mitras* Ezech. 44. 18. *Vittæ lineæ erant in capitibus eorum.*
(c) Ezech. 44. 20. Vide & Lev. 10. 6. & 21. 5.

ſumpſere, & malo, ait Joſephus *Antiq. l.* 20. *c.* 8. reruoi omine: veteres enim Religionis ritus non impunè unquam violari experientia compertum eſt.

Alieno igne thus Domino adolere, igne nempè aliunde, quam ex Altari Holocauſtorum petito, *Lev.* 10. 1. 2. Sacerdotibus inhibitum erat; cujus præcepti tranſgreſſores Nadab. & Abiu mortis pœna correpti ſunt. Sacerdotes & Levitæ ſtatis hebdomadibus ſuo utrique ordine in Templo miniſtrantes, ad veſperam Sabbathi munus inibant, abſolvebantque. 4. *Reg.* 11. 5. 7. Certam officii hujus præſtandi ætatem Moyſes definiens, 25. ſivè 30. ineundo muneri *Num.* 8. 24. & 4. 3.; 50. annos dimittendo præſcribit. Sub Davide viginti annorum ætas munus ſuſcipientis conſtituta eſt (a). Qui Templi obſequiis totum vitæ ſuæ tempus dedicare voluiſſent, ultrò admiſſi, de quotidianis communibuſque oblationibus participabant. *Deut.* 18. 6.

Levitarum hæreditas nulla quidem à Deo in diviſione regionis deſtinata fuit, quippè quos ex decimis, primitiis, oblationibus, & victimis in Templo oblatis tam pro peccatis, quam pro gratiarum actione (in his enim ſua erat pro Levitis portio) alere conſtituerat. Sane hoſtiæ pacificæ armum & pectus; hoſtiæ pro peccato omnia, excepto adipe, reticulo jecoris, & renibus (b), Sacerdoti cedebant. Neque proventum planè modicum ex victimarum pellibus (c) referebant. Si quid unquam in ſuum uſum Iſraelitæ mactaſſent, armum, ventriculum, & mandibulas pro Sacerdotibus ſeparabant; *Deut.* 18. 3. lanæ etiam, cùm oves tondebantur, ſua illis portio. *Deut.* 18. 4. Omnes natu majores Domino, nempè Levitis cedentes ſoluto iiſdem Levitis quinque ſiclorum pretio redimebantur. *Num.* 18. 15. 16. 17. Eodem jure omnia cæterorum animalium primogenita ad Levitas ſpectabant, ſive nulla facta redimendi ſpe, ſi pura eſſent, quippe quæ Domino immolabantur, effuſoque ad baſim Altaris ſanguine, deindè Sacerdoti cedebant; ſive redimi omninò vel commutari juſſa, ſi impura cenſerentur. Vide *Primogenita.* Arboris primò ſatæ fructus quarto anno prodeuntes, Sacerdotibus ſacri habebantur. *Lev.* 19. 23. 24.

Primitiæ ex omnibus terræ fructibus in Templum inferendæ, recepta conſuetudine intrà quadragesimam & ſexageſimam partem definitæ erant. Præter hæc, plura ſpontè Iſraelitæ devovebant. Vide *Primitiæ.* Primitiæ etiam farinæ pani conficiendo aqua ſubactæ, ſacerdotibus & Levitis ſolvebantur: ſolvebantur & decimæ tam ex fructibus terræ, quam ex ovium grege ſub paſtoris virga conſtituto. *Lev.* 27. 31. 32. Collectarum primitiarum decimam partem Levitæ pro ſacerdotibus ſeparabant. *Num.* 18. 26. Ita plane Levitis agrorum quidem fundis pauperioribus, ampliores ſanè proventus contigerunt. Ne quid autem illis ædium deeſſet, 48. urbes in ſuum uſum à Domino obtinuerunt; *Num.* 35. 1. nullam tamen ampliorem ditionem, quam 1000. circum cubitos ex circumjectis urbibus illis regione obtinebant. Inter eaſdem urbes ſex in aſylum iis, qui imprudentes hominem peremiſſent, deſtinatæ, totus verò numerus ita diſtributus eſt, ut 13. ſacerdotibus, reliquæ Levitis cederent. *Joſue* 21. 19.

Secundum Sacerdotum munus poſt ſacrificia & cætera Templi obſequia, populi inſtitutio, & judiciale officium cenſebantur *Oſee* 4. 6. *Malach.* 2. 7. Lepram enim à lepra diſcernere; *Lev.* 13. 14. de cauſis divortii, & aquarum zelotypiæ judicare; *Num.* 5. 14. 15. uti & de votis, atque legalibus, nec non impuritatibus controverſiæ ad illos ſpectabant: *Labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus. Malach.* 2. 7. Benedictionem Dei nomine populo precabantur; *Num.* 6. 23. eorumque in bellis munus deferre Arcam Fœderis, conſulere Dominum, ſacris buccinis clangere, ac tandem coram omnibus ſolemnibus illis formulis inclamare; *Num.* 10. 8. 9. *Audi Iſrael: Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis; non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos; quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.*

Initiando Aaroni, ſeptemque ejus filiis in Deſerto, *Deut.* 20. 3. multiplici cæremoniarum apparatu Moyſes uſus eſt, hoc potiſſimùm ritu *Exod.* 40. 12. *Lev.* 8. 1. Loti primùm toto corpore viri, coram Moyſe in Tabernaculo Fœderis ſe ſe ſiſtentes, victimas pro ſe offerendas duxerunt. Hos primò Moyſes omnibus ſacerdotalibus ornamentis induit. Dein Aaronem, oleo ſuper caput effuſo, inunxit. Inde vitulus pro peccato oblatus, impoſita tamen antea ab Aarone, & filiis victimæ ſacerdotali manu. Ex ejuſdem ſanguine digito libato cornua Altaris Moyſes linivit; adeps altaris igne abſumptus, reliqua cum carne, pelle, & ſtercore extra caſtra cremanda rejecta ſunt. Hoc ſacrificium aries in holocauſtum excepit, impoſita prius de more victimæ Aaronis, & filiorum manu. Hujus ſanguis ad Altaris baſim effuſus eſt; reliqua ignis Altaris holocauſtorum habuit.

His ritè peractis, productus pro Sacerdotum conſecratione aries, quo, uti priùs, ſacerdotali manu protecto, Moyſes dein victimam jugulavit, atque defluentem ex vulnere ſanguinem carpens, extremitatem dextræ auriculæ ſingulorum linivit, eodemque ritu digitis dexteræ manus, & pedis ablutis, reliquum ſanguinis Altaris baſim irrigavit. Tum adipem inteſtina operientem, caudam, renes, & armum dextrum una cum azymo, placenta, & lagana manibus Aaronis primum, deinde filiorum impoſuit; ſimulque eorum manus detinens, & deducens, munera illa coram Domino agitavit. Receptas deinde à Sacerdotibus oblationes igne altaris adolevit, quippe quòd ſacerdotalis conſecrationis ſacrificium eſſent. Aſperſis demum oleo cum ſanguine admixto Altari, ſimul & Sacerdotibus, cæremoniæ finis impoſitus eſt. Subſequentibus ſeptem diebus eadem cæremonia ſaltem quoad ſacrificia, unctiones, & aſperſiones innovata; neque enim tota hebdomada ſacerdotes ſolemnis ornamenta adhibuiſſe videntur. Tota ea hebdomada ſacerdotes ab atrio Templi nunquam receſſerunt.

Hujus cæremoniæ ritum Moyſes, Sacerdotale munus gerens, operatus eſt. An vero initiandis quibuslibet ſummis Sacerdotibus eadem præſtarentur, incertum; facile ſolemnibus præcedentis ſacerdotis veſtibus indutus, continuo ſummus Sacerdos habebatur; quod poſt Aaronis obitum in ſucceſſore initiando obſervatum legimus *Num.* 20. 25. Alii additam unctionem autumant; quam obtinuiſſe cæremoniam uſque ad captivitatem Babylonicam contendunt; nullum tamen ejus rei exemplum ſupereſt. Compertum eſt quin etiam, Jonatham Aſmonæum (d) ſacerdotalibus veſtibus Feſto Tabernaculorum indutum, ſummum Sacerdotem geſſiſſe. Agrippa Rex Judæorum ſummam dignitatem Jonathæ filio Anani ſecundò obtulerat; quam ille ſtatim recuſavit, ſatis ſe habere dicens ejuſdem dignitatis ornamenta ſemel recepiſſe; aliis proinde eundem honorem permittere (e).

Initiandis cæteris vulgaribus Sacerdotibus nulla ſpecialis cæremonia ſervata occurrit; ſed initum ab illis munus legimus, *manibus impletis*, juxta Scripturæ phraſim, ſui ordinis functiones exercentibus. Si fortè tamen Sacerdotes crimen aliquod admiſiſſent, ab exercitio ſui muneris diutius arcebantur; uti ſub Achaa, Amone, & Manaſſe contigiſſe legimus; quibus iterum admittendis nova conſecratione

opus

(a) 1. Par. 23. 24. & 2. Par. 31. 17. & 1. Eſdr. 3. 8.
(b) Vide Lev. 7. 6. & 7. 33. 34. (c) Philo de præm. Sacer.
(d) 1. Mach. 10. 21. Antiq. l. 14. c. 5. (e) Antiq. l. 19. c. 6.

opus erat. Hac etiam conſecratione initiabantur, qui nunquam munus obiviſſent, uti ſub Ezechia, & Joſia ſervatum legimus. 2. *Par.* 29. 34. & 35. 12. Cùm enim victimarum numerus Sacerdotes excederet, viſum eſt Levitas ad excoriandas victimas adhibere; ſiquidem, ait Scriptura, *Levitæ faciliori ritu ſanctificantur, quam Sacerdotes.* 2. *Par.* 29. 34.

Quo autem ritu initiatio illa conſtaret, non facilè divinaremus; neque etiam conſtat, an vulgari tantùm ſanctificatione opus eſſet, nempè exemptione a legalibus ſordibus, ſine qua ſancta contingere nefas erat. Hebræus ſanè Textus ita ſuperiorum ſententiam legit: *Levitæ enim erant rectè corde, ut ſanctificarent ſe, præ Sacerdotibus*, Levitæ ſcilicet majori ſtudio, quàm Sacerdotes huic cæremoniæ ſeſe præſto exhibuerunt.

Sacerdotium Jeſu Chriſti veterum Sacerdotum dignitatem longè excedit, qua privilegiis, qua munere, qua etiam finis præſtantia. Novæ enim Legis Sacerdotes Regale Jeſu Chriſti Sacerdotium gerentes, idem prorſus cum illo munus, & authoritatem obtinent. Neque enim qui Baptiſmum conferant, qui in Confirmatione Spiritum Sanctum impertiantur, qui Sacramento Pœnitentiæ ligent abſolvantque, homines ſunt, ſed Chriſtus ipſe hominum miniſterio. Sacerdotium etiam Aaronicum tempore ſtabat; Sacerdotium Chriſti perpetuò perſtiturum eſt, *Hebr.* 7. 23. Aaronicum ad unam certam familiam coactum; nec niſi in uno Templo, & apud unum populum, unum autem ejus munus, cruenta ſacrificia & purificationes, quorum vis criminibus remittendis nulla erat; Sacerdotium verò Chriſti in Eccleſia Chriſtiana reſidens, pari cum illa gradu per totum, qua latè patet, orbem protenditur; ejus verò munus ad animas potiſſimum, atque remittenda crimina ſpectat. Rivos illud gratiarum a Deo in homines deducit, atque hoſtiam expiationis pro totius Orbis criminibus offert. Hujus præ Moſaico excellentiam Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos mirè commendat, *Heb.* 4. 14. *&c.* & 5. *&c. Vide* 1. *Petri* 2. 5. *...* 9.

Munera Sacerdotum novæ Legis eorumque jura, & veſtes deſcribere hujus loci non eſt; neque enim Jeſus Chriſtus in Evangelio, ſive Apoſtoli in ſuis ſcriptis quidquam ea de re attigerunt. Integra omnia, quæ ad eam rem pertinent, Eccleſiæ Præſulibus remiſerunt; quamquam & ipſi viva voce plura Fideles docuerunt, certa traditione ad nos uſque deducta.

Cæterum Moſaicorum Sacerdotum conſecrationem innovare minus oportuit, cùm Sacerdotium in ea ſemper familia perſeveraret: Sacerdotium verò Chriſtianorum, cùm ad unam familiam non ſpectet, novis ſemper cæremoniis ſingulis Sacerdotibus demandandum erat. Quæ legales ſordes à Sacerdotio legali ablegabant, & certæ illorum virorum prærogativæ, ſpirituali quodam ſenſu ad Sacerdotes Chriſtianos transferendæ ſunt. De Epiſcoporum ſupra vulgares Sacerdotes præſtantia, tum de Romani Pontificis ſuperioritate, ex jure Divino derivata alibi diſſeruimus. Epiſcopi characteres apud S. Paulum legas 1. *Timoth.* 3. & *Tit.* 1. 7. *&c.*

LATERCULUM CHRONOLOGICUM SUMMORUM SACERDOTUM HEBRÆORUM.

I. Series ex variis Sacrorum Librorum locis deducta.	*II. Series ex* 1. *Par.* 6. 3. *&c.*	*III. Series ex Joſepho Antiquit. l.* 5. *c.* 15. *& l.* 10. *c.* 11.	*IV. Series ex Chronico Judæorum, inſcripto* Seder Olam.
1. AARON frater Moyſis, initiatus an. M. 2514. Obiit an 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452.	1. AARON.	1. AARON.	1. AARON.
2. *Eleazarus*, electus an. 2552. obiit circa an. 2571. ante Ch. 1429. ante Ær. 1433.	2. Eleazarus.	2. Eleazarus.	2. Eleazarus.
3. *Phinees* initiatus circa an. 2571. obiit circa an. 2590. ante Chr. 1410. ante Ær. 1414.	3. Phinees.	3. Phinees.	3. Phinees.
4. *Abiezer*, ſive Abiſue.) ſub Judicibus.	4. Abiſue.	4. Abiezer.	4. Heli.
5. *Bocci*.)	5. Bocci.	5. Bocci.	5. Achitob.
6. *Uzi*.)	6. Uzi.	6. Uzi.	6. Abiathar.
7. *Heli* è genere Ithmari ab an. 2848. uſque ad 2888. ante Chr. 1112. ante Ær. 1116.	7. Zaraias.	7. Heli.	7. Sadoc.
8. *Achitob I.*	8. Meraioth.	8. Achitob.	8. Achima, ſub Roboamo.
9. *Achia*, florebat ann. 2911. ſive 2912.	9. Amarias.	9. Achimelech.	9. Azarias, ſub Abia.
10. *Achimelech*, ſive Abiathar, occiſus à Saule an. 2944. ante Chr. 1056. ante Ær. 1060.	10. Achitob I.	10. Abiathar.	10. Joachaz, ſub Joſaphat.
11. *Abiathar*, ſive Achimelech ſub Davide, ab ann. 2944. uſque ad 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015	11. Sadoc I.	11. Sadoc.	11. Jojarib, ſub Joram.
12. *Sadoc I.* ſub Saule, Davide, & Salomone ab an. 2944 uſque ad 3000. ante Chr. 1000. ante Ær. 1004. circiter.	12. Achimaas.	12. Achimaas.	12. Joſaphat, ſub Ochozia.
13. *Achimaas*, ſub Roboamo, circa an. 3030. ante Chr. 970. ante Ær. 974.	13. Azarias.	13. Azarias.	13. Jojada.) ſub Joas.
14. *Azarias*, ſub Joſaphat, idem forte ac Amarias 2. *Par.* 19. 11. circa annum 3092. ante Ch. 908. ante Ær. 912	14. Johanan 1. *Par.* 6. 9. 10.	14. Joram.	14. Phadea.)
15. *Johanan*, fortè Jojada ſub Joas 2. *Par.* 24. 15. an. 3126. Annis 130. grandævus obiit.	15. Azarias.	15. Iſſus.	15. Sedecias, ſub Amaſia.

16. *Aza-*

16. *Azarias*, facilè idem cum Zacharia filio Jojadæ, occiſus ann. 3164. ante Chr. 836. ante Ær. 840.	16. Amarias.	16. Axiora.	16. Joel, ſub Ozia.
17. *Amarias*, fortè Azarias, ſub Ozia, an. 3221. ante Chr. 779. ante Ær. 783.	17. Achitob II.	17. Phideas.	17. Jothan, ſub Joathan.
18. *Achitob II.*) ſub Joathan Rege	18. Sadoc II.	18. Sudeas.	18. Uria, ſub Achaz.
19. *Sadoc II*) Juda.	19. Sellum.	19. Julus.	19. Neria, ſub Ezechia.
20. *Urias*, ſub Achaz, florebat an. 3265. ante Chr. 735. ante Ær. 739.	20. Hil, ſive Helcias.	20. Jotham.	20. Hoſaiah, ſub Manaſſe.
21. *Sellum*, pater Azariæ, & avus Helciæ.	21. Azarias.	21. Urias.	21. Sellum, ſub Amone.
22. *Azarias*, ſub Ezechia. 2. *Par.* 31. 10. circa an. 3278. ante Chr. 722. ante Ær. 726.	22. Saraia.	22. Nerias.	22. Helcia, ſub Joſia.
23. *Helcias*, ſub Ezechia.	23. Joſedech.	23. Odeas.	23. Azarias, ſub Joachimo & Sedecia.
24. Eliacim, ſub Joakimo, & Manaſſe, ac tempore obſidionis Bethuliæ an. 3348. Sacerdotio etiam ſub Joſia præfuit ultra an. 3380. Appellatur etiam Helcias. Vide *Baruc.* 1. 7.	24. Joſue.	24. Saldum.	24. Joſedech, poſt captam Jeroſolymam.
25. *Azarias*, facilè Nerias pater Saraiæ, & Baruc.		25. Helcias.	25. Jeſus filius Joſedech poſt captivitatem.
16. *Saraias*, noviſſimus Pontifex, ante captivitatem, occiſus an. 3414. ante Ch. 586. ante Ær. 590.		26. Sareas.	
17. *Joſedech*, in captivitate Babylonica ab an. 3414. uſque ad 3469. ante Chr. 531. ante Ær. 535.		27. Joſedech.	
28. *Joſue*, ſive Jeſus filius Joſedech, regreſſus Babylone an. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536.		28. Jeſus, ſivè Joſue.	

Cætera quæ ſequuntur ex Eſdra, & Joſepho derivata ſunt.

29. *Joachim*, ſub Xerſe. *Antiq. l.* 11. *c.* 5.
30. *Eliaſib*, ſivè Ioaſib, vel Chaſib, ſub Nehemia an. 3550. antè Ch. 450. ante Ær. 454.
31. *Jojada*, ſivè Juda. *Vide* 2. *Eſdr.* 12. 10.
32. *Joathan*, ſivè Joannes.
33. *Jeddoa*, ſivè Jaddus, qui Alexandrum Magnum Jeroſolymam venientem excepit an. 3673. obiit an. 3681. ante Ch. 318. ante Ær. 321.
34. *Onias I.* aſſumptus an. 3681. vita & dignitate exceſſit an. 3702. ante Chr. 298. ante Ær. 302.
35. *Simon I.* cognomento Juſtus, aſſumptus an. 3702. ſive 3703. obiit an. 3711. ante Chr. 289. ante Ær. 293.
36. *Eleazarus*, electus an. 3712. Sub eo Pontifice Verſionem Septuaginta circa an. 3727. adornatam ferunt. Obiit an. 3744. ante Chr. 256. ante Ær. 260.
37. *Manaſſes*, electus an. 3745. obiit an. 3771. ante Ch. 229. ante Ær. 233.
38. *Onias II.* aſſumptus an. 3771. obiit an. 3785. ante Chr. 215. ante Ær. 219.
39. *Simon II.* electus an. 3785. obiit an. 3805. ante Chr. 195. ante Ær. 199.
40. *Onias III.* initiatus an. 3805. abrogatus an. 3829. obiit an. 3834. ante Chr. 166. ante Ær. 170.
41. *Jeſus*, ſivè Jaſon, electus an. 3830 exauthoratus an. 3831. ante Chr. 169. ante Ær 173.
42. *Onias IV.* alio nomine Menelaus, electus an. 3832. obiit an. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162.
43. *Lyſimachus*, vicarius Menelai, occiſus an. 3834. ante Chr. 166. ante Ær. 170.
44. *Alcimus*, ſivè Jacimus, ſive Joachim, electus an. 3842. obiit an. 3844. ante Chr. 156. ante Ær. 160.
45. *Onias V.* qui Pontificatus munere non Jeroſolymæ functus eſt, ſed in Ægyptum ſecedens, Templum Onion ædificavit an. 3854. ante Chr. 146. ante Ær. 150.
46. *Judas Machabæus*, qui Altare, & ſacrificia reſtituit an. 3840. obiit an. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.
47. *Jonathas Aſmonæus*, frater Judæ Machabæi, aſſumptus an. 3843. obiit an. 3860. ante Chr. 140. ante Ær. 144.
48. *Simon Machabæus*, electus an. 3860. obiit an. 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135.
49. *Joannes Hircanus*, aſſumptus an. 3869. obiit an. 3898. ante Chr. 102. ante Ær. 106.
50. *Ariſtobulus* Rex, & Pontifex Judæorum, obiit an. 3899. ante Chr. 101. ante Ær. 105.
51. *Alexander Jannæus*, Rex pariter, & Pontifex, ſpatio 27. annorum ab 3899. uſque ad 3926. ante Chr. 74. ante Ær. 78.
52. *Hircanus*, totum Pontificatus ſui ſpatium 32. annis concluſit ab 3926. uſque ad 3958. ante Chr. 42. ante Ær. 46.
53. *Ariſtobulus* ejus frater, Sacerdotium triennio & 3. menſibus occupavit, ab 3935. uſque ad 3940. ante Chr. 60. ante Ær. 64.
54. *Antigonus* ejus filius, amoto Hircano, Pontificatum biennio, & 7. menſibus obtinuit, ab 3964. uſque ad 3967. ante Chr. 33. ante Ær. 37. quo à Soſio captus eſt.
55. *Ananelus* Babylonius, ab Herode aſſumptus an. 3968. uſque ad 3970. ante Chr. 30. ante Ær. 34.

56. *Ari-*

56. *Ariſtobulus*, poſtremus Aſmonæorum, ne ſolido quidem anno Pontifex. Obiit anno 3970. ante Chr. 30. ante Ær. 34.
Annnelus, depoſitam dignitarem repetit an. 3971. ante Chr. 29. ante Ær. 33.
57. *Jeſus*, filius Phabis depoſirus an. 3981. ante Chr. 19. anre Ær. 23.
58. *Simon*, filius Boethi, aſſumptus an. 3981. remotus an. 3999. ante Chr. 1. ante Æc. 4.
59. *Matthias*, filius Theophili, electus an. 3999. cui eventu quodam à fungendo munere abſtinenti, Ellem Sacerdotio diurno ſuffectus eſt an. ante Chr. 1. ante Ær. 4.
60. *Joazar*, filius Simonis, filii Boethi, promotus an. 4000. ipſo nati Chriſti anno, ante Ær. 4.
61. *Eleazarus*, frater Joazari aſſumptus an. 4004. Chr. 4. Æs. 1.
62. *Jeſus*, filius Siah, electus an. 4009. Chr. 9. Ær. 6.
Joazar, dignitatem poſtliminio repetiit, an. 4010. amotus an. 4016. Ær. 13.
63. *Annnus*, filius Seth, 11. annis ab an. 4016. uſque ad 4027. Ær. 24.
64. *Iſmael*, filius Phabi, aſſumptus an. 4027. Ær. 24.
65. *Eleazarus*, filius Anani, electus an. 4027. Ær. 24.
66. *Simon*, filius Chamithi, an. 4028. Ær. 25.
67. *Joſephus*, cognomento Caiphas, ab an. 4029. uſque ad 4038. Ær. 35.
68. *Jonathas*, filius Anani, ab an. 4038. uſque ad 4040. Ær. 37.
69. *Theophilus*, filius Jonarhæ, an. 4040. amotus 4044. Ær. 41.
70. *Simon*, cognomento Cantharus, filius Simonis Boethi, aſſumptus an. 4044. Ær. 41.
71. *Matthias*, filius Anani, an. 4045. Ær. 42.
72. *Elionæus*, ab an. 4047. ad 4048. Ær. 45. quem Simon Cautharus excepit, iterum Sacerdotio functus ab an. 4048. amotuſque eodem anno Ær. 45.
73. *Joſephus*, filius Canæi, ab an. 4048. ad 4050. Ær. 47.
74. *Ananius*, filius Nebedæi, ab 4050. uſque ad 4066. Ær. 63.
75. *Iſmael*, filius Phabæi, electus an. 4066. Ær. 63.
76. *Joſephus*, cognomento Cabæi, an. 4066. Ær. 63.
77. *Ananus*, filius Anani, an. 4067. Ær. 63.
78. *Jeſus*, filius Anani, an. 4067. Ær. 64.
79. *Jeſus*, filius Gamalielis, an. 4067. Æs. 64.
80. *Matthias*, filius Theophili, ab 4068. uſque ad 4073. Ær. 70.
81. *Phannius*, filius Samuelis, aſſumptus an. 4073. Ær. 70. quo anno urbe & Templo everſis, Sacerdotium & ſacrificia Judæorum abrogata ſunt.

Singulorum Pontificum geſta legas in ſuis articulis.

(E genere Ithamari translatum Sacerdotium in familiam Eleazari juxta fidem Oraculi, à Domino ad Heli ſummum Sacerdotem facti 1. *Reg.* 2. 30. 31. 32. 33. *&c.* Sed hæc non ſtatim impleta ſunt. Manſit enim diu adhuc poſſeſſio Sacerdotii apud poſteros Heli. Illum enim in Pontificatu excepit *Achitob* è filiis tertius natu, vel juxta alios *Achias*; huic ſuffectus *Achimelech*, quo juſſu Saulis unà cum cæteris Sacerdotibus in Nobe verſantibus trucidato (a), viduata dignitas à Rege translata eſt in Sadoc. Sed Abiathar filius Achimelech, eo quòd Davidis partibus inhæſiſſet, aſſertus eſt in dignitate ſummi Sacerdotii in Regno Juda; ex quo factum ut regni Davidici majore temporis portio divitum Sacerdotium haberet inter Sadoc & Abiatharem, illum è genere Eleazari, alterum Ithamari. Tandem labentibus Davidis annis Abiathar partes Adoniæ contra Salomonem ſequens, exauthoratus eſt (b), atque uni Sadoc remiſſa eſt Summi Sacerdotii dignitas. Tunc ille primum munus Pontificis agere cœpit Jeroſolymis, cum antea nonniſi in Altare Gabaon ſacrificaret 3. *Reg.* 2. 26. 27. *&* 1. *Par.* 16. 39.

Arbitrati ſunt nonnulli Sacerdotium, etiam poſt datam Legem, viros quoſdam è familia Aaron alienos geſſiſſe; uti Moyſem, Joſue, Samuelem, & Saulem, quos in certis rerum eventibus ſacrificia obtuliſſe conſtat. Sed quando hæc certis probarentur argumentis, in confeſſo eſt apud omnes; 1. Prophetas exercere poſſe interdum ex ſpeciali quadam revelatione Dei munus Sacrificatoris; 2. Id ſibi libertatis faciliùs vindicaſſe homines ante conſtructum Templum, quàm poſt cultum publicum Domini Jeroſolymæ addictum; 3. Nihil minus eſſe quàm certum, an Joſue, Samuel, & Saul manu ſua obtulerint ſacrificia, vel potiùs miniſterio Sacerdotum; ſæpè enim Scriptura factum dicit ab aliquo, quod tantùm ad ejus mandatum alii præſtiterunt. Vide in Dictionario Biblico V. *Sacerdotes*.

Hebræum *Cohen* exprimens *Sacerdotem*, deſignat etiam interdum *Principem*. Ita legimus *Exod.* 2. 16. de Jethro ſocero Moyſis: *Erat Sacerdos Madiani*; i. e. juxta Interpretes nonnullos, Princeps vel Præfectus Urbis ſuæ; & in 2. Reg. 8. 18. *Filii David Sacerdotes erant*; Septuaginta: *Erant Domini in Aula*, in Aula Principes. Quod exprimit etiam Author 1. Par. 18. 17. *Filii David primi ad manuum Regis*; prima Aulæ munera gerebant.

SACERDOTIUM, apud omnes latè gentes ingenua erat adeò, eximia & commoda dignitas, ut cæteros populos invidiæ neſcio quo ſtimulo pungeret. Inſinuaturus Hebræis Dominus quantis illos favoribus cumulaturus eſſet, deſtinaſſe ſe illos dicit in Reges & Sacerdotes: *Eritis mihi in Regnum Sacerdotale Exod.* 19. 6. Eadem ſpe relevat Chriſtianos S. Petrus 2. 9. ſeu potiùs in illis impletum dicit, quod olim Moyſes promiſerat Iſraelitis: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta*; & S. Joannes Apoc. 1. 6. *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo Patri ſuo*. Chriſtianorum non permittit quidem ſingulis offerre indiſcriminatim Sacrificium novæ Legis, ſed participatio eſt Sacerdotii Jeſu Chriſti, quod in Eccleſia exercent Sacerdotes ritu legitimo initiati; ſingulis autem fidelibus jus eſt immolandi Domino in unionem Sacrificii Jeſu Chriſti proprium cujuſque corpus, indoles, bona, tandem delicias, integrum pariter offerre divinum Altaris ſacrificium, cor ſuum, atque intimum animi ſenſum cum Sacerdote conjungendum; ac tandem ſingulis temporum articulis valet quiſque offerre Patri merita Sacrificii Jeſu Chriſti ab ipſo in Cruce oblati. Hoc munus eſt Sacerdotii à Fidelibus è vulgo geſti. Ad hæc cùm Sacerdotium novæ Legis non cedat in prærogativam unius familiæ, nec per ſucceſſionem tranſmittatur, in medio poſitum eſt ſingulis Chriſtianis ut adſpirent ad gloriam Sacerdotii, comparentque ſe ad illud merito vitæ ad normam recti exactæ ac morum innocentiæ.)

SACRAMENTUM. Græcè *Myſterion*. Vox illa in Scri-

(a) 1. Reg. 21. 16. & 1. Par 6. 53. A. M. 2944. ante Jeſum Chriſtum 1056. ante Æram 1059.
(b) A. M. 2989. ante Jeſum Chriſtum 1011. ante Æram 1014.

Digitized by Google

in Scriptura varie uſurpata, aliquando *ſecretum* ſonat: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt; Tob.* 12. 5. & *Neſcierunt ſacramenta Dei*: *Sap.* 2. 22. interdum myſterium, ſive rem quandam abditam & myſteriis obvolutam: hinc myſticum Nabuchodonoſoris ſomnium Danieli revelatum, ejuſque myſterium explicatum, Sacramentum dicitur: *Dan.* 2. 18. 19. *Ut quæreret miſericordiam Dei ſuper Sacramento iſto. Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte revelatum eſt &c.* Vulgò tandem Sacramenti nomine Novæ Legis Sacramenta, & Religionis noſtræ myſteria intelligimus. Quæ quidem variæ ejuſdem vocis ſignificationes, omnes æquè ſecretum aliquod, & myſterium indicant. *Sacramentum* Apoſtolo eſt myſterium Incarnationis Jeſu Chriſti, vocationis Gentium, *Epheſ.* 1. 9. & 3. 3. 9. *Coloſſ.* 27. Nuptiarum Sacramentum, *Epheſ.* 5. 32. tota hominum ſalutis, Novique Fœderis œconomia. Vide 1. *Timoth.* 3. 16.

Sacramenta Legis Veteris: quo nomine cæremoniæ, ſacrificia, expiationes, unctiones, initiationes in Lege præſcriptæ; quòd myſticum aliquod & figuræ præſeferrent, cenſentur. Porrò circumciſio Baptiſmum portendebat; Sabbathum, requiem æternam; panes propoſitionis, SS. Euchariſtiam; Chriſma Sacerdotum, Sacri Ordinis initiationem; expiationes, purificationes, luſtrationes, Sacramentum Pœnitentiæ; ſacrificia, oblationes, & libationes, Sacrificium quotidianum Jeſu Chriſti in Altari; Tabernaculum, Arca Fœderis, Altare Holocauſtorum, thymiamatis, & legalia quæque in obſequium Templi, Religionem Chriſtianam univerſam, tum & cæremoniarum in tradendis Sacramentis apparatum. Quæ ad Cœlum & futuram ibi felicitatem ſpectant, earum rerum myſteria Apoſtolus latè proſequitur *Hebr.* 9. 1. *&c.*

Sacramenta Novæ Legis, cæteris Veteris Legis planè præſtant. Neque enim, ait Apoſtolus, priſtina illa niſi tantùm *infirma, & egena elementa* habenda ſunt; *Galat.* 4. 9. atque Sacerdotium & Legalia ideò abrogare viſum eſt *propter infirmitatem ejus & inutilitatem* Hebr. 7. 18. *Nihil enim ad perfectum adducit Lex; introductio vero melioris ſpei* (fit) *per quam proximamus ad Deum.* Quæ verò in Nova Lege conſtituta ſunt Sacramenta, *numero pauciſſima ſunt, obſervatione facillima, ſignificatione præſtantiſſima. Aug. Ep.* 54. *nov. Edit. t.* 2. Illa ſanè auguſtiora reſpiciunt, excellentiſſima virtute pollent, quippè quæ bonorum ſupernaturalium rivum in homines deducant: *Virtute majora* (ſunt) *utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, quam antiqua. Aug. l.* 9. *contr. Fauſt. c.* 12. *t.* 8.

Porrò Sacramenta illa ſenſibus ſubjecta gratiæ ſpiritualis illapſui deſignando à Jeſu Chriſto inſtituta, ſeptem numero recenſentur: Baptiſmus: Confirmatio: Pœnitentia: Euchariſtia: Extrema Unctio: Ordo: & Matrimonium.

Baptiſmus, quo fide initiati, in Filios Dei gignimur. Sacramentum hoc Chriſtus illis ad Apoſtolos verbis inſtituit: *Matth.* 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Huic miniſtrando communis aqua, ſub eorundem verborum formula ſufficitur. Vim peccatum originale remittendi, & actualia quæque obtinet; characterem tandem Chriſtiani imprimit.

Confirmatio, quo nos Sacramento novo charactere, veluti in fidei profeſſione ſtrenui jam milites, obſignamur. Eo enim ſpeciali S. Spiritus illapſu ad aſſerendam Religionem vel vitæ diſpendio comparati ſumus. Promiſſum ſiquidem Spiritum S. *Luc.* 12. 12. *Jo.* 14. 17. 26. & 15. 26. *&c. Act.* 1. 5. Jeſus Chriſtus die Pentecoſtes Diſcipulis largitus, *Act.* 2. 2. 4. ita ſingulos afflavit, ut Apoſtolicæ manus impoſitione cæteris etiam Fidelibus Baptiſmo initiatis conceſſum ſibi donum communicarent. *Act.* 8. 15. Hoc Apoſtolorum privilegium in Epiſcopos eorum ſucceſſores, unicos ejus Sacramenti miniſtros, derivatum eſt; qui Sacerdotalium manuum impoſitione, addita ſacri Chriſmatis unctione, certaque verborum formula Sacramentum conferunt.

Pœnitentia, vi à Jeſu Chriſto indita remittere crimina valet; quod in ejus inſtitutione idem Chriſtus expreſſit, conferre ſe Apoſtolis dicens ligandi atque ſolvendi authoritatem. *Matth.* 16 19. & 18. 18. Circa crimina verſatur, atque pœnitentis actibus, contritione ſcilicet, confeſſione, & ſatisfactione, quæ Sacramenti naturam efficiunt, præmiſſis, collata a Sacerdote abſolutione perficitur.

Euchariſtia, Sacramentum Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, qui Corpus & Sanguinem ſuum ſub panis & vini ſpeciebus deguſtandum bibendumque Apoſtolis die ante Paſſionem præbens, ſimul adjecit: *Accipite, & manducate: hoc eſt Corpus meum*; tum & illud, dum calicem propinavit: *Accipite, & bibite: hic eſt Sanguis meus.* (a) Hæc Sacramenti inſtitutio.

Extrema Unctio, Sacramentum ad levandos animi corporiſque languores inſtitutum. Hujus vis eſt in omnes Diaboli ſuggeſtiones, atque mortis terrores: reliquias criminum, crimenque ipſum, ſi quod fortè expiandum remanſerit, abſtergit; ac tandem corporis valetudini, ſi ſaluti expedierit, pharmacum eſt præſentiſſimum. Apoſtolos Evangelii prædicandi gratia per urbes Judææ diſcurrentes, inunctos oleo infirmos reſtituiſſe, S. Marcus 6. 13. eſt author. Et S. Jacobus 5. 13. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Ordo. Initiandis Eccleſiæ Miniſtris, illiſque aſſerendæ facultati Jeſu Chriſti Corpus conficiendis, uti & cæteris ſacris muneribus præſtandis, Jeſu Chriſto authore, certum Sacramentum conſtitutum eſt. De uno autem eodemque Ordinis, ſive Ordinationis Sacramento plures, Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, cæterique inferiores Clerici pro ſuo quique modulo participant: gratiæ ſingulis ſua portione conceduntur, necnon peculiaris character imprimitur. Hujus Sacramenti conferendi jus certum, ratumque Epiſcopo aſſertum eſt; quippe qui jure Divino cæteris Sacerdotibus præſit. Illi autem inſtituendo Jeſus Chriſtus in os Apoſtolorum flans, adjecit: *Joan.* 20. 22. 23. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Matrimonium, quo Sacramento à Jeſu Chriſto inſtituto, duo ſimul, vir, & fœmina indiſſolubili conjugio vinciuntur, ut duo ſint in carne una, gignendiſque, atque educandis in timore Dei filiis operam impendant. Jeſus Chriſtus convivio Canæ adſiſtens, nuptias ſanctificavit; *Joan.* 2. 1. 2. abrogata autem divortii Lege, ejus vinculum ratum, aſſertumque voluit. Quamvis enim in adulterii crimine deprehenſus conjux dimitti queat, manente tamen ſemper vinculo, utraque pars ab alieno conjugio interdicitur. Apoſtolo docente, Sacramentum illud Jeſu Chriſti cum Eccleſia conjugium exprimit; *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Epheſ.* 5. 32. De ſingulis Sacramentis in ſuis articulis fuſius.

SACRIFICIA. Omnia Hebræorum ſacrificia ad tria potiſſimùm genera revocanda ſunt: *Holocauſtum, Sacrificium pro peccato*, nempe expiationis; & *ſacrificium pacificum.* Præter hæc, quædam erant libationes tritici, farinæ, placentarum, vini, & fructuum. Certum prætereà fuit ſacrificium, jure meritoque ſingulare habitum, quo nempè ex duobus obla-

(a) Matth. 26. 26, &c. Luc. 22. 17. 18. Marc. 14. 22. 23.

Digitized by Google

oblatis in expiationem leproſi paſſeribus, alter dimittebatur; *Lev.* 14. 4. 5. uti & in altero ſacrificio ex duobus hircis, alter emiſſarius dictus, in diſſitum quendam, & præruptum locum deductus, relinquebatur. *Lev.* 16. 10. 26. Ambo enim hæc animalia tamquam expiationis victimæ, atque impoſitis in illa criminibus onuſta habebantur.

Holocauſtum totum igne holocauſtorum abſumebatur, nihilque ex illo ſive offerenti, ſive Sacerdoti permiſſum. Pellis tantummodò Sacerdoti cedebat (a), excoriata enim hoſtia, lotis illius inteſtinis & pedibus, offerebatur (b).

Hoſtia pro peccato, ſivè in expiationem, ſi fortè crimen aliquod, Legaliſve ſordes contracta eſſet, certa tantùm illius portio igne Altaris adolebatur. Reliqua Sacerdoti cedebant: nihil offerenti permiſſum: hiſce autem cæremoniis ſacrificium fiebat *Levit.* 4. & 5. Summus Sacerdos, ſi fortè crimen aliquod imprudens commiſiſſet, vitulum in expiationem offerebat, quod præ foribus Tabernaculi ſtatuens Sacerdotali manu cerviti impoſita, continebat, ſimulque crimen ſuum profeſſus, veniam implorabat. Inde victimæ jugulatæ ſanguinem in Tabernaculum inferens, ſepties contra velum ante Sanctuarium expanſum aſpergebat: reliquum, linito priùs modico ſanguine Altari thymiamatis, ad baſim Altaris holocauſtorum effundebat. Detractum inde adipem renes operientem, jecur, & inteſtina igni Altaris holocauſtorum tradebat: pellis, pedes, inteſtina & reliquum victimæ extra caſtra elata in locum purum cineribus Altaris holocauſtorum deſtinatum, igne abſumebantur.

2. Totius populi crimen ut expiaretur, vitulo pariter ante Aram Tabernaculi à Senioribus conſtituto, manus ab illis imponebatur, crimen ſimul commiſſum fatentibus. Inde Sacerdos victimæ à ſe jugulatæ ſanguinem in Sanctum inferens, ritequè ſeptem aſperſionibus peractis, atque cornibus Altaris thymiamatis linitis, reliquum ad baſim Altaris holocauſtorum effundebat. Adeps igni Altaris traditus: reliqua extra caſtra, uti ſupra deſcripſimus, cremabantur.

3. Principis populi crimini detergendo, hircus (c) præ foribus Templi offertur, latente interim ſpiocimen, poſita ſupra victimam manu. Tum jugulata victima à Sacerdote, linita Altaris holocauſtorum cornua, effuſus ad baſim ejuſdem Altaris ſanguis, ejuſdemque igni traditus adeps. Reliqua Sacerdoti cedebant, nonniſi tamen in Tabernaculo deguſtanda: efferri ſiquidem nefas.

4. Vulgarium hominum ſacrificia ovem, ſive capram abſque labe exigebant, quæ præ foribus Tabernaculi coram Sacerdote conſtituta, impoſitaque illis ab offerente manu, inde ritè à Sacerdote jugulabantur; ſanguine cornibus Altaris linitis, reliquum ad baſim Altaris fuſus, adeps crematus. Reliqua Sacerdoti cedunt.

Ovi, ſive capræ offerendis impar, duos turtures, ſive duos pullos columbarum ſubſtituebat, alium pro peccato, alterum in holocauſtum. Hic Altaris igne penitus abſumebatur; illi, Sacerdoti oblato, caput evellebatur, juxta aliquos, ſive in adverſam partem tantùm retorquebatur. Defluente ſanguine latera Altaris aſpergebantur, reliquum verò ad baſim Altaris effundebatur. Inde omnia Sacerdotis erant.

Si quis neque hiſce offerendis par eſſet, tantum farinæ offerebat, quantum decima ephi parte contineretur, nempè paulò plus, quàm ſemiſeatartum, neque oleo neque thure adjecto. Ejus oblationis Sacerdoti traditæ pugillus in ignem injiciebatur: reliqua Sacerdoti cedebant. Plura in eam rem addun-tur (d), in quibus præter expiationis hoſtiam mulcta quædam indicitur, Domino pendenda pro criminis ratione: cæterùm tamen eædem ſemper cæremoniæ manebant.

Quod ad hoſtiam pro peccato ſpectat, ſi fortè aries offerebatur, ſempre ejus cauda, pinguiſſima illa, unà cum ejus adipe adolenda erat. *Levit.* 7. 2. 3. hirci verò nonniſi adeps cremabatur.

Sacrificium pacificum, agendis Deo gratiis, ſive poſtulandis, vel ſola offerentis religione, aut denique ob ſolum Dei cultum offerebatur. Sponte tantùm, nulloque Legis præcepto obligante, à ſingulis ſuſcipiebatur. Nihil etiam de animantibus cæterùm ad ſacrificium aptis, præſcribitur: nihil de ætate, & ſexu victimarum; quæ tamen erat holocauſtorum & ſacrificiorum pro peccato diſciplina. Hoc tantum in Lege cautum, ne quam unquam labem victima haberet. *Levit.* 3. Ea victima præ foribus Tabernaculi conſtituta, atque ab offerente manus impoſitione initiata, ab illo mactabatur. Sanguine circa Aram holocauſtorum effuſo, adeps renes, jecur, & inteſtina operiens adolebatur: quod etiam de cauda arietis, ſive agni, pinguiſſima illa in iis regionibus, præſcriptum eſt.

Antequam tamen hæc igni traderentur, offerentis manibus omnia à Sacerdote impoſita eo manus ducente elevabantur, atque ad quatuor mundi plagas ſiſtebantur. *Levit.* 7. 30. &c. Pectulculum, & armus dexter Sacerdoti cedebant; quamquam & illa manibus offerentis priùs imponi debuiſſe ſatis videntur, uti Moyſes de pectulculo apertè injungit. His peractis, reliquum hoſtiæ offerens domum referebat, in uſum familiæ & amicorum uti & cæteras dapes.

Sacrificia, ſive *Libationes farinæ*, & *liquorum*, in criminis expiationem pro tenuioribus præſcriptæ erant, quibus majores victimæ graviores fuiſſent. Offerebant igitur ſimilam oleo ſuffuſam, thure etiam ſuperpoſito; *Lev.* 6. 14. ex quibus farinæ pugillo, totoque thure igni Altaris tradito, reliquum ipſi Sacerdoti cedebat, in azymos panes reducendum, cujus nonniſi in Tabernaculo, & ſolis Sacerdotibus uſus permittebatur. De cæteris oblationibus fructuum, vini, farinæ, placentarum, & ſimilium, pars tantùm igni altaris, reliqua Sacerdotibus cedebant. Nulla verò ex his oblationibus abſque ſale, & vinoſ nulla non azyma. *Levit.* 2. 1. &c.

Sacrificia, quibus avi, ſive hirco permiſſa libertas, cùm nec ſanguine, neque victimæ mactatione conſtarent, à ſacrificio planè excidebant: Aſſerendo in libertatem paſſeri in expiationem ſive leproſi, ſive domus lepra infectæ, hi ritus ſervabantur. *Lev.* 14. 4. &c. Duo paſſeres, ſive puræ aves, unà cum faſciculo ex ramuſculis cedri, & hyſſopi, vitta purpurea colligatis, Sacerdoti offerebantur. Continuò altera ex avibus ſuper aquam vivam ad hoc in figlino vaſe novo, puroque præparatam, immolabatur; alia verò ſuperſtes, faſciculo cedri, & hyſſopi ita alligabatur, ut cauda capulum reſpiceret. His ità paratis, faſciculus cum paſſere in aqua ſanguine mixta mergebatur; quo ſtatim reducto, aſperſiones leproſi ſive domus fiebant. Poſt hæc, ſolutus paſſer liber dimittebatur.

Hirco verò dimittendo hi ritus præſcripti. *Levi* 18. 5. Die Expiationis ſolemnia, ex duobus hircis ab univerſo Iſraele Summo Sacerdoti præ foribus Tabernaculi in hoſtiam pro peccato oblatis, alter ſortitò immolationi, alter verò liber dimittendus deſtinabatur. 2. Inde immolatio alterius ex illis ſuccedebat: cui verò libertas deſtinabatur, coram Domino ductus, diris omnibus ab univerſo Iſraele devovebatur, certis interim à Summo Sacerdote ſu-

(a) Philo de præmiis Sacerd. & Levit. 7. 8.
(b) Vide Holocauſtum, & Levit. 1.
(c) Cùm hircus offerendus erat, arietem etiam offerri potuiſſe arbitror. Vide Levit. 7. 1. & Confer. Levit. 5. 6. 7.
(d) Levit. 5. 15. 16. & 6. 1. 2. 3.

per illum precibus recitatis, atque ambabus manibus cervici animalis impoſitis, crimina univerſi populi fatente. His peractis, per deſtinatum ad eam rem hominem in deſertum deducebatur. Hirco illi nomen ab Hebræis inditum *Azazel*. Vide *Azazel*, & *Hircus emiſſarius*.

Sacrificia avium, triplici tantùm de cauſa præſcripta ſunt. 1. pro peccatis, cùm majori hoſtiæ exhibendæ offerens impar fuiſſet. *Levit.* 5. 7. 2. pro purificatione mulieris à puerperio. *Levit.* 12. 6. 7. cui tamen ſi agnum, & pullum columbarum offerendo ſumptus ſuffeciſſet, utrumque præſcriptum erat; agnus in holocauſtum, pullus columbarum pro peccato. Tenuiores agno duos turtures, ſivè duos pullos columbarum ſubſtituebant, alium in holocauſtum, alium pro peccato. 3. Duos paſſeres in expiationem leproſi offerri conſueviſse ſupra jam diximus.

Sacrificium agni Paſchalis. Vide *Paſcha*.

Hæc Hebræorum Sacrificia, infirma planè illa, & eluendis animi maculis imparia; quæ proindè meritò ab Apoſtolo Paulo eadem cum cæteris cæremoniis legalibus ſententia rejecta ſunt, tamquam *infirma, & egena elementa*. *Galat.* 4. 9. Porro illa, ait S. Auguſtinus *Ep.* 149. *c.* 1. *n.* 7. 8. *t.* 2. *gratiam ſignificabant, non efficiebant*. Sontibus criminia ſui maculas purificatione expiandas detegebant: *Convincebantur peccatores potius, quàm mundabantur*. *Auguſt. l.* 1. *de peccat. remiſſ. c.* 27. *n.* 54. *t.* 10. Hæc tandem omnia nonniſi Sacrificium & oblationem Eccleſiæ Chriſtianæ, in quo uno virtutes omnium aliorum Sacrificiorum conſtant, portendebant (a); illud enim holocauſtum ſimul eſt, hoſtia pro peccato, & gratiarum actionis; re tamen, non quemadmodum vetera Sacrificia in umbra & in ſpecie.

Sacrificium Eccleſiæ Chriſtianæ, unicum illud, in quo Sacerdotum miniſterio Corpus, & Sanguis J. C. in Altari ſub panis, & vini ſpeciebus offertur, & immolatur. Hoc Sacrificium cætera Judæorum ſpectabant; in illud omnium Sanctorum, & Prophetarum vota collimabant: quippe qui cruenta Sacrificia offerentes, incruentum illud præ oculis habebant. Agnus Paſchalis, holocauſta quotidiana, libationes ſimilæ, & vini, & cætera quæcumque mortem Jeſu Chriſti referebant, quam Altaris Sacrificium non tam figura, quàm re ipſa exhibet. Nec aliud innuiſſe Malachiam 1. 10. 11. credimus illis verbis: *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum*, ait Dominus, *magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. In eo oraculo duo potiſſimùm noſtræ Religionis dogmata aſſerta ſunt: 1. abrogatio Sacrificiorum, atque Legalium; 2. novi ſacrificii in nomine Domini ubique terrarum, & in mediis gentibus oblatio. Vide *Miſſa*.

Sacrificium cordis contriti, & humiliati; quod unum Sacrificium unà ſimul cum cæteris Deo oblatum ex nobis eſt: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. *Pſalm.* 50. 19. Hujus defectu oblata à Judæis Sacrificia Deus reſpuebat: ipſumque quod à nobis exhibet, Diviniſſimum, & excellentiſſimum Sacrificium irritum nobis, atque pernicioſum cederet, ſi contraria planè cordis habitudine, vel ſaltem illam non cupientes, Sacris operaturi accederemus. Ita Deus non rarò apud Prophetas: *Oblationem, & holocauſtum non poſtulaſti: aures autem* (ad auſcultanda præcepta) *perfeciſti mihi*. *Pſal.* 39. 9. 10. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus*. *Iſa.* 1. 11. *&c. plenus ſum. Holocauſta arietum &c. nolui ... nec offeratis ultra Sacrificium fruſtra; incenſum abominatio eſt mihi; Neomeniam & Sabbathum & feſtivitates alias non feram ... Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini & mundi eſtote; auferte malum cogitationum veſtrarum*. (b)

(SACRIFICIUM. Eſt ſacrificium oblatio Deo in Altari exhibita per Miniſtrum legitimum, qua recognoſcere nos profitemur ſummum ejus imperium, & tributum majeſtati ipſius exhibemus. A vulgari oblatione ideò differt, quòd in ſacrificio realis quædam immutatio, ſeu deſtructio rei oblatæ intercedat neceſſe eſt; cùm oblationem ſimplex rei largitio tolerat. Vetuſtatem mundo parem referunt Sacrificia; cùm enim nunquam non ſe obligari homines intellexerint ad ſummum Dei ſuper ſe ac ſua omnia imperium agnoſcendum, atque huic muneri integra fide implendo nunquam defuerint ex hominibus ſaltem aliqui; rectà indè conſecutione licet inferri, nunquam defuiſſe in mundo ſacrificia.

Adam ejuſque filii, Noe cæterique poſteri, Abraham cum ſuis, Job, & Melchiſedech ante Legem veris ſacrificiis Deo litarunt. Nihil in eam rem præſtitit Lex, niſi certos aſſignare ritus pro qualitate, numero, & circumſtantiis ſacrificii offerendi, antehac arbitraria erant omnia. Offerebantur ad arbitrium ſari è terra fructus, adeps, lac, ovium vellera, vel ſanguis & caro victimarum. Sequebatur autem quiſque pios animi ſui motus, voluntatem, ſtudia, gratique cordis affectum; ſed à Lege primùm ſancitum eſt quidquid, & quantum à Judæis offerretur. Ante Legem vindicabat ſibi quiſque munus Sacerdotii, ac Miniſtri ſui ſacrificii, vel ſaltem in medio erat omnibus ſeligere quemcumque maluiſſent Sacerdotem, mactandis victimis; id autem plerumque ſervatum, ut honor iſte daretur ſenioribus, principibus familiarum, vel Urbium, ac tandem viris probitate inſignibus. Poſt Moyſem juris illud totum in familiam Aaronicam conceſſit.

An olim ab exordio alia obtinuiſſent ſacrificia præter holocauſtum, ambigitur. Alia nulla occurrunt in Scriptura, affirmantque Thalmudiſtæ mera tantùm holocauſta obtuliſſe Abelem, nihil ſacrificii ab igne reſervantem; neque enim hoſtiæ quidquam illis permittebatur in cibum. Sacrificia tamen cruenta nulla ab eo Patriarcha oblata cenſet Grotius; Textus enim Moyſis, *Gen.* 4. 4. quo præfert in Vulgata: *Obtulit de primogenitis gregis ſui*; commodè redderet in Hebræo: *De primitiis & de lacte*. Certum ponitur apud Veteres litari Deo ſolis terræ fructibus, herbis, floribus, melle, lacte, frumento, lanis. *Ovid. Faſt. l.* 4.

Lacte mero Veteres uſi narrantur & herbis,

Sponte ſua, ſi quas terra ferebat....

Affirmat pariter vetuſtis moribus obtinuiſſe (c), non ſubjicere ignem ſacrificiis, ſed deducere è Cœlo precibus, quo potiſſimum indicio tenent ex Patribus plerique (d) demonſtraſſe Deum favere ſe oblationibus Abelis. Appoſitas enim, inquiunt illi, depluens è Cœlo ignis abſumpſit, Cainicas verò flamma reliquit intactas. Incendit pariter ſacrificia oblata ſibi, qua die Aaron initiabatur, ſicut & quæ Gedeon exhibuit, quæ Salomon die ſolemni Dedicationis Templi; quæ Elias in monte Carmelo; ac tandem quæ Macchabæi in Expiatione Templi ab Antiocho Epiphane prophanati.

SACRIFICIUM PERPETUUM, quod Hebræi Thamid. Mandaverat Deus offerri in Altari mane & veſpere ſingulorum dierum holocauſta ſingularia agni in ſingulorum ſacrificia (e). Abſumebantur illa lento igne, ut diutiùs durarent. Statum arieti matutino tempus erat exortus ſolis, poſt ſuffitum in Altari aureo, ante cætera omnia Sacrificia. Veſpertinum Sacrificium *inter duas veſperas* dabatur; i. e. inclinante die,

(a) Aug. l. 20. c. 18. cont. Fauſt. in Pſal. 39. 7. & paſſim.
(b) Vide Jerem. 35. 15. Amos 5. 21. 22. Oſee 14. 2. &c. Joel, 2. 12. &c. Pſal. 49. 9.
(c) Servius in Æneid. l. 12. Vide & Solin. Polyhiſtor c. 2.
(d) Cyrill. l. 2. in Geneſ. Hieronym. quæſt. Hebr. Ephrem Serm. 1. de Sacerdotio, Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebr. c. 11.
(e) Exod. 29. 38. 39. 40. Num. 28. 3.

Digitized by Google

te die, antequam nox iniret. Unà cum hoſtiis ſingulis addebantur hemiſextarius vini, & tantundem olei ex oliva puriſſimi, & Aſſaron vel tres pintæ circiter ſimilæ.

SACRIFICIA HUMANARUM HOSTIARUM. Quæ nobis inſidet idea, dictans offerenda Deo, quæcumque ſunt nobis cariſſima atque eximia, gentes plurimas induxit ad offerendas humanas victimas. De primo moris hujus authore non ſat convenit inter plures; ſunt qui inductum è Saturno vel *Ilo* apud Phœnices omnium primùm cenſeant (a). Immolavit ille Diis natum ſibi ex *Anobreth* Nympha filium *Jehid*. Philo Judæus, *lib. de Abraham*, inſinuat hujus generis ſacrificia jam inde ante Abraham innotuiſſe Chananæis; & viris quibuſdam doctis (b) perſuaſum eſt gentium illarum exempla plurimùm contuliſſe ad minuendum horrorem Abrahami, parantis ſeſe offerre in ſacrificium filium ſuum, juxta traditum ſibi à Deo mandatum.

Sed vero propius æſtimaremus, Abrahamum omnium primum ad immolandum filium ſuum accinxiſſe ſeſe, cujus viri exemplum præposterè acceptum prorogando huic ritui contuliſſe. Sanchoniaton, cujus fide aſſeritur ſacrificium Jehid ab Ilo immolatum, Scriptor eſt ſubleſtus. Non equidem negat Philo morem immolandi homines obtinere non potuiſſe in Palæſtina ante Abrahamum; ſimul autem defendit conſilium viri ſancti accingentis ſeſe ad immolationem filii, alienum fuiſſe ab æmulandis gentibus illis, quorum mores æquè ac Idololatriam deteſtabatur. Quid enim valuiſſet ad id rei Patriarcham inducere? an metus, an ſpes, vana oſtentatio, atque laudum vel bonorum amor, & cupiditas. Omnium eorum loco habebat Iſaac; ſed præceptum Dei non obſcurum, nullum hæſitandi ea de re locum illi permiſit, quanquam id juberet, quod commodo ſuo atque indoli planiſſimè averſabatur.

Quod attinet ad ſacrificia humanis hoſtiis cruenta, nota in Palæſtina, in Africa, in Gallia, & ubique fermè per Orbem, vetuſtiſſimam ætatem obtinuiſſe illa negaverit nemo; ſicut & certò conſtat re ipſa oblata fuiſſe ex immolatis in honorem Numinum hominibus. Novi equidem viros nonnullos doctos (c), autumaſſe ſat habuiſſe Chananæos & Mohabitas, ſi per tranſverſas flammas vel inter duos poſitos ignes medios traducerent pueros, quod appellatum eſt: *Luſtrare per ignem*; nec ego quidem negaverim id etiam interdum obtinuiſſe. Plerumque tamen conſumebatur re ipſa ſacrificium illud igne, quod pronum eſt demonſtrare.

Vetat Moyſes, *Levit*. 18. 21. *De ſemine tuo non dabis ut conſecretur Idolo Moloch*; quo in loco Hebræus: *De ſemine tuo non dabis, ut traducat Moloch*, quod de ſimplici luſtratione aliqui accipiunt, qualis ritus apud Paganos innotuit *Ovid. Faſt. l.* 4.

Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.
Omnia purgat edax ignis....

Alibi verò meminit Scriptura filii Regis Achas (d) oblati Moloch, qui tamen parenti ſuo in Regno ſucceſſit.

Sed tot aliis argumentis demonſtrarentur abſumi reipſa pueri in honorem hujus Numinis, ut id negare perinde eſſet ac apertæ veritati repugnare. Ita de crimine illo *Levit*. 20. 1. 2. 3. *Homo de filiis Iſrael, & de advenis, qui habitant in Iſrael, ſi quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum; & ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidamque eum de medio populi ſui, eo quod dederit de ſemine ſuo Moloch, & contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen ſanctum meum. Quod ſi negligens populus terræ, & quaſi parvipendens imperium meum, dimiſerit hominem, qui dederit de ſemine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere; ponam faciem meam ſuper hominem illum, & ſuper cognationem ejus, ſuccidamque & ipſum, & omnes, qui conſenſerunt ei de medio populi ſui*. Innovat Moyſes hanc Legem *Deut*. 18. 10. Nequidquam tamen hiſce factum eſſe intelligimus ex Amos 5. 26. quin populus abſterreretur in ipſo per Deſertum itinere ut tentorium conſecraret Moloch.

Qui Textus habet conſecrationem filii Achaz Idolo, meminit quidem tantùm traductionis per ignem: *Conſecravit transferens per ignem* 4. *Reg*. 16. 2. ſimul verò addit Scriptura, hac in re expreſſiſſe Regem mores *gentium, quas diſſipavit Dominus; coram filiis Iſrael*. Conſtat autem traditos fuiſſe à Chananæis neci filios ſuos in honorem Numinum *Pſalm*. 105. 37. *Et immolaverunt filios & filias ſuas Dæmoniis; & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan*. Jeremias 19. 5. *Ædificaverunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum*. Vide pariter ejus Prophetæ cap. 32. 35. Conſtat inſuper ejus criminis horrore potiſſimùm provocatum Deum exterminaſſe Chananæos. Vide Deut. 18. 10. 12 Sap. 12. 5. *Odibilia opera tibi faciebant per medicamina & ſacrificia injuſta, & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia*.

Phœnices, Chananæorum reliquiæ, diu in regione ſua morem illum barbarum conſervarunt, quem & ſategerunt commendare exemplo *Ili* vel Saturni, uti jam ſupra monſtravimus. Retulerunt id pariter è Phœnicibus Coloniæ in Africam, ubi diu regnarunt ſacrificia ex humanis hoſtiis cruenta. Gelon Rex Siciliæ (e) devictos Carthaginenſes coegit, compoſita cum illis pace, ut mori immolandi filios ſuos Saturno renunciarent. Quas etiam gentes miſſis ad id Legatis coegiſſe Darium, ne quas ultrà offerrent humanas victimas *l*. 18. Sed vicit gentis pervicacia, perſeveratumque in immani ritu uſque ad Proconſulatum Tiberii, qui egit in patibulum Sacerdotes Saturni, ſuſpendens arboribus juxta eorum Templa conſitis (f). Deſcribit Diodorus Siculus *Apud Euſeb. Præpar. l*. 4. *c*. 16. imaginem Saturni Numinis Carthaginenſium, exhibentem æneam figuram pronis manibus verſus ſolum, eo artificio paratis, ut ſi qui in ulnis Numinis ponerentur infantes, laberentur pondere ſuo facilè, deciderentque in ignem ad baſis ſtatuam parata in ſcrobe accenſum.

Fruſtrà hic congererentur exempla ſacrificiorum humanis victimis cruentorum. Utraque Operis Sanchoniatonis pagina exhibet affirmat Porphyrius, Familiaria erant hæc non tantùm in Phœnicia, Palæſtina, in regione Ammon & Moab, in Idumæa (g) in Arabia & Ægypto (h); ſed & in Gallia pariter, Scythia, Thracia, & Inſulis Rhodo, Chio, Cypro; nec deerant exempla apud Athenienſes, ac tandem in America.

Quæ affirmant de ſucceſſore Achaz, quaſi ſcilicet patrem exceperit in Regno filius traductus antea per ignem in honorem Moloch, vix argumento aliquo probarentur. Succeſſit illi quidem Ezechias; ſed potuit alios filios genuiſſe; quin & ex ipſis filiis ejus alterum agnoſcimus Maaſiam, neci traditum juſſu Regis Iſrael. 2. *Par*. 28. 7.)

SACRILEGIUM, cujus planè criminis rerum ſive hominum ſacrorum violatores rei habeatur. Furtum, abuſus, rerumque ſacrarum irreligioſa traductio; quin & juxta Scripturæ phraſim, idololatria,

(a) Sanchoniat. apud Euſeb. Præparat. l. 1. c. 16. (b) Marsham. canon. Ægypt. Chron. Joan. Cleric. in Geneſ. 22.
(c) Spencer. de legib. Hebr. ritual. l. 2. Rabbini quidam.
(d) 4. Reg. 16. 3. Confer cum 4. Reg. 18. 1.
(e) Plutarch. apophtegm.
(f) Tertull. Apologet. (g) Reg. 3. 24.
(h) Porphyr. de Abſtin. l. 2. pag. 202.

& ſi quæ alia ſunt Deum recta impetentia crimina, ſacrilegia ſunt.

SACRILEGUS, ſacrilegii reus. Quicumque ſacras res tractat indignè, Sacerdotium invadit, ad Sacramenta irreligioſus accedit, dicata Deo bona diripit, ſacrilegus dicitur.

SADAI, ſivè *Saddai*. Unum ex Dei nominibus apud Hebræos, quod Septuaginta, & S. Hieronymus vertere conſueverunt: *Omnipotens*. Interdum ſolitariè uſurpatur. *Num.* 24. 4. 16. *Qui viſionem omnipotentis* (Sadai) *intuitus eſt*. *Amaritudine valde replevit me omnipotens* (Sadai). *Ruth* 1. 21. *Terrores Domini* (Sadai) *militant contra me Job.* 6. 4. Porrò vox illa in Jobo frequentiùs, quàm alibi occurrit; nuſpiam apud Salomonem. Interdum gemina Dei nomina *El*, & *Sadai* junguntur, ut ſit Deus omnipotens. Sadai verò ex Hebræo *Sadad*, nempè diripere, vaſtare, derivatum videtur; ac ſi diximus, Deus exterminator, vaſtator, &c. Juxta aliud etymon reddi poteſt, *Deus Caſtrorum; Deus mammillarum*.

I. SADOC, ſivè *Sadok*, & *Zadoc*, filius Achitob Summi Sacerdotis, è genere Eleazari. Summum Sacerdotium familiæ Ithamari ab Heli ætate aſſertum, occiſo Achimelecho, ſivè Abjatharo à Saule (a), ad Sadocum è familia Eleazari translatum eſt. Ita tamen translatum, ut quo tempore Sadoc Sacerdotis munera apud Saulem gerebat, eodem etiam Abjathar (alter à præcedenti), alio nomine Achimelech, ſivè Abimelech è genere Ithamari, ſacris apud Davidem operaretur. 2. *Reg.* 8. 17. Hinc dignitas diutiùs biceps; neque enim poſt Saulis & Iſboſethi deceſſum Sadocum exauthorare Davidi viſum eſt.

Hujus viri geſta hæc tantum memoriæ prodita ſunt. Abſalomi in patrem perduellis furorem David declinaturus, Jeroſolyma ſeceſſit; cumque Sadoc, & Abjathar Arcam Domini deferentes ſtatim ſequuti ſunt A. M. 2980. ante Ch. 1020. ante Ær. 1024. 2. *Reg.* 15. 24. Rex illos alloquutus, malle ſe dixit, ut in urbem regrederentur; addens totum ſe Divinæ diſpoſitioni committere, à qua ſanè ſi voluiſſet, Regiæ reſtitui potuiſſet. Cæterùm, ait ad Sadoc, tu, atque Achimaas & Jonathas filii tui in urbe manentes, quidquid è re mea compertum habueritis, ad me in agro interim deliteſcentem deferendum curate. Ambo igitur Sacerdotes in urbem regreſſi, duos juvenes Achimaam, & Jonathan ad fontem Rogel in latebris conſtituerunt, ut de omnibus Abſalomi conſiliis Davidem certiorem facere commodè poſſent. Nec ſanè ſuo illi officio defuerunt; fruſtrata enim à Chuſai Achitophelis conſilia ſtatim renunciarunt 2. *Reg.* 15. 25. 26. & 16. 15.

Poſt Abſalomum proſtratum, ambo illi Sacerdotes à Rege juſſi, 2. *Reg.* 19. 11. 12. Seniores Juda ad ſe deducendum in urbem accire, neque enim à cæteris Tribubus illos in eo officii genere ſuperari par erat, illicò parentes, Seniores ejuſdem Tribus ad Regem in urbem reducendum adduxerunt.

Tandem Adoniæ partibus Regnum affectantis excluſo Salomone, Sadoc non favit (b); quarè una cum Nathano Propheta, qui eam rem ſollicitaverat, & cæteris Aulæ Principibus, ad ungendum Salomonem in Regem, ſivè patria loco ſubſtituendum, ſivè unà jura daturum, miſſus eſt. Hæc eadem die executioni mandata ſunt, qua Adonias fautores ſuos ad fontem Rogel convivio excipiens inter potationes, & epulas Rex ſalutabatur.

Poſt Davidis obitum (c), Abjatharo à Sacerdotio per Salomonem amoto, tota dignitas Sadoco aſſerta eſt. Obeuntem illum, ignotum quo tempore, Achimaas ejus filius ſub Roboamo Sacerdos excepit.

II. SADOC, filius Azor, & pater Achim, inter avos Jeſu Chriſti. *Matth.* 1. 14.

III. SADOC, filius Achitob, & pater Sellum, Summus Sacerdos Judæorum ſub Joathan Rege Juda, quo potiſſimùm tempore, ignotum.

IV. SADOC, Saducæorum author, uti omnes de Saducæis agentes conſentiunt; quamquam de illo parum ultra addidere. Ferunt (d), hunc virum in doctrinæ traditione, tanquam Diſcipulum Magiſtro Antigono Socchæo ſucceſſiſſe; Socchæum verò Simoni Juſto Summo Sacerdoti Judæorum. Cùm igitur Simon an. 3711. ante Ær. 203. obierit, fateamur oportet, Sadocum circa an. M. 3740. floruiſſe. Porrò Antigonus ille author creditur Sectæ cujuſdam, quæ nimio quodam religionis exceſſu, purum atque prorſus gratuitum Deo cultum impendendum dictitabat: Domino, ajebat Antigonus, mercedis gratia, minimè ſerviendum. Liberale ſervitium, & cupiditate vacuum ſit oportet. Domini timor cordi tibi ſemper eſto. Quæ præceptor docuerat, Sadoc, religionem adeò prodigam non ferens, & à magiſtri placitis recedere veritus, in contrarium ſenſum detorſit. Nec pœnam etenim, nec præmium in altera vita expectandum dixit; adeòque nec timoris, nec ſpei gratia, vel malum vitandum, ſivè virtuti ſtudendum.

Sunt inter Rabbinos, qui Sadocum Doſitheo diſcipulum tribuant (e); addentes ſeceſſiſſe illum Samariam, atque in monte Garizim cultum impendiſſe. Horum tamen opinio minùs cum veritate cohæret, cùm Doſitheus Samaritanus paulò poſt Chriſti obitum florens, longa ætate poſt Sadocum in vivis egerit (f). Non deſunt, quibus perſuaſum eſt, poſt conceſſam ab Alexandro Magno facultatem Templi in monte Garizim conſtruendi, Sadocum, & Boethum, alioſque nonnullos Judæos, à Simone Juſto & Antigono Socchæo, Templo Jeroſolymitano perpetuò faventibus ſecedentes illuc contendiſſe (g). Alii tandem (h) nomen Saducæorum non ex Sadoc, ſed ex Hebreo *ſedec*, nempe juſtitia, derivant; quòd illos nomen acciviſſe credunt, utpotè qui juſtitiæ aſſertores ſe jactitarent. Nec ſanè in crimina mitiùs animadvertebant. *Joſeph. de Bell. l.* 2. *c.* 12.

SADUCÆI, diſcipuli Sadochi, de quo jam diximus, inter quatuor potiſſimas Judæorum ſectas. Dogmata quædam peculiaria de Angelis, & de Animæ immortalitate aſſerentes, nos quidem anima ratione utente inſtructos eſſe fatebantur; ſed ejus immortalitatem pervicaciſſimè negabant. *Joſeph. de Bello l.* 2. *c.* 12. nihilque proinde, ſive pœnarum, ſive præmii in altera vita manere. *Joſeph. ibid.* Quæ autem de veritate Angelorum, & reſurrectione futura vulgò aſſeruntur, hæc vana eſſe commenta ſuſtinebant. *Act.* 23. 8. *Matth.* 22. 23. *Marc.* 12. 18. *Luc.* 20. 27. S. Epiphanius & S. Auguſtinus Saducæos Spiritum Sanctum negaſſe dixerunt (i); nihil tamen ea de re apud Joſephum & Evangeliſtas. Accuſantur etiam de adſcripto Deo corpore, uti & de Prophetiis rejectis. *Arnob. l.* 3.

Qui autem fieri potuiſſet, ut admiſſis Libris Moyſis, in quibus ſæpè de Angelis eorumque apparitionibus, illorum tamen veritatem Saducæi negaverint, non facilè intelligimus. Facilè tamen Angelos non tamquam res quaſdam ex ſe ipſis ſtantes admittebant, ſed veluti Divinitatis emanationes quaſdam, veluti à ſole radios (k): vel fortè Angelos cor-

(a) 1. Reg. 22. 17. 18. A. M. 2944. ante Chr. 1656. ante Ær. 1060. (b) 3. Reg. 1. 8. &c. A. M. 2980. ante Ch. 1021. ante Ær. 1015. (c) 3. Reg. 2. 35. A. M. 2990. ante Ch. 1010. ante Ær. 1014. (d) Vide Bartholocci Biblioth. Rabinic. t. 1, Alios in Thisbi. Author. Cozri, Pirke avoth Alios pures. (e) Vide Epiph. hæreſ. 14.

(f) Orig. in Matth. tract. 27.

(g) Rab. Abraham Levi in Cabbala Hiſtorica. (h) Epiph. hæreſ. 14. Hieron. in Matth. 22. Toſt. & Jun. ibid.

(i) Epiph. hæreſ. 14. Aug. Serm. 70. de verbis Dom. c. 3. n. 5. novæ edit.

(k) Hæc ſentiebant Judæi S. Juſtini ætate, Dial. cum Tryph. Vide Grot. in Matth. 22. 23. Cleric. in Acta 23. 8.

corpore inſtructos atque mortales, uti Animas, ſentiebant. Neque enim quid potiſſimùm reponerent Pentateuchi teſtimonio de Angelis, ex Veterum relatione quidquam non ſcimus. Cùm Saducæi nulla vel præmia neque pœnas in altera vita opperirentur, exigendis de ſontibus pœnis immites ſeſe exhibebant (a). Neque enim de Legibus apicem quidem negligi ſive in ſe, ſive in aliis patiebantur. Traditiones omnes, explicationes & limitationes Phariſæorum reſpuentes, literæ adhærebant (b).

Vitio Saducæis vertitur, omnes Scripturæ Libros excepto Pentateucho, rejeciſſe (c); cujus rei argumentum deducunt ex locis tantùm Pentateuchi contra illos a Jeſu Chriſto adductis. Saducæis tamen excuſandis Scaliger *Elench. trihæreſ. c.* 16. plura, nec fruſtrà, congerit; obſervat enim, illos tunc potiſſimùm in Iſraele emerſiſſe, cùm Sacrorum Librorum numerus certus ratuſque conſtitutus eſt; ſi quid autem ex illis recipere volebant, aliis rejectis, debuiſſent profectò Pentateuchum parùm ſibi faventem rejicere. Saducæi quin etiam Templo cæteriſque cœtibus religioſis aderant, in quibus omnes indiſcriminatim Prophetarum Libri legebantur. Prima illis gentis munera demandata, ne Sacerdotio quidem excepto; quæ ſanè nunquam Judæi tuliſſent, ſi Scripturarum partem ſaniorem rejeciſſent. Menaſſe-Ben-Iſrael *de Reſurr. mort. l.* 1. *c.* 6. perhibet, illos quidem non rejeciſſe Prophetas, ſed diverſo planè à Judæis ſenſu explicaſſe.

Fatum Sectam illam negaſſe, tamquam nudum nomen, tradit Joſephus *Antiq. l.* 13. *c.* 9. utriuſque autem fortunæ eventus nos ipſos liberæ voluntatis optione fabricatores: Addebant, Deum ſive faciendo, ſive cognoſcendo malo imparem eſſe, atque homines ſuo arbitrio in actionibus agendis regi. Hoc ſanè tantumdem erat, ac ſi Providentiam negaſſent, quos proinde nulla religione viros jure appellare poſſemus. Toleratam nihilominus Sectam inter Judæos ſcimus; quin & ad Summum Sacerdotium ex illis quoſdam evectos conſtat. Is religionis ſtatus apud Judæos ea ætate fuit.

Joannes Hircanus Summus Sacerdos à Phariſæis publicè deſciſcens, Saducæis adhæſit (d); idemque & Judæis ſub capitali pœna injunxiſſe ferunt (e). Sub Ariſtobulo, & Alexandro Iannæo, filio Hircani ſibi faventibus, res Saducæorum adhuc floruerunt: quin & ſub Alexandro Jannæo ſummas Synhedrii dignitates ſibi vindicaſſe, uno Simone filio Setæ è Phariſæis relicto, Maimonides eſt author *Sanhedrin. c.* 11. Caiphas, dicta in Chriſtum ſententia celebris, Saducæus erat. *Act.* 5. 17. & 4. 1. uti & Ananus junior, cujus fraudibus S. Jacobus frater Domini ſublatus eſt (f). Hodie apud reliquos Judæos Saducæi tantum non extincti hæreticos audiunt (g).

(Saducæorum ſecta manet adhuc; vices quidem paſſa eſt in everſione Templi Jeruſalem, & diſperſione Judæorum, ſed accidas res ſuas relevavit. Ineunte tertio ſæculo adeò valebant in Ægypto, ut Ammonium (h), qui palam docentes illos in ea regione vidit, coactum ſe cenſuit religione acuere in illos calamum (i), ſeu potiùs ſcriptis arguere Judæos, qui tolerabant Saducæos negantes capitalia Religionis dogmata. Saducæorum meminit Juſtinianus in quadam Novella, ac exilio ex omnibus ditionis ſuæ locis pellit, damnatque ad extrema ſupplicia tanquam gentem propugnantem dogmata impia & atheiſtica, negantem reſurrectionem ac poſtremum judicium.

Annus ſive Ananus Diſcipulus Judæ, filius Nachmam, celebris octavi ſæculi Rabbinus, tranſiiſſe fertur in partes Saducæorum, eorumque ſectam ſtrenuè propugnaſſe contra molimina adverſariorum (k). Alter etiam inclytus patronus illis vindicatur ſæculo duodecimo (l), Alpharag Rabbinus Hiſpanus. Scripſit ille in Phariſæos, juratos Saducæorum hoſtes, defenditque publicis Scriptis Judaiſmum defœcatum fruſtra alibi quæri, quàm inter Saducæos; ſupervacaneas verò eſſe ac nihili traditiones Phariſæorum, & quas ipſi in immenſum multiplicaverant, cæremonias jugum eſſe non ferendum. R. Abraham Ben David Hallevi reſpondet Alpharagi, defenditque Sectam Phariſæorum, duplex illud validiſſimum urgens argumentum propagationem nempè eorum & vetuſtatem exacta ſucceſſione demonſtrabat ab ipſo primùm Adamo uſque annum 1167. promulgationem verò hanc oſtendit, nimirum Phariſæos longè latèque per Orbem diffundi, ut nulla ſit ex Synagogis ubi deſint Phariſæi.

Occurrunt hodie pariter Saducæi in Africa & alicubi. Negant animarum immortalitatem & corporum reſurrectionem; rari ſunt tamen, vel ſaltem rari eorum partes palàm tuentur. Noti ſunt etiam apud Mahometanos Hæretici *Zendik* (m) & reſurrectionem & vitam alteram negantes. Defendunt tamen alii hanc vocem ad literæ rigorem deſignare *Magum* aliquem Diſcipulum Zoroaſtris & ignis cultorem. Conſtat utique apud Arabes cæteroſque Mahometanos *Zendik* exprimere generatim impium, nulli addictum Religioni non Judææ, non Chriſtianæ, non Mahometanæ; vel qui unam è tribus hiſce profitens, vel dogmata potiſſima negat, vel temnit præcepta. Confuſi ſunt etiam à nonnullis Saducæi cum propugnatoribus Metempſycoſis, ac defenſoribus duorum principiorum, i. e. Manichæis; longè tamen aliud eſſe Saducæiſmum ab hiſce omnibus Sectis certiſſimè conſtat.)

I. SÆCULUM, quòd vulgo pro ſpatio 100. annorum uſurpatur; quamquam in eo ſenſu nunquam in Scriptura legi arbitror.

II. *Sæculum*, pro ſpatio longi temporis uſurpatur. Ita *Gen.* 6. 4. *Gigantes erat potentes à ſæculo viri famoſi.* Spatium etiam inter duo jubilæa ſæculum appellatur. Hinc mancipium Hebræum privilegio anni Sabbathici renuncians, in ſervitute in ſæculum manſiſſe, nempe uſque ad annum jubilæi legimus: *Erit ei ſervus in ſæculum* (n).

III. *Sæculum*, perpetuò, tota æternitate: *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum* (Hebr. *in ſæculum*). *Gen.* 3. 22. Fœdus perpetuò initum in Scriptura *fœdus ſæculi* appellatur. Sepulchrum, ubi jugis mora, nulluſque patet regreſſus, *domum ſæculi* Hebræi nuncupant. *Eccle.* 12. 5. in Hebr. & terminos vetuſtos, *terminos ſæculi* dicunt. *Prov.* 22. 28. & 23. 10. veteres ruinas, *ruinas ſæculi. Iſa.* 58. 12. *Ædificabuntur in te deſerta ſæculorum.* Qui in tumulo jacent, Ezechiel. 26. 20. deſignat *populum ſempiternum*. *Dies ſæculi* ſunt tempora elapſa. *Amos* 9. 11. *Reædificabo illud ſicut in diebus antiquis* (Hebr. *diebus ſæculi*) *dies ſæculi*, olim. *Mich.* 7. 14. Vide & *Malach.* 3. 4.

IV. *Sæculum*, eſt mundus, & vita. *Sollicitudo ſæculi. Matth.* 13. 22. *filii Sæculi. Luc.* 16. 8. *conſummatio ſæculi. Matth.* 13. 49. *Sapientia ſæculi*, *Principes ſæculi*, *nolite conformari huic ſæculo*, quæ phraſes frequentiſſimæ ſunt in Libris N. T.

SAGAN, Hebræis eſt vicibus fungens Summi Sacerdotis, eoque abſente, ſivè impotente, munera Summæ dignitatis ſupplens; cujus rei exempla nonnulla in Hiſtoria Joſephi legimus. Eam dignitatem à

(a) Joſeph. de Bel. l. 2. c. 12. (b) Antiq. l. 13. c. 18. (c) Vide Serar. trihær. c. 21. n. 1. Elias in Thisbi. Orig. in Matth. tract. 21. Tertull. præſcript. c. 49. Hieron. in Matth. c. 22.
(d) Antiq. l. 13. c. 18. (e) Abraham Ben. Dior. Cabbala. (f) Antiq. l. 20. c. 8. (g) Vide de hoc argumento Serrar. Trihæreſ. Menaſſe Ben-Iſrael de Reſurr. Mort. l. 1. Baſnage Hiſt. des Juifs l. 3. c. 5. 14. &c. & noſt. Diſſert. de Sect. Judæor. ante Commentar. in Marc. n. 13. (h) Specimen literaturæ A. 1704. pag. 190. *Eſſais de litterature.*
(i) Ammonium auditorem habuit Origen. (k) Circa A. 755. (l) Gaon Tzemah David p. 125.
(m) Vide D'Herbelot. Biblioth. Orient. p. 959. (n) Exod. 21. 6. collatum Levit. 25. 8.

Moyſis ætate, (quem Sagan Aaronis conſtituunt) obtinuiſſe Rabbini autumarunt (a). Hoc nomen nuſquam in Scriptura, frequentiſſimè apud eoſdem Rabbinos (b) legitur.

Sagan etiam Principes, & Magnates Regni appellantur; quem ſenſum in Libris Eſdræ, Nehemiæ, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, & Danielis obtinet. Ex Chaldæis in Hebræos vox derivata, eodemque apud utroſque populos ſenſu videtur. S. Hieronymus eam vocem conſtanter fermè reddit: *Magiſtratus*; Septuaginta, *Satrapas*, *Principes*, *Duces*, & *Præfectos*.

SAGE, pater Jonathan, viri ſtrenui in exercitu Davidis, 1. *Par.* 11. 33. *Jonathan filius Sage Ararites*; ſed 2. *Reg.* 23. 33. legit: *Jonathan & Semma Ararites*.

(SAGITTÆ. Sors petita è ſagittis. Narrat Ezechiel 21. 21. de Nabuchodonoſore, qui cùm valido ſtipatus exercitu moviſſet in Sedeciam Regem Judæorum atque in Ammonitas, reos ambos perduellionis, ad bivium venientem ſagittas ſuas miſcuiſſe in pharetra, augurio inde deducturum, quod potiſſimum teneret iter; addit pariter conſulium ab illo Teraphim, & jecur animalium, intellecturum, in quem potiſſimùm ferret arma, an in Sedeciam, an in Ammonitas. S. Hieronymus cum Theodoreto, *ibid.* aliique Interpretes recentiores autumant plures ab eo Principe repoſitas fuiſſe in pharetra ſagittas, quarum ſingulis ſuum eſſet adſcriptum nomen, Regis, Urbis, Provinciæ, cui bellum eſſet inferendum; e. g. uni nomen Jeruſalem, alteri Rabbath, metropolis Ammonitarum, tertiæ Ægypti &c. Poſt verſatas benè in pharetra ſagittas illas unam tandem Rex educebat, & quod potiſſimum offerebatur nomen ferebat pariter omen de Urbe, Provincia &c. averſis armis impetenda, tanquam id Dei voluntate ſignificaretur.

Veteres Arabes Idololatræ ante Mahometum norant genus quoddam divinandi, quod ſagittarum ſortem appellabant (c). Carebant ſpicula illa cuſpide, & alis, appellabanturque vernaculo eorum ſermone *Achdah* vel *Azam*. Tres erant in ſacculo clauſæ ſagittæ; ſaccum autem tenebat Divinus Dei Hobal, cujus erat ſimulacrum in Templo Mechæ ante Mahometum. E ſagittis hiſce una quidem adſcriptum ferebat: *Jube mihi Domine*; altera, *Veta mihi Domine*; tertia vacua erat à ſcriptura. Si quis igitur opus aliquod ſuſcepturus fuiſſet, Divinum non ſine munere conveniebat, à quo ſtatim è ſacculo una ſingularis educta ſagitta, ſi fortè præceptum ferret adſcriptum, accingebat ſe ſtatim Arabs ad opus; ſi vetans ſagitta ſeſe prima offerret, opus illud integro anno differebatur; ſi tandem vacua ſagitta extraheretur, ſors ex integro repetenda erat.

Conſulebant Arabes ſagittas illas in omnibus rebus gerendis, ſed potiſſimùm in connubiis ſuis, circumciſione filiorum, itineribus, ac bellicis expeditionibus ſuſcipiendis. Conſulebant itidem, ſi quid eſſet inter plures dividendum, maximè portiones victimæ, vel cameli, quem immolabant ſuper certos quoſdam lapides, vel in Sacrificium Idolorum circum Templi Mechæ diſpoſitorum. Vetuit hæc ſtricto præcepto Mahometus in ſuo Alcorano.

D. Thevenot *Itiner. Orient. cap.* 26. affirmat inundare per Orientem Ariolos, qui in capite viarum ſuper ſtratum anguſtum tapete ſedent, habentes circà Libros magno numero diſpoſitos. Adhibent illi quatuor ſagittas, quas aliam contra aliam in cuſpidem erigunt, ac teneri curant à geminis hominibus; ponunt inſuper ſuper pulvinar ante illos conſtitutum nudum enſem, perleguntque certum quoddam caput Alcorani. Si quis e. g. conſulturus veniat, uter in bello, quod ſuſcipiendum eſt, obtinebit potiora, Turca ne, an Chriſtianus; gemino ex his jaculis aſſignatur nomen Chriſtiani, reliquis totidem Turcæ. Ut Divinus in lectione Alcorani longiùs procedit, ea data proportione agitantur ſagittæ, nequidquam in contrarium molientibus illis, qui illas manu tenent, veluti ſi certarent inter ſe & ſenſu inſtruerentur. Quæ adverſarias dejiciunt atque conculcant, ſagittæ ferunt de victoria omen, ſeu Turcarum illæ ſint, ſeu Chriſtianorum.

Veteres Germani ſecabant in partes (d) ramum aliquem fructiferæ arboris, atque abſciſſas illas portiones notis characteribus inſcriptas projiciebant prout dabat caſus, ſuper albentem pannum. Tùm paterfamilias, ſiquidem in privata domo id ageretur, alterum poſt alterum levabat ligni fruſtula illa, inſpectiſque characteribus de futuris captabat omen.

Ex arborum ramis ſua pariter ducebant auguria Scythæ (e). Divini ejus generis plurimo faſce collectos ramos ſalicis, apponebant ante ſe, tum ſolvebant faſcem illum, atque alterum poſt ramos illos diſponebant in terra, certa quædam vaticinia pronunciantes. Colligebant poſt hæc ramos illos inverſo ordine, alligabantque iterum in faſcem, alia ad ſingulas virgas apprecantes vaticinia. Demonſtrant hæc omnia vetuſtatem hujus ſuperſtitionis, captandi nempè de futuris omina per ſagittas vel ramos arborum. Qua ratione Alani inſpectione virgarum futura ſibi arcana prædicerent, narrat Ammianus *lib.* 31.)

SAGUM. Hebræas voces *jerioth hazim*, quæ ſonant vela & velamenta ex pilis caprarum, media inter Sanctum & Sanctuarium, S. Hieronymus interdum vertit, *ſaga cilicina*. *Exod.* 26. 7. ſivè *ſaga de pilis caprarum*. *Exod.* 25. 4. De his velamentis fuſiùs *Exod.* 26. 7. 8. *Sagum* etiam eſt vetus quidam militaris amictus, quo Aod indutus ſcribitur: *Accinctus eſt eo* (enſe) *ſubter ſagum in dextro femore*; Hebræus legit tantùm *ſubter veſte*.

SAHARAIM, filius Ozæ, pater Jobabi, Sebiæ, Moſæ, &c. vir è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 8.

SAHARAIM, ſive *Saraim*, vel *Sarem*. Vide *Saraim*, urbs Juda, quæ ſubindè Simeoni ceſſit.

SAL, Græcè *hals*, Hebraicè *melach*, de quo Deus ita cavit *Levit.* 2. 13. *Quicquid obtuleris Sacrificii, ſale condies, nec auferes ſal Fœderis Dei tui de Sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal*. Hanc legem innuens Jeſus Chriſtus, cùm de pœnis reorum in inferno ageret, quos victimas furori Divino mactandas prædicit, *Omnis*, ait, *igne ſalietur*, & *omnis victima ſale ſalietur*. *Marci*, 9. 48. Vide etiam *Deut.* 29. 23. *Sulphure, & ſalis ardore comburentur*.

(Infantes recens natos affricari ſale deſignat Ezechiel 16. 4. *Quando nata es.....aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita*. Id autem obſervatum cenſet S. Hieronymus cum Theodoreto *ibid* ad exſiccandum redundantem in infantibus humorem, reſtringendiſque poris nimium hiantibus. Docet Galenus *de Sanit. lib.* 1. *cap.* 7. ſale obdurari pellem infantium, ac ſolidari. Monet Avicennas perlui infantes aqua ſalita, ut adſtringatur umbilicus, obduretúrque pellis. Malunt alii ea cautione arceri putredinem, quæ ex abſciſſione umbilici timeretur.

Rogatus Eliſeus Propheta, ut corrigeret ingratum ſaporem aquarum fontis Jericho (4. *Reg.* 2. 21.), afferri juſſit vas novum, in quo ſal infunderetur. Allato illo, ſal projecit in fontem, pronunciavitque: *Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque ſterilitas*; cujus verbis ſua fides; ſtatim enim aquæ potabiles redditæ ſunt, maligna omni qualitate depoſita. Porrò ſal illud natura ſua

nihil

(a). Hunc virum appellant etiam patrem domus Judicii.
(b) Vide Selden. de Synedr. l. 3. c. 8. & Authores de Republ. Hebr.
(c) D'Herbelot Bibliot. Orient. p. 62. Achdah.
(d) Tacit de morib.
(e) Herodot. l. 4. n. 67.

nihil valuiſſet, niſi ad augendum amarum laticis illius ſaporem; ideo verò remedium ſalis, quod planè intentui contrarium videbatur, adhibendum cenſuit Propheta, ut magis magiſque ſentiretur prodigium.

Inter maximè neceſſaria vitæ cum aqua, ferro, igne, lacte, melle, uva, oleo, veſtibus, & ſal accenſet Eccli. 39. 31. Interrogat Jobus 6. 6. *An poterit comedi inſiſſum, quod non eſt ſale conditum?*

VALLIS SALINARUM in Idumæa. Vide infra *Vallis*.)

II. *Sal terræ*, pinguis eſt, uti credimus, argilla, qua ſolum prò fimo aliquando ſtercoratur(a).

III. *Sal foſſile*, ſive ſal è fodinis in lapidis modum deductum. In hujus generis ſal verſa uxor Lothi vulgo creditur. *Gen.* 19. 26.

IV. *Sal* ſymbolum eſt ſapientiæ: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus. Coloſſ.* 4. 6. & Jeſus Chriſtus: *habete in vobis ſal. Marc.* 9. 49.

V. *Sal* ſymbolum perennitatis & incorruptionis. Hinc illud: *Pactum ſalis eſt ſempiternum. Num.* 18. 19. & Dominus Regnum in familia Davidis aſſeruit, *in pactum ſalis.* 2. *Par* 13. 5.

VI. *Sal*, Symbolum eſt ſterilitatis. Abimelech urbem Sichem expugnatam (b) ſubruit, & ſale conſperſit, ut ſterile deinceps ſolum maneret. Sophonias Domini verbis Ammonitis & Moabitis minatur, reducendos illos ad eundem, quo Gomorrha, ſtatum: *Quaſi Gomorrha ſiccitas ſpinarum, & acervi ſalis, & deſertum uſque in æternum* (c).

VII. *Sal*, Symbolum eſt hoſpitalitatis, & manentis in obſequio Domini, famuli, amici, hoſpitis, uti & officii domeſticorum in illum, à quo aluntur, ſeu convivarum erga Dominum convivii. Præfecti Provinciarum trans Euphratem ad Artaxerſem ſcribentes, hæc inter cætera memorant: *Nos autem memores ſalis, quod in palatio comedimus, & quia læſiones Regis videre nefas ducimus &c.* 1. *Eſdr.* 4. 14.

Mare ſalis Gen. 14. 3. *Num.* 34. 12. mare mortuum, ſive Lacus Aſphaltidis, in Scriptura, & apud Prophanos aliquando Aſphaltos, ſivè bitumen ſalis nomine ſignificatur: hinc Moyſis illud: *Salis ardore conſumentur.* 29. 23. bitumen denotat. Apud Herodotum lampades quædam occurrunt, ingeſto ſale, nempè bitumine, ardentes.

SALABON, locus in Judæa, patria *Eliabæ*, viri ſtrenui in exercitu Davidis (d); idem omnino locus, ac *Selbon* in transjordanica. Floruiſſe ſanè oportuit; quippè quem adjacenti regioni nomen indidiſſe Joſephus *de Bel. l.* 3. *c.* 32. animadvertat; *Selbonitidi* ſcilicet, quam ad orientem Peræa, unaque Philadelphia, & Geraſa contingebant.

SALAI, pater Azabæ, matris Regis Joſaphati. 3. *Reg.* 22. 42.

SALAMIEL, filius Surifaddai Princeps Tribus Simeonis, *Num.* 1. 22. & 7. 36. 37. & 10. 19. qui in egreſſu ex Ægypto 59300. militibus ſuæ Tribus præerat, atque inter cæteros Tribuum Principes munus Tabernaculo obtulit.

SALAMINA, urbs Inſulæ Cypri, quò S. Paulus unà cum S. Barnaba veniens A. Ær 44. *Act.* 13. 5. Sergium Paulum fide initiavit. S. Barnabæ corpus ibidem ſepultum (Cyprius erat genere) an. Chr. 488. inventum eſt. Ejus nomen hodie *Famagoſta*.

SALAMIM. Vide *Salebim*.

SALAMIM, ſivè *Zalamim*. Urbs *Zalamim* in Libris Hebræorum occurrit (e) Narrat Malala *Chron*, n. 296. Auguſtum vetus Salaminæ urbis Palæſtinæ nomen in *Dioſpolim* tranſmutaſſe.

SALAMPSO, filia Herodis Magni ex Mariamne Aſmonæa. Pheroræ primùm deſponſa, dein cum Phaſaelo conſobrino ſuo filio Phaſaeli patrui ſui nuptias celebravit; ex quo connubio Antipater, Herodes, Alexander, Alexandra, & Cypros geniti ſunt.

I. SALATHIEL, filius Jechoniæ. 1. *Par.* 3. 19. & pater Zorobabelis, in captivitate Babylonica vita functus. Alterum patrem habuit Neri juxta S. Lucam 3. 27. atque ex Salomone per Roboamum genus ducens, juxta S. Matthæum 1. 12. ex eodem Salomone, juxtà S. Lucam, per Nathanum derivabatur. In quem proinde unum duo iſti clariſſimæ genealogiæ deducti rivi confluxerunt. Potuit autem Salathiel genitorem habuiſſe Jechoniam, à quo Babylone captivo editos Aſir & Salathielem legimus. 1 *Par.* 3. 19. & patrem adoptione Neri, cujus vel viduam duxit, vel ex illa genitus eſt, cùm ex Neri nullum filium habuiſſet; utroque enim eventu filius Neri legalis cenſebatur. Nihil tamen hac de re S. Lucas, tantùm Salathielem filium Neri conſtituens.

(Autumant Judæi Salathielem titulum Principis geſſiſſe ſupra Judæos ſæviente captivitate; titulum, inquam, cui priſtinæ authoritatis, ſubmiſſæ tamen Regibus Chaldææ, modicum aliquid ineſſet. Datos illi pariter volunt ſucceſſores è Domo David, notos ſub nomine Principum Captivitatis, quos Principes regionis præfecerint Judæis. Seriem non interruptam illorum per plura ſæcula exhibent; quin & eo ventum eſt à Judæis nonnullis (f), ut contendant hodie pariter ſubſiſtere Principes Captivitatis in regionem trans Euphratem; quod illis eo conſilio ſuccurrit, ut aliquid nobis reponant, objicientibus oraculum Jacob *Geneſ.* 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de femore Juda, donec veniat, qui mittendus eſt*. Inculcant enim manere adhuc ſceptrum & Legislatorem Judæorum in Principibus hiſce Captivitatis.)

II. SALATHIEL, è Tribu Ruben, & filius Simeonis, inter avos Judith recenſetur. *Judith*, 8. 1.

SALE, filius Cainan, & nepos Arphaxad, ſeu, rejecto Cainan, utpotè qui in Hebræis Exemplaribus deeſt, natus ex patre Arphaxad, ætatis 35. annum agente A M. 1693. Filium genuit Heber annos natus 30. an. M. 1713. obiit verò 433. annorum grandævus (g).

(De viro iſto traditiones plurimas conſervarunt nobis Orientales, quas, licèt minùs certas, hic tamen referre operæ pretium cenſemus (h). Afflatus vir ille ſpiritu prophetiæ, à Deo miſſus, venit in populum Tribus Themud, incolentem portionem illam Arabiæ, quæ appellatur Hagr, vel Arabia Petræa; ſed ab illis peſſimè exceptus eſt. Miſſionis ſuæ veritatem inſigni hoc prodigio demonſtravit, cum ſcilicet ſolo verbo aperuit petram, unde prodiit camelus fœmella, quæ fœtum ſtatim enixa eſt. Sed Themudiſtæ longè abfuerunt, ut ederent ſe prodigio, quin & fœmellam illam, pervicaciam illorum præſentia ſua exprobrantem, interemerunt.

Secundùm hæc verſi ad inſultandum Saleh, ejuſque minas deridiculo traducendas; ſtatim Propheta ad Deum, à quo miſſus eſt in obſtinatos Angelus Gabriel. Vix ille venit in conſpectum, omnes ſtatim interierunt, iis tantùm paucis ſervatis, qui crediderant Prophetæ, cumque in agrum Mechæ ſecuti ſunt, ubi Propheta ille dies ſuos ei uſit. Sunt qui dicant provocatum Deum pervicacia Themudiſtarum violenta adeò terræ ſucceſſione ſolum agitaſſe, ut omnes dejecti in terram, ſub everſarum domorum ruderibus opprimerentur.

Apud Arabes Scriptores nonnullos legimus Prophetam

(a) Vide noſt. comment. in Matth. 5. 13 (b) Judic. 9. 45.
(c) Sophon. 2. 9. Vide & Job. 34. 6. Pſal. 106. 34. Jerem. 17. 6.
(d) 2. Reg. 23. 35. & 1. Par. 11. 32.
(e) Miſn. Cod Kilaim. c. 4. Miſn. 9. & Jevamoth. c. 16. Miſn. 6.
(f) Vide Selden. de Synedriis l. c. 7. §. 5. Jacob. Altiog. lib. Shilo l. 1. c. 3.
(g) Geneſ. 11. 12. &c. A. M. 2126. ante Chr. 1874 ante Ær. 1878.
(h) D'Herbelot Biblioth. Orient. p. 740.

tum Saleh Apoſtolorum Themuditarum recentiorem fuiſſe Saleh filio Arphaxad. Hanc autem Viri genealogiam texunt: Natus ex Arphaxad Saleh avum habuit Caſſekh filium Hauver filii Chaber, vel Heber, qui poſtremus genitus eſt è Themud filio Aram filii Sem, filii Noe.)

SALEBIM, urbs Palæſtinæ, Danitica. *Joſue* 19. 42. Aialoni & Hares juncta, *Judic.* 1. 35. nec & urbibus Macces, & Bethſames. 3. *Reg.* 4. 9. ex quo ejus ſitum facilè intelligimus. Hebræus hodie legit *Schaalabim*; Euſebius in loc. Hebr. *Salaban*; & in provincia Samariæ locat. S. Hieronymo Comment. in Ezech. 48. eſt *Salebi*; atque Ajaloni & Emmaus jungitur. Septuaginta habent *Salamin* (a), ſivè *Talamin*. *Judic.* 1. 8.

SALECHA, ſivè *Selcha*, *Salcha*, urbs ad fines meridionales Manaſſe, trans Jordanem. *Deut.* 3. 10. *Joſue* 12. 4. & 13. 11.

I. SALEM; quo nomine Jeruſalem olim appellata eſt; ubi enim Vulgata *Pſal.* 75. 3. vertit: *Factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion*, Hebræus habet: *Factus eſt in Salem locus ejus*. Vulgò etiam *Melchiſedech Rex Salem* (b) Jeroſolymis jura dediſſe creditur.

II. SALEM, urbs Sichimitarum, quò Jacobum ex Meſopotamia reducem veniſſe legimus, *Gen.* 33. 18. eamque urbem Euſebius & S. Hieronymus agnoſcunt. Non deſunt tamen, qui textum Hebræum ita reddant: *Et tranſivit incolumis in urbem Sichimorum*; nam *Salem* Hebraicè ſonare poteſt, incolumis, integer, &c.

III. SALEM. Locum hujus nominis ad occidentem, & juxta Jeroſolymam S. Hieronymus in *Salem*, receſſiſſet.

IV. SALEM, alio nomine *Salumias*, in Scythopolitana, 8. m. paſſuum ab urbe. *Hieron. ibidem*.

V. SALEM, ſivè *Salim*; indiſcriminatim enim MſſI. legunt; locus eſt ubi S. Joannes Baptiſta baptiſmum conferebat. *Joan.* 3. 23.

VI. SALEM, urbs, in qua Melchiſedech regnabat; quam aliam à Jeruſalem fuiſſe cum Authore Chronici Paſchalis Relandus contendit *Palæſt.* l. 3. p. 976. & 833. S. Hieronymus, *Ep. ad Evangelum*, quidem Regum Melchiſedechi urbem in Scythopolitana conſtituit, ubi regiæ domus veſtigia etiam tunc extitiſſe perhibent. Nos cum communi duas illas urbes confundimus. *Vide Jeruſalem*.

VII. SALEM. Urbem *Silo* quandoque Septuaginta *Salem* appellant. *Vide Jerem.* 41. 5. & 48. 5.

SALEMOTH, filius Aiari, & pater Jahath. 1. *Par.* 24. 22.

SALEPH, ſecundus filius Jectan. *Gen.* 10. 26.

SALIM. Vide *Salem* V. & 1. *Reg.* 9. 4. ubi fortè Salim Jeruſalem exprimit.

SALINÆ. *Vallis Salinarum*, quam Interpretes vulgò ad meridiem maris Mortui ad latus Idumææ conſtituunt, eo potiſſimum argumento, quòd Abiſai in eadem valle 18000. Idumæorum; Joab 12000. & ſuccedente tempore Amaſias Rex Juda 10000. trucidaverit (c). Dapibus condiendis ſal lacus Aſphaltidis olim in uſu fuiſſe Galenus animadvertit quippe, quod vi cauſtica pollens, atque maximè excoctum, digerendis cibis plurimum conducebat (d). Salis fodinas in Judæa olim Reges Syriæ poſſediſſe compertum habemus. 1. *Mach.* 11. 35. & 10. 29. in quem uſum olim ... & paludes ad mare Mortuum deſerviſſe apud Ezechielem 47. 11. legimus. Cl. Halifax in ſua relatione Palmyræ narrat, planitiem quamdam ſale diſſeminatam extare, è qua univerſæ regioni ſal ſufficitur: ſitus eſt ager ſancè citciter à Palmyra, protenſus ad Idumæam Orientalem, cujus Metropolis Bozra. David è Syria Soba redux, Idumæos in Valle Salinarum nactus, prælio fudit. Facilè arva illa ſale diſſeminata, vallis ſunt Salinarum, de quibus in Scriptura.

SALIS; Sivè *Sallis*, vicus Idumææ, quò Judæi in agro Aſcalonitano a Romanis prælio fuſi ſe receperunt. *Joſeph de Bell.* l. 3. c. 1.

SALISSA, ſiva *Saliſa*. 1. *Reg.* 9. 4. vel *Baal-Saliſa*. 4. *Reg.* 4. 42. urbs erat in Thamnitica, ad Septentrionem Jeroſolymæ, 15. m. paſſuum à Dioſpoli. Vide Euſeb. & S. Hieron. in Bethſchaliſa.

SALIVA. Si quis fortè ſaliva gonorrhæa laborantis contingeretur, ſordem continuò uſque ad veſperum contrahebat: lotione omnium veſtium expiandam. *Levit.* 15. 8. In faciem ab altero expui maximè injurioſum habebatur. *Job* 30. 10. *Iſa.* 50. 6. *Si pater ſpuiſſet in faciem illius nonne debebat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi?* *Num.* 12. 14. Si cujus fœminæ vir abſque liberis obiiſſet, relicta ex eo vidua, in faciem fratris, ſivè conſanguinei: virum proximè ſpectantis expuere poterat, illo nuptias recuſante *Deut.* 25. 9. Eo injuriæ genere Jeſus Chriſtus in Paſſione ſua à militibus affectus eſt. *Marc.* 10. 34. & 14. 65. & 15. 19. *Luc.* 18. 32.

SALIUNCULA, diminutum ex ſaliunca. Porrò ſaliunca eſt *nardus ruſtica*, ſivè *nardus montana*, herba fragrantiſſima, quæ inter veſtes odoris conciliandi, conditur. *Plin.* l. 21. c. 7. Hebræum *naazuts*, *Iſa.* 55. 13. variè apud Interpretes redditur; ab aliis enim ſpina, & rubus; à Theodotione, & Aquila *conisa*, herba naribus & guſtui ingratiſſima, à Septuaginta *ſtoibe*, herba planè mollis; quæ in pulvinaribus, & lecti ſtramentis inducitur.

SALIX, arbor notiſſima, in locis humentibus proveniens, foliis vero inſtar olivæ viteſcens. Arborum ramos lætitiæ ſignum geſtare Hebræos in Feſto Tabernaculorum juſſi ſunt, inter quos ſalicibus ſuus locus: *Salices de torrente* (e).

SALLEM, quartus filius Nephtali. *Gen.* 46. 24.

SALMA, ſivè *Salmon*. *Ruth.* 4. 20. 21. *Matth.* 1. 4. filius Naaſſonis, 1. *Par.* 2. 11. 51. 54. *Pater Bethleem* appellatus eſt, quòd illum Bethleemitæ generis auctorem haberent.

SALMANA, inter Principes Madianitarum, quos Gedeon prælio fregit (f).

SALMANASAR, Rex Aſſyriæ, medius inter Teglathphalaſar, & Sennacherib (g). Idem facilè eſt ac *Enemaſſar* in Græco Tobiæ 1. 2. & *Salman* apud Oſeam, 10. 14. De Salmanaſar hæc legimus in Scriptura. Suſcepta in Palæſtina expeditione, Regnum Samariæ ſuæ ditioni adjiciens, 4. *Reg.* 17. 3. Oſee filio Elæ tributum imperavit. Poſt triennium, Oſee, excuſſo jugo, vectigalia negavit, poſtquam ſecreto fœdere cum Sua Rege Ægypti ſe conjunxiſſet. His à Salmanaſare intellectis, armis ſtatim in Samaritidem illatis, Metropolim arctâ obſidione cinxit. Oſee fruſtrà triennio anguſtiam ſuſtinens, tandem urbe capta, in vinculis detentus eſt; deductuſque unà cum omni populo trans Euphratem, Regno & urbi Samariæ, poſt 254. annorum periodum infelicem exitum impoſuit (h). Inter cæteros captivos ea occaſione Tobias quoque deductus, inita apud Regem gratia, *Tob.* 1. 14. libertatem, & eundi quò vellet, liberam ab eo facultatem obtinuit. Quin & œconomi munus ab eodem Rege habuiſſe, nempe annonæ Regiæ domus curandæ in Græco legimus. Hæc de Salmanaſare memoriæ prodita ſunt; de Sennacherib ejus ſucceſſore infrà agemus.

(Præter ea, quæ de Salmanaſare narrat Scriptura, addunt

(a) Septuag. in Græc. Joſue 19. 42. 47. (b) Gen. 14. 18. Hebr. 7. 1. 2.
(c) 2. Reg. 8. 13. & 1. Par. 18. 12. Pſal. 59. 2. & 4. Reg. 14. 7. & 2. Par. 25. 11.
(d) Galen. de ſimplic. medicam. facul. l. 4. c. 19.
(e) Levit. 23. 40. Hebr. *Salices torrentis*. Ita Interpretes paſſim. Septuag. *Salices & ramos agni caſti*.
(f) Judic. c. 8. 5. A. M. 2759. ante Ch. 1241. ante Ær. 1245.
(g) Regnum inivit an. 3276. obiit poſt 14. annos a. 3290.
(h) 4. Reg. 17. 1. 5. &c. & 18. 9. 10. ab an. M. 3030. uſque ad 3283. ante Ch. 717. ante Ær. 721.

addunt Prophani (a) ſuſceptam ab illo expeditionem in Tyrios. Intelligens Eulæus Rex Tyri res Philiſtæorum afflictas fuiſſe ex bello, quod ſuſtinuerant ab Ezechia Rege Juda, hanc nactus eſt occaſionem, ut ſub jugum reduceret Urbem Geth, quæ ante aliquot annos rebellaverat. Vires Tyriorum metuentes Gethæi acciverunt in auxilium Salmanaſarem, qui cùm validiſſimis copiis movit in Tyrios. Vis acceſſit, ſtatim *Sidon*, alio nomine *Ace*, dein Ptolemaïs, modò *Acre* appellata, & reliquæ maritimæ Urbes Phœniciæ, ad id uſque Phœnicum partes tuentes, dediderunt ſeſe Salmanaſari.

Verùm Tyrii navali certamine ea, tantùm navibus inſtructi utramque junctam claſſem Aſſyriorum & Phœnicum 60. navibus validam fregerunt, quod in tantam nominis Tyrii opinionem homines induxit, tam latè terrorem illorum ingeſſit mentibus, ut committere ſe cum illis navali prælio non ultrà auſus Salmanaſar, receperit ſe ad ſua, magna tamen exercitus portione relicta ad formandam obſidionem Tyri. Cùm verò minùs ea obſidio proficeret, quòd ſtrenuè partes ſuas obirent adverſarii, obcæcarunt Aſſyri aqueductus aquam ferentes in Urbem; ex quo ingens in Tyrios malum, cum rerum extremitate. Anguſtiæ ut ſubvenirent Cives operam dederunt fodiendis in Urbe puteis, cujus ſubſidii ope quinquennio perſeveratum eſt; & cùm eo temporis ſpatio tandem contigerit, ut cederet è vivis Salmanaſar, præſens illi diſcrimen evaſerunt. Hanc Tyri obſidionem componit Uſſerius cum A.M. 3287. ante Chr. 713. ante Æram 717.)

SALMIAU, vir, qui ductam contra Legis præſcriptum uxorem, poſt egreſſum è captivitate dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 39.

SALMON, filius Naaſſonis, vir Raab, ex qua Booz genuit (b). In 1. *Par.* 2. 11. 51. *Salma* appellatur.

SALMONA, ſivè *Zalmon*, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto, *Num.* 33. 41. ubi erectum æneum ſerpentem nonnulli autumarunt. Vide quæ diximus v. *Phunon*.

SALMONA, urbs, & portus Cretæ, prope quem S. Paulus Romam tendens tranſiit an. Chr. 60. Act. 27. 7.

SALO, filius *Meſollam*, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 9. 7.

SALOM, ſeu potiùs *Sellum*, 1. *Par.* 6. 12. Summus Sacerdos Judæorum ſub Ezechia poſt Sadoc II. & ante Helciam.

I. SALOME, filia Antipatri, & ſoror Herodis magni, fœmina, ſi quæ unquam, ſceleſtiſſima. Primò Joſepho nupta, illum ſuſpicioſæ cum Mariamne uxore Herodis conſuetudinis accuſavit (c). His Regis animus, captandis ſuſpicionibus facilis, ſollicitatur, ſimulque ipſius Mariamnes confeſſione comperiens, Joſephum mulieri ſecretum ſibi tantùm commiſſum prodidiſſe, virum ſtatim inauditum morte damnavit. Soluta igitur his connubiis Salome, Coſtobaro nupſit; cujus tandem pertæſa, inaudito ad id uſque apud Judæos exemplo, repudium indixit. Neque enim, ait Joſephus *Antiq. l.* 15. *c.* 9. quod viris conceditur, repudii privilegium, illud etiam ad fœminas prorogandum eſt. Dimiſſum virum Salome proditionis accuſavit; ex quo ultimum illi ſupplicium ab Herode conſtitutum eſt. Domeſticas etiam in familia Herodis turbas ſtructis ad eam rem calumniis, fictiſque relationibus excitavit, & fovit; cujus proinde artibus duorum Principum, Alexandri, & Ariſtobuli, eorumque parentis Mariamnes ſupplicium deputandum eſt (d). Syllæum Arabem Principem perditiſſimè deperiens (e), nuptias cum illo, vel invito Herode fratre, urgebat; palam verò cum ipſo inita conſuetudine, invidiam ſui apud omnes creavit, quam neque ducto altero viro Alexa, ſibi ab Herode tradito, declinans, eodem quo priùs loco, amaſium habuit (f). Ultimis fratris tabulis hæres urbium Jamniæ, Azothi, & Phaſaelidis relicta eſt, adjecta etiam 50000. argenteorum ſumma (g). Antipæ contra Archelaum favit; ac tandem pauló poſt exilium ejuſdem Archelai Viennæ in Delphinatu, vita exceſſit (h). Herodes obiens, Salomem & Alexam ejuſdem virum etiam atque etiam rogaverat, ut ſtatim ab obitu ſuo, omnes Judææ Optimates Jerichuntem, ubi æger decumbebat, accitos (i) trucidandos curarent. Tantum facinus ambo exhorrentes, poſt Regis obitum omnes liberos dimiſerunt. Salome ex Alexa viro quinque liberos genuit, *Berenicem*, *Antipatrum*, *Calleam*, & natum natamque alteram, quorum nomina ignorantur.

II. SALOME, filia Herodis Magni ex Elpide (k), quæ uni ex filiis Pheroræ nupſit.

III. SALOME Saltatrix, filia Herodiadis, & Herodis Philippi Tetrarchæ. Primò Philippo Tetrarchæ patruo ſuo, ac deinde Ariſtobulo Regi Chalcidis nupſit (l). Tres liberos, Herodem, Agrippam & Ariſtobulum ex Herode genuit. Cum Herodias priorem conjugem Philippum Tetrarcham dimiſiſſet, Salome filiam ſuam unà ſecum abduxerat. Cum flagitioſas nuptias Joannes Baptiſta liberiùs verbis increparet, *Marc.* 6. 17, *&c. Luc.* 3. 19., accidit, ut natalis ſui, ſive initi Regni anniverſarium diem Herode celebrante, Salome coram convivis ſcitas elegantesque choreas inſtituerit. Rex eo aſpectu captus, quidquid filia poſtularet, facilè ſe conceſſurum, ne regno quidem excepto, ſignificavit. Puella de matris conſilio ſtatim caput Joannis Baptiſtæ à Rege petiit. Ille invitus quidem petenti acquievit, ratus datam jam fidem violare Regium non eſſe. Hinc continuò Joannes Baptiſta capite obtruncatus eſt.

Nicephoro *l.* 1. *c.* 20., & Metaphraſte authoribus, Salome matri ſuæ Herodiadi Viennæ in Delphinatu unà cum viro Herode exulanti adhæſit; cum verò Imperatoris juſſu in Hiſpanias ipſis tranſmigrandum eſſet, obduratum glacie amnem Salome pertranſiens, glacie ponderi ſubſidente, fœmina ad collum uſque demerſa eſt. Inter hæc, iterum ſubitò concreta glacies collum decidentis ſtrinxit, ex quo pendula manens debitas procurati Joanni Baptiſtæ ſupplicii pœnas luit. Hæc tamen à nullo Veterum prodita, Joſepho repugnare videntur, qui fœminam primò Philippo Tetrarchæ filio Herodis Magni ex Cleopatra nuptam perhibet: obiit autem Philippus an. 33. ſivè 34. Æræ. Secundo connubio Ariſtobulo filio Herodis Regis Chalcidis conſobrino ſuo adhæſit; ex quo plures liberos genuit. Hinc ad 30. annos poſt exilium Herodis vitam produxiſſe debuit.

IV. SALOME; quo nomine Græci in ſuis Calendariis matrem ſeptem fratrum Machabæorum appellant: quemadmodum & Eraſmus in Paraphraſi Libri *De Imperio Rationis*. In eo tamen Libro nihil de nomine additum. Filius Gorionis eam fœminam Annam; alii *Machabæam* appellant.

V. SALOME, nomen illius fœminæ, quæ in apocryphis Libris virginitatem Beatæ Mariæ poſt partum tentavit (m).

VI. SALOME, uxor Zebedæi, & mater S. Jacobi Majoris, & S. Joannis Evangeliſtæ (n). Jeſum Chriſtum, in ſuis itineribus unà cum cæteris fœminis miniſtratura, comes ſecuta eſt. *Matth.* 27. 56. Eumdem

Chriſtum

(a) Menander apud Joſephum Antiquit. l. 9. c. 14. & contra Appion. l. 1.
(b) A. M. 2553 ante Ch. 1447. ante Ær. 1451. (c) Antiq. l. 15. c. 4.
(d) Antiq. l. 16. c. 6. & l. 17. c. 7. (e) Antiq. l. 16. c. 1. (f) Antiq. l. 17. c. 11.
(g) Antiq. l. 17. c. 10. (h) Antiq. l. 18. c. 3. A. Chr. 12. Ær. 9.
(i) Antiq. l. 17. c. 8. (k) Antiq. l. 17. c. 1. (l) Antiq. l. 18. c. 7.
(m) Vide Protevangelium Jacobi, n. 19. 20. & not. Fabr. ibidem.
(n) Confer. Matth. 27. 56. cum Marc. 15. 40.

Chriſtum pro ſuis filiis rogavit, primas illis ſedes in Regno poſtulans (a). Fœminam duoſque filios interrogavit Chriſtus, num paratum ſibi calicem haurire ſuſtinuiſſent? illiſque preſtò ſe exhibentibus, propinaturum Chriſtus pollicitus eſt: quod autem ad ſedes ſpectat, non Filii hominis, ſed Patris eſt munus, qui deſtinata cuique loca aſſignavit.

Porrò fœmina illa inſigne fidei ſuæ ſpecimen exhibuit, cùm Jeſum Chriſtum ad Calvarium tendentem, quin & in ipſa cruce elatum, proſecuta eſt *Marc.* 15. 40. *Mat.* 27. 55. 56. Nec ultima fuit inter fœminas, quæ comparatis aromatibus ad condiendum cadaver Chriſti ſub auroram Dominicæ diei ad monumentum ſe contulerunt *Marc.* 16. 1. 2. Cùm inter eundem mulieres illæ de removendo immani lapide ab oſtio monumenti inter ſe loquerentur, tandem ad locum venientes & reductum lapidem, & Angelum in ſepulchro invenere, à quo de reſurrectione Chriſti factæ ſunt certiores. In urbem verò regredientibus Chriſtus ipſe obviam factus *Matth.* 28. 9. 10., animum adjecit, monuitque, ut Apoſtolos ſuo nomine in Galilæam, ibi Præceptorem viſuros, invitarent. Mulieres humi continuò proſtratæ, pedes complexæ pronæ adorarunt. Hæc de Salome in S. Scriptura.

Sunt, qui (b) *Mariam Salomem* hanc fœminam appellent; qua de re nihil apud Veteres, niſi tantum ex fide apocrypharum quarumdam hiſtoriarum, in quibus tres Mariæ diſtinguuntur: Maria Mater Jeſu, Maria Mater Jacobi, & Maria Salome. Alii filiam S. Joſepho tribuunt (c). Ejus Feſtum in Martyrologiis Latinis die 22. Octobris celebratur. In Martyrologio Romano Jeroſolymæ; apud alios in Provincia, ubi adhuc corpus ſervetur, obiiſſe traditur.

VII. SALOME, juxta nonnullos, tertius vir S. Annæ; quam in rem Joannes Gerſon *ſerm. de Nativ. B. M. V.* verſiculos nonnullos laudat:

Anna tribus nupſit, Joachim, Cleophæ, Salomæque,
Ex quibus ipſa viris peperit tres Anna Marias,
Quas duxere Joſeph, Alphæus, Zebedæuſque.
Prima Jeſum; Jacobum, Joſeph, cum Simone Judam
Altera dat. Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Sed hæc omni Antiquitati ignota meritò rejiciuntur.

SALOMI, è Tribu Aſer, pater Ahiud illius, qui ad diſtribuendam inter Iſraelitas Chanaanitidem ſelectus cum cæteris fuit. *Num.* 34. 27.

SALOMI, pater Zambri, a Phinees in expiationem abominationis Phogor tranſfoſſi *Num.* 25. 14. In 1. Machab. 2. 26. *Salomi*, ſivè Salom; & Numeris *Salu*, ſivè *Salu* appellatur.

I. SALOMITH, ſeu potiùs *Salumith*, filia Dabri è Tribu Dan, *Levit.* 24. 10. 11., parens illius viri ob blaſphemiæ crimen lapidatione damnati. Ex matre Salumith, & Ægyptio patre editum virum illum in Scriptura legimus: quem nos quidem ex connubio amborum genitum interpretamur; Rabbini verò hanc hiſtoriam prætexunt. Cùm Ægyptius quidam operum Hebræorum Præfectus, tentata ſæpiùs Salumith, fœminæ probitate & elegantia inſignis, pudicitia, repulſam paſſus eſſet, tandem noctu clam in ejus conclave irrepens, cum fœmina virum adeſſe (fortè abſentem) rata, congreſſus eſt.

Demùm ſuboriente luce mulier fraude deprehenſa, querelas ea de re ſuas apud virum detulit. Ille ſtatim conjugium abſcindere cogitavit; mox verò expectandum an fœmina ex Ægyptio concepiſſet, conſtituit. Tumentem jam uterum cernens, nihil cunctatus, fœminam dimiſit; graviqne expoſtulatione cum Ægyptio conqueſtus, graviùs ab illo non verbo tantum, ſed re exceptus eſt. Altercantibus Moyſes forte ſuperveniens, utriuſque cauſa audita, partes Iſraelitæ contra Ægyptium ſuſcipiens, adverſario necem intulit, atque occiſi corpus in arena defodit.

Accepta a Salomith injuria repudii, ejuſdem fœminæ fratres offenſi, virum ad conciliandas nuptias ſollicitarunt. Illo recuſante, altercatio inter partes exarſit: quam Moyſes, fortè abſens, componendam aggreſſus, ab Iſraelita fœminæ viro, invidioſa illa exprobratione rejectus eſt: *Num occidere me vis, ſicut heri Ægyptium?* Moyſes vulgatam ejus rei famam metuens, ex Ægypto in Madianitidem ſeceſſit.

Hujus adulterii fructus vir blaſphemus, in deſerto lapidatione damnatus, editus eſt. Porrò Præfectus ille Ægyptius ipſiſſimus eſt, de quo *Exod.* 2. 11. 12. & vir Salomithis eſt, de quo *Exod.* 2. 13. 14. Ita Judæi hiſtoriolis inſertam Scripturam depravant.

II. SALOMITH, filia Zorobabelis Principis Juda. 1. *Par.* 3. 19.

III. SALOMITH, filia Semei Levitæ, è familia Gerſon 1. *Par.* 23. 9.

IV. SALOMITH, filius Iſaari Levitæ, è familia Gerſon, filii Moyſis. 1. *Par.* 23. 18.

V. SALOMITH, filia Roboami Regis Juda, ex Maacha filia Abſalomi. 2. *Par.* 11. 20.

SALOMON, filius Davidis ex Bethſabee natus an. M. 2971. ante Chr. 1029. ante Ær. 1033., cujus nomen *Pacificum* ſonat. Hunc Dominus ſpeciali dilectione proſequutus, miſſo ad patrem Nathano Propheta, amoris ſui argumentum nomen puero indidit *Jedidiah*, *Amabilis Domino*. Ea fortè occaſione, Nathan Davidi ſucceſſorem futurum illum deſignavit, electum ad ſuſtinendum ingens illud promiſſionum pondus, quarum Deus per eumdem Prophetam ante aliquot annos Regi ſpem fecerat (d). Templi enim ædificium molientem Davidem Nathan Dei juſſo prohibuit, nuncians, integram ejus rei gloriam filio poſt ejus obitum ad Regnum efferendo reſervari; cujus proinde ut imperium proveheretur, atque perpetuò familiæ aſſereretur, Deum commiſſurum. Si quid autem ille criminis commiſerit, Deus ait Prophetæ, ea, qua ſolet pater in filios animadverſione correctum, eodem quo priùs loco illum habebit. Indè David verſis ad paranda Templo neceſſaria curis, totce cætera tamen digna tantæ ſpei puerum educatione excolendum ſuſcepit. Interim inclinante in exitum Davide (e) Adonias, veluti proximus Regni hæres, Regium jam cultum affectabat; nec Davide prohibente, & Joabo, Abiatharo, aliiſque pluribus Principibus clam faventibus 3. *Reg.* 1. 5. Sui tamen non deerant Salomoni fautores, Sadoc Summus Sacerdos, Banaias, & Nathan Propheta: quos cum Adonias à convivio quodam à ſe inſtituto ad fontem Rogel, fautoribus ſuis accitis, excluſiſſet, Nathan ſtatim Bethſabee matrem Salomonis conveniens, mulierem, ut Regem adiret, promiſſionibus illius pro Salomone ſuggerendis, ſollicitavit.

Viri perſuaſionibus acquieſcens illa, ad Regem ſe conferens. 3. *Reg.* 1. 32. *&c.* cuncta, quæ ad Adoniam pertinebant, narravit. Cùm autem ejus verbis fidem conciliaturus ex condicto Nathan ſuperveniſſet, acciti ab eodem Rege Sadoc Summus Sacerdos, & Banaias filius Jojadæ, deducere ad Gihon Salomonem, ibique in Regem inungere, atque clangentibus buccinis Regem illum proclamare juſſi ſunt. His executioni mandatis, univerſo populo inclamante, Salomon Rex ſalutatus eſt: ipſo interim Davide Deum benedictionibus proſequente, cujus beneficio ſuis ipſe oculis filium in Regno ſucceſſorem vidiſſet. His populi plauſibus ad aures

Adoniæ

(a) Marc. 20. 20. &c. Circa an. Ær. 30. (b) Ita Martyrolog. Rom. & alii.
(c) Epiph. hæreſ. 78. c. 8. Græci recent. Auctuar. Bibl. PP. 3. Menæa 8. Maii.
(d) An. M. 2960. ante Chr. 1040. ante Ær. 1044. 2. Reg. 7. 5. & 3. Reg. 8. 17. & 2. Par. 17. 1. &c. Pſal. 131. 11.
(e) An. M. 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015.

Adoniæ aſſeclarumque conſonantibus ſubito illi timore correpti, deſertis dapibus ad latebras conſugerunt 3. *Reg.* 1. 49. Adonias Altaris cornua apprehendens aſylum quæſivit, nec antea diſceſſit, quam facta ſibi à Salomone ſpe, ut, ſi quietus maneret, nihil gravius paſſurus eſſet.

Inclinans verò in occaſum David (a), Salomonem pluribus hortatus eſt, ut nihil religione atque fide in Deum antiquius unquam haberet, cujus excitandi Templi negotium ſibi divinitus commiſſum ſedulò gerendum rogabat, omnibus ejus ædificii modulis, paratarumque in eam rem divitiarum ratione in ejus manibus remiſſis. 1. *Par.* 22. 2. *&c.* *&* 28. ſimul addito Sacerdotum & Levitarum catalogo, eorum eorum in certum ordinem ad obſequium Templi diſtributione. 1. *Par.* 23. *&* 24. *&* 25. *&* 26. Eadem de Præfectis aulæ, Regni, Ærarii, & Oeconomia Regiorum proventuum præſtitit. 1. *Par.* 27. Monuit tandem, ut Joabum, & Semei condigna pœna multaret; filios verò Berzellai merito præmio pro patris in Regem fugientem humanitate donaret. 3. *Reg.* 2. 1. *&c.* Tandem in ſolemni populi concione divitias omnes in Templi uſum cumulatas Salomoni commiſit. 1. *Par.* 29. 1. 2. *&c.*, omnibus ſimul ad majora in eam rem præſtanda ſuo ſingulos modulo confirmatis: quibus ſupremis Regis juſſis pro viribus à ſingulis executioni mandatis, immania auri, & argenti copia comparata eſt. Hinc David, exactis 40. regni annis, 70. annorum ætate ſenior, vita deceſſit A. M. 2990. ante Chr. 1010. ante Ær. 1014.

Ejus obitu Salomon rerum pleniori jure potitus univerſi Iſraelis obſequia recepit. Adonias interim Bethſabee rogaverat, ut nuptias Abiſag Sunamitidis ſibi à Rege poſtularet. 3. *Reg.* 2. 13. 14. cui proinde Salomon eadem roganti reſpondit, noſcere ſe ſiniſtra fratris conſilia, qui uxorem Davidis ſibi peteret, ut emendicato jure Regnum data occaſione invaderet; ſimulque bis dictis, Adoniam occidendum præcepit. Abjatharum etiam Summum Sacerdotem partibus Adoniæ faventem 3. *Reg.* 2. 28. *&c.* in ruſticam illius domum relegavit; Joabum verò, qui ad aſylum Templi confugerat, vi inde extrahendum imperavit. 3. *Reg.* 2. 28. *&c.* Egredi detrectantem, eo loci occidi juſſit; cædes ab eo injuſtè illatas, diſſimulata ultione, in crimen ſibi atque univerſæ familiæ detorqueri minimè paſſus. Accito tandem Semei dixit 3. *Reg.* 2. 36. 37. ædificata ſibi in Urbe domo, nunquam ex eadem urbe ſciret ſibi impune egrediendum. Paruit ille; ſed poſt triennium, quoddam ex ejus mancipiis ad Achis Regem Geth profugiens, ipſe inſecutus eſt; quibus ad Regem renunciatis, miſſo Banaja filio Jojadæ, juſſit occidi.

Confirmato poſt hæc Regno (b), Salomon cum filia Pharaonis Regis Ægypti nuptias celebravit, deductæque Jeroſolymam (Palatii ædificium meditans, quod poſtea ædificato Templo perfecit 3. *Reg.* 3. 1.) interim in Civitate David ædes aſſignavit. Earum nuptiarum veluti epithalamium Canticum Canticorum adornaſſe Salomonem, quemadmodum & Pſalmum 44. *Eructavit cor meum verbum &c.* ferunt. Hoc porrò conjugium ſapientia Salomonis impar habitum fuiſſe ex eo intelligimus, quòd ea mulier inter cæteras animum Regis in Idololatriam pellexit 3. *Reg.* 11. 1. *&* 2. *Eſdr.* 13. 26.; cùm fortè illa, poſt ejurata in ipſo ad Regnum ingreſſu Ethnicorum Numina, iterum ſucceſſu temporis ad ſtudia priora rediiſſet. Urbem Gazer Philiſthæam 3. *Reg.* 9. 16. quam Pharao pulſis Chananæis ſuæ ditioni adjecerat, in dotem Salomon obtinuit; eamque ipſe poſtea reædificatam munitionibus vallavit.

Sub hæc, Salomon ſolemni populorum, totiuſque exercitus comitatu ad Gabaonem, inter edita loca in tota regione celeberrimum, ſe conferens (c) 1000. hoſtiis ſuper Altare æneum ibidem conſtitutum litavit. Interim per quietem noctu Deus dormienti viſus, ſi quid vellet, ipſum interrogavit; eique poſt habitas gratias de beneficiis in patrem, & in ſe collatis, ſapientiam gubernandis populis parem poſtulanti; Non hanc tantùm, ait Dominus, ſed cùm neque divitias, neque gloriam, ſed ſapientiam unicè rogaveris, ideò & quæ petiiſti omnia, & cætera etiam, quæ poteras, ultrò tibi concedens, omnium retrò Regum te florentiſſimum præſtabo. Salomon manè excitatus, ingentem ſibi factam ſpem animo verſans, Jeroſolymam regreſſus, nova ſacrificia in Altari ante Arcam offerens, ſolemni ſimul epulo ſervos ſuos excepit.

Accidit interim, ut duæ meretrices inter ſe rixantes, querelam alterius de altera coram Rege deferrent (d). Ex illis altera accuſabatur, proprio filio inter dormiendum oppreſſo, clam è latere alterius contubernalis mulieris infantem ſubduxiſſe, defuncto interim in ejus locum ſuppoſito. Illa pro viribus accuſationes depellere, neque ſe niſi per calumniam fraudis & enecati pueri ream agi contendens. Rex in ancipiti controverſia nullius teſtimonio definienda ratione inita, juſſit, ſatellites abrepto gladio ſuperſtitem puerum medium præcidere, ſuam utrique altercanti portionem daturus. Altera ex mulieribus ſententiæ acquieſcente, alia maternis viſceribus commotis, clamare ſtatim malle ſe cauſam victam adverſæ parti cedere, quàm inſontem puerum impiè abſciſſum ſpectare. His à Rege animadverſis, cauſam ſecundæ mulieri adjudicavit; quippè quam eo pietatis indicio veram matrem probaverat. Ejus rei fama per univerſum Regnum vulgata, mirum quantum apud omnes Regi obſequium, & timorem conciliaſſet.

Regnum igitur habebat Salomon pacatum adeò & quietum, ut tota latè ejus ditio nullo hoſtium timore vel minimum ſollicitaretur 3. *Reg.* 4. 1.; finitimas enim gentes vel tributo obnoxias vel ſaltem fœderatas, & amicas devinxerat. Ditionem verò adeo prorogaverat, ut duos amnes Euphratem & Nilum jungens, ultra etiam Euphratem nonnihil excurreret 3. *Reg.* 4. 24. *&* 2. *Par.* 9. 26. Equorum & curruum bellicorum copiam immenſam comparaverat. Sapientia erat ſupra Orientales, & Ægyptios omnes inſigni, ut arena maris latius prorogaretur. Brevi: mortales omnes non tam ſapientia, quàm ſapientiæ apud omnes gentes fama vincebat. Hujus rei ſpecimen ſunt 3000. parabolæ, & 1005. cantica ſcripturæ mandata (e); diſputationes de ſingulis arboribus, à cedro Libani uſque ad hyſſopum, muralem plantam, inſtituit; ne quid dicam de animalibus terreſtribus, de avibus, reptilibus, & piſcibus. Undique autem ad eum audiendum confluebant populi, miſſæ ad eam rem Principum legationes. Aurum & argentum ſub eo Rege lapidum copiam in Iſraele æquabat 1. *Par.* 1. 15. *&* 2. *Par.* 9. 27. *&* 3. *Reg.* 10. 21. 27., nec cedri ſycomoris, quibus regio conſita erat, rariores habebantur.

Hiram Rex Tyri in univerſum Iſraelem Regnum cepiſſe Salomonem intelligens, miſſa legatione, gratulaturus venit. Succedente tempore (f), Salomon viciſſim ad illum legationem inſtituit, lignorum, & artificum copiam ad Templi ædificium poſcens 3. *Reg.* 5. 1. *&c.* *&* 2. *Par.* 2. 1. *&c.* Poſtulatis Rex, nec invitus, acquieſcens, ligna à ſuis in Libano cædenda abietum & cedrorum, ad mare demiſſa, Joppem uſque transferenda ſe curaturum pollicitus eſt. Cujus operis Salomon annuam mercedem in annonam Regiæ domus

(a) 3. Reg. 2. 1. &c. An. M. 2990. ante Chr. 1010. ante Ær. 1014.
(b) A. M. 2991. ante Chr. 1009. ante Ær. 1013. (c) 3. Reg. 3. 4. &c. & 2. Par. 1. 3. &c. A. M. 2991. ante Chr. 1009. ante Ær. 1013. (d) 3. Reg. 3. 16. eodem anno.
(e) Septuaginta, & plures Interpretes legunt 5000. pro 1005. quod eſt in Hebr.
(f) A. M. 2992. ante Chr. 1008. ante Ær. 1012.

domus 20000. menſurarum frumenti, & viginti *millia* menſurarum olei pactus eſt (a). Vini etiam portionem addit Joſephus *Antiq. l.* 8. *c* 2 & 2. *Par.* 2. 10. legimus quidem ſolutam à Salomone operariis Hirami in Libano laborantibus frumenti, hordei, vini, & olei copiam.

Literas ea de re Salomonis & Hirami ultro citròque datas ſervari adhuc in Tabulariis Tyri Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 2. *& l.* 1. *cont. Appion.* teſtatur. Addit etiam ex Dio & Menandro, ambos illos Reges mutuis ænigmatibus ſeſe provocaſſe; quorum cùm fortè alicui à Salomone propoſito Hiram impar explicando fuiſſet, mulctam conſtitutam ſolviſſe, dein ope cujuſdam Tyrii, nomine Abdemonis, non enodaſſe tantùm, ſed novis Salomoni propoſitis, acceptis paria rependiſſe, mulctamque altera mulcta indicta reparaſſe. Hæc apud Joſephum.

Tandem Salomon Templum fabricari aggreſſus eſt, anno Regni ſui quarto, ſecundo à patris obitu (b), ab egreſſu ex Ægypto 480 3. *Reg.* 6 1. *&c.* & 2. *Par.* 2. 17. 18. & 3. 1. *&c.* Hujus ædificii ideam v. *Templum Salomonis* dabimus. Huic operi 70000. Proſelytorum, veterum Chananæorum reliquias, ſarcinis vectandis adhibuit; 8000. lapicidarum detinuit in montibus; ac tandem 3600. deducendis operibus deſtinats (c). Præter hæc 30000. Iſraelitarum ad lapidicinas Libani miſſa, qui ſlatis ſinguli menſibus 1000. ſimul operi ſub Adoniram Præfecto inſiſterent 3. *Reg.* 5. 14 Hiram verò, alterum ſibi cognominem virum (d), artificem in auro, argento, ære, ferro, marmore, ligno, ſingulisque laneis operibus, phrygiis, & plumariis peritiſſimum miſit, cujus mater è Tribu Dan (e); quem proinde Salomon omnibus Templi artefactis præfecit. Hujus non inventioni tantùm, ſed operi vaſa omnia metallo conflata deputanda ſunt. Vide *Hiram*.

Anno tandem Regni Salomonis undecimo, ultima ædificio, anno quarto incepto, manu impoſita (f), ejus Dedicatio altero anno (g) facta eſt. Electa ad eam rem dies octava ſeptimi menſis anni ſancti, & primi anni civilis, Octobri reſpondentis 2. *Par.* 5. 1. *&c.* & 3. *Reg.* 8. 1. *&c.* Integra hebdomada ſolemnitas celebrata eſt, quam ſtatim ſolemnitas Tabernaculorum alia hebdomada excepit; adeò ut 14 ſivè 15. dies populus ſolemnes duceret, à die ſcilicet 8. uſque ad 22. ſeptimi menſis. Acciti ad Feſtum Seniores Iſraelis una cum populo; delata in Templum munera à Davide oblata, quæ Sacerdotes, & Levitæ in Sacro ærario depoſuerunt: idem & cum ornamentis, atque vaſis in uſum ſactum deſtinatis, ſervatum eſt. Omnium poſtremam Arcam Fœderis Rex, & univerſus populus tranſtulerunt, innumeras interim Sacerdotibus per totum viæ tractum victimas immolantibus.

Conſtituta autem in Sanctuario Arca, totum Templum Muſicis Levitarum, & Sacerdotum, ſuo ſingulis ordine canentibus, cantilenis inſonuit. Inter hæc, ſubito prodigio nubes totum Templum obduxit; præſentiſque Numinis majeſtatem veriti Sacerdotes, neque in Templo ſubſiſtere, neque munera ſua præſtare auſi fuiſſent. Tunc Salomon è cathedra ſua ſurgens, proſtrato in terram vultu adoravit 3. *Reg.* 8. 12. & 2. *Par.* 6. 1. *&c.* ſurgens deinde, ad Sanctuarium converſus, porrectis ad Deum precibus exoravit, ut domum illam in ſui honorem excitatam benedictione, ſuiſque Numinis præſentia conſecraret; preces ibidem oblatas pronis auribus exciperet; ut demùm quæ Davidi ejuſque familiæ pollicitus fuerat, ea rata, atque integra haberet. Simul hæc dicens, Salomon ad populum frequentem converſus, benedictionem impendit 3. *Reg.* 55. 56. ſtatimque novo prodigio dilapſus cœlitus ignis holocauſta victimaſque Altari impoſitas abſumpſit 2. *Par.* 7. 1. *&c.* atque Dei gloria per totum diffuſa Templum, Sacerdotes ab ejus ingreſſu, veneratione quadam indita, prohibuit. Horum prodigiorum teſtis populus univerſus prono in terram vultu adorare primùm, deinde in laudes Domini totus effuſus eſt.

Numerus victimarum ea die ad 22000. boûm & 80000. arietum in hoſtias pacificas aſcendit; cui victimarum numero cum Ara holocauſtorum impar haberetur 3. *Reg.* 8. 64. 65. & 2. *Par.* 7. *&c.* in eam rem atrium populi Rex conſecrari conſtituit. Dominus inter hæc Salomoni per quietem ſecundo apparuit, noctu fortaſſe poſt primam diem Dedicationis, eumque certiorem fecit, audiviſſe ſe porrectas pro Templo preces, quod proinde ſibi in domum Sacrificii elegiſſet, locumque, in quo pronas ſemper aures orantibus exhibiturum pollicebatur. Adjecit inſuper, omnia ipſi Regi à Deo ſperanda, ſibique ac univerſæ familiæ Iſraelis Regnum aſſerendum. Si tamen, ait, dicto ſive tu, ſivè filii tui parentes non eritis, delebo vos, atque in fabulam univerſi Orbis populum meum traducens, Templum iſtud in exemplum ultionis coram univerſis gentibus exhibebo.

Duplicis Feſti diebus evolutis, univerſus populus à Salomone dimiſſus, ad propria remigravit, Regia famam longè, latèque provehens. Veriæ deinde Salomonis curæ ad ædificandas ſibi, & uxori ſuæ filiæ Pharaonis ædes (h). Decimotertio anno ſteterunt, nihil ſivè ad ſtructuram, ſive ad pompam illis conſtruendis deſiderato, ut dignam ampliſſimo totius Orientis Principe Sedem referrent. Regis ædes *domus ſaltus libani nomen*, ex copia facilè cedrorum, ſivè ex columnarum ſylva, retulerunt. Hiramo verò Regi Tyri in præmium præſtiti ſibi operis Salomon viginti urbes in Galilæa conſtituit (i); quas tamen ille inviſens, minuſque probans, terram *Chabul* appellavit, ſimul addens: Hæccine, frater, urbes ſunt, quibus me donaſti? Vide *Chabul*. Salomoni etiam Hiramus 120. auri talenta mutuo dedit, facilà in uſus ædificii neceſſaria. 3. *Reg.* 9. 14.

Præter hæc, Salomon ædificandis etiam mœnibus Jeroſolymæ, ſternendæque plateæ Mello in eadem urbe operam impendit 3. *Reg.* 9. 15. *&c.* & 2 *Par.* 8 1. *&c.* Urbes Heser, Mageddo, Gazer, ſuperiorem & inferiorem Bethoronem, Baalat, Palmyram in deſerto Syriæ reparatas, adjectis etiam munitionibus vallavit. Suis etiam munitionibus urbes quaſdam firmavit, quo frumentum, vinum, & oleum in uſus neceſſarios comparaverat, eaſque, ubi currus, & equi detinebantur. Hethæos, Hevæos, Amorrhæos, Pherezæos, reliquias veterum incolarum Iſraelis ſuo ſubjecit Imperio, atque tributis impoſitis, publicis operibus operam conferre coegit. Iſraelitas ab omni prorſus opere abſolvens, nonniſi in uſum belli, copiis, equitibus, & curribus Præfectos adhibuit.

Comparatam etiam claſſem in Aſiongaber, & Elat, ſivè Aelan ad mare Rubrum, ad Ophir tranſmiſit 2. *Par.* 8. 17. 18. & 3. *Reg.* 9. 26. Huic autem inſtruendæ peritiſſimos nautas Hiram Rex Tyri ſuffecit, quorum magiſterio Iſraelitæ adeò profecerunt, ut per ſe muneri obeundo pares ſe præſtiterint. Singulis triennis iter illud initum: auroque, & lignis pretioſis, ebeno, ebore, pavonibus, ſimiis, variiſque rebus inſtructæ naves referebantur 3. *Reg.* 10. 11. 22. & 2. *Par.* 9. 21. ut unius tantùm itineris proventus 450. talenta auri, ſivè 420. Salomoni deputarentur 3. *Reg.* 9. 28.

Cit-

(a) Hebræus & Vulg. habent. 20. ego tamen legendum cenſeo 20000.
(b) 3. Reg. 6. 37. A. M. 2992. ante Chr. 1008. ante Ær. 1012. (c) In 3. Reg. 5. 16. legitur 3300.
(d) 2. Par. 2. 13. 14. & 3. Reg. 7. 13. 14. 15. &c. (e) In 3. Reg. 7. 14. hujus mater è Tribu Nephtali dicitur.
(f) 3. Reg. 6. 37. &c. ab A. M. 2992. uſque ad 3000 (g) A. M. 3001. ante Chr. 999. Ær. 1003.
(h) 3. Reg. 7. 2. &c. & 1. Par. 2. 1. &c. A. M. 3001. uſque ad 3012. ante Chr. 988. ante Ær. 992.
(i) 3. Reg. 9. 11. 12. &c. & 2. Par. 8. A. M. 3012. ante Chr. 988. ante Ær. 992.

Circa ea tempora Regina Saba 3. *Reg.* 10. 1. *& ſeq. &* 2. *Par.* 9. 1. *&c.* fama Sapientiæ Salomonis audita, ſive ex Arabia Felici, ſivè ex Inſula Meroe, olim Saba, Jeroſolymam venit. Muneribus illa ditiſſimis, auro, aromatibus, gemmiſque Regem donavit, de cujus ſapientia periculum factura, variis illum ænigmatibus tentavit. Omnibus à Salomone reſolutis, illa ſapientiam ſimul, & magnificentiam admirata, majorem illum, quàm fama proderet, ſe deprehendiſſe profeſſa eſt. Rex amplioribus, quam acceperat, muneribus Reginam proſecutus, ditiſſimam in ſuum regnum remiſit. Vide quæ de illa diximus V. *Nicaule*.

Salomonis quidem divitiæ omnium fortè, qui adhuc floruerint, ditiſſimorum Principum ſuperarunt; atque ipſius Scripturæ teſtimonio, omnibus illum Orbis regibus divitiis, & ſapientia præſtitiſſe compertum eſt 3. *Reg.* 10. 23. *&* 2. *Par.* 10. 22. Eo enim Regni, uti ſupra innuimus, argenti copia Jeroſolymæ lapides æquabat; proventus ipſius ſingulis annis 666. auri talenta dimetiebantur 3. *Reg.* 10. 14. 15. *&* 2. *Par.* 10. 13. *&c.* quibus & tributa Regum, & populorum, Iſraelitarumque vectigalia, atque portoria addenda ſunt. Militum cuſtodum ſcuta & ipſius Regis thronus, auro obducta erant; eodemque metallo vaſa, atque totius domus utenſilia fulgebant; undique confluebant vaſa aurea, & argentea, panni pretioſi, aromata, arma, equi, & muli muneris loco oblata: undique etiam ad Salomonem audiendum populi conveniebant.

Hucuſque mira, & præclara de Salomone: reliqua tamen ejus vitæ geſta gloriæ ampliſſimorum factorum ſummoperè detrahunt. Alienigenas fœminas perditiſſimè deperiens (a), præter filiam Pharaonis, de qua ſupra, Moabitides etiam, Ammonitides, Idumæas, Sidonias, Hethæas fœminas uſque ad 700. uxores primi ordinis, & 300. concubinas duxit. Harum artibus Rex in ſenium jam vergens, ad Idola perductus eſt, nihil ille jam ſaperet, quam Aſtartem Deam Sidoniorum, Moloc Idolum Ammonitarum, & Chamos Deum Moabitarum; quibus ſua Templa in monte Oliveti è regione, & ad orientem orbis dedicaverat. Eadem religione cum ſingulis ſingularum uxorum Numinibus uſus eſt. Quare per quietem noctis Dominus apparens, futurum denunciavit, ut Regnum, quod in tranſverſum egerat, dividendum ſeret, & partim ſervo tradendum, partim verò ob Davidem ejus filiis relinquendum eſſet. Monuit tamen temperaturum ſe ab ea ultione, donec Salomon ipſe diem clauſiſſet, in ipſiſſimi Davidis gratiam. Eas minas executioni mandatas fuiſſe v. *Roboam* animadvertimus; quarum Salomon ipſe ſcintillas in ſeditione Jerobeami, & Adad Idumæi, ſuis oculis ſpectavit.

Obiit A. M. 3029. ante Ch. 1071. ante Ær. 1075. poſt exactos 40. regni annos, cum 58. annorum ætatem, ut ipſi quidem credimus, ageret; quorum decimo octavo circiter Regnum iniit. Joſephus 80. regni annos, & 94. vitæ apertiſſimo errore ſupputat *Antiq. l.* 8. *c.* 3. *in initio*. Hujus Regis geſta Natham, Ahias, & Addon literis mandarunt. 2. *Par.* 9. 29. 30. Sepultus eſt in urbe Davidis, ejuſque regni pars tantummodò Roboamo manſit.

Author Eccleſiaſtici *c.* 14. hoc illum elogio proſequitur: *Poſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus, & propter illum dejecit* (Deus) *omnem potentiam inimicorum. Salomon imperavit in diebus pacis, cui ſubjecit Deus omnes hoſtes, ut conderet domum in nomine ſuo, & pararet Sanctitatem* (Sanctuarium) *in ſempiternum. Quemadmodum eruditus es in juventute tua? Et impletus es quaſi flumen ſapientia, & terram texit anima tua. Et repleſti in comparationibus ænigmata* (in parabolis ænigmata inſeruiſti;) *ad inſulas* (remotiſſimas) *longè divulgatum eſt nomen tuum. In cantilenis & proverbiis, & comparationibus & interpretationibus miratæ ſunt terræ. Collegiſti quaſi aurichalcum aurum, & ut plumbum compleſti* (collegiſti) *argentum. Et inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua, & prophanaſti ſemen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari ſtultitiam tuam, ut faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum* (& ex Ephraim durum ſævumque imperium educeres.)

De Salomonis ſalute celebris inſtituitur quæſtio, in qua alii patrocinium Regis ſuſcipiunt, alii verò ſententiam in illum ferunt: illi meo quidem judicio ſapientiſſimi, qui inter utramque partem medii, ſententiam cohibent. Salomonis cauſam agentes hæc proferunt: Deus de Salomone ad Davidem locutus 2. *Reg.* 7. 14. *&* 1. *Par.* 17. 21. ait: *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amovi à facie mea.* Et 2. *Par.* 11. 17. Scriptura de Roboamo, ejuſque ſubjectis populis: *Ambulaverunt in viis David, & Salomonis annis tantùm tribus*. Librum etiam Eccleſiaſtes poſt lapſum ejuſdem Regis, uti credunt, dictatum, æternum extare ſalutis Salomonis monumentum aliqui putant. Pro eadem ſalute ſtrenuè diſputat quadam in eam rem epiſtola ſcripta Bacchiarius, author quinti ſæculi (b); neque minùs in eam rem teſtimonia S. Irenæi l. 4. *c.* 45., S. Hilarii *in Pſal.* 56. *&* 126. S. Cyrilli Jeroſolymitani *Catech.* 2. *Illumin.* S. Ambroſii ſeu alius in 2. Apol. David. S. Hieronymi *in Ezech. l.* 13. *c.* 43. *& in Eccl. c.* 2. *& Ep.* 9. *ad Salvinam*, atque plurium (c) noſtræ ætatis conferunt.

Apud alios verò pœnitentia, & ſalus ipſius in dubium revocatur; cùm de lapſu ipſius, & idololatria aperte Scriptura, nihil verò certi de ejus pœnitentia habeat. Quæ de Libro Eccleſiaſtes in ejus pœnitentiæ argumentum adducuntur, temerè prorſus excogitata ſunt; neque enim teſtimonium Proverbiorum ad eam rem à pluribus adductum, ſive in Vulgata, ſive in Originali Hebræo deprehenditur. En locus: *Noviſſime ego egi pœnitentiam, reſpexi ut eligerem diſciplinam*; in Hebræo verò hæc tantummodò leguntur *Proverb.* 24. 30. 31. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & ecce operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat. Quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Porro, addunt illi, ſi Salomon pœnitentiam egiſſet; ſuſtinuiſſet ne, ut criminum ſuorum monumenta in Templo Olivarum, nonniſi poſtea ſub Joſia deſtructa 4. *Reg.* 23. 13. extarent? In elogio Salomonis apud Eccleſiaſticum nihil de ejus pœnitentia; de minis Dei nihil remiſſum, ut in pœnitentem Regem accedit. Plures tandem Patres, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Gregorius Magnus, ſiniſtram de Salomone ſententiam pronunciant (d). Sequioris ævi Scriptores quamplures paria ſentiunt (e); ex quibus omnibus ſatis intelligimus, de ſalute, vel ſaltem pœnitentia Salomonis quæſtionem in ancipiti omnino verſari (f).

Ingenii Salomonis monumenta nonniſi Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum, de quibus ſingulis fuſius in ſuis articulis, ſuperſunt. Sunt, qui Librum Sapientiæ, & Eccleſiaſtici eidem authori

(a) 3. Reg. 11. 1. &c. Circa A. M. 3020. ante Chr. 980. ante Ær. 984.
(b) Bacchiar. Epiſt. ad Januar. de recip. lapſ.
(c) Vide Rupert. Rabb. Serrar. Salian. alios apud Pined. de Reb. Salom. l. 8. c. 1. ſect. 1. n. 44.
(d) Tertull. l. 2. cont. Marc. c. 23. & l. 5. c. 20. & l. 5. c. 9. Cypr. Ep. 8. ad Rogatian. & de Unit. Eccleſ. Aug. l. 22. contr. Fauſt. c. 71. & 88. de doctr. Chriſt. l. 5. c. 21. & in Pſal. 126. Greg. Magn. Moral. l. 2. c. 2.
(e) Auth. lib. de promiſſ. ſub nomine Profp. Beda, Lyran. Toſt.
(f) Vide de hoc argumento Differt. noſt. in nov. collect.

non probanda certè ſententiam deputent. Ejus etiam Opus Judæi credunt Pſalmum 72. *Deus judicium tuum Regi da &c.* & 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum &c.* Circumfertur etiam Pſalterium Salomonis, 18. Pſalmis conſtans, quod in Bibliotheca Auguſtæ Vindelicorum ab Andrea Schotto inventum, ab ipſo ex Græco in Latinum translatum eſt, ac ſubinde à P. Joanne Ludovico de la Cerda, adjectis de ſuo marte notis, vulgatum eſt. A Salomone Eruditi Opus illud abjudicantes (a), Judæo alicui & Helleniſtæ in lectione Authorum Sacrorum exercitatiſſimo tribuunt; quem ad imitationem Pſalmorum Davidis non infeliciter Opus ſuum adornaſſe, idque fragmentis Prophetarum, Iſaiæ, & Ezechielis non ineptè quidem referſiſſe demonſtrant. Porrò Pſalmos illos nec Veteres ipſos penitus lateiſſe conſtat, cùm in celeberrimo Mſ. Alexandrino in Anglia ſervato, olim extitiſſe ex Indice ad calcem Novi Teſtamenti deducto, intelligamus; quamquam hodie, ſivè data opera evulſi, ſivè eventu aliquo deperditi, non appareant (b). In Mſ. Bibliothecæ Imperialis inſertos illos inter Librum Sapientiæ, & Eccleſiaſticum, Lambecius teſtatur. Horum etiam meminit Pſeudo-Athanaſius in Synopſi; Zonaras, Balſamon Can. 59. Laodic.; Nicephorus in *Stichometria*, ſivè recenſione verſuum cujuſcumque Libri S. Scripturæ (c). Exemplar Auguſtæ Vindelicorum ab Andrea Schotto deſcriptum, Hæſchelius Conſtantinopoli miſerat (d). Verum Opus illud Hebræos prorſus latuit; nec Latinis innotuit; & veteres Græci, ad quos fortè pervenerat, numquam tamquam Divinum laudarunt.

Inventi alphabeti Syriaci, & Arabici gloriam Orientales quidam Salomoni tribuunt (e); quem ajunt Hiramo Regi Tyri characteres Syrios tradidiſſe, eoque rogante non ſcriptos tantùm à ſe Libros, ſed totam Scripturam Syriacè vertiſſe. Sed hiſce traditionibus nulla fides. Neque Arabicum alphabetum, neque Syriacæ Scripturæ Verſiones parem cum Salomone antiquitatem præſeferunt; quin homini Phœnico vernacula lingua, quæ vel ipſi Salomoni communis erat, pollenti, Syriaca Verſio quid contuliſſet?

Eupolemus apud Euſebium Præp. l. 11. c. 31. epiſtolam quamdam Salomonis ad Vaphreum Ægypti Regem, atque alteram ejuſdem ad Salomonem recitat. Salomon de inito à ſe regno Regem certiorem faciens, artifices in Templi ædificium petit; Vaphreus in eam rem virorum 80000. pollicetur. Ibidem etiam aliam Salomonis ad Suron Regem Tyri, Sidonis, & Phœniciæ epiſtolam legimus, in qua pariter ad Regem renuncians, paria etiam poſtulat. Suron (facilè *Iram*, ſivè *Hiram*) paraſſe ſe in eam rem 80000. artificum, ſimulque ſcitiſſimum opificem ex matre Judæa Tyrium genere reſcribit. Sed hæc ad libitum conficta, eadem planè idea, atque eodem argumento & hæc, ac quæ apud Joſephum *Antiq. l. 8. c. 2.* occurrunt; quamquam ille ſtilum magis ad ea, quæ leguntur in Scripturis, accommodatum exhibeat.

Plures etiam de Magia Libros, ubi & de ratione adjurandi Dæmones è corporibus perpetuo depellendos ſcripſiſſe Salomonem, Joſephus teſtatur (f). Harum quinimò rerum periculum feciſſe Judæum quedam nomine Eleazarum coram Veſpaſiano ejuſque filiis, & copiarum Præfectis, ſe etiam aſpicientes, idem ſcribit. Admota ab Exorciſta ad nares Energumeni radice quadam, à Salomone prodita, in annulo alligata, ejus ſtatim odore coactus Dæmon, è viro receſſens, ſemianimem reliquit, vas ſimul aquæ plenum ejus rei indicium longius aliquanto poſitum ſubvertens. Adjurationes Dæmonum, quas Judæi ſuis ætatis ſuppoſititiis aliquibus Salomonis ſcriptis jactitabant, apud Origenem *in Matth.* 26. *tract.* 35. legas. Pulſo è ſolio Salomone, Regni jura ſibi uſurpaſſe Aſmodæum Dæmonem, cum interim ipſe Salomon Regnum peragraret, Rabbini comminiſcuntur, mox verò, addunt, Salomon Jeroſolymam regreſſus, pro ſuo jure Regnum vindicavit, non dejecto tantùm, ſed & vinculis tradito adverſario, ne ulli unquam noceret (g). Tandem Dæmonem ita in ordinem redactum coegit, ut artem cædendi lapides in uſum Templi ſine malleorum ſtrepitu, ſibi proderet. Porrò ut Dæmones alligentur, atque dicto obſequentes habeantur, latentis cujuſdam plantæ vi committi poſſe Orientales (h) autumarunt.

Medica quædam ſcripta Salomonem dictaſſe, ubi & de lapidum, vegetabilium, & ſimplicium virtute, Græci aſſeruerunt (i); quibus ab Ezechia Rege cum vulgò ipſis abuterentur, ſuppreſſis, ut ipſi quidem autumant, ſucceſſu tamen temporis plures de eodem argumento, & de magia, incantationibus, Salomonis nomine inſcripti Libri prodierunt. Ejuſdem etiam laudatur: *Inſtructio Salomonis ad filium ſuum Roboamum: Hygromantia Salomonis ad eundem: Teſtamentum Salomonis: Libri magiæ à Dæmone ſub Salomonis nomine dictati Alcoran. c. 2. Clavicula Salomonis; Annulus Salomonis; Contradictio Salomonis;* & alii plures (k). Eidem etiam Authori Librum Jobi ab aliquibus deputari alibi animadvertimus (l).

(Tantam de merito & dotibus hujus Principis formarunt ſibi ideam Orientales (m), ut nominis Salomonis vel *Solimanis* elogio donent, quicunque Reges poſſederunt univerſale totius Orbis Imperium. Ad 40. receniſent, quin & ad 72. quos regnaſſe dicunt alterum poſt alterum ſpatio plurium ſæculorum ante creatum Adamum. Imperatores illi omnes jura dabant ſuæ ſinguli ſpeciei creaturis, aliis genere à factis poſtea ex Adamo, quanquam ratione utentibus, quippe quæ humanæ eſſent. Opperiuntur illi pariter genus aliud poſterorum Adam poſt evolutum illud, quod modò obtinet, cæteras omnes creaturas ſuperaturum majeſtate, atque potentia, quo pariter evoluto, nemo aliùs parebit ſuper terram.

Narrant è Solimanis hiſce ſingulos poſſediſſe è patre in filium clypeum quemdam opportuniſſimum in perpetuis bellis geſtis cum Dæmonibus adverſariis ſuis; illum autem tanquam Imperii pignus habuiſſe penes ſe deſtinatos Regni ſucceſſores. Erat illis pariter fulgurans gladius una cum clypeo illo, utroque autem in præliis invicti reddebantur. Hiſce omnibus addunt Judæi fuiſſe ſingulis, ut poſtea Salomoni, familiarem quemdam Spiritum vel Genium, qui aſſumpta avis figura juſſa illorum omnia deferebat & mandabat executioni. Sed fabellis hiſce omiſſis redeamus ad Salomonem filium Davidis.

Volunt illi Salomonem non imperaſſe tantùm Judæis

(a) Huet. Demonſtr. Evang. propoſit. 4. Vide & Jo. Georg. Neuman. Diſſert. de Pſalter. Salom. Vitteberg. 1689.
(b) Beverg. Cod. Can. Eccl. Primit. Vindic. c. 2. 9.
(c) Vid. Fabric. Not. in Scholia Lud. de la Cer. in Pſalt. Salom. Apocryph. N. T.
(d) Andr. Schott. Ep. ad Menoch. XI. Cal. Nov. 1615.
(e) Vid. Abrah. Echell. hiſt. Arab. p. 2. Abulfarag. hiſt. Aret. Gabriel. Sionit. Præf. in Pſalt. Syriac.
(f) Joſeph. ibid. l. 3. c. 26. de Reb. Salom. & Naudè Apol. des grands Hommes accuſez de magie.
(g) Apud Bartoloc. t. 1. (h) Leont. C. P. t. 1. Auct. nov. Combefis Orig. diſp. cum Judæo Jacob. Golius ad Alpharag. Cardin. Voyage de Perſe, l. 10. Herbelot Bibl. Orient.
(i) Pſell. apud Glyc. Annal. p. 2. Suid. in Ezechia Syncel. Cedren. Anaſtaſ. q. 41. Juſtin. ſeu alius c. 55. ad Orthod. Procop. Gazæ ad 3. Reg. 4. 32.
(k) Vide Fabric. Apocr. N. T.
(l) Vide Nazian. orat. 9. & Nicet. in eand. Olympiod. Præf. in Job. Item Polychron. in Job. 15. ſeu 19. 23.
(m) D'Herbelot. Biblioth. Oriental. p. 819.

Digitized by Google

Judæis cæteriſque à Davide ſubactis gentibus; ſed & ad univerſum, quàm latè patet, orbem, ditionem ſuam extendiſſe. Aderat illi ceu Viſir, ſeu Miniſter ſecundarius Aſaph in Scriptura notus, ad quem David è Pſalmis ſuis plures direxerat. Nec homines tantùm Principem illum agnoverunt, ſed probi maliqueSpiritus, aves quin etiam, & venti. Poſſidebat annulum planè mirabilem, quo detegente norat & præterita omnia, & præſentia, ac futura. Structura, ac materia throni magnificentiam omnem, quæcunque verbis exprimi poſset, ſuperabat plurimùm. Pro velo & tentorio obumbrabant caput ejus aves circum & ſupra perpetuò advolitantes. Ad latus ejus ſpectabantur 12000. throni aurei in dextera, & totidem argentei in ſiniſtra; aurei illi ſedes erant aſſignatæ Patriarchis atque Prophetis, argentei Sapientibus atque Doctoribus, qui jura danti aſſiſtebant.

Tantam Salomonis gloriam non ferentes Dæmones ſub ejus nomine ſuppoſuerunt promulgaruntque Scripta plura magica & ſuperſtitioſa, quibus ſub magni nominis obtentu imponerent ſimplicioribus, perſuaderentque, ex illis petiiſſe Salomonem dogmata, quibus & Regnum moderabatur, & nomen ſuum commendavit per Orbem. Hæc intelligens Salomon conquiſita ſedulò pernicioſa illa volumina recondidit in Arca, cujus apud ſe clavem allatam infodiendam præcepit ſub throno ſuo, ne cui unquam eſſet uſui. At poſt obitum ejus Principis aſſu Dæmonum, & Magorum factum eſt, ut è tenebris extracta volumina illa longè lateque diſſiparentur per Orbem, tanquam Opera Salomonis. Hæc ſatis ſuperque cenſemus ad demonſtrandum genium Orientalium, & quanti hodie pariter nomen Salomonis æſtimetur apud illos.)

SALPHAAD, filius Hepher, è Tribu Manaſſe; cujus ſinè maribus decedentis filiæ Maala, Noa, Egla, Melcha, & Therſa, in diviſione Terræ promiſſionis portionem ſuam inter cæteros ſuæ Tribus conſequutæ ſunt *Num.* 26. 33. & 27. 1. 2.

SALTUS, idem eſt ac lucus. Quo loco in Vulgata 2. *Reg.* 21. 19. & 1. *Par.* 20. 5. legimus: *Adeodatus filius ſaltus*, Hebræus habet, *Elchanan filius Jare*, ſivè *Jair de Bethleem*. Porrò Elchanan iſte unus idemque habendus videtur cum Elchanan viro ſtrenuo in exercitu Davidis, qui *filius erat patrui Joab de Bethleem*.

SALTUS EPHRAIM. Vide *Ephraim*.

SALTUS HARETH, in Tribu Juda, quo David ſeſe recepit. 1. *Reg.* 22. 15.

SALTUS BETHEL, unde ab Eliſeo deducti urſi pueris ſibi inſultantibus devorandis. 4. *Reg.* 2. 24. In vicinia Bethel ſitus locus creditur.

SALTUS LIBANI. Præter ſaltum illum ad Libanum, cedris, aliiſque arboribus denſum, eo etiam nomine in Scriptura appellatur Palatium à Salomone Jeroſolymæ excitatum, 3. *Reg.* 7. 2. 1. & 10. 17. ædibuſque filiæ Pharaonis Regis Ægypti adhærens. Salomon eo loci plerumque commorans, domeſticis omnibus utenſilibus aureis utebatur. Nomen verò ædibus inditum ſive ex ligni cedrini affluentia, ſive ex columnarum ſylva, quibus tota moles fulciebatur. Sunt qui eas ædes in monte Libani conſtructas credant; ſed nos Jeroſolymæ malumus; uti quidem apertiſſimè convincimur ex 300. illis aureis clypeis ante Salomonem, dum ad Templum ſe conferret, præferendis, quos ſæpè in aula illius Palatii deponi conſueviſſe conſtat. 3. *Reg.* 10. 17.

SALU, pater Zambri, è Tribu Simeonis *Num.* 25. 14.

SALVATOR. Hoc nomen per excellentiam Jeſu Chriſto tribuitur, quem omnes ubique in Veteri & Novo Teſtamento Salvatores ſpectabant, velut Joſue, Judices Iſraelis, Reges David, Salomon, Joſias, & viri illi ad liberandum populum Dei identidem ſuſcitati, uti Matthatias, Judas Machabæus, aliique. Neque Salvatoris nomen Meſſiæ deſignando apud Prophetas inſuetum. Ita: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*: Iſa. 12. 3. *Mittet eis Dominus Salvatorem &c.* Iſa. 19. 20. *Non eſt abſque me Salvator*, *Iſa.* 43. 11. Eodem etiam Chriſtus ab Apoſtolis cæteriſque Scriptoribus N. T. appellatur. Angelus ejus ortum annuncians, venturum illum Salvatorem populi ſui edixit (a).

(*Salvatoris* titulo inſignitus eſt Joſeph Patriarcha. Pharao *vertit nomen ejus*, cùm ſcilicet ſibi illum aſſumeret in Miniſtrum; *& vocavit eum lingua Ægyptiaca: Salvatorem Mundi Gen.* 41. 45. Hebræus legit tantum; *Vocavit Zaphnat-Phaneah*, quod Hebræum eſt potiùs quàm Ægyptiacum. Ipſe pariter S. Hieronymus in ſuis quæſtionibus in Geneſ. agnoſcit ſignificare illud Hebraicè: *Secreta revelans*. Verùm Ægyptiacè aliud fortè ſonabat; & quos S. Hieronymus ea de re conſulit, illi facilè interroganti reſponderunt exprimi Salvatorem Mundi. Nihilo tamen ſeciùs Philo, Joſepus, aliique Ægyptiaca ipſa eadem verba reputantes, defendunt exprimi illis revelans ſecreta, vel interpretans ſomnia. In eundem ſenſum deſcendiſſe fertur Syriacus Paraphraſtes Chaldæi, & duo vel tres alii Græci Interpretes.

Deus ipſe non rarò placet ſibi titulo *Salvatoris Iſrael* 2. *Reg.* 4. 39. *Vivit Dominus Salvator Iſrael*. Quem etiam Deum robur eſſe & Salvatorem ſuum agnoſcit David, 2. *Reg.* 22. 2. *Robur meum & Salvator meus*. Dominus ad Oſee *cap.* 13. 4. *Salvator non eſt præter me*. Iſai. 17. 10. *Oblitus es Dei Salvatoris tui*. Eſt reipſa quidem Deus ſalvatorum Salvator, Deorum Deus, quo amoto fruſtrà alio quæras ſalutem, libertatem, opem. Ab ipſo dati ſunt populo Salvatores. Omnium primus Othoniel filius Cenez populo fuit ſaluti ab oppreſſione Regis Meſopotamiæ *Judic.* 3. 9. Novus alius Salvator ſuſcitatus eſt Aod filius Gera in Eglonem Regem Moabitarum *Judic* 3. 15. Spondet Abdias ℣. 12. futurum ut Dominus mittat Salvatorem ſuper montem Sion ad judicandum montem Eſau; cujus oraculi fides in Machabæis, Idumæos ſubigentibus, facilè impleta eſt.

SALVARE eſt pleranque è diſcrimine aliquo liberare; valet etiam fugere. *Salva animam tuam; in montem ſalvum te fac Gen.* 19. 12. 19. Salvare eſt etiam conſervare, e. g. ſalvantur qui è diſcrimine aliquo evaſerunt, qui è ſiniſtro prælio fuga dilapſi ſunt. *Salvatæ ſunt reliquiæ populi*, canebat Debora *Judic.* 6. 3. ſervavit Deus populum ſuum è manibus Regis Jabin liberans. *David fugit & ſalvatus eſt* 2. *Reg.* 19. 10. 12. 18.

SALVARE ANIMAM SUAM *Gen.* 19. 17. ſalvare vitam ſuam. Prover. 11. 21. *Semen juſtorum ſalvabitur*, conſervabitur; ſalvare animas, ſervare ab interitu. *Salvaſti me à deſcendentibus in lacum* (in ſepulcrum) *Pſ.* 29. 4. protexiſti me, & incolumem ſervaſti; non permiſiſti ut defunctorum numerum augerem. Pſal. 58. 3. *De viris ſanguinum ſalva me*; ex eorum manibus eripe. Jerem. 30. 10. *Salvabo te de terra longinqua*; reducam te ex illa, è captivitate recipiam te. *Homines & jumenta ſalvabis Domine Pſal.* 35. 7. ſufficis ut ſubſiſtant; Numen providentiæ tuæ ad utrunque illud genus, aliter tamen, & aliter extenditur. Matth. 27. 40. *Alios ſalvos fecit; ſalva temetipſum*; exprobrabant Judæi, Chriſto inſultantes, Ipſum ſe eximat è periculo, ut alios exemit.)

SALUMITH, filia Dabri. V. *Salomith I.*

SALUMIAS, ſive *Salomias*, vicus in agro Scythopoli (b) adjacente. Idem eſt ac *Salem*, ubi rudera ædium Melchiſedechi ſuperfuiſſe S. Hieronymus teſtatur. Vide *Salem*.

SALUSA, filius Suphæ è Tribu Aſer. 1. *Par.* 7. 37.

SALUS, *ſalutare*, ſive *ſalutaris*, vel *ſalvatio*, variè in Scriptura uſurpatur, 1. pro ſalute, atque æterna felicitate, quò ſpes omnis noſtra, & vota colliment.

(a) Matth. 1. 21. Vide Joan. 4. 42. Act. 13. 23. Philipp. 3. 10. & alii.
(b) Hieron. in Onomaſt. ad Salem. Vide Euſeb. ibidem.

mant. Ita: *Scientia ſalutis*, Luc. 1. 77. *Evangelium ſalutis*, Ephel. 1. 13. *pœnitentia, quæ in ſalutem operatur*, 2. Cor. 7. 10. nempe ad beatitudinem æternam deducens.

2. *Salus* eſt vita. *Per ſalutem* (nempè per vitam) *Pharaonis*. Gen. 42. 15. *Salus noſtra* (vita noſtra) *in manu tua eſt*. Gen. 47. 25. *Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ &c.*

3. Liberatio atque victoria: *Cras erit vobis ſalus, cùm incaluerit ſol*, 1. *Reg.* 11. 9. nempè ſub ortum Solis liberi diſcedetis. A Jonatha mortem deprecabantur Judæi, viro nempè, *qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael*, 1. *Reg.* 15. 9. victoriam ſcilicet & liberationem à metu: *Sagitta ſalutis Domini* (nempè ſagitta victoriam portendens) *contra Syriam*. 4. *Reg.* 13. 17.

4. Laus & benedictio in Deum: *Salus & gloria, & virtus Deo noſtro*, Apoc. 19. 1. & *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum &c.* *Apoc.* 7. 10.

5. *Salus* vox eſt ſalutantium, officioſa accedentium recedentiumque, & ad alterum ſcribentium conſuetudine uſurpata: *Duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*. Jacob. 1. 1. *Rex Alexander fratri Jonathæ ſalutem*. 1. *Mach.* 10. 18.

(Raro utuntur Hebræi vocibus concretis, ſed præferunt abſtractas. Ita pro eo quod uſurpent ſalvari ſe, protegi à Deo, malunt; *Deus eſt ſalus mea*. Hinc familiariſſimè recurrunt *vox ſalutis, gaudium ſalutis, rupes ſalutis, ſcutum ſalutis, ſagitta ſalutis, veritas ſalutis, cornu ſalutis, verbum ſalutis, arx ſalutis &c.* i. e. vox libertatem annuncians; gaudium ex evitato grandi diſcrimine; rupes quo perfugium eſt in hoſtes; clypeus, quo ab ejaculatis ſagittis defendimur; ſagitta, qua defertur ſalus & libertas univerſi populi; veritas qua ſalvamur; cornu, vel radius gloriæ, felicitatis, ſalutis, gloria illos conſequens, qui diſcrimen magnum vicerunt.

Facere ſalutem magnum in Iſrael, eſt Iſraelitas ex ingenti diſcrimine liberare, referre inſignem de hoſtibus victoriam. Fieri, vel eſſe *in ſalutem*, ſalvare, vel præſervare aliquem *Pſal.* 17. 51. *Magnificans ſalutem Regis*, ſuppetias validas ferre Regi. *Viſita nos in ſalutari tuo Pſal.* 105. 4. viſita nos, ſerva nos. *Exultabit manſuetos in ſalutem Pſal.* 149. 4 gloria implebit, educet è periculo. *Salutare vultus mei Pſal.* 42. 5. i. e. favor, quo nos donavit dum benigno nos oculo reſpiceret, ſeu mitem faciem ſuam converteret; ſeu potiùs ſalutare vultus mei, ſalus quæ eſt ante me poſita, in qua ſpero, & quam opperior. *Qui mandas ſalutes Jacob Pſal.* 43. 5. qui imperando imperas, denuncias; Salvetur Jacob; qui ſervas ac protegis non fruſtrà. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum Pſal.* 21. 2. clamant in me crimina mea, removentia te ab indulgenda mihi ſalute. Hebræus; *Longè es tu à ſalute mea, à verbis erubeſcentiæ meæ*; recuſas ferre mihi opem, liberare, auſcultare me.

Victimas pro ſalute vovi Proverb. 7. 14. Victimæ pro ſalute ſunt hoſtiæ pacificæ Deo in grati animi ſignificationem pro acceptis beneficiis ſeu pro recipiendis oblatæ. *Fallax equus ad ſalutem Pſal.* 32. 17. fruſtrà vos ſpem veſtram in equis ponitis; non enim e diſcrimine vos ſubducent, niſi Deus ſimul tulerit opem; *Super ſalutem & ſpeciem dilexi eam* (ſapientiam) *Sap.* 7. 10. ſupra vitam ſcilicet ſanctitatem & formam elegantem. *Divitiæ ſalutis, ſapientia, & ſcientia Iſ.* 33. 6. vel juxta Hebræum; *Robur ſalutis ſapientia & ſcientia*. Meſſiæ Regnum commendabunt; ſervandi enim ab illo, defendendi, liberandi infinita potentia ſua, electi quos & cumulabit dono ſapientiæ ac ſcientiæ.

Induit me (Dominus) veſtimentis ſalutis & indumento juſtitiæ Iſai. 61. 10. His facile veſtimentis ſalutis deſignantur ſolemnes veſtes, quæ in diebus non vulgaribus adhibentur, & tunc maximè ſunt in uſu, cùm feſta celebratur dies pro recepto à Deo inſigni aliquo beneficio, vel pro exceptione ab ingruenti grandique malo. *Erit tibi anima tua in ſalute*. Hebræus ad literam; *Erit tibi anima tua in ſpolium Jerem.* 39. 18. & 45. 5. ſubduces te è diſcrimine & vitam ſervabis, ſed non ſine tuo diſpendio; ita enim vitam referes, quemadmodum prædæ aliqua portio ſalvatur. Vel potiùs: Hæc tua erit ſpoliorum portio. Accidet tibi feliciter, quòd tam minimo impendio dimiſſus ſis; reliqua omnia perdes, ſed vitam ſervabis. Ezechiel 16. 4. *Aqua non es lota in ſalutem*. Sermo eſt hìc de infante recens nato nec aqua loto, nec ſale affricto, nec, abſciſſo adhuc umbilico, liberato; id enim plurimum conferre ad ſanitatem vulgo creditur. Hebræus legit; *Aqua non es lota ad lenimen*, ad refrigerationem, ad munditiem.)

SAMA, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 26.

I. SAMAA, filius Regis Jechoniæ. 1. *Par.* 3. 18.

II. SAMAA, filius Macelloth, princeps familiæ cujuſdam Benjamin. 1. *Par.* 8. 32.

III. SAMAA, frater Davidis, & pater Jonathæ, viri inter fortiſſimos ſui temporis. 2. *Reg.* 21. 21.

IV. SAMAA, Levita, filius Michelis, & pater Barachiæ. 1. *Par.* 6. 39.

V. SAMAA, pater Joas, è Tribu Benjamin, qui ad Davidem perſequutionem Saulis fugientem in Gabaam conceſſit. 1. *Par.* 12. 3.

SAMACHIAS, filius Semeiæ Levitæ, Templi janitor. 1. *Par.* 26. 7.

SAMAD, filius Elphaad, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 12.

(SAMAEL. Eo nomine Rabbini (a) in Commentariis ſuis myſticis Pentateuchi deſignant Principem Dæmoniorum, præſtolantem horam deceſſus Moyſis, ut illo potiretur, deduceretque in loca mortuis deſtinata. Reſtitit illi in faciem S. Michael, objurgans; Quid infelix, an tu effunderis in gaudium, dum ego defluo in lacrimas? Objecitque ſimul illud Michææ 7. 8. *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi; conſurgam, cùm ſedero in tenebris. Dominus lux mea*. Quæ ſibi accommodans Archangelus: Ego, ait, cecidi, decedente Moyſe, ſed & ſurrexi, cùm Joſue ſucceſſor illi datus, Hebræos introduxit, invexit in terram Promiſſionis. Vide infra *Sammael*.

SAMAI vel *Samuas* inclytus Rabbinus. Vide *Samæa* in Dictionario Biblico.)

I. SAMAIAS, pater Samai, è Tribu Simeonis. 1. *Par.* 4. 37.

II. SAMAIAS, filius Semei è Tribu Ruben. 1. *Par.* 5. 4.

III. SAMAIAS, è Tribu Benjamin, & ex urbe Gabaone, vir ſtrenuus, qui ad Davidem cum in Siceleg verſaretur, conceſſit. 1. *Par.* 12. 4.

SAMAOTH, Jezerita, qui ſub Davide & Salomone manum 24000. virorum ducebat. 1. *Par.* 27. 8.

SAMARATH, filius Semei, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 8. 21.

SAMARAIM, urbs Benjamin, non longè a Bethel (b).

SAMARÆUS, decimus filius Chanaan, *Geneſ.* 10. 18. pater Samaræorum, veterum ſcilicet *Simyræ* (uti nos quidem credimus) urbis Phœniciæ ad Orthoſiam, incolarum. Ambo Chaldæi & S. Hieronymus Emeſam in Syria frequentaſſe tradunt, alii nomen monti *Someron*, cui poſtea Samaria inſedit, 3. *Reg.* 16. 24. indidiſſe malunt; ſed illi duo nomina *Schomeronim*, nempè Samaritani, & *Zomerim*, nempè Samaræi, affinia planè non eſſe, ut unum ab altero derivari poſſit, non adverterunt.

I. SA-

(a) Rabboth in Deut. cap. ult. fol. 302.
(b) Joſue 18. 22. Vide & 2. Par. 13. 4. in Hebr. ubi mons Samaraim.

I. SAMARIAS, vir ſtrennus, qui ad Davidi in Siceleg verſanti jungendum ſe venit. 1. *Par.* 12. 5.

II. SAMARIAS, inter illos, qui poſt regreſſum è captivitate, alienigenas uxores ductas dimiſerunt. 1. *Eſdr.* 10. 32.

SAMARIA, metropolis Regni ejuſdem nominis, ſive decem Tribuum, quam Amri Rex Iſraelis (a) condidit. Porrò Princeps ille montem Someron à *Somer* duorum talentorum argenteorum pretio, nempè 9734. libris, & 7. ſolidis comparavit. 3. *Reg.* 16. 24. Sunt, qui ante Amri crepundia quædam urbis ibidem extitiſſe ſuſpicentur, cum & ante ea tempora urbis Samariæ mentio occurrat. (b) Alii tamen in ſermone Hominis Dei, qui ſub Jeroboamo Samariam commemorat, prolepſim ſive anticipationem agnoſcunt.

Illud ſanè conſtat, Samariam nonniſi poſt Amri ſua gloria floruiſſe; neque antea, quàm poſt illam ætatem, ſedes ibi conſtituta eſt, cùm olim Reges Iſraelis in Sichem, ſive Therſæ regnaſſent. Vertici collis amæni, & culti inſidens, ſicut erat opportuno, 12. m. paſſuum à Dothaim, totidem à Merom, & quatuor ab Atharoth (c); ac tandem, authore Joſepho *Antiq. l.* 15. *c.* 11. diei itinere à Jeruſalem. In edito licèt conſtituta, aquarum copia irrigabatur, uti ex Numiſmatum in ea olim cuſorum poſtea intelligimus; exhibent enim Deam Aſtartem, amnem proculcantem. Quin & referente Joſepho *Ant. l.* 13. *c.* 18. ſcimus, Joannem Hircanum eam urbem in poteſtatem redactam non evertiſſe tantùm, ſed & amne ſuperinducto, vel rudera ipſa deleviſſe.

Ejus verò gloriæ augendæ quà munitionibus, quà divitiis Reges Iſraelis nihil reliqui fecerunt. Achab eburneas ædes, nempè ebore inſtructiſſimas ædificavit. 3. *Reg.* 22. 39. Ideam urbis ſub Jeroboamo II. Amos ita depingit 3. 15. & 4. 1. 2. *Et percutiam domum hyemalem cum domo æſtiva, & peribunt domus eburneæ, & diſſipabuntur ædes multæ. Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis veſtris: afferte, & bibemus.*

Fora publica, ſeu vias Benadad Rex Syriæ ſuis impenſis Samariæ ædificaverat; 3. *Reg.* 20. 34. fortè ut commodis ſuorum mercatorum, ibi negotiorum cauſa verſantium, ſervirent. Benadad ejus filius armis eam urbem tentare aggreſſus (d), prælio victus obſidionem ſolvere coactus eſt; cumque altero anno, reparato exercitu, iterum opus urgere videretur, 3. *Reg.* 20. 26. 27. iterum novo prælio fractus, annis aliquot ſeſe continuit. His elapſis (e), priora ſtudia repetens, urbem arcta adeò obſidione preſſit, ut dira fame urbem vexante, mater inventa ſit, quæ filii ſui carnibus paſceretur. Tandem non ſine Dei prodigio, faceſſentibus hoſtibus, à præſentiſſimo periculo urbs liberata eſt. Tandem armis Salmanaſaris Regis Aſſyriæ (f) triennali obſidione tolerata ceſſit; paſſimque à victoribus non in urbem tantùm in ſtruem lapidum, juxta Michæam 1. 6. redactam, ſed etiam in cives ea Oſee 10. 4. teſtimonio ſævitum. Deſerta regio incolenda Chutæis ab Aſſaradone tradita eſt: qui everſam urbem negligentes, Sichem Regni Metropolim conſtituerunt (g). Hic rerum ſtatus erat, cùm Alexander Magnus in Phœniciam & Judæam veniſſet (h).

Quanquam neque Chutæi Samariam neglexerunt adeò, quin ſub ipſum Iſraelitarum è captivitate regreſſum quædam everſæ urbis ædes reparatæ cernerentur. 1. *Eſd.* 4. 17. & 2. *Eſd.* 4. 2. Eſdras enim de Samaritanis tradit, illos collata in Judæos ab Alexandro Magno beneficia ægrè adeò pertuliſſe, ut excitata in illum in Ægypto verſantem ſeditione, Andromachum, ejus in Syria præfectum, (i) vivum concremarint. Quare Alexander, verſis in illos armis, urbem expugnatam, ſedem Macedonibus (k), adjacentem verò regionem, & à tributis immunitatem (l) Judæis conceſſit. Hoc tamen Alexandri munere Reges deindè Ægypti, & Syriæ Judæos perpetuo frui non tolerarunt.

Deinde Alexander Bala Syriæ Rex, urbes Lyddæ, Ephrem, & Ramathæ è Samaria avulſas, Jonathæ Machabæo reſtituit; 1. *Mach.* 10. 30. 38. & 11. 28. 34. quarum poſtea fatum urbs tandem ipſa Samariæ à Joanne Hircano Aſmonæo capta atque everſa (m), ſequuta eſt. Ita everſa atque a victoribus ſuperinducto torrente deſolata tandiù manſit, donec Gabinius Proconſul Syriæ ejus reparationi utcumque manu admota de ſuo nomine *Gabinianam* appellaverit (n). Demum Herodes Magnus priſtino illam ſplendori reſtitutam, ut in æternum ſtaret ſui in Auguſtum obſequii monumentum, *Sebaſtem*, quod Latino *Auguſta* reſpondet, appellatam voluit (o).

De hac urbe parum in N. T. ejuſque nomine potiùs regionem, quàm urbem deſignat: *Tranſibat Jeſus per medium Samariam*, nempè regionem Samariæ; *Luc.* 17. 11. *Jo:* 4. 4. & iterum: *Venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: Jo.* 4. 5. ibique cum fœmina Samaritana, nempè ex urbe Sichem regionis Samariæ, colloquutus eſt. Poſt necem S. Stephani, Diſcipuli per urbes Judææ, & Samariæ diſperſi ſunt. *Act.* 8. 1. Philippus Diaconus ad urbem Samariæ veniens, plurimos ad Jeſu Chriſti fidem traduxit, quibus S. Spiritus illapſu confirmandis, Petrus, & Joannes ab Apoſtolis deſtinati ſunt. Ea occaſione Simon Magus in ea urbe verſans, munus conferendi Spiritus S. pecunia oblata comparare ſibi ab Apoſtolis tentavit. Nunquam huic urbi nomen *Sebaſtes* in N. T. tribuitur, quanquam eo ſolùm nomine ferè apud Authores cognoſcitur. Eo loci corpus Abdiæ Prophetæ ſepultum fuiſſe vulgò creditum tradit S. Hieronymus in Abdiam 1. uti & ſepulchra Eliſei, & S. Joannis Baptiſtæ viſebantur (p). Vetores quidam nummi, Sebaſte, ſive Samariæ cuſi circumferuntur; & in ſubſcriptionibus Veterum Conciliorum nomina quorundam Epiſcoporum ejuſdem urbis apparent.

Reges Samariæ. Vide *Reges*.

(Samaria, Metropolis decem Tribuum ſita in media fermè Tribu Benjamin. Benadad Rex Syriæ, Damaſci tunc regnans, indicto in Achab Regem Iſrael bello venit cùm ingenti exercitu, quem 32. Reges illum ſecuti reddebant validiorem, ad formandam obſidionem Samariæ 3. *Reg.* 20. 1. 2. &c. Miſit ante omnia Benadad Feciales ad Regem Iſrael mandans, dedi ſibi theſauros, fœminas, & filios, qui maximè haberentur in deliciis. Imparem ſe tanto hoſti ad reſiſtendum intelligens Achab, facilis omnia acquievit; ſed cùm per eoſdem Feciales iterum exigeret hoſtis, quæcunque maximè ſibi opportuna judicaſſet è rebus domeſticis Judæorum; tunc coram frequenti ſeniorum populi concione hæc expoſuit Achab, Rex Iſrael ſtruit nobis laqueos occultos, me enim

(a) Regnavit Amri ab an. 3079. uſque ad 3086.
(b) 3. Reg. 13. 22. A. M. 3030. ante Chr. 970. ante Ær. 974. & 49. ante regnum Amri.
(c) Euſeb. in Dothaim, in Merro, & in Atharo. (d) 3. Reg. 20. 1. &c. A. M. 3103. ante Chr. 897. ante Ær. 901.
(e) 4. Reg. 6. 24. & 7. 1. &c. A. M. 3119. ante Chr. 881. ante Ær. 885.
(f) 4. Reg. 17. 6. &c. A. 9. Oſee Regis Iſraelis 4. Ezechiæ Regis Juda, M. 3280. obſeſſa, anno denique M. 3283. ante Chr. 720. ante Ær. 724. capta eſt.
(g) Antiq. l. 11. c. ult. (h) A. M. 3672. ante Chr. 328. ante Ær. 332.
(i) Q. Curt. l. 4. c. 21. (k) Euſeb. Chron. & Cedren.
(l) Hecatæus apud Joſeph. l. 2. cont. Appion.
(m) Antiq. l. 13. c. 18. A. M. 3995. ante Chr. 105. ante Ær. 109.
(n) Syncell. Chronic. Uſſer. ad an. 3979. ante Chr. 21. ante Ær. 25. (o) Antiq. l. 15. c. 11.
(p) Hieron. in Mich. 1. & in Oſee 1. & Ep. ad Marcellam.

Digitized by Google

omnia mea illi permittente, ille & veſtra pariter exigit. Conſuluerunt ſeniores non oportere hoſtium poſtulatis acquieſcere. Remiſit ergo Feciales Achab, hæc tradens renuncianda, præſtò eſſe ſe pacem emere impendio rerum ſuarum omnium; de ſubditorum verò bonis diſponere, alienum eſſe à ſe. Quo indignatus reſponſo Benadad denunciari juſſit minas ſuas Iſraelitis, mandavitque ſimul aggreſſionem Urbis.

Conveniens tunc Achabum Propheta quidam Dei juſſu denunciavit, 3. *Reg.* 20. 13. *Vidiſti omnem multitudinem hanc nimiam* (Syrorum?) *Ecce ego tradam eam in manu tua hodie.* Quæſivit Rex: *Per quem?* Tunc Propheta: *Per pediſſequos Principum Provinciarum.* Adjecit Achab: *Quis incipiet prælium?* Inſulit Alter: *Tu.*

Itaque Rex Iſrael luſtrum indixit in pediſſequos Principum, conſcriptique ſunt 232. Cenſuit & populum, atque omnes filios Iſrael dinumeravit ad 7000. Secundùm hæc facta ad meridiem eruptio, quo tempore Benadad in tentorio ſuo cum 32. ſociis Regibus compotationibus vacabat. Incedebant ante cæteros Iſraelitas pediſſequi Principum. Hanc Samaritanorum eruptionem annunciantibus ſuis, reſpondit Benadad; ſive illi, pacem poſtulaturi, ſive hoſtes ad inſultandum venirent, vivos capi mandare ſe. Procedebat interim brevis ille Iſraelitarum cuneus, & inter progrediendum obvios quoſcumque trucidabat. Deſtituti Imperatore Syri hoſtium conſpectum non ſuſtinentes, retulerunt pedem; fugientibuſque inſtare ſtrenuè populus; nec Benadad impetum opperiri valuit, ſed conſcenſo equo cum Regibus comitibus fuga ſaluti ſuæ conſuluit.

* In deſcribenda re tentata à Benadad Rege Syriæ in urbem Juda, uterer ego potiùs verbo *invadere*, quàm obſidere. Proceſſit Rex ille in expeditionem habens in comitatu 32. Reges vel ſaltem Regulos, obſidionem meditans ingenti qua militum, qua machinarum apparatu. Hiſce fidens ſonat altum, & magnas jam hauſerat ſpes. Caſtra locat ante Urbem, poſtulatque ad deditionem Achabum Regem Iſrael; eas verò propoſuit conditiones per Legatos ſuos, quas proponit victor in Urbes vi captas, vel quæ proximæ ſunt ut capiantur: veluti ſi certa fiducia teneret, homines quos firmiſſima muniunt propugnacula, armis inſtructos, & ſub Rege ſuo militantes agenteſque pro libertate & Religione ſua, haſce conditiones volentes libenteſque admiſſuros fuiſſe. Hæc enim intimat Rex Iſrael per Feciales ſuos; *Argentum tuum, & aurum tuum meum eſt, & uxores tuæ, & filii tui optimi mei ſunt.* Agnoſco in Achab demiſſionem animi, quàm pro conſueto, majorem, ad ſuperbas hasce juſſiones, quam ne tributarius quiſque Principi ſuo. Neque enim agit ceu tributarius & ſubditus; at ſi verba ejus ad Feciales Syros attendantur, ſpeciem inſinuat, quaſi captivi ad Dominum ſuum alloquentis. Reputandum eſt utique terruiſſe hominem ingentem illum Syrorum exercitum, uti imbecillia ſibi omnia reputaret, quanquam in ſua Urbe defenſores haberet ultra 8000. expeditiſſimos. Quid igitur proponenti conditiones repoſuit Achab? *Juxta verbum tuum, Domine mi Rex, tuus ſum ego, & omnia mea.* Facilè his deſignabat quæcunque ſua eſſent, & de quibus valebant diſponere, non quæ eſſent populi, quarum non erat dominus. Ad omnia inhiabat Benadad; quare per eoſdem Feciales hæc iterum denunciavit: *Cras igitur hac eadem hora mittam ſervos meos ad te, & ſcrutabuntur domum tuam & domum ſervorum tuorum, & omne quod eis placuerit ponent in manibus ſuis, & auferent.* Ingens eſt profectò diſcrimen (ut ſcitè obſervat doctiſſimus Commentariorum Scriptor) inter id quod conſentiebat Achab, & quod Benadad exigebat. Volebat hic de omnibus bonis atque de capitibus ſubditorum Iſraelis omnibus diſponere; Achab verò ideo tantùm ſeſe ſubmittebat, quod ſperaret moderatas ſubiturum ſe conditiones, cogendumque ſe tantùm ſeu tributum pendere, ſeu redimere pretio & direptionem Urbis & pacem. Cùm verò intellexit manum inferendam ab hoſtibus in libertatem ac bona ſubditorum ſuorum, advocatis in conſilium Senioribus, de re tota deliberavit. Statutum eſt; *Non audias, nec acquieſcas illi.* Tum Rex ad Feciales Syros renunciavit, prioribus ſe poſtulatis acquieviſſe; *Hanc autem rem*, adjecit, *facere non poſſum.*

Accepto Regis Iſrael reſponſo receperunt ſe ad propria Feciales, juſſique iterum venerunt ad intentandas minas, quo Rege Achab & Iſraelitas caperent timore; ſimulque ut majorem inderent de viribus ſuis ideam, hæc verbis Regis ſui, exaggerant 3. *Reg.* 20. 10. *Hæc faciant mihi Dii, & hæc addant, ſi ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me.* Hærent ad hyperbolem hanc ſuſpenſi Lectores, mihi verò facilè admiratio excuteretur, ſi voces illæ *pulvis Samariæ* totam implerent vim originalis. Emphaticum magis ferre Chaldæum contendit D. Calmet; *Univerſa terra regionis non ſufficiet populis, ſi omnes ſecum tantum abſtulerint, quantum inter gradiendum traxerint ſecum ſingulorum ſoleæ.* Hæc utique thraſonica omnia ampulloſitate ſua ſuperant. Tumentem adverſarii audaciam opportuno deprimit reſponſo ſuo Achab; *Dicite ei; Ne glorietur accinctus* (armis,) *æquè ut diſcinctus* (armis.)

Factum eſt autem cùm audiſſet Benadad verbum iſtud bibebat & ipſe & Reges in umbraculis, (facilè ad implantatas arbores) *& ait ſervis ſuis; Circumdate Civitatem; & circumdederunt eam.* Reſponſo Achab altè ſauciatus formandam obſidionem cenſuit; quare coronali aggreſſione peti urbem mandavit, ſimulque duci circùm vallum, ut ab ingreſſu atque exitu omnes ad unum prohiberentur.

Secundùm hæc confirmando animo Regis Iſraelis miſſus à Deo Propheta Dei nomine denunciavit: *Vidiſti omnem multitudinem hanc nimiam; Ecce ego tradam eam in manu tua hodie per pediſſequos principum Provinciarum; ut ſcias quia ego ſum Dominus.* Facilè conſentimus D. Calmet pediſſequos illos Principum Iſrael fuiſſe Juvenes adoleſcentes de Regis comitatu, qui in Aulis alebantur. *Recenſuit ergo pueros principum Provinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum; & recenſuit poſt eos populum, omnes filios Iſrael ſeptem millia.*

Egreſſi ſunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus, & Reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant.

Quid expectas è Ductore militum & Rege temulento cum 32. ſimilis generis ſociis? Facilè reputamus quid rei gerendæ valeant 33. ebrii, largo vino perfuſi; faciliùs illi reſolverentur in ſomnum, quam ut milites ducerent in hoſtes.

Egreſſi ſunt pueri Principum Provinciarum in prima fronte. Miſit itaque Benadad, qui nunciaverunt ei, dicentes: Viri egreſſi ſunt de Samaria. Et ille ait; Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos, ſive ut prælientur, vivos eos capite. Non erat utique pronum apprehendere vivam legationem hoſtium è 7232. conſtantem, procedentemque in exercitum ſine Duce & in varias circa Urbem ſtationes diviſum, cujus ne unus quidem miles facilè mentis erat compos; credere enim par eſt, Ducem ſuum imitatos cæteros compotationibus immerſos fuiſſe. *Egreſſi ſunt ergo pueri Principum Provinciarum, ac reliquus exercitus ſequebatur.* i. e. parva illa manus Principum Provinciarum, veluti primum agmen reddebat, quod omnium primum intulit arma in copias Syrorum, apprehendendis illis procedentes. Illis repulſis in caſtra ſua ab hoſtibus, atque interim in reliquum exercitum procedente agmine Iſraelitarum, obvios quoſcumque truci-

* Animadverſiones in invaſionem Samariæ à Benadad; verſaſque in fugam ejus copias, urgentibus pediſſequis Principum Iſrael. 3. Reg. 20.

trucidante, factum eſt ut terror ac turbæ latè invaderent caſtra Benadad; quare effuſis omnibus in fugam via ſpatii aliquid Rex nactus eſt, ut conſcenſo equo una cùm comitibus cæteris ſaluti ſuæ provideret.

Exercitum Iſraelitarum in duo agmina diſtribuerem, pedites in medio, ad alas equites rejicerem; in prælio enim ad Aphec, de quo ſtatim infra., narrat Sacer Hiſtoricus 3. *Reg.* 20. 27.: *Filii Iſrael profecti ex averſo caſtrametati ſunt contra eos, quaſi duo parvi greges caprarum*; i. e. bifariam diviſo agmine, ut duos modicos exercitùs exhiberet. Ita pariter & Joab, dux copiarum Davidis, diviſo bifariam agmine certavit reportavitque victoriam de Syris & Ammonitis 2. *Reg.* 1.9. 10. Ad equitatum quod attinet aliquem in eo prælio extitiſſe arbitror, fugientes enim Syros, apud quos equitum ingens copia ſuppetebat, inſecuti ſunt.

Quod ſingulare hic animadvertimus, ſimul autem plus nimio commune eſſe dolemus, illud eſt, nimirùm aſſentatores Regis Syriæ probrum amiſſi prælii non imputaſſe faſtui atque ebrietati Regis ſui, ac cæterorum itidem Regum, ſed Diis Judæorum: *Dii montium ſunt*, dicebant, *Dii eorum, ideo ſuperaverunt nos; ſed melius eſt ut pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos*. Ita honeſta facies inducitur defectibus magnorum virorum, ſi quid fortè peccaverint. Ejus rei invidia non oneratur id, quod abſonum eſt in moribus, ſed averſæ fortunæ malus genius, qui ſi non interceſſiſſet, certa fuiſſet victoria. Itaque aſſentatores illi authores fuerunt Benadad, ut Regibus omnibus dimiſſis eorum loco ſubſtitueret Præfectos, ſuppieretque defectum militum, equorum, & curruum amiſſorum in prælio; ſtatimque omnia. Sed nihil illi monuerunt de moderatione intolerabilis illius faſtur, nihil de refrænanda propenſione in ebrietatem, ac cætera omnia vitia; idcircò Dominus totum illum exercitum, iterum cædendum permiſit gladio Iſraelitarum, eorum malo docens Dominum eſſe ſe ad omnia valentem; Deum vallium æquè ac montium.)

SAMARITANI. De Samaritanis egimus v. *Chuthai*. Samaritani incolæ ſunt, ſive urbis, ſive regionis, cujus Samaria Metropolis erat; quare hoc nomine cenſeri etiam poſſent Iſraelitæ decem Tribuum, qui totum Regnum, & urbem Samariæ tenebant. Sed conſueto ſacrorum Authorum ſtylo, illi tantummodò Samaritanorum nomine ſignificantur, quos è remotiſſimis tranſeuphratæis regionibus Aſſyriæ Reges ad incolendam Samariæ regionem deduxerunt; Iſraelitis aliò ab iiſdem Regibus tranſlatis. Hinc Samaritanorum epocha ad annum captæ urbis per Salmanaſarem M. 3283. conſtituenda eſt. Salmanaſar igitur Iſraelitis captivis in tranſeuphratæa, & in Aſſyriam deductis, eorum regionem variis incolendam gentibus tradidit: 4. *Reg.* 17. 24. omnium tamen celeberrimi Chutæi habebantur, gent a Chus deducta, quam olim ſub nomine Scytharum apud Antiquos cognitam credimus.

Regnante poſt Salmanaſarem Aſſar adone, cùm regio ſubito leonum incurſu infeſtaretur (a) in pœnam ignoratæ, uti quidem vulgatum erat, religionis illius Numinis, qui terræ præerat; ejuſdem Regis juſſu, Sacerdos Dei Iſraelis ad eos populos Religionem Hebræorum edocendam miſſus eſt. Illi religionem eum veteri ſuperſtitione jungentes, cultum Dei ita amplexi ſunt, ut priſtinam Idolorum religionem non delererent.

Quandiù is rerum ſtatus manſerit, incertum: poſt regreſſum tamen è captivitate Idola jam abjeciſſe videntur; eo enim nomine Iſraelitas, ut ſocios ſe in ædificatione Templi Jeroſolymæ adhiberent, etiam atque etiam rogabant (b); quòd dicerent ſe jam inde ab Aſſar-adone veram religionem proſecutos fuiſſe. Neque ſanè uſpiam Scriptura cultum Idolorum populis illis vitio vertit, quanquam aliorum criminum eos arguit, veluti invidi in Judæos animi, atque inſtructarum in illos fraudum, & calumniarum, ut Regia contra illos edicta ſubducerent (c).

Nullum his populis tranſeuphratæis commune Templum in Samaria extitiſſe ante Alexandri Magni in Judæam adventum videtur. Quare propriæ religionis ductum ſinguli ſequentes, ut dabatur loci opportunitas, Deo obſequia exhibebant. Cùm verò ex frequenti lectione Librorum Moyſis, & exemplo Judæorum docerentur, unum tantùm à Deo locum lectum fuiſſe, ubi ſpeciali cultu coleretur; ideò à Judæis prohibiti, ne communem cum illis Templum Jeroſolymitanum haberent, inito conſilio, alterum ſibi in monte Garizim propè urbem Sichem, regionis metropolim, ædificandum cogitarunt. Alexandrum igitur conveniens Sanaballat, Samaritanorum Præfectus (d), expoſuit, ſibi generum eſſe Manaſſem, filium Jaddi ſummi Sacerdotis Judæorum, qui penès ſocerum unà cum pluribus nationis ſuæ viris manens, Templum ſibi in ea provincia excitari, ſummi Sacerdotii muneribus præſtandis, optabat. Templum verò in Samaria novum excitare ad fovendam inter Judæos diviſionem è Regis re eſſe, cujus plurimum intererat, ſi gentis illius rerum novarum cupidæ, in duas veluti partes diſtractæ, vires & audaciam frangeret.

Petita facilis Alexander conceſſit; ſtatimque Samaritani opus aggreſſi, Templum tandem ſuum in monte Garizim perfecerunt. Hunc autem locum veluti à Deo in ſedem Religionis deſtinatum, omnibus retrò ſæculis non intermiſſo obſequio frequentatum noſtra etiam ætate non deſeruerunt. Eundem montem ac Templum indicans Samaritana cum Chriſto colloquens, *Jo.* 4. 20. *Patres noſtri*, ait, *in monte hoc adoraverunt; & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet*. Variam hujus Templi fortunam narravimus, v. *Garizim*.

Imperium Alexandri Samaritani altero anno detrectantes, ejuſdem Regis arma in ſe provocarunt; à quo urbe, & regione capta, è ſedibus ſuis extorres acti ſunt; urbe Macedonibus, provincia verò Judæis conceſſa (e). His autem Regiis beneficiis vetus Samaritanorum in Judæos odium crevit. Si quis Iſraelita violatæ Legis reus habebatur, Samariam, vel in Sichem aufugiens, cultum Domino in monte Garizim impendebat (f). Florentibus Judæorum rebus, ſive cùm è re ſua eſſe noverant Samaritani, Hebræos ſe, & ex genere Abrahami jactitabant; afflictis verò illorum rebus, continuò alienos ſe à Judæorum origine, deductos nempe ex Phœniciis, (g) ex Joſepho, & ejus filio Manaſſe profitebantur. Hæc potiſſimùm ſub Antiocho Epiphane uſurpabant (h).

Rex ille Judæos ad Idolorum cultum traducere molitus, pervicaces juſſionibus ſuis nactus, diris animadverſionibus ſubjecit. Verùm Samaritani datis ad eundem Regem literis, Sidonios ſe, ſive Phœnicios profeſſi ſunt, qui ad incolendam eam regionem deducti, variis afflicti malis, ad ſubeundum quarundam cæremoniarum Judaicarum jugum, uti religionis Sabbathi, adacti ſunt. Addebant, in monte Garizim Templum ædificaſſe nulli peculiari Numini dicatum (i). Rogare proinde, ut in iis, quæ de Judæis expetebat, ſuppliciis, Samaritanos genere, & te-

(a) 4. Reg. 17. 25. A. M. 3295. ante Chr. 705. ante Ær. 709. Vide etiam 1. Eſdr. 4. 2. 2.
(b) 1. Eſdr. 4. 1. &c. A. M. 3469. ante Ch. 531. ante Ær. 535. (c) Vide Eſdr. 2. 10. 19. & 4. 2. &c. & 6. 1. &c.
(d) Antiq. l. 11. c. 8. A. M. 3672. ante Ch. 328. ante Ær. 332.
(e) A. M. 3673. Vide Joſeph. contr. Appion. l. 2. Q. Curt. l. 4. c. 21. Euſeb. in Chron. Uſſer. ad an. 3673.
(f) Antiq. l. 11. c. ult. (g) Antiq. l. 11. c. ult. & l. 12. c. 7. (h) Antiq. l. 12. c. 7. A. M. 3836. ante Chr. 164. ante Ær. 168. (i) Ad literam, Deo Anonymo dicatum, ſeu potiùs Templum illud Anonymum erat: Ἱδρυσάμενοι ἀνώνυμον ἱερὸν.

& religione diſſitos populos, cum ſontibus non confunderet; præſto ſe profitentes, ut ipſo jubente Templum Jovi Græco conſecrarent. Antiochus his literis acquieſcens, Præfectis ſuis imperavit, ne Samaritanis pro Religionis rebus negotium facerent.

Samaritanorum auxiliariam manum ſibi à Sanaballat ad Tyri obſidionem miſſam, Alexander Magnus in Ægyptum deduxerat (a). His in Thebaide conſtituta ſede, totius provinciæ præſidium commiſſum eſt. Regione mutata, nihil tamen de veteri in Judæos odio ab illis remiſſum eſt: quare in Ægypto verſantes, pro monte Garizim contra Templum Jeroſolymitanum cum Judæis altercationem inſtituerunt. Cùm res in ſeditionem quandam ſpectare videretur, cauſa ad Regium Philometoris tribunal delata eſt (b). Convenerant verò, utri in cauſa cederent, deductis tantummodò ex Libris Legis teſtimoniis uſi, eos capitali ſupplicio multari. Rex utraque parte audita, agentibus pro Samaritanis Sabæo, & Theodoro; pro Judæis Andronico filio Meſſalami, ſententiam pro Judæis tulit, quam ſtatim ſupplicium Oratorum gentis Samaritanæ conſecutum eſt.

De hujus hiſtoriæ fide quanquam à Joſepho exactiſſimè deſcriptæ, vades nos non exhibemus (c); quanquam minùs deferendum cenſemus Samaritanorum pro ſe narratione, in Chronico nonniſi poſt Conſtantinum, & ſub Chriſtianis Imperatoribus adornato (d). Fabulantur enim Joſue ducem populi Dei in Monte Garizim Templum conſtruxiſſe, cujus obſequio *Rus* e genere Aaronis deſtinaſſet. Seriem deinde ſummorum Sacerdotum continuata ſucceſſiòne uſque ad noſtra tempora conſtantem deducunt. Schiſmatis ſui neque Jeroboamum filium Nabat, neque tranſmigrationem Iſraelitarum per Teglat-phalaſar, & Salmanaſarem originem agnoſcunt. Sed, ajunt, Rex Syriæ cum Rege Jeroſolymæ fœdere junctus à Bachtnezero Rege Perſarum (ita Nabuchodonoſorem Regem Babylonis appellant) deſciſcentes, ejus in ſe arma provocàrunt. Ille proindè in Judæam ingreſſus, Jeroſolymam ſubegit; dein copias in Sichem deducens, hebdomadæ ſpatio aſſignato, ut omnes à regione incolæ capitali pœna indicta faceſſerent, imperavit. Inde novam gentium coloniam in ejus Samariæ, & Judææ regiones deducendam edixit; quibus ſub ipſum in terram ingreſſum illud accidit moleſtiſſimum, ut fructus nempè agri lethales ſibi experirentur. Re ad Bachtnezerum delata, veteres regionis incolæ conſulti reſpondere, depulſos injuria Hebræos item in regionem reduci ad Divinam ultionem avertendam oportere. Facta igitur Hebræis redeundi poteſtate, ſimulque edicto cautum, ut omnes in certum locum convenientes, ſimul iter capeſſerent. Coactis omnibus, ſubdita quædam controverſia inter Samaritanos filios Joſephi & Aaronis, & Judæos exorta eſt, num ſcilicet Jeroſolymam ad reſtituendum Templum Sionis, an Sichem ad Templum Garizim reparandum eundum eſſet. Judæorum cauſam agens Zorobabel, Prophetarum ſcripta Templum Ieroſolymitanum indicantia urgebat; Sanaballat viciſſim corrupta illa à Judæis contendit. Ad ignis experimentum ventum eſt: quare injectum in ignem à Zorobabele Exemplar ſtatim conflagravit; alterum verò a Sanaballat tertiò projectum, tertiò illæſum ſervatum eſt. Quare dimiſſæ à Rege decem Tribus, duce Sanaballat (quem Rex muneribus cumulavit) in Samariam & Garizim venerunt.

Hiſtoriam hanc ſibi prorſus non conſtantem refutare ſupervacaneum eſt; veniſſe enim in Samariam Chutæos, & occaſionem acceptæ ab illis Judæorum Legis ex hiſtoriis ſacris Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Nehemiæ, fusè deductis intelligimus. Originem Templi Garizim Joſephus literis mandavit. Samaritanorum verò monumenta præterquam quòd recentiſſima ſunt, fabulam apertè præſeferunt; quæ proindè contrà fidem Canonicarum hiſtoriarum ne audiri quidem merentur. Hiſtoriæ à Nehemia relatæ plura Samaritanis injurioſa Rabbini addiderunt. Suſcepta, ajunt, à Samaritanis in Judæos expeditione 180000. virorum exercitum in Jeroſolymam moverunt. Eſdras, & Nehemias ſolemni 300. Sacerdotum cœtu coacto, magnæ in adverſarios excommunicationis ſententiam dicere aggreſſi ſunt. Tercenti adoleſcentuli Legis Exemplar tenebant, inſonabant buccinæ; quibus interim crepantibus, ſolemnes excommunicationis formulas Sacerdotes pronunciarunt, diris devoventes ſimul omnes, qui unà cum illis panem deguſtaſſent, tanquam ſi ſuillis ſeſe inquinaſſent. Subindè Deum rogarunt, ne unquam illi futuræ reſurrectionis privilegio frui, neve Proſelytos unquam adducere permitterentur. Horum verborum terror adverſarios adeò dejecit, ut ſimul omnes in fugam adigerentur.

Receptum Pentateuchum, ſive quinque Libros Moyſis a Sacerdote per Aſſaraddonem ad illos miſſo, Samaritani in eadem Lingua, & eodem ſcriptum charactere ſervarunt. Character ille vetus eſt Hebræorum, ſive Phœnicum, quem nos à recentiori Hebræo diſtinguentes, *Samaritanum* appellamus. Poſt captivitatem enim Hebræi veterem ſcriptionis formam mutantes, ad Chaldæorum, cui in Babylonia aſſueverant, acceſſerunt, eoque adhuc utuntur. Hinc nonniſi abuſione quadam character Hebræus appellatur, quod potiſſimùm nomen Textum Samaritanum deceret. Variantia quædam inter Pentateuchum Judæum, & Samaritanum Critici obſervarunt; quæ maximè in nomine Garizim quandoque à Samaritanis, uti facilè credimus, ſubſtituto apparent. Cætera minima ſunt.

Gens illa primò Numinum cultui dedita, deducta è ſuis regionibus Idola ſingula ſinguli exulterant. 4. *Reg.* 17. 25. Succeſſu temporis, veteri ſervata religione, novam Iſraelitarum induerunt. 4. *Reg.* 17. 29. Quàm tamen religioſè Deum colerent, ſub Antiocho Epiphane, Templum Garizim Jovi Græco dedicantes, prodiderunt (e). Sub Alexandro Magno Annum Sabbathicum, adeòque & Jubilæum ſervabant: incertum tamen, an eadem cum Judæis periodo uterentur; quæ res fruſtra ingenium Criticorum torquet (f). Sub Regibus Syriæ, Græcorum, ſive Seleucidarum, non ſecùs ac aliæ ejuſdem ditionis gentes, ſequebantur. Poſt reſtitutam ab Herode Samariam, atque inditum nomen Sebaſtes, Acta publica, & nummos ab ea epocha ſignabant. Quamquam hunc civium Samariæ morem (pleriqne Pagani erant, ſive Judæi) univerſa gens non ſequebatur, eùm Regum ſuorum epocham retinuiſſe videantur, quouſque Mahometarum jugum ſubeuntes, nunquam excuſsum juxta ſuam etiam Æram, ſive, ut ipſi loquuntur, *ſecundùm Regnum Iſmaelis*, ſive *Iſmaelitarum* annos ſupputare cœperunt.

Ex Veteribus nonnulli, uti S. Epiphanius *hær.* 9. & S. Auguſtinus *de hæreſ.* Samaritanos in cenſu hæreticorum habuerunt; quamquam illi ſchiſmate potiùs à Judæis ſegregati videntur. Religionem Chriſtianam æquè ac Judæi ſpectant; cùm utrique Ieſum Chriſtum Meſſiam veniſſe diffitentes, alterum expectent. Sunt, qui Samaritanis vitio vertant, omnes Scripturæ Libros, Pentateucho excepto, rejeciſſe; Prophetas potiſſimùm, qui de adventu Meſſiæ apertiora oracula protulerunt. In Epiſtola quidem ad Ludolfum, Librum Joſue ſe recipere fatentur; ſed

eo

(a) Antiq. l. 11. c. ult. (b) Antiq. l. 13. c. 6. Circa A. M. 3854. ante Ch. 146. ante Ær. 150.
(c) Vide Criticam Baſnagi hiſt. des Juifs l. 8. c. 1. t. 6. Edit. Pariſ.
(d) Liber Joſue, ſeu Chronic. Samarit., apud Holting. Exercit. Antimorin.
(e) Antiq. l. 11. c. ult. (f) Petit. Eclog. Chronol. l. 2. c. 4.

eo fortè nomine Chronicon ſuum intelligunt. Deum etiam corporeum credere, Spiritum Sanctum negare (a), & reſurrectionem Mortuorum (b), accuſantur.

Quem minimè noverint, illi cultum impendere Jeſus Chriſtus Samaritanis exprobat. *Joan.* 4. 22. Teraphim illos, quos à Rachele furto Labano ſublatos Jacob defodit, apud illas gentes venerationi expoſitos S. Epiphanius teſtatur. Tandem de impenſo columbæ, ſive ejus figuræ cultu, deque ejus nomine circumciſione adminiſtrata traducuntur (e). Relandus in Epiſtola ad Baſnagium, illos Angelorum veritatem negaſſe contendit, quod & Leontius olim animadverterat, ſicut & de immortalitate animarum eadem prodit.

Samaritanos à ſalute Chriſtus excluſiſſe illis verbis videtur: *Salus ex Judæis*; *Joan.* 4. 22. quæ quidem verba licèt commodè intelligi potuiſſent de Meſſia è Judæis egreſſuro; eorum tamen crimen ſchiſmatis & ſegregationis à vera Eccleſia, damnationis pœnam jure meritoque in eorum caput inducere potuiſſet. Ex Samaritanæ teſtimonio ſatis intelligimus, gentem illam Meſſiæ adventum præſtolari, *Joan.* 4. 25. à quo plura docerentur. Ex Sichimitis frequentes Jeſu Chriſti prædicationibus crediderunt. Ex Samaritis etiam non rari à S. Philippo initiati ſunt, quos tamen a Simone Mago ſeductos deinde in priſtina recidiſſe ferunt (d). Frequens ejuſdem gentis turba (e), facta ſibi ab impoſtore quodam ſpe, vaſa ſacra à Moyſe in ſpecu quorumdam ex regionis montibus abdita (f) inveniendi, ad vicum Tirarabam convenerat. Pilatus ſeditionem veritus, miſſis illuc copiis, omnes diſperſit; in authores vero capitali ſupplicio animadvertit.

Recentiorum Samaritanorum Religio in Literis ad fratres ſuos, quos vocant, & ad Scaligerum datis ipſi deſcribunt. Se igitur in Deum, Moyſi ejus famulo, Legi ſanctæ, Monti Garizim, Domui Dei, in diem ultionis & pacis credere profitentur. Legis Moyſis ſtudioſos ſe in pluribus præ ipſis Judæis jactitant. Tota Legis religione Sabbàthum obſervantes, ne locum quidem, ubi fortè verſari contigerit, deſerere audent, niſi ut ad Synagogam ſe conferant: omnem ex urbe egreſſum, & conjugii voluptatem ſibi ipſis intèrdicunt. Ultra octavam diem circumciſio penes illos non prorogatur; ſacrificia in Templo Garizim hodie uſque oblata; legalia Sacerdotibus perſoluta. Nuptiis cum neptibus contra Judæorum morem abſtinent: uti & uxorum pluralitas apud illos interdicta.

Illorum in Judæos odium in univerſa Joſephi hiſtoria, nec rarò in N. T. apparet. Narrat Joſephus; olim Præſide Cuponio, nocte Paſchatis vix reſeratis Templi foribus, Samaritanos nonnullos intrò ingreſſos, oſſa mortuorum ubique per locum ſanctum ſparſiſſe, ut eo ludibrio, atque violatione ſolemnitatem turbarent (g). De hac inter utraſque gentes ſimultate legimus in Evangelio; *Joan.* 4. 9. *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis*; & Samaritana fœmina Sichimitis mirati ſe dixit, cur Jeſus à ſe aquam peteret. Jeſus Chriſtus Apoſtolos per Judæam prædicationis gratia dimiſſurus, monuit, ut ab urbibus Samaritanorum ſe abſtinerent; *Matth.* 10. 5 quippe quos ſchiſmaticos & à fœdere Iſraelis alienos haberet. Cùm ſemel Diſcipulum ſuum parando ſibi hoſpitio in quandam Samaritanorum urbem miſiſſet, à civibus ejus loci prohibitus eſt; *quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem*. *Luc.* 9 52. 53. Cùm Jeſus Chriſtus acrius Judæos reprehendiſſet, illi injuriarum plauſtra in ipſum effundere volentes, verbo omnia complexi, Samaritanum appellarunt. *Joan.* 8. 48.

Cùm fortè Samaritani quidam Judæorum plures ad ſolemnitatem Jeroſolymam tendentes occidiſſent, belli ſpecies inter utraſque gentes ſubitò exarſit (h). Judæis arma in Romanos vertentibus, Samaritani in obſequio manſerunt; quamquam & illos finitima mala nonnihil contingerent (i).

In Chronico Samaritanorum (k) traditur, Imperator Adrianus poſt æquatam ſolo Jeruſalem, Neapolim, alio nomine Sichem, tranſiſſe; ubi Libros Samaritanorum nactus, omnes, ne genealogiis quidem, & hiſtoriis exceptis, abduxit. Lege etiam cavit ne infantes circumciderent; quare illi vix in lucem editos in ſpecus quoddam rapiebant, ut eo ſacramento ſignarent; mox verò vulnere obducto, in apertum producebant. Samaritanorum dapibus ſuillæ à Romanis immixtæ, quibus diſcernendis plurimâ Samaritanis induſtria utendum fuit. Avertendæ verò in monte Garizim Religioni, columba quædam conſtituta eſt, diſpoſiti etiam ad radices montis milites, ut accedentes contra edictum retinerent. Hiſce militibus fallendis quidam ſatis artis habuerunt; ſed ſubito avis clamore *Hebræum* ingeminantis proditi, à militibus fortè clamore excitatis, occiſi ſunt.

Hæ populum anguſtiæ tandiu afflixerunt, quamdiu Babar-raba quemdam ex nepotibus ſuis Levi Conſtantinopolim ſtudiorum cauſa miſiſſet. Adoleſcens enim ſtudiorum curriculum fauſto eventu emenſus, tandem ad Patriarchatum evectus eſt; & ab Imperatore facultatem redeundi ad Garizim obtinuit. Moliebatur ille patriam ſuam jugo Romanorum excuſſo, in priſtinam libertatem aſſerere; an res pro votis ſucceſſerit, eo tempore deſinens Chronicon non prodit: quamquam ea, quæ de urbe Conſtantinopoli narrat, ſatis ejus recentiorem ætatem indicant. S. Juſtinus Martyr tradit, ab Imperatore Antonino facultatem infantes circumcidendi, edicto Adriani ſublatam, Judæos quidem obtinuiſſe; ab ea vero Samaritanos excluſos, quæ ſanè ſcriptorem illum patria Sichimitam latere facilè non debuerant. Symmachus Verſione S. Scripturæ ex Hebræo in Græcum clarus, Samaria patria, avitaque ſuperſtitione derelicta, ad Judæorum ſacra, recepta iterum circumciſione, tranſivit (l). Adhuc Samaritàni nonnulli in Sichem, ſive Neapoli perſeverant (m); quibus ex genere Aaronis, uti jactitant, Sacerdotes; quemadmodum & ſummus Sacerdos, in Sichem, ſive Garizim reſidens, ſunt. Ab illo verò & Paſcha, & cæteræ anni ſolemnitates ad Samaritanos in eas regiones diſperſos, Gazæ, Damaſci, & Magnæ Cairi, denunciantur. Epiſtola ab illis ad Scaligerum data an. 1676. publici juris facta eſt. Alterum etiam dederunt ſcriptum ad fratres ſuos, uti præſeferunt, in Anglia: Ludolfus eorum ad ſe Epiſtulam vulgavit A. 1688. Vide de hoc argumento Hottiug. Cellar. Ligtfoot. Hor. Hebr. Baſnag. loc. cit.

(Zenone imperante Samaritani Rege ſibi conſtituto in Urbe Neapoli magno numero trucidarunt Chriſtianos; quos proinde diris animadverſionibus ſubjecit Zeno, eorum Rege capitali ſupplicio perempto. Extulerunt iterum caput ſub Juſtiniano, ſævientes igne in Templa Terræ Sanctæ, ac cæde in Chriſtianos, inter quos potiſſimùm ſublatus eſt Epiſcopus Neapolis. Eò furoris ventum eſt, ut Juſtinianus rem conficiendam juſto bello cenſuerit; quare miſſis eò militibus, rebellium pleroſque exterminavit.

Chronicon Samaritanum, inſcriptum *Tarik Samari*, habet Samaritanos ſegregaſſe ſe è priſcis Judæis poſt obitum Samſonis, judicante populum Heli

Sum-

(a) Epiph. hæreſ. p. (b) Idem ibidem Greg. Mural. in Job. l. 1. c. 6. l. 2. c. 9. &c. (c) Ita Rabb. quidam in Thalmud. Ganz. Zemach. David. (d) Vide Ligtfoot. in Matth. 10. 5. (e) Juſeph. Aut. l. 18. 25. A. Ær. 36.
(f) Craſſo quidem errore; nam Moyſes nunquam in terram Promiſſionis ingreſſus eſt. Chronicon Samaritanum prodit, Ozia quintum ab Aarone Pontificem vaſa ſacra defodiſſe. (g) Antiq. l. 18. c. 3. A. Ær. 8.
(h) Antiq. l. 20. c. 5. de Bell. l. 2. c. 21. A. Ær. 51. Ch. 54. (i) De Bell. l. 3. c. 22. (k) Lib. Joſue apud Hottinger. (l) Epiph. de ponder. & menſur. (m) Vide Baſnag. hiſt. des Juifs t. 6. l. 8. c. 2. Edit. Pariſ.

Summo Sacerdote, quòd ſcilicet, inquiunt illi, tunc primò factum eſt, ut præſentia & gratia Domini, quam appellant *Ridbet*, & *Redhovan* receſserit ab ipſis, & vacuum locum occupârint tenebræ, quæ per univerſos latè incolas Palæſtinæ ſeſe diffuderunt, iis tantùm retinentibus priſtinum lumen, qui in montem Garizim tunc evaſerunt, ubi exinde ſuam conſtantem Sacerdotum ſeriem obtinuerunt, & tractu etiam temporis peculiares Reges, qui res politicas gentis curarent. Addunt Prophetam Samuelem Magum fuiſse profeſſione, ejuſque ſucceſsores omnes apoſtatas è Judaiſmo.

SAMARITANI *vel Chutai*. Poſt illa verba: *Ut priſtinam Idolorum regionis ſuæ religionem non deſererent*; adde. Colunt Babylones *Socoth-Benoth*; Cuthæi *Nergel*; Emathæi *Aſima*; Hevæi *Ababa*, *&* *Thartac*; Sepharvaimitæ *Adramelech*, *&* *Anamelech*. Si quis nomina omnia Deorum, quibus Samaritani impenderunt cultum, quærenda ſibi proponeret, provinciam ille quidem ſuſciperet planè arduam. Res eſt enim vehementer implexa ex nominum varietate, quæ efficit colentium gentium varietas, ut proinde vix, ac ne vix quidem ab eo labyrintho nos expediremus. Satis erit in rem præſentem ea afferre, quorum meminit Scriptura 4. *Reg.* 17. 30. 31. & alibi, & quorum pariter aliquid ſupereſt in vetuſtis monumentis.

1. *Socoth Benoth* ſonat tentoria puellarum. Deſignari hic credimus (a) à Scriptura poſtribula adiri ſolita a puellis Babylonis ſemel in vita, ut ſe proſtituerent in honorem Mylittæ, & in compendium ejus Templi. Cenſet Seldenus (b) nomen Veneris derivari è Benoth: eſt facilè *Venus Propagatrix*, ſeu Venus cum proſtitutis, exhibita ſub aſpectu gallinæ cum pullis.

2. *Nergel* Dea erat culta ſub exuviis gallinæ ſylveſtris, juxta Rabbinos, ac Interpretes plures. Malunt alii ignem eſſe perpetuum cultum à Perſis in honorem Solis. Hebræum *Nergal* exprimere poteſt ad literam lampadem, ſeu nitentem, ſalgurantem, & revolventem ſe ignem.

3. *Aſima*, ſeu *Menies*. Numen hoc depingunt Rabbini, alii quidem ut hircum ſine vellere (c); alii (d) ceu ſatyrum vel ut Poetæ exhibent nobis Deum Pana. Sed incertiſſima omnia.

4. *Nebahas* vel *Anubis* exhibebatur ſimulacro canis, ſi Judæos credas. Cujus rei unicum reddunt argumentum, Hebræum *Nabuch* exprimere latrare. Conſtat Ægyptios conſecraſse Canes, & illorum Numen Anubim caninum rictum prætuliſse. Virgil. Æneid. 8. *Omnigenumque Deum monſtra, & Latrator Anubis*.

5. *Thartac* aſinino capite Numen, inquiunt Judæi. Porrò nomen *Thartac* alienum eſt ab Hebræo, facilè autem confunderetur cum *Sar Sak*; eſt autem Hebraicè *Sar*, Princeps; *Sak* verò inſignis erat, ſeu Princeps ſeu Numen Babylonicum. *Sacaa Feſta* celebrantur Paganis (e). Itaque *Thartac* juxta pronunciationem Chaldaicam exprimeret *Deus Sak*.

6. *Adramelech* ipſa facilè erat Juno in Pavone vel Faſiano expreſsa.

7. *Anamelech* Numen eſt equi figuram referens. Quæ eſt ſimilitudo inter victimas Numinibus hiſce oblatas, cæteraſque quibus litabatur Moloch Deo Ammonitarum, & Saturno Phœnicum, in eam perſuaſionem induxit plures, unum idemque illud Numen varia ea nomina adſciviſse.

8. *Kion* vel *Rempham* explicatur vulgò de Saturno inter ſeptem planetas, ſub typo ſtellæ grandioris ad cultum expoſito. Torquentur Interpretes in inveſtiganda Numinis hujus natura. Videſis quæ in hanc rem contulimus ad Diſſertationem Idololatriæ Iſraelitarum in Deſerto præfiſam Commentario in duodecim Prophetas.

9. *Mercurius* ſat nota Deitas, eloquentiæ patrona, & munus gerens Interpretis atque ablegati Deorum; ex quo nomen Deo huic *Hermes* apud Græcos. S. Paulus *Act.* 14. 11. Mercurius reputatus eſt, quòd ſermone eſſet copioſo & vehementi.

10. *Neſroch*. Narrat Scriptura 4. *Reg.* 19. 37. Sennacheribum interiiſſe gladio duorum filiorum Adramelech & Sarazar, cùm adoraret *Neſroch* Deum ſuum in Templo *Ninive*. Quid eſſet Numinis ignoratur. Baſnagius (f) confundendum cenſet cum Jano repræſentato emblemate Arcæ Noemi, ideò fortè quòd Noe utrumque mundum ſpectaverit, egeritque vitam ante, & poſt diluvium; notum eſt enim Janum biceps fuiſſe Numen, ut ante & retrò ſpectaret, quòd ſcilicet Deus eſſet temporis, præſens & præteritum complectentis. Deos omnes à Samaritanis cultos quatuor hi verſiculi complectuntur.

Numina quæ Samaria colit, vis ſcire? tuere
Semi hominemque aſinum, ſemihominemque canem.
Et Capriceps, Gallina, Pavo, ſaxumque Trigonum,
Et ſidus Cæli: Numinis illa loco.

SAMARITANUS. In libris Judæorum vox eſt contumelioſa. *Samaritanus es, & Dæmonium habes. Joan.* 8. 48.: exprobrabant Judæi Chriſto, dum in illum maximè furerent. Mandat Jeſus Diſcipulis in prædicationem euntibus: *In civitates Samaritanorum ne intraveritis Matth.* 10. 5. Demonſtraturus autem idem Jeſus homines etiam illos, à quibus maximè abhorremus, perinde tamen habendos ac proximos, inducit parabolam Judæi acceptis vulneribus languentis in via è Jeruſalem Jericho *Luc.* 10. 33., & à Samaritano fortè pertranſeunte curati. Miratur Samaritana, Jeſum verba ſecum miſcere, & potum rogare à fœmina, quam Samaritanam noſſet: *Non enim*, ait S. Joannes 4. 9. *coutuntur Judæi Samaritanis*. Author Eccleſiaſtici 50. 27. 28. Samaritanos inter eos accenſet, quos inexpugnabili horrore fugit. *Duas gentes odit anima mea; tertia autem non eſt gens, quam oderim* (ſupra illam oderim); *qui ſedent in monte Seir, & Philiſtium, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis*; i. e. Samaritani, omnium odioſiſſima gens.)


SAMARITANA, Jeſu Chriſti alloquio ad fidem adducta. Vide *Photina*. Ejus Feſtum Græci ad 20. Martii conſignantes, hiſtoriam ita narrant. Jeſu Chriſti, & S. Petri (ita Acta) prædicationibus ad fidem mulier perducta, totam brevi familiam, duos nempè filios, Joſephum, & Victorem, & ſorores ſuas Anatolinam, Photo, Photidem, Paraſcevem, & Cyriacam erudivit. Dein in Africam concedens Carthaginienſem urbem totam, Nerone regnante, ad fidem convertit. Victor ejus filius in exercitu Imperatoria in Avares Præfecturam exercuit. Sed miſſum illum in perduelles Bracharenſes in Hiſpania, atque *Italicæ* urbis in Bætica Præfecturam obtinuiſſe vulgò Hiſpani teſtantur.

Inter hæc Victor receptis ab Imperatore literis, omnes ditionis ſuæ Chriſtianos neci tradere juſſus eſt. Sed illum ejuſdem religionis myſteriis initiatum ab Apoſtolo Petro ſupremus copiarum Ductor intelligens, gravioribus verbis coarguit. Nihil tamen ipſe in Victorem profecit; quin & Divina ultione loquela ſtatim mulctatus, triduò mutus hæſit: quo exemplo, intima quadam luce colluſtratus, exclamavit: Deus Chriſtianorum unus eſt inter omnes, ſtatimque inſtructus, baptiſmo à Victore conſecratus eſt.

His Nero auditis, ſimulque intelligens quæ de Photina in Africa ferebantur, univerſam Photinæ familiam Romam deduci juſſit. In itinere Jeſus Chriſtus ſpectandum ſe præbens, euntibus animos adjecit. Ut coram Imperatore ſteterunt, Photina geminas ſorores ſuas Photo, & Photidem coram illo dedu-

(a) Ita Grot. hic, & Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 7. (b) Ita ſentire videtur Selden. loco citato (c) Baalaruch Kimchi. Rab. Salom. Druſ. in Geneſ. 1. 1. (d) Elias Levita Thalmud. Jeroſol. (e) Athen. l. 14. c. 10. Dio, Chryſoſt. orat. 4. de Regno. (f) Baſnag. de Republica Hebræorum tom. 1. p. 214.

Digitized by Google



Digitized by Google

dederit. Nero eorum conſtantia fruſtra primò tormentis tentata, filiam Arethuſam cum gemmis & margaritis ad illas ſollicitandas miſit. Hanc ſtatim Photina intuita, *Salve*, ait; *Sponſa Domini*. Cui Arethuſa: *Domina hera mea; Splendor Jeſu Chriſti, Dominus tecum ſit*. Nec mora: victas illa manus, una cum 100. comitibus puellis, ad fidem dedit. Nero his compertis excandeſcens, veneno omnes ſubduci juſſit. Lampadius Magus ejus præceptis exequutioni mandatis, ut illæſas poculum hauſiſſe intellexit, ad Chriſtianorum & ipſe caſtra tranſivit. Fruſtrà demum adhibitis à Nerone ſuppliciis, cùm à fidei propoſito quidquam non dimoverentur, tandem pelle illis detracta Martyres necavit. Hæc hiſtoria via lecta ſuſpicionem ſui ingerens, ſeriam refutationem non exigit.

PENTATEUCHUS SAMARITANUS, collectio eſt quinque Librorum Moyſis, Samaritano, ſeu veteri Hebræorum ante captivitatem charactere exarata; de qua nos v. *Pentateuchus*, & v. *Samaritani*. Hic tamen pauca addenda cenſemus, Ejus Operi Exemplaria uſque ad 16. ſæculum in Europâ ignota Jacobus Uſſerius, vir clariſſimus omnium primus ex Oriente procuravit (a). Cùm enim ex Euſebii Cæſarienſis, Diodori Tharſenſis, S. Hieronymi, S. Cyrilli Alexandrini, Procopii Gazenſis, Georgii Syncelli teſtimoniis hoc Exemplar noviſſet, verſis omnibus ad illud inveſtigandum curis, tandem id effecit, ut è Syria ſivè Palæſtina quinque vel ſex Exemplaria transferrentur. His ſedulò examini ſubjectis, tandem corrupta à Doſitheo quodam, de quo Origenes *in Celſ. l. 1.*, deprehendiſſe ſibi viſus eſt; quod tamen non omnibus æquè Eruditis probatur.

Ejus Exemplar elegantiſſimum planè Petrus à Valle Damaſci comparavit an. 1616. nomine D. De Sanſi, tunc Regis Galliarum Conſtantinopoli Oratoris, dein Epiſcopi Macloviensis. Illud deindè in poteſtatem PP. Oratorii in vico S. Honorati deveniens, penes illos hodie uſque ſervatur. Ex eo P. Morinus editionem Pentateuchi Samaritani adornavit, an. 1632. in Polyglottis D. Le Jay legendam, quæ prima eſt Operis in ea Lingua editio, Emendatum deinde ad ſtra Miſſ. Uſſerii recuſum eſt in Polyglottis Valtonii (b).

(De Pentateucho illo committuntur inter ſe Critici. Simonius in ſua Hiſtoria Critica V. T. *l.* 1. *c.* 10. autumavit, Sacerdotem illum, quem Aſſaradon miſit ad Cuthæos abſtinuiſſe à ferendo Codice Legis Moyſis, cujus nullus fuiſſet inter eas gentes, Hebræum ignorantes, uſus; & ſibi pariter oneri futurus eſſet, & ſupervacaneus, quippe qui continua à puero aſſuetudine noras Legales cæremonias, Codice etiam non conſulto. Non igitur niſi diu poſt, cum ſcilicet Manaſſes contuliſſet ſe ad excitandum Templum in monte Garizim, eò pariter delatus eſt Codex Legis, ſeu factus, ſeu reformatus ab Eſdra ad normam ejus, quem Judæi legebant in Templo Jeruſalem.

D. Vandale (c) defendit ſedulò diſtinguendum eſſe inter Legem, & Pentateuchum. Legis ſchedæ nihil referebant niſi mandata neceſſariò ſervanda, ut a populo averteretur Numinis indignantis ultio; ſed in Pentateucho ſimul continetur hiſtoria creati Mundi, ſervitutis Ægyptiacæ, & liberati ab illa populi; itineris per deſertum, & ſingulæ à Moyſe traditæ Leges. Miſſus ab Aſſaradone Sacerdos detulit quidem ad Samaritanos Legem illis neceſſariam, ut formarent ſe ad normam rituum Hebraicorum; ſed Pentateuchus, ſeu amiſſus aut ſepultus ſub ruinis Jeruſalem, reparatus fuit, reſectuſque ab Eſdra, nec proinde ad Samaritanos, niſi diu poſt, valuit tranſmitti. Hoc Critici illius ſyſtema.

Criticus alius (d) animadvertiſſe ſibi viſus eſt in Pentateucho Judæorum ac Samaritanorum nonnulla referentia Scriptorem, qui in Tranſeuphratæis degeret, noviſſetque probè regionem, ut circumſtantias omnes à Moyſe prætermiſſas notaret. Reputat ille Pentateuchum digeſſiſſe Sacerdotem illum, qui ad inſtruendos Chuthæos, vel Samaritanos venerat. Cùm autem in Chaldæa ille munus ſuum docendi populos impleturus verſaretur, opportunum ad inceptum cenſuit hiſtoriam tradere creati Mundi, tum & hiſtoriam Hebræorum, uſque tempus traditæ Legis, quo ſcilicet recognoſcerent unicum dari tantùm & ſingulare Numen. Scribens vero hæc anno 18. Joſiæ, quo ſcilicet Codex Legis in Templo repertus eſt, totum illud opus in ſuum volumen inſerendum, ideò cenſuit, quòd maximè neceſſarium eſſe intelligeret. Omnia Hebraicis literis tradebat, cum non ſatis otii nactus fuiſſet addiſcendo Chaldæo. Authoris non ſuſpecti Opus, nihil continens niſi hiſtoriam Legeſque ſuas facilè exceperunt Judæi. Syſtemate hoc ſuo ſublata cenſet Author, qui D. Clericus cenſetur, ardua omnia, quæ difficilem reddunt ſententiam de Pentateucho à Moyſe conſcripto; ſicut & pronam reddit cauſam variantium inter Textum Judæorum & Samaritanum.

Vulgò Theologi perſuadentur Pentateuchum Samaritanum & Judaicum unum eſſe idemque Opus, eâdem linguâ; diverſo licèt charactere conſcriptum; quæ autem utrinque ſunt variantia, inducta illa vel incuria Amanuenſium, vel affectione Samaritanorum, qui intrudenda cenſuerunt in Textu quædam rebus ſuis ac præjudiciis faventia: quæ autem utrinque ſunt additamenta, hæc recentiori manu irrepſerunt; olim enim ab exordio duo illa planè congruebant. Qua poſita ſententia reputandum eſt, multò potiorem eſſe fidem Pentateuchi Judaici præ Samaritano, qui de priſtinæ integritatis nitore excidit. Alii præferendum cenſent Samaritanum tanquam originalem, retinentemque eoſdem characteres, eundemque ſtatum, quem olim referabat, cùm à Moyſe conſcriberetur.

D. Prideaux (e), qui propoſitum ſupra ſyſtema D. Simonis adoptat, defendit Pentateuchum Samaritanum Codicem aliis characteribus deſcriptum è Codice ſeu digeſto, ſeu ſeparato ab Eſdra. Exemplar verò hoc ſecundarium corruptum eſſe variantibus, tranſpoſitis, additiſque pluribus non levis momenti. Quo autem evincat Samaritanum ex altero expreſſum eſſe, obſervat; 1. Retinere interpretationes omnes recenſionis Eſdræ, quarum ſanè nullam præferret, ſi vetuſtius eſſet Opus. 2. Pentateuchi Samaritani variantia plura ex eo petita ſunt, quòd literarum Hebraicarum altera in alteram affinem tranſmutata ſit, quanquam geminæ iſtæ literolæ in elemento Samaritano figuram habent planè inter ſe diverſam; eſt igitur Samaritanus ad Hebraicum expreſſus. Probant hæc, ait ille, invictiſſimè à Manaſſe viro filiæ Sanaballat profugiente ad Samaritanos eo delatum fuiſſe Codicem, quem familiaribus ſibi characteribus, nempe Phœniciis, Samaritani deſcripſerint.

Fatetur ille quidem miſſum ab Aſſaradone veniſſe Sacerdotem ad inſtruendam novam Coloniam Samariæ, quo ritu veteres ejus regionis incolæ Iſraelitæ Domino impendiſſent cultum; negat tamen id præſtitum à Sacerdote introducta Lege Moyſis. Etenim ſi ab exordio aſſueviſſent Legi illi Samaritani; nunquam ſimul retinuiſſent Idololatriam, nunquam conciliaſſent in unum duplicem illam religionem Paganicam, ac Judæam, quod expreſsè in Lege vetitum eſt. Reputari igitur par eſt in inſtruendis illis ad cultum Dei ſolam valuiſſe traditionem, atque uſum.

Quod attinet ad variantia, additamenta, atque tranſpoſita Pentateuchi Samaritani ad Hebræum collati,

(a) Uſſer. Epiſt. ad Lud. Capell. (b) Vide Le Long. Biblioth. ſacr. t. 2. (c) Vandal. epiſt. ad Morin. in tract. de Idololatria. (d) Sententiæ Theologor. quorundam Holland. Sentimens de quelques Theologiens de Hollande. (e) Hiſt. Jud. tom. 2. lib. 6. pag. 295.

Digitized by Google

exactiſſimè hæc omnia deducta habemus in Libro Hottingeri in P. Morinum, & in collatione utriuſque Textus expanſa in poſtremo volumine Polyglottorum Anglicanorum. Porrò interpolationum ejuſmodi valent aliæ ad aſſequendum faciliùs Textum, aliæ paraphraſtica quadam amplificatione planiùs exponunt, quæ tantùm in Originali innuuntur; aliæ verò de induſtria a Samaritanis inductæ ſunt, ut gentis præjudicia in Judæos urgeant, e. g. cùm *Garizim* pro Hebal ponitur: plerunque tamen variantia ex incuria Amanuenſium petita ſunt.

Præter Pentateuchum Hebraicum Phœniciis characteribus deſcriptum, de quo modò, alterum etiam habent Samaritani ei ſermoni traditum, cui tunc aſſueverant, cùm Manaſſes perfugium apud illos quæſivit. Mixtum eſt autem idioma è Chaldæo, Syriaco Hebraico vel Phœnicio. Quemadmodum enim Judæi in commodum populi, qui deſueverat ab Hebræo, adornare coacti ſunt Verſiones, ſeu Paraphraſes Chaldaicas; ita pariter & Samaritanis ſuis Pentateuchus alter vulgari Samaritico expreſſus, quod deſignatur nomine Verſionis Samaritanæ, in eo diſcrepantis à Paraphraſibus Judæorum; quòd poſteriores iſtæ referant explicationes & gloſſemata; Samaritana verò Textum Originalem ad verbum exprimit, impreſſam illam habemus cum Textu Samaritano in Polyglottis Pariſienſibus, & Londinienſibus; quòd autem planè congruit cum Textu, ideo utrique una tantùm ſobjecta eſt Verſio Latina.)

SAMBUCA, muſicum inſtrumentum *Dan.* 3. 5. 7., olim Chaldæis familiare, fidibus, uti creditur, conſtans, quatuor ut plurimum, ſonum acutum reſerentibus. Ità inſtrumentum deſcribunt Athenæus *Dipnoſ. l.* 14. *c.* 3., Vitruvius *l.* 6. *c.* 1., & Feſtus. *Magadis, pectini, & trigono*, inſtrumentis incertæ figuræ, ſed facilè pſalterium, noſtrate excepto; numero fidium referentibus reſpondiſſe ex Athenæo intelligimus (a). S. Iſidorus Hiſpalenſis *Orig. l.* 3. *ſambucam ex ſambuco* derivans, ex quo ligno, ait, olim ejuſdem inſtrumenti calamus conſtabat, ſatis indicat ſibi inſtrumentum illud ad tibiam referendum videri.

SAMEAS, ſivè *Sameus*, vel *Schammai*. Rabbinus clariſſimus, de quo mira Judæi prædicant. Scholis nempè Præfectum eximiè doctos Diſcipulos plures inſtituiſſe: inter cæteros eximium Hillelem, qui tandem à Præceptoris ſui ſententiis deſciſcens, novam planè diſſitam Scholam conſtituit. Ex hoc duorum Rabbinorum divortio Phariſæos reſultaſſe quidam præpoſterè ſanè autumarunt (b); cùm diutius ante Sameæ ætatem ſub Herode Magno, Phariſæi floruerint.

Hunc Sameam Joſephus *Antiq. l.* 14. *c.* 1. Pollioni Phariſæo auditorem tribuit; quem ego virum eundem ac Hillelem habendum eſſe non ſemel ſuſpicatus ſum; nihil enim Joſephus de Hillele, frequenter de Pollione agit. Verùm Rabbini Hillelem ſub Samæa; Joſephus verò Sameam ſub Pollione Diſcipulum exhibent. Geminos autem claruiſſe Hilleles conſtat; alium Chriſto vetuſtiorem; alterum recentiorem; Principem enim captivitatis circa an. 200 juxta Judæos, egit. S. Hieronymus *in Iſa.* 8. author eſt, paulò ante Chriſti ætatem duos clariſſimos Rabbinos Sameam, & Hillelem totidem præfuiſſe frequentiſſimis Scholis; atque duplicis apud Judæos Sectæ, Scribarum, & Phariſæorum, authores fuiſſe. Judæos verò ſuæ ætatis *Miſnam & Deuteraſes Sammai & Hilleh*, ſivè, ut ſcribit *Ep. ad Algas q.* 10. *& in Eccle.* 7. *Simeonis & Hellè* tribuiſſe prodit.

De Sameæ geſtis hæc apud Joſephum narrantur (c). Herodem Galilææ tunc temporis Præfectum crudelitatis & ſævitiæ reum coram Aula Hircani Principis Judææ detulerant: Ille coram Judicibus non ſupplicis quidem apparatu, ſed purpura indutus, picta coma, unguentis delibutus, amplo militum comitatu adſtitit. Hærentibus omnibus, ac ne hiſcere in illum quicquam audentibus, unus Sameas præſentiſſimo oris ſpiritu aſſurgens, ſociis prædixit futurum; ut illum, in quem ſententiam dicere modò verebantur, Regem eundem & Judicem in ſe ſententiam proferentem opperirentur; eodemque ſato Hircanum involvendum prædixit. Eventus Oraculum firmavit; Herodes enim rerum potitus, Judices illos omnes Samea excepto, cui ſemper plurimùm detulit, capitali ſententia damnavit. Tradito Herodi à Romanis Regno, atque unà cum Soſio obſidendæ Jeroſolymæ ſe ſiſtenti Sameas recludendas urbis fores cenſebat (d). Neque enim, dicebat, Judæorum criminibus is modus ſervatus eſt, ut Numinis iræ flectendæ locus eſſe poſſit. Inde Herodis in Sameam, ejuſque clientes favor manſit. Proverbio apud Rabbinos ferebatur: Sis mitis, & humilis tamquam Hillel, rigidus verò, & violentus velut Sameas.

SAMEAS *Joſeph. Antiq. l.* 8. *c.* 4. Vide *Semeias*,

SAMEGA, urbs Judææ, ab Hircano capta (e), alibi apud Joſephum *de Bello l.* 1. *c.* 2. *Semaa*; an eadem cum *Sama* (f).

SAMGAR, filius Anath, tertius Judex Iſraelis inter Aod, & Barach medius *Judic.* 3. 31. De illo nihil proditum eſt præterquam 6000. Philiſthæos vomere percuſſiſſe. Poſt pacem an. 2679. ab Aod partam, uſque ad Chananæorum ſervitutem an. 2699. annorum 20. ſpatium intercedit.

I. SAMIR, filius Michæ, Levita 1. *Par.* 24. 24.

II. SAMIR, in quibuſdam Exemplaribus Septuaginta *Saphir*, urbs Tribus Judæ, *Joſue* 15. 48.

III. SAMIR, urbs in montibus Ephraim, ſedes Tholæ Judicis Iſraelis. *Judic.* 10. 1.

IV. SAMIR, ſivè *Schamir*, vox frequenter in Textu Hebræo V. T. recurrens: ſonat autem interdum ſpinas, ſive dumos, vel ſalicem dumeam, *Iſai.* 5. 6. & 7. 23. &c. & 9. 18. & 10. 17. & 27. 4. & 32. 13. interdum verò adamantem, ſive quodcumque ſummè rigens, inſtrumentum gemmis expoliendis aptum, *Jerem.* 17. 1. *Ezech.* 3. *Zach.* 7. 12. quare interdum redditur, *adamas*. De hac voce plura Rabbini; *Samier* enim vermem ajunt deſignare, unam ex decem rebus à Deo ſub veſperam Sabbathi creatis. Vide Pirke Avoth. Illo autem Moyſem uſum expoliendis, & ſculpendis gemmis rationalis; quemadmodum & Salomonem lapidibus pro Templi ædificio; ex quo, ajunt, nullus malleorum ſtrepitus in Templo conſtruendo, juxta teſtimonium Scripturæ, auditus eſt, 3. *Reg.* 6. 7. Porrò mirum illud ſecretum Aſmodæum Dæmonem in vinculis à Rege detentum prodidiſſe, Hebræorum quidam fabulantur. Alii verò rem aliter narrant. Salomon enim, inquiunt, in pila quadam vitrea nidum upupæ clauſerat; pulliſque inde è carcere liberandis vermiculum ſamir avis mater adhibens, facilè carcerem perrupit: hinc notus Salomonis vermiculus. Hanc fabellam Vincentius Bellovacenſis *l.* 16. *c.* 123. adoptans, pro *upupa*, *ſtruthionem*; pro *ſamir*, *thamir* habet.

Bochartus poſt revocata omnia hæc in examen, egregiè ſatis oſtendit, vocem illam neque vermem, neque lapidem, ſive adamantem ſonare, ſed petram illam aigentem, qua lapicidæ expoliendis gemmis uti conſueverunt (g). Hanc verò artem Antiquis cognitam fuiſſe contra Cardanum idem author demonſtrat. (h) Genus arenæ eo nomine deſignari Heſychius prodit; hanc enim in pulverem reducta ad gemmas expoliendas conſtat.

I. SAM-

(a) Vide Noſt. Diſſert. de inſtr. muſic. Hebr. ante 2. t. Comment. in Pſal.
(b) Hieron. in Iſa. 8. l. 3. (c) Antiq. l. 14. c. 17. A. M. 3958. ante Chr. 42. ante Ær. 45.
(d) Joſeph. ibid. & l. 15. c. 1. A. M. 3967. ante Chr. 33. ante Ær. 37. (a) Antiq. l. 13. c. 17.
(f) Joſue 19. 26. Schama ſive Schamaga.
(g) Bochart. De Anim. Sacr. p. 2. l. 6 c. 12. (h) Dioſcor. l. 5.

I. SAMMA filius Rahuelis, & nepos Eſau Gen. 36. 13.

II. SAMMA, filius Iſai, & frater Davidis 1. Reg. 16. 9.

III. SAMMA, quartus filius Hebronis, & pater Raham. 1. Par. 2. 44.

IV. SAMMA, filius Joelis, & pater Azaa, è Tribu Ruben. 1. Par. 5. 8.

V. SAMMA, filius Hetham Aroritæ, 2. Reg. 23. 25. alibi *Samma de Harodi*, 1. Par. 11. 27. & *Sammoth Arorites*, 1. Par. 11. 27.

SAMMAA, filius Oſæ; & pater Aggiæ Levitæ, 1. Par. 6. 30. Plures etiam occurrunt viri ejuſdem nominis, ſed nomine tantummodò innoteſcunt.

SAMMAEL, malus Angelus, de quo mira Rabbini (a); angui inſidentem Evam decepiſſe; hunc Angelum eſſe mortis, aëris, quin & Dæmonum Principem. Aliis verò Rabbinis eſt Angelorum Princeps, qui judiciis univerſi præſes adfuturus eſt; eique proinde in ſuas partes adducendo die ſolemnis Expiationis litant.

SAMMAI, filius Recem, & pater Maonis, 1. Par. 2. 44. Porrò *Recem* eſt Petra, Metropolis Arabiæ Petrææ; & *Maon*, urbs ejuſdem regionis, non longè à *Bethſura*, urbe in plaga meridionali Judæ. Hæ genealogiæ per urbes deductæ, gentes deſignant, à quibus frequentatæ ſunt.

SAMMOTH. Vide *Samma* V.

SAMMUA, filius Zechur, Rubenita *Num.* 13. 5. quem Moyſes cum cæteris ſelegit, ut è Cades-barne ad terram Promiſſionis explorandam pergerent.

SAMOCHON, lacus Galilææ. V. *Semechon*.

SAMOS, Inſula Ægæi in finibus Aſiæ Minoris celeberrima. Romani literas ſuas pro Judæis ad Præfectum ejuſdem urbis dederunt (b). S. Paulus Jeroſolymam tendens, eodem appulit, *Act.* 20. 15. A. Ær. 58. De vaſis fictilibus Sami hæc Iſaias 45. 9. *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de Samiis terræ*, nempe væ, qui contra factorem ſuum caput extulit; quippe qui nonniſi Samium fictile eſt. Hebræus tantummodo legit: *Vas fictile, e medio vaſorum fictilium.*

SAMOTHRACIA, Inſula maris Ægæi. S. Paulus iter Troade in Macedoniam, *Act.* 16. 11. inſtituens, primo ad Samothraciam appulit; dein Macedoniam tenens, Neapolim, inde Philippos venit.

SAMPHO, urbs Galilææ, ſivè Samaris (c); alibi apud Joſephum *de Bello l.* 1. *cap.* 3. *Sappho*.

SAMSAI, Amanuenſis, ſivè à ſecretis, qui unà cum Reum Beelteem literas in Judæos, è captivitate paulò antea reduces, ad Regem Artaxerſem dedit (d). Porrò *Artaxerſis* nomine Magus deſignatur, qui poſt Cambyſem Imperium occupavit; Oropaſtus apud Trogum; Smerdis apud Herodotum appellatus.

SAMSON, filius Manue è Tribu Dan: matris verò nomen in Scriptura ſiletur. Sterilem illam Angelus per viſionem allocutus, filii ſpem fecit, cavens, ne quid unquam vini, aut meracei liquoris, nihilque impuri guſtaret. (e) Adjecit inſuper, eadem diſciplina infantem mox à partu educandum; quem proinde à crepundiis Deo dedicans, Nazaræatus religione obſtringeret, ejuſque comam nunquam novacula obſcinderet; is enim, ait Angelus, Iſraelem è manibus Philiſthinorum vindicabit. Mulier ſtatim virum ſuum conveniens, viſionem narravit: quam proinde Manue ſibi quoque poſtulans, impetravit tandem, ut Angelus iterum uxori ſpectandum ſe præbens, commodum fœminæ daret, ut viro accito, ſimul colloquerentur. Vide *Manue*.

Altero anno, Samſon in lucem editus (f), valido corporis robore futuræ virtutis indicia brevi exhibuit. In agro Dan inter Saraam, & Eſthaol ſedem habebat. Accidit interim, ut Thamnatam urbem Philiſthæorum veniens, puellæ fortè occurrentis amore caperetur (g); quam ſibi in uxorem à parentibus ſuis poſtulans, nunquam ab illis dimoveri potuit, ut aliam è filiabus Iſraelis Philiſthææ ſubſtitueret; hæc tamen inſciis parentibus à Deo agebantur, ut à Philiſthæorum tyrannide Judæi, adverſariis in ordinem redactis, liberarentur. Coacti igitur parentes, Thamnatam venerunt, poſtulatiſque cum fœmina pro filio nuptiis, connubium firmatum eſt.

In eo itinere Samſon paululùm è via deflectens, leunculo in ſe irruenti fortè occurrens, non reſtitit tantùm, ſed abreptum non ſecùs ac tenellum hædum, nullis armis munitus diſcerpſit. Dein in viam ſe reducens, factum parentibus ſiluit. Paulò poſt Thamnatam ad nuptias celebrandas repetens, eundem occiſi leonis locum inviſit, atque accedens cadaver nactus, examen apum gutturi ejus inſediſſe deprehendit. Favum igitur colligens, partim ipſe comedit, partim guſtandum parentibus tradidit, nihil tamen de toto rei eventu aperiens. Ut Thamnatam venerunt, nuptiarum cæremoniæ, & convivia ſolemnia celebrata ſunt, triginta juvenum comitatu ab Incolis honoris gratiâ Samſoni adjecto.

Hos juvenes Samſon ænigmate ſe tentaturum ſignificavit, cui ſi toto nuptiali hebdomadæ ſpatio enodando pares fuiſſent, triginta ſindonum, totidemque tunicarum, ſivè triginta tunicarum, & totidem palliorum, brevi, triginta integrarum veſtium (integra enim veſtis tunica, & pallio conſtabat) præmium ſe perſoluturum ſpondebat: totidem veſtibus mulctandi, ſi victi ceſſiſſent. Porrò ænigma Samſonis iſtud: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* In ſenſu verborum explorando fruſtra juvenes diutiùs ſe torſerunt; tandem ad fraudes confugientes, apud uxorem Samſonis precibus primùm, deinde minis inſtiterunt, ut ſecretum à viro exploraret. Vix Samſon fœminæ revelavit, illa ſtatim omnia ad juvenes retulit: qui illicò ad Samſonem, Quid, inquiunt, melle dulcius, quid validius leone? tunc Samſon excandeſcens: *Si non araſſetis in vitula mea* (h), *non inveniſſetis propoſitionem meam.*

Simul verò Samſon novo inſiliente Divino Spiritu incitatus, Aſcalonem urbem Philiſthinorum contendens, triginta viris occiſis, illorum veſtes victoribus ſolvit, dimiſſaque deinde uxore, ad patrem regreſſus eſt. Poſt aliquod temporis fœmina illa uni ex iis juvenibus nupſerat; cùm fortè Samſon ira ſedata ad uxorem ſuam inviſendam veniens, hædum attulit (i). Volentem ſecretum conclave ingredi ſocer prohibuit, ſe filiam ſuam alteri elocaſſe, ratum priora connubia illum reſpuiſſe, reſpondens. Verùm, ait, eſt mihi altera filia juventutis & elegantiæ flore præſtans: hanc tibi uxorem ultrò permitto. Samſon his renunciatis, Nihil eſt, inquit, impoſterum cur de me querantur Philiſthæi, ſi ultionem de illis repetam acerbiſſimam. Nec mora: in agrum contendens, 300. vulpibus coactis, binas, binaſque cauda jungens, faces trahentes accenſas, in meſſem Philiſthæorum immiſit. Illicò flamma meſſes flaveſcentes depaſcens, ſimulque in eaſdem meſſes trituræ jam paratas, atque in areis diſpoſitas ſerpens, miſerè omnes abſumpſit. Incendio inde ad vineas, & oliveta extenſo, omnia devaſtata ſunt. Tot malorum cauſa Philiſthæi audita, ultionem de viro Thamnatæo acerbiſſimam exigentes, illum ſimul, & uxorem Samſonis concremarunt.

(a) Buxtorf Lexic. Rabbinic. in Sammael. (b) 1. Mach. 15. 23. A. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139. ſub Simone Machabæo. (c) Ant. l. 17. cap. 12. (d) 1. Eſdr. 4. 8. A. M. 3470. ante Chr. 530. ante Ær. 534.

(e) Judic. 13. 2. &c. A. M. 2848. ante Chr. 1152. ante Ær. 1156. (f) Judic. 13. 24. 25. A. M. 2849. ante Ch. 1151. ante Ær. 1155. (g) Judic. 14. 1. &c. A. M. 2867. ante Ch. 1133. ante Ur. 1137.

(h) Fœmina abuſos hæc verba ſignificant. Theoguid. ſent. 58. Martial. l. 7. *Milo domi non eſt; peregrè at Milone profecto, Arva vacant, uxor non minùs inde parit.*

(i) Judic. 15. 1. &c. A. M. 2868. ante Chr. 1132. ante Ær. 1136.

Hiſtamen nondum furore ſedato, Samſon ſe, longiùs ultione provecta, tùm demum quieturum prodidit.

Nec ſanè vana minatus eſt; ingentem enim turbam occidit (a); in ſpecu interim Etham in Tribu Juda ſede ſibi conſtituta. Philiſthæi, his viri latebris exploratis, frequenti manu in ditionem Juda ingreſſi, regionem vaſtabant. Quibus avertendis malis, incolæ à Philiſthæis rogati, ut Samſonem traderent, 3000. viri agmine ad ſpecum venientes, viro ſignificarunt, ut vinculis alligatus hoſtibus ſe tradi permitteret. Non renuentem illum, vitam tamen jurejurando paciſcentes, recentibus craſſiſque funibus binis alligatum, ad Philiſthæos deduxerunt. Vix in eorum conſpectum ventum eſt, cùm Samſon ſubito à Deo robore impulſus, diſruptis vinculis, abreptaque fortè illic occurrente aſini mandibula, in hoſtes irruens, tanta illos cæde proſtravit, ut 1000. deſiderarentur. Hujus victoriæ epinicium dein occinuit: *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum delevi eos, & percuſſi mille viros*. Abjectæ autem poſt victoriam maxillæ loco nomen *Ramat-lechi*, id eſt *elevatio maxillæ*, manſit. Accidit ſub hæc, ut ingenti ſiti vir ſtrenuus æſtuans, cùm ejus moleſtiam ferre ulteriùs non poſſet, opem à Deo quæreret: qui ſtatim roganti facilis aquæ venam è ſilice *Machtes*, id eſt dens molaris, eduxit (b). Hæc uberiùs diſcuſſimus, neque enim difficultatibus carent, verbis *Lechi*, & *Machtes*.

His geſtis, Samſon Gazam urbem Philiſthæam contendens, cùm apud fœminam proſtitutam, ſivè Cauponam divertiſſet, continuò confluentibus ad domum turbis, aliis interim urbis fores cuſtodientibus, obſeſſus eſt (c). Orientem auroram Philiſthæi opperiebantur, ut diſceſſum tentantem virum caperent, occiderentque; ſed ille tertia noctis vigilia ſurgens, foribus urbis ejuſque ſeris, & ſtipitibus in humeros ſublatis, montana Hebronis versùs ſe contulit.

Succeſſu temporis Samſon in Dalilam fœminam vallis Sorec inclinans An. 2886. ante Ch. 1172. ante Æ. 1118. *Judic.* 16. 4. ſive illam in uxorem duxerit, uti nonnulli credidere (d); ſivè turpem cum fœmina proſtituta conſuetudinem foverit, uti plerique maluerunt, frequentiùs eo ventitabat. Hanc igitur Philiſthæi fœminam pecunia ſollicitarunt, ut, in ratione, in quo potiſſimùm viri robur conſtitutum eſſet, indagaret. Quod illa ſemel & iterum à Samſone exquirens, toties ab ipſo illuſam ſe ſenſit. Cùm enim Samſon hoc vel illud facto opus eſſe, ut ad cæterorum imbecillitatem redigeretur, ſignificaret; mulier periculum rei faciens, dein Philiſthæos in illum incitabat: quibus ſecurè accedentibus, Samſon priſtino robore terribilis occurrens, omnes diſſipabat. Ingeminatis tamen à Dalila precibus tandem vir ſtrenuus animo concidens, omnia revelavit; ſe nimirum coma voto Nazaræatus dicata, & adhuc intonſa abraſum in hominum ordinem fore redigendum. Inter dormiendum igitur abraſus, irruentibus deindè Philiſthæis præda facilis ceſſit; à quibus oculis captus, Gazenſi carceri traditus, atque molæ vertendæ tanquam vile mancipium damnatus eſt (e).

Verùm crineſne Samſonis tanta pollebant à natura virtute, ut toto corpori robur illud immane conciliarent; an merito ſervatæ Legis Nazaræatus (quam potiſſimum intonſæ comæ religio indicabat) Deus eo virum privilegio, tamdiù manente, quamdiù coma, donavit? Poſtremum hoc pleriſque PP. viſum (f); nec injuria ſanè; quamquam enim denſa, rigens, & florens coma corporis robur indicat, ea exſecta quid ad imbecillitatem conferat? Si ergo tanti fuit ad corporis robur momenti Samſonis coma, ut ab ea unicè tota ſtrenui viri virtus penderet, nonniſi profectò Divino prodigio vis debebatur. Gazenſis carceris anno circiter evoluto (g), ſuccreſcente interim coma (h) Samſonis, paulatim priſtinus vigor redibat; cum fortè Philiſthæorum Principe, Religioſo in Templo Dagonis cœtus indicto, ob gratias agendas pro conceſſa ab hoſtibus liberatione, ſolemnitatem inibant. Inſtructis igitur Feſti conviviis, inter pocula & dapes ob augendam etiam lætitiam Samſonem coram ludentem ſpectare placuit. Deductus igitur vir cæcis quibuſdam ſaltationibus pro ſpectantium voluntate diutiùs luſit: dein ſpecie quidem quaſi de ludo feſſus, ductorem ſuum rogavit, ut ad columnas deductum nonnihil illis incumbentem quieſcere permitteret. Columnis illis tota Templi machina fulciebatur: Templi autem ſuperiora, & inferiora omnia populis referta erant. Hoc verò Templum rotundum duplicique periſtilio cinctum fuiſſe videtur (i). Has igitur columnas ſtringens, Samſon implorata ſimul Dei ope, ut ad injuriam ab hoſtibus receptam reparandam ſibi vires non impares ſuppeditaret, ſingulis manibus ſingulas concutiens, *Moriatur*, ait, *anima mea cum Philiſthiim*. Columnis igitur labantibus, tota Templi machina corruens, omnes ſimul Philiſthæos ad 3000. hominum oppreſſit. Quare qui Philiſthæos vivens afflixerat, moriens graviori clade affecit. Obiit anno ætatis 38. M. 2887. *Jud.* 16. 20. Iſraelem judicavit annis 20.

De ſalute Samſonis, an ſcilicet liquidò mortem ſibi conſciverit, ultionemque de accepta injuria exegerit, ambigitur. S. Bernardus *de præcepto, & diſpenſ. cap.* 3. totum hoc peculiari Sancti Spiritus ductui adſcribendum cenſet, qua etiam ratione excuſandum, damnandum alioqui, S. Auguſtinus *de Civit. l.* 1. *capit.* 21. *&* 26. *l.* 3. *cont. Gaudent.* exiſtimat. Alii tamen nullo etiam Divino Spiritu ductum Samſonem, ideò abſolvendum cenſent, quòd Judicem, & aſſertorem Iſraelis agens, nihil ſibi cavens, hoſtium tantummodò necem, & populi ſui ultionem ſpectare potuiſſet (k). Quæcumque tandem ſit hujus viri excuſandi ratio, in cenſu profectò Sanctorum certò adſcribendus eſt, quòd in numero virorum, cujus fidem, & acceptum pro ea præmium Apoſtolus celebrat, cooptetur, *Hebr.* 11. 32.

SAMUA, filius Davidis. 2. *Reg.* 5. 14.

SAMUEL, filius Elcanæ ex Anna 1. *Reg.* 1. 1. &c. è Tribu Levi, & familia Caath, 1. *Pr.* 6. 29. Propheta, & Judex Iſraelis plurium annorum ſpatio. Parentes illius *Ramatha Zophim*, ſive in urbe Ramatha, ſede Levitarum è familia Zoph, ſive Zoph, ex poſteris Caath, morabantur, 1. *Par.* 6. 20. quam etiam

(a) Hebræus legit; *Percuſſit eos coxâ ſuper femur*; ſivè, *Percuſſit eos inter coxas, & crura*: uti apud nos dicitur *Tirato tra capo e collo*; & Gallis, *dos & ventre*. Vulgata: *Percuſſit eos ingenti plaga, ita ut ſtupentes crus ſuum femori imponerent*. (b) Judic. 15. 19. *Et ſcidit dentem molarem* (an ſcilicet ejuſdem nominis?) *qui erat in Lechi, & exivit ex eo aqua*. (c) Judic. 16. 1. &c. ignotum quo anno. (d) Chryſ. hom. 17. de var. in Matth. loc. & in Epiſt. ad Philipp. cap. 12. Anaſtaſ. Antioch. q. 63. Abbas Joſeph. apud Caſſian. Coll. 17. cap. 20. Ephrem cont. improb. mulier. Perer. in Gen. alii apud Serrar. q. 5. in Judic. 16.

(e) Suhr, qui nomen molæ obſcœno ſenſu uſurpatum autumeot, uti Job. 5. 12. Vide Hieron. in Iſa. 47.

(f) Ambroſ. de Spir. S. l. 2. in Prol. & de Offic. l. 2. c. 28. Author de mirab. S. Scrip. l. 2. cap. 6. Paulin. Ep. 4. Serar. in Judic. q. 14. Menoch. Tirin. Bonfrer. Cornel. Grot. in Judic. 16.

(g) Manſit ab A. M. 2886. uſque ad 3887. (h) Judic. 16. 22. Hebræus ad literam: Cœpit capillus capitis ejus germinare, ut tonſus eſt. Quod aliquibus credendi occaſionem fecit, illius capillos adeò ſucceviſſe, uti priùs erant.

(i) Vide deſcriptionem Templi Mennæ in urbe Gazæ, apud Marcum Diaconum, in vita S. Porphyrii Epiſcopi Gazenſis c. 9. & 10. apud Bolland. (k) Toſt. in Jud. 16. q. 54. Leſſ. de Juſtitia l. 1. c. 9. Franc. Victor. de homicid. ſub fin. Serrar. q. 31. Bonfrer. in Judic. 16.

Digitized by Google

etiam ſedem Samuel ipſe majori vitæ ſuæ parte habuit. Porrò Ramatham ſitam fuiſſe in montibus Ephraim inter Bethel, & Gabaam diximus v. *Ramatha*. An Sacerdotale munus Samuel obiverit, ambigitur. Ea familia Aaronis natum, & (a) Summum Sacerdotem egiſſe Veterum nonnulli autumarunt (b). Ephod geſtaiſſe, 1. *Reg.* 2. 18 duos Reges, Saulem, & Davidem, conſecratione initiaſſe; Sacrificia vel extra Tabernaculum obtuliſſe conſtat. Inter Sacerdotes apud Pſalmiſtam cooptatur; *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus; & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus*, *Pſal.* 98. 6. Tandem Sacerdotali amictu indutum Sauli per viſum ſeſe obtuliſſe, Joſephus *Antiq. l.* 7. *c.* 15. teſtatur. Quin poſt obitum Ophni, & Phinees nullus legitur ex familia Heli Summi Sacerdotis, qui eo munere fungi potuerit: quare Samuel electus videtur, ut vacuam dignitatem tamdiù teneret, quamdiù nepos Heli ætate minor eſſet.

Verùm his facilè reſponderi poſſet, Samuelem à familia Aaronis alienum, Summi Sacerdotii dignitatem nunquam geſſiſſe. Quid enim, ſi Ephod geſtavit, ſi Reges inunxit, ſi caſu aliquo ſacrificium obtulit, continuò ne Sacerdos habebitur? Porrò David Ephod cinctus eſt, 2. *Reg.* 6. 14. Gedeon & Saul ſacra operati ſunt, 1. *Reg.* 13. 9. 10. & 15. 12. *Judic.* 6. 18. Prophetarum nonnulli Reges inunxerunt, 3. *Reg.* 19. 15. 16. & 4. *Reg.* 9 1 &c. Samuel in eorum ordine cenſetur, qui nomen Domini invocant, nempe Levitarum, vel ſi Sacerdotum mavis; Sacerdotii nomen laxiori ſenſu pro omnibus Dei obſequio deſtinatis, atque mediatoria munus inter Deum, & populum obeuntibus uſurpatum noveris. Tandem in ea quæſtione, uti & in aliis pluribus hujus generis authoritates opponimus: quemadmodum enim plures tum Veteres, cùm Recentiores Sacerdotalem illi dignitatem vindicant; ita etiam plures abjudicant (c). Quoad ætatem Ophni, & Phinees omnia incerta; & ſi gerendæ dignitati vir aliquis ſequirendus eſſet, ex Sacerdotum potiùs quàm Levitarum ordine requiri oporteret.

Modò ad Samuelis hiſtoriam. Geminæ erant Elchanæ uxores, Phenenna, & Anna, illa fœcunda, hæc ſterilis; quamvis Elchanæ animus in ſterilem inclinaret. Accidit interim, ut ille una cum tota familia ad Arcam Domini in Silo peteret, hoſtias pacificas offerret (d), Sacriſque peractis uxores ſuas, filioſque omnes læto convivio exciperet. Cùm menſæ aſſidens Anna ſolitariam ſe, æmulam ſuam in corona filiorum ſpectaret, à lacrymis ſe continere non potuit; ſtatimque abjectis oculis, Tabernaculum adiens, dolorem ſuum oblatis Deo precibus ſolabatur. Hujus clamores Summus Sacerdos Heli audiens, primò fœminæ temulentiam exprobravit; deinde verò de re tota ab illa certior factus, votum ejuſdem de offerendo Deo, ſi unquam obtinuiſſet, filio, ut Lege Nazaræatus totò vitæ ſuæ tempore obſequiis Divinis manciparetur, excepit, votis inſuper ſuis & benedictione mulierem proſecutus.

Cùm omnes in patriam rediiſſent, tandem Anna filium ſtato tempore genuit, quem precibus obtentum Samuelem appellavit (e). Aliquot ab hinc annis ablactatum infantem mater voti rea Tabernaculo obtulit, datis ſimul tribus vitulis, totidemque farinæ menſuris, atque vini barbis; quæ Summo Sacerdoti tradidit, addens ſe eam fœminam eſſe, quam priùs orantem coram Domino offenderat. Vide *Anna*. Puer igitur Samuel pro ſua ætate obſequiis Tabernaculi impendebatur 1. *Reg.* 2. 18. 19. &c. Ephod lineo indutus, cui mater tunicam, ſtatis quibuſque ſolemnibus diebus ipſa per ſe deferens, addebat.

Eam interim ætatem agens Heli, ut oculis caligantibus luminis beneficio privaretur, perditos filiorum Ophni & Phinees mores aliorum relatione didicit: quos tamen imbecilliori animo ſenex in ordinem redigere, malumque in toto Iſraele exemplum ſubmovere non valuit. Quare Samuel in conclavi juxta Tabernaculum dormiens ſummo manè, antequam lampades candelabri contra Sanctuarium collucentes extinguerentur, inclamari ſe ſenſit (f). Puer ad Heli accurrens, à quo accitum ſe credabat, quid vellet requiſivit. Ille accivisse negans, cubitum ire juſſit. Vix puer ſomnum reſumpſerat, cùm iterum & tertiò voce audita, toties ad Sacerdotem ſe contulit. Qui tandem Divinum aliquod ſuſpicatus, dormitum repetere juſſit: ſi rurſum vocaretur, monuit, ut quantociùs reſponderet: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.

His à puero peractis, Dominus in hæc verba locutus eſt: Domum Heli univerſam ultionis meæ in toto Iſraele horrendum exemplum conſtituam, quippe qui filiis ſuis æquo indulgentiorem ſeſe exhibuerit. Porrò hoc viri crimen nullis oblationibus expiabitur. Ut dies illuxit, Heli certior de omnibus fieri à Samuele voluit; auditiſque, quæ à puero referebantur, totum ſe Dei voluntati commiſit. Igitur Prophetiæ dono Samuelem à Domino donatum univerſus Iſrael intellexit; cujus oraculis fidem eventus nunquam non conciliavit.

Arcæ Domini à Philiſthæis captæ fortunam, & necem Heli, duorumque filiorum alibi fuſiùs deſcripſimus. (g).

Poſt obitum Heli Summi Sacerdotis, univerſi Iſraelis Judex, & ductor Samuel renunciatus eſt (h); cujus electio facile occaſione cœtus, pro translatione Arcæ ex urbe Bethſames ad Cariath-jarim coacti, facta eſt. Supremam autem dignitatem ſuſtens, populum rogavit, ut ſuæ in Deum propenſionis ſpecimen in repurganda ab extraneis Deorum ſimulachris regione exhiberent; quò, ait, Divinam vobis opem adverſus hoſtes merebitis. Ejus monita executioni ſtatim ab omnibus mandata ſunt; impenſiori deinde cultu Domino ſe ſingulis addicentibus. Indictus deinde alter populi conventus in Maſphath, ad quem omnes armati convenientes, cùm Samuel funderet pro illis preces, illi viciſſim jejuniis, & orationibus inſtiterunt, ſimulque aquam coram Domino profundentes (i), criminum ſuorum exomulogeſim fecerunt. Hic Samuel ſingulorum cauſas audivit. Iſraelitas ſacris agendis occupatos, Philiſthæi facilè opprimendos rati, arma in illos intulerunt; nec populus ſegnis hæſit, ſed, implorata primum oblatione agni lactentis Dei ope, venientibus occurrentes, prælium iniere. Dum manus utrimque conſererentur, ingenti ſubitoque fragore Cœlum obſtrepens, terrore Philiſthæos concuſſit, adeò ut deſertis ordinibus, omnes in fugam effunderentur. Iſraelitæ fugientibus ultra Beth-car inſtantes, ea hoſtes clade proſtravere, ut & captas antea urbes victoribus deſerere, nec toto adminiſtrationis Samuelis tempore audere quidquam in Iſraelem cogerentur.

(a) Aug. in Pſal. 98. & l. 12. cont. Fauſt. c. 33. & l. 17. de Civit. c. 5. & l. 2. Retract. c. 43. & 55.

(b) Vide Ambroſ. in Pſal. 98. Chryſoſt. homil. 1. & 2. de Anna, Bernard. in ſentent. Sulp. Sever. l. 1. hiſt. Greg. M. in Libb. Reg. Alii plures apud Mendoz. in 1. Reg. 2. &c.

(c) Hieron. in Jovin. l. 1. & in Pſal. 98. Auth. qq. in V. & N. T. q. 46. Genebrard. in Pſalm. 98. Beda, Raban. Carthuſ. Gugo, Lyr. Toſt. Cajet. in 1. Reg. (d) 1. Reg. 1. 1. &c. Ann. M. 2848. ante Ch. 1152. ante Ær. 1156.

(e) 1. Reg. 1. 19. 20. A. M. 2849. ante Ch. 1151. ante Ær. 1155. Samuel pro Sauline el nempe A Deo poſtulatus.

(f) 1. Reg. 3. 1. &c. A. M. 2861. ante Ch. 1139. ante Ær. 1143. (g) Vide voces Heli, Ophni, Phinees, Arca, Dagon. Vide & 1. Reg. 3. 4. & 5. & 6. (h) 1. Reg. 7. 3. 4. A. M. 2888. ante Chr. 1112. ante Æ. 1114.

(i) Hoc alii de lachrymis; alii de aqua luſtrationis; alii tandem de libationibus aquæ, quod vinum deeſſet, intelligunt. Vide Noſt. Comment. 1. Reg. 7. 6.

Supremam hanc dignitatem Samuel tota vitæ ſuæ tempore, 1. *Reg.* 7. 15. ab anno ætatis 40. geſſit; Saule etenim regnante, ſua illi authoritas ferè in populum ipſumque Regem manſit. Singulis annis ditionem luſtrans, in Bethel primùm, dein Galgaſis, & Maſphat jus dicens, tandem domum ſuam in Ramath repetebat. In ea urbe Altare non tam privatæ, quàm publicæ religionis gratia erexerat; undique enim ad illum conſulendum, atque judicium ſubeundum confluebant. In ſenium vero jam vergens (a), cauſarum ſuarum pondus in filios transferens, judices conſtituit in Berſabee, urbe ad extremitatem meridionalem Chananitidis: qui tamen à paternis veſtigiis adeò aberrarunt, ut muneribus acceptis, & avaritia miniſterium ſuum corrumperent.

Rei indignitate Seniores populi permoti, querelas ea de re ſuas ad patrem deferentes rogarunt, ut Regem pro omnium more ſibi conſtitueret, 1. *Reg.* 8. 4. (b) Samuel, cui populi poſtulationes diſplicuerant, Dominum conſuluit, & ab eodem monitus eſt, ut rogantibus acquieſceret; neque enim in ea re illum potiùs, quàm eundem Deum offendebant. Accita igitur populi concione, expoſuit, ſe quidem Deo ita volente Regem conſtituturum. Scirent tamen, ab eo Rege filios aliorum & belli incommodis, & ſuis ſervitiis addicendos fore; operarios ex illis ſuos tam in urbe, quàm in agro eliget; filias verò Iſraelis unguentariis, culinariis, & piſtoriis rebus occupabit; decimas tandem e meſſibus, vineis, & ovibus exiget. Populum autem cum Deo hæc conquerentem, Deus non audiet. His minimè moti Iſraelitæ, Regem etiam atque etiam poſtulantes, tandem impetrarunt.

Paulò poſt (c), Saul filius Cis de aſinis patris ſui fortè amiſſis ad Prophetam conſulendum venit; a quo & electionem ſuam à Deo in Regem Iſraelis, & unctionem accepit, uti fuſius v. *Saul*. Hinc Samuel populum in Maſphath ob Regem eligendum cogit; jactiſque ejus rei gratia ſortibus pro ſingulis Tribubus, Benjamin extracta eſt. Deinde ſingulis ejuſdem Tribus familiis per ſortes exploratis, tandem familia Metri, atque inter illos Saul filius Cis ſortito electus eſt. Quæſitus ſtatim Saul, fruſtra aliquando, ſed tandem inter ſarcinas ſuas latitans deprehenſus, in mediam populi concionem adductus eſt. Samuel illum toti populo demonſtrans, En, ait, quem virum Dominus in Regem veſtrum ſelegit. Dein ſcriptam à ſe Regni legem Propheta coram populo legit, cœtumque, ea abſoluta, dimiſit.

Menſe xix evoluto, bellum Ammonitarum in Jabes, urbem Gaaladitidis, incidit (d): quo à Saule proſpero eventu confecto, (Vide *Saul*, & *Jabes*) redeuntem ab ea expeditione populum Samuel in Galgal ad innovandam Regis electionem deflectere juſſit. Iterum igitur Saule in Regem firmato, oblatiſque ingenti omnium plauſu ſolemnibus ſacrificiis, Samuel populum allocutus, quæſivit, an aliquid in ſe querelarum haberent, 1. *Reg.* 12. 1. Cùm nihil in illo populus reprehendiſſet, Propheta innocentiæ ſuæ teſtem Dominum, & Regem vocavit; quod populo ratum habente, iterum Samuel ad Iſraelem converſus, oſtendit, Deum quidem, quæ ſuarum eſſent partium Regem conſtituendo explevisse; reliquum proinde eſſe, ut Domini dicto morigeros ſe præſtarent, ut & in ſe, & in Regem largam Divinæ benedictionis munificentiam deducerent. Si enim, ait, in Dominum ſuperbam erexeritis cervicem, graviorem in vos Dei manum, ut olim patres veſtri, experiemini. Adjecit tandem deducturum ſe è nubibus nimbum, & tonitrua, quamvis id anni tempus, meſſis nempe frumentariæ, contingeret, quo raræ in Palæſtina pluviæ ſtillarent; ut eo ſaltem indicio diſcerent, quam Domino injuriam Regem exigentes irrogaſſent.

Nec mora; vix protenſis ad Cœlum manibus, nimbus & tonitrua adeo gravia intonuere, ut ſubito horrore populus concuſſus, veniam à Deo irrogatæ in illum injuriæ precarentur. Tum Samuel monens, ut Domino morigeros ſeſe exhiberent, nunquam ſe deſuturum, quin pro illis preces atque monita impenderet, pollicitus eſt. Inde omnibus domum ſuam reductis, primus initi à Saule Regni annus evolutus eſt.

Altero anno 3000. ſelectiſſimis à Rege delectis, (a) 2000. eorum ob pellenda ex urbibus Machmas & Bethel præſidia Philiſthæorum impendit; reliquos verò Jonathæ filio ſuo tradens, eo duce Philiſthæos, ſtationes Gabaæ occupantes, loco cedere coegit. Pulſis igitur ex ea ſtatione Philiſthæis, Saul opportunitatem nactus, populum in Galgal convocavit. Nec Philiſthæi ſegniores ad urbem Machmas exercitum 30000. curruum, 6000. equorum, atque immenſa peditum vi, terribilem coegerunt. Quibus ad Iſraelitas in Galgal renunciatis, ſubito omnes terrore correpti, in diverſa dilabebantur. Quare Saul ſex ſolidis diebus adventum Samuelis in Galgal opperiens, tandem ſeptima die nihil immorandum ratus, victimas ſuis ipſe manibus mactavit.

Vix factum peregerat, cum Samuel ſuperveniens, occurrentem ſibi Saulem interrogavit, cur ſacrificium obtuliſſet, 1. *Reg.* 13. 8. &c. Saule anguſtias Philiſthæorum longioris moræ impatientes cauſanti, ſtultè ſe geſſiſſe Propheta reſpondit. Si enim, ait, Domini dicto audiens fuiſſes, hunc Regni perpetuum defenſorem habuiſſes; refractarium te diutius non feret, ſed ſelegit ſibi virum juxta cor ſuum, quem tibi in Regno ſubſtituat. Inde Samuelem Gabaam tendentem, Saul una cum Exercitu 600. tantùm militibus conſtante proſecutus eſt. Parva ea manus cædendis tamen Philiſthæis par fuit, uti v. *Jonathas*, & *Saul* diximus (f).

Hinc Samuel Dei monitu in Amalecitas expeditionem ſuſcipere Saulem juſſit (g); caveret autem, ne cui unquàm parcens, omnia, ne infantibus quidem lactentibus exceptis, ipſiſque pecoribus, anathemati devoveret; Rex Prophetæ dicto obſequens, armis in Amalecitas illatis, regione quidem direpta hoſtes trucidavit, optimis tamen quibuſque, quin & opimis pecudum, parcendum maluit. Hujus rei querelas Deus cum Propheta inſtituens, conſtituti in Regem Saulis pœnitere ſe dixit. Samuel mœrens noctem totam vehiæ à Deo exorandæ indulſit. Manè verò alterius diei Saulem in Galgalis offerentem ſacrificia ex primitiis manubiarum conveniens, poſt primas ſalutationes audiens ab illo omnia, quæ Deus juſſerat, executioni mandata fuiſſe, Quæ, reſpondit, pecudum vox meis in auribus intonat? Rege ſervatas illas à populo in ſacrificium Domini dicente, Propheta gravioribus verbis Divinis juſſionibus pervicaciam exprobrans, Rejicienti altero in populum crimen, Holocauſta ne, ait, & victimas Dominus, an obedientiam mavult? Divinis juſſionibus non obtemperare tantumdem eſſe ſcias, ac ſi præſtigiis & Idololatriæ vaces. Noveris autem te Dominum à Regno abjeciſſe, quemadmodum tu Domini verbum abjeciſti. Saul nimia

ſe in

(a) 1. Reg. 8. 1. &c. A. M. 2908 ante Chr. 1092. ante Ær. 1096. (b) A. M. 2909. ante Ch. 1091. ante Ær. 1095
(c) 1. Reg. 9. & 10. A. M. 2909. ante Chr. 1091. ante Ær. 1095.
(d) 1. Reg. 11. 1. &c. A. M. 2909. ante Chr. 1091. ante Ær. 1095.
(e) 1. Reg. 13. 1. &c. Vulgata legit: *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet: duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël*. Hebræus autem ad literam: *Saul erat filius anni in regno ſuo* (nempe ab anno jam regnabat) *& regnavit duobus annis ſuper Iſraël, & elegit*. Scilicet, ſecundo regni ſui anno elegit. Vide Comment. 1. Reg. 13. 1. ubi varii ejus loci ſenſus. (f) Vide & 1. Reg. 13. & 14.
(g) 1. Reg. 15. A. M. 2930. ante Ch. 1070. ante Ær. 1074.

Digitized by Google

ſe in populum indulgentia peccaſſe profeſſus eſt; rogare tamen Prophetam, ut ipſe in ſe ejuſdem iniquitatis crimen ſuſciperet, atque una ſecum Dominum rogatum veniret. Ille indignabundus renuens, in contraria tendebat; quem proinde cùm Saul pallio apprehenſum detinere ſatageret, ſtatim ejuſdem pallii pars abſciſſa Regi manſit. Converſus ad hæc Samuel, Ita, ait, Dominus Regnum è manibus tuis avellens, alteri præſtantiori viro committet. Rex etiam atque etiam crimen ſuum faſſus, rogavit ſaltem, ut una ſecum coram Domino veniens, honori ſuo in populo conſuleret. Acquieſcens igitur Samuel, Regem in caſtra in Galgalis ſecutus eſt. Ut venit, produci coram ſe Agag Regem Amalecitarum, captivum quidem, ſed ſuperſtitem, juſſit; quem ſtatim Propheta trucidavit, ſimul addens: Quemadmodum tu matres plurimas ſine filiis, ita ego matrem tuam te filio orbabo. Inde Samuel Ramatham; Saul Gabaam regreſſus eſt, nuſquam eainde invicem in conſpectum venientes: ſed Samuel rejectum à Domino Saulem nunquam non lachrymis proſecutus eſt.

Succeſſu temporis Dominus ceſſare à lachrymis Prophetam jubens (a), ipſum in Bethleem miſit, ut in Regem ea filiis Iſai virum initiaret, quem ipſe ad eam rem selegiſſet. Propheta iram Saulis, ſuumque propterea diſcrimen cauſatus eſt. Cui Dominus, Sacrificium, ait, prætendens, Iſai convivam adhibebis; qua occaſione virum tibi indicabo. Eo igitur venientem Prophetam ſeniores omnes loci honoris gratia exceperunt. Omnes ille ad religioſum convivium invitans, cùm primum in domum Iſai venit, ſingulos ejus filios coram ſe producendos præcepit. Productum primum Eliab natu majorem, ſecreto Dei inſtinctu rejiciendum Propheta intellexit. Neque enim, loquens in corde Spiritus dicebat, Deus elegantem corporis habitum, ſed animum probum rectumque reſpicit. Suo deinde ordine ſeptem filii coram Propheta ſtatuti, quos omnes rejecit. Nihil eſſe reliqui præter hos Iſai ſignificavit, quàm parvulum quemdam ovibus deducendis diſtractum. Illum ſtatim acciri jubens Samuel, via conſpectum, ut in Regem inungeret ſecreto Dei inſtinctu monitus eſt. Nec mora: ſuperfuſo pueri capiti oleo, in Regem deſtinavit. Eainde David Spiritu Domini, qui à Saule receſſit, afflatus eſt.

Reliquos vitæ ſuæ annos Samuel in cœtu Prophetarum communi convictu agens, illorum ſe patrem conſtituit. Penes illum pluribus poſt annis David Saulis perſecutionem vitavit (b), atque acceptas à Rege injurias Prophetæ narrans, una ab illo in Najoth deductus eſt. Ejus diuturnam in loco moram ſciens Saul, milites ad illum comprehendendum miſit; ſed illi Samuelem in medio ſociorum prophetantem nacti, Divino ſpiritu afflati cæteris adjuncti ſunt; variis ſcilicet corporis geſtibus verba quædam, veluti Prophetæ cùm æſtro abripiuntur, interrupta proferebant. His Regi nunciatis, iterum ac tertiò milites ſubmiſit, quibus paria acciderunt. Ipſe tandem veniens, ejuſdem cum cæteris vim Spiritus ſenſit. Data inde Davidi aliò aufugiendi opportunitas.

Tandem 98. annis natus Samuel, biennio ante obitum Saulis diem clauſit extremum, ejuſque funus univerſus Iſrael lugens, defunctum corpus Ramathe in domo ipſius ſepulturæ mandavit (c). Ejus viri memoriæ Jeſus filius Sirach hoc elogium poſuit, *Eccl. 46. 16. 17. Dilectus Domino Deo ſuo Samuel renovavit Imperium, & unxit Principes in gente ſua. In Lege Domini congregationem (Iſraelis) judicavit, & vidit Deus Jacob, & in fide ſua probatus eſt Propheta, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis, quia vidit Deum lucis. Et invocavit Dominum omnipotentem in oppugnando hoſtes circumſtantes undique in oblatione agni inviolati. Et intonuit de Cælo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam. Et contrivit Principes Tyriorum* (d), *& omnes Duces Philiſthim: Et ante tempus finis vitæ ſuæ & ſæculi, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini & Chriſti: pecunias & uſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſavit illum homo. Et poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.*

Poſtrema illa Authoris verba hiſtoriam ſpectant, quæ biennio poſt obitum Prophetæ contigit. Philiſthæorum exercitus Iſraelis ditionem inundans (e), ad Sunam in valle Eſdrelon caſtra locaverat; Saule interim copias ſuas in ſtatione Gelboe continente. Cùm autem hoſtium undique glomerantium terrore Regis animus concidiſſet, Sacerdotibus & Prophetis omnibus ſilentibus, fœminam quamdam Pythoniſſam, in Endor duabus, tribuſve leucis à loco verſantem, ſibi conſulendam duxit. Ementitis proindè veſtibus, ne unquam à fœmina cognoſceretur, nam aliquot ante annos regionem pulſis Ariolis repurgaverat, ad illam ſe contulit.

Eo igitur veniens, acciri ſibi Samuelis ſpiritum optare ſe dixit. Nec mora; ad primas mulieris incantationes, Samuel ante ejus oculos verſans, veneficam terruit; quæ ingenti ſimul clamore edito, Cur, ait, ementitis veſtibus me decepiſti? ſiquidem Saulem te novi. Rex bono eſſe animo jubens, quidnam vidiſſet, interrogavit. Vidi, ait illa, Deos (f) è terra prodeuntes. Requiſita iterum de oris habitu, ſeniorem, & pallio velatum ſignificavit: quo Rex indicio Samuelem agnoſcens, ad terram uſque proſtratus adoravit. Tunc Samuel inviolatam ſepulchri requiem cur turbaſſet, requiſivit. Cui Saul, ſe in ea, in qua verſabatur, temporum difficultate, ſilentibus omnibus Prophetis, ejus fœminæ artibus ad ipſum excitandum uſum fuiſſe. Tunc Samuel oraculo pronunciavit, imminere jam tempus, quo Divinæ ultionis minæ explerentur. Sciret, Regnum ab ipſo detractum ad generum ſuum jam devolvendum: Iſraelitas in hoſtium manus tradendos. Tandem, Cras, ait, tu & filii tui ad nos tranſibitis; caſtra Iſraelitarum in Philiſthæorum manus devenient.

Gravis de hac hiſtoria quæſtio Veteres recentioreſque in utramque partem ancipites verſat; utrùm ſcilicet verus Samuel Regis oculis objiceretur: an mulier callida cum Propheta colloquium ſimulans, Regis credulitate abuteretur. Quis autem hunc virum coram Saule deduxit? An ea fuit carminum magicorum vis? an Deus nullo cogente ipſe per ſe Prophetam ad colloquium miſit? S. Juſtinus, Origenes, Anaſtaſius Antiochenus (g) tantam fuiſſe Dæmonum authoritatem ante Chriſti ad Inferna deſcenſum autumarunt, ut vel in animas Sanctorum imperium prorogarent. S. Auguſtinus (h) nihil indecorum animæ Samuelis accidiſſe putavit, ſi Dæmonis opera coram Saule ſiſteretur, quandoquidem Dæmon olim in cœtu Filiorum Dei coram Domino adfuit: ipſumque Dei Filium in Pinnaculo Templi conſtituit.

Rabbi Menaſſe Ben-Iſrael ex doctrina Libri Zoar docet (i) mortalium animas toto à ſeparatione à corpore anno Dæmonum poteſtati ſubmitti, eorumque arbitrio in corpora quæcumque Tyranni illi maluerint, cogi. Quamquam an idem ſit emortualis

Pro-

(a) 1. Reg. 16. 1. &c. A. M. 2934. ante Ch. 1066. ante Ær. 1070.

(b) 1. Reg. 1. 19. 18. A. M. 2944. ante Chr. 1056. ante Ær. 1060. (c) 1. Reg. 25. 1. A. M. 2947. ante Ch. 1053. ante Ær. 1057. (d) Hæc quidem quæ in 1. Reg. 7. 11. 12. deſiderantur Author Sacer ſupplevit.

(e) 1. Reg. 28. 1. &c. A. M. 3049. ante Ch. 1051. ante Ær. 1055. (f) Pluralis numerus pro ſingulari honoris gratia uſurpatur. Hebræum Elohim redditur Deus, Magiſtratus, Angelus, Judex. (g) Juſt. in Dial. Orig. in 1. Reg. 28. & tom. 27. in Jo. & apud Euſtath. Antioc. Anaſt. Antioch. in Odego q. 22. (h) Aug. l. 2. de diverſ. quæſt. q. 4. ad Dulcitium q. 6. de Doctr. Ch. l. 2. c. 38. (i) Menaſſe Ben Iſrael. l. 2. c. 6. de reſur. mort.

Digitized by Google

Prophetæ annus, non convenit; & nos biennio ab eius viri, obitu hæc contigiſſe arbitramur. Neque ſanè Rabbini doctrina cæteroqui probanda videtur. Verùm Scripturarum narratione, in quibus apertiſſimis verbis Samuel futura enunciaſſe perhibetur, vix aliquid eſſe autumamus, quod tenebras poſſit offundere.

Qui Samuelem nunquam Sauli videndum ſe præbuiſſe contendunt, non ſibi ſatis conſentiunt. Sunt, qui Dæmonem ſub Prophetæ ſpectro cum Rege collocutum crediderint (a). Alii fœminam cum Propheta colloquium ſimulantem, eiuſque nomine oracula fundentem, Saulem cæteroſque feſelliſſe (b). Alii tandem nihil in ea re Dæmonis opera contigiſſe malunt, ſed Deum data opportunitate Prophetam coram Rege ſtatuiſſe, ut de morte ipſius, atque excidio præmoneretur (c). Rabbi Levi-Ben-Gerſon hæc in mente Regis ludibria tantùm contigiſſe docet; cùm enim, ait, imminentis mali, atque minarum Dei terrore Saul agitaretur, turbatæ menti ſpecies Samuelis exhibita eſt, minitanti ore, atque imminens exitium annuncians.

Ex omnibus hiſce ſententiis nobis præ cæteris ea probatur, quæ Prophetam Sauli verè apparuiſſe defendit; quamquam non id Pythoniſſæ præſtigiis Dæmonis ope factum, ſed unius Dei Virtute, atque prodigio credimus; Dei, inquam, qui iuſſa in Regem, præſtigia ſectantem, pœna, ea data occaſione, Samuelem futura mala prænunciantem, miſit (d).

Liber Iudicum, Ruth, & primus Regum Samueli tribuuntur; nec ſanè in primis 24. Capitibus Libri Regum aliquid occurrit, quod ab eo Scriptore, ad quem rerum ibidem deſcriptarum pars maxima ſpectat, abludere videatur. Nonnulla tamen recentiori manu poſt Authoris obitum adiecta apparent. In 1. *Par.* 9. 22. legimus, claſſes illum Levitarum ſub Davide diſtribuiſſe; nempe, uti interpretamur, antea conſtitutum à Propheta, poſt obitum Summi Sacerdotis Heli, ipſo rerum potiente, Levitarum ordinem minimè mutatum Regem Davidem ſervaſſe. Ibidem etiam 26. 28. traditur, Samuelem ditiſſimis muneribus, uti & manubiis ab hoſtibus miniſterii ſui tempore captis, Tabernaculum Domini cumulaſſe. Denique ſcriptis mandaſſe una cum Prophetis Gad, & Nathano res à Davide geſtas, 1. *Par.* 29. 29. ipſe ſcilicet priores; cæteras verò reliquas Prophetæ. Eiuſdem viri nomine duo priores Libri Regum inſcripti ſunt; ſed integer ſecundus, atque primus poſt caput 24 res poſt eius obitum geſtas proſequentes, alium ſanè authorem arguunt.

Librum etiam ſcripſit *Juris Regii*, ſivè *Regni*, 1. *Reg.* 10. 25. in quo nempe iura, proventus, privilegia, & authoritatem Regis in populos proſequebatur; quorum ſcilicet ſummam verbis Iſraelem alloquens, complexus eſt. Hunc Librum in Arca depoſuiſſe Prophetam Rabbi Levi-ben-Gerſon teſtatur. Eundem dilaceratum Reges ſuppreſſiſſe ex Rabbinorum fide Bodinus de Repub. l. 1. cap. 10. prodit.

Prophetarum ſeries ex Samuele deducta, conſtanti ſucceſſione ad Zachariam, & Malachiam duravit: *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, annunciaverunt dies iſtos*, *Act.* 3. 24. Eius viri lipſana è Palæſtina Conſtantinopolim ſub Arcadio tranſlata, in Vaſe aureo, ait S. Hieronymus *cont. Vigilant.* & ſerico obvoluta, ſummo honore, atque religioſa ſolemnitate ab Epiſcopis, & confluentibus populis, excepta ſunt. Eius Feſtum ad 20. Auguſti in Martyrologio Romano conſignatur.

(Præter genuinam Samuelis hiſtoriam, quam exhibuimus in Dictionario, traditiones de illo plurimæ, fidei tamen plerunque ſubleſtæ, ſervatæ ſunt. Referunt v. c. Orientales (e), Samueli exponenti Deo conſilia Hebræorum de præficiendo ſibi Rege, Deum ipſum duo tradidiſſe, vas ſeu cornu oleo plenum, & baculum, ſimul autem virum docuiſſe, ut ille, ad cuius aſpectum oleum ebulliret in vaſi, & corporis ſtatura menſuram baculi æquaret, ipſe in Regem deſtinatus à Deo crederetur. Ex quo per ora vulgi hæc diſſipata ſunt, raptim Principes omnes Tribuum convolarunt ad menſuram baculi & ad experimentum olei; ſed fruſtrà omnes; neque enim ad aſpectum illorum ebulliebat oleum, nec fatalem baculum quiſquam ad iuſtum æquabat.

Saul, alio nomine *Scharek*, cognomento *Thalout*, i. e. proceræ ſtaturæ, qui portitor erat aquæ vel coriarius Tribus Iuda, convenit & ipſe Prophetam, vixque paruit in conſpectum ebulliit oleum, & prodigioſam virgam menſura corporis ad iuſtum æquavit. Hiſce agnitus indiciis ſalutatus eſt in Regem à Propheta; ſed Principes Tribuum, maximè Iuda, quibus erat promiſſio Regni facta, reputarunt: Quomodo hic Regem in nos aget, homo bonis indigus; neque enim ſufficiet Regiis impenſis? Verùm Samuel: Hunc, ait, ſelegit Deus, qui pro arbitrio de Regnis diſponit.

Non acquieſcentes hiſce Iſraelitæ, dari ſibi certum voluntatis Dei argumentum prodigium rogarunt. Repoſuit Samuel: Id ego exhibeo à Deo prodigium, ut Regium huius viri ius confirmetur; videlicet Arca Domini, quæ in Philiſthæorum venit poteſtatem, Angelorum manu ad vos referetur.

Arcam illam deſcribunt Monſulmani tanquam ciſtam ex pluribus coaleſcentem metallis habentem circùm inſculptas imagines omnium Patriarcharum; ſuper illam verò *Sckinah*, ſeu Maieſtas Domini requieſcebat. Erat *Sckinah* Cherubim, cuius ſcintillabant oculi tanquam duæ lampades tanto nitore, ut præſtringeret terrore oculos, ac mentem intuentium. Figuram exhibebat Leopardi, ſævienteque bello erigebat ſe, ſtridebatque horrendum, ſimul ad imperium vocis deiiciens omnes adverſarios Iſrael. Alii in hominis figuram illum conformant, adduntque ſtetiſſe in pedes, atque impetuoſo quodam emiſſo vento irruiſſe in hoſtes populi Dei, ut ſtare illi contra non auderent.

Continebantur, inquiunt illi, in Arca tabulæ Legis, & vas, in quo Angeli repurgaverant cor Prophetarum, virga Moyſis, tiara & veſtimenta Pontificalia Aaronis, vas manna refertum, & fruſtulum ligni *Aluab*, quo correctæ ſunt aquæ Mara.

Cum igitur electum fuiſſe Saulem in Regem palam omnibus factum eſſet, Philiſthæi tædio malorum, quæ in regionem ſuam Arca induxerat, ſupprimendam illam, & occultandam in fimo cenſuerunt. Sed ſtatim probroſo quodam morbo omnes percuſſi ſunt in partibus, quas celare pudor iubet; quare coacti eam tandem remiſerunt ad fines ditionis Iſraeliticæ; ibi continuò exceptam manu ſua Angeli detulerunt ad Tabernaculum in Silo, eoque prodigio confirmatum eſt Sauli Regnum. E' re noſtra eſt interdum ea noſſe, quæ nec fidem, nec pretium merentur. Valent enim, ſin minus ad alia, ad id certè, ut ius nobis temnendi fabulatores illos vindicemus.)

SAMUEL, filius, ut dicitur, Uriæ Prophetæ. Ieremias 26. 3. de Uria Propheta loquens, hunc Samuelem, totaque ſimul Scriptura ſilet. Quare quæ de eo Hiſpani narrant, nil attendenda: In Hiſpaniam veniſſe, ibique defunctum, poſt 600. annos a S. Iacobo Minore vitæ reſtitutum, baptiſmo initiatum, Petri nomine appellatum, & Bracharenſem Epiſcopum initia-

(a) Auth. qq. ad Orth. q. 52. Tertul. de Anima c. 57. Baſil. in c. 8. Iſa. Nyſſ. Epiſt. ad Theodoſ. Epiſt.
(b) Euſtath. Antioch. de Engaſtrimytho. Hieron. in c. 7. Iſa. & in Matt. 6. Cyrill. Alexand. l. 6. de adorat. in Spiritu & verit. Alii plures. (c) Vide Aug. l. 15. de cura pro mort. Ambroſ. in Luc. c. 1. Zeno Veron. ſerm. de reſurrect. D. Th. 2. 2. q. 175. a. 5. ad 4. Alii plures ad 1. Reg. 28. (d) Vide Allatium in Not. ad Euſtat. de Engaſtrimytho, & Interpp. in 1. Reg. 28. & noſtr. Diſſert. de hac re ante Comment. in 1 Reg.
(e) D'Herbelot Biblior. Orient. p. 735. & 1021.

Digitized by Google

initiatum, ubi vitam abſolverit, fabulantur.

SANABALLAT, Princeps, ſivè Præfectus Chutæorum, ſive Samaritanorum, Judæis infenſiſſimus, oriundus ex *Horon*, ſive *Horonaim*, urbe transjordanica in Moabitide. Cùm Nehemias Suſis Jeroſolymam regreſſus, mœnia Jeroſolymæ ædificare aggreſſus fuiſſet, ridendum viri conſilium Sanaballat, Tobias, & Goſſem reputantes (a), miſſis ad id viris exquiſiverunt, num defectionem à Rege meditans opus illud moliretur? Nehemias hoc illos reſponſo dimiſit, ſe ſcilicet unius Dei auxilio, cui unicè ſerviebant, ſperare: nihil tamen in urbem Jeroſolymam juris habituros unquam Chutæos, niſi tantùm opprobrii, & ignominiæ, ſciret. Opus autem ſummo ſtudio urgente Nehemia, Sanaballat furore excandeſcens, coram Samaritanis in haſce expoſtulationes prorupit, 2. *Eſdr.* 4. 1. 7. Quid miſeri Judæi moliuntur? Anne ædificium ſuum coram cæteris gentibus, invitis, ſed tamen otioſis ſpectatoribus, abſolvent, dedicabuntque? An nigricantes igne petras nova calce obducentes, in opus reducent? Nequidquam tamen illo frendente, Nehemias operi inſiſtens, tandem perfecit. His auditis, Sanaballat, Tobias, & Goſſem (b) Nehemiam per nuntios rogarunt, ut in agrum ſecum ad colloquium veniens, fœdus ſimul iniret; ex pacis ſpecie violenta in virum conſilia moliturí. Ille curas ingentis operis cauſatus, illud ne paululum quidem ſe deſerturum ſignificavit; & quater eadem urgentibus illis, quater eadem ille reſpondit. Tandem Sanaballat, datis ad virum literis, in hanc ſententiam locutus eſt; Vulgatum nempe inter gentes authore Goſſem rumorem, Judæos defectionis, atque conſtituendi ſibi Regis conſilio, cùm urbem reſtituere, tum certos Prophetas Divina ex de re oracula venditantes deſtinaſſe. Cum autem ſuum eſſe diceret, Regem de his omnibus monere, optare proinde, ut ſimul antea de omnibus convenirent. Fraudem viri ſentiens Nehemias, per certos nuntios prodidit, ſe ejus omnia conſilia, atque excogitatas fraudes deprehendiſſe. Neque his contentus Sanaballat, Semejam pſeudo-Prophetam à ſe corruptum ſubmiſit, ut Nehemiæ paratas inſidias denuncians, aſylum Templi petere ſuaderet 2. *Eſdr.* 6. 12. 14. quod etiam viri perverſi conſilium Judæi prudentia fruſtravit. Regreſſo demum Suſas ad Artaxerxem Nehemia (c), Summus Sacerdos Eliaſib nepotem ſuum Manaſſem ex Jojada filio ſuo cum filia Sanaballat connubio junxit; factaque ab ipſo Tobiæ amico ejuſdem Sanaballat poteſtas, ut cellam ſibi in Templo conſtrueret. Quod iniquè ferens Nehemias, in Judæam redux incertum quo anno, Tobiam è Templo expulit; Manaſſem verò nepotem Summi Sacerdotis à Sacerdotio amotum ex urbe depulit. Ille ad ſocerum ſe recipiens, ejus opera præſtandis Sacerdotii muneribus hac occaſione uſus eſt. Cùm enim Alexander Magnus in Phœniciam veniens, obſidione Tyrum urgeret (d), Sanaballat à Dario Rege Perſarum deficiens, in Alexandri caſtra 8000. ſuorum manum deducens, transfugit. Venientem humaniſſimè excipiens Alexander, ab eo facultatem erigendi in monte Garizim Templi rogatus, cui Manaſſe Summus Sacerdos præficeretur, ultrò conceſſit. Brevi opus ſtetit, urgente Sanaballat ætate grandævo, quippe quem ante 120. annos A. M. 3550. Samaritanis præfuiſſe compertum eſt. Sunt, qui Sanaballat ætate Alexandri florentem alium credant ab eo, qui Nehemiam afflixit, ſed in eorum opinionem nulla ſanè neceſſitate cogimur. Joſephus tamen Sanaballat ex Chutæis deducens, nihil de turbato ab ipſo Nehemia prodit. Uxorem Manaſſis *Nicaſo* appellat; & poſt novem menſes à deſerto Dario, Sanaballat obiiſſe animadvertit.

(SANABALLAT. Vide ſupra V. *Manaſſe* filius illius vir.)

SANAM, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 37.

SANIM, Euſebio *in locis, in Sonam*, eſt locus Samaritidis in Acrabatena.

SANCHONIATON, Berythenſis, ante Trojanum bellum florens, quem ſcribendæ univerſæ Phœnicum hiſtoriæ conſilio Archivia omnia publica, & privata ſingularum urbium commentaria excuſſiſſe Porphyrius apud Euſebium *Præp. l.* 1. *c.* 9. eſt author. Hiſtoriam verò Judæorum ex Memoriis *Jerombal Sacerdotis Dei Jevo* didiciſſe, apud eumdem Porphyrium legimus. Operis illius primò vernacula Phœnicum lingua adornati, dein à Philone Biblio in Græcum tranſlati, non exigua fragmenta Porphyrius, & ex illo Euſebius ſervarunt. Potiò hunc *Jerombal Sacerdotem Dei Jevo* plures eumdem eſſe Gedeonem ſuſpicantur, alio nomine *Jerobaal*, *Judic.* 6. 32. & 6. 20. &c. & 8. 27 29. quem ſacrificiis Deo *Jehovah* litantem, atque ephod ſacerdotalem veſtem apud ſe ſervantem, ideò Sacerdotis Dei *Jevo* nomine appellatum credunt (e).

Aliis verò omnia, quæ de Sanchoniatone ferunt, æquè fabulam ſapiunt (f); quin & Sanchoniatonem ipſum larvatum fucatumque eſſe Authorem, à Porphyrio facilè ſuppoſitum, aliqui contendunt.

(Sanchoniaton nomen eſſe Phœnicium dicitur ſonans *zelum Legis*. Hiſce autem potiſſimùm argumentis inducimur in ſuſpicionem nullum fuiſſe ejus nominis Scriptorem, affictumque illi Opus eo conſilio fuiſſe, ut invidia crearetur in authoritatem Sacrorum Librorum Judaicorum, quorum Theologia expreſſa demonſtraretur è Phœnicia; ſimul autem redundaret hiſce incommodum in Religionem Chriſtianam ceu fundamento innitentem ſuper Vetus Teſtamentum. Primum argumentum ejus authoritatem evertens eſt Veterum ſilentium. Quis fieri potuiſſe crederet, ut Græci expeditionibus ſuis toties Orientem frequentantes, & veterum Librorum adeò ſtudioſi, Opus illud ſeu neglexiſſent, ſeu penitùs ignoraſſent? Adriani tantùm ætate redditum illud Græcis literis à Philone Biblio fertur; quæ valuiſſent adhuc ut innoteſceret, laudareturque à vetuſtiſſimis Patribus Græcis ut Juſtino Martyre, Tatiano, Origene, in Ægypto, vel Palæſtina degentibus, quorum tamen nemo quidquam de illo meminit. Euſebius, à quo laudatur, Opus integrum nunquam vidit, nec cognovit niſi ex fragmentis è Porphyrio deductis.

Alterum argumentum ſufficiunt Opus ipſum, ſeu fragmenta Sanchoniatonis. Affectat Author ubique Moſaicam narrationem conciliare cum fabellis Græcorum; quod illi malè adeò ſuccedit, ut in ſingulis ferme ſe prodat. Compertum fuit illi Chaos Moyſis, & Spiritus, qui ferebatur ſuper aquas, productio tandem animalium quà brutorum, quà utentium ratione. Exprimit illud *fiat* creantis Dei ſub idea tonitru excitantis animalia, & ad ſpiritum vitæ vocantis, & ſub nomine venti *kol-pia* ſeu verbi ex ore Dei. Primus natu, de quo apud illum ſermo, ipſe eſt Adam cultum impendens *Baal Samin* vel Deo Cœli. *Nemrum* ipſe eſt Nemrod; Venator & Piſcator ipſi ſunt facilè conditores Sidonis. *Zeida* Hebraicè ſignificat venationem & piſcatum. *Agricola* eſt Noe; *Miſor* Mezraim author, ſeu pater Ægyptiorum; *Berith* uxor *Elion*; Elion Hebraicè ſonat altiſſimus; *Berith* fœdus. *Baal Berith* notiſſimus eſt in Libris Judæo-

(a) 2. Eſdr. 2. 10. 19. A. M. 3550. ante Ch. 450. ante Ær. 454.
(b) 2. Eſdr. 6. 1. &c. A. M. 3550. ante Ch. 450. ante Ær. 454.
(c) 2. Eſdr. 1. 2. &c. A. M. 3563. ante Ch. 437. ante Ær. 441.
(d) Antiq. l. 11. c. ult. A. M. 3672. ante Chr. 328. ante Ær. 332.
(e) Vide Bochart. Chanaan. l. 2. c. 17. Huet. Demonſtr. Evangel. prop. 4. c. 3. 2. 2. Voſſ. de hiſt. Græc l. 1. c. 1.
(f) Anton. Vandal. de Sanchon. Du Pin. Bibl. Eccl. Dodvvel Diſſert. peculiari Anglicè edita Henr. Urſin. de Zornaſt. & Sanchon. Fabric. Bibl. Græc. l. 1. c. 28. & Diſſert. de eodem argum. in Ephemerid. Trevoltii Januar. 1724. &c.

daeorum. Hucuſque tolerabilia ſunt omnia.

Quæ verò illi eſt mens, dum aſſerit Deum *Dagon* derivari ex frumento, nec alium eſſe à Jove agricola? Saturnum cognomen Iſraelis ſortitum fuiſſe apud Phœnices, eumdemque Saturnum immolaſſe filium ſuum Jeud? Quia, cùm nomen Elohim datum aſſerit fœderatis *Ili*, vel Iſraelis? De hiſtoria Abrahami & Iſraele norat equidem nonnulla; ſed confuſa adeò & turbida ut Abrahamum confundat cum Jacob vel Iſrael ejus ex filio nepote. De ſuo nomen Hebræi conferunt interdum *Sadai*, i. e. ſibi ipſi ſufficiens, ipſum verò ex alia radice ſonante agios deduc i Sanchoniaton. Plura ille expreſſit è fabellis Græcorum, quæ miſcet cum Theologia Phœnicum atque Hebræorum. Quæ apud illum de Leone, ac majore natu, petita videntur ex errore Valentinianorum.

Accuſatur etiam non ferendi anachroniſmi, quippe qui agat de Urbe Tyro, quam latuiſſe illum neceſſe erat, ſiquidem degiſſe conſtituatur ætate Gedeonis, & ante bellum Trojanum; non enim condita Tyrus ſtatuitur niſi 240. annis ante Templum Salomonis (a). Sed poſtrema hæc difficultatis habent plurimum duplici hoc nomine; 1. Quòd Gedeon 240. annis Salomonem præceſſit; 2. Quòd vetus Tyrus in continenti ſita è Regione novæ ſubſiſtebat facilè ab ipſa Joſue ætate. Vide Dictionarium Biblicum v. *Tyrus*. De Sanchoniatone conſule Authores a nobis laudatos in eodem Dictionario.

SANCTA. Interdum totum Templum deſignatur nomine *Sancta*, ſicut interdum & Cœlum, quæ ſedes eſt Omnipotentis. Levitici 10. 18. *Præſertim cùm de ſanguine illius non ſit illatum intra Sancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario*. Hic Sancta, & Sanctuarium deſignant nonniſi Templum vel atrium Sacerdotum, quod appellatur Sancta comparatum Atrio populi, uti conſtat Ezechielis 42. 14. *Sacerdotes non egredientur de ſanctis in atrium exterius*. Et 1. Machabæorum 4. 36. *Aſcendamus nunc mundare ſancta*.

SANCTA uſurpatur etiam generatim de rebus omnibus ſanctis Deo conſecratis: & Sancta Sanctorum de rebus peculiariùs illi addictis. Ara holocauſtorum appellatur *Sancta Sanctorum* Exodi 29. 35. *Et erit Sanctam Sanctorum*; ita pariter & *Sanctum Sanctorum* eſt Exodi 30. 10 unguentum, quo Ara, & vaſa ſacra perfunduntur. Tandem eodem religioſo nomine conſecrantur utenſilia omnia Sancti & Sanctuarii, ſicut & oblationes atque hoſtiæ, quarum eſt uſus Aaron filiiſque reſervatus. Vide Exodi 30. 36. Levit. 2. 3. 10. & 6. 17. 25. & alibi.

SANCTA eſt etiam interdum Cœlum. *Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto* Pſ. 19. 3. Pſ. 21. 4. *Tu autem in Sancto habitas* (Deus). Pſ. 101. 20. *Proſpexit de excelſo Sancto ſuo, Dominus de Cœlo in terram aſpexit*. Pſ. 150. 1. *Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus*.)

SANCTUS, *Sanctitas*, *Sanctificare*, quæ voces variè in S. Scriptura uſurpantur. 1. *Sanctum* ab omni crimine ſordeque à ſacris arcente purum; atque *ſanctificare* tantundem ſonat, ac expiare ſe, dignumque ſacris tractandis, atque ad Deum accedendi præſtare: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur*, Exod 19. 22. *Sanctifica populos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua, & ſint parati*, recipiendæ Legi *in diem tertium*, Exod. 19. 10. *Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo, quibus ſanctificatus &c.* Exod. 28 8. *Mittebat Job, & ſanctificabat illos* (filios ſuos) *Job*. 1. 5.

2. *Sanctificare* redditur in uſus ſacros deſtinare; *Deus ſanctificavit* diem ſeptimum, *Gen*. 2. 3. *Sanctifica mihi omne primogenitum*, *Exod* 13 2. *Pone terminos circa montem Sina, & ſanctifica illud*, Exod. 19. 23. *Sanctificatus Aaron miniſtret mihi*, Exod. 28 3. *Conſecravi hoc argentum Domino*, *Judic*. 17. 3. Plura etiam ſpolia David, cæterique poſt ipſum Reges Domino in Templo Ieroſolymitano ſanctificaverant, 2. *Reg*. 7. 11 & 1. *Par*. 26. 27.

3. *Sanctificare* etiam eſt parare ſe ad opus certum, licèt peculiarem ſanctitatem non exigat. *Sanctificamini: cras comedetis carnes Num*. 11. 18 Joſue ad populum, *Sanctificamini*, ait; *cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, *Joſue* 3. 5. *Sanctificate ſuper eam* (Jeruſalem) *bellum*, *Jerem*. 6. 4. *Sanctifica eos in die occiſionis*, *Jerem*. 12. 3. *Sanctificate jejunium, vocate cœtum*, *Joel* 2. 15. 16. ideſt, parate, indicite.

4. *Sanctus*, *Sanctitas*, *Sanctificatio*, Deo omnis Sanctitatis authori tribuuntur. Cherubim perpetuò coram illo ingeminant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, *Iſa*. 6. 3. atque per antonomaſiam *Sanctum Iſrael* appellatur, *Iſa*. 10 20. & 4. *Reg*. 19. 22. & alibi paſſim. Profectò ſanctitas omnis noſtra coram illo, cui nomen Sanctus, & cujus nomen Sanctum, ipſaque Sanctitas eſt, planè ſordeſcit. Dei verò nomen tunc potiſſimùm homines ſanctificant, ſanctumque fieri poſtulant, cùm ab ejus laudibus non ceſſantes, Numen agnoſcunt, & adorant; idque ut à cæteris præſtetur, pro viribus enituntur.

5. *Sanctum*, Templi pars appellatur, intrà veſtibulum, & Sanctuarium media, ubi aureum Candelabrum, Altare thymiamatis, & panum propoſitionis.

6. *Sanctum*, ſive *Sancta* aliquandò eſt totum Templum; uti & Cœlum. *Exaudiet Dominus de Cœlo, ſancto ſuo*, *Pſ*. 19. 7. *Proſpexit de excelſo Sancto*; *Dominus de Cœlo in terram aſpexit*, *Pſal*. 101. 20. *Laudate Dominum in Sanctis ejus; laudate eum in firmamento &c*. *Pſal*. 150 1.

7. *Sanctum Sanctorum*, ſive *Sanctuarium*, eſt intimum Templi penetrale, ubi Arca Fœderis ſervabatur; quem in locum cæteris ingredi nefas; Summo Sacerdoti ſemel tantum quotannis die ſolemnis Expiationis.

8. *Sancti*, interdum populus *Iſraelitarum* vel etiam *Chriſtianorum* vocantur. Seditioſi partibus Core, & Abiron faventes, hæc Moyſi de populo exprobrarunt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum eſt* *Num*. 16. 3. Nec raro in S. Scriptura Judæi *gens ſancta* appellantur (a). Eadem de Chriſtianis frequenter apud Apoſtolum (b).

9. *Sancti* ſunt Sacerdotes Domini. *Mane Dominus Sanctos* (Hebr. *Sanctum*) *applicabit ſibi; & quemcumque elegerit, ipſe erit Sanctus*, *Num*. 16. 5. 7. nempè Summus Sacerdos. *Perfectio tua & doctrina tua* (Hebr. *Urim & Thummim*) *viro Sancto tuo*, *Deut*. 33. 8. *Irritavit Moyſem in caſtris, Aaron Sanctum Domini*, *Pſ*. 105. 16.

10. *Sancti* ſunt viri probi, Deo unicè ſtudentes: *ſcientia ſanctorum prudentia*, *Prov*. 9. 10. *Stultiſſimus ſum virorum, non novi ſcientiam ſanctorum*, *Prov* 30. 3. *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quia nihil deeſt timentibus eum*, *Pſal*. 33. 10. *Totus inclinor in ſanctos, & Magnificis, qui ſunt in terra, delector*, *Pſal*. 15. 3.

11. *Sanctus* ſæpè de Angelis uſurpatur. *Ad aliquem Sanctorum convertere*, *Job*. 5. 1. *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis; & Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus*, *Job*. 15. 15. quæ ſententia alteri ex eodem Libro reſpondet; *Ecce qui ſerviunt Deo non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem*, *Job*. 4. 17. 18. *Ecce Sanctus de Cœlo deſcendit: clamavit fortiter: Scindite arborem, & diſſipate illam*, *Dan*. 4. 10. 20. *Dominus apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia*, *Deut*. 33. 2. 3.

12. *Sancti*, & *Sanctæ*, nomina ſunt per antiphraſim viris & mulieribus proſtitutis, maximè in Idolorum cultum infame obſequium exercentibus, apud Hebræos tributa Thamar proſtitutæ loco habita, Sancta appellatur (c). *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael* (d); ad literam, non erit ſanctificatum, nec ſanctificata.

(San-

(a) Exod. 19. 6. & 1. Petr. 2. 9. Deut. 7. 6. & 14. 2. 21.
(b) Vide Rom. 1. 1. & 8. 27. 28. & 13. 12. & 15. 25. 26. & 16. 2. &c. (c) Gen. 38. 21 Hebr. *ubi ſancta?* ſeu proſtituta.
(d) Deut. 23. 17. Vide & 3. Reg. 14. 24. & 15. 12. & 22. 47. & 4. Reg. 23. 7. Job. 36. 14. Oſee 4. 14.

Digitized by Google

(Sanctificate, valet etiam præparare ſe. Mandat Joſue 3. 5. populo: *Sanctificamini; cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*; præparate vos ad tranſmittendum Jordanem. Dominus *Iſaiæ* 13. 3. *Ego mandavi ſanctificatis meis*; i. e. Medis; ego illos deſtinavi & veluti conſecravi, ut ſint ultionis meæ in Babylonem miniſtri. Vide etiam Num. 11. 18. *Sanctificamini; cras enim comedetis carnes*. Joſue 7. 13. *Sanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in craſtinum; hæc enim dicit Dominus: Anathema in medio tui eſt, Iſrael*. Jerem. 6. 4. *Sanctificate bellum in Jeruſalem, ſanctificate Gentes, ſuper illam*; parent ſe ad eam expeditionem gentes. Et cap. 13. 3. *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in diem occiſionis*. Et c. 51. 27. 28. *Sanctificate ſuper eam gentes*; parent ſe gentes in expeditionem adverſus Jeruſalem. Joel 1. 14. *Sanctificate jejunium*, indicite ſolemne jejunium. Michæas 3. 5. Pſeudo-Prophetæ *ſanctificant ſuper eos* qui non dederint in ore eorum quippiam, *prælium*; bellum indicunt, maliſque omnibus devovent. Sophonias 1. 7. *Præparavit Dominus hoſtiam* (in diem ultionis). *ſanctificavit vocatos ſuos*, ad convivium, ſcilicet; omnia ſunt præſto ad ultionem.

Sanctus, *Sanctitas*. Vox ſanctificare ad omnia valet quæ *Sancto* & *Sanctitati* aſſignavimus in Dictionario v. *Sanctus*. Deum rogamus ut nomen ejus ſanctificetur; i. e. honoretur, laudetur, glorificetur undique per Orbem ab iis maximè, quibus obtigit, ut illum agnoſcerent, parem huic cognitioni accommodent vitam, dicto maneant fideles, atque ad juſſiones ſuas præſto; qui vero nondum cognoſcunt id tandem aſſequantur, verbum ejus auſcultent, formandoſque ſe præbeant inſtitutionibus Doctorum ipſius. Sed melius quid ſit nomen Dei ſanctificare intelligitur ex oppoſito. Prophanare nomen Dei eſt fruſtrà nomen ejus ſacramento uſurpare, invocare in illum blaſphema, Dei titulum ad Idola transferre, noſam exhibere impiis & incredulis blaſphemandi pravis ingeſtis moribus atque exemplis.

Scriptum eſt Levit. 10. 3. *Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi*; in Sacerdotibus tempè, cum ſeverâ illâ de Nadab & Abiu exactâ animadverſione demonſtravit Deus, quantam morum ſanctitatem à ſervis ſuis exigeret, quàm exactum in munere ſibi præſtando obſequium. Queritur Deus Num. 20. 12. de Moyſe & Aarone; *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael*: Quid deliquerant viri illi in ſanctificatione Dei? ideo quòd minùs verbis ejus fiderent: *Quia non credidiſtis mihi*. Sanctificavit Deus ſeptimam diem *Gen.* 2. 3. ſibi illam addicens, & conſecrans, ſanctificavit omnes primores natu *Exod.* 13. 2. mandans offerri illos ſibi, nec reputari inter prophanos atque communes. Sanctificavit Moyſes Iſraelitas *Exod.* 19. 10. 14. &c. diſpoſuitque balneorum lotionibus, abſtinentia ab uſu conjugii, puritate veſtium, ut ſiſterent ſe coram Deo, reciperent, componerentque cum illo fœdus.

Tangentes ſancta *Exod.* 29. 37. &c. ipſi pariter ſanctificantur, ut nefas ſit e. g. niſi Sacerdotibus offerre in Altari ſacrificia. Laicus, qui ad ſancta propius acceſſiſſet, maculam contrahebat expiatione dignam. Uſurpatur itaque ſanctificare ſæpe frequenter pro maculam contrahere, ſtatis ſacrificiis vel ſaltem balneis, lotionibuſque veſtium expiandam. Vide pariter Exod. 30. 29. *Qui tetigerit ea, ſanctificabitur*; Levit. 6. 18. 27. collatum cum Levit. 22. 15. 16. ubi Deus diſerto præcepto vetat Laicis ne de ſanctificatis degustent.

Sanctus, *Sanctitas* valent interdum deſignandæ ſanctimoniæ cuidam exteriori, interdum vero ſanctimoniæ ſitâ intimæ cordis, quà pariter externæ. Deus Sanctus eſt pervaganti quadam in dotes ejus omnes ſanctitate, numeris omnibus perfecta, ut fons etiam ſit ſanctitatis omnis, puritatis atque innocentiæ. Sanctificat Sanctos, populum, itemque Sacerdotes ſuos, nec propius ad ſe accedere niſi ſanctos permittit. Sanctificari jubet, atque honorari à ſervis ſuis; omnem rejicit cultum non ſanctum & purum. Nec ſatis eſt ad ejus Aram afferre purum eor; ſanctos enim jubet Iſraelitas ab omni pariter macula legali: *Sancti eſtote*, injungit, *quia ego Sanctus ſum*.

Deum ſæpè donant Prophetæ (a), nomine *Sancti Iſrael*, ac ſi Sanctus eſſet ac Deus: *Blaſphemaverunt Sanctum Iſrael*; & a *Veniat conſilium Sancti Iſrael*, tum: *Lætaberis in Sancto Iſrael*. Meſſiæ pariter elogium Sancti tribuitur. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem Pſ.* 15. 10. Iſai. 41. 14. *Ego redemptor tuus, Sanctus Iſrael*. Luc. 4. 34. *Scio te quis ſis, Sanctus Dei*; & cap. 1. 35. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Jeſus Chriſtus ſanctus ſine addito appellatur. Act. 3. 14. *Vos ſanctum & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis*. Peculiaris tandem tertiæ in Trinitate Perſonæ eſt titulus *Sancti*. *Spiritus Sanctus*.

Iſraelitæ in Scriptura familiare elogium Sancti obtinent, quòd portio ſint Domini ſelecta, à quo ſanctificantur; profitentur veram Religionem, evocantur ad ſanctitatem, cui obtinendæ nullam non operam debent ponere, nec fruſtrà poſita eſt à ſanctis viris Veteris Teſtamenti. *Vos eritis mihi gens ſancta Exod.* 19. 6. ſanctitatem veſtram ſartam tectam ſervabitis. *Viri ſancti eritis mihi Exod.* 22. 31. Levit. 11. 44. 45. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*. Num. 16. 3. *Omnis multitudo Sanctorum eſt*. Tobias ad filium ſuum cap. 2. 18. *filii ſanctorum ſumus*.

Ex infinita Dei ſanctitate tanquam è naturali quodam fonte in res ejus omnes derivatur ſanctitas. Sanctum Templum, Miniſtri, Feſta ſolemnia, Regio populo ſuo ab ipſo aſſignata. Quæ ſanctitatis elogia utraque Scripturæ pagina exhibet. *Dies iſta ſancta eſt & ſolemnis*; veſtes ſanctæ, oleum ſanctum, ager ſanctus, terra ſancta, urbs ſancta, ſanctum nomen, ſancta dies, ſanctæ animæ &c.

Peculiariùs etiam Chriſtiani renunciantur *Sancti*, utpote appellati ac deſtinati ſanctioris vitæ perfectioni, & excellentiori ſanctitati, cùm & pignora perfectiora atque uberiora Spiritus Sancti receperint. S. Lucas in Actis, & in ſuis epiſtolis Apoſtolus deſignant plerumque Chriſtianos nomine Sanctorum. *Act.* 9. 13. *Domine, audivi de viro hoc quanta mala fecerit Sanctis tuis*. Sanctus Petrus *devenit* ad *Sanctos* Lyddæ verſantes, & reſtitutam vitæ Tabitam reddidit *Sanctis Act.* 9. 32. 41. S. Paulus dirigens ad Romanos ſpiritum ſuum: *Dilectis Dei vocatis ſanctis*. Nec ſemel agit de largitionibus quæ colligebantur *pro ſanctis*.

SANCTUARIUM. Deſignatur eo nomine intimum penetrale Templi Jeruſalem, continens Arcam fœderis, quò pedem inferre vetitum omnibus, niſi uni ſummo Sacerdoti; nec illi niſi ſemel in anno die Expiationis ſolemnis. Sanctuarium etiam appellatum eſt maximè ſacrum penetrale Tabernaculi erecti in deſerto, quod manſit aliquandiù etiam poſt conſtructum Templum. Utrumque penetrale *Sanctuarium* vel *Sancta Sanctorum* appellatum eſt. Deſcriptionem Sanctuarii ejuſque dimenſiones omnes dedimus v. *Tabernaculum*, & v. *Templum Jeruſalem*.

Interdum Sanctuarium generatim de Templo uſurpatum eſt, ſive de loco ſancto, ſeu tandem de loco ad cultum Domini publicum aſſignato. Quin & à Moyſe pro Terra Sancta poſitum non injuria reputaremus. Exod. 15. 17. *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ*... *Sanctuarium tuum, quod firmaverunt manus tuæ*. Levit. 20. 3. perhibet eos, qui filios ſuos offerunt Deo Moloch, *contaminaſſe Sanctuarium Dei*. Vetat Summo Sacerdoti pedem è Templo efferre, ut propinquis ſuis defunctis parentet: *Ne*, inquit, *polluat Sanctuarium Dei Levit.* 21. 12. i. e. Templum è potiſſima ejus parte ita appellatum. Creditur etiam interdum Sanctuarium valere pro Cœlo. Deut. 26. 15. *Reſpice de Sanctuario tuo, & de excelſo Cœlorum habitaculo*. Hebr. *Reſpice de habitaculo ſanctuarii tui, de excelſo Cœlorum*.

PONDUS SANCTUARII. Vide *Pondus*.

SANDALIA. De his ter Scriptura, Judith Sandaliis

(a) Iſaiæ 1. 4. & 5. 19. et 10. 20. & 29. 19. & 37. 27. & 41. 14. 16. &c.

dalis ornata ad Holofernem ſe conferens, eorum elegantia Ducem rapuit: *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*, *Judith.* 16. 11. Genus igitur erant calceamenti ſplendidi & elegantis, honeſtiſſimarum, & ſingularis formæ mulierum inſigne. Illis auro quandoque gemmiſque nitentibus geſtandis certa erant deſtinata mancipia; nec raro ſuis thecis incluſa deferebantur; hinc apud Menandrum *ſandalotheca*; & apud Latinos Scriptores frequenter *ſandaligeruli pueri*, *puellæque* (a). Porrò S. Jo: Baptiſta indignum ſe qui ſandaligerulum Chriſto exhiberet, profeſſus eſt, *Matth.* 3. 11. *Cujus non ſum dignus calceamenta portare.* Hercules ſervitiis Omphales addictus, ſæpè fœminæ ſandaliis flagellabatur (b).

Non deſunt tamen virorum ſandalia, vulgaria ſilla, qualibus, Jeſu Chriſto permittente, Apoſtoli uti debuerant, *Marc.* 6. 9. Hoc ſanè Nabathæis commune erat calceamentum (c). Primò ſoleæ quædam vittarum ſive ligularum nexu pedem ſtringentes ſandalia exhibebant; dein nuda pedum contecta ſunt; tandem ſoleis nomen calceamenti manſit. Apud Scriptores rituum Eccleſiaſticorum ſandalia ſunt calceamenta pretioſa, ab Epiſcopis in ſacris cæremoniis induta (d).

SANGUIS. A' Mundi crepundiis ſanguinis vel etiam carnibus hærentis, uſus à Deo interdictus eſt *Gen.* 9. 4. 5. 6. vetitumque, ne quis unquam ex præfocato animante, cujus proinde ſanguis in venis hæſiſſet, dapes pararet. Vita namque, ait, animantis in ſanguine conſtituta eſt, *Lev.* 17. 11. *Deut.* 12. 23. nempe ſanguis maximi eſt ad vitam momenti. Inde varia hujus vocis *ſanguis* ſignificatio derivatur.

1. De vita uſurpatur. Deus *ſanguinem de manu hominis exquiret*; nempè in homicidii cujuſcumque reos animadvertet. *Sanguis ejus ſuper nos*; nos ſcilicet de nece ejus reſpondebimus. *Vox ſanguinis Abel* (nempè cædes Abelis) *clamat. Propinquus ſanguinis*, *ultor ſanguinis*, *Num.* 35. 24. 27. ille appellatur, cui ultionem de propinquo interfecto perſequi jus erat.

2. *Sanguis* eſt cognatio. Cautum eſt, ne quiſquam accedat ad fœminam *proximam ſanguinis ſui*, *Levit.* 18. 6. *Aman alienus à Perſarum ſanguine*, *Eſth.* 16. 10. à Perſarum genere alienus.

3. Menſtruum fœminarum incommodum deſignat, *Levit.* 20. 18. *Qui coïerit cum muliere in fluxu menſtruo* ... *ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui*, *interficientur ambo*. Et: *Si coïerit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis*, *immundus erit 7 diebus*, *Levit.* 15. 24. *Si pepererit maſculum* 30. *diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*, *Levit.* 12. 4.

4. *Caro*, *& ſanguis* ſpiritui & rationi non raro repugnant. *Caro & ſanguis non revelavit tibi*, *ſed Pater meus*, *qui in Cælis eſt*, *Matth.* 16. 17. *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem* 1. *Cor.* 15. 50. nempè in hoſtes carne & ſanguine conſtantes, ſenſibus ſubjectos: *ſed adverſus Principes & Poteſtates*, *Epheſ.* 6. 12. ſcilicet Dæmones, &c.

5. Vinum, *Deut.* 32. 14. eſt *ſanguis uvæ meraciſſimus*; & Judas *Gen.* 49. 11. *lavabit in ſanguine uvæ pallium ſuum*.

6. Sacerdotes à Deo conſtituti ſunt, ut dijudicent inter *lepram & lepram*, *ſanguinem & ſanguinem*; utrùm ſcilicet crimen capitale ſit, an homicidium ſponte, an imprudenti contigerit.

7. David oblata ſibi è ciſterna Bethleem aqua, nunquam ſe commiſſurum dixit, ut ſanguinem fortiſſimorum militum biberet, 1. *Par.* 11. 19. horrere ſcilicet aquam ſignificat, quam præſentiſſimo vitæ diſcrimine viri illi detulerant.

8. Deus ſupremus vitæ mortiſque arbiter, omnium ſibi victimarum ſanguinem reſervans, ſivè in Altari, ſive ad baſim illius pro ſacrificiorum varietate, ſive tandem cùm extra Templum litaretur, in terra pulvere obducendum effundi præcepit. Porrò ſanguis iſte cruori Chriſti Jeſu ob crimina noſtra expianda effuſo præluſit.

{ Vir ſanguinum, Sponſus ſanguinum, Urbs ſanguinum; eſt vir crudelis & ſanguinarius; Urbs ſicaria & rea ſanguinis Sanctorum, Prophetarum; Sponſus emptus pretio ſanguinis, ſeu innocentem cauſam præbens effuſioni ſanguinis filiorum ſuorum; hæc enim exprobravit Sephora Moyſi viro ſuo poſt abſciſſos circumciſione filios ſuos, ut à diſcrimine imminentis mortis illos eximeret. Habacuc 2. 12 *Væ qui ædificatis Civitatem in ſanguinibus*; miſerorum ſcilicet ſanguine, & oppreſſione. *Lavare pedes ſuos in ſanguine Pſal.* 57. 11. eſt referre cruentam & inſignem victoriam. Quo loco Hebræus fert: *Lavare pedes*, legit Vulgata: *Lavare manus*. Ultor ſanguinis inter neceſſarios ille eſt, qui jure arctioris propinquitatis aſſumebat ſibi ultionem de homicida propinqui ſui. *Requirere ſanguinem Num.* 35. 27. eſt exigere ultionem.

Libera me de ſanguinibus Pſalm. 50. 16. indulge mihi crimen commiſſæ de Uria cædis. Oſee 1. 4. *Viſitabo ſanguinem Jezrahel*; ultionem exigam de effuſo ab illa ſanguine; *Sanguis ſanguinem tetigit Oſee* 4. 2. cædem cæde cumulavit, cruentam adhuc terram ſanguine alio ſanguine cruentavit. *Luna transformabitur in ſanguinem Joel.* 2. 31. rubro ſanguineo inficietur. *Vive in ſanguine tuo*, *vive Ezech.* 16. 6. ego te vix natam aſperi totam ſanguine fœdatam, & denunciavi tibi: Nequicquam obſtante hoc fœditatis vitio, jubeo te vivere. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu Zach.* 9. 11. Sermo eſt hic ad Jeſum Chriſtum; Tu liberaſti captivos tuos, Sanctos Patres in Infernis detentos, quos redemiſti ſanguine fœderis tui pro illis effuſo. Dictum exponunt nonnulli de liberatione Hebræorum ex Ægypto, quâ Deus è carcere illo, ſanguine fœderis ſui, Agni ſcilicet Paſchalis, liberavit. Uſurpatum eſt, *ſanguis clamat de terra*, *Gen.* 4. 10. 11. *terra bibit ſanguinem*, *inebriatur ſanguine Iſai.* 34. 7. ſanguis in manu alicujus, ſanguis item in capite &c. quarum phraſium major eſt vis, quàm quæ verborum ambitu exponatur.

Sanguis Jeſu Chriſti pretium eſt noſtræ ſalutis: *Eccleſiam acquiſivit ſanguine ſuo Act.* 20. 28. ſanguine ſuo acquiſivit nobis juſtitiam, & remiſſionem criminum; *Juſtificati in ſanguine ipſius Rom.* 5. 9. Et *Epheſ.* 1. 7. *Habemus redemptionem per ſanguinem ejus*. Coloſ. 1. 20. *Pacificans per ſanguinem Crucis ejus*, *ſive quæ in terris*, *ſive quæ in Cælis ſunt*. Hebr. 19. 12. *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa*. Hebr. 13. 20. Ejus ſanguis ſanguis eſt novi, & æterni Teſtamenti, effuſus pro criminibus hominum, eodemque nos potamur, ac tandem habemus in illo pignus immortalitatis. }

SANHEDRIN, ſive *Sanhdrin*, vox barbara, ex Græco *Synedrion*, nempè cœtus, ob res cauſaſque graviſſimas cognoſcendas coactus. Huic etiam graviſſimo tribunali nomen eſt apud Judæos *Beth-din*, Domus Judicii; conſtabat autem 70. Patribus; qui in aula Templi Jeroſolymitani conſidentes, graviſſimas Reipublicæ cauſas agitabant. Præerat huic cœtui præter *Naſi*, ſive Principem, alter ejus vices gerens, *Ab-beth-din*, nempè Pater Domus Judicii, cui alter ſuccedebat *Chacam*, nempè Sapiens; cæteris Patribus *Seniorum*, ſeu Senatorum nomen manebat. Ejus conſeſſus aula rotundo conſtructa opere par-

(a) Plaut. in Trinum. act. 2. ſcen. 1.
(b) Lucian. de ſcrib. hiſt. Terent. Eunuch. act. 5. ſcen. 8.
(c) Strabo Geogr. l. 16.
(d) Vide Benedict. Baldnin. de Calceo antiquo. Du Cange in Gloſſar. Salmaſ. in Tertull. de Pallio.

Digitized by Google

partim intrà Templum, partim extra continebatur: Semicirculum intra Templi ambitum comprehenſum reos ſtantes occupaſſe ferunt; reliqua, Patrum ſubſellia; neque enim fas eſſe dicebant in Templo aſſidere. Naſi, ſivè Principi ſuus in capite eminebat Thronus, ejuſque dexteram Pater Domus Judicii, ſiniſtram verò Sapiens protegebant: cæteri per ordinem ſequebantur. Aulæ nomen erat *Liſcath-haggazith*, nempè lapidibus aula inſtrata; quare ſignificatam credunt aliqui ab Evangeliſta Græcè nomine *Lithoſtrotos*, nempè lapidibus inſtratum, *Jo*. 19. 13. Pilatus nempè, ut illi quidem ſuſpicantur, renuentibus Judæis in Prætorium ingredi, nequid impuritatis contraherent, ipſe in Sanhedrin eorum gratia ſe contulit (a). Hanc tamen ſententiam nos minus probamus.

Porrò Sanhedrin etiam poſt everſum à Romanis Templum manſiſſe Rabbini contendunt. Jam inde verò illud incepiſſe dicunt, ex quo Moyſes muneris ſui partem ſelectis viris commiſit. Poſt aliquod enim à caſtrametatione Sinai tempus (b), Moyſes Iſraelitarum nunquam quieſcentium querelarum pertæſus, facultatem à Deo poſtulavit, ut in ingentium curarum partem populum advocaret. Roganti Dominus acquieſcens, juſſit 70. ſeniores viros ſelectos præ foribus Tabernaculi conſtitui; ſe verò ea occaſione videndum ſidem Moyſi præbiturum, atque eodem, quo ipſe afflatus erat, Spiritu & cæteros donaturum. Ita comparati à Deo viri ſtatim prophetare cœperunt, Spiritu nunquam exinde deficiente. Conſtabat autem Sanhedrin 70. Patribus, ſex ex ſingulis Tribubus, quorum numerum Moyſes omnibus Præfectus augebat. Ut ex eo tempore conſtantem Judicum ſucceſſionem oſtendant, ejus opinionis aſſertores mirè torquentur. Rem ibi ſe deprehendiſſe videntur, ubi cæteri ne veſtigium quidem agnoſcunt (c).

In Judicibus autem ſeligendis primò ſanguinis ab illimi fonte deductus rivus ſpectabatur. Sæpè tamen ex ordine Sacerdotum, Levitarum, ſive inferiorum Judicum, vel ſaltem minoris Sanhedrin ex 23. Judicibus conſtantis, repetebantur (Vide v. *Judices*). 2. Lege tam ſcripta, quàm orali peritiſſimi ſeligendi erant, neque magiæ, divinationis, ſortilegiorum, medicinæ, Aſtrologiæ, arithmeticæ, & Linguarum ſcientiæ rudes. Judicem Sanhedrin 70. Linguas callere debuiſſe Judæi contendunt; omnes nempè; alli enim nonniſi 70. in Orbe Linguas & forte pluſquam par ſit, admittunt. Arcebantur ab eo cœtu eunuchi; immites enim habebantur; fœneratores, ſenio confecti, alearum luſores, corpore deformes, qui columbas ex aliorum columbariis ad ſua, inita fraude, ſeducebant; qui tandem anno Sabbathico fructuum negotium inſtituebant. Sunt, qui Summum Sacerdotem, & Regem excluſos, utpotè nimia authoritate pollentes, cenſeant; alii tamen Reges tandiù præſediſſe Synedrio putant, quandiù rerum in Iſraele potiti ſunt. Tandem Sanhedrin Judices ſeligebantur ætate graves, locupletes, & corporis, atque oris habitu viriles. Hæc quidem ex Rabbinorum fide, cui quantum in ea re deferendum cenſeamus, in Diſſertatione ſuprà relata exhibuimus.

Magni Sanhedrin ſumma erat authoritas; illuc enim ex omnibus inferioribus Tribunalibus cauſæ appellatione devolvebantur. In Reges ipſos, Summum Sacerdotem, & Prophetas poterant. Si enim Rex commiſſo in Legem crimine peccaſſet, veluti ſi ultra 18. uxores duxiſſet, ſi comam nutriſſet denſiorem, ſi auri, & argenti immanem copiam cumulaſſet, ſtatim ad Sanhedrin delatus, veſtibus exutus, flagris ſubdebatur. Neque enim flagrorum pœnam probroſam apud Hebræos habitam ferunt: quare, ajunt, Rex pœnitentiæ loco flagris ſubdebatur, iiſque infligendis, ipſe ſuo arbitrio virum ſeligebat. Reipublicæ univerſæ cauſæ ad Sanhedrin deferebantur; penes quod ſumma in vitam poteſtas; nec uſquam alibi, quam ab iis Judicibus, & in aula *Laſchat-haggazith* capitalis ſententia pronunciabatur. Hinc ſanguinis poteſtate amiſſa, Judæi 40. annis ante Templi everſionem, & tribus ante obitum Chriſti, eamdem aulam deſeruerunt.

Sub Moyſe certus Senatus cogendo locus præ foribus Tabernaculi Teſtimonii conſtitutus erat. Poſt obtentam Terram promiſſionis, Sanhedrin communem in Tabernaculo ſedem habuit in Galgalis, Silo, Cariath-jarim, Nobe, Gabaone, in domo Obededom, ac tandem Jeroſolymæ uſque ad captivitatem Babylonicam. In captivitate Babylonem translatum; ea demum ſoluta, Jeroſolymæ reſtitutum eſt; ubi inviolatum uſque ad Sicariorum ætatem manſit. Cùm enim favore Præſidis, ſive Judicum perduelles illos, quorum in dies numerus augebatur, debita ſupplicia evitare contingeret, ideircò transferendum Sanhedrin in *Hanuth* cenſuerunt (ædes erant in eodem monte, ubi Templum juxta Rabbinos). Dein intrà urbem deductum eſt; ex quo ſenſim à Templo receſſit. Subinde Jamniam, poſteà Jerichuntem, Uſam, Sepharvaim, Bethſanim, Sephorim, ac tandem Tiberiadem, ubi uſque ad excidium manſit, translatum eſt. Hæc Judæi de Sanhedrin.

Verùm Hebræorum fides Eruditis ſuſpecta eſt. Sanhedrin quidem à Gabinio Præſide Judææ Petavius *de doctr. temp.* l. 2. c. 26. cœpit; ab illo enim conſtituta judicia in quinque florentiſſimis Judææ urbibus, Jeroſolymæ, Gadara, Amathunte, Jerichunte, Sephori, urbe Galilææ (d). Grotius *ad* 1. *Par*. 21. 4. in ea re cum Rabbinis conveniens, à Moyſe acceſſit; exitum verò ad initium Herodis Regnum conſignat. Baſnagius primùm à Gabinio Senatum illum repetit; dein vero à Judæ Machabæi, ſivè ejus fratris Jonathæ ætate (e). Porrò ſub Jonatha Machabæo Senatum una cum Summo Sacerdote legationem ad Romanos miſiſſe an. M. 3860. legimus. 1. *Mach*. 12. 6. Narrant Rabbini, Alexandrum Jannæum Regem Judæorum, genere Aſmonæum, in Sanhedrin, invitis, atque reluctantibus Patribus, conſediſſe. Herodes quo tempore Galilæam adminiſtrabat, coram Senatu delatus, cauſam ſuam dicere coactus eſt. Erat igitur ante initum ab Herode Regnum, Sanhedrin. Manſit autem poſt Herodem, uti ex Evangelio, & Actibus intelligimus. Jeſus enim duo Tribunalium genera apertiſſimè diſtinguit, *Matth*. 5. 22. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio* (quod vulgò de tribunali 23. Judicum interpretantur); *qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit Concilio*; nempe coram Sanhedrin ſiſtendus, penes quod ſumma in vitam, ſaltem antequam à Romanis auferretur, poteſtas. Sunt, qui jus illud ſententiæ capitalis ferendæ etiam minori Sanhedrin 23. Patrum tribuant; ſed majus 70. Patrum huic ſanè præſtabat (f).

Ex his planè intelligimus, de origine Sanhedrin omnia in incerto verſari; quod enim de 70. Senioribus apud Moyſem animadvertunt, alia profectò erat hujus Senatus forma, ac Synedrii. Neque etiam ſub Joſue, Judicibus, & Regibus eoſdem Judices manſiſſe uſpiam legimus. Nihil etiam de illis uſque ad Jonathæ Machabæi ætatem. Quæ Gabinius conſtituerat Tribunalia, diverſa profectò erant à Sanhedrin, unico illo, atque Jeroſolymæ tantùm conſtituto: Gabinius enim quinque per totam provinciam Tribunalia diſpoſuit, nullo inter ſe ſubjectionis ordine, uti quidem videtur, connexa. Tandem quo tempore Chriſtus in vivis agebat, quin & ſcribentibus SS. Matthæo, Marco, Luca, & Joanne hunc Senatum

viguiſſe

(a) Caſaub. in Svet. l. 1, c. 46. Selden. de Synedr. l. 2. c. 13. §. 4. Ligtfoot. Hor. Hebr. in Jo. alii.
(b) Num. 11. 16. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(c) Vide Grot. in Comment. paſſim, & de Jure Belli, & Pacis c. 3. art. 20. Seld. de Synedr. vet. Hebr. & noſtr. Diſſert. de polit. vet. Hebr. ante Comment. in Num.
(d) Antiq. l. 29. c. 10. & de Bello l. 2. c. 6. (e) Baſnage hiſt. des Juifs, l. 1. c. 4. & l. 5. c. 2. art. 12.
(f) Vide Marc. 13. 9. & 14. 55. & 51. 2. Luc. 22. 52. 66. Joan. 11. 47. Act. 4. 15. & 5. 21. ubi de Sanhedrin.

viguiſſe ex eorum ſcriptis diſcimus: quamquam Judæus etiam teſtibus, jure ſanguinis privatus, *Joan.* 18. 32. Vide Anthores has de re ſupra laudatos.

(SAOSDUCHIM, ipſum eſſe virum credimus ac Nabuchodonoſor Libri Judith. Succeſſit Aſaradoni A. M. 3336. ante Chr. 664. ante Ær. 668. Regnavit 20. annis, obiitque A. M. 3356. ante Chr. 644. ante Ær. 648. Excepit illum *Chiniladan* vel *Saracus*. Fruſtrà hic repeteremus quæ de hoc Principe proſecuti ſumus V. *Nabuchodonoſor* I. & *Holofernes*.)

SAPH, ſivè *Saphai*, è genere gigantum, occiſus à Sobochai de Huſathi, in prælio, ſivè ad Gob, juxta 2. Lib. Regum 21. 18. ſivo ad Gazer, juxta 1. Paralipom. 20. 4. initio.

I. SAPHAN, filius Aſiæ, Scriba Templi ſub Joſia (a), qui Librum Legis in Templo inventum Regi ſignificavit. Plures Saphan liberi occurrunt; Ahicam, Elaſa, Gamarias, & Jezonias. An omnes ad eundem ſpectent, incertum.

II. SAPHAN, animal, de quo ſæpè Scriptura; redditur autem interdum *chœrogryllus*, *Levit.* 11. 5. interdum *lepuſculus*, *Prov.* 30. 26. ac tandem *herinacium*, *Pſal.* 103. 18. Inter immunda recenſetur, quippe quod ruminet quidem, ſed ungulis biſidis inſtructum non ſit, *Deut.* 14. 7. In petroſis verſari, nec niſi turmatim prodire ſaphan, Salomon inſinuat, *Prov.* 30. 26. Genus eſſe majoris muris in Arabia notiſſimi, cujus in urbes uſus, nomine *Aliarbuho*, Bochartus animavit: Sciurio minus eſt, colore ſubnigro, anterioribus pedibus, & cauda murem referens; niſi quòd in caudæ ſummitate, oculis, & capite ad cuniculum accedat. In anteriora brevioribus cruribus utitur. Ruminat, in petroſis ſe continet, nec niſi turmatim prodit. Qui ſanè ſaphan characteres ſunt.

III. SAPHAN, filius Gad, incola Baſanitidis 1. *Par.* 5. 12.

IV. SAPHAN, filius Machir. 1. *Par.* 7. 15.

I. SAPHAT, filius Huri, è Tribu Simeonis, inter duodecim ad explorandam Chananitidem miſſus. *Num.* 13. 6.

II. SAPHAT, ex Abelmehula; pater Eliſei Prophetæ. 3. *Reg.* 19. 16. 19. & 4. *Reg.* 3. 11.

III. SAPHAT, filius Semeiæ, è familia Davidis per Jechoniam. 1. *Par.* 3. 22.

IV. SAPHAT, è poſteris Gad, incola Baſanitidis. 1. *Par.* 4. 12.

V. SAPHAT, filius Adli, Præpoſitus boum Davidis in Baſanitide, 1. *Par.* 27. 29.

I. SAPHATIA, filius Davidis ex Abithal. 2. *Reg.* 3. 4. & 1. *Par.* 3. 3.

II. SAPHATIA, filius Raguelis, & pater Moſollami 1. *Par.* 9. 8.

III. SAPHATIA, vir ſtrenuus, qui Davidi in Siceleg verſanti adhæſit, 1. *Par.* 12. 5.

IV. SAPHATIA, filius Maachæ, Princeps Tribus Simeonis, ſub Davide, 1. *Par.* 27. 16.

V. SAPHATIA, inter filios Regis Joſaphat, 2. *Par.* 21. 2.

VI. SAPHATIA, filius Hathil, cujus poſteri numero 372. poſt captivitatem Babylonicam in Judæam regreſſi ſunt. 1. *Eſdr.* 2. 57. & 2. *Eſdr.* 7. 9.

VII. SAPHATIA, filius Malaleelis, è familia Phares, 2. *Par.* 11. 4.

VIII. SAPHATIA, filius Mathan, qui una cum ſociis de Jeremia conquerebatur, utpotè triſtium oraculorum prædictione popularium animos deterrente, *Jer.* 38. 1.

SAPHEC, fortè *Aphec*, nomen urbis in Græco 1. *Reg.* 30. 29.

SAPHET, ſive *Saphetat*, urbs Galilææ V. *Saphir*.

SAPHIR, nomen urbis in montanis Judæ, in Græco *Joſue* 15. 48. ſed Hebræus legit *Samir*. Apud Michæam 1. 11. ubi in Vulgata legimus: *Tranſite vobis habitatio pulchra*; Hebræus habet: *Tranſite* in Regionem extraneam, *qui habitatis Saphir*. Sed ibi urbs Galilææ *Sephoris*, ſive *Sephora* fortè denotatur. Urbem *Saphir* Euſebius inter Eleutheropolim, & Aſcalonem collocat.

SAPHIRA, fœmina Chriſtiana, uxor Ananiæ, qui ambo conjuges divendito agro, communi conſilio partem pretii ſibi retinentes, reliquum ad Apoſtolos detulerunt. Mox crimen pœna mortis conſecuta eſt, uti v. *Ananias*. *Act.* 5. 1. &c.

SAPHON, urbs Tribus Gad. *Joſue* 13. 27.

SAPIENS, quod nomen per antonomaſiam Salomoni tribuitur: Interdum vir ſapiens tantundem ſonat, ac pius, probus, doctus, timens Deum &c. Vide *Sapientia*.

(SAPIENTES PAGANORUM. Vide *Philoſophi*.
SAPIENTES CHALDÆI. Vide *Magi*.
SAPIENTIA ÆGYPTIORUM, quâ Moyſes excultus eſt. Vide *Moyſis*, & *Scientia*.)

SAPIENTIA, Græcè *Sophia*, Hebraïcè *chochemah*; quamquam apud Judæos nomen illud latiùs, quàm apud Græcos, & Latinos patet. Apud illos enim 1. uſurpatur de cognitione rerum ſupra naturæ captum, & Divinarum, quemadmodum ſæpè in Pſalmis, & Libris Sapientialibus accipitur. Hanc ſapientiam Salomon à Deo flagitans, voti compos largiſſimâ liberalitate factus eſt.

2. *Sapientia*, eſt ſcita artificis in artefactis inveniendis perficiendiſque peritia, in iis planè, in quibus plùs ingenium, quàm corporis robur valet. Deus collaturum ſe profitetur Beſeleeli, & Ooliabo ſapientiam, intelligentiam, & ſcientiam, operibus prò Templo variis diſponendis, perficiendiſque parem, *Exod.* 28. 3. & 31. 3.

3. *Sapientia*, eſt calliditatis tam virtus, quàm vitium. Pharao ſapientiam, rationem nempe, iniviſſe perhibetur, ut populum in Ægypto opprimeret, *Exod.* 1. 10. Jonadab amicus Amnonis, & nepos Davidis ſapientiſſimus, id eſt calliditſſimus fuiſſe legitur 2. *Reg.* 13. 3. *Deus qui apprehendit ſapientes in aſtutia* (Hebr. *ſapientia*) *eorum* *Job.* 5. 13. *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam*, *Prov.* 14. 8.

4. Eſt doctrina, ſcientia, & experientia, qualem in ſenibus ſapientiam ſpectari Job. 12. 12. animadvertit. *Numquid ſapiens reſpondebit, quaſi in ventum loquens?* *Job.* 15. 2. (Hebr. *ſcientiam ventorum*) quis ſcilicet doctus ventorum originem deſignabit? *Quis enarrabit Cœlorum rationem* (Hebr. *quis enumerabit Cœlos in ſapientia ſua?*) *Job.* 38. 37. *Aſpis non exaudiet vocem venefici incantantis ſapienter*; ſcilicet arte callentis, *Pſal.* 57. 6. Pharao aulæ ſuæ Joſephum præpoſuit, ut Aulicos & Seniores ſuos ſapientiam edoceret, *Pſal.* 104. 22. Tandem magi, venefici, genethliaci, divini, & ſomniorum interpretes in Scriptura ſapientum titulo appellantur.

5. *Sapientia*, nomen eſt Filii Dei, Verbi, Sapientiæ Æternæ; cujus miniſterio Deus Cœlos terramque conſtituit, *Prov.* 3. 19. Hanc Deus Sapientiam ab initio viarum ſuarum poſſedit, *Prov.* 8. 22. 23. ante omnes creaturas Deo adſiſtens; Mundum condenti præſto fuit; ſuper creaturas Princeps conſtituta eſt, &c. Ejus tandem Sapientiæ elogia, veluti Virtutis, Verbi, Filii unici Dei, Geniti ante omnem creaturam magnificentiſſimè Liber Sapientiæ 7. 21... 26. & 8. 1. &c. & 16. 12. 26. & 9. 1. 2. & 18. 15. & Eccleſiaſtici 24. 5. proſequuntur.

6. *Sapientia* carnis, mundi, & humana, veræ ſapientiæ, ſapientiæ Jeſu Chriſti, & ſapientiæ ſpiritus apud Apoſtolum repugnat, 1. *Cor.* 1. 19. &c. & 2. 1. Sapientia terreſtris, animalis, diabolica, cum ſapientia cœlitùs data, caſta in primis, pacis ſtudioſa, & æquitatis, frugi, omnibus accommoda virtutibus, miſericordiæ, & rectè factorum uberrima pugnat, *Jacob.* 3. 14. Hæc planè nihil dijudicat, diſſimulat nihil, &c.

Liber Sapientiæ, ſive juxta Græcos *Sapientia Salomonis*, apud Veteres nonnullos *Panaretos*, nempè colle-

(a) 4. Reg. 22. 12. & 2. Par. 34. 20. Jerem. 29. 3. & 36. 10. Ezech. 8. 11.

Digitized by Google

collectio omnis virtutis ſive inſtructionis ad virtutem. Jo Regibus, Judicibus, & Principibus inſtituendis potiſſima Authoris ſtudia verſantur, *Sap.* 2. 1. & 6. ſæ illos enim alloquutus, ſententias omnes ſuas ad eum ſcopum dirigit. Quò autem majores ad ſapientiam ſtimulos injiciat, Salomonis ſibi nomen adoptans, ejus nomine, ejuſque ingeſto exemplo rem agit. Vias autem ad ſapientiam indicat, planiores illas, & minùs arduas, quàm pro Vulgi opinione demonſtrans. Judiciorum Dei metu iniquos urget, qui etiam viſo juſtorum in altera vita præmio, miſerè invidia diſcruciabuntur. Sapientiæ autem inter homines commoda exaggerat; tum & ejuſdem ſapientiæ virtutis, ſicuti etiam Sapientiæ Æternæ elogia proſequitur. Nullus eſt in S. Scriptura Liber, in quo grandior Numinis idea magnificentius exprimatur.

Originalis ejus Libri textus Græcus traditur; non ut Scriptores nonnulli opinati ſunt, Hebræus; (a) neque enim Hebraiſmis, & barbariſmis, (à quibus derivatus ex Hebræo Liber vix eſſe poſſet immunis) ſcatere deprehenditur. Scriptor cultiſſimo ſtylo uſus, Platonis & Græcorum Poetarum Opera non planè à limine ſalutavit; cùm ex iiſdem Poetis non raro phraſes mutuetur, veluti cum ambroſiam (b), amnem oblivionis *Sap.* 7. 13. Regnum Plutonis, ſive *Aden* (c) commemorat &c. Epithetis autem refertus, rotundus quidem tumenſque, ſed turbidus & poeticus fluit. Judæis Authoribus ignotum non eſſe Opus ex laudatis de illo teſtimoniis (ex Græco tamen nunquam non derivatis) intelligimus. Verſioni Septuaginta, vel cùm hæc ab Hebræo recedit, Author inhæret; quo ſanè argumento Græcè primitùs ſcripſiſſe convincitur.

Latina Verſio Hieronymum non habet authorem, ſed ex Vulgata veteri Eccleſiæ Scriptura, ex Græco ante S. Hieronymum adornata, ſupereſt. Porro Scriptor ille manum ſe Verſioni hujus Libri non admoviſſe profitetur Præf. in Libb. Salom. Ejus Author vetuſtiſſimus Textui conſtanter ſervit; qui licèt aureis Latinæ Linguæ Sæculis floruerit, vocibus tamen minùs ſelectis quandoque utitur; ita pro divitiis habet *honeſtatem*; pro locuplete *honeſtum*; Dei in impios animadverſionem deſignat nomine *reſpectus*, ſivè *viſitationis*; *ſupervacuitas* eſt glorioſæ fucus, & jactantia; *animalia ſupervacua*, animalia noxia, & pernicioſa.

Quis autem Author Libri cenſendus ſit prorſus latet. Sunt, qui Opus à Salomone Hebraicè ſcriptum credant; ex quo Græca Verſio adornata, intercidente interim Textu originali, manſerit (d). Notant enim, Salomonem in eo Opere apertioribus verbis, quàm in cæteris aliis Libris, authorem ſe Operis prodidiſſe; neque ſanè indignum eſſe ſapientiſſimo Principe Scriptum; ac tandem ſub eodem Salomonis nomine a Patribus non raro laudari. Verùm qui fieri poteſt, ut excluſus à Canone Hebræorum Liber Salomoni adjudicetur? Ubi unquam locorum Hebræum originale viſum eſt? An illud in Verſione enonciator? an ſtylus ejuſdem Verſionis Hebræum quidquam ſapit? (e).

Ejus Libri, & Eccleſiaſtici authorem S. Auguſtinus de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 8. primò confundendum cenſuit: mox tamen errorem ſuum deprehendit. Nihil tamen de authore Sapientiæ prodit *l.* 2. *c.* 4. *Retract.* & *de Civit. l.* 17. *c.* 20. quamvis ab Eruditis ſui temporis à Salomone abjudicari; ſibi verò alium videri Scriptorem à Jeſu filio Sirach Authore Eccleſiaſtici prodat. *Nonnulli Scriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis affirmant*, ait S. Hieronymus Prol. Galeat. Quæ ipſius verba Authores in contraria ſtudia diviſerunt. Alii enim de Philone Alexandrino ſcriptis Operibus notiſſimo ſub Cajo florente, intelligenda cenſent (f); quam ſententiam alii (g) erroris damnant; nunquam enim Philo Divinitùs afflatus Scriptor habitus eſt. Alii tandem hunc Philonem Alexandrino vetuſtiorem cenſent (h).

Tres ſanè cognomines Philones in hiſtoria celebrantur; primus ſub Ptolemæo Philadelpho; alter Philo Biblius, quem Joſephus, & Euſebius laudant; tertius, Philo Judæus ſub Cajo. De primo Philone, nihil apud veteres Authores. Alter Ethnicus erat religione, qui Phœnicum hiſtoriam Græcis literis mandavit; poſtremus omnium notiſſimus eſt. Porrò Libri Sapientiæ author neque primus, ſuppoſititius facilè ſcriptor, neque ſecundus, Ethnicus, habendus eſt. Tertius inter Divinitus afflatos Scriptores nunquam reputatus eſt: quippè qui dum ſola Chriſtiana Religio unica erat ad ſalutem via, alienus ab illa fuerit. Stylus etiam Philonis planè ab eo Libro alienus eſt. Tandem nemo Patrum unquam, ſivè ante, ſive poſt S. Hieronymum, neque ipſe S. Doctor hunc Philonem authorem Sapientiæ prodidit.

Judæo Scriptori vernaculo ſermone ſcribenti poſt Eſdram, & ante Summum Pontificem Simonem, hunc Librum Grotius Præf. in Sap. abjudicavit. Hinc, ait, Librum Eccleſiaſtici ordine præcedit. Verſionem tandem, ait, ejuſdem Operis author Chriſtianus adornavit, Græcis literis excultiſſimus; qui ſanè in eo vertendo latiùs aliquando exſpatiatus eſt, neque originalis vocibus ſervit: quin & nonnulla è medio Fidei Chriſtianæ deprompta adjecit. Inde deducta quæ ad Judicium generale, Juſtorum felicitatem, impiorum pœnas apertiùs, quàm in cæteris veteribus Hebræorum Libris, ſpectant. Hæc quidem Grotius; a quo tamen hujus opinionis rationes expectantur: neque enim ejus unius teſtimonio in ſingulari ea ſententia ſtandum eſſe videtur.

Cornelio a Lapide *Præf. in Lib. Sap.* Judæus eſt Author, poſt captivitatem Babyloniam, & circa ætatem Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti Græcum Opus adornans. Facilè, ait ille, quidam ex Septuaginta Interpretibus illi ſcribendo operam impendit, occaſione propoſiti ſingulis ab eodem Principe politici argumenti, juxta Ariſtæam. Sanè Liber totus in inſtituendis Principibus verſatur. Addit, Opus Salomoni olim tributum, æquivocantes alios Philoni deputaſſe; cùm enim Salomoni alterum ſit nomen *Jedidiah*, quod Dei amicum ſonat, quemadmodum *Philon*, ſive *Philos* Græcis eſt *amicus*, facilè alterum cùm altero nomen confuſum eſt. Quin & Rabbini Philonem laudantes, *Jedidiah* appellant. Hinc ſcriptum Opus Sapientia Salomonis, pro Salomone Philoni adjudicatum eſt. Hæc porrò ab Authore ſolertiſſimè ſanè excogitata ſunt. Non ſemper in Eccleſia ejuſdem Libri authoritas aſſerta fuit. Judæis ignotus, a Patribus quampluri-

(a) Iſid. Offic. l. 1. Lorin. Præf. in Sap. Sixt. Sen. Biblioth. l. 6. Bellarm. de Verbo Dei l. 1. c. 13.
(b) Sap. 19. 20. Vulgata bonam eſcam.
(c) Sap. 1. 14. Vulg. *Regnum Inferorum*.
(d) Sixt. Sen. Bibliot. l. 8. Salmer. t. 1. Proleg. 8. Chriſtoph. à Caſtro. Gonzal. Cervantes. Præf. in Libb. Salom.
(e) Vide S. Hieron. in Prol. Galeat.
(f) Lyran. in Sap. Galatin. de Arcan. Cath. Fid. l. 1. c. 4. Vives in Aug. de Civit. Dei l. 17. c. 20.
(g) Jacob. Fab. Vien. Ep. apud Lorin. in Sap. Præf. c. 2.
(h) Driedo de Eccleſ. Dogm. l. 1. c. 4. Michael. Medin. de recta in Deum Fide l. 6. c. 12. Genebr. ad an. 3860. Canus de loc. l. 2. c. 11.

bus (a), & ſingularibus Eccleſiis rejicitur. Quin Lyranus, & Cajetanus (b), paria cum illis ſentiunt. Alii tamen veteres Patres tanquam Scripturam illum laudant; eundemque ſpectaſſe interdum Authores N. T. videntur. His accedunt definitiones Concilii Carthaginenſis, an. 397. Sardicenſis an. 347. Conſtantinopolitani Trullenſis an. 692. Undecimi Toletani an. 675. Florentini an. 1438. ac tandem Tridentini Seſſion. 40. Vide etiam Lorin. Cornel. à Lapid. & Noſt. Præf. in Sap.

(Librum ſapientiæ Locmano vindicant Muſſulmani. Vide ſupra v. *Locmanus*. Tradunt inſignem hunc Scriptorem non quidem *Nabim* vel Prophetam egiſſe; ſed tantùm *Hakim*, i. e. Sapientem. Author Libri Sapientiæ uſurpavit ſæpè *Verbum Dei* vel *Sermo Dei* pro Deo ipſo, quem Sapientiæ Librum præ oculis habuiſſe Sanctum Joannem Evangeliſtam, vix ambigo. Idem & à Philone ſervatum eſt, quod facilè contulit, ut venirent quidam in eam opinionem Librum Sapientiæ Philonem Authorem referre.)

SAPPHIRUS, gemma, in Hebræo *Saphir*. *Exod.* 28. 18. & 39. 11. De hoc ſæpè Scriptura. Job. 28. 6. loca eſſe teſtatur, in quibus lapides ſapphiri ſunt; ſcilicet ſapphiri communes adeò ſunt, ut pro lapidibus habeantur. Optimos ex Media provenire Plinius *l.* 37. *c.* 9. narrat; fortè ex Sapirorum regione, vel Sephar, de qua Moyſes. *Gen.* 10. 30. Orientalis Sapphirus aerium, vividumque cæruleum colorem refert. *Saphir*, ſeu *Schaphar* Hebraicè, venuſtatem ſonat.

(Ut pulchritudinem, ac pretium Tabularum Moyſis, & virgæ ejus prodigioſæ exprimant Hebræi, Sapphirinum utrumque fuiſſe perhibent. Hanc gemmam permaximi æſtimant Orientales; & ſi qui illam geſtent, proſpera ſibi omnia ab ipſa ominantur.)

SARAI, ſive *Sara*, uxor Abrahami, filia Thare ex altera tamen matre, quàm Abraham, nata; quippe quæ, eodem Abrahamo teſtante, ſoror illius ex patre tantùm fuerit (c). Thare ſi quidem pro regionis more plures duxerat uxores; vel ſaltem poſt deceſſum illius, ex qua genitus Abraham, altero connubio Sarai filiam habuit (d). Hoc ſanè nobis probatur potiùs, quàm aliquorum ſententia, Jeſcham filiam Aram, *Gen.* 11. 29. neptem ex fratre Abrahami, cum Sarai confundens, quamvis Joſepho, S. Hieronymo, S. Auguſtino, Toſtato, Genebrardo, aliiſque frequentibus eadem videatur (e).

Porrò fœmina illa in lucem prodiit an. M. 2018. ante Ch. 1982. ante Ær. 1986. & Abrahamo antequam ex urbe Ur ſecederet, nupſit (f). Solum autem vertens Abraham, eam ſibi itineris comitem non uxoris, ſed ſororis ſpecie adhibuit; *Gen.* 20. 13. periculi etenim aliquid ſibi metuebat, ſi fortè elegantiſſimæ fœminæ vir cognoſceretur. Cùm autem in Chananitide fames graſſaretur, Abraham altero ab adventu ſuo in regionem anno, in Ægyptum deflectere coactus (g), eodem artificio fœminam ſororis loco habendam ſecum duxit. Cùm in provinciam veniſſent, ſtatim Sarai in Aulam Pharaonis ſubrepta eſt; ſed mox Pharao gravioribus plagis à Deo afflictus, ad ſaniora revocatus, uxorem re prodita viro reſtituit; domeſticos ſimul increpans, qui fœminam à viro ſubductam violandam duxiſſent. Reſtituta autem uxore, adjecto militum præſidio, ne quid incommodi pateretur, Abraham dimiſſus eſt.

Hæc duorum conjugum cautio non æquè omnibus probatur. Crimini ſanè uxorem ſuam ea diſſimulatione expoſuiſſe accuſatur, quemadmodum & in eam rem conſenſiſſe mulieri vitio vertitur. Prava etiam æquivocatione ambo ad flagitium viam præſtruxiſſe videntur. Origenes *hom.* 6. *in Gen.* Abrahamum diſſimulatione, qua Abimelechum Regem Geraræ non diſſimili periculo fefellit, *Gen.* 20. 12. non mendacem tantùm, ſed proditæ caſtitatis uxoris ſuæ reum damnat. Infamem pudoris Sarai ſeiratorem, qui avaritia, & cupiditate ſua duorum Regum libidini uxorem proſtituerit, Fauſtus Manichæus traducit (h). S. Chryſoſtomus, quanquam ejus viri factum ſeriò excuſare conatus, ingenuè tamen fatetur, Patriarcham uxoris ſuæ pudorem veluti extimior expoſuiſſe; Sarai verò, nequid infortunii viro contingeret, non renuiſſe. Recentiores tandem nonnulli neutrius conjugum in ea re factum ſatis comprobandum (i) arbitrantur.

Verùm S. Auguſtinus (k) ejus viri apologiam inſtituens, 1. nihil in ea re mendacii deprehendere ſe profitetur; gemina enim una eademque muliere exhibente, alterum prodidit, nempè neceſſitudinem cum illa ſuam, alterum, nempè conjugium, ſiluit. 2. De fœminæ ſimul honore, & de vita ſua periclitatus, cùm utrumque ſimul vitare non poſſet, alteri prudenti diſſimulatione occurrit; alterum, conjugis nempè ſuæ pudorem, cui nulla ſuccurrendi ſuppetebat ratio, Deo commiſit. Plurimùm etiam exploratæ mulieris virtuti fidens, quam invitam prorſus & reluctantem violandam norat, crimen propterea & infamiam amovendam ſperabat (l).

Modò ad hiſtoriam. Ingentem florentiſſimæ poſteritatis ſpem à Deo factam, ſimulque ſterilitatem ſuam conſerens, alteram pro ſe fœminam viro ſubſtituendam, quæ Divinarum promiſſionum veritatem ſuſtineret, autumavit. Ea igitur inſinuante, Agarem illius ancillam (m) Abraham thori ſociam adſciſcens, ſecundæ uxoris loco pro more ejus ætatis habuit. Agar cum viro congreſſa, ſimulque concepto ex eo fœtu ſuperbiens, heram ſuam contemptui habuit. Sarai ea de re cum viro conqueſta, factaque ab ipſo in famulam poteſtate, duriùs illam excipiens, effecit, ut fuga ſe è domo ſubtraheret. Fugienti Angelus occurrens, quantocyùs rediret, atque Sarai ſubmitteret ſeſe imperavit.

Succedentibus annis, Deus ſpectandum ſe Abrahamo præbens, fœdus cum illo inſtitutum (n), indicta circumciſione, obſignavit. Ea occaſione nomine *Abram* in *Abraham* à Deo reformato, ſimul etiam ex *Sarai*, Domina mea, fecit, *Sara*, Domina. Eodem anno tres Angeli virili habitu hoſpitio à Patriarcha in tentorio ſuo recepti, *Gen.* 18. 1. factam olim a Deo ſobolis promiſſionem non innovarunt tantùm, ſed intrà anni etiam ſpatium explendam prænunciarunt. Sara poſt oſtium tentorii latens, virorum fiduciam ſecum ridebat, qui effœtis jam conjugibus ſerò liberos pollicerentur. Hunc mulieris riſum ſtatim Dominus agnoſcens: Cur, ait, Sara riſit? Deo, cui nihil arduum, largiente, intrà anni ſpatium filius ex effœtis conjugibus naſcetur. Sara tunc deprehenſa, riſum negavit; ſed fruſtrà, Angelo etiam atque etiam aſſerente.

Pau-

(a) Athan. in Synopſi Epiph. de pond. & menſur. Hieron. Prol. Galeat. & in Zach. 8. c. 11. & in Ep. 115. Orig. in Pſal. 51. Melito Ep. ad Oneſim. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 28. Nazian. Cyrill. Jeroſol. Laodicæna Synod. Athan. Ep. Feſtali. Damaſc. de fide Orthod. l. 4. c. 18.

(b) Vide Lyran. in Sap. & Cajet. in Eſth. ad finem. (c) Gen. 12. 13. & 20. 12. Aliàs & verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem. (d) Ita Eutych. Alex. in Chronic.

(e) Antiq. l. 1. c. 8. Hieron. qq. Hebr. in Gen. Aug. cont. Fauſt. l. 22. c. 35.

(f) Gen. 11. 29. 31. A. M. 2082. ante Ch. 1918. ante Ær. 1922.

(g) Gen. 12. 10. &c. An. M. 2084. ante Ch. 1910. ante Ær. 1920.

(h) Apud Aug. l. 22. c. 33. cont. Fauſt. (i) Diction. de Bayle artic. Sara.

(k) Aug. l. 1. contr. Mend. c. 10. & lib. 22. contr. Fauſt. c. 34. &c. & lib. 16. de Civit. c. 19.

(l) Vide Chryſoſt. in hunc locum, & Interpp. in Gen. 12. 12. &c.

(m) Gen. 16. 1. &c. A. M. 2093. ante Chr. 1907. ante Aer. 1912.

(n) Gen. 17. 1. &c. A. M. 2107. ante Chr. 1893. ante Ær. 1897.

Digitized by Google

Paulò poſt (a), Abrahamo Geraram urbem Philiſthæorum concedente, Saram 90. annorum ætate grandævam, ſimulque Iſaaco fœtam in aulam Regis Abimelechi (is erat ea ætate fœminæ decor) rapuere. Deo autem dira per quietem Abimelecho minitante, ille ſummo manè ſurgens, virum accivit, atque primò fraudem exprobravit; qui ſcilicet uxorem ſuam ſub ſororis obtentu expoſuiſſet. Ille excuſare factum, quod natam ea eodem patre, quamquam matre alia, ſororem appellaſſet. Demum Rex utroſque dimittens, virum ingentibus muneribus proſequutus eſt; fœminæ verò 1000. argenteos nummos, ut velum ad tegendam ſibi faciem emeret, largitus eſt; ne unquam, ait, in ſimile diſcrimen te incidere contingat.

Altero anno natus filius, cui (b) mater nomen indidit *Iſaac*, nempe *Riſus*, ad riſum nempe, quo promiſſiones ſibi factas à Deo olim exceperat, ſive ad gaudium de filio genito alludens. Lacte ſuo mater filium enutriens, tandem poſt triennium, ut vulgò creditur, ablactavit; cujus diei ſolemnitatem Abraham feſtivo convivio cum amicis celebravit. Non diù poſt (c), Sara filium ſuum cum Iſmaele ludentem, ſive juxta Apoſtolum, *Galat.* 4. 29. ab eodem Iſmaele iniquiùs habitum nacta, Abrahamum monuit, ut expulſo ancillæ nato, hæreditatem ſuam Iſaaco ſervaret. Abraham invitus primùm, ſed mox à Deo monitus, tandem acquieſcens ancillam ejuſque filium remiſit, ut v. *Agar*, & *Iſmael* diximus.

De cæteris Saræ geſtis uſque ad ejus obitum nihil in Scriptura. Aliquibus ergo annis poſt exhibitum ab Abrahamo fidei in Deum ſuæ ſpecimen, deducto ad immolandum Iſaaco (d), Sara 127. annorum grandæva diem clauſit in Valle Hebronis. Aberat eo tempore Abraham, qui de Berſabee ad funus uxoris ſuæ veniſſe in ſacra Scriptura perhibetur. Defunctæ autem corpori curando è valle in urbem ſe conferens, ab Hephrone Amorrhæo agrum emit cum ſpelunca in petra exciſa, ubi duo intacta monumenta condebantur. Textus Vulgatæ hanc ſpeluncam duplicem appellat; ſed Hebræus legit *Macphela*, quod fortè agri nomen eſſe poterat. Sunt qui conſilium de immolando puero uxori Abrahamum non communicaſſe, niſi poſt regreſſum è Moria, autumaverint. Alii falſo de nece filii nuncio, ſubito dolore correptam credunt. *Rabbin. quidam apud Toſtat. in Gen.* 23.

Joſephus ſtatim ab eo ſacrificio obiiſſe narrat; ſed ſupputatis juxta ejus calculum annis, ad duodecim poſt illud annos vitam produxiſſe debuit. Quo enim tempore Iſaac ad ſacrificium deductus eſt, 25. ætatis annos agebat; natus eſt autem anno Matris 90. obiit verò Sara 127. annis grandæva. Hinc Uſſerius duo hæc ſtata ſive 12. annis diſterminat. Inter mulieres Propheſtides V. T. à Thalmudiſtis & S. Epiphanio recenſetur.

(Sara uxor Abrahami, filia, ſi fides ſit Orientalibus, Nachor, & neptis Thare, quare & Patriarchæ hujus Mater. Porrò Saræ Mater fuit altera Sara, filia Thare, ex Tahoviah ſecunda ejus conjuge; prior enim Uxor *Jounah* genuit Abrahamum.)

II. SARA, filia Beriæ è Tribu Ephraim, quæ ædificandas ſive reparandas curavit urbes Bethoronem ſuperiorem, & inferiorem, ac Ozen-Saram. 1. *Par.* 7. 24.

III. SARA, filia Patriarchæ Aſer. *Num.* 26. 46.

IV. SARA, filia Raguelis ex Anna, e Tribu Nephtali, & cognatione Tobiæ. Hanc parentes unicam habentes filiam ſeptem ordine viris nuptum tradentes, totidem ante congreſſum ſubito eventu oppreſſos invenere (e): quod Aſmodæi Dæmonis invidiæ tribuebatur.

Accidit interea, ut ancilla quædam à Sara correpta, graviùs id ferens, necem virorum exprobrans, nunquam filios edituram imprecaretur. Sara gravi his verbis accepto vulnere, in conclave ſeſe ſolitaria recipiens, toto triduo jejuna orationi inſtitit. Tertio tandem die preces ſuas claudens, rogavit Deum patrum ſuorum, ut illud à ſe ludibrium averteret; quippe quam ſciret nullis unquam ſe conjugii illecebris teneri, nec niſi propoſito ab aliis viro in Dei timore acquieviſſe. Quare, ait, vel junctis mihi hactenus viris, ego, vel ipſi me, alteri deſtinata, indigni habiti ſumus.

Cùm eas puella preces funderet, Tobias etiam ſenior pro ea, qua tenebatur cæcitate, Deum pariter rogabat: quare utriuſque vota Deus impleturus, Angelo Raphaeli ambos commiſit. Tobiæ hiſtoriam ſuo loco dabimus. Igitur Tobias junior, Angelo Raphaele ſub virili forma itineris ductore, ad Rages pergebat. Cùm fortè juxta Ecbatanam ambo perveniſſent (f), quærenti Tobiæ hoſpitium, Angelus verſari ibidem Raguelem quendam contribulem, & neceſſarium ipſius monuit; cujus filiam Saram parentibus unicam, ipſe de Legis præſcripto, utpotè cæteris cognatione propinquior, ducere debebat; illque nuptiis puellæ parentes, ſi ab ipſo rogarentur, aſſenſuros. Tobias metuere ſe dixit, ne ſibi eadem, quæ cæteris olim puellæ viris, contingerent; ſed ab altero bono eſſe animo juſſus, monitus, quo corporis & animi habitu ad conjugium accedere oporteret, ambo ad Raguelem ſe contulerunt. *Tob.* 7. 1. Cùm veniſſent, Tobias puellæ nuptias requiſivit; cui parentes ab Angelo confirmati, ne quid infortunii conſanguineo ſuo ea in re metuerent, faciles acquieverunt. Huic conjugio celebrando neque parentum plauſus, neque publici chirographi fides, neque tandem ſolemnium conviviorum pompa deſiderata eſt.

Sub veſperam Tobias in ſponſæ thalamum introductus, *Tob.* 8. 1. piſcis jam in Tigri capti jecur è pera producens, prunis impoſuit. Fumi ex eo ſublati odorem Dæmon non ferens, è loco depulſus, ab Angelo Raphaele in deſerto ſuperioris Ægypti alligatus eſt. Hæc non oculis quidem, ſed ipſo rei eventu, Tobia nihil incommodi à Dæmone experto, explorata ſunt. Juxta eam, quæ modò obtinet, de Angelis & Dæmonibus opinionem, non facilè in animum inducimus, qui fieri potuerit, ut Dæmones fumi odore afficerentur, ac depellerentur. In Veterum quidem ſententia hæc omnia pervia. Sed utraque miſſa opinione, facilè credimus, fumi odorem re quidem non depuliſſe, ſed eo ſublato, Angelum veluti dato ſigno, adverſarium è loco cedere coegiſſe. Jecoris etiam ardentis odor voluptatis in conjugibus pruritum compeſcere potuerat; ex quo facilè efficeretur, ut tribus ſuccedentibus noctibus ſeſe à congreſſu continentes, fœdiſſimi Dæmonis vim omnem eluderent.

Cæterùm de alligatione Dæmonis ſæpe Scriptura; *Matth.* 12. 29. *Marc.* 3. 27. *Apoc.* 20. 2. & 2. *Petr.* 2. 4. *Judæ v.* 6. nec apud Prophanos inſueta phraſis ad exprimendam vim & authoritatem Dæmonis ſuperioris in inferiorem, cujus aliquando ope, ſive per ſortilegia & incantationes, ſive herbarum & oſſium ſuperſtitione implorata, minores illi ſpiritus in ordinem rediguntur. In Scriptura tamen & communi Eccleſiæ ſenſu nihil ad cohibendos Dæmones prodeſſe intelligimus, niſi nomen Jeſu Chriſti, Sanctorum preces, adjurationes, & alia quædam ſpiritualium armorum genera. Quare alligatum ab Angelo Raphaele Dæmonem in ſuperiori Ægypto vi tantùm, atque Dei authoritate interpretamur (g).

(a) Gen. 20. 1. &c. eodem anno.
(b) Gen. 21. 1. &c. A. M. 2108. ante Ch. 1892. ante Ær. 1896.
(c) A. M. 2113. ante Ch. 1887. ante Ær. 1891.
(d) Hoc Uſſerius conſignat ad A. M. 2133. obitum verò Saræ ad 2145.
(e) Tob. 3. 7. &c. circa A. M. 3322. ante Ch. 678. ante Ær. 682.
(f) Tob. 6. 10. &c. A. M. 3322. ante Ch. 678. ante Ær. 682.
(g) Vide noſt. Diſſert. de Aſmod. ante Comment. in Tob.

Digitized by Google

Ut ad Saram regrediamur, ambo conjuges nuptiarum celebritate abſoluta, Ninivem ad Tobiam ſeniorem ſe receperunt. Florentiſſimæ poſteritatis mater effecta eſt; atque poſt obitum ſenioris Tobiæ unà cum viro & tota familia, atque nepotibus Ecbatanam apud patrem ſuum divertit. *Tob.* 14. 14. 15. Oraculo enim ſenioris Tobiæ didicerant, exitium jam Ninives imminere; cui proinde evitando, debere illos actutum urbem deſerere. Emortualis Saræ annus latet; vixiſſe tamen conſtat ultra A. 3363. ante Ch. 637. ante Ær. 641.

I. SARAA, urbs Judæ, condita, ſive munita à Roboamo. 2. *Par.* 11. 10.

II. SARAA, ſive *Tzora*, urbs Danitica, patria Samſonia, *Joſue* 19. 41. Tribubus Dan & Judæ finitima, haud procul ab Eſthaol. Hanc urbem Euſebius ſitam perhibet juxta Caphar-Sorec 10. m. paſſibus ab Eleutheropoli, Nicopolim verſus (a). *Saraita*, 1. *Par.* 2. 53. & *Sarathi*, 1. *Par.* 4. 2. ejuſdem urbis incolæ videntur.

SARA, *Thamnat-Sara*. Vide *Thamnat-Sara*.

SARABATHA, ſive *Sabaratha*, patria Sophoniæ Prophetæ, authore S. Epiphanio (b).

SARABALLA. Tres Hebræi juvenes in fornacem conjecti, illæſi ſervati ſunt, & *Saraballa eorum non ſunt immutata* (c). Porrò vox eſt Chaldæa, in edicto originali Nabuchodonoſoris etiam occurrens. *Dan.* 3. 21. Aquila, Theodotion, & Symmachus legerunt *Sarabara*; quam etiam lectionem ſervat Tertullianus de pallio c. 4. & de Trinit. narrans, Alexandrum Magnum militari Græcorum chlamyde abjecta, ſarabara devictarum gentium induiſſe. Sarabara autem erant femoralia, ſive inſtitæ, quibus crura, & coxendices obvolvebantur. Interdum *Sarabara* capitis ornamentum deſignat (d).

(SARAC vel SARACUS, alio nomine *Chinaladan*, ſtatim poſt Saoſduchin in Aſſyria Rex, ab A. M. 3356. ante Chr. 644. ante Ær. 648. uſque ad A. M. 3378. ante Chr. 622. ante Ær. 626. quare in Regno egit 22 annos. Celebratur idem ejus Regnum in hiſtoria, quòd ejus ætate factum ſit, ut *Nabopolaſſar*, & *Aſtyages*, (ille Babylonius genere, & Imperator copiarum Sarac, hic filius Cyaxaris Regis Medorum) juncto ſimul fœdere obſidione urgerent Ninivem, qua tandem capta deturbarunt Sarac, ſibique imperium diviſerunt. Aſtyages regnavit in Media, Nabopolaſſar in Aſſyria. Inſignis eſt hujus rei geſtæ epocha inter Chronologiſtas; quam aſſignamus cum Uſſerio ad A. M. 3378. ante Chr. 622. ante Ær. 626.

SARACENI. Nomen quidem Saracenorum nullibi occurrit in Scriptura; viciſſim autem meminit ſæpè Arabum, Agarenorum, Iſmaelitarum, qui in unam cum Saracenis gentem coaluerunt. Porro Saracenorum nomen audiri cœptum eſt primùm ſæculo quinto; unde verò ejus etymon deductum ſit, incertum. Derivant alii (e) ex Sara Abrahami, veluti ſi gens illa, quæ originis ſuæ authores habet Agar & Iſmaelem, genus illud probro ducens, adoptaiſſet ſibi nomen *Saracenorum*, vel filiorum Saræ, pro *Agarenorum* vel filiorum Agar. Quod autem ſententiam hanc planè evertit illud eſt, nimirùm à Priſcis olim appellatos fuiſſe *Sara Kenoi* & non *Sarenoi*, vel planiùs *Sarſenoi*, uti quidem reipſa nuncupati fuiſſent, ſi nomen referrent ex Sara.

Nomen *Sarakeni* ea Arabico *Sarak*, prædari, furari, accerſit Scaliger. Alii ex Urbe *Scharakah*, vel *Scharakiah* in Arabia. Utcumque res habeat iſte, illud conſtat, ad Chriſtiana ſacra tranſiiſſe ſæculo ſeptimo, quòd Terebon eorum Princeps virtutem nominis Jeſu præſentiſſimam in valetudine è graviſſimo morbo ſenſit; ſed brevi factum eſt, ut in Mahometiſmum degenerarent, quem inter primores ſecuti ſunt. Conſidebant in Arabia felici ad fines Arabiæ Petrææ; regionis ſuæ Metropolim agnoſcentes *Satrippam* hodie *Medinam*. Nulla hodie gens innoteſcit ſub nomine Saracenorum; abierunt enim in appellationem Turcarum, & Arabum.)

SARAIM, urbs Tribus Judæ (f), quæ & *Soraa* & *Zoraa*, vel Saraa dicitur (g). Vide *Saraa I.*

SARAI, primum uxoris Abrahami nomen, quod deinde in Saram transformatum eſt. V. *Sara*.

SARAI, vir inter eos, qui duxerant alienigenas fœminas poſt captivitatem Babylonicam remiſerunt. 1. *Eſdr.* 10. 40.

I. SARAIA, Scriba Davidis 3. *Reg.* 8. 17.

II. SARAIA, pater Joabi, è Tribu Judæ. 1. *Par.* 4. 14.

III. SARAIA, filius Azielis, & pater Joſabiæ. 1. *Par.* 4. 35.

IV. SARAIA, ſummus Sacerdos Judæorum poſt Azariam, & pater Joſedechi, omnium poſtremus, qui ante captivitatem ſacerdotium habuerint. A' Nabuzardano ad Nabuchodonoſorem Reblatam deductus, neci ejuſdem juſſu traditus eſt, unà cum 70. Jeroſolymæ Principibus (h). Joſedech filius Saraiæ Babylonem captivus deductus eſt.

V. SARAIA, inter primores Judæorum, qui Eſdram è captivitate regredientem comitati ſunt (i).

VI. SARAIA, filius Tanehumethi, oriundus è Netophath, 4. *Reg.* 20. 3. Jeremiæ 40. 8. *Sareas*.

VII. SARAIAS, filius Neriæ, frater Baruch, *Baruc.* 1. 1. *Jer.* 32. 12. ſocius & ſcriba Jeremiæ. Legatione functus eſt Babylonem ad Nabuchodonoſorem (k); ipſe autem *Princeps erat Prophetiæ*, ſive legationis, ſummæ rei arbiter. Hebræus legit: *Princeps Menacha*, ſive quòd huic urbi ſeu regioni in Tribu Benjamin præeſſet (l); ſive quòd Præfectus eſſet quietis, nempe Regii cubiculi; vel tandem Princeps munerum, quæ ſcilicet Rex largiebatur, vel Præfectus oblationum Regiarum Templo, aut tandem in ea legatione exhibendis vectigalibus, & muneribus Sedeciæ ad Nabuchodonoſorem deſtinatus eſt; quod cum Vulgata congruit.

Miſſus igitur Saraias à Sedecia (m) Babylonem, epiſtolam etiam Jeremiæ ad captivos ejuſdem regionis detulit. In ea oraculum everſionis Babylonis edicebatur; juſſuſque eſt Saraias lectam illam lapidi alligare, utrumque verò in Euphratem projicere, his ſimul verbis pronunciatis: Ita Babylon demergetur, neque unquam emerget. Baruch in ea legatione fratri adhæſit. Vide *Baruc.* 1. 1.

SARAPH, nomen viri, quod in Vulgata redditur incendens: 1. *Par.* 4. 22. *Securus, & Incendens, qui fuerunt Principes* (Hebræus Iacob, & Saraph) *in Moab.* Porrò duo iſti viri ipſiſſimi reputantur cum Chelione & Mahalone filiis Elimelechi, viris Ruth, & Orphæ fœminarum Moabitidarum (n).

SARAPH, anguis alis inſtructus in Arabia frequens, quem Deus in Hebræos obmurmurantes immiſit: *Num.* 21. 6. *Miſit in eos ignitos ſerpentes*; Hebræus *Serpentes Seraphim*. Vide *Serpens*.

SARA-

(a) Vide Euſeb. in Sara, & Sorec.
(b) De Vita & Morte Prophet.
(c) Dan. 3. 94. Vide & Chaldæum in verſ. 21.
(d) Vide Salmaſ. in Tertull. de Pallio c. 4. Du Cange Gloſſar. Sarabara.
(e) Sozom. & alii nonnulli.
(f) Joſue 15. 36. & 1. Reg. 17. 52. & 1. Par. 2. 54. *Dimidium requietionis Sarai*. Vide Antiq. l. 8. c. 3.
(g) 2. Par. 11. 10. (h) Jerem. 52. 24. ... 27. & 4. Reg. 25. 18. 21. A. M. 3416. ante Ch. 584. ante Ær. 588.
(i) 1. Eſdr. 2. 2. & Eſdr. 10. 2. & 12. 1.
(k) Jerem. 51. 59. A. M. 3409. ante Ch. 591. ant. Ær. 595. Sedeciæ an. 4. (l) Vide Par. 2. 52. 54. & 8. 6.
(m) Vulgata Jerem. 51. 54. habet, Sedeciam Babylonem veniſſe, Saraia comitante: Sed Hebræum reddi poteſt, quod plures malunt, cùm pergeret à Sedecia Rege Babylonem. (n) Vide Ruth. 1. 2. 4.

SARASA, nomen urbis, ubi Samſonis monumentum, *Judic.* 16. 31. apud Joſephum *Antiq.* l. 5. c. 10. *Saraa.*

SARASAR, alter Sennacheribi Regis filius, qui patrem in Templo Neſroch interfecit. 4. *Reg.* 19. 37. *Tob.* 1. 24.

SARASAR, & *Regom-melech*, Judæi Babylonii, qui de jejunio quinti menſis Zachariam Prophetam conſuluerunt. *Zach.* 7. 2. V. *Regom-melech.*

SARET-ASAR, urbs Rubenitica, in Transjordanicis. *Joſue* 13. 19.

SARATHI, 1. *Par.* 4. 2. iidem, ac *Saraitæ*, incolæ *Saraæ* urbis Daniticæ. 1. *Par.* 2. 53.

SARDANAPALUS, Aſſyriæ Rex, cujus quidem nomen in Scriptura non legitur; ſed ipſiſſimus videtur, qui prædicationibus Jonæ territus, reſipuit, *Jonas* 3. 6. & ab Arbace Satrapa Mediæ, & Beleſi Satrapa Babyloniæ Regno exutus eſt. Huic patrem fuiſſe credimus *Phul*, ſive *Pul*, Regem Aſſyriæ, qui Manahem Regi Iſraelis ſuppetias tulit; 4. *Reg.* 19. 20. & 1. *Par.* 5. 26. Sardanapalus enim legi poteſt *Sardan-pul.* Vide *Phul.* Beleſus Babyloniæ Satrapa idem videtur, ac *Baladan* (a), apud Prophanos *Nabonaſſar.* Primum Sardanapali annum Uſſerius conſtituit in an. M. 3237. ante Ch. 763. ante Ær. 767. Viginti annis, juxta Euſebium, & Julium Africanum, Ninive regnavit, luxu, divitiis, otio, & animi mollitie ita diffluens, ut in proverbium tranſierit. Omnis ejus cura, otioſa cum fœminis conſuetudo, quibuſcum totum Reipublicæ deſtinatum tempus fallebat (b). Effœminati Principis pertæſi duo Satrapæ Arbaces, & Beleſus, totis viribus exercitum, ex Medis, Perſis, Babyloniis, & Arabibus 400000. viris conſtantem in ipſum armarunt. Tribus præliis fracti, quarto tandem defectione ad ſe Bactrianorum aucti, caſtra hoſtium noctu adorti, omnes loco cedere coegerunt. Tunc Sardanapalus commiſſis Salæmeni fratri uxoris ſuæ copiis, in Regiam ſeceſſit; quem brevi hoſtes, prælio victo Salæmene, inſequentes, arcta obſidione urbem ſtrinxerunt. Rex belli eventum metuens, tres filios, duaſque filias in Paphlagoniam ad Cottam ejus provinciæ Præfectum ſecuritatis gratia tranſmiſit; dein novis militum præſidiis, ſimulque ingenti comparata annona, hoſtibus ſuſtinendis ſe comparavit. Triennio igitur urbs fruſtrà à Satrapis tentata eſt; producenda etiam diutiùs obſidio videbatur, niſi Tigris imbribus tumens, aquarum vi mœnibus disjectis ſpatio 20. ſtadiorum, ſive 2500. paſſuum, urbem intrmaſſet.

Tunc Sardanapalus imminens urbis exitium intelligens, conſtructa in medio aulæ pyra, divitias primùm omnes, immenſas planè; dein concubinas, & eunuchos, ſeque cum cæteris concremavit. Reductis in alveum aquis, hoſtes nullo negotio in urbem evaſere. Hic Imperii Aſſyriorum, poſt 520. annorum (c) ſpatium, finis. Arbaci Medorum Regnum, Beleſo, ſive Nabonaſſaro, vel Baladano, Babyloniæ ceſſit. Suus nihilominus Aſſyriis Rex manſit, qui ſolam Aſſyriæ provinciam anguſtiſſimis terminis contractam habuit. Hujus Regis nomen apud Prophanos *Ninus junior*; apud Authores Sacros *Teglat-phalaſſar* (d).

SARDES, urbs Aſiæ minoris, olim ſub Crœſo Rege Lydiæ Metropolis. S. Joannes Apoſtolus Jeſu Chriſti nomine epiſtolam ad Angelum, nempè Epiſcopum Sardium dedit, in hanc ſententiam *Apoc.* 3. 1. *Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei: ſcio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis* (verbum veritatis) *& audiveris, & ſerva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram patre meo, & coram Angelis ejus.*

Hujus Epiſcopi nomen incertum; quamquam alii Melitonem celeberrimum ejus urbis Epiſcopum, & noſtræ Religionis Apologiſtam ſub M. Aurelio ſuſpicantur (e). Quæ ſi vera eſſent, faterемur oportet, ultra 75. annos illum Epiſcopi munus geſſiſſe; quod ſanè ut credamus, vix in animum inducere poſſumus, cùm ex Diſcipulis Apoſtolorum neminem vitam diutiſſimè produxiſſe uſpiam legamus. Porrò tantam ætatem temerè huic viro tribuere ob rem quidem non ſatis ipſi honorificam, religioni ducimus: neque enim Angelus Sardium apud Apoſtolum ſatis obſervatur.

SARDIUS LAPIS (f), Hebraicè *odem*; quod ſonat rubedinem; hinc aliqui pyropum verterunt. Hæc gemma rubro albeſcenti nitet, unguis humani inſtar.

SARDONIX, ac ſi diceretur Sardius onychi junctus. Porrò *onyx* gemma eſt, Gallis vulgo *cornaline*, albo rubeſcentis unguis non revulſi inſtar infecta. Hebræum *ſcoham* *Job.* 28. 16. potiùs ſmaragdum ſignans, redditum eſt *Sardonichus lapis.*

SAREA, urbs Juda. *Joſue* 15. 33.

SAREAS. Vide *Saraias VI.* (g).

SARED, filius Zabulonis, natu major; *Gen.* 46. 14. *Num.* 26. 26. & author familiæ *Saredítarum.*

SAREDA, urbs Ephraimitica, patria Jeroboami filii Nabat; 3. *Reg.* 11. 26. eadem facile, ac *Saredata*, & *Sarthan.* Vide ſtatim.

SAREDATA, 2. *Par.* 4. 17. alio nomine *Sarthan* 3. *Reg.* 7. 46. urbs Ephraimitica, in qua pleraque ænea opera in uſum Templi Salomonis ab Hiramo conflata ſunt. Cùm Hebræi Jordanis alveum ſicco pede tranſirent, aquæ fluminis ad Sarthan uſque refluere viſæ ſunt. *Joſue* 3. 16.

SAREPTA, urbs Sidoniorum in Phœnicia, inter Tyrum, & Sidonem ad Mediterraneum; Plinio, & Stephano *Sarepta*; Arabibus *Tzarphand*; Joſepho, & Græcis *Sarephta*, ſivè *Saraphta*; Judæis *Zarphat.* Hanc urbem Scheriſ-ibnidris Geographus Arabs 20. m. paſſuum à Tyro, & 10. à Sidone, hanc ad ſeptentrionem, illam ad meridiem habentem, collocat. Elias Propheta in ea urbe in domo fœminæ pauperculæ, quo tempore fames regnum Iſraelis vaſtabat, verſatus eſt. 3. *Reg.* 17. 9. 10. Ea domus inſtar parvæ turris ætate S. Hieronymi (h), & diutiùs poſt illum, ſtabat. Dein in eodem loco in urbis meditullio Templum ædificatum eſt. Sareptæ vinum apud Antiquos celebratur (i).

... Et dulcia Bacchi

Munera, quæ Sarepta ferax, quæ Gaza crearat:

Porrò vinum illud generoſum adeò fuiſſe ferunt ut vel ſextarium ejuſdem ſtrenuis potatoribus in menſem ſufficeret (k). Porrò ſextarium cum pinta Pariſienſi Budæus confundendum cenſet. Tanta urbs hodie ad parvum vicum in montis vertice 5000. paſſibus à mari, redacta eſt. Sunt, qui nomen loco inditum ex metallis, ſivè vitro, quod in ejus potiſſimum ſolo fundebatur; *Zaraph* enim Hebraicè ſonat, metalla, ſivè

(a) Iſa. 39. 1. & 4. Reg. 20. 12 (b) Vide Juſtin. l. 1. Diodor. Sicul. l. 2. Cteſiam, Athenæum l. 12.
(c) Vide Herodot. l. 1. c. 95. A. M. 3252. ante Ch. 743. ante Ær. 747.
(d) Vide 4. Reg. 15. 29. & 16. 7. 10. & 1. Par. 5. 6. 26. & 2. Par. 28. 20.
(e) An. Ch. 170. ſeu 175. Vide Halloix in Melitone.
(f) Exod. 28. 17. 39. Ezech. 28. 13. Apoc. 21. 20.
(g) Confer. 4. Reg. 25. 23. & Jer. 40. 8.
(h) Vide Hier. Epitaph. Paulæ, & itiner. Antonin. Mart. & Phocæ.
(i) Coripp. l. 3. Vide & Fortunat. de vita S. Martini... Sarepta Lucida perſpicuis certantia vina lapillis.
(k) Fulgent. l. 2. Mytholog.

ſivè aliud quodcumque liquare. Jupiter in taurum transformatus, Europam in eadem urbe rapuit.

SARERA, patria Ezechielis Prophetæ, juxta S. Epiphanium.

SARES filius Phares, ex Machir. 1. *Par.* 7. 16.

SARGON, Rex Aſſyriæ; an *Aſſa-radon*? *Iſa.* 20. 1. Vide *Aſſar-adon*.

SARID, *Joſue* 19. 10. urbs Zabulonis. Nomen *Saridim* legitur *Joel.* 2. 32. quod loci nomen eſſe Theodotion autumavit: S. Hieronymus vertendum cenſuit *reliquias*; quamquam nomen loci apud Judæos haberi fatetur.

SARION, ſive *Sebirion*, nomen montis Hermon Sidoniis. *Deut.* 3. 9. Vide *Hermon*.

SAROHEN, urbs Tribus Simeonis; *Joſue* 19. 6. an altera à *Sabarem*?

SARON, ſive *Sarona*, cujus nominis triplex regio in Palæſtina occurrit. Porrò nomen illud de amœniſſimo, & uberrimo ſolo proverbii loco uſurpatur. Vide *Iſa.* 33. 9. & 35. 2.

I. SARON, regio inter montem Thabor, & mare Tiberiadis. *Euſeb. & Hieron. in Saron.*

II. SARON, regio inter urbes Cæſareæ Palæſtinæ, & Joppes (a).

III. SARON, regio transjordanica, in Baſanitide, ditionis Tribus Gad. 1. *Par.* 5. 16. Cùm nullam eſſe regionem hujus nominis in transjordanicis Relandus ſuſtineat (b), paſcendas oves in regionem urbibus Joppe, Cæſareæ, & Lyddæ finitimam Gadditas deduxiſſe ſuſpicatur. Sed locorum diſtantia major videtur, quàm ut Relando credamus. Cæterum Baſanitis regio erat amœnitate, & ubertate ſoli nulli ſecunda.

IV. SARON, apud recentiores Itinerantes nomen eſt agri inter Ecdippum, & Ptolemaidem.

V. SARON, urbs, cujus Regem prælio captum Joſue necavit. *Joſue* 12. 18. Urbs etiam hujus nominis in Actis 9. 35. deſignata videtur. *Qui habitant Lyddæ & Sarona*; & in 1. *Par.* 27. 29. nomen legimus *Setrai Saronites*; facilè tamen in iis nomen regionis, non urbis exprimitur.

SAR-SACHIM, inter Duces exercitus Babyloniorum; *Jerem.* 39. 3. dignitatis nomen eſt, ſonans Principem Pincernarum.

SARTHAN, ſive *Sarthana*, urbs, aliis ad orientem Jordanis, aliis ad occidentem amnis ſita. Vide 4. *Reg.* 4. 12. Iſraelitis Jordanis vada tenentibus, amnis aquæ Sarthan uſque refluxerunt *Joſue* 3. 16. In ſolo inter Socoth & Sarthan, ingentis operis vaſa ad uſum Templi Salomonis ex ære conflata ſunt 3. *Reg.* 7. 46. *Sarthan*, *Saredata*, 2. *Par.* 4. 17. & fortè etiam *Sareda*. 3. *Reg.* 11. 26. patria Jeroboami filii Nabat, unus idemque locus habendæ ſunt.

SARUG, filius *Rehu*, ſive *Ragau* (c), qui poſt genitum anno 30. ætatis Nachorem filium, ad 200. ulteriùs annos vitam produxit. Obiit A. M. 2049. ante Ch. 1951. ante Æt. 1955.

SARVIA, ſoror Davidis, & mater Joabi, Abiſai, & Hazaelis. 2. *Reg.* 2. 18. & 1. *Par.* 2. 16.

SASAI, ex filiis Enac, quorum aliquos Caleb delevit. *Joſue* 15. 14.

SASSABASAR, Princeps Juda, cui vaſa Templi Jeroſolymitani numerata Cyrus reſtituit. 1. *Eſdr.* 1. 8. Plerique cum Zorobabele confundendum cenſent; cui nomen Saſſabaſar apud Babylonios, quemadmodum Danieli Balthaſar, obtigerit. Sanè de Zorobabele *Zach.* 4. 9. non ſecùs ac de Saſſabaſare, 1. *Eſdr.* 5. 16. Templum condidiſſe ſcriptum legimus. Aliqui Saſſabaſarem Principem eſſe Perſam ad Judæam adminiſtrandam miſſum, quam ſanè præfecturam geſſiſſe Zorobabelem non conſtat, contendunt. Porrò Saſſabaſarem, ſive ut illi legunt *Sammanaſarem*, Judæam Provinciam obtinuiſſe Græci conſentiunt. Vide Interpp. in 1. *Eſdr.* 1. 8.

SATUM, Hebraicè *ſeah* (d), menſura Hebræorum cava, novem pintas ac dimidiam, ſemiſextarium, quartam pintæ partem & quatuor pollices cubicos, & aliquantò amplius capiens. Vide tabellam menſurarum.

SATAN, vel *Sathan*, Sathanas, vox Hebræa, ſonans adverſarium, delatorem, quam Septuaginta & Vulgata ſæpè adverſarium reddunt. Ita Satrapæ Philiſtinorum Regem Achis ad remittendum Davidem coegerunt, *Ne*, dicentes, *fiat nobis adverſarius*, verſis in noſtros armis 1. *Reg.* 29. 4. Dominus *adverſarium Salomoni ſuſcitavit*, nempè Adad, & Razonem. 3. *Reg.* 11. 14. 23. 24.

Interdum S. Hieronymus eodem ſenſu Sathan in Vulgata ſervavit. *Non eſt Sathan* (adverſarius) *neque occurſus malus*. 3. *Reg.* 5. 4. Filii Sarviæ, *Cur efficimini mihi hodie in Sathan?* nempè adverſarii. 2. *Reg.* 19. 22.

Sæpè Sathan eſt Dæmon; ut in illo Jobi 1. 6. 7. & 2. 1. 8. &c. *Cùm veniſſent filii Dei, adfuit inter eos etiam Sathan; cui dixit Dominus, unde venis?* & in Pſalmo 108. 6. *Sathanas ſtet à dextris ejus*, nempè ut accuſationem in illum inſtituat; & apud Zachariam 3. 1. 2. *Sathan ſtabat à dextris ejus*.... *& dixit Dominus ad Sathan: increpet Dominus in te*.

In N. T. utramque hanc ſignificationem ſervat. Ita Chriſtus ad Petrum: *Vade retro Sathana*, nempè hoſtis meus, *ſcandalum mihi es*. *Matth.* 16. 23. *Marc.* 8. 33. Sæpiùs tamen pro Dæmone uſurpatur: *ſi Sathanas Sathanam expellit, quomodo ſtabit regnum ejus? Matth.* 12. 26. *Marc.* 3. 23. Et in Apocalypſi 20. 2. *Qui eſt Diabolus, & Sathanas*.

(Sathanas perinde valet interdum in Scriptura ac Accuſator, ſeu qui diem in alium dicit, quam magis literalem nominis ſignificationem arbitror eſſe. *Oſtendit mihi*, ait Zacharias 3. 1. *Dominus Jeſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini, & Sathan ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei*. Septuaginta vocem illam vertunt *Diabolus*, quod ſonat pariter adverſarium, calumniatorem, accuſatorem. Sathan vel accuſator patet ad dexteram Jeſu, quemadmodum & in Pſ. 108. 6. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus*. (Hebr. Satan) *ſtet à dextris ejus*. Proſequitur Zacharias: *Dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te, Satan*; ſycophantam exſufflet & prava conſilia tua evertat.

Eò pariter refertur illud S. Judæ ℣. 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore*. (Diabolus enim conabatur illud revelare filiis Iſrael ad ſuperſtitioſi cultus offendiculum) *non eſt auſus* (Michael) *judicium inferre blaſphemiæ*; (maledictis illum retundere) *ſed dixit: Imperet tibi Dominus*; i. e. coerceat. Diabolus hic ipſe eſt *Sathan* Zachariæ.

ANGELUS SATANÆ. Vide ſupra v. *Angelus*.

REGNUM SATANÆ. Exhibet nobis Chriſtus in Evangelio *Matth.* 12. 26. *Marc* 3. 23. *Luc.* 11. 18. Sathanam tanquam imperium ſuper cæteros ſubjectos Dæmones gerentem. Beelzebub Regem agit. Si Beelzebub, ait, alios Dæmones pellit, Imperium habet diviſum, laboratque everſioni ſuæ, quod fieri ab illo nunquam pronum eſt ut credamus. Calumnias igitur in me ſtruitis, cùm pellere me Dæmones accuſatis in nomine Beelzebub. S. Paulus *Actuum* 26. 18. de Sathanæ ditione eſſe dicit quicunque extra religionem Jeſu Chriſti facti ab ejus imperio ſunt alieni. S. Joannes, *Apoc.* 20. 7. prænunciat futurum, ut poſt mille annos ſolutus ab inferno carcere Sathan liber diſcurrat gentibus ſeducendis.

SY-

(a) Euſeb. & Hieron. loc. cit. Vide Hieron. in Iſai. 33. & 65.
(b) Palæſt. l. 1. c. 55. p. 370. & l. 3. p. 988.
(c) Gen. 11. 20. &c. A. M. 1819. natus.
(d) Septuag. Σάτον ſive μέτρον, vel ἰφὶ Ephi.

SYNAGOGA SATANÆ, de qua idem *Apoc.* 2. 9. 13. ſunt facilè Judæi increduli, qui præpoſtero ſtudio Legis Moſaicæ tenebantur, ſed prioribus illis Eccleſiæ ſæculis infeſtiſſimos Chriſtianorum adverſarios ſeſe præbebant. Crebri erant Smyrnæ, ubi S. Polycarpus, ad quem S. Joannes ſermonem hic dirigit, Epiſcopum agebat.

ALTITUDINES SEU PROFUNDITATES SATANÆ. Ad Fideles Thyatiræ ſcribens S. Joannes, *Apocal.* 2. 24. denunciat ex illis plures *non cognoviſſe altitudines Satanæ*, i. e. myſteria Nicolaitarum, & Simonianorum, profundo myſterio abſurdos errores ſuos tegentes; obtrudebant enim neſcio quas mentes creatrices mundi, ſed Creatori oppoſitas; docebantque abſtruſum quoddam de natura Angelorum, variiſque illorum gradibus; ſervabant arcanos Libros myſtica profunditate ſcriptos; quæ omnia S. Joannes appellat altitudines Satanæ.

TRADI SATANÆ, eſt abjici à communione, & permitti ad tempus Satanæ, qui malè gentes illas, ea pœna merito criminum ſuorum affectas, excipiebat, & viſibili cruciatu torquebat; S. Paulus, 1. *Timoth.* 1. 20. tradidit Satanæ Hymenæum & Alexandrum: *Ut diſcant*, ait, *non blaſphemare*. Eodem ſupplicio affecit inceſtum hominem Corinthium *in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*. 1. *Cor.* 5. 5.

Miſſi à Jeſu Chriſti Diſcipuli ad prædicandum per Urbes & caſtella Judææ, reduces tandem non ſine ingenti animi voluptate expoſuerunt *Luc.* 10. 8. *Domine etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*. Tunc Jeſus: *Videbam Satanam ſicut fulgur* (ſicut ſtellam) *de Cælo cadentem*. Spectatus hîce videtur Textus Iſaiæ 14. 12. *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* deſignabat autem Regnum Dæmonis ruere in exitum. *Luc.* 22. 32. narrat Chriſtus Simoni Petro, Sathanam expetiiſſe ſibi illos ut *cribraret ſicut triticum; ego autem*, ait, *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; inſinuans hiſce vanos Dæmonis conatus ad evertendam naſcentem Eccleſiam.

Animadverſum eſt alibi corporis morbos pleroſque tribuiſſe Hebræos operationi Sathanæ: *Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die Sabbati?*

Hiſce omnibus Textibus, ubi de Sathan vel Dæmone agitur, ſimul collectis intelligimus, cecidiſſe illum è Cælo una cum aſſeclis, deturbatumque à Deo in pœnam tumentis audaciæ ſuæ; invidia verò ac livore ipſius invectam eſſe in mundum mortem, ac reliqua omnia mala; permiſſam illi eſſe à Deo poteſtatem exercendi in mundo genus quoddam imperii ſui ſuper reliquos adminiſtros ſuos, Angelos, communi ſecum apoſtaſiæ crimine reos; uti eo inſtrumento Deum puniendis malis, probandiſque bonis; Spiritum eſſe mendacii in ore Pſeudo-Prophetarum, Seductorum, atque Hæreticorum; eodem agente torqueri, obſideri, ac poſſideri homines; eodem pariter ſuggerente mala conſilia inſpirari, uti Davidi in cenſu ſuorum indicendo, Judæ in proditione Jeſu Chriſti; ac tandem Ananiæ & Saphiræ in celando pretio venditi agri; percrrat circa nos ſurens tanquam Leo, ſi quid poſſit, nos læſurus vel ſeducendo, vel in crimen deducendo.

Quæ ejus poteſtas & pravitas ſuis aſtringitur limitibus, ſubmittiturque voluntati Dei; ſpectandum ſe præbet hominibus, illis decipiendis Angeli lucis fingit imaginem, ſpectro etiam aſſumpto terret; ut olim territaculo fuit Ægyptiis, cum tenebræ juſſu Moyſis totam ejus regni faciem occuparunt; plurimos efficit hominibus morbos; præſidet potiſſimùm morti; deducit impias animas ad Inferos; modò verò continetur in Inferno velut in carcere, reſolvendus demum in exitu mundi ſub Antichriſto; Infernum ignem illi ejuſque clientibus paratum eſſe; ac tandem manere illum extremæ diei judicium. Sed nullâ ſatis aperta in Scriptura Lege inſtruimur torqueri ab illo animas impiorum apud inferos, quæ noſtra eſt communis perſuaſio.

SATIS. Ponitur ſæpè loco Hebræi *Meod*, quod ſonat valde; e. g. *Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis* 1. *Reg.* 25. 15. Hebr. *valde boni*. Et 2. *Reg.* 2. 11. *Bellum durum ſatis fuit*; Hebr. *bellum durum uſque ad valde*. Iſai. 64. 9. *Ne iraſcaris, Domine, ſatis*; Hebr. *Ne iraſcaris ad multum* Ezech. 34. 18. *Nonnè ſatis erat vobis* (Hebr. *An parum erat valde vobis*) *paſcua bona depaſci?* Et cap. 47. 9. *Piſces multi ſatis*. Hebr. *Multi valde*, Zacharias 9. 9. *Exulta ſatis, filia Sion*; Hebr. *Exulta valde*.)

SATRAPA, vox Perſica, quæ Ducem claſſis ſonans, ad Præfectos Provinciarum, & Magnates aulæ tranſlata eſt. Diù antè Reges Perſarum in Satrapis Philiſthæorum ſub Joſue, vel ſaltem ſub Judicibus vox illa innotuit. Quamquam Satrapæ Philiſthæorum in Hebræo *Seranim* appellantur. *Judic.* 3. 3. undè poſtea *Surena*, nomen dignitatis pariter apud Perſas. Dux Parthorum, qui Craſſum occidit, *Surena* nuncupabatur (a). Satrapæ nomen in Chaldæo Danielis (b), & apud Eſdram, & Eſther nomine *Achaſdrapne* deſignatur; ex illo enim Græci, eliſis nonnullis in principio, & fine literulis, *Satrapa* reddiderunt. Porrò vox illa juxta ſuum etymon redditur, *Princeps ante faciem Regis adſiſtens*, ſive *Majeſtatis Janitores* (c). Nomen etiam *Tapſar* in Jeremia 51. 27. & Nahum ab Interpretibus redditur *Satrapa*.

Philiſthæorum ſatrapæ veluti totidem Reges habebantur, quinque ſatrapias ſinguli ſuam Regia authoritate tenentes. Aliis etiam nonnullis ejuſdem gentis urbibus ſui erant Reges, uti Abimelech Rex Geraræ, & Achis Rex Geth, Philiſthæi illi quidem, ſed alii à Surenis, ſive Satrapis quinque Satrapiarum, de quibus in Libro Judicum & primo Regum. Satrapæ verò Perſarum, ſive Provinciæ, ſive copiis regendæ à Rege commiſſæ erant. Hinc S. Hieronymus Hebræum *Pachat* 4. *Reg.* 18. 24. & 2. *Par.* 9. 14. ſonans copiarum Ducem, ſive Provinciæ Præfectum; ex quo *Bacha*, ſive *Pacha* Turcarum, reddit Satrapam. Genuinum tamen Satrapæ nomen refert vox *Achaſdrapne* in Daniele, Eſdra, & Eſther, Libris ante captivitatem non ſcriptis refert.

SATURNUS, Numen Ethnicorum, quem Jovi patrem tribuunt. Quamquam ejus nomen in Scriptura nuſpiam occurrit; deſignatum tamen plures Interpretes credunt nomine *Rempham*, à S. Stephano Amos laudante *Act.* 7. 43. Vide *Rempham*.

(Saturnus, eſt apud Mythologos filius Cæli & Veſtæ, i. e. terræ, qui patrem ſuum abſcidit metu, ne filios gigneret alios. Duxit *Cybelem* vel *Rheam*, ex qua plures retulit liberos. Noſcens autem futurum ut unius proditione ab imperio deturbaretur, ſingulos vix natos vorabat. Rhea, Jovem filium ſuum recens natum ſervatura, pro filio obvolutum faſciis lapidem vorandum obtulit Saturno. Cum adoleviſſet Jupiter, indicto in patrem ſuum bello, vicit illum, oneratumque catenis projecit in Inferna, una cum cæteris partes ejus in bello ſecutis.

Ex Rhea genuit Saturnus liberos mares tres, Jovem, Neptunum, Plutonem, ſingularem fœminam Junonem ſororem gemellam ac ſponſam Jovis; addunt nonnulli *Cererem*, & *Veſtam*. Fertur Saturnus regnaſſe in Italia poſt Janum, ubi & bonorum communitatem & æquam ſtatuum conditionem ſanxiſſe, quæ cauſa eſt Feſtorum Saturnalium incidentium in menſem Decembris, in quibus ſervi diſcumbebant cum heris, vel etiam diſcumbentibus ſervis heri miniſtrabant. Hoc Saturni eſt Regnum, nomine *ſæculi*

aurei

(a) Plutarch. in Craſſo. (b) Dan. 3. 2. Hebr. Achaſdarpanè. Ita & 1. Eſd. 8. 36. & Eſth. 3. 12.
(c) Vide Dictionaria Hebræa, & Chaldæa, & Interpp. in Dan. 3. 2.

ſulei celebratum. Exhibebat olim in ſimulacris Saturnus incurvum ſenem, falcem manu tenentem, eique moderanti tribuebantur curſus dierum, & anni temporum vices, unde Græcum illi nomen *Chronos*.

Alienum quidem Saturni nomen videri poſſet à Dictionario Biblico, quod non decet niſi conſecrata in Libris ſacris nomina continere. Cum tamen Saturnus lineamenta plurima ſimilitudinis exhibeat ad Patriarcham Noe; & plura falſa Numina, de quibus in Scriptura, judicio virorum quorundam eruditorum ipſum referant Saturnum, grata accidiſſe credimus Lectoribus, pauca hæc de ejus hiſtoria. Sedit nonnullis perſuaſio Baal, Moloch, Rempham exhibuiſſe Saturnum, ac morem illum humanis hoſtiis litandi illo authore invectum fuiſſe; confundi tandem cum Abrahamo, vel Iſraele. Meminerunt Veteres Saturni Phœnicii, Saturni Africani vel Carthaginenſis, Saturni Ægyptii. Videſis quæ contulimus de Baal, Moloch, atque cruentis humanarum victimarum ſacrificiis in Dictionario, & in Supplemento.

Porrò lineamenta illa in Noe & Saturno æquè recurrentia patent ad ſenſum. Falcem tenens pingitur tanquam agriculturæ inventor, Noe appellatur Gen. 9. 20 *Vir agricola*, ſcriptumque legitur de illo cœpiſſe terram colere. Saturnalia celebrata compotationibus, licentia, & æquata ſervorum cum heris conditione, exprimunt ebrietatem Noemi; & maledicta ejus ſubmittentia Chanaam fratribus, quanquam alioqui parem omnes retuliſſent à natura gradum. De ſaturno ferunt voraſſe omnes filios ſuos exceptis Iove, Neptuno, Plutone; ſub Noe pariter omnes homines diluvii aquis abſorti ſunt, è quibus plures affinitate cum illo conjungebantur, plures ætate erant inferiores. Familiare eſt Scripturæ ut factum ab aliquo dicatur, quod ne fiat, ſeu non prohibet, vel ſaltem ſecuturum prædicit.

Jupiter eviravit patrem ſuum; quod ſcilicet Cham temulentum Noe in ſomno nec modeſta corporis habitudine cubantem nudum non texit. Sem, Cham, & Japhet filii Noe, ipſi ſunt Typhon, vel Pluto, Jupiter, Neptunus; Cham vel Jovi obtigit Africa; Japhet vel Neptuno mare vel Inſulæ; Sem vel Plutoni Aſia. Porrò Sem ſingulari prærogativa præſtabat cæteris, ad veram Religionem quod attinet; adhæſit Domino, permanſitque fidelis, nec a latere patris ſui Noemi diſceſſit. Hinc livoris atque invidiæ fomes in corde fratrum ac poſterorum ex fratribus illis; ex inſignibus enim hiſce privilegiis invidia conflata eſt in genus ejus omne; quare Inferorum Deus ſtatuitur.)

SAVE. *Vallis Save*, *Gen.* 14. 17. alio nomine Vallis Regis, non longè, uti quidem videtur, è Jeruſalem; cum Melchiſedech Rex ejuſdem urbis, & Rex Gomorrhæ Abrahamo regredienti è prælio in Reges fœderatos ad eam Vallem obviam proceſſiſſent.

SAVE-CARIATHAIM, quem locum *Emim* vetus gens transjordanica tenebant. *Gen.* 14. 5. Codorlahomor, fœderatique Reges eodem anno, quo Pentapolitanam expeditionem ſuſceperunt, eoſdem etiam populos prælio fregerunt A. M. 2092. ante Chr. 1908. ante Ær. 1912. A Moabitis deindè pulſi, deletique ſunt. *Deut.* 2. 10. Porrò *Save-Cariathaim* facilè ager eſt, urbi Cariathaim adjacens, urbs autem ejus nominis in transjordanica 10. m. paſſuum à Medaba occidentem verſus ſita erat. *Euſeb. in locis*. Olim Tribui Rubeo ceſſit, *Num.* 32. 37. *Joſ.* 13. 19. deindè à Moabitis ſubacta eſt. Vide *Ezech.* 25. 9.

I. SAUL, Rex Idumææ, *Gen.* 36. 37. ex Rohoboth, ſucceſſor *Semlæ ex Maſreca*.

II. SAUL, filius Simonis, & nepos Iacobi. *Numer.* 26. 13.

III. SAUL, filius Cis è Tribu Benjamin, primus Rex Iſraelitarum. Cùm forte Cis aſinas ſuas amiſiſſet, ad illas inquirendas Saulem filium miſerat A. M. 2909. ante Ch. 1091. ante Ær. 1095. 1. *Reg.* 9. 1. Saul fruſtra plurima regionis parte luſtrata, tandem deſperans, regreſſum ad patrem ſuum in Gabaam diſpoſuerat; cùm à ſervo monitus, ut Prophetam eadem de re conſuleret, aliquid ab ipſo edocendus, illum adire conſtituit. Ambo igitur Ramatham contendentes, quo & Samuelem venturum ad ſacrificium ſolemne una cum Optimatibus audiverant, vix in conſpectum illius venerunt, cùm Samuel Divino lumine illuſtratus, Regem agnovit. Saul Videntem quærens ab ipſo, neque enim virum facie noverat, ab eodem Propheta ſe prodente ad convivium una cum Optimatibus populi invitatus eſt; facta etiam illi ſpe ſecreta omnia revelandi. Nihil tamen, ait, de aſinis ſollicitum te eſſe volo; inventæ enim ſunt. Porrò non aſinæ tantùm, ſed opima quæque Iſraelis ad te, & ad domum tuam referentur. Cùm Saul ad hæc anguſtiorea Tribus ſuæ fines, & anguſtiſſimam in ea Tribu familiam ſuam aggereret, à Propheta coactus, in aulam convivii introductus eſt; eique primo menſæ loco aſſidere juſſo, Propheta honoris gratia, integrum victimæ armum appoſuit. Poſt dapes deductus in ſolarium domus ad cubitum, Propheta comitante, manè ab eodem in inferiora urbis reductus eſt.

Cùm igitur deſcenderent ambo, & ſervus innuente Samuele, nonnihil à Domino receſſiſſet, Propheta eductam olei phialam totam in caput Saulis effudit. Dein oſculo exceptum, eum in Regem Domini juſſu ſe inunxiſſe, ut de hoſtibus populi ulciſceretur, ſignificavit. 1. *Reg.* 10. 2. Quæ quidem, ait, à me prolata Domini oracula ex eo rata eſſe intelliges, quòd cùm ambo in diverſa receſſerimus, duo tibi viri occurrent ad ſepulchrum Rachelis, qui de inventis aſinis patris tui certum nuncium afferent. Inde procedenti tibi ad Quercum Thabor, tres viri obviàm fient, adorandi gratia in Bethel tendentes, à quibus tres panes recipies. Tandem cùm ad Collem Dei, ubi ſtatio Philiſthæorum veneris, Chorum Prophetarum è colle deſcendentium, muſicíſque inſtrumentis canentium, offendes: his adjunctus, ſubitoque Dei Spiritu afflatus, in alterum virum mutaberis. Poſt hæc, in omnibus, quæ tibi obtigerint, à Domino te dirigendum ſcias. Prophetæ oracula ſingula ejuſdem diei eventus probavit; Divinoque ſpiritu afflatus Saul, in alterum virum mutatus eſt. Cùm enim Prophetis occurriſſet, illis adjunctus cum cæteris prophetavit; quod prodigii loco omnibus rem ſpectantibus acceptum eſt; adeo ut proverbii loco exinde uſurparetur: *Num & Saul inter Prophetas?*

Succedente tempore, Samuel (a) advocata populi concione, in Maſphat de Rege eligendo juxta eorum vota deliberavit. Jactis igitur ſortibus, Tribus Benjamin ſelecta eſt; inter familias verò ejuſdem Tribus familia Metri, & inter viros ejuſdem familiæ, Sauli Regnum ſortitò obtigit. Quæſitus ſtatim Saul fruſtra primùm; ſed indicante Domino, ea de re conſulto, in angulo domus latens inventus eſt. Deductus autem in theatrum, cùm ea humero ſurſum cæteris eminere viſus eſſet, eo omine accepto, Samuel, En, ait, quem virum vobis Dominus in Regem deſtinavit; ſtatimque una populi vox: *Vivat Rex*. Mox Propheta coram omnibus jura regni perlegit; eaque abſoluta lectione, omnes ad propria redierunt. Saulem in Gabaam regredientem, pars exercitus, cui Divina cordi erant, comitata eſt; cæteri virum contemnebant, tanquam contra adverſarios Iſraelis infirmo ſatis præſidio futurum. Horum tamen dicteria Saul ne audire quidem ſimulavit.

Poſt

(a) 1. Reg. 10. 17. &c. A. M. 2909. ante Chr. 1091. ante Ær. 1095.

Digitized by Google

Poſt menſem, Naas Regi Ammonitarum urbem Jabes Galaad prementi cives deditionem polliciti ſunt, ſi intrà ſeptem dierum ſpatium ſuppetias laborantibus ferre cæteri Iſraelitæ neglexiſſent. Aſſentiente Rege, miſſi à viris Galaad Legati ad Iſraelitas, omnia renunciarunt; ſimulque minas hoſtium, dextrum ſcilicet oculum victis eruendi, retulerunt. Regrediebatur fortè ex agro boves ſuos deducens Saul, cùm populi ploratu, totaque re intellectis, ſubito furore excandeſcens, boves illos in fruſta conciſos in univerſam latè ditionem Iſraelis miſit, ſimul addens: Sicuti bobus hiſce, ita illis fiet, qui Sauli & Samueli ad bellum proficiſcentibus non adhærebunt. Omnes igitur in Bezech convenerunt; quibus recenſitis, Saul 300000. ex Iſraele, & 30000. ex Juda ſub ſignis habere ſe intellexit. Cùm eo exercitu movens, trajecto Jordane, manè ſub ipſum diei ortum caſtris Ammonitarum adſtitit. Nec mora: diviſo in tres partes exercitu, Ammonitas ex tribus lateribus aggreſſus eſt tanto impetu, ut partim cæſos, partim fuſos penitùs diſſiparit, ne duobus quidem ſimul fugere valentibus. Poſt hæc, reductus in Galgal populus, cæremoniam electionis & inaugurationis Saulis innovavit. Hæc in primo Regni illius anno (a).

Biennio poſt (b), ſelecta à Rege 3000. virorum ad pellendos Philiſthæos ex ſtationibus Machmas, Bethel, & Gabaæ deducta ſunt. Jonathas, qui parti ejuſdem exercitus, mille ſcilicet viris, præerat, duas reliquas Saule ducente, præſidium è Gabaa depulit; quo accepto nuntio, populo excutiendi tandem Philiſthæorum jugum ſpes facta eſt. Hinc in Galgal omnes ad Saulem confluxere. Neque interim Philiſthæi ſibi immorandum rati, ingenti comparato exercitu, ad Machmas ad orientem Bethel proceſſerunt. Adventu & propinquitate hoſtis territi Iſraelitæ, ſinguli in diverſa abire cœperunt; cui malo Saul prompto conſilio occurrendum intelligens, opperiri tamen Prophetæ Samuelis adventum cogebatur. Cùm fruſtrà tota hebdomada expectatus necdum veniſſet, tandem Rex ipſe per ſe ſacrificia offerre inſtituit. Vix litaverat, cùm Samuel ſuperveniens, gravioribus verbis Regem objurgavit, qui Divinis juſſionibus violatis, illud commiſerat, ut à Deo à Regno Iſraelis abjiceretur, altero viro probo, & morigero ſubſtituto. Quæ ſane, ait Propheta, tibi contingent, quippe qui tota hebdomada adventum meum opperiri juſſus neglexiſti 1. *Reg.* 14. 1.

Hinc Samuel & Saul una cum 600. viris, qui è tota turba manſerant, de Galgal Gabaam perrexerunt; eique inſtantes Philiſthæi caſtra ad Gabaam tranſtulerant. Accidit inter hæc, ut Jonathas cum armigero ſuo in caſtra hoſtium, eo quo diximus v. *Jonathas* ſtratagemate irrepens, ſubito terrore caſtra hoſtium turbaſſet. Eo clamore apud hoſtes audito, vigiles Iſraelitarum propiùs ad illos accedentes, cùm totum latè ſolum cadaveribus inſtratum comperiſſent, rem ad ſuos retulerunt. Facta ſtatim de authore cædis inquiſitio; cumque Jonatham è caſtris abeſſe noſſent, conſulendum de illo Dominum Rex per Summum Sacerdotem curavit. Necdum abſoluta cæremonia, ingenti ſubito clamore in caſtris hoſtium ſublato, omnes mutuis ſe vulneribus concidiſſe apparuit. Fugientibus jam Saul inſiſtendum ratus, aucto etiam ex Iſraelitis antea fuga dilapſis exercitu, non ſine ingenti hoſtium cæde ad Bethel uſque (dein ex conſtitutis in loco aureis vitulis, *Bethaven*,) & ex alio latere ad Ajalonem excurrit.

Hujus victoriæ gaudium triſtis rei eventus nonnihil turbavit. Diris Saul Iſraelitas devoverat, qui tota ea die cibi aliquid ad veſperam uſque guſtaſſent; cùm Jonathas paterni voti ignarus, porrecta virga in favum fortè in nemore occurrentem, mellis aliquid carpſit, libavitque. Sub veſperam Saul, nil detrectante exercitu, in caſtra hoſtium noctu irrumpendum ad illorum reliquias delendas diſpoſuit; cum Summus Sacerdos ea de re Dominum conſulens, oraculum inſueto prodigio ſiluiſſe ſignificavit. Quare Saul crimen aliquod in cauſa ejus monſtri eſſe ſuſpicatus, ſortium judicio rem explorari juſſit. Proditum Jonatham, reum pater ſupplicio damnavit: ſed mox populo intercedente, juvenis abſolutus eſt. Interea Saulis res in dies procedebant, hoſtibus undique, Moabitis, Ammonitis, Edom, Rege Soba in Syria, & Philiſthæis (c), pluribus ſecundis præliis, (quorum tamen nuda tantùm in Scripturis mentio, ut vel tempus ignoretur) in ordinem redactis.

Deinceps indictum Dei juſſu per Samuelem in Amalecitas bellum, cautumque à Propheta, ne cui unquam ex hoſtibus parcentes, ipſas vel pecudes & jumenta, atque opima quæque ex manubiis anathemati devoverent. Deletis igitur hoſtibus, omnia diſperdere juſſus, plura tamen ex opimis pecudum, & reliquæ prædæ, ipſumque Regem gentis Saul ſervavit. Reducens dein in Galgal victorem exercitum, ad montem Carmeli ad meridiem Judæ (alterum à Carmelo ad Mediterraneum) trophæum, ſivè ut Hebræus, *manum* (d), perpetuum rei monumentum erexit. In Galgal autem revertente Saule, eo venit & Samuel, qui alterum obviam procedentem, atque Dei juſſa ſeſe executioni mandaſſe jactantem, interrogavit, & unde pecudum vox auribus ſuis obſtrepens proveniret? Cùm Rex ſervatas à populo ex præda, ut Domino ſacrificium ſolemne immolaretur, reſpondiſſet, Te, ait Propheta, humilem & deſpectum homuncionem Dominus ad hanc dignitatem elevavit, ut Amalecitis exterminandis Ducem conſtitueret; id autem muneris tibi injunctum neglexiſti. Cauſanti illi omnia in ſacrificium non à te, ſed à populo ſervata, Quid? adjecit Samuel: nonne victimis quibuſque, Divinis juſſionibus humilis obtemperatio præſtat? Refractarios eodem horrore ac magos & idololatras reſpicit. Tandem tu Deum, & viciſſim Deus te jam abjecit.

Tunc Rex crimen ſe ſuum intelligere profeſſus, veniam à Deo per Prophetam rogari flagitavit. Interim petere, ut una ambo ad Dominum adorandum ſe conferrent. Renuentem alterum, atque in diverſa jam abeuntem Saul pallio apprehenſo retinebat; at ſtatim veſtis illa reſciſſa eſt. Converſus illicò Samuel, dividendi à Deo Regni tui omen accipias, ait; quod te adhuc ſuperſtite, alteri, viro præ te optimo, tradendum ſcias. *Porrò triumphator in Iſraele non parcet* (Hebr. non mentietur) *& pœnitudine non flectetur; neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam* 1. *Reg.* 15. 29. Sunt, qui hæc verba ad Saulem directa cenſeant; veluti ſi Propheta ironicè inſultans dixerit, eum virum, qui triumphales ſibi arcus erexiſſet, non eſſe in quem pœnitudo cadere poſſet. Sed meliùs ad Deum referenda videntur; qui dictam olim in Regem ſententiam fruſtra excidere nunquam permiſſurus fuiſſet. Tandem Propheta exorari paſſus; Regem ad caſtra in Galgal comitatus eſt; quo ſtatim veniens, productum ad ſe Agag Regem Amalec ſuis manibus tranſfodit.

Nonnullis ab hinc annis (e), Davide juſſu Domini à Samuele in Regem inuncto, exinde Saul

Dei

(a) Vide quæ notavimus v. Samuel, ſub anno 2911.
(b) 1. Reg. 13. 1. &c. A. M. 2911. ante Chr. 1089. ante Ær. 1093.
(c) 1. Reg. 15. 1. &c. A. M. 2930. ante Chr. 1070. ante Ær. 1074.
(d) 1. Reg. 15. 12. *Et ecce erexit ſibi manum*. Confer. 2. Reg. 18. 18. *Abſalom erexit ſibi manum.*
(e) 1. Reg. 16. 1. &c. A. M. 2934. ante Chr. 1066. ante Ær. 1070.

Dei Spirito deſtitutus, malo ictutum à Dæmone correptus eſt. Porrò lævus ille captata tetræ melancholiæ in virium prædominantis opportunitate, miſerè illum angebat. Ita Rabbini & Interpretes plures. Ferendæ ægro opi David muſici inſtrumenti peritiſſimus accitus eſt, qui fidibus ſcitè pulſatis, acrem leniens humorem, dolores nonnihil ſopiebat. Hinc amor Regis in puerum, quem & armigerum ſuum apud ſe conſtituit. Octo circiter annis evolutis (a), cùm Philiſthæi motis in Judæos armis, inter Soco, & Azecam caſtra locaſſent, ac Saul copias in valle Terebinthi detineret, vir immani corpore terribilis, Goliath nomine, ſingulis diebus è caſtris Philiſthæorum proſiliens, Iſraelitis coram inſultabat. Conſtitutum erat à Saule præmium nuptiarum filiæ ſuæ ei, qui gigantem ſuperaſſet, ſed certaminis timor potiùs, quàm præmii ſpes omnes ſolſicitabat. Accidit interea, ut David jam inde à pluribus annis in paternam domum regreſſus, fortè ad caſtra à patre miſſus veniret; qui viri inſultantis audacia indignatus, ad certamen ſeſe obtulit, eo proſpero eventu, de quo nos v. *Goliath*, & *David*. Cùm David ad certamen ſe obtulit, ejus memoria Regi exciderat; ſed poſt victoriam ab aula recedere copiis quibuſdam Præfectum nonquam permiſit.

Cùm ab expeditione exercitus victor regrederetur, inter feſtas mulierum Iſraeliticarum cantilenas, hæc Regis auribus inſonuerant: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia*. Ea res animum Saulis à Davide alienaverat 1. *Reg.* 18. 1. *&c.* quare cùm forte conſueti ſpiritus agitatione laborante, David fidibus coram pulſaret, ille ſubitò lancea in virum vibrata, niſi David ictum declinaſſet, transfoſſurus videbatur. Mille igitur viris illum præfecit, filiámque ſuam Merob illi deſpondit, nihil tamen de promiſſo ſervando cogitans. Hoc ille efficiebat, ut David ſæpè cum Philiſthæis prælians, ab ipſis tandem interficeretor. Filiam deinde Merob alteri tradens, minorem Michol illi pollicitus eſt, centum Philiſthinorum præputiis ſibi vindicandam. Quod exequens David, Regis nuptiis potitus eſt.

Saul igitur Davidis gloriam ipſius virtute in dies augeri ſentiens, ipſius mortem decrevit (b). Conſilium Jonatha authore primò abdicavit, deinde atro ſpiritu agitatus, iterum lancea ipſum confodere conatus eſt. Ictum verò declinans David, ſtatim in ædes ſuas confugerat; eaſque è veſtigio obſidendas, atque tentandas Saul præcepit. Noctis tamen favore per feneſtram ab uxore Michol dimiſſus, præſentiſſimum periculum ad Samuelem in Najoth Ramathæ ſe recipiens, evaſit. Eo Saul ſatellites ſuos miſit, alios poſt alios; qui ut ad locum veniebant, ſubito prophetiæ ſpiritu afflati, cæteris Prophetis, ipſique Davidi ſeſe abjungebant. Paria & Sauli poſt cæteros eo tendenti contigerunt 1. *Reg.* 19. 1. *&c.* Interea David in Gabaam ſe recipiens, cum Jonatha filio Saulis egit; cumque poſt innovatam mutuam amicitiam, ad explorandum Regis animum euntem biduo expectavit. Rediis Jonathas ſiniſtra de patre referens, amicum plura monitum dimiſit. Vide *David*, & *Jonathas*.

Saul certior factus à Doeg Idumæo, qui forrè in Nobe aderat, de excepto ab Achimelecho Summo Sacerdote Davide in Nobe ſuperveniente (c), acciri ſtatim Sacerdotes omnes in ea urbe verſantes, juſſit. Cùm in conſpectum veniſſent, poſt exprobratam initam cum hoſtibus ſuis conſuetudinem, nihil eorum excuſationes moratus, omnes numero 85. ſtatim trucidandos præcepit. Dein eandem ultionem ad urbis incolas prorogans, omnes, ne fœminis quidem, & pueris lactentibus exceptis, deſendos injunxit.

Poſt aliquod temporis (d), verſari Davidem Ceilæ intelligens, opportunam ultionis occaſionem exhiberi ſibi, eùm ex urbe mœnibus clauſa difficiliùs dilaberetur, autumavit. Sed ille periculum evadens, atque in deſertum Ziph ſeſe recipiens, Regis conſilia fruſtravit. Poſt hæc, accepto nuncio intelligens Saul, adverſarium in deſerto Maon latere, illuc ſtatim exercitum deduxit; nec David effugiſſet, niſi Res audita ſubita Philiſthæorum incurſione, copias in illos avertere coactus fuiſſet.

Digredienti poſt hæc in deſertum Engaddi Davidi (e), Rege inſiſtente, accidit, ut fortè ad ventrem exonerandum in ſpeluncam quamdam ſolitarius Res ingrederetur. Illuc David ejuſque ſodales ſeſe receperant; quare David ipſe clam propiùs Sauli factus, regiæ chlamydis oram præcidit. Dein egreſſum Saulem & ipſe egrediens proſequutus, ad ejus pedes accidens, abſciſſam chlamydem exhibuit; ſimul addens, nihil ſe gravius, cùm facilè poſſet, in Unctum Domini tentare voluiſſe. Ille ingenuum viri animum admiratus, non ab injuria tantùm abſtinuit, ſed obortis lachrymis crimen de indicta in iſſum perſequutione profeſſus, commiſſurum ſe promiſit, ut nullo ultra incommodo afficeretur. Inde Res domum ſuam, David in deſertum Ziph ſeſe recepit (f). Vis apud ſe virum degere Ziphæi intellexerunt, illico illi ad Regem, & Rex ſtatim cum exercitu ad collem Achilam. David noctis favore in Regia caſtra, & in tentorium Saulis irrepens, omnes ſomno oppreſſos nactus, lanceam & ſcyphum ad ipſius jacentis caput ſubripiens, ſeceſſit.

Ut in adverſum collis latus evaſit, clamans monuit, ut miſſo famulo, ſubductam Regis lanceam & ſcyphum reciperent; ſimul autem Regi oſtenderet nihil eſſe, cur obſequentem atque amicum ſibi virum tantoperè proſequeretur: Saul injuſtitiam ſuam improbans, domum rediit. Sed David leve ejus ingenium metuens, ad Regem Geth deflexit 1. *Reg.* 27. 1. *&c.* ex quo Saul nihil ultra in illum tentavit. Succedentibus annis, Philiſthæi valido comparato exercitu, in ditionem Iſraelis irrumpentes (g), in valle Jezrael caſtra locaverant. Saul inundantium copiarum terrore turbatus, *Dominum* per Sacerdotes conſuluit. Silente oraculo, cùm aliud nullum ſuppeteret conſilium, Pythoniſſam quamdam mulierem, nempè familiari Spiritus conſuetudine utentem, quæ mortuos evocare ferebatur, adire diſpoſuit.

Cùm autem latis antea edictis, Rex Magos Magaſque omnes è ditione Iſraelis extorres egiſſet; ideò ementitis veſtibus atque privato comitatu, fœminam convenit. Illam igitur flagitavit, ut Samuelem è ſepulchro evocaret; quod ea ſtatim exequens, Prophetæ aſpectu territa, exclamare ſtatim, atque noſcere ſe Saulem prodidit. Tunc Rex bono eſſe animo jubens, quid vidiſſet interrogavit. Illa, *Deos* inquit, *vidi*, 1. *Reg.* 28. 13. ſeu virum ſummum, Principem, Judicem Iſraelis. Hebræum enim *Elohim* nonniſi de ſummis viris uſurpatur. Veſtem & vultum viri ſciſcitanti Regi, reſpondit, ſeniorem & pallio obvelatum. Eo indicio Saul Prophetam agnoſcens, pronus in faciem adoravit. Tum Samuel inviolatam ſepulchri requiem cur turbaſſet requiſivit. Adje-

(a) 1. Reg. 17. 1. &c. A. M. 2942. ante Chr. 1058. ante Ær. 1062.
(b) 1. Reg. 19. 1. &c. A. M. 2943. ante Chr. 1057. ante Ær. 1061.
(c) 1. Reg. 21. 1. &c. A. M. 2944. ante Chr. 1056. ante Ær. 1060.
(d) 1. Reg. 23. 1. &c. A. M. 2945. ante Chr. 1055. ante Ær. 1059.
(e) 1. Reg. 24. 1. &c. A. M. 2946. ante Chr. 1054. ante Ær. 1058.
(f) 1. Reg. 26. 1. &c. A. M. 2947. ante Chr. 1053. ante Ær. 1057.
(g) 1. Reg. 28. 1. &c. A. M. 2949. ante Chr. 1051. ante Ær. 1055.

Digitized by Google

Adjecit demum, ea quæ de Regno ipſi auferendo, atque æmulo tradendo à Deo prænunciata fuerant, impletum tandem iri. Alteram enim diem ipſi & filiis fatalem, cædis verò & fugæ Iſraelitis futuram. Tot malorum pondere, ſimulque totius diei inedia laneſcens Saul, ſemianimis concidit.

Laboranti ſuccurrens fœmina, ut cibi aliquid caperet, etiam atque etiam rogavit. Invitus igitur appoſitis dapibus refectus, nocturno itinere ad caſtra regreſſus eſt. Manè alterius diei prælium commiſſum eſt, 1. *Reg.* 29. 1. primoque congreſſu, occiſis filiis Saulis, Jonatha, Abinadabo, & Melchiſa, Iſraelitæ terga vertentes, deſerta pugna fugerunt. Hinc totum belli pondus in Saulem verſum, qui à ſagittariis jam ſauciatus, cùm propè eſſet, ut in hoſtium manus veniret, armigerum ſuum exoravit, ut ſtricto gladio ſe confoderet. Renuente illo, Rex ipſe in ſuum gladium irruens, ſibimet necem intulit; eodemque lethi genere ipſe ſibi armiger, obiiſſe Dominum cernens, necem conſcivit. Saulis primi Regis Iſraelitarum, poſt exactos 40. in Regno annos, is caſus fuit. Interim Amalecita quidam fortè præſens, detractam ſtatim à cadavere Regis armillam, & diadema ad Davidem detulit; 2. *Reg.* 1. ſimul addens ſtructum, uti quidem ſuſpicamur, arbitrio jactantiæ cauſâ mendacium, ſe nempè Regem fruſtrà in loricatum pectus gladium adigentem transfodiſſe. Eo allato nuncio, amplam à Davide mercedem ſe relaturum miſer ille ſperabat; ſed præmii loco David acturum illum in Unctum Domini manus violentas injicere auſum trucidari juſſit. Funus deinde Saulis, & Jonathæ idem David & lachrymis & lugubri nænia, ubi plura de rebus ab utroque fortiter geſtis, deflevit.

Altera ab inito certamine die 1. *Reg* 31. 8. 9. Philiſthæi ſpolia legentes, Saulem ejuſque filios inter cæſos nacti, Regis caput præcidentes, ejus arma in Templo Aſtaroth dedicarunt: corpus verò mœnibus Bethſan ſuſpenſum eſt. Porrò hæc mœnia foro urbis facilè imminebant, cùm 2. *Reg.* 21. 12. in foro appenſum truncum Regis cadaver legamus. Caput in Templum Dagonis delatum eſt. 1. *Par.* 10. 10. Illatam Regio Cadaveri, atque filiorum ipſius contumeliam cives Jabes Galaad indignè ferentes, 1. *Reg.* 31. 11. noctis favore ad locum ſe contulerunt, abductiſque lipſanis, in ſuam urbem regreſſi ſunt. Ibi constructa pyra, quod reliquum erat carnis, abſumptum; oſſa verò in nemore juxta urbem tumularunt. Tota etiam hebdomada jejunio, & funere benefico ſibi Regi, à quo olim ex imminenti Ammonitarum periculo liberati ſunt, parentarunt. Succedentibus annis, juſſu Davidis oſſa ejuſdem Regis in paternum ſepulchrum Gabaam tranſlata ſunt. 2. *Reg.* 21. 12. Defuncto autem patri Isboſeth quartus inter filios in Regno undecim Tribuum ſuccedens, Mahanaim urbem tranſjordanicam Metropolim conſtituit: Tribus Judæ Davidi Regi parebat.

An necem ſibi inferre Sauli fas eſſet; & quid de ejus ſalute ſentiendum, non una eſt variorum ſententia. Rabbini ejuſdem Regis Divinis juſſionibus obedientiam efferunt, quippè qui certior de cæde ſua, & filiorum à Samuele factus, nunquam tamen à prælio abſtinuit (a). Necis ſibi inferendæ in cauſa fuiſſe addunt, quod metueret, ne ſi fortè ſuperſtes ipſe in manus hoſtium incidiſſet, Dei nomen indignè traduceretur. Sed hæc frivola ſunt. Sanè in poſtremis Saulis geſtis nihil eſt, quod ejus pœnitentiam præſeferat; nunquam enim ad Dei opem confugiſſe, unamque ejus gloriam in nece ſibi inferenda ſpectaſſe legimus. Conſcientiæ quin etiam errantis dictamine perſuaſus, necem ſuam ad aſſerendam Divini nominis gloriam conducturam, an fortè propterea juſtum aliquod & laudabile facinus patraſſet? Mala in gratiam boni inde fortè obventuri, nunquam expedire, docente Apoſtolo, didicimus; *Rom.* 3. 8. malorum autem peſſimum homicidium eſſe negaverit nemo. Adde, ne ſua quidem nece inferendæ Divino nomini ab hoſtibus injuriæ occurrere Saulem potuiſſe; ſive enim vivens, ſive mortuus in eorum manus incidiſſet, injuria Deo apud Philiſthæos æquè creabatur. Tandem de æterno Saulis exitio apertiſſima eſt in Scriptura ſententia: 1. *Par.* 10. 13. *Mortuus eſt Saul propter iniquitates ſuas, eo quòd prævaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat; ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperavit in Domino, propter quod interfecit eum, & tranſtulit Regnum ejus ad David filium Iſai.*

Conſultæ Pythoniſſæ crimen ipſum ſe oculis prodit; neque enim Ariolos conſulere Lege Divina unquam permiſſum eſt. Varia de hac quæſtione legas v. *Samuel*.

SAULUS, deinde Paulus. Vide *S. Paulus*.

SAURA, quo cognomento Eleazar frater Judæ Machabæi appellatus eſt. 1. *Mach.* 6. 43. Sunt, qui nomen illud patrem viri indicaſſe credant; Vulgata enim legit: *Eleazar filius Saura*. Sed Græcus habet: *Eleazar cognomento Savaran*, & Syriscus: *Cognomento Horam*. Etymon ejus nominis latet. In 1. *Mach.* 2. 5. Abaron cognomento nuncupatus eſt.

SCANDALUM. Apud veteres Græcos Scriptores eſt pars illa muſcipulæ, quæ ſuſtinetur ſendicula, juxta Pollucem; ſive lignum illud tranſverſum, cui malleus, uti vocant, inhæret, juxta Scholiaſtem Ariſtophanis. Tandem ampliori ſenſu juxta Helychium, ſcandalum eſt laqueus, impedimentum. Scripturæ & Eccleſiaſticorum Authorum ſtylo uſurpatur de re, in quam facilè per viam incedentes offendere, & in terram corruere poſſunt. Hinc apud Moyſem vetitum; *Ne coram cæco ponas ſcandalum*(b); nempè neque lignum, neque lapidem, ut in illa facilè offendens, proruat. Vetitum etiam, ne fœdus cum Chananæis jungatur, ne fortè Iſraelitæ in Idololatriam ſeducantur; magno ipſis ſcandalo futurum. *Exod.* 23. 33. Saul filiam ſuam Michol Davidi elocavit, *ut fieret ei in ſcandalum*. 1. *Reg.* 18. 21. Qui juſtis gaudium erit, & corona, Dominus idem *erit in lapidem offenſionis; & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael*. *Iſa.* 8. 14. Petro Chriſtum revocanti à conſilio mortis tolerandæ, *Matth.* 16. 23. *Vade*, ait Chriſtus, *retro Satana, ſcandalum mihi es.* Idem tandem de ſe Chriſtus: *Felix, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Matth.* 11. 6. nempe cui vita, egeſtas, & mors mea offendiculo non erunt.

Græcæ voci *Scandalon*, Hebraice reſpondet *Macſcul*, quod è radice *ſchacal* deductum, redditur cadere, evertere; & ex conjugatione *hiphil*, proſternere, dejicere, laqueos parare, &c. Morali ſenſu ſcandalum in activum & paſſivum diſtinguitur; illud à nobis ſive ſermone, ſive inſtitutæ vitæ ratione inducitur; hoc verò aliorum geſtis obſervatis, ſive audito ſermone nobis ipſis paramus. Porrò ſcandala, ait Chriſtus, in Mundo eſſe prorſus oportet; *Matth.* 18. 7. eum verò, per quem inducentur, diris devovet. Addit, præſtare, ut manus, vel pes, ſcandali cauſæ abſcindantur, quàm ut ſalvis omnibus, à Regno Dei excluſi, ad tenebras exteriores adigamur. Alibi etiam *Marc.* 9. 41. cavet, ne puſillos quoſcumque inter Fideles ſcandalo unquam lædamus: mitius illius eſſet fatum, qui ſuſpenſa collo mola in mari mergeretur, quàm qui ejus criminis reus damnandus fuiſſet. Jeſus Chriſtus tanquam lapis ſcandali Judæis offendiculo fuit. *Rom.* 9. 33. & 1. *Petr.* 2. 8.

(Quid nomine ſcandali deſignetur vernaculo ſermone diximus in Dictionario Biblico, ubi quædam contulimus de ſcandalo juxta hanc interpretationem. Verùm in Textu Latino Vulgatæ ſcandalum variis ſubeſt ſenſibus, quos omnes hic deducere ope-

(a) Vide Rabb. in Hymnu in 1. Reg. 31. & Grot. l. 2. de Iur. & B. & P. c. 19. n. 5. (b) Levit. 19. 14. apud Septuag.

operæ prætium eſſe judicamus. *Uſquequò patiemur hoc ſcandalum. Exod.* 10. 7. uſquequò Moyſes laqueo erit nobis; quando ab urgendis nobis, ceu venator prædam ſuam deſiſtet? Vel potiùs: Uſquequò patiemur apud nos Iſraelitas, qui nobis ſunt lapis offendiculi? Vel planiùs: uſquequo patiemur tot nos opprimentia mala? *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum Pſal.* 118. 165. quietâ fruuntur pace, quam nullus mali timor perturbat. *Scandalum iniquitatis eorum factum eſt Ezech.* 7. 19. in ea mala inciderunt, quæ ſibi provocarunt merito criminum ſuorum; tulere admiſſorum ſcelerum pœnam: *Ne ponas ſcandalum animæ tuæ; Proverb.* 22. 25. ne furenti te exponas, ut de vita non periclliteris. Abjecta & humilis vita Chriſti perpeſſiones, & crux *ſunt petra ſcandali duabus domibus Iſrael* (a); quod ſcilicet nunquam perſuaderi potuerint tam abjectum rerum ſtatum decere, quem expectabant, Meſſiam.

Apud Authorem Eccleſiaſtici *ſcandalizare* uſurpari ſolet pro exponere ſe diſcrimini. *Cap.* 1. 37. *Ne fueris hypocrita, & non ſcandalizeris in labiis tuis*; i. e. ne labia tua exponant te diſcrimini, ut habearis tanquam veterator. Græcus legit: *Ne te conformes ad ſermones hominum, & ne attendas verbis illorum.* Ne reputes hominum de te ſermones, ſeu qui facti ſunt, ſeu quos faciendos prævides; neque enim de aliorum dictis agendi tibi norma proponenda eſt. Et Eccle. 23. 7. *Doctrinam oris audite filii, qui cuſtodierit illam, non ſcandalizabitur in operibus peſſimis.* Qui præcepta mea obſervabit, nihil admittet, in geſtis ſuis probri; ſeu potiùs, non cadet velut homo impingens in offendiculum, nec ſcelus aliquod commiſſum reprehendetur in illo. Cap. 32. 19. *Qui inſidiosè agit ſcandalizabitur in ea* (Sapientia;) qui non ſintero animo quærit ſapientiam, pro eo quod illam attingat, incidet in offendiculum.)

SCANDALUM, *Mons ſcandali*, *Mons offenſionis*; quod Monti Olivarum nomen, ex conſtructis ibi Idolorum Fanis à Salomone in gratiam alienigenarum uxorum, inditum eſt (b).

SCENOPEGIA, *Joſ.* 7. 37. vox Græca, ſonans Tabernaculorum erectionem; quare de Feſto Tabernaculorum uſurpatur. Hebræi enim conſtructis ex virentibus foliis tabernaculis, totam celebritatis illius hebdomadam, quemadmodum olim ſpatiu 40. annorum in deſerto, ſub diu agebant. *Levit.* 23. 34. Vide *Tabernaculum*, *Feſtum Tabernaculorum*.

SCEPTRUM, Græcè *ſkeptron*, Hebraicè *ſchebet*, vox ſonans 1. virgam authoritatis inſigne, quam Deorum, Regum, Præſidum manibus tradebant. Jacob de Juda *Gen.* 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat expectatio gentium.* Et Balaam de Meſſia; *Num.* 24. 17. *Conſurget virga de Iſrael.* Baruc de Diis Babyloniorum c. 6. 13. *Sceptrum habet ut homo, ſicut Judex regionis.* Scribis etiam, & Præfectis caſtrorum, ſuum erat ſceptrum. *Judic.* 5. 14. De ſceptro dominationis frequenter apud Iſaiam 14. 5. & 19. 11. 14. quemadmodum & ſupremam poteſtatem deſignans Amos 1. 5. 8. ait, *tenentem ſceptrum.* Aureum ſceptrum Aſſuerus ſtringebat. *Eſth.* 8. 4

2. *Sceptrum* eſt virga correctionis, & ſuprema authoritas, ſuperborum audaciam frangens: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eos. Pſal.* 2. 9. Virga cohibendis redigendiſque in ordinem pueris & mancipiis, verbo Hebræo *ſchebet* à Sapiente deſignatur.

3. *Sceptrum* non rarò de Tribu ſingulari uſurpatur; quod fortaſſe Principes Tribuum ſceptrum dignitatis inſigne geſtarent. Septuaginta & S. Hieronymus Hebræum verbum, ſceptrum ſonans, reddere quidem conſueverunt Tribum; aliquando verò *ſceptrum* ſervant (c).

4. *Sceptrum*, vel Hebræum *ſchebet*, eſt paſtoritia virga, *Lev.* 27. 32. militaris bacillus, ſive baculus tantùm; 2. *Reg.* 24. 21. pilum, ſive lancea militis; 3. *Reg.* 12. 14. virga, qua minuta grana excutiuntur. *Iſa.* 28. 27.

SCEVA, *Princeps Sacerdotum*; *Act.* 19. 14. nempe vel Synagogæ Epheſinæ primas tenens, juxta aliquos, ſeu potiùs Princeps certæ familiæ inter 24. Sacerdotales 1. *Par.* 24. 7. Tandem nomen *Principis Sacerdotum* ſummi Sacerdotes à munere amoti obtinebant. Jeſus filius *Siah* novem vel decem annis à Chriſto nato florens, ſummus Sacerdos apud Joſephum *Antiq. l.* 17. *c.* 15. occurrit; uti & alter Jeſus filius *Sapha*, ſive *Saphin*, rerum Judaicarum in poſtremo cum Romanis bello (d) tantùm non arbiter. Alterutrius fortaſſe filii per urbes diſcurrentes, Dæmoniacos Judæorum adjurationibus curabant. Cùm igitur ſemel Epheſi munus ſuum exercentes, Jeſu Chriſti, quem Paulus prædicabat, nomine invocato Dæmonem urgerent; Spiritus ſtatim, Jeſum, inquit, & Paulum novi; vos autem qui eſtis? ſimulque in illos irruens, fœdè depexos, nudos, ſauciatoſque fuga ſe ſubducere coegit.

(SCHAMAI Rabbinus inclytus, de quo nos in Dictionario V. *Sameus*.)

SCHAMIR. Vide *Samir*. Lapis eſt rigens adeò, ut gemmis expoliendis adhibeatur.

SCHEBET, quintus menſis anni civilis Hebræorum. Vide *Sebat*.

SCHEKINAH, vox in ſcriptis Judæorum frequentiſſima, pro deſignanda S. Spiritus præſentia uſurpata. In *Targum*, ſive Paraphraſibus Chaldæis tria hæc leguntur; *Jehovah*, ſive Deus; *Memar*, ſeu Verbum; & *Schekinah*, Spiritus Sanctus (e). Porrò Spiritum Sanctum inducunt loquentem, atque per revelationem communicantem ſe hominibus. 1. in Prophetis; 2. in Urim & Thummim Rationalis ſummi Sacerdotis; 3. *ſchekinah* in filia vocis, Hebraicè *Bath-kol* reſidet. *Schekinah* nonniſi poſt everſum primum Templum, prophetia, & oraculo Urim ſilentibus, conceſſa fuit. *Bath-kol* traditio eſt, revelationi ſuccedens, & Legem explicans. *Schekinah* præſentiam S. Spiritus deſignat, qui in Templo Jeroſolymitano reſidens, Principes aeris, juxta Rabbinos, arcens, valetudinem operabatur tranquillam.

Addunt etiam, mitibus illam & demiſſa ſentientibus delectari, à ſævis & furentibus abhorrere. Si cujus domus advenis pateat, eam ſibi eligit; quemadmodum & ſi duo tresve Legis evolvendæ gratia convenerint, illis comes accedit. Tandem, inquiunt, *Schekinah* ſedem decies mutatam, in monte Oliveti dimidio ultra tres annos fixit (f), nunquam non ad Iſraelitas clamitans: Revertimini ad me filii mei; & ego revertar ad vos. Cujus voces ſurdis auribus Judæis excipientibus, tandem è loco ceſſit. Hæc quidem hiſtoria prædicationem Chriſti apud Judæos, ejus in Cœlum ex Oliveto Aſcenſionem adumbrat.

(Schekinah. Argumentum hoc eſt apertiſſimum, quo ſentirent Hebræi præſentiam Numinis inſidentis Propitiatorio vel aureis Cherubim adhærentibus Propitiatorio vel operculo Arcæ. Porrò reſidebat ibi *Schekinah* in ſpeciem nubis. Hic Deus conceptis vocibus reddebat, conſultus à Summo Sacerdote, in favorem populi oracula. Hinc pariter familiaris illa Scripturæ phraſis, aſſidere Deum ſuper Cherubim vel inter Cherubim; quod perinde eſt ac præſentiæ ſuæ argumenta vel ſenſibus ipſis dare, reſpondentem

Iſrae-

(a) Iſai. 8 14. Luc. 2. 24. Rom. 9. 33. & 1. Petr. 2. 27. (b) Vide 3. Reg. 11. 4. & 4. Reg. 23. 13.
(c) Vide Sept. 1. Reg. 9. 21. & 10. 19. &c. & 15. 17. & 3. Reg. 8. 16. & 11. 13. 32. 35. & 12. 20. 21. In Vulgata lege Num 18. 2. Jer. 51. 19.
(d) Joſeph. de vita ſua, & de Bello, l. 2. c. 25.
(e) Vide Baſnag. hiſt. des juifs, l. 6. c. 5. art. 17. (f) Echa Rabb. fol. 1. 59.

Digitized by Google

Iſraelitis. Docebant Rabbini *Schekinah* reſediſſe primùm in Tabernaculo à Moyſe in Deſerto erecto, eò deſcendente ab ipſa conſecrationis die ſub obtentu nubis. Migravit poſt hæc in Sanctuarium Templi Salomonici, qua die ſolemnis Templi dedicatio ab eo Principe celebrata eſt; perſeveravitque ibi uſque ad everſionem Jeruſalem & Templi per Chaldæos, & poſthac nuſpiam.

(Quæ de *Schekinah* referunt Orientales proſequuti ſumus V. *Samuel*.)

SCHEM-HAMPHORASCH; ſcilicet *nomen expoſitum*, ſive *diſtinctum*; nomen ſcilicet *Jehovah* incommunicabile, quod Judæis pronunciare nefas; ut ne veram quidem ejus pronunciandi rationem noverint. Vide *Jehovah*.

(SCHESCH, vox pura putaque Hebræa, quæ plerumque redditur *linum*. Vide *Linum*.)

SCHIBBOLETH, ſive *Sibboleth*, vox Hebræa ſonans *ſpicam*. Poſt relatam à Jephte cum Tribubus transjordanicis de Ammonitis victoriam, Ephraimitæ querentes, ſe in ea expeditione neglectos, eorum regionem invaſerunt (a): Jephte mitioribus verbis exaſperatos illorum animos palpante, nihil tamen ab ipſis remiſſum eſt; ſed Galaaditis inſultantes, fugitivos ex Ephraim & Manaſſe, nempe utrique Tribui alienos & ſpurios, per contemptum appellabant. Quæ quidem nonniſi injuria ab illis dictitabantur; cùm Machir pater Galaad Manaſſem patrem habuiſſet. *Num.* 26. 29. An hæc poſt conflictum cum Galaaditis, ſive ante illud Ephraimitæ ſparſiſſent, incertum: pugna ſanè inter utroſque interceſſit, in qua pluribus adverſariorum cæſis, victoria pro Galaaditis ſtetit. Quare, victores ſibi inſiſtendum rati, Jordanis ripis præoccupatis, ad vada accedentes, quoſcumque num Ephraimitæ eſſent, interrogabant: negantes cogebant vocem *Schibboleth* pronunciare; quo indicio facilè Ephraimitæ deprehenſi, quippè qui gentis dialecto *ſibboleth* proferrent. Ea die 40000 Ephraimitarum deſiderata ſunt.

(SCHILO, vox apud Interpretes, Scriptoreſque Commentariorum celebris, occurrens Geneſ. 49. 10 & ad deſignandum Meſſiam poſita. Meſſiæ hujus adventum fatidicis hiſce verbis vaticinatus eſt Jacob Patriarcha: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Pro eo quòd habet Vulgata, *Qui mittendus eſt*; præfert Hebræus *Schiloh*: *Donec veniat Schilo*. Inter omnes Chriſtianos Scriptores convenit ea voce deſignari Meſſiam, Jeſum Chriſtum; ſed de literali & grammaticali ejus ſignificatione diſſidium eſt. S. Hieronymus, qui reddendam cenſuit, *Qui mittendus eſt*; legebat facile *Schiloach*, miſſus, pro *Schilo*. Septuaginta vertunt: *Donec veniat ille, cui repoſitum eſt, vel quæ repoſita ſunt ei* (*).

Utique fateamur oportet Hebræi *Schiloh* non ſatis exploratam eſſe ſignificationem. Reddunt nonnulli: *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat ad quem pertinet* (idem ſceptrum). Alii: *Donec veniat pacificator*, vel *pacificus*, vel *proſperitas*. *Schalah* ſignificat eſſe in pace, in proſperitate. Alii: *Donec naſcatur is qui naſcetur ex fœmina, quæ concipiet ſine commercio hominum* (b). Aliter: *Non egredietur ſceptrum de Juda uſque ad ejus exitum, ſeu uſque ad ejus ruinam*; ruinam ſcilicet Regni Judaici. Rabbinorum nonnulli nomen *Siloh*, vel *Schilo* uſurparunt perinde ac peculiaris eſſet Urbis in Palæſtina appellatio; *Non auferetur ſceptrum de Juda donec veniat ad Silo*, quoad uſque adimatur illi, transferaturque in Saul ad Silo. Sed nuſpiam in Scriptura legimus Saulem ſeu agnitum fuiſſe, ſeu conſecratum in Regem in Silo. Si quis dictum uſurpare maluerit de Jeroboamo filio Nabath, res erit ſemper perinde incertiſſima; nuſquam enim indictum in Silo cœtum indicat Scriptura ad conſtituendum illum in Regem. Recentior quidam Author (c) deducit *Siloh* è *Schalah*, quod ſonat interdum fatigare ſe, tolerare; Donec ejus labores & perpeſſiones *paſſio ejus veniat*.

Ne tamen labbremus in inveſtiganda grammaticali ſignificatione *Siloh* vel *Schilo* ſatis erit demonſtraſſe, ſummum fuiſſe veterum Judæorum cum noſtris conſenſum in determinando ejus ſenſu, ut reddat *Meſſiam Regem*. In hanc ſententiam exponunt Paraphraſtes Onkelos & Jonathan, veteres Commentatores Hebræi in Geneſim, & ipſi pariter Thalmudiſtæ. Jeſus Chriſtus & Apoſtoli ab eo teſtimonio urgendo, pro demonſtrando adventu Meſſiæ, ſeſe temperarunt, id ſervatum ab illis reputandum eſt, quòd impleta ejus fides non ſatis ad ſenſum adhuc teneretur. Subſiſtebat adhuc ſceptrum apud Judæos, Regeſque habebant gentis ſuæ peculiares in Herodibus. Sed brevi omne Imperii veſtigium eraſum eſt, remotumque ab illis ſceptrum nunquam eſt reſtituturum.

Fruſtrà pervicaces Judæi invitos ab oraculo Prophetico ſenſus extendere conantur, obtrudentes e. g. *Sceptrum* exprimere exterum Imperium illud, cui manent ſubmiſſi, vel ſpem tandem potiundi Sceptro, recipiendæque; qua deſtituuntur, ſupremæ poteſtatis; nemo enim non impos mentis intelligit hæc pro re nata ab illis reponi, ut ſe ab anguſtiis liberent. Fruſtrà perfugium quærunt in neſcio quibus *Principibus Captivitatis*, quos ſubſiſtere adhuc affirmant trans Euphratem, ac retinere in gentem ſuam authoritatem deſpoticæ fermè æqualem, genuſque referre ſuum è Davide. Aſſerta hæc Principum ſeries ludibrium eſt errantis phantaſiæ, cujus, ſi quæ ſeries per tractum aliquem temporis demonſtraretur, hæc utique plus nimio eſſet brevior, atque authoritatem obtineret obſcuram nimis ac dilutam, quàm ut totam implere magnifici hujus Oraculi vim crederetur. Videſis hæc omnia fuſiùs diſcuſſa in Commentariis ad Geneſ. & apud Authores de hoc argumento tractantes, quos habes deductos in Bibliotheca ſacra Dictionario præfixa.)

SCHINUS, ſive *ſchinum*, lentiſcus. Seniores, qui in Suſannam calumniam ſtruxerant, *Dan.* 13. 55. Daniel interrogavit, quânam ſub arbore puellam cum adoleſcente colloquentem vidiſſent. Alter ex illis reſpondit: Sub ſchino. Cui Propheta; Opportunè, ait, ſub ſchino, Deus quippe ſcindet te (Græcè *ſchiſei ſe*) medium. Hic verborum jocus cùm in Græco tantùm vim habeat, inde Suſannæ hiſtoriam nunquam Hebraicè ſcriptam aliqui ſuſpicantur. Vide *Prinus*.

SCHISMA, vox Græca, ſonans ſciſſionem, diviſionem. Corinthios rogat Apoſtolus, *ut non ſint in ipſis Schiſmata* 1. *Corinth* 1. 10. Et Judæi diſſidentes inter ſe, an Chriſtus Propheta verus haberetur, an ſeductor, *Schiſmata* habuiſſe perhibentur. *Joan.* 9. 16. Facta à Jeroboamo, & decem Tribubus à reliquis ſeceſſione, à religione etiam Domini univerſum illarum regnum deſcivit; factoque ſchiſmate, Templum Jeroſolymitanum, quem unum locum Deus ſibi ſelegerat, ſibi interdixere. Simile etiam ſchiſma Chutæi, alio nomine *Samaritani*, foverunt, ex quo in regionem decem Tribuum deducti ſunt; eorumque Schiſma uſque ad conſtitutam Chriſtianam Religionem manſit. Caraitas traditiones rejicientes Judæi noſtræ ætatis tamquam Schiſmaticos rejiciunt.

Quæ Eccleſiam Chriſtianam ab ejus crepundiis ad noſtram uſque ætatem turbaverint ſchiſmata, frequentiſſima occurrunt. Hæc autem eſt inter ſchiſma & hæreſim differentia: illam, hæreſim nempe, pernicioſiſſimos in fidem errores, in contemptum inflictarum ab Eccleſia pœnarum, inducere; ſchiſma

(a) Judic. 1. 6. A. M. 2817. ante Chr. 1183. ante Ær. 1187.
(*) Quaſi legerint Schilo, non Schiloach.
(b) Scilia Secundina, Fluxus Arab. Ludov. de Dieu.
(c) Gauſſet Comment. Ling. Hebraic. p. 415.

verò nihil quidem erroneum fidei repugnans adſtruit, verum tamen Eccleſiæ caput, ſive temerario auſu impugnat, ſive ab ejus communione recedit. Hinc varia inter Eccleſias Occidentis ſchiſmata, cùm aliæ huic, aliæ alteri Pontifici ſubmitterentur. Græci etiam, & Chriſtianorum Orientis plerique, ſchiſmate adhuc ab Eccleſiis Latinis ſeparantur; quippe qui Romani Pontificis authoritatem rejiciunt.

SCHOLÆ VEL ACADEMIÆ JUDÆORUM. Inter potiſſimas curas hanc habuerunt non è medio Judæi, ut docerent ſtuderentque Legibus, quas à Moyſe receperant. Patresfamilias huic ſtudio addicebant familiam ſuam, ipſis ſe doctoribus. Palàm legebant illam in Templo, in Synagogis, in Academiis Rabbini. Sunt qui jam inde ante diluvium (a) obtinuiſſe dicant Scholas pietatis ſub ipſa Patriarcharum directione, quarum caput conſtituunt Adam, tum Enos, tandem Noe. Præerat Melchiſedech, ſi Authoribus hiſce fides, Scholæ in Urbe *Cariat-Sepher* alio nomine *Hebron* in Palæſtina. Abraham, qui in hac Schola profecerat, docuit Chaldæos ac Ægyptios. Ex hoc poſtremo didicerunt Ægyptii (b) Aſtronomiam, & Arithmeticam. Jacob poſt Abrahamum in docendo perſeveravit. Affirmat de illo Scriptura 25. 27. *Jacob erat vir ſimplex & habitabat in tentoriis*; i. e. juxta Paraphraſtem Chaldæum: *Erat præfectus & miniſter in domo doctrinæ*.

Hæc utique omnia incerta ſunt maximè & parùm ſolida; nemo tamen revocaverit in dubium Moyſem, Aaronem, & Seniores Iſrael inſtituiſſe populum in deſerto, quam pariter aſſumpſiſſe provinciam plures optimos Iſraelitas, ut ſcilicet in timore Dei dirigerent familiam ſuam, credimus; ſed hæc omnia minùs adhuc probant, de quibus modò res eſt, Scholas. Sub Joſue conſtitutas ſpectamus Academias quaſdam Prophetarum, ſeu *filiorum Prophetarum*, i.e. Diſcipulorum, qui ſub illis Præceptoribus formabantur in aſceticis exercitationibus virtutum, in ſtudio, contemplatione, ac lectione Divinæ Legis. Scholas ejuſmodi in Najoth Ramathæ ſub Samuele floruiſſe, quò David & Samuel ſæpè receperunt, ſat conſtat 1. Reg. 19. 19. 20. &c. Eò appatitores ſuos miſit Saul, ut apprehenderent Davidem; ſed illi propiores facti cœtui Prophetarum, cujus erat Princeps Samuel, juncti ſunt cæteris, inter Prophetas Prophetæ; quod pariter in ſe experti ſunt alii ſubindè & alii ab eodem Principe eo ejuſque conſilio ſubmiſſi.

Scholæ etiam ſuppetunt in Bethel (c) & in agro Hierichuntino (d) ſub Elia & Eliſeo. In Jericho pariter florebant Prophetæ, dum Regnum Iſrael ſtaret (e). Sunt qui autumaverint ſub Elia religioſum quoddam Cœnobium conſtitutum fuiſſe in monte Carmelo (f). Conſulebantur Prophetæ illi de rebus maximi momenti; auſcultabantur eorum lectiones; uti exemplo hoſpitæ Eliſæi intelligimus; interrogatur enim à viro ſuo cur iret ad Prophetam, *cùm hodie*, ait 4. Reg. 4. 23. *non ſint Calendæ neque Sabbatum*. Perſeveraront hæc adusque captivitatem Babylonicam; quin & captivi ipſi docentes frequentaſſe Prophetas videntur, ſi qui fortè occurrerent in locis ubi verſabantur. Narrat Ezechiel 20. 1. 2. 3. &c. & 14. 1. 2. & 23. 31. varia illa colloquia, quæ cum Senioribus Iſrael detinuit, dum illi ad conſultandum venirent. Circà illum pariter coibant populi, tanquam auſcultaturi ac perhibituri auribus doctrinam; ſed docentis verba poſtea temnebant.

Scholas vel Aſceteria illa Prophetarum exceperunt Synagogæ, quas ante Captivitatem Babylonicam obtinuiſſe, ambigimus. Nihilo tamen ſeciùs in Pſal. 73. 8. legimus Nabuchodonoſorem incendio vaſtaſſe Synagogas omnes Regionis. Seniores Iſrael noctem precando continuarunt in Eccleſia: *Judith* 6. 21. 22. *Per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt*, opem à Deo in Holofernem poſtulantes. Græcum Eſther 4. 16. inſinuat ſuas etiam fuiſſe Synagogas Suſis ſub Eſther & Mardochæo. Harum numerus creviſſe adeò fertur in Judæa poſt ſolutam captivatem, ut una Urbs Jeruſalem complecteretur ad 400. juxtà nonnullos vel 304. juxta alios. Singulæ artes ſuam habebant peculiarem. Sicut & exteræ quædam gentes ſuas ſiidem plures (g).

Nonniſi poſt reditum è captivitate invectum eſt in Iſraelem diſſidium Sectatorum, Phariſæorum, Saducæorum, Eſſeniorum; nota eſt pariter in Evangelio Secta Herodianorum. Singulis hiſce ſuæ erant Scholæ. Vide ſingularum articulos.

Quæ teneretur in Synagogis & Scholis docendi methodum apertiſſimè ex Evangelio, Actiſque intelligimus. Jeſus Chriſtus duodennis repertus eſt in Templo in medio Doctorum audiens & interrogans Luc. 2. 46. cùm in Synagoga Nazaret Patriæ ſuæ adeſſet olim, oblatum ſibi volumen Prophetiæ Iſaiæ revolvit Luc. 4. 16. 17: legitque è Propheta ſententiam; tum convolvit illud denuò aſſeditque verba facturus; legebat ergò ſtans uti nos cùm legimus Evangelium. Antè pedes Gamalielis inſtructum ſe affirmat S. Paulus *Act.* 22. 3. Refert Philo lib. *quod omnis probus liber*, in cœtibus Eſſeniorum aſſediſſe pueros ante pedes Præceptorum audientes ab illis interpretationem Legis, ac ſenſus allegoricos & typicos pro more veterum Philoſophorum. Ambroſiaſter in 1. *Cor.* 14. affirmat apud Hebræos ſedere Rabbinos in cathedris aminentibus. E Diſcipulis qui magis profecerint in ſcannis infra Doctores; juniores verò ſolo in ſtoreis. Sed Authores Thalmudici perhibent (h) olim Doctorem ſediſſe, ſtantibus Diſcipulis; ac ab his moribus receſſum fuiſſe jam inde ante everſionem Templi per Romanos, invectumque, ut primum ſcannum teneret Doctor, quem in ſcannis in coronam diſpoſitis vel aſſidentes in terra ambirent Auditores. Docebat Rabbinus ſeu per ſe ſeu per Interpretem, cùm per Interpretem, Hebraicè ille loquebatur; quæ ejus dicta vernaculo ſermone reddebat Interpres. Si quis ex Auditoribus ſciſcitaretur aliquid à Doctore, verba dirigebat ad Interpretem, qui Rabbino dicta exponebat, tum & datum ab illo reſponſum referebat ad alterum.

Narrat S. Hieronymus in *Iſai. cap.* 8. *lib.* 3. non diù ante natum Jeſum Chriſtum duos celebres Rabbinos Sammaim & Hillel duas celebres Scholas conſtituiſſe, ex quibus factum ut in duo abirent Judæi, conſtituerenturque ex illis Scribæ & Phariſæi. Excepit illos Akiba præceptor Aquilæ, inclyti Scripturarum Veteris Teſtamenti Interpretis. Poſt Akibam venit Meir, tum Joahanan filius Zachai, poſtea Eliezer, Delphon, Joſeph Galilæus, ac tandem Joſue Scholæ hujus princeps uſque ad captam Jeruſalem. Hanc Doctorum ſucceſſionem inſtruebant Judæi ætate S. Hieronymi.

Affirmant Rabbini poſt Urbis everſionem emerſiſſe Scholam in Japhne, appellatam dein *Jotlin* in Galilæa, tum & alteram Lyddæ vel Dioſpoli. Profeſſus eſt Akiba primùm Dioſpoli, tum *Japhne*. Sed inter Academias ejus regionis *Tiberienſis* ad mare Galilææ princeps eſt habita. Rexerunt illam ordine ſuo Judas Sanctus Diſcipulus Meir, *Chanina*, *Johanan*. Aliquandiu poſt Juda è Tiberiade ſecedens Scholam ſibi aperuit in Sephoris, ubi ſeptendecim annis

(a) Vide Bouldue, Eccleſiam ante Legem. Sander. Vindic. Bibliot. Baſnag. l. 5. t. 7. c. 7. Hiſt. Judæor.
(b) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 8.
(c) 4. Reg. 2. 3. *Egreſſi ſunt filii Prophetarum, qui erant in Bethel.*
(d) 4. Reg. 2. 5. *Acceſſerunt filii Prophetarum, qui erant in Jericho.*
(e) 2. Reg. 18. 4. 13. &c. & 19. 1. & 20. 33. &c.
(f) Ligtfoot. Centur. pag. 66.
(g) Vitringa de Synagog. c. 10. veter. l. 1. p. 2. c. Franc. Burman. Diſſert. p. 257. (h) Thalmud. tit. Megillah.

Digitized by Google

annis profeſſus eſt. Animadvertiſſe tamen juvat hanc Doctorum & Scholarum ſucceſſionem inter incertiſſimam haberi, Vide P. Morinum *Exercit. Biblic. lib.* 2. *cap.* 1. & 3.

Poſt acciſas Scholarum Palæſtinæ res, quarum exitus conſtituitur circa dimidium tertii ſæculi, ſucceſſionem Doctorum ſuorum quærunt Judæi trans Euphratem, *Soræ*, *Pumdebitæ*, *Nehardeæ*, *Peruts Schibbur*, quæ loca ſunt ignotiſſima, & ambigui ſitûs. Tenent autem Scholas illas conſtitutas fuiſſe circa annum 220. authoribus Rab & Samuela: Perſeveraſſent, ſi illis fides, ſpatio 800. annorum uſque ad A. 1030. Jeſu Chriſti, tandiù ſcilicet quandiù Saracenis everſionibus non perierunt.

E' ruderibus illarum Scholarum formatæ Scholæ Ægypti & Europæ; ſed floruerunt maximè Judæis Doctoribus Hiſpanis. Moyſes filius Maimonidis, vel Maimonides, natus eſt Cordubæ; auſcultavit Averroem, recepitque ſe in Ægyptum, ubi deceſſit A. Chr. 1205. R. Nathan Princeps Scholæ Romanæ obiit A. 1106. Abenezra celebris Rabbinus obiit Rhodi 1174. R. Salomon alio nomine *Raſchi*, vel *Jarchi* oriundus Lunello in Provincia vel ex Urbe Troja in Campania, obiit Treviris A. 1180. Kimchi ortus Narbonæ floruit ab anno 1200. uſque circiter ad 1250. Atque hi Rabbinorum potiſſimi & certa illorum ætas; ex quibus formare licèt ideam, quà Scholarum, quà ſucceſſionis Doctorum hujus gentis. Egimus de hoc argumento fuſiùs in Diſſertatione de Scholis Judæorum.)

SCHUSCHAN, ſive *Suſan*, vox Hebræa, lilium ſonans, in titulo Pſalmi 60. apud Hebræos, & 59. apud Latinos: *Deus, tu repuliſti nos*, &c. occurrens. Muſicum inſtrumentum ſex fidibus conſtans eo nomine ſignificatum credimus. Vulgata legit: *Pro his, qui immutabuntur*.

(SCIENTIA. Plantavit Deus in Paradiſo terreſtri *lignum ſcientiæ boni & mali Gen.* 2. 9. i. e. ſcientiæ rerum omnium. Noſſe enim bonum malumque exprimit ſcientiam generatim ſaltem in rebus moralibus. Porrò arbor iſta ſcientiæ alia planè fuiſſe creditur ab arbore vitæ; deguſtando verò ejus arboris fructu pellectam fuiſſe Evam ſpe potiundi Numinis aliquid, rerum omnium cognitione acquiſita: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum Gen.* 3. 5.

Deus ſcientiarum Dominus eſt, ait Anna in ſuo Cantico 1. *Reg.* 2. 3.; i. e. omnia intuetur, omnia noſcit, pervaditque; præſentia, præterita & futura æquè ſubmittuntur oculis ipſius, cogitationum noſtrarum, & propenſionum abdita penetrat, eorum omnium, quorum ſcientia inſtruimur, & quæ noſcimus, author eſt & origo.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam Pſ. 138. 6. captum meum plurimùm ſuperat ſcientia tua, ut nec aſſequi illam valeam conando. Abſurdum eſſet utique, ſi ad æqualem cum ſcientia Dei gradum pertingere homo conando præſumeret; ſed & abſurdum eſt pariter ſiquis perſuadeatur de infinita hac ſcientia juſtam poſſe ſe ideam formare, vel cogitare quidem: id tantùm novimus habere nos intra anguſtiſſimos concluſas terminos meditationes noſtras atque cogitationes, cùm in Deo mens pateat latiſſimè, omnibuſque ſit numeris abſoluta; hæc planè non ſequuntur homines; ſed audere ad plenum ſcrutari ejus ſcientiæ profundum, perinde eſſet, ac ſi maris guttas dinumerandas ſuſciperemus.

Scientia Dei, ſcientia ſalutis, ſcientia Sanctorum: exprimere poſſunt ſerias, utileſque meditationes ad Religionem ſpectantes, deducenteſque nos ad Deum & vitæ ſanctitatem; vel ſcientiam datam inſpirantque à Deo circa res ſacras.

Nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos (in ſepulcro), *quò tu properas*. Decora hæc viſa ſapientum doctique, quibus tibi facis in mundum apparatum ac nomen, evaneſcent in obitu omnia. Res erit tunc de bonis maliſque geſtis præteritæ vitæ, & nihil ultrà; hæc tantùm feremus nobiſcum; hæc utilia futura ſunt nobis in obitu. Commodè etiam exponetur Textus tanquam exprimens impiorum effatum illud: Fruamur modò voluptatibus, omnia pereunt pereunte corpore, ut in altera vita nihil remaneat, non operum meritum, non ratio, non ſapientia, non ſcientia.

Scientia inflat, charitas verò ædificat Eccle. 9. 10. Vana rerum inanium ac ſpeculabilium ſcientia, quæ nonniſi pruritum illum res novas ſciendi ſatiat, verſaturque tantùm in iis, quæ nec ad noſtram nec ad proximi, nec ad publici, ſive ad Dei utilitatem gloriamque pertinent, vana ſunt, & nocendo potiùs, quàm juvando conſerunt. Quæ ſalutis eſt ſcientia, hæc utilis & ſolida; noſſe Deum & amare, mundi ſe contemnere; mentis intentionem omnem eò referre, ut ſibi quiſque ſanctitatem procuret, Deo gloriam, & proximo morum ædificationem; hæc una eſt ſcientia ſolida & ſincera.

Ipſe de ſe Apoſtolus affirmat 2. *Cor.* 11. 6. *Imperitus ſermone, ſed non ſcientia*. Expers erat laſtoſa illa ſcientia, quæ docet imponere aliis magnificis, inflatis, ac eloquentia fucatis verbis; ſcientia excultus erat modeſta ac ſimplici, ſimul autem ſolida, eminenti, pura, iiſque accommodata, qui ſanctè diſpoſiti atque inſtructi voluntate diſcendi, proficiendique ad auſcultandum accedebant.

Vitio vertit Jeſus Chriſtus Phariſæis *Lucæ* 11. 52. *Tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis*. Studium Legis inter potiſſimas occupationes ſuas habebant Phariſæi. Doctiſſimi Judæorum omnium habebantur, patiebanturque moleſtè, ſi qui fortè alii nomen ſibi ſcientiæ aliquod feciſſent; uno verbo, occupaverant ſcientiæ clavim. Sed qui homines illi, rogo? an ſcientiam colebant ut meliùs viverent? Aditum ſibi non aperiebant ad Regnum Cœlorum, in geſtis ſuis nihil niſi fucatum atque per hypocriſim parebat. Traditiones illæ, quibus intercirant Legem, corruptio erant potiùs, quàm genuina expoſitio juſſionum Dei; Quare non ipſi tantùm aberrabant à via in Cœlum ducente; ſed & alios impiis interpretationibus ſuis, ne rectà incederent, cogebant.

SCIENTIA ÆGYPTIORUM, quâ Moyſes inſtructus fuit. Vide in Dictionario v. *Sapientia*, & *Moyſes*.)

SCINIPHES, ſive *Chniphes*; tertia Dei in Ægyptios plaga, *Exod.* 8. 16. quâ ſcilicet immiſſis in illos culicibus, moleſtiſſimè affecit, ut aliqui opinantur. Sciniphes apud Origenem in Exod. hom. 4. ſunt culices minutiſſimi, ut ferè viſum fugiant, qui corpori adhærentes, pruritum excitant vehementiſſimum. Porrò illos in oculos, nares, & aures irrepentes, aculeum ubique ſuum inſinuaſſe Philo de Vita Moſis l. 1. teſtatur. Hebræum *Kinnim* Septuaginta ſciniphes, Syriacus, & plures optimi Interpretes reddunt *pediculos*. (a).

SCOPAS, Ætolus Imperator exercitus Ptolemæi Epiphanis Regis Ægypti, in Judæam, & Cœle-Syriam miſſus, ut urbes, & provincias ab Antiocho Magno Ægyptiis ablatas, recuperaret (b). Proſpero primo ſucceſſu, fortè quia expeditionem hyeme ſuſceperat, rem egit; ſed inita æſtate, collatis cum Antiocho ſignis juxta fontes Jordanis, prælio ſoſauſto fractus eſt (c). Reductus demum Sidonem, arctâ obſidione ab Antiocho concluſus eſt, ait S. Hieronymus in Dan. 11. miſſis autem a Ptolemæo cum auxiliaribus ad illum copiis, à tribus inſtructiſſimis Ducibus Ærope, Menocle, & Damoxene, cùm hi tamen nihil in hoſtes valuiſſent, tandem Scopas ſerva-

(a) Vide Bochart. de Animal. Sacr. p. 2. l. 4. c. 18. p. 572, 573.
(b) Antiq. l. 12. c. 13. Polyb. hiſt. l. 16. A. M. 3806. ante Ch. 194. ante Ær. 198.
(c) Excerpt. Valeſ. p. 77. 80. Liv. l. 33.

ſervata ſibi ſuiſque vita, urbem dedere coactus eſt. In Ægyptum redux, biennio poſt, Æſolorum, quibus præerat, ope, Regnum Ægypti invadere moliebatur (a). Suſpenſum adhuc hæſentemque Ariſtomenes interim, & Polycrates de proditione reum detulerunt: qua ſubito audita accuſatione, contabuit adeò, ut ne hiſcere quidem pro ſe auſus, communi omnium ſuffragio damnaretur. Quare in carcerem detruſus, eadem nocte ab Ariſtomene veneno ſublatus eſt.

SCOPOS, locus ſeptem ſtadiis, ſive 875. paſſibus ad ſeptentrionem Jeroſolymæ, quem Titus, obſidionem Jeroſolymæ diſponens, duabus conſtitutis legionibus, occupavit. *Joſeph. de Bello l. 6. cap 3.*

SCORIA, recrementum metallorum. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam Iſa.* 1. 22. 25. Hebræus tamen ſonat potiùs metallum plumbo, ſivè ære admixto corruptum. Vide *Ezech.* 22. 18. 19.

SCORPIO, parvum animal, geſtans in cauda, uti ferunt, venenum, ſubnigro colore, veluti fuligine atratum, octo pedibus inſtructum, & minutiſſimis oculis, ut vel aſpectum fugiant. In algeniſſimis regionibus innoxios eſſe ſcorpiones ferunt; quod etiam de ſcorpionibus ſubalbeſcentibus vulgatum eſt. Scorpio ipſe ſuper inflictum vulnus contritus, ſibi remedio eſt præſtantiſſimo. Hebræos horrentia deſerta ſcorpionum, & ſerpentum, quibus nomen *dipſas*, pertranſiiſſe Moyſes teſtatur. *Deut.* 8. 15. Scorpionem concinnè deſcripſit Tertullianus in exordio Libri inſcripti *Scorpiacus*. Hebræus legit *bakarab*, ſive *akrab*; unde *Acrabatene* nomen regionis in Palæſtina; & aſcenſus *Akrabim*, ſive ſcorpionum.

(Scorpio animal eſt veſicam gerens noxio veneno turgidam. Aptè in tres partes diſtribueretur, videlicet in caput, pectus, & ventrem. Caput junctum videtur comminutumque pectori. Gemino oculo inſtruitur in medio & gemino versùs extremum capitis, inter medios oculos porriguntur veluti duo brachia, quorum extrema bifurcata ſunt ut furfices cancri. Octo crura è pectore demittuntur, ſingula autem in ſex partes diviſa ſunt, teguntur que vellere, extrema autem habent parvis ungulis armata. Venter conſtat ſeptem annulis, è cujus poſtremo ſurgit cauda in ſeptem tuberculos diſtributa, cum acu ad extremum. Sunt ex illis quidam ſex inſtructi oculis, ſunt alii in quibus vel octo apparent ad ſenſum. Cauda porrigitur, componiturque veluti globulis, aliis poſt alios; poſtremus autem amplior eſt & longior cæteris, extremamque oram gerit armatam interdum duplici acu intus cavo, frigido veneno turgenti; virus autem ejaculatur in vulnus.

Tingitur atro colore ceu fuligine ſcorpio, incedit obliquè; inhæretque fortiter roſtro pedibuſque, illis, quos apprehendit, ut difficile avellatur. Alati ſunt interdum, aliis à locuſtis non abludentibus, volitantque per regiones ſpeciem exhibentes ceu volantium formicarum teſtibus Plinio cum Strabone. Varii ſunt colore, namque agniti ſunt à veteribus ſcorpii nigri, flavi, cinerei, rubri, virides, albi, vinoſi, ac fuliginoſi. Fertur ſcorpii fœmella undecim parere vermiculos rotundos, pediculo non majores, quos editos fovet; cùm matris fomento ultra non indigent in illam ſurgere, atque perimere dicuntur. Nocent potiùs fœminis, quam maribus & inter fœminas puellis. Noxiores reputantur, quorum in cauda ſeptem nodi, quam quorum ſex diſtinguuntur.

In Scriptura Scorpiones figurato ſenſu exprimunt impios: *Cùm Scorpionibus habitat*, ait Dominus ad Ezechielem 2. 6. cum impiis & ſeditioſis. Eccli. 26. 10. *Qui tenet illam* (mulierem nequam) *quaſi qui apprehendit ſcorpionem*, veneno periclitatur. Scorpiones inter cætera inſtrumenta ultionis Domini recenſet idem capite 39. 36. Scorpionis indolem & quem morſu ſuo cauſat dolorem ſcitè deſcribit S. Joannes Apoc. 9. 3. 5. *De fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ; & præceptum eſt illis ne læderent fœnum terræ, neque omnem arborem niſi tantum homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, & datum eſt illis ut occiderent eos; ſed ut cruciarent menſibus quinque, & cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpii, cùm percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem & non invenient eam, &c.*)

SCORPIONES, genus flagelli cuſpidibus armati, quo ſe animadverſurum in Iſraelitas Roboàm denuntiat (b): *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* *Numer.* 3. 44. *Joſue* 15. 3.

ASCENSUS SCORPIONIS, ſive *Acrabim*, ſitus ad extremitatem maris Mortui in plaga meridionali Judæ. Acrabatane verò regio eſt in Samaria, cui nomen inditum, ſive à ſcorpionibus, ſive à loco *Akrabim*. Vide *Acrabim*, ſive *Acrabatane*.

SCORPIONES, belli machina, ſpiculis jaciendis 1. *Mach.* 6. 51. hinc ad ſpicula ipſa tranſlatum nomen. De hac ita Tertullianus in limine Libri Scorpiaci: *Bellicam machinam, & retractu tela vegetantem, de ſcorpio nominant. Id ſpiculum & fiſtula eſt, patula tenuitate in vulnus, & virus, qua figit, effundit.* Et Vegetius l. 4. cap. 22. *Scorpiones dicebantur, quos nunc manubaliſtas vocant; ideo ſic nuncupati, quòd parvis ſubtilibuſque ſpiculis inferant mortem* Vide Lipſ. Poliorc. l. 3. Dial. 4.

SCRIBA, Hebraicè *Sopher*; Græcè *Grammaticus*, quod multiplici ſenſu in Scriptura nomen uſurpatur.

1. *Scriptorem*, ſive à ſecretis virum deſignat. Porrò munus illud in aula regum Juda plurimùm ſpectabatur; nam inter primores aulæ Præfectos Scribas recenſeri in Scriptura conſtat. Munus illud Saraja apud Davidem, 2. *Reg.* 8. 17. ſicut & Siva, & Semejas obibant, 2. *Reg.* 20. 25. & 2. *Par.* 24. 6. Sub Salomone Elihoreph, & Ahia Scribæ laudantur; 3. *Reg.* 4. 3. ſub Ezechia Sobna: 4. *Reg.* 19. 2. ſub Joſia Saphan. 4. *Reg.* 32. 8. 9 Porrò cùm ea ætate ſcitè atque emendatè ſcribentes rari eſſent; hinc ſcribarum munus in pretio habebatur.

2. *Scriba*, eſt caſtrorum Præfectus, qui milites recenſebat. In bello à Barach in Siſaram illato, ſcribæ quidam ex Zabulon ſcriptorium calamum peritiſſimè tractantes, adfuerunt. *Judic.* 5. 14. Sub Ozia Rege Juda Jehiel ſcriba Regiis exercitibus præerat. 2. *Par.* 26. 11. Apud Jeremiam ſcriba quidam inducitur Tyrones milites exercens. *Scribam Principem militum, qui probabat tyrones.* *Jer.* 52. 25. Vide 4. *Reg.* 25. 19. Hebræus legit; *Qui militare faciebat populum terræ.* Judas Machabæus ſcribis injunxit, ut in ripa torrentis ſtantes, caverent, ne quis unquam militum tranſnataret. 1. *Mach.* 5. 42.

3. *Scriba*, eſt vir Lege eruditiſſimus, rerumque gerendarum non rudis, cujus generis ſcribam Jonathan patruus Davidis referebat. 1. *Par.* 27. 32. Baruc diſcipulus, & amanuenſis Jeremiæ, & Gamarias filius Saphan, ſicut & Jonathan ſub Joſia, Scribæ appellantur. *Jer.* 36. 10. 12. 20. 26. Totam hominis felicitatem in Deo ſitam eſſe ait Jeſus filius Sirach, *Eccl.* 10. 15. cui uni totus ſcribæ honor referendus eſt. Eſdras hoc potiſſimum elogio in Lege commendatur: 1. *Eſdr.* 7. 6 *Scriba velox in Lege Moyſis.* Scribæ populi, de quibus frequenter in Evangelio, Doctores erant, quibus legendæ, & explicandæ Legis publicum munus committebatur.

A' Moyſe primùm ſcribas cœpiſſe aliqui autumarunt (c); ſed eorum nomen nonniſi à Judicibus occurrit. *Judic.* 5. 14. Alii à Davide inſtitutos, cùm Levitarum, & Sacerdotum claſſes diſtribueret. 1. *Par.* 24. & 26. S. Epiphanius ab ineuntibus Saducæis acceſſit. In Actis 23. 9. ſermo eſt de Scribis Phariſæis faventibus; ex quo alii ſectam Phariſæorum pro-

(a) Polyb. l. 17. A. M. 3808. ante Ch. 192. ante Ær. 196.
(b) 3. Reg. 12. 11. 14. & 2. Par. 10. 11. 14.
(c) Vide Cauſab. exerc. in Baron. exercit. 1. n. 8.

Digitized by Google

profeſſos ſcribas ſuſpicantur. Revera tamen per omnes ſectas ſcribæ vagabantur.

(SCRIBÆ perinde ſunt ac Doctores Legis. Quare *Doctor ille legis* Matthæi 22. 35. eſt Marci 12. 28. *Unus de Scribis*. Cùm autem omnis Judæorum per eam ætatem ſcientia verſaretur potiſſimùm in Traditionibus Phariſæicis accommodatis ad expoſitionem Scripturæ, major Doctorum Legis vel Scribarum numerus petebatur è Phariſæis, exhibenturque ferè ſemper cùm illis Scribæ in Evangelio. Utrique placebant ſibi de ſcientia ſtudio, ac doctrina Legis. Tenebant clavem ſcientiæ *Matth.* 12. 52., occupabantque cathedram Moyſi *Matth.* 23. 2.. S. Epiphanius & Pſeudo-Clemens *in Recognitionibus* Scribarum ſectam inter Judaicas recenſet; ſed conſtat nullam ſectam ab aliis diſtinctam formaſſe Scribas, contentos uno Legis ſtudio ſeſe ab aliis diſtinguere.

SCRIPTURA. De inventione literarum ac ſcripturæ diſſidium eſt. Defendunt nonnulli uſum ſcribendi jam inde ante diluvium obtinuiſſe, ut literarum inventio ab ipſo Adamo repetatur, malunt alii à Moyſe primum invectam ſcripturam, quo antiquius nullum ſcriptis traditum monumentum fuiſſe. In Hiſtoria vitæ Patriarcharum nullum ſcripturæ veſtigium deprehenditur. Nullum ante ſe ſcriptum laudat Moyſes; qui enim Textus præfert Librum bellorum Domini *in Numeris* 21. 14. ille Textui Moſaico alteria manu acceſſit, vel liber eſt ſcriptus ab Authore Moyſi coævo. Fama quidem increbuit de Libro quodam Abrahami; ſicut & de altero ab Henoch ſcripto, quemadmodum & Lucubrationes aliæ vindicantur primo hominum parenti, atque aliæ Henoch. Meminit Joſephus *Antiquit.* l. 2. columnarum jam inde ante diluvium erectarum cum cælatis inſcriptionibus; recenſantur pariter ſcripta quædam Abrahamo authore digeſta, ſed hæc omnia inter fabellas & Apocrypha a Criticis emunctæ naris amandantur.

Fatendum eſt itaque in orbe nihil ſupereſſe hodie vetuſtius, nihil ſupra fidem Librorum Moyſis certius; ſed nunquid continuò inferendum eſt nullas fuiſſe ante illum literas? Quin & contrarium ex ipſo ejus Opere exprimitur; inſinuatum eſt enim in illo uſum ſcribendi habuiſſe familiarem Ægyptios, (unde Hebræi divulſi ſunt) tum & Iſraelitas. Porrò Iſraelitæ aſſueviſſe videntur rationi huic intimas cogitationes ſuas & reconditos animi ſenſus referandi. Viri inter illos ampliſſimi perlegerunt utique Tabulas Legis. Moyſes in univerſa Ægyptiorum ſcientia excultus fuerat; quare & ſcribere pariter didicerat (a). Vide V. *Litera*.

SCRIPTURA. Vox iſta ſine addito exprimit plerumque Libros ſacros utriuſque Teſtamenti. Matth. 21. 16. *Nunquam legiſtis Scripturas*; Cap. 26. 54. *Quomodo implebuntur Scripturæ*; 2. Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*.

SCRIPTURÆ CANONICÆ. Vide in Dictionario V. *Canon Scripturarum*. Canon Scripturarum, ſeu Collectio Librorum Veteris Teſtamenti vulgò tribuitur Eſdræ, qui in ordinem illos redegiſſe fertur, atque diſtribuiſſe in partes tres; 1. In *Legem*, 2. in *Prophetas*, 3. in *Ketubim*, vel *Hagiographos*, i.e. Scripta Sacra. Vetus iſta ratio dividendi Scripturam inſinuari videtur à Jeſu Chriſto, *Luca* 24. 44. *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me*. Inter Hagiographos Pſalmi primas tenent. Eandem Sacrorum Librorum diſtributionem agnoſcit Joſephus *l. 1. contra Appionem*. Apud nos duo tantùm & viginti Libri, Divini meritò reputati, retinentur. *Ex his quinque quidem ſunt Moyſis, quatuor verò reliqui, Prophetæ, qui Moyſi ſucceſſere res ſua ætate geſtas tredecim libris complexi ſunt, quatuor verò reliqui hymnos in Deo laudem, & præcepta vitæ hominum exhibent utiliſſima*. Animadvertiſſe tamen oportet in diviſione Sacrorum Librorum variaſſe Judæos; & hodie pariter non 22. ſed 24. ſupputant; res tamen nonniſi in numero variat. Cùm verò Canonem determinaſſe Eſdras fertur, non ita generatim dictum accipiendum eſt, neque enim e. g. in Canonem referre valuit Malachiam, Eſther, quin nec etiam Nehemiam, ubi ſermo eſt de Jaddo Summo Sacerdote, ac Dario Condomano Imperatore Perſarum, qui nonniſi poſt Eſdram vixerunt.)

SCYTHOPOLIS, alio nomine *Bethſan*, urbs ad oram occidentalem Jordanis, aliquantò remotior à loco, ubi fluvius ille à lacu Geneſareth expeditur. Vide *Bethſan*.

I. SEBA, decimus filius *Jectan*. V. *Saba III.*

II. SEBA, filius Bochri, e Tribu Benjamin, vir factioſus, qui Iſraelitas bello civili ferè implicavit. Cùm enim Tribus Juda nihil alias Tribus morata, adducendum Regem Davidem poſt devictum Abſalomum in urbem Regiam ſuſcepiſſet; rem cæteræ Tribus graviùs tulerunt (b). Quare pluribus ultrò citroque à viris utriuſque partis jactatis, Seba inſurgens, Ducem ſe ſeditioſis Iſraelitis exhibuit; factaque à Davide ſeceſſione, totus Iſrael viro adhæſit. 2. *Reg.* 20. 1. His reducendis, David vix in urbem redux, Abiſai cum exercitu miſit. Alias etiam copias in ſeditioſos Joab ducens, totam ad occidentem Jeroſolymæ regionem excurrit. Cùm ad Abelam de Bethmaaca in pylis anguſtiarum inter Libanum & Antilibanum, in qua Seba cum ſeditionis robore perveniſſet, urbem invaſit. Suffoſſis jam mœnibus, aggreſſionem parabat; cùm mulier quædam prudentiæ fama inſignis ex alto mœnium Joabum alloquuta, quæſivit, an ad urbem exitio tradendam veniſſet. Neganti illi, ſeque arma in unum Sebam moviſſe profitenti, fœmina ſtatim ejus caput ad ipſum demiſſuram ſpopondit; quod à populo ejuſdem fœminæ perſuaſione mox facto, Joab obſidione ſoluta, receſſit.

SEBAT, *Sebet*, *Schebet*, nomen quinti menſis anni civilis, & undecimi anni Eccleſiaſtici Hebræorum, lunationi Januarii reſpondentis. Annos ſatarum arborum, quorum fructus quatuor ſuccedentibus annis impuros cenſebant, ab eodem menſe Judæi auſpicabantur.

Decima dies ejuſdem, jejùnio pro obitu ſeniorum, qui populo poſt Joſue jura dederunt, ſacra habebatur. *Judic.* 2. 7. 10.

Vigeſima tertia, alterum recurrebat jejunium pro decreto Iſraelitarum in Benjamitas reos injuriæ in uxorem Levitæ bello. *Judic.* 19. 25.

Die 30. Simon Machabæus proditione Ptolemæi filii Abobi generi ſui ſublatus eſt (c).

SEBAMA, urbs tranſjordanica Rubenitica, *Num.* 32. 3. in Hebræo *Sibma*. Vide *Sabama*.

SEBA, ſive *Sabee*, *Joſue* 19. 2. eadem ac *Beerſabee*, nec forſitan alia à *Sama*, *Joſue* 15. 26.

SEBASTE. Herodes Magnus reſtitutam atque exornatam Samariam, in Auguſti honorem, Sebaſtem nuncupandam voluit. Vide *Samaria*.

SEBE, filius Abihail, Gadita, qui in Baſanitide verſabatur. 1. *Par.* 5. 13.

I. SEBENIAS, Sacerdos, qui in ſolemni Arcæ traductione ſub Davide, buccina canebat. 1. *Par.* 15. 24.

II. SEBENIAS, Sacerdos è captivitate unà cum Zorobabele regreſſus. 2. *Eſdr.* 12. 3.

SEBEON, Hevæus, pater Ana, & avus Oolibamæ uxoris Eſau. *Gen.* 36. 2.

I. SEBIA, pater Beerſabee, matris Joas Regis Juda. 4. *Reg.* 12. 1.

II. SEBIA, filius Hodes. 1. *Par.* 8. 9.

(a) Vide noſtram Diſſert. de materia & forma Librorum Veterum.
(b) 2. Reg. 19. 41. &c. A. M. 2981. ante Ch. 1019. ante Ær. 1023. (c) 1. Mach. 16. 14. &c. A. M. 3869. ante Ch. 131. ante Ær. 135. (d) Vide etiam Joſue 13. 19. Iſa. 16. 8. 9. Jer. 48. 32.

SEBOIM, inter quatuor urbes Pentapoleos, cœleſti igne abſumptas. *Gen.* 19. 24. Ejus nominis urbem extitiſſe adhuc ſub ætate ad ripas Maris Mortui, Euſebius, & S. Hieronymus in locis Sodoma, & Adama, inſinuat. Facile poſt Abrahami, & Lothi ætatem in eodem ſolo altera ejuſdem nominis urbs ædificata eſt. *Vallis Seboim*, 1. *Reg.* 13. 18. & urbis ejuſdem nominis in Benjamin 2. *Eſdr.* 11. 34. mentio occurrit.

SECHEM, alter ille à Sichem & Sichimitis, de quibus infrà, filius Galaad, & author familiæ Sechemitarum. *Num.* 26 31.

I. SECHENIAS, quo nomine plures viri celebrantur. Quidam ſub Nehemia claruit (a).

II. SECHENIAS, filius Obdiæ, & pater Semeiæ, è regali ſanguine Judæ, 1. *Par.* 3. 21.

III. SECHENIAS, Sacerdos, & caput decimæ familiæ Sacerdotalis, 1. *Par.* 24 11. & 1. *Eſdr.* 8. 3. 5.

SECHRONA, ſivè *Sechrona*, urbs Judæ (b), quam deinde ad Tribum Simeonis tranſiiſſe credimus.

SECTA; idem ſonat, ac Græcum *hæreſis*, quamvis minùs invidioſum nomen habeat. Quatuor potiſſimæ inter Judæos ſectæ celebrantur, quæ ſententiis diſcrepantes, in idem tamen Religionis corpus coaleſcunt: Phariſæorum nempè, Saducæorum, Eſſeniorum, & Herodianorum, de quibus nos in ſingulis articulis. Ipſa tandem Chriſtiana Religio primitùs Judaiſmi ſurculus, & ſecta cenſebatur. Tertullus Judæorum orator Apoſtolum coram Felice accuſabat, quòd eſſet *author ſeditionis ſectæ Nazarenorum*, *Act.* 24. 5. Judæi Romæ verſantes hæc de Chriſtianis ad eumdem Apoſtolum, *Act.* 28. 22. *Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quod ubique ei contradicitur*. S. Petrus pſeudo-Doctores inſectatur, 2. *Pet.* 2. 1. ... 20 *Qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negantes, ſuperducent ſibi celerem perditionem*; addit demum de illis: *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes*: hic tamen ſecta tantùm idem ac hæreſis ſonat.

Græcorum Philoſophorum exemplo invectæ in Judaiſmum ſectæ videntur. Quis enim neſciat, in varias illos ſectas diſtinctos, alios Stoicos, alios Peripateticos, Cynicos, Epicureos &c. audiri? Hæc primitus diviſio apud Judæos circa Machabæorum ætatem cœpit. Paria inter Fideles inveſiſſe Corinthii viſi ſunt, 1. *Cor.* 1. 12. & 3. 21. &c. eo nomine ab Apoſtolo reprehenſi, quod ſpargerent: *Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo; ego verò Cephæ*. In quæſtionibus in medio ab Eccleſia relictis, tutò Fideles in varias ea de re ſententias ſcinduntur. Hinc varia apud illos ſectarum nomina, Scotiſtarum, Nominalium, Carteſianorum, Gaſſendiſtarum, &c. ſicut & inter Theologos, Thomiſtarum, Auguſtinianorum, Scotiſtarum, Moliniſtarum, Congruiſtarum.

SECUNDUS, Diſcipulus S. Pauli, *Act.* 20. 4. Ejus geſta omnia latent; Theſſalonicenſem tamen fuiſſe, atque itineris è Græcia in Aſiam A. Chr. 58. comitem Apoſtolo adhæſiſſe conſtat. S. Secundus ab Apoſtolis Petro & Paulo in eorum regionem miſſo, apud Hiſpanos commemoratur. *Bolland.* 15. *Maji*.

SECURUS, & *Incendens*, 1. *Par.* 4. 22. Hebraicè *Joas*, & *Saraph*, duorum virorum nomina, quæ S. Hieronymus Latinè interpretari maluit.

SEDADA, urbs Syriæ, in confinio ſeptentrionali Terræ Promiſſionis V. *Num.* 34. 8. *Ezech.* 47. 15.

I. SEDECIAS, alio nomine *Mathanias*, qui Regum Juda ante captivitatem ſeriem claudit. Patrem habuit Joſiam, matrem Amithal, filiam Jeremiæ de Lobna, patruum, & in Regno anteceſſorem Jechoniam, 4. *Reg.* 24. 17. 18. Cùm enim Nabuchodonoſor Jechoniam, ejuſque familiam, Præfectos, & optimos opifices in captivitatem adduxiſſet, Regnum ad *Mathaniam* ea conditione tranſtulit, ut *Sedecias* indè appellari, atque in ſuum nomen jurare cogeretur (c). Regnum inivit annis natus 21. atque 11. annis rerum potitus eſt. Princeps ſanè irreligioſus, dignuſque Joakimi (d) ſucceſſor; qui Prophetæ Jeremiæ contemptis minis, ſurdas Deo aures nunquam non exhibuit. Peſſima Regis exempla Optimates quique & cives Jeroſolymæ imitati, vel ipſi Dei Templo manus prophanas, Gentium abominationes introducentes, intulerunt. Ex quo Divina in illos ultio exarſit.

Primo initi Regni anno (e), Elaſan filium Saphan, & Gamariam filium Helciæ Babylonem forſè deferendis tributis miſit; quibus & à Jeremia epiſtola ad captivos Judæos commiſſa eſt. Quadriennio poſt, ſivè Sedecias ipſe, ſivè alii ab eo miſſi, Hebræus enim Textus anceps eſt (f), ad eamdem urbem venerunt, vaſa Templi ſibi à Nabuchodonoſore reſtitui poſtulantes, *Baruc.* 1. 8. Nono tandem Regni anno (g), quo Sabbathico anno recurrente, populus juxta Legem, *Exod.* 21. 2. *Deut.* 15. 5. *Jerem.* 34. 8. captivos manumiſit, Nabuchodonoſoris jugum excuſſit. Hinc ſtatim Nabuchodonoſor in Judæam; ejuſdemque ditionis munitionibus expugnatis, præter Lachis, & Azecham, & Jeruſalem, in Sedeciam profectus eſt.

Obſidione igitur Jeroſolymam ſtrinxit die 10. menſis decimi anni ſancti, lunationi Januarii reſpondentis; ſed cum graviùs clauſos hoſtes premeret, copias in Pharaonem Ephræum, ſivè Hophram Regem Ægypti, ſuppetias Sedeciæ ferentem, vertere coactus fuit, *Jerem.* 37. 3. &c. Eo in Ægypto compulſo, urbis iterum verſis armis obſidioni inſtitit. Interea cives Jeroſolymæ à metu hoſtium liberatos ſe rati, manumiſſa mancipia iterum ad vincula reduxerant: quod illorum crimen graviſſimis verbis, & minis Jeremias Propheta exaggeravit, *Jerem.* 34. 11.... 22. Cùm igitur hoſtes urbem urgerent, Sedecias, ſæpè eumdem Prophetam conſulens, nihil ab illo frequentiùs ſuadebatur, quàm ut urbem dederet, *Jerem.* 37. 3... 10. & 21. Sana tamen conſilia Rege contemnente, factum eſt tandem, ut undecimo ejuſdem anno (h) die 9. quarti menſis, Julio ferè reſpondentis, hoſtes in urbem evaderent; molientemque noctis favore fugam, eumdem Sedeciam Chaldæi milites inſequuti, tandem in planitie Jerichuntis comprehenſum, captivum reducerent.

Deductus igitur ad Nabuchodonoſorem in Reblatam Syriæ urbem, poſt exprobratum ſibi ab eodem Rege perfidiæ atque perduellionis crimen, primò filios ſuos ſingulos trucidatos coram intuitus; dein luminibus orbatus, & catenis oneratus, Babylonium carcerem ſuſtinere coactus fuit (i). Ita duo Prophetarum in ſpeciem pugnantia oracula conciliata ſunt; Jeremiæ videlicet, qui Sedeciam viſurum & non viſurum Regem Nabuchodonoſorem prædixerat 32. 4. 5. & 34. 3. & Ezechielis 12. 13. qui non viſa urbe Babylonis, in ea tamen diem clauſurum prænunciaverat. Quo anno obierit, ignotum: mœrore confectum vita ceſſiſſe Rabbini (k) teſtantur. Cùm enim, narrant, ad Regium convivium invitatus, propinatum ſibi vinum largiùs ingurgitaſſet, in ebrietatem tandem inductus, indigna viro ingenuo, Regioque quædam exhibuit: quorum illum poſtea ſedata demùm mente conſiderantem, adeò puduit, ut concepto mœrore tandem conficeretur. Sed hæc Rabbinica ſunt, falſoque Hieronymi nomen præferre à Vi-

(a) Vide 2. Eſdr. 3. 29. & 6. 18. (b) Joſue 15. 31. (c) A. M. 3405. ante Ch. 595. ante Ær. 599. 2. Par. 36. 13. Ezech. 17. 13. (d) 4. Reg. 24 18. &c. & 2. Par. 36. 11. (e) Jerem. 29 1. &c. A. M. 3405. ante Ch. 595. ante Ær. 599.
(f) Vide v. Saraias VII. Jerem. 51. 54. 59. Baruc. c. 18. Jerem. 32. 12. A. M. 3409. ante Chr. 591. ante Ær. 595.
(g) 4. Reg. 25. 1. &c. A. M. 3414. ante Chr. 586. ante Ær. 590.
(h) 4. Reg. 25. 2. &c. Jerem. 39. 2. 3. & 52. 5. &c. A. M. 3416. ante Ch. 584. ante Ær. 588.
(i) 4. Reg. 25. 4... 7. Jerem. 32. 4... 7. & 52. 4... 11.
(k) Tradit. Heb. in Libb. Regg. & Paralipp. ſub nomin S. Hieron.

Digitized by Google

à Viris eruditis jam pridem obſervatum eſt. In pace illum diem clauſurum Jeremias 34. 4. 5. ſpoponderat; adjecitque futurum, ut ejus cadaver extructa pyra pro more cæterorum Regum Juda abſumeretur, luctuoſiſque illis næniis: *Væ Domine*, ejus funeri parentaretur. Ejuſdem Regis ubiquitis decantarum tradunt Rabbini: *Væ! obiit Rex Sedecias, qui omnium ætatum fæcem bibit:* nempè pœnas omnium retrò ætatum criminibus debitas toleravit. Narrant etiam, per ſubterraneos calles, ad planitiem Jerichuntis continuatos, ea aula dilapſum, anguis indicio proditum. Cùm enim, ajunt, anguis ille ſuper terram rep[...] par ſuper ſolum iter, ac Rex in cæcis ſemitis, conficeret, demum militibus anguem ſequentibus, Rex in apertum evadens, occurrit. Scribit Joſephus de Bel. l. 7. c. 4. cum Regem ultrò ſibi & exſilium & captivitatem elegiſſe, ut Templum & urbem ſervaret. Sed hæc ſplendida ſunt mendacia. Sedeciæ fugam non ultrò quidem abreptam conſtat, quamvis Jeremiam ſuadentem auſcultans, facilè illam, & exitium evitaſſet. Hic Regni Juda finis.

II. SEDECIAS, alter filius Regis Joakimi. 1. *Par.* 3. 16.

III. SEDECIAS, filius Chananæ, & Pſeudo-propheta Samariæ. Cùm Achab & Joſaphat Reg. ſimul de expeditione in Ramoth Galaad ante fores Samariæ conſidentes deliberarent (a), Sedecias ferrea quædam cornua ſibi inducens, hæc coram Regibus dictitabat: Hoſtes, ait Dominus, vos proſternetis, & Syriam cornibus ventilabitis: Interim Michæas Propheta filius Jemlæ ſuperveniens, contraria illis oracula oppoſuit; quare ira tumens Sedecias, colapho adverſarium percutiens, An, inquit, Spiritus S me derelicto tibi adhæſit? Experimento diſces, ait Michæas, cùm in intimo conclavi latere cogetis. Quod viri oraculum ex eo impletum fuiſſe, ſilente Scriptura, intelligimus, quòd cætera fruſtra nunquam exciderint. Vide *Michæas*.

IV. SEDECIAS, filius Maaſiæ, Pſeudo-Propheta, Jeremiæ nunquam non æmulus, *Jerem* 29 21. 22. In hunc, uti & in Achabum filium Choliæ, his Jeremias Oraculis invehitur. *Hæc dicit Dominus ad Achab filium Cholia, & ad Sedeciam filium Maaſia, qui prophetabant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis; & percutiet eos in oculis veſtris; & aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Juda* (nempè pro formula maledictionis uſurpabitur), *quæ eſt in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo quòd fecerint ſtultitiam in Iſrael, & mœchati ſunt in uxores amicorum ſuorum*. De vitiis hiſce hæc tantummodò in Scripturis; eos tamen Rabbini, & Interpretes nonnulli (b) confundendos cenſent cum ſenioribus, qui pudicitiæ Suſannæ calumniam ſtruxerunt. Verùm illi nunquam ſartaginis ſupplicium ſubierunt.

V. SEDECIAS, filius Sedei, pater Maaſiæ, abavus Baruch. *Baruc.* 1. 1.

SEDEI, pater Sedeciæ. *Baruch.* 1. 1.

SEDEUR, pater Eliſur, Rubenita, *Num.* 1. 5.

SEGOR, urbs Pentapoleos in ora meridionali maris Mortui. Hæc eodem cum cæteris urbibus Pentapoleos igne abſumenda, merito Lothi, qui illam ſibi in ſedem ſelegerat, exempta eſt, *Gen.* 19. 22. Vetus ejus nomen Bala, *Gen.* 14. 2. ſed eam ſibi urbem reſervari Loth rogans, modicam illam eſſe etiam atque etiam apud Angelum repetebat; hinc *Segor*, nempè parvula, dicta eſt. Vide *Bala*. Hebræi pro Segor, ſivè Segora legunt, Zoara. Præſidio Romanorum olim tenebatur. Ideò autem nomen Bala urbi obtigiſſe S. Hieronymus *Onom. in Bala* animadvertit; quòd vix digreſſo Lotho, ſubita terræ concuſſione deglutiretur; *Bala* enim Hebraicè eſt *deglutire* (c). Paria Theodoretus *qq. in Gen.* refert. Ex Hebræorum fide addit idem S. Hieronymus, eamdem urbem alio nomine *Saliſam*, 1. *Reg.* 9. 4. ſicut etiam *vitulam conternantem* (trimulam), *Iſa.* 48. 34. appellari; additque ex illorum teſtimonio, frequentibus terræ concuſſionibus everſam fuiſſe.

I. SEGUB, filius Heſronis, & fœminæ inter filias Machir, pater Jair, 1. *Par.* 2. 21. 22.

II. SEGUB. Cùm Hiel de Bethel reparandam Jerichuntem ſuſcepiſſet, vix jactis fundamentis, morte Abiram primoris natu inter filios; januis verò impoſitis, morte Segub alterius ab illo filii multatus eſt, 3. *Reg.* 16. 34. Hæc olim ante 533. annos circiter Joſue (d) in ſimilia audentem pronunciaverat: *In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus*.

SEHON, Rex Amorrhæorum, qui tranſitu Hebræis negato, quin & illatis in illos armis, prælio victus, occiſus eſt (e); victoribus autem Heſebon ejus Metropolis, ac tota ſubinde ejus ditio, in populi ſortem poſtea deducta, ceſſit. Prælium illud contigit poſtremo vitæ Moyſis anno, nonnullis ante ingreſſum in terram Promiſſionis menſibus. Porrò Sehon non modicam Regni ſui portionem Moabitis abſtulerat; quare ſub Jephte Ammonitæ ſimul & Moabitæ debitam ſibi jure regionem ab Iſraelitis repetierunt, *Judic.* 11. 12. Vetera tamen jura exigentibus illis novum Jephte oppoſuit, devictam nempè juſto bello à Moyſe, domitamque regionem.

(SEHON, Rex Heſebon, qui Amorrhæis Tranſjordanicis jura dabat. Traducturus Moyſes Iſraelitas per ejus ditionem miſſis Ablegatis ſuis, ut iter ſibi daretur, poſtulavit (f); fidem ſuam obligans per regiam viam proceſſuros Iſraelitas, ut nec ad agros vineaſque diverterent, nec ad vitam neceſſaria, niſi ſoluto pretio relaturos, quin nec permiſſuros ſibi ad potum aquam niſi emptam. Iterum itaque atque iterum rogabat, ut ſibi per regiones illas iter daretur quemadmodum & datum fuerat à filiis Eſau degentibus in Seir, & à Moabitis tenentibus Ar ad Arnon: Date nobis, dicebat, iter, quoaduſque perveniamus ad ripam Jordanis ubi jacet terra nobis à Deo vindicanda. Poſtulata non recuſavit tantùm Sehon, ſed & copias in illos coegit; obfirmaverat enim Deus viri animum in malitiam. Tùm Dominus ad Moyſem: Jam tandem fidem meam liberare incipiam, executioni ea mandans, quæ populo ſpopondi, manibus ejus permittens Sehon. Igitur Rex agmen promovit uſque ad Jaſa, præliumque inſtituit cum Iſraelitis, quorum potior fuit cauſa; cæſi diſſipatique ſunt hoſtes, & ditio illorum univerſa à torrente Arnon uſque torrentem Jabok ceſſit victoribus, qui totum illum tractum diſcurrentes omnia cæde vaſtarunt, conſtitueruntque ſe in regione hoſtili, quam tradente Domino obtinuerant.

*Imperator exercitus rerum militarium peritus, qui magnum aliquod molitur, retardatque ejus executionem hoſtilis aliqua regio, quæ viam intercipit, cavet ſibi ne facultatem intrandi in aliena precario roget; nimium enim id officii timoris in Duce crearet ſuſpicionem. Primò quidem intrò infert, tum quæ officii ſunt exequitur, per Ablegatos ſuos tranſitum rogans; hæc politiæ ratio eſt. Sed Moyſi aliud ſuccurrit; in ipſo limine amicis verbis poſtulat ab Amorrhæis tranſitum. *Obſecro ut tranſire mihi liceat*

(a) 3. Reg. 22. 11. 24. A. M. 3107. ante Ch. 893. ante Ær. 897.
(b) Rabb. Hieron. in Jerem. 29. Raban. Hugo, Thom. Salisn. (c) Hieron. Quæſt. Hebr. in Gen. 14. & 19. 30.
(d) Joſue 6. 26. A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451. Achab, quo regnante urbs reſtituta eſt, regnum inivit A. M. 3086.
(e) Num. 21. 21. 22. Deut. 1. 4. & 2. 24. 26. 30. Pſal. 134. & 135. A. M. 2553. ante Ch. 1447. ante Ær. 1451.
(f) Num. 21. 21. &c. Deut. 2. 26. &c.
* Animadverſiones in victoriam Iſraelitarum de Sehon Num. 21. 23. Deut. 11. 31. &c.

liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via Regia gradiemur, donec tranſeamus per terminos tuos.

Æquis hiſce poſtulatis minimè acquieſcens Sehon, negavit Iſraëlitis tranſitum; ſat erat facultatem ad id ſuam recuſaſſe, neque enim eo invito aperire ſibi per ejus ditionem viam tentaturi Iſraelitæ videntur armata manu, & juxta Græcum proverbium, *inclinatis lanceis*. Itaque ſi id tantùm volebat ne per agrum ſuum iter facerent Iſraelitæ, par erat ut fines ſuos muniret parata defenſionem, ſi quid illi tentaſſent; ſed prævalere ſe viribus & audacia ratus, ideò facilè quod domi pugnaret, exercitum ſuum duxit in occurſum venientium, prælium illaturus. Eſt autem hoc bellum omnium iniquiſſimum, & juri ipſi gentium planè contrarium; quare temeritatis atque ſceleris ſui pœnas ſtatim luit iniquus Rex, peculio enim capitis ſui pugnavit.

Hiſtoriam inſignis hujus prælii, in quo de univerſo Regno Sehon decertum eſt, hiſtoriam, inquam ſatis exactam negavit Sacer Hiſtoricus, nec plura etiam ſupplevit Joſephus, *Antiquit. lib. 4. cap. 4. 5.* Quin & multo extenuare videtur impii Regis ſcelus, referens Iſraelitas: *Accepta, quam diu deſideraverant, poteſtate armiſque ſumptis ad pugnam ineundam properaſſe*: Scriptura tamen disertè affirmat, *Num.* 21. 23. de Rege Amorrhæo *Quin potiùs exercitu congregato, egreſſus eſt obviam in deſertum, pugnavitque contra eum* (Iſrael). Quibus inſtrueretur viribus copiiſque Sehon ignoramus, nec plura de agmine Iſraelitarum novimus, niſi fortè ſteterimus cenſui relato Num. 26. ubi ultra 624000. deſcribunt; quæ ſi in rem præſentem transferatur via inducimus in mentem auſum fuiſſe Sehon adverſus immanem hunc exercitum procurrere in prælium. Quare ad rationem inſtructi utriuſque hujus agminis quod attinet nihil damus, niſi conjecturas. Exploratam habemus Tacticem Aſiaticorum, Judæi, qui pedem retulerunt ex Ægypto, inſtruebant ſe in phalangem, cujus invectæ præliandi methodi originem fruſtra quærimus; longius enim per antiquitatis ſæcula remotiſſima excurrit. Conſtat tamen phalangem Judaicam diſtributam fuiſſe in plura agmina ampliora, pro copiarum numero ac Tribuum frequentia, quælibet enim pro ſe militem ſuppeditabat, magis minuſque conſerta.

Græcorum phalanx, cùm à Philippo numeris omnibus eſt abſoluta, coaleſcebat 16000. peditibus gravioris armaturæ; numerus idem aciem componebat excluſo equitatu. Hanc phalangem diſtribuit Philippus in quatuor agmina, ſingula ex 4000. quæ ſibi pariter nomen phalangis vindicabant. Fruſtra hæc quæras in Aſiaticis, quorum militaris diſciplina multo Græcorum illi diſciplinæ concedebat. Inſtruebant illi quidem ſeſe perinde ac Græci, ſed arctiora, quàm illi, relinquebant intervalla, ut juſſionibus ſupremi Ducis deferendis referendiſque vulneratis daretur ſpatium.

Acies Sehon inſtruxit ſe igitur in phalangem, pro more ejus ætatis. De equitibus nihil habet Scriptura; quare nonniſi conjectando in eo prælio equites conſtitueremus. Judæorum rariſſimus fuit equitatus, nec niſi recentiori ætate; nihil enim tale ſpectare licet in ipſo terræ Promiſſionis ſubigendæ exordio.)

SEILA, nomen filiæ Jephte juxta aliquos, non verò juxta Scripturam, in qua ea de re nihil; quare fruſtra quis & temerè de illo quærat.

SEIR, ſive *Sehir* Horræus, cujus ſedes ad orientem, & meridiem maris Mortui, in montibus Seir, (a) ubi primùm poſteri Seir Horræi à Moyſe recenſiti regnarunt. His pulſis, filii Eſau eoſdem montes occuparunt, quos eumdem Eſau tenuiſſe jam, cùm Jacob è Meſopotamia regrederetur, conſtat, *Gen.* 32. 3. & 33. 14. & 36. 8. 9. Bello in Horræos geſto, eas gentes Eſau exterminaſſe legimus, *Deut.* 2. 12. quin- via nihil ea de re ultra ſciamus. Ut ad Seir, ſive Sehir patrem Horræorum regrediamur, vetuſtiſſimum illum fuiſſe oportet, cùm Horræi, ſive *Chorræi*, jam ab Abrahami ætate ante ortum Iſaaci (b), numero, & viribus floruerint; tunc ſcilicet, cùm Codorlahomor fœderatique Reges expeditionem in Pentapolim ſuſceperunt. Præpoſterè autem aliqui aſſeruerunt, Eſau nomen Seir, ſivè villoſi obtinuiſſe, *Joſeph. Antiq. l. 1. c. 19.* quamvis enim regionem Seir teneret, numquam tamen ab illa nomen ſortitus eſt.

SEIR, Montis Seir ad orientem, & meridiem maris Mortui. Inter Horeb & Cadesbarne itinere per Seir inſtituto, ſivè montes Seir circumeuntibus, *Deut.* 2. 1. 4. 5. 8. via undecim dierum intercedebat, *Deut.* 1. 2. Dominum è Seir egreſſum Debora in ſuo Cantico cecinit, *Judic.* 5. 4. Apparuiſſe populo ſuo Dominum ſuper Seir, Sinai, & Pharan, ait Moyſes in Cantico, *Deut.* 33. 2. Ex his planè intelligimus, montes Seir ad meridiem maris Mortui Elat, & Aſiongaber verſus ad mare rubrum conſtitutos fuiſſe.

Redux è Meſopotamia Jacob, *Gen.* 32. 3. & 33. 16. veritusque ne quid ſiniſtri in ſe ſuoſque ab Eſau contingeret, certos ad illum viros in Seir miſit; exceptusque eſt ab illo paulò poſt inter Phanuel, & Jordanem. Inde eadem die Eſau in Seir regreſſus eſt. Paulo igitur longius ab eo loco ſedem habebat in montibus ad orientem maris Mortui. Quamquam longiùs aliquanto ſeptentrionem verſus excurriſſe Joſue innuere videtur; totam enim ſe occupaſſe regionem prodit à Seir uſque ad Baalgad ad radices Libani, & montis Hermon, quam ille ſedem filiis Iſraelis conſtituiſſe notat, *Joſue* 11. 17. & 12. 7. Porrò ultra Moabitidem ad orientem, & meridiem nihil habuiſſe Iſraelitas conſtat. Tandem duo hæc Moab, & Mons Seir jungi conſueverunt, 2. *Par.* 20. 10. 22. 23. *Ezech.* 25. 8. Moabitis verò in orientali plaga Maris Mortui conſtituta erat. Vide *Idumæa*.

SEIR, mons in Tribus Juda, & Dan confiniis. Vide *Joſue* 15. 10.

SEIRA, idem eſt, ac mons, ſive regio Seir, Idumæorum ſedes, 4. *Reg.* 8. 21. *Venit Joram Seira, percuſſitque Idumæos.* Porrò *Seirah*, pro *Seir*, motum Seiram verſus juxta Hebræorum grammaticam ſignificat. Hebræus legit *Zeira*, ſed mendoſe, uti quidem ſuſpicamur.

SEIRATH. Aod poſt illatam Egloni Regi Moab Iſraelitarum tyranno necem, *Judic.* 3. 26. *Pertranſivit locum Idolorum* (facilè Bethel, ſivè Galgal) *unde reverſus fuerat, venitque Seirath*; quare locum illum juxta Bethel conſtitutum autumamus. Cælaturæ iſtæ, ſive inſcriptiones Idolorum nomine dictæ, quæ in Seirath ſpectabantur, deſignatæ videntur à Joſepho *Antiq. l. 1. c. 2.* nomine columnarum, quæ variis inſcriptæ characteribus, & ante diluvium à filiis Seth in Syriade poſitæ perhibentur. Hanc conjecturam propoſuerunt, ſuoque fulcierunt ſuffragio viri eruditiſſimi Voſſius, Huetius & Valeſius. Vide noſtr. Comment. in Gen. 6. 13.

(SEIRATH vel *Syriades*. De columnis ibi erectis hæc legas apud Joſephum Antiq. l. 1. cap. 3. *Poſteri Adam ne inventa illa ſua circa Cæleſtia & eorum ornatum homines effugerent, & antequam venirent in notitiam intercederent (cum rerum omnium interitum fore, alterum quidem vi ignis, alterum verò per violentiam & multitudinem aquarum prædixiſſet Adamus) columnis duabus extructis, una quidem ex latere, altera verò ex lapidibus inventa ſua utrique inſcripſerunt. Ut ſi eveniret lateritiam everſam iri per imbrium vim, lapidea ſuperſtet oſtenderet hominibus aſtronomica inſcripta, ſimulque indicaret & lateritiam ab illis poſitam fuiſſe. Manet autem hodieque in terra Syriade.*

Hanc Joſephi hiſtoriam confirmat narratione ſua Manethon (c) ſcribens Mercurium II. Regem Ægy-

(a) Gen. 36. 20. & 14. 6. Deut. 2. 12. Vide & 1. Par. 1. 38. &c.
(b) Gen. 14. 6. A. M. 2092. ante Chr. 1908. ante Ær. 912.
(c) Manethon. apud Euſeb. & Syncell.

Ægypti, cognomento Triſmegiſtum, communibus literis ea tradidiſſe, quæ Mercurius I. vel Thaautus olim inſculpi characteribus hieroglyphicis curaverat in columnis Syriade, ejus juſſu, erectis. Si Joſephus è Manethone hæc accepit, corrupit apertiſſimè, cùm gemini Thaauti ſeu Mercurii multò poſteriores ſint diluvio; ſed & facilè potuit ex alio fonte, quam refert, traditionem, dedociſſe D. Valeſius in ſuis notis ad Ammianum l. 23. conjectando ſuſpicatur illud *Syriadiacepe*, quod legitur in Manethone, reformari oportere in *Syringice*, quemadmodum eſt apud Ammianum. Narrat enim ille Veteres futuri diluvii prævisione, metuentes ne rituum ſcientia periret, ſubterraneos quoſdam receſſus multo opere alicubi effodiſſe, appellatos Syringas, tum & in cavernarum ejuſmodi parietibus, inſculpſiſſe variorum animantium imagines, quas appellarunt literas hieroglyphicas. Ejuſmodi *Syringas* vel ſubterraneos receſſus inſpici affirmat Pauſanias l. 1. Thebis in Ægypto ex adverſo Nili, ſat proximè ad Statuam Memnonis, quæ exorientem Solem harmonico murmure ſalutabat.

Ex pluribus hiſce teſtimoniis ſimul collectis collatiſque, ægrè admodum exploratum aliquid deduceretur, ſeu de veteribus hiſce inſcriptionibus hieroglyphicis, de quibus Ammianus, & Manethon ab altero quidem in *Syriade*, ab altero in *Syringes* Thebaidis conſtitutis. Inventio literarum, ac maximè hieroglyphicarum in Ægypto, diluvio eſt utique recentior; quemadmodum & multò ſunt poſteriores gemini Thauti. Quæ verò narrat Joſephus, hæc anteriora ſunt diluvio; & ſi vera ſint, quæ de lapideis columnis in Palæſtina & Seirath poſitis narrat, alia ſunt planè monumenta hæc à Manethonis inſcriptionibus. Nihil eſt igitur in hac re niſi incertum.)

SELAH, vox ſeptuagies in Textu Hebraico Pſalmorum, & in Abacuc recurrens; cujus loco aliquando apud Septuaginta habetur *Diapſalma*, qua voce alii (a) quemadmodum & Symmachus, atque Theodotion, nomen *Selah* reddere conſueverunt. Porrò *Diapſalma* eſt, ait S. Auguſtinus, *interpoſitum in canendo ſilentium*; ſivè toni mutatio, juxta Theodoretum in *Pſal.* & Svidam. Alii verò, ait S. Hieronymus ad Marcellam, *diapſalma dixerunt eſſe commutationem metri; alii pauſationem ſpiritus; nonnulli alterius ſenſûs exordium, ſunt qui rythmi diſtinctionem.* Addit demum verbum *ſelah* ſuperiora pariter, & inferiora connectere, aut certè docere ſempiterna eſſe, quæ dicta ſunt. Quæ poſterior interpretatio ab Aquila, quinta, & ſexta Editione ſervatur.

Non defuerunt (b) inter Veteres, qui vocem *ſelah* indicium eſſe velint pauſantis, inſpirationis, ſivè commotionis ſpiritus in Propheta (c). S. Hilarius, & Caſſiodorus *Præf. in Pſal.* diapſalma indicium eſſe mutatæ vocis, ſive Prophetæ, ſive cantus autumarunt. Inter Recentiores quidam (d) nihil innuere aliud rati ſunt, quam veterem quamdam muſicam notam, cujus hodie vim ignoramus. Sane ea voce ſubducta ſous manet integerque Pſalmi ſenſus; quare turbando potiùs Textui adjecta videtur. Sunt etiam, qui indicium eſſe efferendæ vocis ſuſpicentur, ut inter legendum quoties nota illa recurrerit, exclamari oporteat (e). Orationis clauſulam eſſe, veluti apud nos vox *Amen*, Abenezra ſuſpicatus eſt; illam enim Judæi in fine Epitaphiorum, & librorum adjicere ſolent. Finem ſanè, & pauſationem vocem illam ſignificare, quemadmodum & ſonus ejus latia explicat, neque nos diffitamur. Cùm verò in fine ſenſus & Cantici non ſemper recurrat, hinc factum conjicimus, ut veteres Cantores illam ad marginem Pſalterii adſcribentes, ubi pauſari, vel quieſcere à cantu oporteret, adnotarent. Ita pariter in antiquis Evangelii codicibus (f), in uſus liturgicos deſtinatis, vox Græca *telos*, ſive Latina *finis*, in ora adſcriptam exhibebant, quò Diaconus in ipſo Textu Evangelium perlegens, ubi lectio abſolveretur, intelligeret. Potuerunt etiam veteres Hebræi cantilenas ſuas inſtar Arabicarum noſtræ ætatis inſtituiſſe, quas longioribus pauſationibus inter cantandum uti conſueviſſe ſatis ſcimus (g). Hiſce igitur pauſationibus certam regulam adnotatæ in ora cantici voces conſtituebant.

SELA, filius Judæ, *Gen.* 39. 11. Cùm Juda duos ſingillatim filios Onam, & Her cum Thamar conjugio copulaſſet, utroſque autem viros impios Deus ſubſtuliſſet, fœminæ injunxit, ut Selæ tertii filii ſui aptam nuptiis ætatem vidua expectaret. Sed illa deterreri virum ab iis nuptiis conciliandis prioribus exemplis intelligens, ad ipſum Judam furtim acceſſit, uti v. *Judas* diximus. Vide etiam v. *Thamar*. Familia Selaitarum generis ſui fontem Selam agnoſcit, *Num.* 26. 20.

SELA, urbs Benjamin, *Joſue* 18. 28. Saulem in monumento Cis patris ſui in Sela conditum apud Hebræos, 2. *Reg.* 21. 14. legimus.

SELCHA, urbs transjordanica in Batanitide, ditionis Og, *Deut.* 3. 10. & 1. *Par.* 5. 11.

SELEBIN, urbs Danitica, *Joſue* 19. 42. *Salaba*, ſive *Selaba*, Euſebio, & S. Hieronymo locus eſt in Samaritide. *Salamin* nomen loci in Græco *Joſue* 19. 42. 47. *Judic.* 1. 35. occurrit.

SELEC, Ammonita, vir ſtrenuus in exercitu Davidis, 2. *Reg.* 23. 37. & 1. *Par.* 11. 39.

SELEMIA, è genere Sacerdotali (h), primitiis & decimis Templi curandis ab Eſdra conſtitutus.

SELEMITH, filius Zechri, è poſteris Eliezer filii Moyſis, Ærarii Templi Præfectus, 1. *Par.* 26. 26.

SELENE, ſive *Helene*, uxor Simonis Magi; Vide *Simon Magus*.

I. SELEUCIA. Quæ olim Gadara urbs trans mare Tiberiadis ad orientem, dein à Rege Seleuco de ſuo nomine appellata eſt (i). Vide *Gadara*.

II. SELEUCIA, urbs Gaulanitidis, ad lacum Semechon (k).

III. SELEUCIA, urbs Syriæ ad Orontis in Mediterraneum oſtia. Eo Ss. Paulus & Barnabas venientes, conſcenſa navi in Cyprum pertexere, *Act.* 13. 4. De Ptolemæo Philometore ſcriptum legimus, ſubegiſſe illum omnes urbes maritimas uſque ad Seleuciam ad mare, 1. *Mach.* 11. 8.

I. SELEUCUS, Rex Syriæ, cognomento *Nicanor*, familiæ Seleucidarum pater. Initum poſt annum ab obitu Alexandri Magni Regnum (l), 42. annis habuit. Cùm ejus ætate Judæi Ptolemæo Philadelpho parerent, nulla illis cum Seleuco rerum commercia interceſſerunt. Judæis tamen ditionis ſuæ faviſſe plurimùm, atque jure Civitatum, quas ipſe condiderat, Antiochiæ potiſſimùm Syriæ Metropolis, donaſſe Joſephus *Antiq. l.* 12. *c.* 3. eſt author.

II. SELEUCUS, cognomento *Callinicus*, ſive *Pogon*, 20. annis regnavit ab A. M. 3759. uſque ad 3779.

III. SELEUCUS, *Ceraunus*, nempè Fulmen, triennio Rex ab A. M. 3779. uſque ad 3781. De his nihil in Scriptura, nihilque etiam in Dictionario Biblico, niſi tantum nomen & Imperii anni.

IV. SELEUCUS Philopator, ſivè *Soter*, filius Antiochi Magni, 12. annis rerum potitus eſt ab A. 3816. uſque ad 3828. ante Chr. 172. ante Ær. 176.

Miſſus.

(a) Orig. apud Hieron. Epiſt. ad Marcellam. (b) Euſeb. in Pſal. 4. Vide & Præf. in Pſal. Quidam apud Theodoret. Præf. in Pſal. (c) Nyſſen. Præf. in Pſal. (d) Vide Geier. Ham. Forſter. Buxtorf.
(e) Kimchi, Muis, Grot. Genebr. Mariana, &c. (f) Vide Simon. Hiſt. Crit. N. T.
(g) Darvieu. coutum. des Arabes. (h) 2. Eſdr. 12. 13.
(i) Stepha. in Gadara. (k) Antiq. l. 13. c. 23. l. 18. c. 3. de Bello l. 1. c. 15. & l. 4. c. 1.
(l) A. M. 3682. Obiit an. 3724. ante Ch. 276. ante Ær. 280.

Miſſus ab eo Rege Heliodorus (a) ad Templi Ærarium diripiendum, eo eventu, de quo nos v. *Heliodorus*. Sub illo res Judææ in tranquillo conſtitutæ; ſumptuſque Sacrificiis neceſſarii ex Regio ærario ſufficiebantur.

V. SELEUCUS, filius Demetrii Nicanoris, anno tantùm regnavit, nempè an. M. 3880. Succeſſorem habuit Antiochum Gryphum.

VI. SELEUCUS, filius Antiochi Gryphi, qui patruum ſuum Antiochum Cyzicenum prælio victum interemit (b). Succedentibus annis, Antiochus Pius filius Cyziceni Aradum veniens, Regnum jure poſtliminii recepit, laciſque in Seleucum armis, è tota Syria extorrem expulit. Seleucus in Ciliciam ſe recipiens, cùm ingentibus tributis provinciam onerare tentaret, incolæ jugum renuentes, factâ defectione, ignem in ejus ædes inferentes, Regem cum amicis omnibus concremarunt A. M. 3911. ante Chr. 89. ante Ær. 93.

SELIM, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 32.

SELLA, uxor Lamechi bigami, & mater Thubalcain ac Noemæ (c). Vide *Lamech bigamus*.

SELLA. Joas Rex Juda à ſicariis occiſus eſt Jeroſolymis, ſivè propè eam urbem in *Beth-Mello*, nempe in domo Mello, *in deſcenſu Sella*, *Reg.* 12. 20. Ejus loci ſitus ignotus eſt.

SELLEM, filius Nephtali, pater florentiſſimæ familiæ Sellemitarum, *Num.* 26. 49.

SELLES, filius Helem, è Tribu Aſer. 1. *Par.* 7. 35.

I. SELLUM, filius, ſeu fortè oriundus Jabes, qui proditione ſublato Zacharia Rege Iſraelis, Regnum menſe tantummodò occupavit. A' Manahem filio Gadi in Samaria occiſus eſt (d). Minæ Dei in domum Jehu, ait Scriptura, Sellum executus eſt.

II. SELLUM, filius, ſivè oriundus Thecuæ, vir Holdæ Propheteſſæ, 4. *Reg.* 22. 14. qui ſub Joſia Rege Judæ florebat.

III. SELLUM, filius Siſamoi, & pater Icamiæ, 1. *Par.* 2. 40. è Tribu Juda.

IV. SELLUM, filius viri, nomine Saul, & pater Mapſam, è Tribu Simeonis, 1. *Par.* 4. 25.

V. SELLUM, quartus filius Joſiæ Regis Juda, 1. *Par.* 3. 15. *Jerem.* 22. 11. idem facilè cum Joachaz, poſt obitum Joſiæ Rex, quem Ægyptii captivum abduxerunt, 4. *Reg.* 23. 30. &c. Vide ejus hiſtoriam v. *Joachaz*.

VI. SELLUM, filius Nephtali. 1. *Par.* 7. 13.

VII. SELLUM, filius Sadoc Summi Sacerdotis, & pater Helciæ Summi Sacerdotis, 1. *Par.* 6. 12. 13. Porro Sellum in cap. 9. 11. Moſollam appellatur. Florebat autem ſub Ezechia, ſive Achaz; filiumque habuit Azariam, & nepotem tantùm Helciam (e). Idem videtur cum Salom. Baruch. 1. 7.

VIII. SELLUM, filius Core, 1. *Par.* 9. 19. 31. qui ſubito terræ hiatu abſorpto patre manſit, *Num.* 26. 11. Ipſius poſteri placentarum frixarum in Templo libationes curabant.

IX. SELLUM, filius Cholhoſæ, primas in vico Maſpha, qui ſuis ſumptibus januam fontis Jeroſolymæ poſt regreſſum è captivitate reſtituit, 2. *Eſdr.* 3. 15.

SELMON (f), mons in viciniis Sichem, de cujus nivibus in Pſalmo 67. 15. ſermo eſt.

SELMONA, ſivè *Salmona*, ſeu potiùs *Zelmona*, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto, *Num.* 33. 41. Vide *Salmona*.

SEM, filius Noe (g), quem nos natu majorem Chamo, minorem verò Japheto cenſemus (h). In Arca una cum patre ſuo Noe ſervatus eſt. Cùm verò Noe largiùs hauſto vino nudus in tentorio dormiret, A. M. 1665. circiter, *Gen.* 9. 21. Sem, & Japhet averſo vultu incedentes, ſenem ſtragulis operuerunt. Quare experrectus Noe fauſta omnia Semo deprecatus eſt, illud dicens: Benedictus Dominus Deus Sem; & Chanaan quidem Semi ſervitiis addicatur. Summum ejus Patriarchæ decus egreſſus ex ipſius familia Meſſias, ſervatuſque in illa genuinus Dei cultus nulla ſuperſtitione corruptus. Centum annorum ætatem agens, Arphaxad filium genuit, Productamque inde ad alios 500. annos vitam tandem abſolvit, A. M. 2158. ante Ch. 1842. ante Ær. 1846. Ejus poſteri optimas Aſiæ provincias frequentarunt. Hunc virum Judæi fontem conſtituunt Traditionum Theologicarum, quas Noe primores homines docuerat. Illas enim Sem filiis, inde vero in reliquos poſteros propagatæ. Addunt Rabbini, Academiam illum, ſive Scholam Religionis in monte Thabor conſtituiſſe, ubi receptam jam in Schola Mathuſalæ ante diluvium ſtudio 78. annorum doctrinam palam auditoribus ſuis tradebat. Confundendum autem Sem cum Melchiſedecho contendunt, ex quo Abraham traditiones omnes, & cæremonias ſacrificiorum, & cultus religioſè poſt hæc ab illo ſervatas didicerit. Tandem primas ab ipſo inductas juris & æqui regulas, & ſupputandorum menſium, annorum, & intercalationis eorumdem menſium rationes initas. Fertur poſt 100. annos à diluvio ſpiritu Prophetiæ à Deo afflatum, ſpatio 400. annorum; fruſtra tamen fermè, adeò erant corrupti hominum mores, prophetaſſe. Tradit Methodius, virum illum in Inſula Solis ſedem habuiſſe, ubi Aſtronomiæ ſcientiam à ſe inventam exercuerit, primumque inter homines Regis jura tenuiſſe. *Septa* urbs maritima Africæ, Salernum in Italia, & Salem in Judæa vetuſtiſſimum illum conditorem ſibi vindicant. Qui eum Melchiſedecho confundendum cenſent, authorem conſtituunt Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo &c.* & Libri Medici Hebraici Mſs. in Bibliotheca Electoris Bavariæ. Vide Sgambat. Archiv. V. T. l. 1.

Sem quinque genuit filios; totidem populorum in oriente patres, Elam, Aſſur, Arphaxad, Lud, Aram, de quibus in ſingulis articulis. Porrò Moyſes hiſtoriam & leges Hebræorum unicè intendens, genealogiam Semi ſolertiùs quàm cæterorum deducendam, utpotè ſuo argumento ſervientem, concinnavit. Commiſſum à Noe huic viro Adami corpus in Calvario tumulandum ferunt, illique Teſtamenti tabulas, ibique Orbis diviſionem in tres filios, commiſſas narrant. Authores profani Typhonis gigantis Numinis exitialis hiſtoriam cum Semo confudiſſe non abs re creduntur; Cham etiam Jovem, Japhet Neptunum, Sem Plutonem refert. Vide Bochart. Phaleg. l. 1. c. 1.

SEMATHÆI, 1. *Par.* 2. 53. inter ſex familias, ſivè colonias è Chariat-jarim deductas. Porrò Semathæi facilè incolæ ſunt Samæ Urbis Tribus Juda, *Joſue* 15. 26.

SEMEBER, Rex Seboim, inter quinque Reges à Chodorlahomor fœderatiſque prælio victos (i).

SEMECHON, ſive *Samechon*, lacus, quem medium Jordanis ſecat, 60. ſtadiis in longum, & 30. in latum excurrens (k), nempe longus 7500. & 3750. pedibus latus. Sunt, qui confundendum cenſent (l) cum *aquis Merom*, ſive *aquis elevationis*, vel *ſuperioribus*, *Joſue* 11. 5. 7. & cum *regione Merome*, *Judic.* 5. 18. ſed Merom juxta Dotham remotiùs ſanè à Semechon nos conſtitutum cenſemus (m). Etymon nomi-

(a) 2. Mach. 3. 3. A. M. 3828. ante Ch. 172. antè Ær. 176. (b) Antiq. l. 13. c. 21. A. M. 3910. ante Ch. 90. ante Ær. 94. (c) Vide Gen. 4. 21. 22. (d) 4. Reg. 15. 10. &c A. M. 3232. ante Ch. 768. ante Ær. 772.
(e) Vide Noſt. Diſſert. de ſucceſſione Summorum Sacerdotum Judæorum. (f) Hebr. Zalmon, Judic. 9. 48.
(g) Gen. 6. 10. Natus A. M. 1558. ante diluvium 98. ante Ch. 2442. ante Ær. 2446.
(h) Vide Comment. in Gen. 5. 31. 32. & v. Japhet.
(i) Gen. 14. 2. &c. A. M. 2092. ante Ch. 1908 antè Ær. 1912. (k) De Bello l. 4. c. 1.
(l) Serrar. Bonfrat. Reland. alii. (m) Vide Euſeb. & noſt. Comment. in Joſue 11. 5.

nominis Semechon incertum eſt; ſunt enim, qui ex Arabico *ſamach*, nempe piſcis; ſunt, qui ex Chaldæo *ſamak*, nempe rubrum, veluti ſi rubentibus lutulentiſque aquis turbaretur, derivent. Nec ſanè paludes circa illum lacum deerant (a). Urbs *Haſor* Metropolis Jabin Regis Chananæi eidem lacui imminebat (b); quemadmodum & de *Seleucia* conſtat.

Situs ejuſdem lacus haud procul erat ab urbe Dan, & fontibus Jordanis 120. ſtadiis à lacu Tiberiadis meridiem verſus. Paludes verò circumjacentes Daphnem uſque excurrebant, authore Joſepho de Bello l. 4. c. 1. quamquam pro Daphne *Dane* legendum ſuſpicamur; ibidem enim teſtatur, amnem in lacum influere, intra Templum vituli aurei, nempe infra Dan. Mirari ſubit, cur ejus nomen nunquam, quantum ſcimus, in Scriptura occurrat. Illum ſpectaſſe Plinius l. 12. c. 22. creditur, lacum memorans ad Libanum 150. ſtadiis à mediterraneo, odoro calamo fertilem.

SEMEGAR-NABU, Imperator, ſivè inter Duces ſupremos exercitus Nabuchodonoſoris. *Jerem.* 39. 3.

I. SEMEI, *&* *Rei*, 3. *Reg.* 1. 8. Vide *Rei*.

II. SEMEI, filius Gog, & pater Michæ, Rubenita. 1. *Par.* 5. 4.

III. SEMEI, filius Zacur, è Tribu Simeonis, 16. filiorum & ſex filiarum pater 1. *Par.* 4. 27.

IV. SEMEI, alter filius Gerſom, & nepos Levi, *Exod.* 6. 12. author familiæ Semeitarum; *Num.* 3. 21.

V. SEMEI, filius Lobni, è poſteris Caath. 1. *Par.* 6. 29.

VI. SEMEI, filius Geræ, inter cognatos Saulis. Cùm forte David verſa in ſe Abſalomi arma fugiens, Jeroſolymis digreſſus Bahurim veniret (c), Regi Semei occurrens, non verbis tantùm, ſed lapidibus etiam projectis, inſultabat. Veniſſe tandem dicebat tempus, quo Deus effuſum familiæ Saulis ſanguinem ab illo expeteret. Hæc & ſimilia jactante illo, David nihil contra reponendum cenſuit; quin & inſtiganti Abiſai filio Sarviæ reſpondit, nolle ſe virum, à Deo fortaſſe dira imprecari permiſſum, prohibere. Hinc Semei impunè ſecundum latus montis pergens, injuriam proſequebatur. Redux tamen poſt necem Abſalomi in urbem David (d), coram ſe eundem Semei comitatoribus 100. viris Benjamitis habuit; eganeique, ut illatæ injuriæ oblivisceretur, nihil in illum gravius facturum jurejurando pollicitus eſt; nequidquam contra tantam Regis clementiam Abiſai reclamante. Sanè dum in vivis egit David, nihil infortunii viro contigit. Verùm cum tantum crimen inultum præterire pernicioſo cæteris exemplo videretur, Salomonem ſucceſſorem ſuum monuit, ut digno ſupplicio, ut ſe primùm offerret occaſio, in illum animadverteret (e).

Quare rerum potitus Salomon (f), accito coram ſe Semei, ne ultra ex urbe digrederetur, ſub capitali pœna inhibuit. Ædificata igitur ſibi Jeroſolymis domo, triennio ibi ſe continuit; ſciens verò poſtea è mancipiis ſuis quoddam ad Achis Regem Geth diffugiſſe, huic reducendo in viam ſe dedit. His à Rege compertis, ſtatim ad ſe virum appellari, atque poſt exprobratam Regiæ juſſionis tranſgreſſionem, Bananiæ filio Jojadæ præcepit, ut ipſum interficeret. Ita in virum impium Divina ultio animadvertit.

I. SEMEIAS, Propheta Domini, qui mittente Domino, Roboamum Regem Juda conveniens, hiſce illum ejuſdem Domini verbis compellavit: (g) Cave ne arma in Iſraelem, quem a Juda ſeparandum volui, moveas. Monenti Prophetæ ſtatim viri Juda 180000. parentes ſoluto exercitu in ſua ſe receperunt. Poſt aliquot annos, cùm Seſac Rex Ægypti (h) in ditionem Juda ingreſſus, arces munitiſſimas Regni ſubegiſſet, Semeias Regem fecit certiorem, hæc à Deo mala in ultionem, deſertæ ab illis pietatis permiſſa eſſe. Illo autem, ſicut & cæteris Proceribus, crimen ſuum fatentibus, continuò Propheta ipſius Domini verbis effecturum ſe dixit, ne penitùs Jeruſalem deleretur; quamquam permiſſa eorum ſub hoſtibus ſervitute, quid inter Deum, & hominem diſtet, experimento oſtenſurum. Seſac Jeroſolymam ingreſſus, Ærario ſacro Regioque direpto, optimiſque abductis ſpoliis, in Ægyptum regreſſus eſt. Propheta Semeias rerum à Roboamo geſtarum hiſtoriam adornavit, 2. *Par.* 12. 15. Hactenus de Semeia in Scriptura.

II. SEMEIAS, filius Secheniæ, è genere Regali Juda, 1. *Par.* 3. 22.

III. SEMEIAS, filius Haſſub, Levita, 1. *Par.* 9. 14.

IV. SEMEIAS, è poſteris Eliſaphan, Levita, qui fratribus præerat, unaque cum illis Tabernaculi obſequiis deſtinatus erat, 1. *Par.* 15. 8. 11. & 25. 17.

V. SEMEIAS, filius & nepos Idithum, 1. *Par.* 9. 16.

VI. SEMEIAS, filius Nathanaelis, Scriba Templi, 1. *Par.* 24. 6, an idem cum Semeia è poſteris Eliſaphan?

VII. SEMEIAS, è Romathi cellarius Davidis, 1. *Par.* 27. 27.

VIII. SEMEIAS, filius Obededom, Levita, & oſtiarius Templi, 1. *Par.* 26. 4. 7.

IX. SEMEIAS, Levita inter cæteros à Rege Joſaphat miſſus edocendis in ditione Juda populis, 2. *Par.* 17. 8.

X. SEMEIAS, Levita è familia Idithun, ſub Ezechia. 2. *Par.* 29. 14.

XI. SEMEIAS, Sacerdos ſub eodem Rege. 2. *Par.* 31. 15.

XII. SEMEIAS, Princeps Levitarum ſub Joſia. 2. *Par.* 35. 9.

XIII. SEMEIAS, è primoribus Iſraëlitarum, qui è captivitate una cum Eſdra regreſſi ſunt, 1. *Eſdr.* 8. 16. & 10. 21. 31. & forte 2. *Eſdr.* 8. 4.

XIV. SEMEIAS, filius Dalaiæ, Pſeudo-Propheta, qui à Sanaballat, aliiſque adverſariis Nehemiæ corruptus, ut ſe in Templum reciperet, etiam atque etiam apud eumdem Nehemiam inſtitit, 2. *Eſdr.* 6. 10.

XV. SEMEIAS, filius Nehelam, Pſeudo-Propheta, Babylone, eodem plane tempore, quo Jeremias in Judæa, & Jeruſalem, verſans. Cùm Jeremias oracula quædam ſua ad Judæos captivos Babylonem miſiſſet, *Jerem.* 29. 24. &c. Semeias ſcriptis ad cives Jeruſalem literis, Prophetæ invidiam creare conatus eſt: Sophoniam verò Principem Sacerdotum, cæteroſque Sacerdotes omnes acriter reprehendit, quod conjecto in carcerem Jeremia, in virum Pſeudo-Prophetam non animadvertiſſent. Alias ſtatim literas Jeremias pro ſuo jure ad populum captivum ſcripſit, in hanc ſententiam, Quandoquidem Semeias meo nomine quædam vobis falſa annunciavit, hæc in eumdem Semeiam, ejuſque poſteros Dominus edicit: Nunquam fiet, ut è poſteris ejus quiſpiam in medio populi ſedeat; nec ipſe de futura mox populi felicitate participabit.

XVI. SEMEIAS, pater Dalaiæ, è Principibus Juda ſub Joakimo, *Jerem.* 36. 12.

SEMER, vir, qui montem Somer ædificandæ urbi Samariæ Regi Amri pretio vendidit (i).

SEMERON, aliud nomen montis Somer, 2. *Par.* 13. 4.

(SEMERON vel SOMERON. Mons fertilis lætuſque, ſitu commodo 12. milliar. à Dothaim totidemque à Merrom, & 4. ab Atharoth (k), ubi Rex Amri Urbem Samariæ condidit. Sed & antehac celo-

(a) De Bello l. 3. c. 18. (b) Antiq. l. 5. c. 6. (c) 2. Reg. 16. 5. &c. A. M. 2981. ante Ch. 1019. ante Ær. 1023.
(d) 2. Reg. 19. 16. 17. A. M. 2981. (e) 3. Reg. 2. 8. 9. A. M. 2989. ante Ch. 1011. ante Ær. 1015.
(f) 3. Reg. 2. 36. 37. A. M. 2990. ante Ch. 1010. ante Ær. 1014. (g) 3. Reg. 12. 22. &c. A. M. 3030. ante Ch. 970. ante Ær. 974. (h) 3. Reg. 14. 25. &c. A. M. 3033. ante Chr. 967. ante Ær. 971. Vide 2. Par. 12. 5.
(i) 3. Reg. 16. 24. Circa A. M. 3079. ante Chr. 921. ante Ær. 925.
(k) Euſeb. in Dothaim in Merro, & in Acharó.

celebrem locum effecerat prælium inter Abiam Regem Juda & Jeroboamum Regem Iſrael 2. *Par.* 13. Abias validus 400000. exercitu caſtra locavit in eo monte; Jeroboam duplo auctiori exercitu, i. e. 800000. ſelectiſſimorum veteranorumque præparabat ſe ad pugnam. Oratione primùm compellandos Iſraelitas in agro habentes caſtra cenſuit Rex Juda, revocans ſub oculis crimina & ſcelera illius, quam propugnabant, partis. Dum ille orationi ſtaret intentus interim Jeroboam à tergo milites clam ſubmittebat, ut ex improviſo medius hoſtis exciperetur. Senſit alter inſidias, clamavit ad Dominum, inflarunt buccinas Sacerdotes. Simul ad hæc altè clamavit exercitus Juda, & Dominus tantum injecit terrorem pavoremque in corda Iſraelitarum, ut omnes darent ſe fugæ; cùm interim hoſtes impetum in fugitivos facientes, tantam latè ediderunt cædem, ut ad 500000. deſiderarentur. Victoriam ſuam urgendam cenſuit Abias, eodemque impetu plures hoſtiles Urbes cepit; neque deinceps unquàm expeditionis aliquid in Judam ſuſcipere auſus eſt Jeroboamus.

* En celebre prælium inter duos exercitus planè incredibili copiarum numero validos, niſi & multo validiorum exempla ſuppeterent in Scriptura. Hic autem milites omnes è ditione duorum Regum coacti ſunt, ætatis ad arma idoneæ ſinguli, conveneruntque, ut de ſorte ſua prælium decideret, & uno certamine certamina omnia terminarentur. Judæi omnes militiam exercebant, bellicisque exercitationibus comparaverant aſſidua illa ſeu cum finitimis ſeu inter ſe ipſos prælia; quare teſtimonio Scripturæ omnes ſtrenui erant & militares. Nihilo tamen ſecius, ſi fides habeatur peroranti Abiæ, hoſtiles copiæ coaluerant è tumultuariis, impiis, ſceleſtis.

Grave eſt utique pro duobus Regnis defendendis cogi vitam exponere diſcrimini, relinquere Uxores, filios, bona, in re maximè incertiſſimi eventus, & pro ſimultate duorum Principum impiorum, ac ſceleſtorum. Moleſtum eſt utique ſub hiſce Imperatoribus pugnare, & chariſſima quæque exponere diſcrimini pro ſatianda ambitione Regis ejuſmodi qualis erat Jeroboamus, qui cum impietate & ſcelere inertiam pariter atque imperitiam rerum militarium jungebat. Is enim eſt malorum cumulus, certusque infelix prælii exitus manet; cum rebus præeſt Dux imbecillis animo, honeſtatis parum ſtudioſus, prudentia non excultus, nihil tandem habens eorum quæ ſupremam dignitatem aliis commendant. Authoritas ſuprema, quin & virtus copiarum ipſa nihil eſt; ex quo enim milites noſcunt contemnuntque Ducem, actum eſt de victoria.

Abias robore copiarum inferior erat, opponebat enim agmen 400000. Jeroboamo cum 800000. pugnanti; quare cùm & miles eſſet non quidem egregius, totis eloquentiæ ſuæ nervis illi laborandum fuit, ut animis copias ſuas confirmaret; nec defuit quin prætextum Religionis obtenderet, quo nihil aptius ad ſtrenuam virtutem inſpirandam populo cultus Domini ſtudioſiſſimo, cujus menti inſidebant adhuc prodigia à Deo accepta, quanquam dignum ſe nunquam hiſce præbuiſſet, quin & reſpondiſſet ſemper ingratiſſimè, uti ex rerum præſentium ſtatu conſtat, maximè ſi Jeroboamus & ſubjectæ ipſi gentes criminibus & idololatriæ penitus immerſæ ſpectentur. Decreto ab utroque Duce prælio ejus ineundi occaſio non diu abfuit. Abias numero licet inferior, detrectandam tamen pugnam è re ſua eſſe non cenſuit. Norat enim quorum manus conſcienda ſibi eſſet: *Stetit ergo ſuper montem Semeron, qui erat in Ephraim.* Hic uterque exercitus ſtetit in conſpectu, & Abias peroravit apud hoſtes. Egregiam ejus orationem callidamque recognoſco; callidam, inquam, ſimulat enim perſonam viri religioſi, atque Apoſtoli, quanquam reipſa de Religione non meliùs, ac Jeroboam promeritus eſſet. Judæos ſimplices, pleroſque ac rudes fallere pronum erat; ſed & excitandis ad bellicum ardorem animis ſtimulus aptior erat nullus quàm religionis; quippè enim ſtudioſiſſimi erant cultus Domini, ex quo ſibi à Deo impetrarunt victoriam, nihil fermè in illam conferente Rege Abia, de quo ſacer Hiſtoricus cap. 13. 20. affirmat: *Quem percuſſit Dominus, & mortuus eſt.*

Oportebat utique attentos auditores nactum fuiſſe Abiam, dum perſonam gereret Concionatoris, & hominis afflati; namque *hæc illo loquente Jeroboam retrò moliebatur inſidias. Cùmque ex adverſo hoſtium ſtaret, ignorantem Judam ſuo ambiebat exercitu.*

Submittebat Jeroboam retrò poſt terga milites, obvolvendis hoſtibus ut ſimul illis & in fronte & in dorſo inſilaret, omnemque recedendi viam tolleret. Quò commodiùs ad id ſpatium ſuppeteret, oportebat utique longiorem protraxiſſe Abiam orationem ſuam, quàm quæ ab Authore ſacro recitatur. Utcunque res habeat ſeſe, copiæ Jeroboam inſtruxere ſe in aciem, explicataque fronte cœperant ad terga exercitum Abiæ obvolvere.

Nemo hæc legens non reputaverit, malè me cohærere mecum; imperitum enim militaribus artibus Jeroboamum conſtituo, cùm interim id moliéntem inducam, quæ peritum Ducem arguunt; perorante enim Abia, ille interim ſtruit inſidias. Non ita facilis ego quidem Abiam hunc imprudentiæ accuſatorem, quanquam in armorum ſcientia egregiè inſtructum non credo; ſed agnoſco hic callidi hominis ingenium quoddam, abſque eo quod tamen inductum id credam ex profunda viri meditatione. Ille fortè nihil tale cogitavit, remque totam Deus unus direxit ad conficiendam victoriam imbecillioribus, ſed fidelibus ſibi gentibus, effecitque ut inſidias ſuas in ſe pararet Jeroboamus, & excidio exercitus ſui laboraret.

Ut hæc omnia planiùs intelligamus, paucis hîc res tota explicanda eſt. In ipſo primùm aſpectu ſolers, aptum, accommodum Jeroboami conſilium videtur; quanquam re ipſa eſt ineptiſſimum; ita enim diviſis copiis, ut obvolveret grandem exciperetque medium hoſtilem exercitum, certamini inutile efficiebat copiarum ſuarum dimidium, id præſtans, quod conficere brevi temporis ſpatio non poſſet. Quæ vero hoſtium fronti opponit, hæc æqua ſunt fronti ipſorum pariter hoſtium; acceſſit illud, quod à validiore conſilium ſuſceptum eſt, eò imbecilliores ipſos redegiſſe, ut deſperati certarent, i. e. in neceſſitate ſeu vincendi ſeu moriendi.

Reſpiciens Juda vidit inſtare bellum ex adverſo & poſt tergum. Intelligens Abias quid ſibi immineret, ſimulque longius temporis ſpatium requiri, ut hoſtium conſilium impleretur, quàm ut æquis utrinque viribus cùm hoſte ſeſe committeret, tempore ſibi opportuniſſimo orandum cenſuit: *Clamavit ad Dominum, ac Sacerdotes tubis canere cœperunt: omneſque viri Juda vociferati ſunt Et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboamum & omnem Iſrael,* I. e. Juda impetum fecit in hoſtem, perrupitque reſiſtentes ordines, tantam latè edidit cædem, *ut corruerent vulnerati ex Iſrael quingenta millia virorum fortium.* Ita Regnum illud ferè totum deſertum eſt incolis, vaſtante gladio, cauſa Principis pavidi, inexperti, & irreligioſi.

SEMERON Urbs Zabulon, *Joſue* 19. 15. Vide *Simoneas.*

SEMIDA, filius Galaad è Tribu Manaſſe author familiæ Semidaitarum, *Num.* 26. 32. & *Par.* 7. 19.

SEMINITH, ſive *Scheminith*, vox Hebræa, in titulo quorumdam Pſalmorum occurrens, quæ reddi conſuevit *octava*; ſignificat autem inſtrumentum octo chordis conſtans, ſive octavam claſſem Cantorum Templi.

SEMIRAMIS, filia Dercetis, ſeu Veneris Syriæ,

Regi-

* *Animadverſiones in victoriam Abiæ de Jeroboamo in ſubjecto monti Semeron agro.* 2. *Par.* 13. 3. *Vide Præfationem interpretis.*

Regina Aſſyriorum clariſſima, uxor Nini, quæ pro Nino filio ſuo ætate minori Imperium adminiſtravit. Pluribus feliciter confectis bellis, atque ingentium operum Babylone ædificiis erectis celebratur. Inter hæc, aggeres ab illa poſitos amni juxta Babylonem coercendo, Herodotus l. 1. c. 184. commemorat; mœnia urbis Diodorus, Trogus, Strabo (a). Exactiſſimi tamen Chronologiſtæ omnia Babylonis monumenta ab illa abjudicant; cæteras vero res ab illa geſtas plus nimiò fortaſſe authores exaggerarunt. De illa nihil in Scriptura; quare ejus hiſtoriam prætereundam ducimus, ejus ſolummodò Regni annis commemoratis. Regnum igitur inivit Ninive A. M. 2769. ante Ch. 1231. ante Æl. 1215. circa tempus ſcilicet ſuſcepti ab Heli Summi Sacerdotii. Poſt exactos 42. Regni annos, ætatis vero 62. obiit, à Ninia filio ſuo occiſa, in horrorem tentati cum illo inceſtus (b).

SEMIRAMOTH, Levita, Janitor Templi. 1. *Par.* 15. 18.

SEMLA, Rex Maſrecæ in Idumæa, *Gen.* 36. 36.

SEMMA, ex Oruri ſivè Arodi, ſive Arari, filius Sage, ſive Age, vir ſtrenuus in Davidis exercitu, 2. *Reg.* 23. 11. In 1. *Par.* 11. 44. appellatur *Samma Arorites*; & *ibid.* 11. 27. *Sammoth Arorites*, ſive *Harodites*.

SEMMAA, frater Davidis, & pater Jonadabi; illius nempe viri, qui Amnonem filium Davidis hortatus eſt, ut ſimulata ægritudine, ducendam ad ſe Thamar ſororem ſuam, quam perditiſſimè deperibat, curaret, 2. *Reg.* 13. 3.

SEMRAM, filius Iſſachar, *Num.* 26. 24. & pater familiæ Semramitarum.

I. SEMRI, filius Semeiæ, & pater Idaiæ, è Tribu Simeonis, 1. *Par.* 4. 37.

II. SEMRI, filius Merari. 1. *Par.* 26. 10.

SEN, ſive *Schen*, vox Hebræa ſonans dentem; uſurpatur autem de cautibus præruptis inſtar dentium. Vide 1. *Reg.* 7. 12. Samuel inter Maſphat, & Sen lapidem erexit in monumentum victoriæ, ab Hebræis in Philiſthæos relatæ; lapidi autem nomen indidit: *Lapis adjutorii*.

SENAA, cujus loci incolæ 3630. frequentes reſtaurationi Jeroſolymæ utilem ſanè operam, poſt regreſſum è captivitate, contulerunt, 1. *Eſdr.* 2. 35.

SENE, ſive *Schene*, nomen plurale, dentes, ſive cautes ſonans. Jonathas ejuſque armiger in caſtra Philiſthæorum inter duos ſcopulos *Boſes*, & *Sene* ſe ſe inſinuarunt, 1. *Reg.* 14. 4.

(SENECA. L. Annæus Seneca Cordubæ oriundus, Diſcipulus Sationis Stoici, Neronis præceptor, Scriptis ſuis celebris, alienus eſſet à Dictionario Biblico, niſi ejus nomine vulgatæ eſſent Epiſtolæ quædam ad S. Paulum, & S. Pauli ad ipſum. Meminit illarum S. Hieronymus, atque hiſce inductum ſe perhibet, ut Senecam inter Scriptores Eccleſiaſticos reponeret. Meminit earum & S. Auguſtinus Epiſt. 153. Nov. Edit. & poſt illum alii plures Recentiores. Alicubi leguntur impreſſæ, & genuinas cenſet Jacobus Faber Stapulenſis, vulgavitque cum reliquis S. Pauli, & Commentario illuſtravit. Earum veritatem defendit etiam in ſua Bibliotheca Sacra Sixtus Senenſis, uti & Antonius Poſſevinus, Alphonſus Salmeron, Franciſcus Bivarius, Jacobus Pamelius, Magarinus de la Bigne. Sulpicati ſunt alii non defuiſſe olim genuinas aliquas S. Pauli ad Senecam & viciſſim Senecæ ad S. Paulum, quas Ss. Hieronymus & Auguſtinus noverint (c); cum vero hodie interciderint, earum loco ſuppletas eſſe alias plane apocryphas. Cùm tamen hujus conjecturæ nulla promantur argumenta; in eorum ſententiam facilè concedimus, qui noſtras haſce cum antiquis illis confundentes ex illarum ſuppoſitione de his ferunt judicium. Videſis Scriptores Bibliothecarum Eccleſiaſticarum, ac potiſſimùm D. Fabricium in Apocryphis N. T. t. 1. p. 880. &c. qui judicia plurium virorum doctorum novæ Epiſtolarum illarum Editioni præfigit.

SENIORES ISRAEL. Cenſentur eo nomine Principes Tribuum, ſeu potiùs magnarum familiarum Iſraelis, qui olim antequam Hebræi coaluiſſent in Rempublicam, ipſi regebant imperio quodam, & authoritate familiam ſuam ac populum. Ita cùm Moyſes miſſus in Ægyptum ad liberandum è ſervitute Iſraelem venit *Exod.* 13. 16. & 4. 29. &c. in frequenti Seniorum Iſrael concione expoſuit, Deum Abraham, Iſaac, & Jacob ſibi per rubum apparentem in Deſerto, injunxiſſe, ut populum educeret ab Ægypto. Nunquam non rem agunt Moyſes & Aaron cum Senioribus Iſrael, ceu totum populum referentibus.

Cùm Deus manifeſtandam cenſuit gloriam ſuam Iſraeli & dare Legem Moyſi, injunxit illi *Exod.* 24. 1. 9. 10. 11. *Aſcende ad Dominum, tu & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta Senes ex Iſrael*. Proceſſerunt illi adusque radices montis; ſpectaruntque Deum Iſrael ſub pedibus habentem opus quoddam ſapphirinum ſereno Cælo perquam ſimillimum; continuerunt ſe tamen ne aſcenderent montem, ulteriora tantùm petentibus Moyſe cum Joſue; injunxit autem illis Moyſes: *Expectate hic, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos.* Exinde nunquam non ſe ingerunt ſeptuaginta iſti Senes; ſed vero propiùs judicamus pro duodecim Tribubus ſingulas ſex ſuffeciſſe, ut eſſent 72. quanquam in gratiam numeri rotundi ſemper commemorantur 70. ſeu potiùs Moyſem & Aaronem impleſſe numerum iſtum 72. nec Tribum Levi, duobus iſtis exceptis, alios ſuffeciſſe niſi quatuor.

Perſuaſum habuerunt nonnulli (d) ſeptuaginta iſtos Seniores Iſrael Senatum quendam formaſſe in Ægypto, moderando & judicando populo, ad nutum tamen Regum Ægypti; ex hoc autem fonte deductum Sanhedrin, Judæorum ſcriptis celebratiſſimum. Sed multò verius autumaremus Senioribus illis ab exordio ſimile in ſuum ſingulis Tribubus & in populum univerſum fuiſſe imperium, ac Paterfamilias gerit in domeſticos; authoritatem quandam amici in amicos, conſilii, perſuaſionis, petitam ex obſequio debito in parentes, potiùs quàm è coacta quadam & cogente authoritate. Præfecti illi opera Iſraelitarum in Ægypto curantes, Hebraicè *Sotherim Exod.* 5. 14. 15. 70. erant juxta quoſdam è numero Seniorum Iſrael, judicantes ac mandata imponentes populo. Septuaginta reddunt, *Scribæ*, qui nempè centum operariorum tenebant, penſum ſingulis diſtribuebant, curabantque ut redderetur.

Ex quo venit in caſtra Jethro ingenti onere in gubernando populo relevatus eſt Moyſes. Ad id uſque Moyſes ſolus judicaverat populum, qua in re occupabatur, ut vix reſpirandi quidem ſibi ſpatii obtineret. Incommodum ter hujus demonſtrante Jethro ſocero ſuo conſtituit ſuper Iſraelem *Exod.* 18. 21. 25. Chiliarchas, Centuriones, Quinquagenarios, Decuriones, ut unico omnes tempore jus dicerent Iſraeli, mandatis onerati, ut ardua referrent ad Moyſem. Sed & ab ea politia receſſum eſt brevi poſt occaſionem murmuris, quò abitum eſt à populo ad caſtra in loco appellato ſepulcra concupiſcentiæ. *Num.* 11. 24. 25. A. M. 2516. Selegit tunc Moyſes ſeptuaginta Seniores Iſrael, qui cum habuiſſent à Deo portionem

(a) Diod. l. 2. Biblioth. Trog. ſeu Juſtin. l. 1. Strabo l. 2. & 10. Geographiæ.
(b) An. M. 2831. ante Chr. 1169. ante Ær. 1173. Vide Juſtin. lib. 1. Uſſer. ad A. M. 2789. & 2831.
(c) Lipſ. de vit. Sen. c. 10. Tillemon. hiſt. Imperat. tom. 1. pag. 560.
(d) Grot. in Exod. 4. 29. Bertram. de Repub. Hebr.

è ſpiritu Moyſis communicatam, exorſi ſunt prophetare, nec ultra ceſſarunt. Cœptum hinc conſtituunt plerique ex Interpretibus inclytum Sanhedrin, cui tamen ſententiæ fulciendæ plura ponenda ſunt tanquam certa; ut conſtans ſeries hujus Senatus demonſtretur.

Nobis ea ſedet opinio politiam illam à Moyſe ſtabilitam perſeveraſſe diu etiam poſt ipſum ſub Joſue, tum & ſub Judicibus. Seniores populi, & Joſue initum cum Gabaonitis fœdus jurarunt *Joſue* 9. 15. Inſtaurat idem Joſue, adhibitis *Senioribus* Principibus, & Magiſtratibus fœdus cum Domino *Joſue* 23. 2. & 24. 1. Poſt obitum Joſue, ac *Seniorum Joſue* 24. 1. poſt illum ſuperſtitum, populus varias ſubivit ſervitutes, è quibus per ſuſcitatos identidem Judices à Domino liberatus eſt. Quid obtinerent per eam ætatem authoritatis ſeniores compertum eſt nihil; ſicut nec apertiora novimus de tempore ſub Regibus. Vide noſtram Diſſertationem de politia, & Tribunalibus Hebræorum, & infra v. *Sanhedrin*.)

SENNA, ſivè *Zenaa*, urbs meridionalis Chanaanitidis, *Num.* 34. 4. eadem facilè cum *Senaa*, 1. *Eſdr.* 2. 35. *Joſue* 15. 3. *Migdal Senna* nempè *Turris Sennæ*, locus erat ad ſeptentrionem, octo m. paſſuum à Jerichunte apud Euſebium. Porrò locus iſte alter eſt à Senna in Numeris, & in Joſue; ſed numquid idem cum loco, de quo Eſdras?

SENNAAB, Rex Adamæ, urbis dilapſo cœlitùs igne unà cum civibus exuſtæ (a). Amraphel, cæterique fœderati hunc Regem, una cum aliis Pentapoleos, prælio vicerunt (b).

SENNAAR, vicus Babylonis, ubi turri Babelis ſubſtructio cœpta eſt. *Gen.* 11. 2. Ibidem etiam Calanne urbs occurrebat. *Gen.* 10. 10. Amraphel Rex Sennaar Abrahami ætate potentiſſimus habebatur, *Gen.* 14. 1. Nabuchodonoſorem Sacra Templi Jeroſolymitani vaſa in Templum Dei ſui in Sennaar tranſtuliſſe apud Danielem 1. 2. legimus. Montes *Singares*, ſivè *Zagras*, uti & urbem & amnem *Singaram*, ex *Sennaar*, ſivè *Sengar*, nomen facilè derivaſſe videntur.

SENNABRIS, locus inter Scythopolim, & Tiberiadem, 30. ſtadiis ab hac poſtrema diſtans. (c) *Ennabris* etiam, & *Gennabris* ſcribitur, quemadmodum & *Zinnabri* apud Talmudiſtas (d).

SENNACHERIB, Rex Aſſyriæ, filius & ſucceſſor Salmanaſaris, qui Regnum inivit A. M. 3290. ante Chr. 710. ante Ær. 714. quadriennio verò poſt à ſuis filiis occiſus eſt an. M. 3294. Cùm Ezechias Rex Juda impoſitum Regi Achaz patri ſuo à Teglatphalaſar rege Aſſyriæ, (e) jugum excuſſiſſet; Sennacherib armis in illum verſis, munitiſſimas Regni Juda urbes occupavit (f). Quare in ultimas anguſtias redactus, urbem Metropolim vix ab hoſtibus ſe ſubducturum confidens, miſſis ad illum in obſidione Lachis verſantem legatis, crimen ſuum faſſus, imperata ſe facturum propoſuit. Rex illicò 300. talenta argenti, & 30. auri imperavit; quibus ab Ezechia perſolutis, Aſſyrius tamen conditioni non ſtetit.

Miſſis igitur Jeroſolymam tribus exercitus ſui Principibus, Tharthano, Rabſari, & Rabſace, Ezechiæ deditionem injunxit. Commiſſum ſibi munus executioni mandans Rabſaces, plurima contra Deum, & in Regem indigna evomuit. Vide *Rabſaces*, & *Ezechias*. Interim Sennacherib ſoluta obſidione Lachis, exercitum in Lebnam duxerat, 4. *Reg.* 19. 8. Eò autem veniens Rabſaces, geſta à ſe omnia, & Ezechiæ ad petita ſilentium, expoſuit. Quare Rex datis ad Ezechiam literis, ad saniora conſilia, ut ipſe quidem præſeferebat, revocare Judæos conatus eſt; exemplum ſimul cæterorum populorum ultrò jugum ſubeuntium obtrudens. Inde copias in Tharacam Regem Æthiopiæ, ſivè Chus arma in ſe inferentem duxit. Dei tamen ultoris Angelus in ejus exercitum immiſſus, noctis unicæ ſpatio 185000. virorum occidit, 4. *Reg.* 19. 35. Manè experrectus Sennacherib, ſeque inter cæſos milites ſuperſtitem penè ſolum nactus, fuga ſe Ninivem recipere coactus eſt. Fruſtra tamen, cùm non diù poſt in Templo Dei Neſroch adorantem, duo filii ipſius, Adramelech, & Saraſar, ipſum gladio adorti occidentes, dein in Armenia ſeceſſerunt. Ejus nece Regnum in Aſſaradonem filium ipſius tranſlatum eſt A. M. 3294. ante Chr. 706. ante Ær. 710.

Receptus Ninivem Sennacherib, Iſraelitas captivos invidia exitii ſui oneratos, indicta perſecutione afflixit, uti in hiſtoria Tobiæ legimus. Vix autem 45. diebus juxta Textum Latinum, ſivè 55. juxta Græcum, ab ea excitata, Tyrannus ille à filiis ſublatus eſt, *Tob.* 1. 21. Neci autem patri inferendæ in cauſa fuiſſe tradunt Rabbini, quòd Sennacherib Numini illos immolare decreviſſet (g). De cæde Angeli in Aſſyrios graſſantis, vide noſtram ea de re Diſſertationem, ante Commentaria in Iſaiam. Igne cœlitus demiſſo, in cinerem favillaſque, mira tamen ratione, redactos, ut abſumptis corporibus, intactæ remanerent Iſraelitarum ſpoliis veſtes deſtinatæ, Rabbini comminiſcuntur (h). In eam ſententiam illud Iſaiæ 10. 16. laudant: *Mittet Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem; & ſubtus gloriam ejus* (nempè veſtimenta eorum ſplendidiſſima) *ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis*. Exterminandi Aſſyrios munus Angelo Gabrieli commiſſum fuiſſe, Hebræorum alii S. Hieronymo narrarunt (i). Peſtis ſivè interioris morbi plagam in illos immiſſam alii ſuſpicantur (k). Alii verò ſubita procella turbatos illos credunt, ex quo factum, ut verſis inter ſe armis, cæcis ictibus mutuis ſe vulneribus conficerent. Eam hiſtoriam variis fabulis Herodotus corrumpit, atque detorquet, quemadmodum ſe à Sacerdotibus Ægyptiis accepiſſe profitetur *l.* 2. *c.* 41. Sethon Rex Ægypti, & Sacerdos Vulcani, armis Sennacheribi Regis Arabum, & Aſſyriorum à militibus ſuis deſertus, ſolus exponebatur; quare in eas anguſtias redactus, implorata Numinis ope, Vulcanum ſibi per quietem auxilium pollicentem intuitus eſt. Ea ſpe confirmatus, parva militum manu collecta, Peluſium uſque in hoſtem proceſſit. Eadem nocte ſubitus murium incurſus caſtra Aſſyriorum invaſit, qui tum clypeorum lora, tum arcuum amenta rodentes effecere, ut armorum præſidio, atque robore deſtituti hoſtes, fuga ſe ſubducere cogerentur.

Hanc exercitùs Aſſyrii cædem in obſidione Jeroſolymitana contigiſſe vulgo Interpretes autumarunt. Verùm nonquam eò deductas copias Sennacheribi, eorumque exitium in itinere adversùs Tharacam contigiſſe ex Iſaia 10. 24. apertiſſimè intelligimus. Arma in Ægyptium Regem illum intu-

(a) Gen. 19. 24. A. M. 2107. ante Ch. 1893. ante Ær. 1897.
(b) Gen. 14. 2. A. M. 2092. ante Chr. 1918. ante Ær. 1922.
(c) De Bello l. 3. c. 16.
(d) Ligtfoot. Centur. Chorograph. in Matth. c. 70.
(e) 4. Reg. 16. 11. & 2. Par. 28. 20. 21.
(f) 4. Reg. 18. 7. 13. A. M. 3291. ante Chr. 709. ante Ær. 713.
(g) Hebræi apud Hieron. in Iſa. 10. & apud Lyr. Grot. alios.
(h) Hebræi apud Hieron. in Iſa. 10. 16. Auctor. Serm. ad fratres in Eremo. Hugo Cardin. in 4. Reg.
(i) Apud Hieron. in Iſai. 53. 3.
(k) Beroſ. apud Joſeph. Antiq. l. 10. c. 2. Vide Toſt. & Salian.

intuliſſe, atque in totam Aſiam ditionem ſuam prorogaſſe Beroſus eſt author (a). Narrat Joſephus *Antiq. l. 10. c. 1.* cùm ille ſuſcepta Peluſii obſidione, diù in illa perſeveraſſet, eo uſque opera provexiſſe, ut nihil jam niſi poſtrema aggreſſio ad urbem capiendam deſideraretur. Eo autem deveniens, ſubito Regis Æthiopiæ auxiliares copias Ægyptiis ducentis ſucurſu, obſidionem ſolvere, ne in caſtris ipſis invaderetur, coactus eſt. Tandem ex Rabbinorum Traditione fertur, Angelus unius noctis ſpatio 185000. Aſſyriorum ſubſtuliſſe, comam verò, barbam, totiuſque corporis pilos Sennacheribi abraſiſſe; qua accepta injuria pudore ſuffuſus in regnum ſuum regreſſus eſt. In eam rem illud Iſaiæ 7. 20. laudant: *In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen ſunt, in Rege Aſſyriorum caput, & pilos pedum, & barbam univerſam.*

(Tonitru quatientis fragore diſperſum fuiſſe exercitum Sennacherib affirmat Thalmud Babylonicum; in quam pariter ſententiam laudantur Targum vel Paraphraſtes Chaldææ. Urenti averſoque vento id tribuunt nonnulli (b), qui typhones venti ſunt in ea regione familiares (c), lateque omnia depopulantur, immodico æſtu uno momento ſuffocantes permultos, quo incommodo afficiuntur, delenturque interdum confertiſſimæ illæ Mahometanorum Caravanæ peregrinantes ad Mecham: Hunc ipſum typhonem appellat Jeremiae 51. 1. *ventum peſtilentem*. Et Iſaias 37. 7. minitans Sennacheribo futurum ut Deus det certum ſpiritum in ejus auribus inſonantem, hunc ipſum ventum inſinuare videtur.

Refert Khondemir (d) ad annum 18. Hegiræ vel 640. J. C. ſub Chalipha Omer, cum Muſulmani ſubigendæ Syriæ darent operam, & graſſaretur ibi lues, detectum fuiſſe in monumento quodam in Libano è terra effoſſo cadaver Sennacheribi in cathedra aurea poſitum; addita hac epigraphe Syriacis vel Chaldaicis literis: Omnium quotquot homini acciderint malorum ſummum eſt oblivio mortis, ſicut & rationis agendæ Deo de geſtis ſuis omnibus, quanquam duo hæc nunquam non moneant ſepulcra neceſſariorum, atque amicorum. An ſepulcrum reipſa Sennacheribi Regis Ninive cenſendum ſit, ambigere me profiteor. Addunt Sennacheribum hunc genus retuliſſe ſuum ab Eſau, ac mala dum viveret plurima ſubiiſſe; quæ etiam cum Sennacheribo Scripturæ non quadrant.)

SENESER, filius Jechoniæ Regis Juda, 1. *Par.* 3. 18.

SENSENNA, urbs Tribus Juda, *Joſue* 15. 30. in Hebræo *Sanſanna*.

SENSUS SCRIPTURÆ quinque diſtinguuntur; 1. grammaticalis; 2. literalis, ſive hiſtoricus; 3. allegoricus, ſivè figuratus; 4. anagogicus; 5. tropologicus, ſive moralis.

I. *Senſus grammaticalis*, qui ſcilicet legentibus ultrò ſe primùmque ſolo inſpecto vocum ſono ingerit. Ità cum Deum pœnitentia, atque ira tangi, cùm aſcendere illum, deſcendere, oculos, & aures intendere legimus, ſenſus grammaticalis Deum corpore conſtantem, humaniſque imbecillitatibus obnoxium obtrudit. Verùm cum Deum humanis hiſce non detineri fide docente didicerimus; hinc ſenſum grammaticalem in his rejiciendum intelligimus.

II. *Senſus literalis, & hiſtoricus*, quem nempe hiſtoria, res geſtæ, narratio, & voces Scripturæ legentibus ſtatim exhibent. Hinc ſi Abraham duxiſſe Agar, atque ſubinde dimiſiſſe; natum ex Sara Iſaacum, atque circumciſione initiatum legimus, hæc omnia literali, & hiſtorico ſenſu nihil aliud, quam quod hiſtoria ipſa, exprimunt; connubium nempè Abrahami cum Agar, ortum Iſaaci &c.

III. *Senſus allegoricus, & figuratus*, quid ſub verbis & rerum geſtarum hiſtoria allegoricè contineatur, exquirit. Connubium Abraham cùm Agar, quod illa è domo expulſa, ſui, atque filii crimine deinde ſolutum eſt, allegorico ſenſu Synagogam deſignat, quæ nonniſi mancipii loco habita, tandem criminum ſuorum merito reprobata eſt. Sara Eccleſiam, Iſaac electum populum portendit.

IV. *Senſus anagogicus*, ſivè congruens, quo nempè Scripturæ quædam phraſes ad vitam, atque æternam felicitatem traducuntur; quippe cum verba illa, quibus ad noſtras res exprimendas utimur, rebus etiam Cœleſtibus aliquando congruere contingat. Sic Sabbathi, ſivè quietis a Deo Hebræis injunctæ occaſione, aptiſſimè ſermo de requie Sanctorum in Cœlo inducitur. Cùm de ingreſſu Iſraelitarum in terram Promiſſionis; congruè de aditu electorum in terram viventium tractamus.

V. *Senſus moralis, ſive tropologicus*, qui nempè regulas ad mores reformandos, recteque inſtituendos ex hiſtoria, atque contextu Scripturæ deducit. Ex verbis *Deut.* 25. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, Apoſtolus alendos prædicatores veritatis rectiſſimè deducit, 1. *Cor.* 9. 10.

Senſus literalis res geſtas, & hiſtoriam; allegoricus, res fide certas; anagogicus, quæ ad felicitatem æternam ſpectant; tropologicus morum regulas reſpicit juxta notos verſiculos.

Litera, geſta docet; quid credas, allegoria;
Moralis, quid agas; quò tendas, anagogia.

Eos omnes ſenſus unicum nomen Jeruſalem præſefert. Juxta grammaticalem, ſonat viſionem pacis. Literali ſenſu, metropolis eſt Judææ; allegorico, militans Eccleſia; anagogico, Eccleſia triumphans; morali anima Juſti, cujus Jeruſalem aptiſſimam exhibet figuram.

SEON, urbs Tribus Iſſachar, *Joſue* 19. 19. in Hebræo, *Sion*. Ejus nominis locus Euſebii ætate ad radicem Thabor extabat (e).

SEOR, pater Ephronis Hethæi, ex urbe Hebrone. Vide *Gen.* 23. 3.

SEORIM, cujus familia inter 24. Sacerdotales quarta recenſetur 1. *Par.* 24. 8.

SEPHAAT, ſive *Zephat*, urbs Tribus Simeonis, *Judic.* 1. 17. an eadem cum Sephata, juxta Mareſam in ora meridionali Juda, 2. *Par.* 14. 10. Poſt relatam ab Iſraelitis de Rege Arad victoriam, *Horma*, ſivè Anathema appellata eſt. *Num.* 21. 3. *Judic.* 1. 17.

SEPHAMA, urbs Syriæ, limes orientalis terræ Promiſſionis (f); an eadem cum Apamæa?

SEPHAMOTH, Amalecitarum ſpolia David in Sephamoth tranſmiſit, 1. *Reg.* 30. 28.

SEPHAR, mons orientis, facilè ad Armeniam. Filiorum Jectam *habitatio facta eſt de Meſſa pergentibus uſque Sephar montem orientalem*, *Gen.* 10. 29. Eos montes ſedem exhibuiſſe populis *Sepharvaim*, de quibus in Scriptura, & *Saſpirorum* de quibus Geographi, autumamus. Vide *Sepharvaim*.

(SEPHARAD. Hebræa vox in Abdia ℣. 20. Hæc integra Prophetæ ſententia eſt: *Transmigratio exercitus hujus filiorum Iſrael, omnia loca Chananæorum uſque ad Sareptam, & Tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit Civitates Auſtri.* Pro Sarepta Hebræus legit *Zarephath*; & pro *Boſphoro*, *Sepharad*. Sub Chananæorum nomine Judæi deſignatam cenſent Germaniam, ſub *Zarephath* Galliam, ſub *Sepharad* Hiſpaniam. Judæus qui Hebraicum monſtrabat S. Hieronymo (g) fidem illi fecerat *Sepharad* eſſe Boſphorum, quo tranſlatos ab Adriano Judæos affirmabat. Noſtræ ætatis Judæis perſuadentur Hiſpaniæ eo nomine exprimi; ſed multo veroſimilius cenſemus innui Urbes aliquas Tranſeuphratæas, quo migrarint Judæi, & facilè *Separam* vel *Sipparum* in Meſo-

(a) Apud Joſeph. Antiq. l. 10. c. 1. (b) Pridaux hiſt. Judæor. t. 1. l. 1. p. 43.
(c) Thevenot Itiner. part. 1. l. 2. c. 20. & part. 2. l. 1. c. 20. & l. 2. c. 16. (d) D'Herbelot. Bibliot. Orient. p. 804.
(e) Euſeb. in Onomaſt. in Seon. (f) Num. 34. 10. 18. (g) Hieronym. in Abdiam.

Meſopotamia paulò ſupra divortium Euphratis. Eo nomine deſignare videntur Septuaginta *Euphratem*, vel Urbem *Ephratam*, i. e. Bethlehem. Sed Ephratam reſpuit contextus; Jeroſolymitani etenim Judæi trans Euphratem à Nabuchodonoſore deducti ſunt. Jus poſtliminii obtinuerunt per Cyrum, poſſederuntque Urbes Auſtrales Idumææ atque Arabiæ Petrææ.

Narrant Judæorum Hiſtorici (a) Nabuchodonoſorem formaſſe obſidionem Urbis Jeruſalem fultum pluribus fœderatorum copiis, inter potiſſimos eminuiſſe Hiſpanum quendam, ex quo Hiſpaniarum nomen. Venerat ille in eam expeditionem cum Pyrrho filiæ ſuæ marito Rege Græcorum. Capta Urbe commodum ſibi accidit ut divideret ſpolia atque captivos; cum enim Urbs trium mœnium ambitu cingeretur, Nabuchodonoſor ſibi vindicavit opifices omnes intra primum Urbis ambitum; Pyrrho ceſſit quidquid intra ſecundum, ubi & ædes Davidicæ & Sacerdotum. Captivos ſuos tranſtulit Pyrrhus in Andaluziam, inde Toletum; ex quo poſteri David migrarunt Hiſpalim & in Regnum Granatenſe. Atque ita, inquiunt illi, impleta eſt fides oraculi Abdiæ. Sed cùm hæc omnia fabellam præferant, fruſtra refutanda ſuſciperentur. Nec aliud eſto judicium de monumentis aliis in Hiſpania, uti ferunt, repertis, demonſtrantibus eo uſque Imperium ſuum protendiſſe Regem Salomonem. Sunt enim inſcriptiones illæ ludentium ingeniorum deliria, quibus chimericum quoddam imperium conſtitutum eſt.)

SEPHARVAIM. Traductis à Salmanaſare Rege Aſſyriæ Iſraelitis Regni Samariæ trans Euphratem, in eorum ſedes colonias cæterorum populorum, inter quos etiam Sepharvaim, deducendas juſſit (b). Quem potiſſimum illi primò locum incoluerint, incertum. Sunt, qui deductos ex urbe *Siphara*, vel Sipharenorum ad Euphratem credant (c). Nos montes *Sephar*, de quibus *Geneſ.* 10. 29. tenuiſſe credimus; Saſpiros vero populos, juxta Herodotum l. 1. c. 103. & *l.* 3. *c.* 94 & *l.* 7. *c.* 79. unicos terræ tractum inter Colchos, & Medos habentes, eoſdem cenſemus cum Sepharvaim Scripturæ. Saraparas in Armenia Strabo *l.* 10. collocat. In 1. *Eſdr.* 4. 9. magnus *Aſnaphar*, facilè Aſſaraddon, deduxiſſe in Samaritidem gentes tranſeuphratæas legitur. In hiſce autem populis recenſendis, nulla Sepharvaim mentio; niſi fortè ſub nomine *Tarpleorum* deſignatos credamus; ea eo enim nomine *Tapyri*, ſivè *Sapiri*, juxta Chaldæorum pronunciationem, fieri poteſt.

Rex urbis Sepharvaim, *Iſa.* 37. 13. & 4. *Reg.* 19. 13. Metropolis fortè gentis ejuſdem nominis in S. Scriptura occurrit; ſed Regem illum aliud planè, quam Numen ejuſdem gentis non eſſe, ex locis nonnullis Sacræ Scripturæ intelligimus. *Iſai.* 37. 13. *Ubi eſt Rex Emath, Rex Arphad, & Rex Civitatis Sepharvaim Ana, & Ava?* Et alibi: *Ubi eſt Deus Emath, Deus Arphad, Deus Sepharvaim Ana, & Ava?* 4. *Reg.* 18. 34. & alibi etiam, 4. *Reg.* 17. 31. *Hi autem, qui erant de Sepharviam, comburebant filios ſuos igni Adramelech, & Anamelech, Diis Sepharvaim.* Ana igitur & Ava iidem videntur, ac Anamelech, & Adramelech, Nomina Sepharvaim. Porro Anamelech Regem benignum ſonans, lunam; Adramelech vero Regem magnificum reddens, ſolem innuere videntur. Lunam enim Orientales æquè Dei ac Regis titulo appellant.

SEPHATA. *Vallis Sephata, quæ eſt juxta Mareſa*, 2. *Paral.* 14. 10. Vallis erat facilè urbi *Sephat*, ſivè *Horma* adjacens. An fortè *Sephala* pro *Sephat* legendum? Vide *Sephala*, ſivè *Saphala*.

SEPHATIA. Poſteri, ſivè incolæ Sephatiæ numero 372. è captivitate regreſſi ſunt, 1. *Eſdr.* 2. 4.

SEPHATIA, filius Davidis, & Abital. Vide *Saphatia* 2. *Reg.* 3. 4.

SEPHELA, ſivè *Sephala*, vox Hebræa, ſonans planitiem, ſive agrum. Plerique Interpretes Græci, & Latini reddunt agrum; Septuaginta verò in 2. *Paral.* 26. 10. *Jerem.* 32. *ult.* & 33. 13. nomen Sephela ſervant. Porrò ager Eleutheropoli adjacens ad Septentrionem, & Occidentem, ætate etiam Euſebii, & S. Hieronymi, Sephela appellabatur (d). In eodem agro Simon Machabæus urbem Adiadam munivit, 1. *Mach.* 12. 38.

SEPHER, Mons, *Num.* 33. 23. ubi Iſraelitæ in deſerto caſtra habuerunt poſt Ceelatam, & ante Arad.

SEPHET. Tobias patriam habuit urbem Nephtali ſuperioris Galilææ *in ſiniſtro habentem Civitatem Sephet*, *Tob.* 1. 1. Nomen illud in Vulgata nuſpiam alibi occurrit; ſed apud Septuaginta legitur etiam *Judic.* 1. 17. pen *Sephaat*, ſivè *Zephaat*, vel *Horma*. Verùm Sephet Galilææ plurimùm ſanè diſtabat à Sephaat ad meridiem Judæ, vel Simeonis. Recentiores nonnulli hanc urbem Galilææ cum Bethulia, nulla proriùs conjectura fulti, confuderunt. Hanc verò collocant inter Ptolemaidem ad occidentem, & Naaſſon ad orientem 12. m. paſſuum à Carmelo, & 6. à Cana Galilææ. Alii verò ſitam perhibent 9. m. paſſuum à Bethſaida in ſuperiori Galilæa. Sed hæc qui cum Tobia concilientur, in quo Sephet ad ſiniſtram, nempè ad ſeptentrionem Nephtali, ejuſdem facilè urbis ac *Cedes*, collocatur? Utut autem res ſe habet, *Sephet*, ſivè *Sapheta*, vertici montis triplici dorſo aſſurgentis, & inacceſſi inſidet (e), quam Judæi magno numero frequentant, atque inclitam Academiam, erudiendis pueris Hebraica Lingua & Lege Moyſis, ibidem detinent, clariſſimam ab aliquibus ſæculis, ut olim Schola Tiberiadis habebatur. Labente duodecimo ſæculo non adhuc floruiſſe ex ſilentio Benjamin Tudelenſis intelligimus; quamquam non ita poſt emerſit.

I. SEPHI, ſive *Sepho*, tertius filius Eliphæ, filii Eſau, 1. *Par.* 1. 36. & *Gen.* 36 15.

II. SEPHI, filius Sobal, è poſteris Seir (f), in ſerie veterum Idumææ Regum.

SEPHION, filius Gad natu maior, *Gen.* 46. 16.

(SEPHIROTH Hebræa vox ſonans *ſplendores*; deſignat autem apud Cabaliſtas ſcientiæ myſterium maximè arcanum. Porrò ad Sephiroth nemo pertingit niſi ſtudio improbo ac contentione; culmen eſt enim contemplantis Theologiæ. Sephirot recenſet decem, quos totidem circulis aliis alios complectentibus exhibent; interdum ſub emblemate arboris, qualis arbor Porphyriana in ſcholiis varia genera entis demonſtrans, pinguntur. Sunt autem; 1. *Corona*; 2. *Sapientia*; 3. *Intelligentia*; 4. *Robur* (vel ſeveritas) 5. *Miſericordia* (vel magnificentia) 6. *Pulchritudo*; 7. *Victoria* (vel æternitas) 8. *Gloria*; 9. *Fundamentum*; 10. *Regnum*. Dotes ſunt & attributa Numinis, quæ ſtricto ſe inſeparabili inter ſe nexu conjunguntur, eorumque concretione petitur creatio, conſervatio, atque directio univerſi.

Canales etiam conſtituerunt ſuos, unde ſplendoris unius influxus ad alterum tranſvehuntur. Mundus, docebat Simeon Joachim Cabaliſtarum omnium primus (g), *ſola miſericordia* atque columna *gratiæ* deduci non poteſt; quare coactus Deus adjecit pariter columnam roboris vel ſeveritatis quæ ius dicit. Res etiam poſcebat ut geminæ illæ columnæ conciliarentur, aptuſque rebus ordo ac naturalis daretur; quare conſtituta eſt in medio columna *pulchritudinis*, com-

(a) Vide Baſnag. hiſt. Judæor. t. 2. l. 2. c. 6. p. 378.
(b) 4. Reg. 17. 24. 31. A. M. 3283. ante Ch. 717. ante Ær. 721.
(c) Jun. Malvend. Grot. ad 4. Reg. Vide Ptolem. l. 5. c. 18. Abyden.
(d) In Onomaſt. in Sephela.
(e) Srochove Voyage du Levant. (f) 1. Paralip. 1. 38. Gen. 36. 29.
(g) Simon. Ben. Jochaid in Jezirah cum notis Rittangel. p. 185. 186.

componens juſtitiam cum miſericordia aptumque conſtituens ordinem, quo amoto nunquam univerſum ſubſiſteret. E *miſericordia* ignoſcentis criminibus canalis porrigitur ad *victoriam*, ſeu ad *æternitatem*. Tandem qui canales è miſericordia & robore terminant ad pulchritudinem, magno Angelorum numero obſidentur. Ex his 35. addicuntur canali *miſericordiæ*, quorum eſt munus præmio donare viros Sanctos; totidemque aſſidentes canali *roboris* pœnas expetunt de ſontibus.

R. *Schabte* in Jeairah, comparat Sephiroth ſeu ſplendores arbori, in quo commodè diſtinguitur radix, germen, & rami. Tribus hiſce formatur arbor, atque uno hoc diſcrimine variant inter ſe, quod radix occultatur, cùm truncus & rami prodeant exterius. Defert germen virtutem ſuam ad ramos, qui fructificant. Reipſa tamen germen & rami radici continuantur, coaleſcuntque omnes in unam & ſolam arborem. Hæc pariter de ſplendoribus reputanda. *Corona* radix eſt occulta & impenetrabilis. *Tres Spiritus* vel Sephiroth germen ſunt arboris; ſeptem alii rami ita germini conjuncti ſunt, ut avelli non poſſint; qui enim illos avellere conaretur perinde eſſet ac homo ramos arboris abſcindens, præcideníque truncum, tum præciſum à radice irrigans humore. *Corona*, Splendorum omnium veluti radix, influxibus ſuis illos alit, continetque reliquos in ſuo ſinu ac virtute.

Exponit etiam quæ ſit inter ſplendores cohæſio, quæ ſit pariter illorum unio cum creaturis componentibus univerſum. Singulis hiſce Sephiroth tribuitur aliquod Dei nomen, addicitúrque unus è principibus Angelis & planetis; membrum item unum humani corporis ac Legis mandatum unum; ex quo omnis univerſi harmonia reſultat. Ad hæc, ſi quis unam ex rebus hiſce cogitet, in alteram deducitur gradu quodam inter cogitationes illas conſtituto, ut Theologiæ contemplantis vertex attingatur. Hac etiam ratione diſcitur influxus ſplendorum ejuſmodi in Angelos, Planetas, Aſtra, ac membra corporis, quæ ſit inter illa affinitas &c.

Vir doctus, qui myſteria cabaliſtica (a), plurima ſtudii contentione penetravit, autumat Sephiroth nihil eſſe aliud, quam numeros, quibus affinitas eſt aliqua ad decem digitos manus. Alii deprehendiſſe ſibi viſi ſunt in illis myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis (b); ſed fruſtra alia ibi quærerentur ex his myſteriis, quàm quæ revelantur Cabaliſtis; illi enim ſemper negabunt quæ nec ſapiunt ſibi, nec inventionis ſunt Rabbinicæ. Permittenda ſunt ejuſmodi hominibus ſecreta myſteria ſua, nec illis penetrandis opera perdenda eſt. Vide D. Baſnage, *Hiſt. Jud. tom. 4. l. 6. c. 5. num. 7. 8. & tom. 6. l. 9. c. 11.*)

SEPHOR, pater Balac Regis Moab, *Num.* 22. 2.

SEPHORA, filia Jethro, uxor Moyſis & mater Eliezer & Gerſon. Cum Moyſes ex Ægypto in Madianitidem ſe recepiſſet (c), atque geminas filias Jethro Sacerdotis, ſivè Principis Madian contra inſultus paſtorum vetantium, ne greges ſuos adaquarent, defendiſſet, ab eodem Jethro hoſpitio receptus, Sephoram filiam ipſius duxit.

Succeſſu temporis (d), Moyſes juſſu Dei in Ægyptum redux, cùm ad publicum diverſorium una cum Sephora & filiis declinaſſet, Angelum Domini in ſe irruentem offendit; quamquam in Moyſemne, an in ejus filium Eliezer Angelus incurrerit, ex Textu ipſo non diſtinguimus. His viſis, continuò Sephora acuto lapide filium circumcidit, ſimulque viri pedes contingens; Sponſus, ait, ſanguinum tu mihi es. Hinc Angelo ſtatim evaneſcente, Sephora ambos filios ſecum in domum patris ſui reduxit.

Poſt aliquod temporis, Moyſem eductum ex Ægypto populum ad terram Promiſſionis agentem, cùm ad Sinai verſaretur, Jethro, Sephora, atque ambo filii adiverunt (e). Eos officioſiſſimè omnino Moyſes excepit, uti v. *Jethro*, & v. *Moyſes* diximus. De reliquis Sephoræ geſtis, nihil aliud in Scriptura, exceptis querelis cum illa à Maria & Aarone inſtitutis; quam hiſtoriam ita refert (f): *Locutaque eſt Maria, & Aaron contra Moyſem propter uxorem ejus Æthiopiſſam* (ſivè Chuſitidem,) *& dixerunt: Num per ſolum Moyſem locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus? Quod cùm audiſſet Dominus* (*erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*) *ſtatim locutus eſt ad eum, & ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantùm tres ad Tabernaculum Fœderis.* Eo ſe ita conferentibus, laudes Deus Moyſis proſequutus eſt, Mariam verò, & Aaronem objurgavit: de Sephora nihil.

Fabulantur Rabbini, conjecti à Jethro in carcerem Moyſis eo conſilio, ut Pharaoni reſtitueretur, Sephoram amore captam, non ſolùm id effeciſſe, ut è carceris moleſtiis liberaretur, ſed etiam Regalium cum eadem Sephora nuptiarum compos fieret; ea tamen conditione, ſi virgam ſapphyrinam in ſolo Regis horti infixam, evellere valuiſſet. Idem etiam præmium latis edictis vulgò palàm propoſitum eſt, quique vel ſolus, vel omnium primus eam conditionem impleſſet, gener Regis evaderet. Cæteris fruſtra nitentibus, Moyſi vel levi conatu eam tentanti, virga obſequuta eſt. Hinc Sephora & virga Moyſi ceſſit, virga ſanè prodigiis deinde patratis inſignis, in qua nomen *Jehovah* inſcriptum erat. Querelarum verò Aaronis & Mariæ in cauſa fuiſſe narrant, quòd Moyſes à fœmina illa, ad prodigium uſque venuſta, ſeſe ſegregaſſet. Nonnulli mulierem, cujus occaſione murmur contigit, non filiam Jethro, ſed Tharbim filiam Regis Æthiopiæ, quam Moyſes dimiſerat, fuiſſe autumant. Alii tandem ſuſpicantur, conciliatas cum fœmina alienigena nuptias, peſſimo exemplo Iſraelitis futuras, Aaroni & Mariæ diſplicuiſſe. *Chuſitis*, ſivè Æthiopiſſa dicitur; quòd Madian vel in ipſa eſſet regione *Chus*, vel parum ab illa diſtaret. Abacuc ſanè c. 3. 7. nomen *Chuſan*, ſivè *Chus* veluti ſynonymum Madian uſurpaſſe videtur. Alii tandem, nec immeritò, malunt, Sephoram viri ſui decora, atque apud Deum gratiam jactantem, invidiam Aaronis & Mariæ excitaſſe; quod ex Mariæ verbis ſatis intelligere videmus: *Num per ſolum Moyſem locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* (g).

SEPHORA, obſtetrix Ægypti, quæ Hebræorum infantes ſervavit, *Exod.* 1. 21. Ægyptia ne eſſet genere, an Hebræa, in utramque partem ambigitur; facilè tamen Hebræa.

SEPHORIS, urbs celebris Zabulonis, & Galilææ Metropolis, dein Diocæſarea appellata, Judæis (h) 18. m. paſſuum à Tiberiade, aliis 10. ab ea urbe ſita eſt. Non longè abeſt à Thabor, & à Magno Campo. Nihil de illa apud Joſue, cæteroſque Sacros Authores; frequentius apud Joſephum: In ea enim unum ex quinque tribunalibus per Judæam diſtributis, Gabinium conſtituiſſe perhibet, *Antiq. l. 14. c. 10.* ſitam illam in Judææ meditullio, ampliſſimam eſſe, & optimam totius regionis *de Bel. l. 3. c. 1.* quin etiam poſt conceſſam juniori Agrippæ Galilæam, Metropolim conſtitutam fuiſſe *de Vita ſua*: Situm addit juxta illam in ipſo Galilææ centro montem Aſamon *de Bel. l. 2. c. 23.*

(a) Mori. epiſt. in Cabalam, t. 2. p. 63. (b) Kirker. Oedip. Ægypt. Gymnaſ. Hieroglyph. claſſ. 4. c. 9. t. 2.
(c) Exod. 2. 16. &c. A. M. 2473. ante Ch. 1527. ante Ær. 1521.
(d) Exod. 4. 20. &c. A. M. 2513. ante Ch. 1487. ante Ær. 1491.
(e) Exod. 18. 2. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(f) Num. 12. 1. &c. anno incerto. (g) Vide Interpp. in Num. 12. 1.
(h) Rabb. in Echa Rabbati fol. 75. 2.

Venientibus autem Ptolemaide in Galilæam hæc urbs prima occurrebat.

SEPHON, filius Gad, familiæ Sephonitarum pater. *Num.* 26. 15.

SEPHTAN, pater Camuelis, Ephraimita. *Num.* 34. 24.

SEPHUPHAN, filius Bale, & nepos Benjamin. 1. *Par.* 8. 5.

(SEPTEM. Numerum iſtum conſecrarunt Libri Sancti, ac Judæorum Religio, quippe quod ſeptimus numerus plura refert geſta majoris momenti, ac myſtica pluru. Intra ſeptem dierum periodum Deus Mundi productionem abſolvit; ſeptimam diem quieti religioſæ addixit. Quæ ſeptimæ diei quies juxta Apoſtolum, Hebr. 4. 4. exprimit requiem æternitatis. Eſt autem in honore ſeptimus numerus apud Hebræos, non tantùm quiete Sabbathi, ſed & ſinguli ſeptem anni recurrentes referunt quietem agrorum, qui ſeptenus annus appellatur *Sabbaucus*; ac tandem ſeptem annorum ſeptimanæ, i. e. periodus 49. annorum reducunt annum Jubilæi, quo pariter & requies. Prophetarum ſtilo *ſeptimana* capiimit non rarò ſeptem annos. *Dan.* 9. 24. &c. Septennali ſervitute apud Labanum ſocerum ſuum emit Jacob nuptias geminarum filiarum ipſius, ut pro ſingulis ſeptennio laboraret. Somnium Pharaonis myſticum exhibebat ſeptem opimos boves, ſeptemque extenuatos macie; ſeptem lætas ſpicas, ſeptemque triſtes, quo emblemate intelligerentur ſeptem anni obertatis, totidemque ſterilitatis. Septem dies obſervabantur in Octavis maximorum Feſtorum Paſchatis, Tabernaculorum, Dedicationis Templi ac Tabernaculi. Candelabrum aureum in ſeptem ramos diſtribuebatur; ſeptem pariter victimæ non ſemel determinatæ ſunt. *Num.* 27. 11. & 29. 17. 21. &c. Septem erant tubæ, quibus inflandis totidem addicti erant Sacerdotes *Joſue* 6. 4. 6. per ſeptem dies Urbi Jericho circumductæ ſunt copiæ. Habes in Apocalypſi ſeptem Eccleſias, ſeptem candelabra, ſeptem ſpiritus, ſeptem ſtellas, lampades, ſignacula, Angelos, phialas, plagas, &c. Uno verbo numerum ſeptem utraque Scripturæ pagina offert.

Ponitur interdum ſeptem pro nota amplioris numeri. Futurum prænunciat Iſaias 4. 1. ut ſeptem fœminæ offerant ſe in ſponſas uni ſingulari viro. Anna mater Samuelis 1. *Reg.* 2. 5. applaudit ſibi, quippe quæ antea ſterilis, nunc mater eſſet ſeptem filiorum; quod exponens Vulgata reddit: *Peperit plurimos*. Eadem phraſis recurrit Jercm. 15. 9. Minitatur Deus *Levit.* 26. 24. futurum ut percutiat populum ſuum *ſepties propter peccata ejus*; i. e. ſæpiùs. Argentum probe excoctum appellat Pſ. 11. 7. *purgatum ſeptuplum*. Pſ. 78. 12. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum*; duræ illos animadverſioni, & toties ſubmitte, quoties merentur. Geneſ. 4. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero ſeptuagies ſepties*. Eccli. 7. 3. *Non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum*; ne uberiora colligas. Prov. 26. 16. *Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias*. Dominum interrogat S. Petrus quouſque roganti proximo venia indulgenda ſit: *An uſque ſepties? Non dico tibi ſepties*, ait Chriſtus. *Matth.* 17. 21. 22. *ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Sæpius inculcat Amos 1. 3. 6. 9. 11. 13. *Super tribus ſceleribus & ſuper quatuor non parcam*; i. e. ſepties peccantes Damaſcum, Edom, Gazam, Tyrum, Ammonitas diræ animadverſioni ſubjiciam.

Vide *Hebdomada*, *Sabbatum*, *Annus Sabbaticus*, *Jubilæum*.

SEPTUAGINTA SEPTIMANÆ Danielis. De his ſatis V. *Hebdomada*. D. Prideaux in ſua nova Hiſtoria Judæorum parùm antehac vulgatâ *tom.....* *pag.* 13. &c. illas exorditur à ſeptimo anno Artaxerſis Longimani, quo anno prodiit edictum permittens Eſdiæ reditum Jeruſalem. Argumentum latiſſimè tractat.)

EPTUAGINTA DISCIPULI, ſelecti à Jeſu Chriſto, ut ante ſe per urbes diſcurrentes, homines ad excipiendam ab ipſo mox ſuperventuro doctrinam compararent, *Luc.* 10. 1. 17. V. *Diſcipuli*.

SEPTUAGINTA INTERPRETES, quo nomine cenſentur viri illi, qui vulgò adornaſſe creduntur Verſionem ex Hebræo in Græcum, ſivè Pentateuchi tantum, juxta S. Hieronymum, aliſque Criticos non paucos (a). Hujus Verſionis hiſtoriam Ariſtæas ita deſcribit. Bibliothecam Regis Ptolemæi Philadelphi Demetrius Phalereus inſtructurus, immenſam librorum copiam Alexandriæ comparaverat. Cùm igitur ſemel à Rege requireretur, quot libros recenſuiſſet, ille ad 200000. habere ſe jam prodidit; ſperare verò, uſque ad 500000. aſcenſuros. Adjecit verò, audiviſſe, Leges Hebræorum eas eſſe, quas inſtructiſſima Bibliotheca expoſceret; oportere tamen, ut ex Hebræo in Græcum priùs converterentur. Rex literas ea de re ad Summum Sacerdotem daturum pollicitus eſt. Aderat fortè inter cuſtodes corporis unus Ariſtæas, hiſtoriæ hujus Scriptor, cui Judæorum nomine audito, menti occurrit res olim à ſe ſecreto cum Soſibio Tarentino, & Andrea præfectis ſui ordinis, ſibique devinctiſſimis, agitata; ſolvendi ſcilicet è captivitatis jugo Judæos, quos frequentes Ptolemæus filius Lagi Philadelphi pater, in bello Syriaco, & Phœnicio captos, in Ægyptum tranſtulerat. Ea igitur oblata occaſione, tres illi viri expoſuerunt, è Regis clementia, & magnanimitate eſſe, ut quandoquidem à Judæis Librorum ſuorum verſionem optaret, illos, quos captivos in ſua ditione retinebat, liberos remitteret: futurum enim, ut eo beneficio devincti, libentiùs voluntati ipſius obſequerentur.

Quæſivit Rex, quot Judæos captivos in ſuo Regno haberet; audiens verò ad 100000. aſcendere, ille nihil ingentem numerum moratus, omnes in libertatem aſſerturum ſe promiſit. Simul autem ad hæc, juſſit ſingulis 20. drachmas diſtribui in pretium libertatis; publicoque dein edicto omnes ſimul Judæos non eos tantùm, quos pater in Ægyptum tranſtulerat, ſed quacumque ratione veniſſent, liberos pronunciavit. Erogata ea occaſione ultra 600. talenta, quæ ad noſtram monetam ſupputata, ſummam 1440000. librarum, 2400. pro ſingulis talentis, efficiunt. Hinc datis ad Eleazarum Summum Sacerdotem literis, rogavit viros peritos adornandæ Verſioni ex Hebræo in Græcum mitteret. Deſtinata ad eam rem legatio, inter quos Andreas, & Ariſtæas cum muneribus Regia liberalitate dignis. Eleazar Regi obſequendum cenſens, Libros ſtatim Legis miſit, una cum 72. Judæis Verſioni adornandæ peritiſſimis, adjectiſque literis, in quibus & Regiam ipſius liberalitatem, in Deum religionem, & in Judæos clementiam meritis laudibus efferebat. Comiter excepti ſunt à Philadelpho Judæi, ſimulque religioſo obſequio Sanctos Libros obſervans, ſepties in terram uſque pronus adoravit. Codicis etiam elegantiam, aurearum literarum nitorem ſimul, & picturarum venuſtatem plurimùm laudavit. Adjecit, ſe eam diem tamquam Feſtam, & ſolemnem ſingulis recurrentibus annis habiturum. Omnes demum ea die, victoriæ ejuſdem Regis de Antigono ſolemni, convivio apud ſe excepit. Interea pluribus quæſtionibus viros illos tentavit; paratoſque pro voto nactus, adeò illorum reſponſionibus delectatus eſt, ut ad ſeptem alios dies convivium prorogari, quo audirentur omnes, voluerit.

Triduo poſt, Demetrius Phalereus Hebræos in Inſulam Pharon per pontem ſeptem ſtadiorum deduxit. Cùm ad locum perveniſſent, in inſtructiſſimam domum, ad ſeptentrionem Inſulæ, & in litore maris conſtructam introduxit; ut à ſtrepitu, & murmure hominum ſecreti, Librorum Sacrorum Verſioni toti vacarent. Inceptum igitur opus hac

(a) Hieron. in Ezech. 5. & in Mich. 2.

hac ratione, ut nimirum ſi quid occurriſſet difficultatis, rem omnes ſimul diſcuterent; excuſſamque poſtea, tandem ſcriptis mandabant; dein ad Demetrium referentes, ille per diſtinctos Amanuenſes deſcribendam curabat. Operi ab ineunte die, uſque ad nonam horam, nempe ad tertiam ante occaſum, ſtudebant. Tunc in urbem regreſſis, omnia neceſſaria abundè ſuppeditabantur. Mane iterum ad Inſulam, & ad opus, lotis tamen antea manibus, atque precibus de more recitatis. Spatio 70. ſive 72. dierum Verſio confecta eſt (a).

Peractum igitur Opus Demetrio tradiderunt, in cœtu Judæorum Alexandrinorum legendum, probandumque. Omnium aſſenſu Verſio excepta eſt, meritæ laudes & Demetrio, qui Verſionem procuraverat, & Interpretibus, qui adornaverant, perſolutæ; anathema verò pronunciatum in eos, qui temerario auſu in eam Verſionem manum moverint. Rex his omnibus compertis, delectatus plurimùm, ſimulque libri lectione audita, ſapientiam Legiſlatoris admiratus eſt: Quæſivit verò à Demetrio, cur Hiſtoricus, ſive Poeta nullus Opus illud Divinum ne innuiſſet quidem. Reſpondit Demetrius, obſequium in res Divinas authores detinuiſſe, ne quid de illo dicerent; ſcire enim ſe Theopompum, quod aliquid ex illo in ſuam hiſtoriam tranſtuliſſet, ægritudine ſubita correptum, mentis turbatione inopinato mulctatum, Theodotum verò Poetam Tragicum, quod ſimile aliquid tentaſſet, viſu orbatum. Adjecit autem, utrumque Scriptorem poſt agnitum crimen, iterum Divino prodigio valetudinem recuperaſſe.

Summo igitur obſequio Philadelphus Verſionem illam excipiens, in Bibliotheca recondendam, ſolertique cura ſervandam tradidit. Meritas etiam laudes Interpretum virtuti tradidit, quos ditiſſimis muneribus proſequens, ſimulque pluribus ad Summum Sacerdotem deferendis adjectis, in Judæam remiſit, rogans, ut quandoque ad ſe ventitarent. Hæc hiſtoriæ Ariſtææ ſumma, quod ille Opus fratri Philocrati dedicavit, profeſſus ſe omnia velut oculatum teſtem inſpexiſſe, nihilque tradere, quod ſibi compertum non eſſet. Ex Ariſtæa totam hanc narrationem Joſephus *Antiq. l. 12. c. 2.* mutuatus eſt. Philo de vita Moſis de hac Verſione Septuaginta, tamquam à viris Divinitus afflatis loquitur; nihil tamen apud illum ſive de Ariſtæa, ſive de Demetrio Phalereo.

S. Juſtinus Martyr *Exhort. ad Græcos* rem aliter ac Ariſtæas narrat. Ptolemæus Rex Ægypti, ait, apud Judæos veteres quaſdam hiſtorias Hebraice conſcriptas ſervari comperiens, illis in Græcum vertendis 70. viros Jeroſolymis accivit. Eos verò in Inſulam Pharon ablegans, in deſtinata ſingulis cella Operi incumbere juſſit, ne inter ſe quidem communicantes, quò de fidelitate ipſorum in Opere adornando certior eſſet. Factum inde, Deo ſic permittente, ut omnium ſcripta non re tantùm, ſed ipſis vocibus, atque literarum numero inter ſe convenirent. Quod ſimul ac Rex intellexit, admiratus primùm, deinde ſummis honoribus, atque muneribus viros proſecutus, in ſuam provinciam remiſit. Addit idem S. Juſtinus, earum ſe cellularum veſtigia in Inſula Pharo, cùm Alexandriæ eſſet, oculatum teſtem vidiſſe.

Eamdem hiſtoriam aliter etiam idem Juſtinus Apolog. 2. deſcribit. Narrat enim, Regem Ptolemæum inſtructiſſimam Bibliothecam molientem, datis ad Herodem Regem Judæorum literis, mitti ſibi Libros Prophetarum poſtulaſſe. Miſit illico Herodes, ſed fruſtrà; quod Hebraico ſermone deſcripti fuiſſent. Quare iterum Ptolemæus ad Herodem, petens mitti ſibi certos eruditos viros, qui Verſionem ex Hebræo in Græcum adornarent: Adornata igitur pro Regis voluntate Verſio, in Bibliotheca Regis Ægypti repoſita eſt; ubi etiam nunc, ait S. Juſtinus, ſervata, Judæis omnibus præſto eſt. Cellularum 70. ſingulorum Interpretum mentio etiam occurrit apud SS. Irenæum, Cyrillum Jeroſolymitanum, Chryſoſtomum, & Auguſtinum (b). S. Epiphanius de pond. & menſur. n. 9. ad 36. enumerans, eam hiſtoriam ita narrat.

Ex Ariſtæa igitur accepiſſe ſe dicit, Ptolemæum Philadelphum Bibliothecam Alexandriæ in loco, cui nomen Bruchium, comparaſſe, quam Demetrio Phalereo curandam commiſerat. Quadam igitur die Rex à Demetrio quæſivit, quot libros comparaſſet; qui ſtatim reſpondit ad 54800. congregaſſe; majorem verò copiam potuiſſe, ſi omnium ſimul apud Æthiopes, Indos, Perſas, Elamitas, Babylonios, Aſſyrios, Chaldæos, Romanos, Phœnicios, Syros, & illas gentes, quæ Græciam tenebant, quæ olim Latini (ita Epiphanius) non verò Romani appellabantur; ſi, inquam, horum omnium Verſiones adornandas curaſſet. Fortè nomine Græciæ Italiam, ſive Magnam Græciam deſignavit. Adjecit inſuper Demetrius, plures eſſe in Judæa, & Jeroſolymis à Prophetis deſcriptos Divinos Libros, facilè impetrandos.

Rex igitur, datis ad Judæos literis, ab Epiphanio tranſcriptis, rogavit, ut eos libros ad ſe tranſmitterent. Ejus voluntati obſequentes Judæi, 22. libros Veteris Teſtamenti aureis literis deſcriptos, ſimulque 72. Libros Apocryphos tranſmiſerunt. Sed fruſtrà illi; quare Rex novis literis petiit, ut certos etiam viros, vertendis iiſdem libris ex Hebræo in Græcum, tranſmitterent. Miſſi igitur 72. viri, ſeni ex ſingulis Tribubus ſelecti; quos, ut diligentiùs operi vacarent, ſimulque ne unquam inter ſe communicare poſſent, Rex in Inſulam Pharon tranſmiſit, binoſque in ſingulis cellulis, 36. numero conſtructis, concluſit, ad eorum miniſterium famulis, & neceſſariis Amanuenſibus adjectis. Cellis hiſce lux è ſuperiori parte tranſmittebatur; feneſtris enim ad latera carebant, ne alterius in alteram cellam proſpectus pateret. Singulis Interpretum paribus in ſingulis cellulis Liber vertendus deſtinabatur; cujus Verſione ab illis confecta, ſtatim codex in alteram cellulam, deinde in alteram transferebatur, quouſque ſinguli totum Opus abſolverent.

Ita incluſi ab ineunte die ad veſperam Operi incumbebant; dein 36. lymbis vecti in Regium palatium ad cœnam; poſtea ad 36. conclavia, ſingula ſingulorum paribus, transferebantur. Manè iterum ad cellulas reducti. Opere abſoluto, Rex Throno aſſidens, lectionem inſtitui juſſit, 36. Lectores totidem Verſiones ſub oculis habebant, & alter ab illis Textum Hebræum obſervabat. Ea ratione collatis inter ſe exemplaribus, conſenſus ubique ad prodigium uſque mirabilis deprehenſus eſt, ut eadem ſimul omnes adjeciſſe, & deleviſſe intelligerentur; nihil autem deletum erat, niſi quòd inutile prorſus, & ſuperfluum videbatur. Hinc facilè ab omnibus intellectum, viros illos Spiritus S. afflatu opus perfeciſſe. Eorum Verſio in Bibliotheca *Bruchio* repoſita eſt, ex qua altera Bibliotheca nomine *Serapæum* prodiit.

Talmud Jeroſolymitanum, & Babylonicum narrat, Regem Ptolemæum 72. ſenes illos ad ſe acciviſſe, conſilium ſuum celans. Poſt hæc, ajunt, in totidem cellulis clauſit, ſimùlque ſingulis voluntatem ſuam aperuit. Regis vota illi tanto ſucceſſu expleverunt, Deo eorum mentes, & calamos dirigente, ut eadem omnes ſcripſiſſe deprehenderentur. Ejuſdem traditionis decus Samaritani ſibi adſcribunt; narrant enim, Regem Ægypti Summos Sacerdotes Samaritanorum, & Judæorum ad ſe accitos coegiſſe, ut ambo Verſionem adornarent; Samaritanorum præ Judæorum probatum opus in Bibliotheca reconditum eſt.

Narrat Philo de vita Moſis l. 2. eam fuiſſe Judæorum Ægyptiorum pro Verſione Legis lætitiam, ut annua ſolemnitate ejus memoriam celebrarent. Singulis

(a) Ita Ariſtæas apud Joſeph. ex Verſione Ruſin. Euſeb. Cyrill. Alexand. Cedren.
(b) Iren. l. 3. contr. hæreſ. c. 25. ſeu 21. nov. edit. Cyril. Jeroſol. Catheсh. 4.

Digitized by Google

gulis igitur recurrentibus annis, in Inſulam Pharon ſe conferentes, alienigenis etiam pluribus religionis gratia comitantibus, poſt obſequia ritè perſoluta, convivia pietatis inſtituebant, in tentoriis, in littore, in ſabulo, locum virorum præſentia religioſum venerantes. Judæos verò Hebraizantes tantus horror ejus Verſionis cœpit, ut in ejus memoriam jejunium inſtituiſſent, die 8. Thebet (a), Decembri reſpondentia. Hoc ſervant illi, libertatem Judæorum Helleniſtarum deteſtantes, qui legem ſermone impuro, & extraneo corruperant. Addunt, diem hujus Verſionis adornatæ (b) parem in Iſraelem perniciem intuliſſe, qualem Jeroboam filius Nabat, cum vitulos aureos dedicavit; ejuſque mœrore, inquiunt, Cœlum tridnanis tenebris horriſum, amiſſo Legis obſequio parentavit.

Hanc Septuaginta Verſionem plerique veteres Eccleſiæ Patres pluimum obſervarunt, tanquam Canonicam, & Divinò Spiritu dictatam ſuſpicientes (c). S. Auguſtinus verò eo in illam obſequii proceſſit, ut Septuaginta ab Hebraico Textu recedentes, quod non rarò contigit, ſecreto Spiritûs S. ductu receſſiſſe credat; nihilque eſſe tam in Hebræo, quàm in eorum Verſione, quantumvis diſcrepans videatur, non ratum, atque Divinum. Ea inita ratione, utriuſque Textus authoritatem S. Doctor ſervavit. S. Hilarius in Pſal. 131. n. 24. autumat, in locis ipſis, ubi inter Interpretes variantia occurrunt, huic Verſioni adhærendum eſſe, quæ antiquitate, atque Eccleſiæ authoritate cæteris præferenda ſit.

Hæc Patres illi quidem autumarunt, ea opinione ducti, quòd ſingulorum Interpretum exemplaria ſeorſim adornata, miro tamen conſenſu inter ſe conveniſſe crediderint. Verùm cùm ejus hiſtoriæ fides prorſus nutet, nihil ea illa certi ratique deduci potuiſſe conſtat. Hinc nihil de inſpiratione illorum Interpretum Eccleſiæ ſententia pronunciatum eſt: & S. Hieronymus acriter in primum fabellæ 72. cellularum fabricatorem invehitur (d): contendens ſimul, viros illos omnia, quæ meditati fuerant, ſimul contuliſſe; uno verbo illos fuiſſe Interpretes, non Prophetas: *In Baſilica congregatos contuliſſe, non propheteſſe; aliud eſt enim eſſe vatem, aliud Interpretem.* Oſtendit inſuper, plura irrepſiſſe in eorum Verſionem mendacia; nec niſi quinque Libros Moyſi vertiſſe (e). Joſephum demum, Philonem, totamque Hebræorum Scholam una ſecum ſentire teſtatur; quin & Ariſtæam nonniſi de Libris Legis agere animadvertit.

Plerique recentiores Critici totam hanc hiſtoriam fabulæ accuſant. 1. Quòd eamdem referentes inter ſe non conſtent. 2. Quòd Ariſtæas ejus hiſtoriæ omnium vetuſtiſſimus author peſſimè perſonam ſuam gerat, cùm Ethnicum ſe profeſſus, Judæum tamen, quà ſtudio, quà ſtylo ſe prodat. 3. De Ptolemæo Philadelpho tanquam ſapientiſſimo, & religioſiſſimo Principe agit, Dei, ejuſque Templi, atque Scripturarum obſervantiſſimo, cum potius corruptiſſimis illum moribus ex hiſtoriis diſcamus. 4. Demetrium Phalereum inducit tamquam Philadelphi gratia, & favore potentem; cui tamen Regem infenſum fuiſſe ſcimus, quòd Ptolemæo Lagi patri ipſius author fuiſſet, ut à Regni ſucceſſione Philadelphum excluderet; ex quo factum, ut vix rerum potitus Philadelphus, Demetrium in exilium amandaret: cujus mœrore & deſperatione actus Demetrius, aſpidis morſu ſibi necem conſcivit. 5. Idem ubique ſtylus regnat, hebraiſmis redundans, ne exceptis quidem literis Philadelphi ad Summum Sacerdotem; uti & illius ad Regem; & in ſupplici libello Demetrii ad Philadelphum. Plura etiam alia obſervarunt Eruditi, quibus ſanè omnibus Ariſtææ hiſtoria, & ſuſpicionis arguitur, & ſuppoſitionis Judæi cujuſdam impoſtoris, qui ſub ementita Ariſtææ larva fabellam vendit averit.

Unde igitur vetus illa Græca Verſio, quæ hodie ſub nomine Septuaginta circumfertur, & laudatur? Vetuſtiſſimum planè Opus eſſe nemo diffitetur; facilè ſub Philadelpho, ſaltem quoad Pentateuchum, (cujus verſio majori conſtat fide) adornatum. Certum tamen tempus, ſicut & Scriptor, ignoti. Cæterorum Librorum præter Pentateuchum Verſio alios præferre videtur Interpretes, non minùs ignotos, & variæ inter ſe ætatis. Neque enim unius eſſe authoris omnes videntur, uti ex ſtyli varietate, ſicuti ex varia ratione unam eamdemque vocem reddendi intelligimus. An verò Interpretibus ipſis, ſive Amanuenſibus hæc referenda ſint, in Verſione Textus Scripturæ ex collatione Textus Hebraici facilè apparentia; ſicut & mutatio annorum primorum Patriarcharum, qui ſive ante, ſive poſt *Diluvium* ad Turrim uſque Babel vixerunt, ignoramus. Porrò interpolationes illæ non fortuito caſu contigiſſe videntur; atque in Job, Proverbiis, Majoribus Prophetis, & Libris Regum frequentius occurrunt (f).

SEPULCHRUM. Mortuorum ſepulturam Hebræi religioſiſſimè curabant. Sepulchra autem illa vulgò in petra excidi conſueverant; uti ex ſepulchro ab Abrahamo pro uxore empto, *Gen.* 23. 4. monumentis Regum Juda, & Iſraelis, uti & Jeſu Chriſti in monte Calvario intelligimus. Interdum etiam humi defodiebantur; vulgo tamen extra urbes, & in cœmeteriis ad eam rem deſtinatis. Solebant autem delatum aliquem lapidem, vel aliud quidpiam tumulo imponere, ut prætereuntes monerentur, ne quid contra ſepulchri religionem tentarent, ſive ne illuc accederent, nè fortè impuritatis aliquid contraherent.

Jeſus Chriſtus in Evangelio exprobrat Phariſæis, monumenta illos dealbata referre, quæ exteriùs quidem nitent, intus verò nonniſi ſaniem fovent, *Matt.* 23. 27. Hæc porrò ſepulchra ſingulis annis die 15. Febtuarii dealbari conſueviſſe Ligtfootus oſtendit. Alibi etiam Dominus Phariſæos comparat ſepulchris delitefcentibus, *Luc.* 11. 44. prætereuntium pedibus proculcatis; quæ quidem latentem inducunt in viatores impuritatem (g).

SEPULCHRA CONCUPISCENTIÆ. Vide *Kibroth-hattaavah*, ſive *Kibroth-aba*.

Sepulchrum Rachelis. Vide *Rachel*.

Sepulchrum Abſalomi; ſive *manus Abſalom*; *monumentum Abſalom*; illud hodie ad Orientem Jeroſolymæ oſtenditur. Vide Abſalom.

Sepulchrum Davidis, è quo Hircanus primùm, dein Herodes ditiſſimos theſauros effodiſſe perhibentur. Vide *David*.

Sepulchrum Machabæorum in Modin. Vide in calce articuli *Jonathas Aſmonæus*.

Sepulchrum Regum Juda. Vide *David*.

Sepulchrum, ſive *monumentum Domini noſtri Jeſu Chriſti*, in Calvario ad ſeptentrionem, & occidentem Jeroſolymæ, in petra exciſum, quemadmodum ex Evangelio diſcimus, *Joh.* 19. 41. Anguſtæ inſtar cellæ, quadrato ferme intùs opere excavatum eſt; ab imo ſolo ad fornicem uſque octo pedibus, & pollice; ſex verò & pollice in longitudine; quindecim, & decem pollicibus in latitudine. Oſtium ad ejus aditum patet ad orientem, quatuor pedibus altitudinis,

(a) Scalig. Not. in Chron. Euſeb. ad an. 1734. (b) In Maſſechet Sopherim.
(c) Clem. Alex. l. 1. Strom. Juſtin. Exhort. ad Græc. & Dial. Cyril. Jeroſ. Cath. 4. Iren. l. 3. c. 25. ſeu 21. Epiph. de pond. & menſ. Chryſ. hom. 4. in Gen. Aug. l. 2. de doctr. Chriſt. c. 15. & de conſenſu Evang. l. 2. c. 66.
(d) Hieron. Præfat. in Pentateuch. ad Deſid. *Neſcio quis primus author Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit.* (e) Hieron. in Ezech. c. 5. & in Mich. 2.
(f) Vide de hoc argum. Scalig. Uſſer. Valton. Frsſſen, Du Pin, Vandal Hody, & nov. Edit. Hexaplorum Orig.
(g) Vide de hoc argum. noſt. Diſſert. de Funer. Jud. Nicolai de Sepulchr. Jud. De ritu noſtri temporis lege Leon. Mod. Cerim. de Giud. par. 5. & P. Buxtorſ. Synag. Jud. c. 35.

nis, & duobus, & quatuor pollicibus latitudinis; illud autem petra ex eadem rupe exciſa occluditur. Hanc olim petram Principes Sacerdotum ſigillo obſignaverant; de qua etiam religioſæ fœminæ ſimul loquebantur: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti*, *Mar.* 16. 3. At tandem ipſi poſt reſurrectionem Angelus inſidebat, *Matth.* 28. 2. Totum ejus cryptæ latus occupat ſuppoſitus corpori Chriſti lapis, duobus pedibus & quatuor pollicibus altus; quinque pedibus & undecim pollicibus in longum; duobus pedibus & octo pollicibus in latum, ab oriente in occidentem ſitus. Noſtra ætate ſepulchrum illud marmore obductum ſupereſt (a).

(*Sepulcrum Saræ*. Cùm ne palmum quidem agri poſſideret Abraham in Chananitide, filios Heth cives Hebron rogavit, ut pretio ſibi conſentirent ſepulcrum poſitum in agro Ephronis filii Sehor *Geneſ.* 23. Solvit autem in eam rem 400. ſiclos probatæ monetæ, condiditque ibi Saram. Locum hunc ſepulcri appellat Vulgata *ſpeluncam duplicem*; ſive quod duæ eſſent cellulæ in petra exciſæ, ſive quod in una eademque camera duo eſſent loculamenta. Appellat illam Hebræus *ſpeluncam Macphela*. Vide *Macphela* in Dictionario.

Sepulcrum Moyſis. Poſt obitum inclyti hujus Legiſlatoris, de cadavere ejus diſſidium agitatum eſt inter Archangelum S. Michaelem ac Dæmonem *Judæ* ꝟ. 9. Sed quæ diſſidii hujus fuerit cauſa, diù ac multùm diſputatum eſt. Autumarunt nonnulli obſtitiſſe Dæmonem (b), ne in ſepulcrum ejus cadaver inferretur, utpote indignum tanto honore, quippe qui Ægyptium in Ægypto necaſſet. Maluerunt alii (c) Moyſem ſepulturæ mandatum fuiſſe ab Angelis clam Hebræis, ne forté illi Divinos honores poſt obitum hominis imprudentes offerrent.

Aliis tandem viſum eſt (d) adniſum fuiſſe Dæmonem ut ſolemni ac publico honore cadaver inferretur ſepulturæ, quò ſcilicet locum frequentantes Hebræi inducti perhiberent idololatriam. Sunt qui credant (e) alio planè ac cæteri homines exitu ſublatum fuiſſe; nempè ex hoc mundo translatum migraſſe in Paradiſum terreſtrem. S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 6. & Evodius in Epiſtola ad S. Auguſtinum inter Epiſtolas ejuſdem *num.* 259. affirmant poſt obitum Moyſis geminum ejus cadaver oculis apparuiſſe, quorum unum inferendum eſſet in tumulum, aliud maneret Angelo, cujus erat curæ aſſignatum.

Refert Cedrenus l. 1. ſepulcrum Moyſis nunquam non tegi micanti quadam nube, qua aſpectus hominum tum & acceſſus prohibetur. In Deut. 34. 6. exprimitur diſertiſſimè mortalium nemini ad id uſque innotuiſſe locum ejus ſepulcri: literis nihilo ſecius traditum eſt A. 1655. menſe Octobri Paſtores quoſdam Maronitas (f), dum paſcerent capellas in monte Nebo & Abarim, animadvertiſſe è gregibus ſuis aliquas identidem à cæteris ſecreviſſe ſeſe bidui vel tridui itinere, redire verò eximio quodam odore delibutas. Rem totam indagaturi palantes illas ſecuti ſunt, perveneruntque ad altiſſimum quoddam præruptumque ſaxum, cujus media tenentem ſpectarunt modicam atque amœniſſimam vallem, quo deducebat via difficilis ex præruptis petris, eo fortè devolutis dum violentis terræ ſuccuſſionibus è vicinis montibus avellerentur.

Ægrè illi tandem ad locum adniſi, excavatam quandam in petra cryptam nacti ſunt, ignotis characteribus addebatur inſcriptio. Specus autem gratiſſimo odore ſpirabat, ex quo paſtores eorumque veſtes omnes delibutæ ſunt. Ejus rei fama delata eſt ad aures Mataxat Patriarchæ Maronitarum verſantis in monte Libano in Aſceterio *Canobeen Kadiſcha Mariam*, fidemque affirmantibus Paſtoribus conciliabat ſpirans ex eorum veſtibus odor.

Actutum Patriarcha miſit ad locum è Sacerdotibus ſuis geminos, viros prudentes, & doctos, maximè Aben-Uleph, cujus erat acre judicium & ingenium acutum. Omnia illi ad fidem dictorum congruentia nacti ſunt, legeruntque inſcriptionem hæc ferentem: *Moyſes ſervus Dei*. Lætus Patriarcha ſucceſſu convenit actutum *Morat* Bacha Damaſci, ſibique poſtulavit cuſtodiam ejus ſepulcri. Interim Græci, Armeni, Judæi, Franciſcani, ad quos rei fama pervenerat, multa pecunia ſibi quiſque annitebatur arrogare cuſtodiam inſignis monumenti, cæteris excluſis; Judæi præ cæteris nihil ad id operis prætermiſerunt, demonſtrantes pariter ſibi præ cæteris omnibus cauſam adjudicari oportere, quippe quòd de Moyſe Legiſlatore ſuo ageretur. Reſonabant jam aſſentantium Othomanis voces, decora illorum eo nomine commendantes, quòd tria illa depoſita curæ ſuæ haberent commiſſa, nempe ſepulcrum Jeſu Chriſti Jeroſolymis, Moyſis in monte Nebo, & Mahometi Mechæ.

Addit Hornius, Jeſuitas, ut ſpes omnium fruſtrarent, præciderentque tentamina variarum gentium, id tandem eviciſſe penès Turcas, ut ſepulcrum deducenteſque ad illud viæ obſtruerentur, additis capitalibus pœnis in eos, qui ad locum permeaſſent. Quare Bacha Morat mandatis oneravit Saniacum Jeruſalem & Saphet ut obſtruendum ſepulcrum atque ſpeluncam curaret. Sed aliò tendebant conſilia eorum, qui juſſiones haſce ſollicitaverant; meditabantur enim clam ſurripere ſacra lypſana ſecumque in Europam transferre. Equidem illi clam aſſumptis Druſis montis Libani ſuffoderunt ſibi viam ad ſepulcrum; ſed vacua in illo omnia nacti ſunt. Cùm tamen ſecum afferre ſaltem aliquid è marmore hujus ſepulcri conarentur, re ad Saniacum Jeruſalem delata, miſſis ſtatim militibus diſſipavit, ac malè excepit molimini intentos.

Ejus rei fama totam Conſtantinopolis Aulam in ſe convertit, ac viros doctos diſtraxit in partes judicio ea de re ferendo. Jechonias filius Gad, vir inter Judæos doctus, Saphet verſans, ſcripto Libro defendit alterius Moyſis ſepulcrum illud habendum eſſe, pluribus, quàm Moyſes Legiſlator, ſæculis recentioris. Ita concepta ad ſanctum illud nuncium ſpes evanuit. Hæc Hornius. Sed Bartoloccius (g) ad trutinam totam hanc hiſtoriam revocans, ſuppoſitionem arguit, vel ſaltem ſuſpicionem, tria hæc potiſſimùm obſervans. 1. Jechonias iſte filius Gad & ignotus eſt vir, & ad arbitrium potiùs confictum nomen, quam Scriptoris alicujus videtur. 2. Maronitarum Patriarcha anni 1655. non Mataxat, ſed Joannes appellabatur, quem excepit Georgius Besbebel; 3. Bacha Damaſci tunc erat *Beſebis*, non *Morat*.

Sepulcrum Eliſei homines non latuit ex celebri quodam rei eventu. Anno ejus Prophetæ emortuali latrunculi quidam Moabitæ ab excurſionibus in ditionem Iſrael reduces, inciderunt in pompam funebrem Iſraelitarum, conterritique Iſraelitæ illi, projecto cadavere in ſepulcrum Eliſei, fugerunt 4. *Reg.* 13. 20. 21. Sed vix ſacra lypſana tetigit frigidum illud corpus vitæ igniculos concepit, ſurrexitque in pedes. De loco hujus ſepulcri non ſat convenit inter plures. S. Hieronymus, & poſt illum multi Samariæ vel circà conſtituunt (h), ex eo ducti, quòd facilè

vir

(a) Vide Paul. Lucas Voyage dans l'Aſie Mineure tom. 2. ubi exactiſſimè omnia, ut noſtra ætate viſuntur, loca illa deſcribit.
(b) Oecum. in Epiſt. Judæ ex Antiquor. traditione. Glycas part. 2. Annal. 2.
(c) Philo de vita Moſ. ad fin. Epiphan. hæreſ. 9. & 84. &c. (d) Ambroſiaſter in Galat. 3.
(e) Clemens Alexand. l. 1. Strom. Hilar. in Matth. 20. Vide & Ambroſ. in l. 1. de Cain. & Abel. c. 2. & Hieron. in Amos, 8. (f) Vide Horn. hiſt. Eccl. ſæc. 17. art. 37.
(g) Bartolocc. Bibl. Rabbinic. l. 3. p. 930. Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. t. 4. l. 6. c. 17. Edit. Pariſien.
(h) Hieron. in epitaph. Paulæ, Epiphan. ſeu alius de Vita Prophet. Iſidor. Doroth. alii.

vit Sanctus obierit Samariæ, ubi proinde & conditus ſepulcro crederetur. Maluot alii ſepultum in Patria ſua Abel-Meula, alii in monte Carmelo. Vide v. *Eliſeus*.

Sepulcrum David. De illo, ſicut & de conditis ibi theſauris, egimus in Dictionario v. *David*.

Ita verò monumentum illud deſcribuot exactiſſima quædam Itineraria (a). Superbæ ſtructuræ ædificium eſt, hodie extra mœnia Jeruſalem, olim verò facilè intra Urbis ambitum. Offert ſeſe primò ampliſſimi ſepti atrium patens 80. pedibus circiter in quadrum exciſum æquatumque in petra, quæ marmor refert; ad lævam porticus eſt in eadem petra exciſa, quo etiam marmore ſufficiuntur porticus illius columnæ. Deſinit porticus in anguſtum quoddam foramen, onde reptando penetratur in amplum quoddam conclave 24. pedum circiter in quadrum, diſpoſitas habens circum minores alias cameras, alteram in alteram exponentes per januas io ipſa petra expreſsas. Eodem marmore ſufficitur tectum, januæ limina ſuperliminaria, ſtipites, quod utique intuentes admiratione ſui detinet; neque enim fores aliunde tranſvectæ aptatæ ſunt loco, ſed ibi ante cameras exciſæ, adhærent ſaxo unde deſumptæ ſunt. Cameræ illæ diſpoſita habent ad latera loculamenta plura, in quibus ſarchophaga depoſita recondebant Regum cadavera. Id fortè ædificium unicum eſt ſuperſtes veteris Jeroſolymæ monumentum.

Sepulcrum SS. Virginis. De ſepulcro SS. Virginis, ſicut & de loco ejus obitus geminæ obtinent traditiones. Quibus perſuadetur adhæſiſse illam comitem S. Joanni Evangeliſtæ concedenti Epheſum, ibique diem clauſiſse, tenent pariter ejus ſepulcrum manſiſse adhuc ibi A. 431. cùm Epheſinum concilium celebratum eſt, quod non obſcuro fulcitur teſtimonio epiſtolæ ejus Concilii (b). Quæ aliorum opinio cenſet obiiſse illam Jeroſolymæ, ubi & ejus ſepulcrum monſtratur, aſsertores habet non inferiores. Juvenalis Epiſcopus Jeroſolymæ, qui cùm inter Patres adſiſteret Concilio Epheſino, geſta ibi omnia utique non ignorabat, ſcripſit ad Pulcheriam Imperatricem & Marcianum Imperatorem è Reliquiis B. Virginis aliquod poſtulantes, monſtrari quidem ejus ſepulcrum in Gethſemani non longè à Jeruſalem (c), ſed nihil ibi recondi; quod cùm intelligeret Imperator juſſiſse narratur, afferri ſepulcrum illud Conſtantinopolim, unà cum ſudario, quod intus politum fuerat, collocarique in novo Templo S. Mariæ in Blachernis (d).

Nec tamen ab ea ætate ceſſatum eſt monſtrari ſepulcrum B. Virginis Jeroſolymæ, quod in Valle Joſaphat juxta Urbem coli affirmat Adamnanus, de *Locis SS. cap.* 9. *Jeroſolymæ*, ſed vacuum monſtrari ſua ætate teſtatur Beda *de locis SS. cap.* 3. repoſitumque fertur in Baſilica juſſu Helenæ Imperatricis ibi conſtructa. Affirmant Itineraria ſpectari, adhuc ſupra tectam parum aſſurgens ſepulcrum illud, poſitum in valle Joſaphat, qua fluit torrens Cedron, ex averſa torrentis ripa, contra Gethſemani & montem Olivarum; addunt, deducere in ſepulcrum illum ſcalam 50. graduum, eò autem venientibus offerri parvam cryptam, ubi ceu Aræ cujuſdam lapideæ Sarcophagus potiùs eſt fortè cadaveri locus deſtinatus, cellulam verò & Altare in petra exciſa eſſe. Hæc illi; non tamen ſatis ad perſuadendum genuinum illud eſſe SS. Virginis ſepulcrum.

SEPULCRA Danielis, Ezechielis, & Machabæorum &c. Vide eorum titulos.)

SEPULTURA. Vide *Sepulcrum*, & Authores ibi citatos, & nos v. *Mortui*.

(Mortuorum ſepulturam inter potiſſimas curas ſuas habuerunt Judæi, ut privari ſepultura apud illos ignominia eſſet, qua inter homines major nulla: nec hoſtibus negabatur. Qui verò ſibi necem intuliſſent (e), quorum animas ad inferna deputari tenebant, illis uſquepoſt ſolis occaſum differebatur ſepultura (f) Porro ex ſepeliendi ſollicitudo appendix erat opinionis de immortalitate animarum. Impios minitatur Scriptura, tanquam malorum omnium extremum, futurum ut ſepulturæ honore careant. Eccleſiaſtes c. 6. 3. *Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, ſepulturaque careat, de hoc ego pronuncio, quòd melior illo ſit abortivus*. Minitatur Jeremias 8. 2. Reges, Sacerdotes, & Pſeudo-Prophetas cultu ſe Idolorum polluentes, projicienda eorum oſſa extra ſepulcrum, tanquam fimus, qui diſpergitur ſuper terram. Idem Propheta 22. 18. 19. prædicit futurum ut Joachim Rex Juda, qui domus ſuæ fundamenta locabat in crimine, laxabat vitiis, avaritiæ, ac violentiæ fræna; futurum, inquam, *ſepultura Aſini ſepelietur*, i. e. extra portas Jeruſalem inſepultus projiceretur. Jaſon, qui Judæos plures ſepultura privaverat, & ipſe pariter eodem probro affectus eſt 2. *Mac.* 5. 10. & in extera enim terra defunctus ceu morticinum aliquod abjectus fuit in agrum, *ſepultura neque peregrina uſus*. Viri quippe pii in eo ponebant religionis ſuæ curam maximam, ut mortuos ſepulturæ mandarent, quod exemplo Tobiæ intelligimus.

Pro loco ſepulturæ mortuorum deſtinato nihil erat lege ſancitum. Sepulcra erant in urbe, ſepulcra in agro, ad viam, in hortis, in montibus. Regum Iſrael monumenta recondebat urbs Jeruſalem (g), & horti Regii (h). Inſinuat Ezechiel 43. 7. 9. effoſſa ſepulcra illa fuiſſe ſub monte Templi, cùm Deus pronunciet, futurum ne ultrà in poſterum montis illius ſanctitas Regum Judæorum cadaveribus violetur. Joſephus ab Arimathæa tumulum in horto ſuo ſibi paraverat, quò intulit Ieſu Chriſti cadaver *Joan.* 19. 41. & 20. 15. Condita jacebat Rachel juxta viam è Jeruſalem in Bethlehem; Machabæi in podio quodam ad Modim (i) adeò eminenti, ut longiùs terra marique ſpectaretur, quorum ſepulcrorum imaginem verbis depinximus V. *Machabæi*, & *Jonathas*. Sepulcra Regum Iſrael poſita erant Samariæ; Samuelis in ſuis ædibus; Moyſis, Aaronis, Eleazari, Ioſue in montibus, Regis Saul & Deboræ nutricis Rebeccæ ſub arboribus. Feruntur inſuper vulgaria Civium Jeruſalem ſepulcra habuiſſe vallem Cedron; ibi pariter erant exterorum cæmeteria.

Porrò cœmeteria illa appellabant Judæi *domum viventium* (k), ut fidem ſuam de immortalitate animarum ac reſurrectione nomine illo exprimerent; & cùm pariter eò venerint cadaver efferentes (l), cæteros ibi jacentes defunctos verbis hiſce tanquam ſuperſtites compellant: Benedictus ſit Dominus, qui vos creavit, nutrivit, aluit, ac tandem è mundo juſtitia ſua deduxit. Ille vos omnes habet in numerato, & ſtato tempore exſuſcitabit. Benedictus ſit Dominus, qui ducit ad necem, & reducit ad vitam. Quo tenentur, obſequium in ſepulcra perſuaſit illis ut Synagogas, & Proſeucas juxta monumenta magnorum virorum & Prophetarum excitarent. Ita ſpectare licet Synagogas juxta ſepulcra Ezechielis, Zachariæ, Mardochæi, & Eſther. Confluunt ad ſepulcra precandi cauſa, quippe quos eadem ac nos tenet perſuaſio, exhibitas pro mortuis preces ſicut & Sanctorum invocationem (m) efficaciæ habere plurimum. Nefas eſſe docent Rabbini ſeu tumulos ſubvertere, ſeu turbare requiem mortuorum, in eandem foveam etiam poſt longam ætatem alterum inferendo cadaver, ſive aquæ-

du-

(a) Thevenot. Itiner. p. 1. l. 2. c. 40. Maundrel Iter Alepo. Jeruſalem. (b) Concil. t. 3. p. 561. 574.
(c) Nicephor. hiſt. l. 2. c. 32. & l. 15. c. 14. (d) Circa A. 455. (e) Joſeph. de Bello l. 3. c. 25. in Græco, p. 852. 853.
(f) Tacit. Annal c. 5. (g) 3. Reg. 2. 10. & 11. 43. & 14. 31. & 15. 8. 24. 22. &c.
(h) 4. Reg. 21. 18. 26. (i) 2. Mac. 13. 25. 27. 28. 29.
(k) Leo Modena p. 5. c. 8. (l) Buxtorf. Synag. Jud. c. 35.
(m) Joan. Nicolai de Sepulcr. Hebr. l. 4. c. 6. Baſnag. hiſt. Jud. l. 7. c. 24. n. 24.

ductum, ſeu viam regiam ducere per cœmeterium, ſive eò venire lignandi vel gregis paſcendi cauſa.

Cùm funebris pompa cœmeterium attigerit, recitatur benedictio illa ad mortuos directa, de qua ſupra, tum deponitur cadaver, ſtatimque, ſi ampliſſimi alicujus viri agatur funus, oratione quadam ejus laudes celebrantur: tum gyrant circa foveam adſtantes, obmurmurantes interim proliaam quamdam precem appellatam *juſtitiam Judicii*, quòd in illa gratiæ referuntur Deo de æquitate Judicii ſui in vitam & ſortem defuncti; incipit ab illo Deuteronomii 32. 4. *Dei perfecta ſunt opera*. Poſt hæc omnia oppletus terra ſaccus defuncti capiti ſupponitur, clavibuſque atque operculo munitur loculamentum; ſi funus eſt viri, decem homines gyrando circuunt cadaver, precem interim pro ejus anima exſolventes; inter neceſſarios propinquior veſtis ſuæ angulum abſcindit, tum in foveam demittitur cadaver facie ad Cœlum obverſa conclamantibus interim adſtantibus: *Eas in pacem*, ſeu potiùs juxta Thalmudiſtas: *Eas ad pacem*. E' neceſſariis quoque propinquiores terram primi ingerunt ſupra corpus; tum cæteri adſtantes omnes manu, vel palis cætera proſequuntur. His abſolutis recedunt euntes retrorſum, nec ante è cæmeterio exeunt, quàm poſt carptas ter herbas, projectaſque retrò poſt dorſum apprecando interim: *Florebunt ſicut fœnum terræ. Pſal.* 16. 16.

Sepulcralis inſcriptio nulla mihi unquam occurrit in vetuſtis Hebræorum ſepulcris; neque enim ſat fidei habet apud nos, quam ferunt, ſepulcralis inſcriptio Adoniræ in Hiſpaniis reperta, & aliæ id generis. Erigebantur monumenta perennandæ memoriæ Regis, Herois, Prophetæ, Militis: ſatis hæc per ſe ad commendandum virum, & ad poſteritatis recordationem. Cùm Rex Joſias diſcurreret, ſepulcra Prophetarum Baal, & Sacerdotum vitulorum aureorum ſubvertens, notavit inter cætera lapidem quemdam ſepulcralem 4. *Reg.* 23. 17. quem ſibi renunciarant eſſe ſepulcrum illius hominis Dei, qui denunciavit Jeroboamo futurum ut Rex quidam nomine Joſias veniens oſſa Pſeudo-prophetarum ſuper Altare Bethel incenderet 3. *Reg.* 13. 2. Nullam ergo funebrem inſcriptionem ſepulcrum illud præferebat, Monumento ſuo nomen indidit Abſalom: *Manus Abſalom* 2. *Reg.* 18. 18. Sepulcra Regum cohibebant excisæ in petris cellulæ, quæ ſanè nullis inſculptis epitaphiis ornabantur.

Recitamus hic formulam epitaphiorum qualia apud Judæos noſtræ ætatis obtinent: *Lapis iſte conſtitutus eſt ad caput N. filii N. qui ſepultura mandatus eſt die N. anno N. qui & requieſcat in Horto Eden unà cum cæteris Juſtis, ibi verſantibus ab exordio: Amen, Amen, Selah*, ſeu: *ejus anima alligetur in horto Eden: Amen, Amen, Amen, Selah*. Sive aliter: *Hoc monumentum; vel columna erecta eſt ad caput illuſtriſſimæ, ſanctiſſimæ & puriſſimæ Virginis Rebeccæ, filiæ Domini Samuelis Levitæ, quæ occubuit bonæ nominis opinione, die N. menſis N. anni N. Ejus anima alligetur in Horto Eden: Amen, Amen, Amen, Selah*. Sed hæc neque vetuſta ſunt, nec uniformia. Beniamin Tudelenſis narrat excurrenti ſibi per Palæſtinam occurriſſe cælatam hanc in monumento Abrahami inſcriptionem: *Hoc eſt ſepulcrum Abrahami, beati patris noſtri*. Sed hæc omnia poſt factum addita ſunt.)

SER, ſive *Zer*, urbs Tribus Nephtali. *Joſ.* 19. 35.

SERANIM, nomen Satraparum Philiſthæorum, Vide *Satrapæ*, & *Surena*.

SERAPHIM, ſive *Zeraphim*, Hebræa vox, à *saraph*, quod ſonat ardere, metallum conflare, à ſcoria mundare. Uſurpatur etiam de *aurifice*, *conflatore*; quemadmodum & de anguibus *Seraphim*, ſive *Saraphim*, *Num.* 21. 6. qui alis inſtructi caſtra Iſraelitarum in deſerto infeſtarunt, magna populi copia enecata, de quibus v. *Saraph*, & *Serpentes*. Tandem *Seraphim* apud Iſaiam 6. 2. ſunt certa Angelorum claſſis ſupra thronum Dei ſtantes, tribuſque alarum paribus, binis ad faciem, binis ad pedes velandos, binis verò ad volandum inſtructi. Se invicem verò provocantes inclamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena eſt omnis terra gloria ejus*. Porrò nomen illud *Seraphim*, Angelis deſignandis, ibidem tantummodo in tota S. Scriptura occurrit. Quamquam autem illud per *ſchin* ſeu *ſin* conſtanter ſcribitur, eandem tamen retinet ſignificationem, ac ſi per *tzade* ſcriberetur. Inter novem Angelorum choros Seraphim ordine primi recenſentur.

(SERAPIS, Ægyptiorum Numen. Nullibi quidem ejus nomen in Scriptura; ſed prætereundum hic non duximus, quòd pluribus ea ſedit perſuaſio, Ægyptios ſub ejus nominis emblemate coluiſſe Joſephum Patriarcham. Expreſſam hanc ſententiam legimus apud Veteres nonnullos, puta Julium Firmicum *de error. prophan. Relig.* & Rufinum *Hiſtor. l.* 2. *c.* 23. Conceſſeruntque in eam viri quidam docti recentiores ut Voſſius, Ouzelius, Spencerus, aliique nonnulli. Fulciunt autem illam ex affinitate plurima rerum inter Joſephum & Serapidem. Fertur Serapis divinos ſibi honores apud Ægyptios promeruiſſe, quòd regionem è graſſante fame liberaverit; pingebatur autem levatas ferens in caput ciſtam & ſpicas.

Serapis cum Apide confundendus creditur, eo tantùm inter illos diſcrimine conſtituto, quod eſt inter bovem vivum & mortuum alterum, atque in feretro collocatum. Quandiu vivebat, Taurus Apis erat; poſt obitum in Serapidis cultum & appellationem tranſibat; Serapidis, inquam, quaſi diceretur in Græco *Apis en ſoro*, Apis in feretro, vel *Soros Apidos* feretrum Apidis (a). Jungitur etiam in unum Serapis cum Plutone, cum Jove, cum Oſiride, Sole, Æſculapio. Etymologia etiam Hebraica vindicatur nomini Serapidis, quæ magis magiſque ad indolem Joſephi accedit. *Sar* enim Hebraicè eſt *Princeps*; *Apis*, vel *Sar-Abir*, Princeps potens: cùm autem inter Joſephum, Apidem, & Oſiridem lineamenta quædam ſimilitudinis ſpectare liceat, inde perſuaſio facta eſt, Ægyptios ſub variis hiſce Numinum emblematibus divinos honores tribuiſſe Joſepho.

Hæc tamen omnia, totumque pariter ſyſtema convellit ratio quædam oppoſita. Serapidem novum eſſe in Ægypto Numen docent Hiſtorici; & pompam ejus translationis Sinope Urbe Ponti Alexandriam curante Ptolemæo I. Rege Ægypti habemus apud Tacitum deſcriptam (b). De Numine illo agens Origenes contra Celſ. *l.* 5. perhibet novum eſſe in Ægypto, ejuſque hiſtoriam proliaitatis habere multum, fidei parum, conciliatamque illi opinionem fuiſſe agente Rege Ptolemæo, qui cultum Numinis in Regnum ſuum invehendi ſibi curam aſſumpſerat. Quibus poſitis nunquam reputandum eſt, ut Serapis cum Joſepho coaluerit, nec Ægyptios ſub prioris nomine alterum conſecraſſe; eſt enim Joſephus longiſſima ætate Serapide vetuſtior. Ætymologiæ nominis Serapidis è Græco deductæ nullæ ſunt ad fidem; neque enim Græcorum ſermonem adoptarunt Ægyptii niſi poſt Ptolemæos; cæteroqui etiam conſtat etymologias illas nihil minus probare, quam opinionem, Joſephum cum Serapide confundentem.

Eſt equidem, quæ eſt nonnullorum opinio (c), duos fuiſſe Serapides in Ægypto veterem unum diu ante allatum è Sinope alterum, Ægyptiis notum; eſt enim ille unus idemque ac *Apis*, & Oſiris; recentiorem alterum, de quo hic uſque. Duo hæc Numina diſtinguit non obſcurè Tacitus *hiſt. l.* 4. *cap.* 84. narrans Regem Ptolemæum excitandum curaſſe Serapidi magnifici operis Templum in Rachotis, ubi olim ſteterat ſacellum Serapidi, & Iſidi ſacrum: *Fuerat illic ſacellum Serapidi, atque Iſidi antiquitus ſacratum.*

(a) Suidas ex Plutarch. Auguſ. de Civit. l. 18. c. 5. Vide etiam Euſeb. Præpar. l. 10. c. 12.
(b) Tacit. hiſt. lib. 4. Vide & Plutarc. de Iſid. & Oſir. Clem. Alex. Protrept. l. 4.
(c) Vide Baluag. Antiquit. Jud. l. 2. p. 625.

cratum. Sed quomodo vetus iſte Serapis fugit ſedulàm perquiſitionem Herodoti, cæterorumque inter Veteres, qui de cebos ſacris Ægyptiorum tractarunt? Reputandum eſt igitur Tacitus potuiſſe *Serapidi & Iſidi pro Oſiridi & Iſidi*.)

SERESER, ſivè *Sar-ezer*, inter duces Nabuchodonoſoris. *Jer.* 39. 3. Ejus numen ſonat *Principem Ærarii*, facilè quòd Regia æracia curaret.

SERGIUS PAULUS, Proconſul, ſive Præfectus Inſulæ Cypri, ab Apoſtolo fide initiatus (a). Vir erat ſapientiæ laude inſignis, qui magum quendam Numinibus, ut ipſe quidem cenſebar, acceptiſſimum apud ſe habebat. Accepto autem de adventu Pauli, & Barnabæ in Cyprum nuncio, ad ſe illos acciri verbum Dei auditurum juſſit. Elymas impedire Præſidem ab intento conabatur; quem proinde Paulus objurgans, virum impium, atque viarum Domini perverſorem appellans, cæcitate uſque ad certum tempus percuſſit. Eo prodigio perſuaſus Sergius, victas fidei manus dedit. Hunc aliqui primum Eccleſiæ Narbonenſis Epiſcopum autumarunt (b); peritiores tamen Critici Sergium Epiſcopum Narbonenſem ultra duo ſæcula illo poſteriorem credunt. Sunt, qui à converſione ejus viri inditum S. Paulo nomen credant, tanquam inſigne relatæ hac occaſione de Principe tenebrarum victoriæ (c); quorum tamen ſententia, licèt tunc primùm S. Lucas Paulum eo nomine donet, non omnibus æquè probatur.

SERICUM, de quo tribus in locis in Textu Latino Scripturæ. Mardochæus in locum Amani ſubſtitutus, ſerico pallio utebatur. *Eſt.* 8. 15. Inter merces ad nundinas Tyras delatas, ſericum recenſetur. *Ezech.* 27. 16. Tandem in everſione urbis Romæ, nec ſericum ultra, neque ditiſſimas merces ibi ſpectandas fore S. Joannes prædicit. *Apoc.* 18 12. Sed Hebræum *buz*, quod verſum eſt *ſericum* in Eſther, genuinam potiùs byſſum deſignat, quæ genus eſt ſerici, juxtam piſcem ſquammoſum nomine *pinnam*, creſcens, de quo nos v. *Byſſus*. Vox autem *ramoth* apud Ezechielem, in Vulgata quidem *ſericum*; in Chaldæo *gemmas*; apud Aquilam *opus ſericum*; juxta novos Interpretes *corallium* redditur.

Plerique tamen vocem Hebræam *meſchi*, quam S. Hieronymus (d) vertit *ſubtilia*, ſericum reddunt. Septuaginta habent *trichapton*, quod alii interpretantur contextum quoddam ex crinibus opus, ornamentum capitis in uſum fœminarum, tanquam capillamentum quoddam; alii velum quoddam ſericum, quod fœminæ capiti imponebant (e). Symmachus eandem vocem reddidit *veſtem*; Aquila *floridum*; Syriacus *veſtem muliebrem*. Ex quibus variis Interpretum ſententiis iſtis intelligimus, neque vocem *meſchi* de ſerico intelligendam apud Veteres compertum fuiſse; neque ejuſdem ſerici ſive in Ezechiele, ſive alibi in S. Scriptura mentionem fieri iſtis eſse exploratum. Niſi fortè cum pluribus de ſerico interpretemur Hebræum *ſcherikoth* apud Iſaiam 19. 9. quod tamen S. Hieronymus reddit *ſubtilia*; alii linum ſubtile, crudum, flaveſcens, ſive albeſcens; Septuag. *fiſſile*; Symmachus, *carminatum*. Nominis ſerici etymon ex Hebræo *ſorec*, nempè flavo *Iſa.* 5. 2. (qui inſitus eſt ſerici color) non abs re duceretur. Verùm ſi in loco ſuperiori Iſaiæ 19. 9. vocem *ſcherikoth* reddamus linum, jam totius ſententiæ ſenſus erit, *Opera linea ſerici*; quæ cùm minùs congruere videantur, fateamur oportet, vocem illam ibidem lini colorem deſignaſse.

(Quæ natura eſset ſerici parum norant veteres Græci, Romanique. Proveniſe illud rebantur è provincia *Serum* populorum Scythiæ, nectere verò illud autumabant aranearum genus quoddam hoc artificio, ut ſcilicet ſe ductum e viſceribus ſtamen pedibus ſuis obvolverent virgulis nonnullis, ſeu ramuſculis arborum; ſtamina autem illa e virgulis expediri aquis perfuſa; *Seres, lanificio ſylvarum nobiles, perfuſam aqua depectentes ſylvarum canitiem*, ait Plinius *l.* 6. *cap.* 17.

E' Seris communicatum eſt ſericum Perſis; è Perſis ad Græcos; ex quibus in Romanos, ſed Perſæ & Orientales diu apud ſe celatum arcanum parandi ſerici retinuerunt, necæteris proderetur ſolliciti. Quare ejus colligendi, atque in opus deducendi ratio omnis, vel ipſa Plinii ætate latebat. Poſt expeditiones Alexandri Magni primò innotuit Europæ, ubi pretium ſuum retinuit ex raritate catum adeo, ut auro contrà emeretur. Sub initium imperantis Tiberii iſto edicto vetitum eſt ne homines ſericeis veſtibus uterentur (f): *Ne veſtis ſerica viros fœdaret*. Solis matronis id permiſſum. Quin & Imperatrici uxori ſuæ ſericeam ſibi poſtulanti negavit Aurelianus Imperator, teſte Vopiſco.

Rationem parandi ſerici pervadere cupiens Juſtinianus Imperator, meditanſque ſimul parcere impenſis, quæ emendo illo erogarentur in exteros, miſiſſe fertur ad Indos geminos Monachos ut rem totam explorarent. Reduces illi expoſuerunt vix fieri poſſe ut ſericei vermes vivi è regione adeo remota tranſmitterentur; facili tamen opera referri poſſe vermium ejuſmodi ova. Quare deferendis illis eoſdem Monachos miſit Imperator; omnibuſque executioni mandatis, ſucceſſit Conſtantinopolitanis alere ſericeos vermes, brevique uſus ſerici familiariſſimus redditus eſt Europæis. Id generis opificia conſtituta ſunt Athenis, Thebis, & Corinthi. Vide cætera in Dictionario verbo *Sericum*, & Salmaſium in notis ad Solinum, ad Tertullianum, & ad Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ.)

SERON, Imperator exercitus Antiochi Epiphanis, 1. *Mach.* 3. 13. 23. qui ſuſas Apollonii copias, ſimulque coactum à Juda Machabæo ex Judæis Legis ſtudioſis exercitum intelligens, ſpe comparandæ ſibi gloriæ, eam expeditionem ſuſcepit. Valido igitur adducto exercitu, ad Beth-oron uſque proceſſerat; cùm Judæi in hoſtium conſpectum venientes, tantum exercitum conſpicati, ſibique metuentes, quòd numero eſſent longè impari, ſimulque jejunio affecti, animis deſponderunt. Verùm Judas illos verbis confirmans, ſimul in hoſtes irruit tanto impetu, ut in fugam verſos ad Beth-oron, & planitiem uſque proſequeretur. Cæſi ex hoſtibus 800. reliqui in terras Philiſthæorum fuga ſe ſubduxerunt. De Serone nihil poſt illud prælium. (g).

SEROR, filius Bechorath, abavus Saulis. 1. Reg. 9. 1.

SERPENS, Græcè *Ophis*; Hebraicè *nachaſch*. De Evæ Serpente plura Interpretes commenti ſunt. Quidam duobus ſive quatuor & pluribus etiam pedibus inſtructum autumarunt; quamquam facilè non alium fuiſſe credo ab iis, qui modo occurrunt. Sub anguis nomine Dœmon deſignatus credi poteſt, qui ad ſeducendam fœminam vero, & minimè fucato angue uſus eſt. Quare Deus diris ſerpentem devovens, ait: *Ipſa* (nempe poſteritas mulieris) *conteret caput tuum*, *Geneſ.* 3. 15. nec ſanè faciliùs anguis confunditur, quàm ſi capite conteratur, ſive detruncetur; quippe qui cor in gutture & capiti proximum gerat. Ejus calliditatem in eo ſitam eſſe aliqui perhibent, quòd

(a) Act. 13. 7. An. Ch. ſive Ær. 44. vel 45.
(b) Vide Bolland. 22. Mart.
(c) Aug. Confeſſ. lib. 8. c. 4. Hier. in Philemon.
(d) Ezech. 16. 10. Hebr. Meſchi, Vulg. Subtilibus, Rabb. Kimchi, Jarchi, Abnezra, Abarbanel, Jun. Munſter. Pagninus, Mont. Grot. Fuller. Alii: Setam.
(e) Theodoret. Heſych.
(f) Tacit. l. 2. Annal. c. 33.
(g) Initum eſt A. M. 3838. ante Ch. 562. ante Ær. 166.

Digitized by Google

quòd juxta Evangelium, ſervando capiti totum corpus exponat (a).

Jeſus filius Sirach habet: *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri*; *Eccl.* 25. 22. quod de veneno ſerpentis dictum intelligendum eſt; cùm Hebræum *roſch* & caput, & venenum ſerpentis, ſive in felle, ſive ſub lingua, ſive inter dentes juxta varias ſententias latens, æquè ſonet. In S. Scriptura aliquando in felle venenum illud contineri exprimitur: *Job.* 20. 14. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aſpidum*; aliquando ſub lingua. *Pſal.* 139. 4. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis*; aliquando inter dentes: *Prov.* 23. 32. *Vinum ingreditur blandè; ſed in noviſſimo mordebit ut coluber; & ſicut regulus venena diffundet.*

Alterum quod in ſerpentem Deus maledictum pronunciavit, illud eſt; *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. *Gen.* 3. 14. Iſaias pariter tradit 65. 25. *Serpenti pulvis panis ejus*, & Michæas 7. 17. *Lingent pulverem ſicut ſerpentes.* Quamquam igitur carnibus, avibus, ranis, piſcibus, fructibus, herbis, &c. ſerpentes nutriuntur, quòd tamen humi repant, ideò pulvere admixtos cibos vorare illos oportet: Neque aliis deficientibus dapibus, à terra, ſeu vermibus terræ cum terra prorſus ingurgitandis abſtinent (b).

Porrò ſerpentes cæteris brutis calliditate præſtare in S. Scripturæ perhibentur. Moyſes in ipſo narrandæ hiſtoriæ de tentatione Evæ exordio, Lectores de calliditate anguis præ cæteris brutis præmonet; *Gen.* 3. 1. & Jeſus Chriſtus Apoſtolis author eſt, ut prudentiam ſibi anguis procurent. *Matth.* 10. 16.

Plura in eam rem feruntur. Ceraſtem in ſabulo deliteſcere narrant, ut equorum ungulas mordens, equitem dejiciat. Huc Jacob in Dan benedictione ſpectat: *Fiat Dan ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò.* *Geneſ.* 49. 17. Anguis calliditatem in his potiſſimùm ſpectandam S. Epiphanius animadvertit. 1. ait, cum ſenuerit, exuvias in arcto duarum petrarum ſeſe inſinuans ponit, qua arte repueraſcit. 2. Ab homine veſtibus protecto fugiens, nudum adoritur. Hic tamen mendum irrepſiſſe apud Epiphanium ſuſpicamur; cùm enim plurium teſtimonio conſtet, timere ſerpentem hominem nudum, veſtitum ultrò aggredi (d); paria Epiphanium etiam ſenſiſſe malumus. 3. Cùm in diſcrimen venerit, potiſſima illi ſervandi capitis cura; quod ab aliis etiam animadverſum eſt. Vide Sup. & Cæſar. Dial. 4. c. 190. Aquas è fonte potaturus, venenum prius ejaculat, ne aquis infectis ſuo ipſe veneno ſibi perniciem paret; quod quidem Epiphanio, cæteriſque euo illo pluribus probatum, ab aliis rejicitur.

Alia etiam de ipſius calliditate ferunt; uti aures illum occludere, ne Venefici carminibus auditis, invitus cogatur: quò illud Pſalmi 57. 7. ſpectat. *Aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, ne exaudiat vocem incantantium.* Narrant autem, alteram illum aure terræ applicata, alteram caudæ ſummitate occludere (e). Alii tandem prudentiam ſerpentis in ejus dexteritate, atque verſabilitate, ſive quod fœniculi ſucco viſum recuperet, ſitam credunt. Omnes tandem ſuas producunt conjecturas.

De ſingulis ſerpentibus S. Scripturæ in ſingulis articulis dicimus. Porrò undecim ſerpentum genera apud Hebræos diſtinguuntur: 1. *Ephe*, Vipera; 2. *Chephir*, genus aſpidis, ſive leo; 3. *Acſub*, aſpis; 4. *Pethen*, aſpis; 5. *Tzeboa*, anguis variatus apud Græcos, & Ægyptios *hyene*; 6. *Tzimmaon*, juxta S. Hieronymum; nempe anguis *dipſas*, quòd morſu ardorem accendat: ſed Bochartus vocem illam non ſerpentem, ſed locum arentem, & adustum denotare contendit; 7. *Tzepha*, ſive *Tziphoni*, baſiliſcus; non anguis ille fabuloſus, de quo anilia vendunt; ſed verus ille regulus, aut baſiliſcus, ſpecie quidem à cæteris anguibus non abſimilis, veneno tamen perniciosiſſimo, & æſtuoſiſſimo (f). 8. *Kippoz*, quod Septuaginta, S. Hieronymus, & Chaldæus vertendum cenſent herinaceum; ſed Bochartus interpretatur ſerpentem, qui Græcis *Acontias* dicitur, nempe jaculum, quòd jaculi more in prædam inſiliat (g); 9. *Schephiphon*, quod S. Hieronymus vertit ceraſtem. *Gen.* 49. 17. Anguis ille colore ad ſabulum accedens, in eodem ſabulo delitescens prædam opperitur; cornua illi carnea in capite aſſurgunt, veluti duo grana hordei protuberantia. *Bochart. ibid. c.* 12.

Decimum ſerpentum genus, Hebraicè *Sachal*, ſive *Seachal*, in Pſalmo 90. 13. nominatur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*. Quam Verſionem & Septuaginta, & Syriacus, & Arabicus ſervant; quibus accedit Bochartus *de anim. Sacr. t.* 2. *l.* 3. *c.* 3. nigri appellationem (*Sachal* nigrum ſignificat) pluribus anguibus, aſpidi præcipuè, dipſadi, & hydro &c. convenire contendens. Alii tamen & plerique vocem *ſachal* hic non anguem, ſed leonem ſignificare defendunt; quod & nobis probatur; profectò enim *ſachal* communiter atrum leonem ſonat, uti Bochartus idem *ibid. t.* 1. *l.* 3. *c.* 5. oſtendit.

11. *Saraph*, ſerpens eſt, inter cæteros unicus, qui alis inſtructus volitet. Ejus nomen *urens* redditur, vel quòd colore ſit aduſto, vel quod morſu ardorem excitet. Herodotus oculatus, ut ipſe quidem prodit, teſtis *l.* 2. *c.* 75. & 76. ſimillimum eſſe angui perhibet, quem Græci, & Latini hydrum appellant: Bochartus veros eſſe hydros contendit. Hiſce anguibus inſpiciendis data opera ad urbem Butum idem Herodotus ſe contuliſſe narrat. Vidit autem juxta eam urbem ingentem oſſium, & ſcheletrorum eorumdem anguium ſtruem, quos, ait, ibides enecatos partim voraverant. Porrò in anguſtiis ad Ægyptum ſitis, ſpectaculum illud nactus eſt; cùm enim ineunte vere, ſerpentes illi ex Arabia in Ægyptum tranſitum moliantur, ibidem occurſu magna ſtrage cæduntur. Anguium alæ non pennis quidem inſtructæ, ſed membranis, inſtar veſpertilionis. Et l. 3. c. 107. 108. 109 110. narrat, angues illos mole quidem minores eſſe, variato colore, & frequentiſſimos in Arabia occurrere, adeò ut ſi pro numero eorum propagatio contingeret, incolas omnes ex eadem regione depellerent. Verùm Divino conſilio factum eſt, ut Arabes narrant, ut fœmina virum in coitu enecet, catuli verò vix nati, parta in matrem inſeviant. Odoribus delectantur: quare aromatum plantis inſident, & paludes aromatica caſſia feraces obſident. Fumo ſtyracis ab iis arboribus per Arabes depelluntur; caſſiæ verò colligendæ, coriaceas veſtes induunt, quibus vel caput ipſum, exceptis oculis, obvolvunt. Ita comparati, paludes ingreſſi, ſerpentes depellunt, horribili ſtrepitu volantes, atque perniciosiſſimo morſu terribiles. Hæc quidem fuſiùs deſcripſimus, quòd ſerpentes *ſaraph* in Scriptura irruiſſe in caſtra Iſraelitarum non ſine ingenti populi ſtrage perhibeantur. *Num.* 21. 6. *Iſa.* 6. 2. & 14. 29. & 30. 6. Ejuſdem ſerpentis ſimulacrum coram populo Moyſes erexit, præſentiſſimo contra eorum venenum pharmaco (h).

Serpens æneus ſimulachrum eſt ſerpentis *ſaraph* in

(a) Matth. 10. 16. vide Epiphan. hæreſ. 37. & Phyſiolog. Chryſoſt. in Pſal. 114. Iſidor. Hiſpal. Orig. l. 12. c. 4. Peluſiota l. 4. Ep. 126. Alii. (b) Nicand. Theriac. v. 372. Philem. c. 59. Vide Bochart. de anim. ſac. p. 1. l. 1. c. 4.

(c) Euſtat. in Hexaem. Hieron. ſeu alius Epiſt. ad Præſid. Iſid. origin. l. 12. c. 4. &c.

(d) Vide noſt. Diſſert. de hoc argumento ante t. 2. in Pſal. Vide & Bochart. de anim. ſacr. p. 2. l. 3. c. 6. & Interpp. in Pſal. 51. 7. (e) Vide Baſiliſcus, & Bochart. de animal. ſac. p. 2. l. 3. c. 9. 10.

(f) Bochart. de anim. ſac. ibid. c. 11. & alios apud ipſum. (g) Bochart. ibid. c. 12.

(h) Vide Bochart. de animal. Sac. p. 2. l. 3. c. 13. & Cic. l. 1. de nat. Deor. Mela l. 3. c. 9. Lucian. l. 6. Solin. c. 32. Ammian. Marcell. c. 22. Ælian. l. 2. c. 30. & recent. apud Bochart.

Digitized by Google

haſta erectum, quod intuentes Hebræi ſerpentum veneno correpti, ſanitati reſtituebantur. *Num.* 21. 9. Porrò anguem illum figuram Crucifixionis Jeſu Chriſti exhibuiſſe idem in Evangelio teſtatur: *Joan.* 3. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Simulachrum illud ad Ezechiam uſque ſervatum, juſſu illius, quòd ſuperſtitionis offendiculum Iſraelitis præberet, confractum eſt, atque per contemptum appellatum *Noheſtan*, nempe æneum quid 4. *Reg.* 18. 4. Vide *Ezechias*, & *Noheſtan*.

Serpens vectis inſtar oblongus; ſerpens vectis. Ejus mentio bis in S. Scriptura occurrit. 1. *Iſa.* 27. 1. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo .... ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum.* Hebr. *nachas beriach, & nachas aklaton.* 2. *Tob.* 26. 13. ſed in Vulgata redditur: *Serpentem tortuoſum.* Quidam Hebræum *nachas beriach* vertunt ſerpentem fugientem; ſive *ſerpentem claudentem*, veluti vectis januam. Hunc ſerpentem vectem Bochartus de anim. ſac. p. 2. l. 5. c. 13. deſignare credit *libellam*, piſcem apud Oppianum, Ælianum, Galenum, ſub nomine *zygane* notiſſimum. Capite eſt neque rotundo, nec elato, ſive compreſſo, vel acuminato; ſed ad utrumque latus producto, & in modum vectis in tranſverſum excurrenti. Porrò conſueviſſe Hebræos piſces cum reptilibus & ſerpentibus confundere, exemplo crocodili, ſive leviathan intelligimus.

Serpens, quandoque pro Dæmone uſurpatur; quare occultus ſerpens organo viſibilis anguis Evam tentans Diabolus erat, uti Scriptura, & Interpretes conſentiunt. Quidam etiam de ipſo illud Jobi explicant, *ſerpentem tortuoſum*; & aliud Iſaiæ: *ſerpens vectis*, de quibus ſupra egimus. Huc ſpectat etiam S. Joannis teſtimonium *Apoc.* 12. 9. 14. *Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, & ſeducit univerſum orbem.* Judæi Diabolum nuncupant *antiquum ſerpentem.*

(SERPENS, Anguis ſagitta, Græcis *Acontias*, coluber eſt alatus, quem Turcæ appellant *Oclan* (a): non rari ſpectantur in Archipelago, & potiſſimùm in Inſula Metelim, aerea prælia committentes, ſed hominibus planè innoxii. Ejus generis angues Iſraelitas infeſtarunt in Deſerto. Anglus quidam doctus (b) contendit, igneam eorum anguium naturam ac nitorem aptum exhibuiſſe emblema ad exprimendum zelum, & innocentiæ candorem Angelorum, qui in Scriptura *Seraphim* appellati ſunt, ipſo enim eodemque nomine angues illi nuncupantur apud Hebræos. Reputat autem Angelos videndos ſe hominibus præbuiſſe aſſumpta figura *Saraph*, ſeu volantium anguium, nec aliam prætuliſſe Dæmonem, dum verba faceret ad Evam; mulierem vero ea ſpecie deceptam cum Angelo ſe vel Seraphim colloqui autumantem, in laqueos impegiſſe. Nec aliunde acceptam refert opinionem illam veterum quorundam Hæreticorum (c), contendentium anguem, qui Evam tentavit ipſum fuiſſe Dei Filium vel Chriſtum, à Jeſu planè diverſum; mulierem verò, quis eſſet planè intellexiſſe. Sed omiſſis fabellis, iterum ad ſeria.

Nec æquiora cenſemus de altera viri cujuſdam docti (d) opinione, quæ ſerpentem æneum in Taliſmannum transformat, i. e. in laminam illam metalli fuſam cælatamque ſub certis quibuſdam conſtellationibus, unde in laminas illas virtus pelliciendi ad amorem cæteros, atque depellendi morbos. Hæc omnia Dæmonibus accepto referunt quidam; alii è natura metalli & influentia ſiderum petunt. Igitur Scriptor ille in eam nos conducere conatur perſuaſionem, ſerpentem æneum à Moyſe elatum, ac præſentiſſimum pro Hebræis ictibus ſerpentum langueſcentibus ejuſdem fuiſſe indolis ac Taliſmannos in certos quoſdam morbos præſentiſſimos, inde virtutem referentes ſuam, quòd fœdus concilietur quoddam inter metalla, quibus coaleſcunt, vel influxus aſtrorum, ſub quorum aſpectu conflati ſunt, & ejus generis morbos. Contraria perſuadentur Buxtorfio (e), qui ſerpentis æneicam fuiſſe naturam cenſet, qua potius recrudeſceret morbus, non convaleſceret; id verò Deum ea induſtria ſelegiſſe, ut contrario adhibito medicamine depellens morbum, magis magiſque potentiam ſuam exereret. Sed fruſtra hic prodigia congeruntur, illud utique, quod à Deo geſtum eſt per ſerpentem illum æneum unum valet pro omnibus.

Æneus quidam ſerpens in Templo S. Ambroſii Mediolani poſitus ipſiſſimus creditur Moſaicus; quod ut credat quiſpiam in medio poſitum relinquimus. Appingitur ſemper anguis Æſculapio, & Deæ Sanitati, nec raro etiam nonnullis Ægyptiorum Numinibus, exprimitque valetudinem & ſanitatem, quod fortè ex hiſtoria Moſaici ſerpentis petitum eſt. Cultus ſerpentis tota Paganica vetuſtate celebratur; quaſi ſcilicet ſibi placeret Dæmon, qui fœminam olim aſſumptis anguis exuviis perduxit in crimen, ut belluæ divinos honores conciliaret; id ſibi veluti trophæum de relata ex hominibus victoria ſtatuens. Danielis ætate Babylonii colebant Draconem illum, quem Propheta interemit. *Dan.* 14. 26. Nec latet cultus impenſus ſerpenti in Urbe Epidauri, ſicut & quod ferebatur prodigium in tranſvehendo illum Romam. Ægyptiorum Numina interdum anguino corpore exprimebantur; habebantque populi illi vel ſuperſtitione ſacram hanc belluam execrabilem cæteris & pernicioſam; honeſtabant nomine boni Dæmonis, ac perinde habebant tanquam emblema Medicinæ, Solis, Apollinis, eodemque ſociabantur in curru Cereri, & Proſerpinæ. Narrat Herodotus *l.* 2. *cap.* 74. ſpectari ætate ſua juxta Thebas angues cicuratos, & Jovi ſacros, nocebant nemini, & poſt obitum ſepulturæ mandabantur in Templo Jovis. Angues erant ceraſtæ, bicornes, & breviſſimi corpore.

Legas apud Ælianum de anim. l. 11. *cap.* 12. Draconem quemdam ſacrum apud Phrygas in ſacro Dianæ luco; legas pariter cicuratos ſerpentes in ædibus Ægyptiorum familiares, perinde habitos, tanquam Deos penates. Legas *l.* 11. *cap.* 17. ſerpentem alium cultum in Turri Melitæ apud Ægyptios, cujus obſequiis certi erant deſtinati Sacerdotes & Miniſtri; ac nulla non die voraci illi Numini inſtruebatur menſa, vel Altare farina melle affuſa, cujus dapis mane alterius diei nihil reſtabat. Nec hodie pariter ceſſatum eſt à cultu anguium in Calicut. Reges & Bracmani illos ſuſpiciunt tanquam animalia à Deo creata puniendis hominibus, atque exigendæ de peccatis illorum ultioni.

Ophitæ nomen trahebant ſuum ex *Ophis* quod Græcè eſt ſerpens. Porro Hæreticis hiſce in honore erat Serpens (f) Evæ ſeductor, eaculamque reputabant belluam illam omnis generis ſcientiis, quarum & authorem & doctorem habebant. Uno verbo, ſi illos audires, anguis Evæ ſeductor ipſe erat *Chriſtus*, qui temporis ſucceſſu deſcendens in Jeſum hominem induit, addebant, eum, qui mortem obierit, Jeſum fuiſſe, non Chriſtum. Quare omnes quotquot in ſuas partes tranſirent, cogebant ejurare Jeſum. Cùm Sacerdotes apud illos operarentur ſacris evocabant è forulis ſerpentem aliquem, qui poſtquam gyrando ambiſſet res illas, quæ in ſacrificium offerendæ eſſent, conſecrationem rebus ipſis quandam conciliabat, ſtatimque inter populos non ſine obſequii ſignificatione diſtribuebantur.

SER-

(a) Bibliot. Orient. p. 684. (b) Thom. Tenifon. Idol. Sermo c. 14. p. 354.
(c) Tertull. de Præſcript. Hæretic. c. 4. 7. Epiphan. hæreſ. 37.
(d) Marsham. Canon. Chronic.
(e) Buxtorf. fil. hiſt. de Serpente æneo.
(f) Epiphan. de hæreſ. 37. Iren. l. 1. c. 34. Origen. l. 6. contra Celſum, Tertull. de Præſcript. c. 47.

SERRA. Supplicium ſecandi norant Hebræi. Meminit hujus Daniel, & Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos. E' Perſis, vel Chaldæis primò invectum cenſeo. Certa fide mihi aſſeveratum eſt innotuiſſe illud Helvetiis, quin & executioni paucis ante annis mandaſſe in gentilem ſuum reum ingentis criminis in agro Grenelles juxta Pariſios. In feretro quodam impoſitum ſecarunt in longum, initio à capite ducto, veluti trabem aliquam ſerra ſcinderent. Pariſatis Rex Perſidis ſuperſtitem Roxanem ſerra diviſit mediam (a). Notat Valerius Maximus l. 9. c. 2. Exempl. 4. extern. moris fuiſſe apud Thraces *vivos homines medios ſecare*. Leges duodecim tabularum, quas è Græcis adoptaverant Romani, certa quædam crimina ſupplicio huic ſubmittebant. Sed rariſſimè id executioni mandatum fuiſſe notat Gellius *l.* 12. *c.* 2. ut nihil tale ſua memoria viderit. Refert Herodotus *l.* 6. Sabacum Regem Ægypti viſum fuiſſe per quietem ſecare medios Sacerdotes omnes Ægypti. Viros ampliſſimos ad id ſupplicii damnabat ſæpiùs Cajus Caligula: *Medios ſerra diſſecuit* Sueton. in Cajo.

Nec in Scriptura minùs id latet. S. Paulus in Epiſtola ad Hebræos recenſens mala omnia, quibus Prophetæ & Viri ſancti Veteris Teſtamenti ſubmiſſi ſunt, ſupplicium ſerræ non omittit: *Secti ſunt*. Origenes ex Lib. quodam apocrypho, S. Juſtinus Martyr in Dialog. S. Hieronymus in Iſa. *l.* 15. ad finem, Pſeudo Tertullianus in proœmio Carminis contra Marcionem *l.* 3. & ex Veteribus plures Textum hunc Apoſtoli de Iſaia expoſuerunt, quem à Rege Manaſſe ſectum dicunt lignea ſerra. Porrò negocium id faceſſit quod fertur de lignea ſerra; neque enim ex ligno id generis inſtrumentum paratur, & ſiquidem pararetur, nunquam ſecando homini valeret. Conjecturas noſtras hac de re alibi propoſuimus, reputantes ſerræ ligneæ nomine deſignari hic trahas illas lapidibus, & ferro armatas; quæ ſuper jacentes manipulos ducuntur excutiendo tritico. Planiùs tamen dictum illud exponeretur de ſerra lignea i. e. ſerra lignis ſcindendis apta; ſunt enim inſtrumentorum ejuſmodi varia genera: aliæ enim ſerræ deſtinantur lapidibus, aliæ marmori, ferro, oſſibus, arboribus, aliæ in uſum colentium hortos, aliæ pro fabris lignariis, cæteriſque id generis.

Meminit etiam Daniel 13. 55. ſupplicii ſerræ: *Angelus Dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium*. Servus nequam ſcindendus dicitur medius Matth. 24. 51. atque inter hypocritas rejiciendus. Alludit etiam non ſemel ad hunc morem Textus Hebræus Veteris Teſtamenti, cùm utitur phraſi *ſecandi medium*, & dividendi pro interimere. Vide 1. Reg. 16. 31. 33. Exod 19. 14. & 2. Reg. 6. 8.)

SERUG, ſive *Sarug*, filius Ragau, & pater Nachor. *Gen.* 11. 20. & 1. *Par.* 1. 26.

(Tranſlati in creaturas Divini honoris poſt diluvium primus author perhibetur Serug (b). Ætatis illius homines plura conſecrarunt ſibi Idola, quibus Dæmones & prodigiorum opinionem conciliarunt. Colendas ille arbitratus eſt imagines hominum, qui ſibi, merito virtutis, atque impenſorum in homines beneficiorum eam ſibi prærogativam vindicaſſent. Per hanc datam viam invectus eſt cultus mortuorum, & quod illum ponè ſequitur idololatria, ac Polytheiſmus.

SERVITUS. Iſraelitarum ſervitutes varias habes deductas V. *Captivitas*.

SERVITUS ÆGYPTI. Vide *Ægyptus*.)

I. **SERVUS**, vox vulgò mancipium ſonans. Plerumque enim Hebræi atque circumjacentes populi mancipiis uti conſueverunt; famulis nempe jure mancipii heris addictis; ut vel in ipſam eorum vitam Dominis certis quibuſdam eventibus jus eſſet.

II. *Servus*. Duo erant apud Hebræos mancipiorum genera: *Lev.* 25. 44. quidam nempe alienigenæ, ſive pretio empti, ſive bello capti, quos herus ſive apud ſe retinere, ſive divendere, vel commutare, veluti rem ſuam, permittebatur. Quidam verò ex Hebræis ipſis jure mancipii ſeſe Dominis addicebant, ſive rei familiaris, ſive æris alieni anguſtia, ſive tandem à domeſticis, adigente neceſſitate, libertatem ſuam vendere cogerentur. Porrò mancipia illa ad annum uſque Sabbathicum ſerviebant; eo verò recurrente invita illa retinere Dominis nefas. Si manere ſponte conſenſiſſent, coram Judicibus ſtatuta, conceſſo ſibi à Lege privilegio cedebant; tum ſubula eorum aures perforatæ ad poſtes ædium heri ſui applicabantur. *Exod.* 21. 2. Inde Dominorum in famulos jus ad annum uſque Jubilæi in ſingulos 49. annos recurrentem differtum.

III. *Servus*, famulum etiam ſponte alicui miniſtrantem deſignat; quo ſenſu Joſue Moyſi, Eliæ Eliſæus, Eliſeo Giezi, Apoſtoli Jeſu Chriſto ſerviebant.

IV. Sunt populi alicujus imperio ſubjecti. Hinc omnes imperio Pharaonis, Saulis, Davidis ſubjecti populi, ſicut & eorum domeſtici omnes, ſervi eorum nuncupantur. Philiſthæi & Syri Davidis tributarii, ejuſdem Regis ſervi perhibentur.

V. *Servi Dei* ſunt Sacerdotes & Prophetæ, peculiari ſtudio pietatem & religionem colentes. Moyſes titulo *Hominis Dei*, & *famuli Dei*, per excellentiam donatur. Eodem ſibi Apoſtolus placet, qui etiam optimis præceptis famulos Chriſtianos inſtituit (b).

VI. *Servi*, ſive *mancipia* per oppoſitionem ad *liberos*, *filioſque promiſſionis* Chriſtianos cum Judæis collatos deſignant. Judæi enim nonniſi mancipia fuerunt, per Agar & Iſmaelem deſignati; Fideles verò filii ſunt liberæ, quemadmodum Iſaac Saram matrem habuerat. Hæc Apoſtolus tum in omnibus epiſtolis, cum maximè in epiſtola ad Galatas proſequitur.

(Servus. Homines æquè omnes ingenui natura, conditionem referunt æqualem; ſervitus à peccato primùm inducta eſt. Noe ulturus injuriam à filio ſuo Cham acceptam, quippe qui nuditati mulctaverat ſuæ, maledictis affecit Chanaan filium Cham, quem & ſubjecit ſervituti. *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis Gen.* 9. 25. Selectus à Deo Abraham in partem ſtirpis fidelium circumciſione obſignatus eſt, tanquam ſtigmate ſervitutis peculiaris in Dominum *Gen.* 17. 10. Poſteri ejus omnes ingenuos eſſe ſe qua verbis quà factis nunquam non aſſeruerunt: *Nemini ſervivimus unquam Jo.* 8. 33. quæ verba ſunt Judæorum ætate Jeſu Chriſti; & S. Paulus *Galat.* 4. 31. genuinos filios Abrahæ tanquam reipſa liberos & è libera matre natos effert opponitque Iſmaelitis, quorum eſt è ſerva matre ſervitus: *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit*. Sed hæc moralia ſunt omnia, ſervitus, ingenuitas; plus aliquid evincunt Rabbini, defendentes gentem ſuam nemini unquam ſerviiſſe, ſervitute, quam vocant, intrinſeca conditionem hominis immutante. Si enim jugum ſervitutis ſubire coacti ſunt, avitam tamen ſemper retinuerunt ingenuitatis ſuæ prærogativam.

Nec tamen inſita hæc ingenuitas avertit à collo Judæorum jugum ſervitutis per varios gentium Principes inductam; ſervierunt enim Philiſtæis, Chaldæis, Græcis, Romaniſque. Rei familiaris anguſtia plures ad vendendam libertatem ſuam adegit; plures bello captos ad ſervitutem compulerunt victores. Ipſe pariter Moyſes duo vel tria genera ſervorum apud Hebræos diſtinguit; erant enim ex alienigenis ſervi, ſeu bello capti, ſeu pecunia empti; ſeu e mancipio in heri domo nati. Deſpoticam authoritatem in illos gerebant heri, ut pro arbitrio ſeu vendere illos, ſeu permutare, ſubmittere pœnæ, judicare, damna-

(a) Cteſias in Perſic. (b) Clemens Alexand. Euſeb. Epiphan. Theodoret.
(c) Vide 1. Cor. 7. 21. &c. Epheſ. 6. 5. &c. Coloſſ. 3. 22. & 2. Timot. 2. 9.

damnare, interficere nullo judiciali ſervato rite haberent integrum. Exod. 21. 20. 21. *Qui percuſſerit ſervum ſuum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die vel duobus ſupervixerit, non ſubjacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt.*

Dicta hæc accipienda docent Rabbini (a) de ſervis Hebræis, non de alienigenis, qui hero alicui addicerentur; poſtremi etenim illi ita per omnia domino ſubmittebantur, ut vitam ſuam & mortem haberent in ejus manibus poſitam, nihil de illis præſcribente Lege Moſaica. Quarè communes apud gentes alias de ſervis leges apud Hebræos pariter valebant: *Apud omnes peræquè nationes animadvertere poſſumus dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe* (b). Sapientes tamen viri nunquam non improbarunt libertatis hujus in heris quibuſdam, necì tradentibus famulos ſuos, abuſum. Cato Cenſorinus nunquam capite multabat famulos ſuos niſi cauſa priùs cognita, & judiciali aliorum conſamulorum ſententia damnatos (c). Profitetur Jobus 31. 13. 14. 15. nunquam recuſaſſe ſe ut judicii æquam conditionem cum famulis ſuis ſubiret, ſi quid eſſet ſecum cum illis diſſidii. Apud Athenienſes capitis ſupplicio animadvertebatur in eos qui ſervo, perinde ac in cæteros qui ingenuo necem intuliſſent.

Textus Samaritanus variat hic plurimùm ab Hebræo; legit enim: *Cùm percuſſerit quis ſervum ſuum aut ancillam ſuam, & mortui fuerint ſub manu ejus, non morte punietur* (d); *ſi diem unum aut alterum ſubſtiterit non morietur, nam argentum ejus ſunt*; quaſi ſcilicet leges iſtæ omnes latæ eſſent de mancipiis Chananæis vel Paganis, quos interficere per leges etiam civiles licebat impunè.

Paraphraſtes Chaldæus & ex Rabbinis, ſicut & è Scriptoribus Commentariorum nonnulli tenent, nullum hic eſſe de mancipiis Hebræis ſermonem; neque enim, inquiunt illi, de mancipio Iſraelitico commodè uſurparetur pretium eſſe domini ſui: *Pecunia illius eſt*; neque enim niſi brevem annorum quorundam ſervitutem agebat, cujus proinde amiſſio, ſi neci traditus fuiſſet, non ſatis damni intuliſſet domino, ad ulciſcendum de interfectione hac delictum: viciſſim autem ex amiſſione pagani mancipii damnum, multæ utcunque non inæqualis loco eſſe poterat in herum, qui manus in illum injeciſſet violentas; privabat enim ſe herus ille & ſervo perpetuo & filiis, qui ex eo naſci potuiſſent, æqualem cum patre conditionem ſubituris.

De ſervis Hebræis hæc ſancire Moyſi viſum eſt Levit. 25. 34. 40. *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit, uſque ad annum jubilæum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & revertetur ad cognationem & ad poſſeſſionem patrum ſuorum: mei enim ſervi ſunt, & ego eduxi eos de Terra Ægypti: non veneant conditione ſervorum ..... Servus, & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt ...... Hos habebitis famulos.*

Alienum igitur erat à conſiliis Domini ut Iſraelitæ perpetuæ addicerentur ſervituti injuria fratrum ſuorum, vel ut alienigenis venderentur in ſervitutem perpetuam. Decreverat inſuper Hebræo, ſi fortè pretio vendidiſſet ſe advenæ inter Hebræos commoranti, jus eſſe integrum redimendi ſe ſive privata induſtria comparata per ſe, ſive pro ipſo à propinquiori ſoluta domino pecunia ad menſuram quidem ſolnti ab illo pretii, ſed facta deductione præſtitæ jam ſervitutis, ſupputatiſque reliquis aduſque Jubilæum annis; ea enim evoluta ſervitutis periodo gratis manumittendi erant ſervi.

De famulis Hebræis hæc etiam edicit Moyſes Exod. 21. 1. &c. *Si emeris ſervum Hebræum ſex annis ſerviet tibi; in ſeptimo egredietur liber gratis.* Definiunt Rabbini famulis hiſce indici ſeptem plenorum annorum ſervitutem; ſed Commentariorum Scriptoribus pleriſque perſuadetur ſervitus illa ſolvi anno ſabbatico, etiamſi intra fuerit ante unum vel duos annos. Addit Moyſes: *Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat.* Hebræus: *Si cum corpore ingreſſus fuerit, cum corpore ſuo egredietur, ſi dominus mulieris fuerit, egredietur uxor ejus ſecum.* Docent Rabbini heri impenſis alendos eſſe uxorem & filios famuli, quanquam ſolus pater ſerviret.

Sin autem dominus dederit illi uxorem & pepererit filios & filias; mulier & liberi ejus erunt Domini ſui, ipſe verò exibit cùm veſtitu ſuo. Non una eſt ſanctionis hujus interpretatio. Conciliare permittebatur herus nuptias famuli ſui cum fœmina ejuſdem conditionis, ſed ulterius nationis, quæ ſanè mulier, utpotè alterius ab Iſraelitico, iiſdem cum Iſraelitis prærogativis manumiſſionis anno ſabbatico, non fruebatur; quare manente illa in ſervitute, maritus Hebræus dimittebatur. Sed nunquid ea pariter ſoluta viri ſervitute, & conjugii vinculum diſſolvebatur? Diſſident Scriptores (e). Id nobis hac in re magis certi conſtituitur, nimirum ut quemadmodum nullum erat proprium & genuinum conjugium inter ſervos, quos heri voluntas ſine illorum delectu & libertate conjunxerat; ita pariter nec remiſſio conjugii erat nulla, cùm utrique ſejungebantur. Videſis Commentariorum Scriptores in hunc textum.

Quòd ſi dixerit ſervus, Exod. 21. 5. 6. *Diligo Dominum meum & uxorem ac liberos; non egrediar liber.; offeret eum dominus Diis* (Judicibus) *& applicabitur ad oſtium & poſtes*, (ædium domini ſui), *perforabitque autem ejus ſubula, & erit ſervus tuus in ſæculum Deut.* 15. 17. i. e. juxta Scriptores Commentariorum (f) *uſque ad annum Jubilæi*; is enim exitus erat omnis ſervitutis Hebræorum. Manumitti etiam ſervos illos docent Rabbini in obitu heri ſui, ut ad hæredes non tranſirent.

Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur, ſicut ancillæ exire conſueverunt Exod. 21. 7. i. e. latis hucuſque legibus illa non cenſebitur, alia eſt enim de puellis ac de viris & adoleſcentibus Hebræis legum diſpoſitio. Nullum patri jus erat vendendi in ſervitutem filiam ſuam niſi puberem, inquiunt Rabbini (g), quin ne tunc pariter, niſi in extrema rei familiaris anguſtia. Ad hæc cùm vir aliquis puellam Iſraeliticam ſibi emebat, id ſemper cenſebatur factum conſilio accipiendi vel ſibi, vel filio ſuo uxorem. Ex quo additum à Moyſe illud: *Si diſplicuerit oculis Domini ſui*, ut vocare in ſociam tori renuat: *Dimittet eam*; vel juxta Hebræum: *Redimere faciet eam; populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem ſi eam ſpreverit, & contra fidem ſuam* i. e. tacitam ſaltem promiſſionem ducendi illam in uxorem.

Sin autem filio ſuo deſponderit eam juxta morem filiarum faciet illi Exod. 21. 9. 10. id curabit ut à filio uxor habeatur non famula. *Quod ſi alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias & veſtimenta, & pretium pudicitiæ non negabit*; vel juxta Hebræum: *Si alteram filio ſuo acceperit, carnem ejus*, (alimenta) *operimenta ejus, & habitationem ejus* (prioris) *non diminuet*, i. e. juxta plures Scriptores Commentariorum (h): ſi herus emptam puellam elocaverit filio ſuo, cui

(a) Vide Selden. de Jur. nat. & gent. l. 4. c. 1. (b) L. 1. De his qui ſui vel alieni ſunt juris.
(c) Plutar. in Caton. (d) *Ita legit hic & in Commentar. Calmetus. Verùm in Polyglottis Londini verſio Latina Textus Samaritani habet*; Morte morietur.
(e) Vide Cornel. a Lap. & Eſti. in loc. difficiliora &c.
(f) Hieron. in Galat. 1. Vatabl. Grot. Titin. (g) Vide Selden. de Jur. nat. & Gen. l. 6. c. 7.
(h) Septuag. Chal. Jonath. RR. alii plures.

[illegible] ſervitutis [illegible], id cavebat ne emptæ illi jus uxoris aſſeratur, nihilque detrahatur de alimentis, ſeu de veſtibus, ſeu de aliis connubialibus officiis, quæ ſia minus præſtiterit. *Egredietur gratis abſque pecunia.*

Si contrà faceret, ut ſcilicet nec ipſe pater familias emptam illam puellam Iſraelitícam ſibi aſſervaſſet in uxorem, nec tradiderit filio ſuo, vel ſi poſt tentatam aliquandiu remittere illam voluerit, al[illegible] coactus locabit in uxorem, ſeu vendet alteri Hebræo Domino iiſdem conditionibus ac ſibi illam accepit, aſſignata dote, veſtibus & pretio virginitatis, pro more, vel de Judicum ſententia.

Porrò non una erat ratio incidendi in ſervitutem apud Hebræos; 1. In ſumma rei familiaris anguſtia jus erat cuilibet libertatem ſuam vendendi *Levit.* 25. 39.; 2. Patri fas erat vendere filios *Exod.* 21. 7. 3. Obærati ſolvendo impares ſervi manebant apud ſeneratores 4. *Reg.* 4. 1. 5. & 4. Fures quibus nec [illegible] ptum furtum, nec pretium furti reddere, vendebantur compendio creditoris *Exod.* 22. 3. 5. In bello ſive prædonum incurſu capti ſerviebant; 6. In ſervitutem rapi poterant crimine, quod *plagium* appellant, cujus rei delicti ſe conſtituerunt fratres Joſeph ſratrem ſuum ſuum vendentes, 7. Hebræum mancipium, quod è ſervitute Pagani Hebræus pretio redemerat, a liberatore illo ſuo vendi poterat [illegible] alteri.

Servitutis nomine exprimit Scriptura ſubmiſſionem unius populi ad alterum. Geneſ. 27. 37. *Dominum tuum illum conſtitui*, ait Iſaac ad Eſau agens de Jacob, *& omnes fratres ejus ſervituti ejus ſubjugavi*. Ægyptii ad Joſeph Geneſ. 47. 19. *Erimus nos in ſervitutem regiam*. Samuel annuncians Hebræis jus Regis 1. *Reg.* 8. 16. 17. *Vos*, ait, *eritis ei ſervi*. Goliat ad Judæos 1. *Reg.* 17. 8. 9. *Eligite ex vobis virum, & ſi quiverit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſervi; ſi autem ego prævaluero, vos ſervi eritis, & ſervietis nobis.*)

I. SESAC, Rex Ægypti, qui bellum in Roboamum Regem Juda anno ejus 5. intulit (*a*). In eam expeditionem exercitum duxerat 1200. curruum, & 60000. equitum, immenſa Ægyptiorum, & populorum Lubim, Suchim, & Cuſis multitudine adjecta. Judæam igitur invadens, munitiſſimis urbibus Regni jugum recipere coactis, ad Metropolim uſque proceſſit. Tunc Semejas Propheta Roboamum, atque Principes Juda in urbe ſe continentes convenient, Domini verbis denunciavit; futurum ut quemadmodum ipſi Dominum deſeruerant, ita Deus in manus hoſtium Judæos permitteret. Rex cæterique crimen ſuum profeſſi ſunt, & Deus continuò ad Prophetam. Quia, inquit, ſub manu mea cervicem ſubmiſerunt, id ego efficiam, ne totus iræ meæ furor in Jeruſalem deſæviat; verum hoſtibus ſubdentur, ut quantum inter homines, & Deum diſtet, experimento diſcant.

Ægyptius igitur in urbem victor evaſit, ſed mox direptis ſacro, & Regio ærariis, ſimulque [illegible] à Salomone conflatis, in Ægyptum receſſit. Hujus belli inferendi in cauſa fuiſſe dicunt Rabbini, quod Thronum eburneum Salomonis ſibi concupiviſſet. Apud eundem Seſac Jeroboamus [illegible] Salomonis Regno receſſerat (*b*) cùm autem Ægyptius Judæam invaſit, facilè ab eodem Jeroboamo inductus, à ditione Iſraelis abſtinuit. Porrò omnes ante Seſac Ægypti Reges Scriptura nomine Pharaonis deſignat. Seſac omnium primus proprio nomine appellatur. Quem inter Dynaſtias Ægyptias locum Seſac habuerit, inter Chronologos non convenit; [illegible], qui eundem exiſtimant cum *Seſoſtri*. Alii (*c*) eum *Seſonchi*, ſive *Seſoſi*. Ulterius illum cum Seſonchi confundentes, ſtatuit ad A. M. 3026. ante Ch. 974. ante Ær. 978.

II. SESAC, ex poſteris Benjamin, unà cùm filiis ſuis facilè poſt regreſſum è captivitate Babylonica Jeroſolymæ moratus. 1. *Par.* 8. 24. 25.

SESACH, quo nomine Jeremias Babylonem deſignat 25. 26. & 51. 41. *Rex Seſach bibet calicem [illegible] Deo poſt eos*, & alibi: *Quomodo capta eſt Seſach?* Unde verò nomen illud urbi inditum? Inde factum dicit S. Hieronymus, ne invidiam Nabuchodonoſoris Jeroſolymam obſidentis ſubiret (*d*). Nos nomen eſſe Numinis Babyloniorum æſtimamus, ex quo [illegible] nomen in urbem apud Prophetam derivatum, quemadmodum & alibi *Jer.* 50. 2. conſuevit: *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach*; Porrò *Bel*, & *Merodach* duo erant regionis Numina. Seſach Lunam fortaſſe deſignabat. Olim ſolemnes quædam nomine *Sacea* Babylone celebrabantur, Saturnalibus Romanorum ſimillima (*e*). In iis ſervi dominorum perſonam gerebant; [illegible] in illis cultum *Anaïdi*, quæ eadem eſt cum Diana, ſive Luna, Strabo teſtatur (*f*).

SESAI, filius, ſive ex poſteris Enach, pulſus unà cum fratribus ſuis Ahiman, & Tholmai ex Hebrone à Calebo filio Jephone. *Joſue* 15. 14.

SESOSTRIS Rex Ægypti. Nullus planè quidem hujus Principis in noſtro hoc opere locus, cujus nuſquam in Scriptura nomen occurrit. Cum tamen nonnulla pluribus perſuaſio teneat ipſiſſimum eſſe Seſacum, qui arma movit in Roboamum Regem Juda, pauca de illo attingere operæ pretium cenſuimus. Hæc igitur de Seſoſtri Herodotus l. 2. Ac primò quidem, ut ipſe obſervat, nullius Regis poſt Mœrim geſta memoriæ poſteritatis commendari meruerunt præ geſtis Seſoſtris. Poſtquam Imperio ſuo adjeciſſet gentes ultra ſinum Arabicum & mare rubrum, victricia arma vertit in gentes, quæ per continentem diſtribuebantur, redegitque ſub jugum. Inter illas verò, ſi quas nactus eſſet bellicoſas, & libertatem ſuam ſtrenuè tuentes, diſtinguebat à cæteris erectis in eodem ſolo magnificis inſcriptionibus: ſtrenuitatem illarum & virtutem animi efferent [illegible]; viliſſimis autem quæ ne reſiſtentes quidem ultrò manus catenis ſervitutis inſervîſſent, nota quædam infamiæ [illegible]ebantur, erectis in earum Regione monumentis [illegible] eam deſenſionem paraſſe illos, quæ [illegible] potiùs deceret, eamdem ignominiam & probrum non ſculpti tantùm characteres exaggerabant, ſed & cælatæ in monumentis illis figuræ.

De propagato in Aſiam Imperio ſuo per continentem Seſoſtris penetrans in Europam, Thracas, & Scythas imperata facere coegit; hanc autem conſtituiſſe expeditionum ſuarum metam ex eo tantùm intelligimus, quod monumenta Seſoſtris nulla retineant remotiores Provinciæ. Reputat autem Herodotus migraſſe Ægyptios poſt hæc in Cholchidem, cujus opinionis nullæ ſunt conjecturæ, niſi id valeat ad perſuadendum Cholchos nimirum communem habere cum Ægyptiis circumciſionem, communem ſermonem, ac rationem parandi linum. Vidiſſe ſe porrò, affirmat Herodotus in Palæſtina monumenta, & tabulas marmoreas, Seſoſtris inſcriptas probra [illegible] cum probroſis figuris, deſidiæ atque imbecillitatis hujus gentis argumenta. Hæc autem ſerebant inſcriptiones: *Ego lucratus ſum hanc regionem meis humeris.*

Abſentiæ illius occaſionem nactus frater Imperium Ægypti occupavit, reducemque Seſoſtrim invitavit ut in domum aliquam veniret; vix interiora ſubiit, [illegible] ſtatutas admiratur eſt,

(*a*) 2. *Par.* 12. 2 &c. & 3. *Reg.* 14. 25. &c. A. M. 3033. ante Ch. 967. ante Ær. 971.
(*b*) 3. *Reg.* 12. &c. circa A. M. 3026. ante Ch. 974. ante Ær. 978. [illegible] (*c*)
(*c*) Marsham. Canon. Chronic. [illegible] (*d*) Hieron. in Jer. 25. vide & Jarchi, & [illegible]
(*e*) Athen. l. 14. c. 10. ex Beroſo, & Cteſia.
(*f*) Strabo l. 11. [illegible] Comment. in Jer. 25. 26. [illegible] de [illegible]

locum enim ipſi ſubmiſerat frater. In iis anguſtiis Seſoſtris conſilium uxoris ſuæ omnium expeditionum ſuarum comitis ſecutus eſt; namque injectis in ardentem locum duobus è ſex filiis ſuis vitam ſibi aperuit, tanquam enim per pontem ſuper corpora jacentium filiorum ipſe cum cæteris filiis tranavit, atque ita evaſit diſcrimen. Fratrem diræ animadverſioni de commiſſo in ſe crimine ſubjecit, & captivorum turbam pluribus in Ægypto præſtandis operibus addixit. Succeſſorem habuit in Regno filium ſuum Pheronem. Hæc ſumma eorum quæ de Seſoſtri narrat Herodotus l. 2. ubi verbo tantùm Principis hujus in Palæſtina expeditiones innuit, quod tamen unicum fundamentum habet opinio Seſach cùm Seſoſtri confundens.)

SESTERTIUS, moneta Romana; cujus nomen inſignum in Scriptura. Duobus ſolidis reſpondet, quare 10. ſeſtertii libram; 100. libras 10. & 1000. ſeſtertii 100. libras reddunt.

Magnum ſeſtertium, ſive unum *ſeſtertium* 2000. paris, nempe 200. libris, reſpondebat; hinc duo magna ſeſtertia 400. libris; 100. 10000. libris, 1000. libris 100000. æquivalebant.

SETH, filius Adami ex Eva natus an. M. 130. *Gen.* 5. 3. qui 105. annorum ætate grandis, Enos genuit A. M. 235. Hinc vitam ad 807. ulteriores annos producens, 912. annorum ætate grandævus diem clauſit A. M. 1042. ante Chr. 1958. ante Ær. 2962. Porrò hic pater fuit familiæ Sanctorum, & *filiorum Dei*, juxta Scripturæ phraſim; *Gen.* 6. 2. in qua una verus cultus, & pietas manſit, cùm interim poſteri Caini in ſcelera degeneraſſent. In Lybro Apocrypho inſcripto: *Parva Geneſis* (a), legimus Seth 40. annorum ætate raptum in Cœlum ab Angelis, crimen à Vigilantibus, ſive ab ipſis Angelis patrandum intellexiſſe; ſimulque pluviis in terram delapſis Orbem univerſum corrumpendum; quin & adventum Jeſu Chriſti in Mundum; quæ omnia ad Adamum, & Evam parentes retulit. Additur ibidem, poſteros ejuſdem viri uſque ad milleſimum annum ab inito Mundo in regione ſupra Eden tranquillâ pace quietos manſiſſe; ſed Dæmonis invidia factum eſſe, ut elegantia filiarum hominum caperentur; quod Moyſes ipſe teſtatur: *Videntes filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt eas ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Tandem, in eodem Libro legimus, Seth 191. ætate grandem, ſororem ſuam *Azuram* duxiſſe. Hanc S. Epiphanius hæreſ. 39. quæ eſt Sethianorum c. 5. *Oream*; S. Irenæus l. 1. c. 34. ſeu potiùs Gnoſtici apud illum, *Noream* appellant.

Hæretici *Sethiani*, Seth Chriſtum fuiſſe jactitabant (b); quem virum priùs è mundo tranſlatum, tandem prodigio reſtitutum, Jeſum fuiſſe appellatum; hunc non è Maria Virgine genitum, ſed prodigioſa quadam ratione in mundum rediiſſe dicebant. Dei verò nomen donatum Setho ante diluvium ex illo conſtat, quòd ejus poſteri, filii Dei in Scriptura appellentur (c); appellatum, inquam, Deum ſive pietatis eminentia, ſive quòd uſum literarum, ſcripturæ, & nomina planetarum, atque ſtellarum invenerit. Vetus quoddam Chronicon narrat (d), Patriarcham illum in Cœlum tranſlatum, uti ſupra innuimus, inde micanti vultu, inſtar Moyſis poſt colloquium cum Domino rediiſſe. *Exod.* 34. 29. 30.

Pravorum quorumdam librorum author Seth perhibetur. Erectas ab ejus poſteris ante diluvium geminas columnas Joſephus *Antiq. l.* 1. c. 2. teſtatur; lateritiam aliam ut ignis injuriæ, marmoream alteram, ut aquis ingruentibus reſiſteret; inſcriptas verò an[illegible] aſtronomicis ab iis factis obſervationibus. Lambeccius l. 7. p. 262. manuſcriptum laudat Bibliothecæ Imperialis, cui titulus: *Aſtronomia tradita ab Angelis Patriarcha Seth*. Apud Authorem Operis imperfecti in Matthæum hom. 2. mentio occurrit libri, ejuſdem viri nomine inſcripti, in quo de ſidere Magis illucente, & de muneribus ad Salvatorem ab ipſis delatis. Plures etiam Libros ejuſdem viri nomine ſuppoſuiſſe Gnoſticos, & Sethianos S. Epiphanius *hær.* 26. *Gnoſtic. c.* 8. & *hær.* 39. *c.* 5. teſtatur: [illegible] ad eum virum ad 50. volumina apud Mahometanos traditione vulgatum eſt (e). Apud Arabes, Aethiopes, & Samaritanos quidam ejuſdem authoris libri circumferuntur. Vide *Fabric. Apocr. V. T. art. Seth.*

(Recepta apud Muſulmanos fabuloſa traditione vulgatum eſt (f), eos, quos *filios Dei* appellat Gen. 6. 2. genus eſſe quoddam inter homines & Angelos medium. Perpetuis bellis exercebantur cum Divis vel Gigantibus, qui ipſi ſunt filii Cain. Legem ſanciverat Patriarcha Seth, quam recitat *Liber Seth*, continens viri hujus oracula, quibus miſſionis ſuæ veritatem gentibus approbavit. Jurabant ejus poſteri plerumque *per legem veram Prophetæ Seth*. Ipſis pariter Muſulmanis perſuadetur Sethum, poſtquam inviſiſſet ſepulcrum Adami in meditullio terræ conſtitutum, ipſo eodem in loco, ubi ſucceſſu temporis ſtetit Urbs Jeruſalem & Templum, contuliſſe ſe tandem in Arabiam Felicem, ubi & excitaverit urbem *Medinath Al-Scheith*, urbem Seth, & *Medinath Al-Jemen*, urbem Metropolim Jemen, quarum hodie uſque nomina retinentur.)

SETHAR, inter primores Præfectos Aulæ Aſſueri viri Eſther *Eſth.* 1. 14.

SETHIANI, hæretici, nomen à Patriarcha Seth referentes. Vide *Seth*.

SETHIM; lignum pretioſum, cujus apud Moyſem uſus in menſis, altaribus, & aſſeribus Tabernaculi. Vocem Hebræam *Sethim* S. Hieronymus ſervare conſuevit; Septuaginta verò reddunt *ligna imputribilia*. Deducta *Sethim* ex deſertis Arabiæ S. Hieronymus in Joel. 3. ad finem teſtatur; ubi in arborem creſcunt, carduo lacteo colore, & frondibus ſimiliſſimam; procera tamen eſt arbor, ut in aſſeres longiſſimos ſcindatur. Ligno eſt ſolido, firmo, expolito, nullis nodis aſpero, & ad miraculum pulchro, ex quo ſcrobes & vaſa pro torcularibus ditiſſimi quique, & ſtudioſiſſimi faciunt. Culta loca arbor iſta refugit, neque in tota Romana ditione, niſi in Arabia tantum, occurrit. Idem etiam in Mich. 6. 5. & in Iſa. 41. tradit, lignum Sethim albæ ſpinæ ſimillimum eſſe, pulchritudine tamen, ſoliditate levitate, & vi admirabilem. Ex his ſecutus creditur acacia nigra, unica, uti ferunt, in deſertis Arabiæ arbore occurrente (g); ſolida profectò & firma arbor, ut ferè incorruptibilis efficiatur. *Præciſa*, lo[illegible] colorem refert, atque in tabulas 12. cubitorum ſecatur. Ramis eſt humilis, neque in altum elatis, foliis rotundis, magnitudine pyri, colore fuliginis in inferioribus, vireſcentibus in ſuperioribus.

Acaciam *ſant* apud Ægyptios appellari Proſper Alpinus apud Author. notat. in Theophraſt. l. 4. teſtatur; quam in Ægypto in locis à mari remotis occurrere obſervat; frequentem verò eſſe in viciniis montis Sinai, in montibus mare rubrum cingentibus; ad mori altitudinem creſcere, trunco verò ad pruni craſſitudinem, cortice nigro, aſpero, & acutiſſimis ſpinis armato. Folia profert oblonga, minima, & minutatim conciſa; flores pallentes in flavum, ſive album declinantes. Mas fructuum ſterilis, ſpinarum feraciſſimus eſt; fœmella fructibus bis in anno onuſta; [illegible] verò ſpinis. Hæc, uti ferunt,

gemma

(a) Syncell. Chronic. ex parva Geneſi. (b) Epiph. hær. 39. c. 1.
(c) Theodoret. q. 49. in Geneſin & in Seth. (d) Vide Rader. animad. in Chron. Alex.
(e) Compend. Theol. Mahamed. cum verſ. Reland.
(f) D'Herbelot Biblioth. Orient. [illegible]
(g) Vide Bellon. obſerv. l. 2. c. 56. & 80. & Rauw. lib. 4. cap. 11.

gnovim Acaciæ Arabicæ deſcriptio. Thevenot (a) craſſitudine, & altitudine ſalicibus noſtris comparat; frondibus verò tenuiſſimis veſtiri, ſpinarum, atque gummi, *akakia* apud Arabes appellati feracem eſſe tradit. Ex quibus tunc intelligimus, lignum Setim apud S. Hieronymum aliud eſſe ab acacia Proſperi Alpini, & Thevenoti. Optimi tamen Authores teſtantur, nullas in deſertis Arabiæ arbores præter illam occurrere. Vide noſtr. Comment. in Exod. 25. 5.

(SETHON Rex Ægypti tunc rerum potiens, cum Sennacherib infeſta movit arma in Ezechiam Regem Juda. Hæc de Sethone Herodotus l. 2. *Succeſſit Regi Amaſi, qui luminibus erat captus. Abuſus fuit Ægyptiis bellatoribus, contemptui habens tanquam ſibi non opportunos; & cùm alios ignominiis affeciſſet, tum vero agris exuit, quibus fuerant à ſuperioribus Regibus ſingulis donati duodeni. Ex quo factum eſt, ut cum poſteà Sennacheribus Arabum Aſſyriorumque Rex cum magnis copiis invaſiſſet Ægyptum noluerint ei opitulari. Tunc Rex conſilii inops in conaculum ſe contulit, ibique apud ſimulacrum complaratus quanto poti periclitaretur, eique inter lamentationem obrepſit ſomnus; & inter quietem viſum aſtare Deum exhortantem nihil eum moleſtiæ paſſurum, ſi copiis Arabum obviam iret; ſecum auxiliarios ei miſſurum. His inſomniis fretus Rex, ſumptis Ægyptiorum iis, qui ſequi vellent, caſtra in Peluſio poſuit, (hac enim Ægyptus invaditur) nec enim ſuit quiſquam bellatorum ſequutus, ſed inſtitores opifices & forenſes homines. Eò cùm perveniſſent, noctu effuſa ipſis hoſtibus vis agreſtium murium quæ pharetras, tum arcus, tum ſcutorum habenas abederunt, ut poſtera die hoſtes armis exuti fugam fecerint. Eoque nunc iſte Rex in Templo Vulcani lapideo ſtat, manu murem tenens, atque hæc per literas dicens: In me quis intuens pius eſto.* Manebat adhuc ſimulacrum illud ætate Herodoti.

Ita veſtiunt hiſtoriam deleti exercitus Sennacheribi Sacerdotes Ægyptii. Sed Hebræi aliter rem narrant, ubi nos v. *Sennacherib*.)

SETRAI, Saronites, præpoſitus paſtorum, & gregum Davidis in Saron, *Paral.* 27. 29.

SEXTARIUS, menſura liquidorum apud Romanos 10. heminis, ſive 10. unciis Romanis reſpondens, authore Faonio.

Heminas recipit geminas ſextarius unus.

Hanc menſuram pintæ ferme Pariſienſi reſpondere Budæus *de Aſſe l.* 5. autumavit. Geminos ſextarios potantem hominem vitam tolerare potuiſſe S. Hieronymus *in Ezech.* animadvertit.

SIAHA, vicus urbis Jeruſalem, ubi Nathinæorum, nempe famulorum Templi ſedes 1. Eſd. 1. 22.

SIBA, famulus Saulis (b). Cùm David beneficum ſe erga domum Saulis exhibere ſtatuiſſet, accitum ad ſe Sibam rogavit, num aliquis è domo Saulis reliquus manſiſſet, in quem grati animi ſui in Jonatham ſpecimen exhibere potuiſſet? Ille Miphiboſeth filium Jonathæ, claudum, in Lodabar apud Machir verſantem indicavit; quo ſtatim accito, David Regiæ menſæ honore eum ſe proſequi velle declaravit. Dein Sibæ imperavit, ut receptis ſingulis Saulis ſubſtantiis, omnia Miphiboſetho reſtituenda curaret. Siba præſto ſe omnibus exhibuit; quin & apud ſe detenturum dominum, atque tamquam filium Regis habiturum profeſſus eſt. Porrò Sibæ 15. erant filii, & 20. famuli, omnes in obſequium Miphiboſethi, eique demerendo manentes; ille tamen, quamvis in ædibus Sibæ commorans, Regia tamen menſa alebatur.

Succedentibus annis (c), illata in ſe Abſalomi filii arma David declinaturus, Jeroſolyma exceſſerat; cùm in itinere Sibam duobus aſellis annona onuſtis obviam venientem habuit. Quærenti Regi, cur iſta detuliſſet, reſpondit, aſinas quidem in uſum Præfectorum Regis, annonam verò in commeatum proficiſcentium. Interrogavit iterum David, ubi Miphiboſethum reliquiſſet? cui alter ſtatim manſiſſe prodidit Jeroſolymæ, Regnum ad ſe deſcendum in ea rerum turbatione ſperantem. His commotus David, ſtatim omnia, quæ Miphiboſethi fuerant, Sibæ addixit; quod ab illo actis pro more gratiis receptum eſt.

Poſt confectum Abſalomi bellum, 2. *Reg.* 19. 17. 24. Siba in occurſum Regis cum tota familia, & famulis veniens, tranſitum Jordanis maturavit, ut vadum Regi, cæteriſque illum comitantibus oſtenderet. Neque Miphiboſeth obſequio ſuo defuit, ſed mœſto ſatis pro cordis mœrore apparatu Regi occurrens, illotos ab exitu Davidis pedes, intonſam barbam, ac ne mutatas quidem ab eo tempore veſtes exhibuit. Quæſivit Rex, cur ſecum non migraſſet ex urbe? Cui ille totam ejus rei invidiam in Sibam vertendam dixit; cùm enim, ait, ego eorum incommodo laborem, inſterni mihi aſinam ad eam rem juſſi; verùm ille, me derelicto, accuſationes contra me ſuas ad te detulit. Querelas ulteriùs proſequentem Rex ſilentium indixit, omnia ſe intellexiſſe dicens; velle tamen ſe, ut ea, quæ decreverat, rata manerent; jubere verò, facultatibus ipſum & Sibam communibus uti. Forte nihil ulterius in ea re quærendum David ſibi perſuaſit, ut Miphiboſetho parceret; neque enim ſi famulum calumnias inſtruxiſſe animadvertiſſet, æquum videretur, ut bonorum portione illum donaſſet. Sunt, qui illatum Miphiboſetho damnum Davidem ſua impenſa ſuppleviſſe autumaverint.

SIBBOLETH. Vide *Scibboleth*.

(SIBILARE temnentis eſt & inſultantis, 3. Reg. 9. 8. *Omnis qui tranſierit per eam* (per viam everſumque ſpectaverit Templum) *ſtupebit, & ſibilabit & dicet: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic?* Job. 27. 23. ad ſpectaculum impii depreſſi futurum dicit ut intuentes ſtringant ſuper eum manus ſuas, *& ſibilent ſuper illum, intuentes locum ejus.* Jerem. 19. 8. *Ponam Civitatem hanc in ſtuporem & in ſibilum; & omnis, qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper univerſas plagas ejus.* Non ſemel eandem loquendi phraſim repetit Jeremias ut *cap.* 49 17. & 50. 13. *Thren.* 2. 15. 16. Vide etiam Ezech. 27. 36. & Sophon. 2. 15.

SIBILARE etiam, ſibilo aliquem accire, authoritatis eſt & potentiæ. Denunciat Dominus Iſaiæ 5. 26. acciturum ſe ſibilo hoſtes in Jeruſalem ab extremis terræ finibus: *Sibilabit ad eum de finibus terræ.* Et cap. 7. 18. *Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminis Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum.* Geminos hoſce, quos ſibilo concitavit Deus Iſraelitas, reputes Regem Ægypti, & Aſſyriæ, qui Iſraelitico agro ſeſe ſuperfuderunt. Theodoretus, & S. Cyrillus Alexandrinus ſcribentes in Iſaiam notant, Cuſtodes apum in Palæſtina & Syria ſibilando, & canendo tibiis evocare illa ex alveatibus avocataſque ſibilando reducere. Agens Zacharias 10. 8. de captivitate Babylonica futuram ſpondet, ut Dominus cogat reducatque diſperſos in Juda nullo operoſiori mollimine, quàm ſibilando: *Sibilabo eis, & congregabo illos.*)

SIBONITE, ſive *Silbonite, Simonite*, regio tranſjordanica (d), incerti ſitus. Forte ea regio erat, cui ex Metropoli Silbon nomen inditum; verum Silbon nullibi occurrit.

SIBYLLÆ. Nihil de Sibyllis in Scriptura; quin & ea de illis relata omnia adeò parùm aſſerta videntur, ut fuſiùs de illis tractantes, operam perdere videre.

(a) Voyage du Levant. l. 2. c. 26.
(b) 2. Reg. 9. 2. &c. A. M. 2965. ante Chr. 1035. ante Ær. 1039.
(c) 2. Reg. 16. 1. &c. A. M. 2980. ante Chr. 1020. ante Ær. 1024.
(d) Joſeph. de Bello l. 3. c. 2.

Digitized by Google

videremus. Nominis etymon è Græco deducendum (a) pleriſque Etymologiſtarum; ſonare autem Dei conſilium cenſent. Eodem loco apud Ethnicos fuiſſe fœminas illas ſerunt, ac Prophetas, & Prophetides apud Judæos; futura quippe, & certiſſima veritatis dogmata populis nunciabant. Decem vulgò recenſentur; 1. Cumæa; 2. Cumana; 3. Perſica; 4. Helleſpontica; 5. Lybica; 6. Samia; 7. Delphica; 8. Phrygia; 9. Tiburtina; 10. Erythræa.

S. Clemens Alexandrinus *Strom. l. 6.* hanc ſententiam veluti ex Apoſtolo laudat: *Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo unum Deum ſignificet, & ea, quæ ſunt futura, & Hyſtaſpem ſumite & legite, & invenietis Dei Filium multò clariùs & apertiùs eſſe ſcriptum &c.* Plures inter veteres Patres Sibyllina quædam carmina, uti ferebantur, noſtræ Religioni faventia, producunt. Verùm peritiores Critici noſtræ ætatis ſcripta illa poſt factum, & nunquam à Sibyllis prolata pro comperto habent (b).

(Sibyllas commendant Plato in *Phædr.* Ariſtoteles *de Admirand.* Dionyſius Halicarnaſſæus, Cicero, & Livius. E carminibus Sibyllinis utique deprompſit Virgilius, quæ canit de novo Meſſia, vix enim aliò detorqueri queant carmina illa Eclogæ 4.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo,
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna,
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto &c.

Ex eodem fonte hauſtum eſt, quod Veſpaſiano rerum potiente longè latèque ſermone hominum diſſipatum erat. *Percrebuerat toto Oriente vetus, & conſtans opinio; eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Joſephus hiſtoricus, quem ſub Veſpaſiano floruiſſe norunt omnes, recitat in ſua Hiſtoria *Antiquit. l. 1. c. 5.* fragmentum ſibyllinum agens de diluvio. Aſſerit S. Clemens Alexandrinus *Strom. l. 6.* S. Paulum pro concione ſæpiùs provocaſſe Gentiles ad Libros Sibyllinos, unde & teſtimonia in rem ſuam deducebat. Veteres Eccleſiæ Patres, uti S. Juſtinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, aliique non inutilem poſuerunt operam, ut illis armis revincerent Paganos; ex uſu autem ejuſmodi Oraculorum Sibyllinorum nomen ſibi Chriſtiani apud nonnullos adſciverunt Sibylliſtarum. Vide Origen. *l. 7.* contra Celſum.

Valent hæc utique ad propoſitum noſtrum excuſandum, quo pauca quædam de inclytis hiſce ac vetuſtiſſimis Propheteſſis attingere decrevimus. De vita earum & quo floruerint tempore incerta ſunt omnia. Celebratur inter omnes Sibylla, cui ex natali ſolo nomen inditum eſt à Græcis *Erythræa*, utpotè natæ Erythri in Jonia; quòd tamen relicta patria Cumas in Italiam migravit, ideò *Cumææ* nomine noſcitur apud Latinos. De illa refert S. Juſtinus Martyr *Cohortat. ad Græcos*: *Hanc* (Sibyllam) *Babylone ortam Beroſi, qui Chaldæorum hiſtoriam ſcripſit, filiam, in Campaniam, neſcio quomodo, perveniſſe ferunt; ubi reſponſa dedit in urbe, cui Cuma nomen eſt, ſex milliaribus (qui locus thermas Campaniæ habet) lapide. Vidimus ſanè, ea in Urbe cùm eſſemus, locum quendam, ubi baſilicam ingentem uno ſaxo factam conſpeximus; rem profectò maximam & admiratione dignam: ubi oracula eam edidiſſe, qui res patrias à majoribus ſuis, quaſi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media autem baſilica nobis illi oſtendebant tria ſolia ex eodem exciſa lapide, quibus aqua repletis lavaſſe ibi eam, & ſtola ſumpta in penitiſſimam ſe baſilicæ ædem eodem extructam ſaxo abiiſſe, atque in media ea ſede ſuper ſublimiore gradu & ſolio conſiden*[illegible]

te, *oracula* [illegible] *prædixiſſe* [illegible] *gerant.*

Hæc Vir Sanctus de Sibylla Cumana. Affirmant que eundem loci ſtatum manſiſſe (c) uſque ad annum 1539. dum ingenti terræ ſucceſſione tota Campania agitata, mare Puteolanum ex imo fundo evomuit montes arenæ, lapidum & materiæ bituminoſæ; ex quibus obruta ſepultaque eſt ſpelunca Sibyllæ. Profectò ſi fœmina hæc vates, de qua modò, nata eſt patre Beroſo Babylonico, poſterior Regno Alexandri Magni reputanda eſt. Coævam illam conſtituit Virgilius obſidioni Trojæ, cùm Æneam in Italiam appellentem ad illam inviſendam conſulendamque deducat. Referunt alii ad tempus Tarquinii Superbi inter Reges Romanorum poſtremi.

Dionyſius Halycarnaſſeus *l. 4.* & Aulus Gellius *l. 1. c. 19.* cum Lactantio *de Falſa Relig. l. 1. c. 6.* [illegible] nonnullis narrant ſub eodem Tarquinio extraneam quandam mulierem veniſſe Romam, atque obtuliſſe Regi novem oraculis Sibyllinis ſcripta volumina, quorum pretium poſtulabat 300. aureos. Recuſavit tam caro emere oblatam mercem Princeps; ſtatimque illa è novem tria projecit in ignem; quæ reſtabant ſex eodem pretio exhibuit. Tarquinius ſtulto elogio donatam illam remiſit; & mulier tria adhuc coram illo perdidit incendio, poſtulavitque pro reliquis tribus ſtatum pretium 300. aureorum. Ad rei novitatem myſterium ineſſe aliquid ſuſpicatus eſt Tarquinius; quare acciri juſſit Augures, ex re ut cum illis deliberaturus. Illi ſtatim ad Regem prodierunt eique intelligere ſe ex notis quibuſdam ſignis Deorum munus recuſaſſe Principem, quem non ſine ingenti diſpendio abjeciſſe novem illa volumina dolebant; rogarunt obſecraruntque ut ſaltem tria reliqua quoquo tandem pretio emeret. Statim omnia ac fœmina tradens Libros monuit ut pretioſi depoſiti loco conſervarentur, haberi enim illos Regnorum commendationem.

His geſtis, recepit ſeſe mulier clam omnes; & Tarquinius tria illa volumina in arcula quadam lapidea recondita inferri juſſit ſub cameram quandam ſubterraneam in Templo Jovis Capitolini, additis cuſtodiæ depoſiti duobus ex Optimatibus, oneratis mandato, ne deſcribendos quin nec legendos Codices injuſſu Regis cuiquam permitterent. Poſt exactos Reges eadem manſit erga Libros illos religio & obſequium: maximum politiæ ſuæ dogma conſtituentes Romani, ſi credulis populis perſuaderent quidquid maximè conducere viſum eſſet, & illud obtruderent tanquam decerptum à voluminibus hiſce, nunquam conſulendis niſi per expreſſum Senatus conſultum.

Dum bella civilia Marium inter & Syllam furerent (d) cùm igne caſu arſiſſet Capitolium, eadem cum cæteris omnibus flamma abſumpti ſunt Libri Sibyllini. At quot poſt annis reſtituto jam Capitolio Coſ. Scribonius Curio propoſuit Patribus num carmina Sibyllina reſtituere placeret. Rumor aliquis percrebuerat carmina quædam Sibyllæ Erythrææ ſuperfuiſſe Erythri ejus patria. Tres igitur ex Patribus delecti ſunt, ut eò ſe conferrent; quorum ſedulitate factum eſt, ut colligerentur ad mille carmina Græcè ſcripta, quæ Sibyllina cenſebantur. Retulerunt hæc ad Urbem; ſimul autem collectiones ex illis plures per varia loca adornatæ ſunt (e). Id totum depoſitum fuit in Capitolio, loco eodem, quo ignis voraverat.

Cum tamen plures ex his Codices longè latèque diſſipati eſſent, & privatus quiſque exemplari ſuo adderet, quæ maximè ingenio ſuo, Romani ſuma [illegible] & opi- [illegible]

(a) Quaſi Σιὸς βουλὴ Jovis conſilium; Σιὸς Deus [illegible]
(b) Vide Blondell. de Sibyl. Caſaub. in Baron. exerc. 1. ſect. 10. c. 11. Bralm. [illegible] Diſſ. de Sibyl. Du Pin. Proleg. de la Bibl. Galleus, Sibyll. orac. Item Diſſ. de Sibyl. Amſtelodami [illegible]
(c) Honuphreus lib. de Sibyllis & carminibus Sibyllinis.
(d) Plutar. contra Dionyſ. Halycarn. l. 4. Appian. de bello civili l. 1. Tacit. hiſt. [illegible]
(e) Lactant. de falſa Relig. l. 6. & de Ira Dei c. 22. & [illegible] ſapient. [illegible]

& opinioni eorum Librorum conſulturi, edicto vetuerunt, ne privatus quis Codices Sibyllinos retineret, pœna mortis in refractarios indicta. Sed his legibus parum adeò obſecundatum eſt, ut Auguſtus vix inita dignitate Pontificis (a) innovandas cenſuerit veteres ſanctiones, ſimulque exemplaria omnis ſedulò perquirens, maturo cuncta ſubjecit examini; ſuppoſititia tradidit incendio, reliqua inſerri juſſit cum cæteris jam ibi reconditis in Capitolium. Succeſſu dein temporis Tiberius (b) ex integro novum inſtituit examen, novoque incendio plures Codices perdidit; atque ita diſcuſſa oracula illa Sibyllina obtinuerunt uſque ad annum 399. circiter, cùm tandem penitus abolita interciderunt.

Porro abolitionis hujus hanc narrant hiſtoriam. Diſſipabatur per ora hominum Romæ oraculum quoddam è Libris Sibyllinis, uti ferebatur, expreſſum, ferens Religionem Chriſtianam ſtabilitam magicis artibus S. Petri, non perſeveraturam ultra 350. annos; poſt hæc autem penitus abolitum iri (c). Hujus periodi exitus incidebat in annum 398. qui poſt Chriſti aſcenſionem eſt annus 368. nihilo tamen ſeciùs ita tunc florebant Chriſtiani, quomodo antea nunquam. Doli hujus Paganici occaſione captata Honorius Imperator anno proximè ſequenti injunxit Stiliconi, ut Libros omnes Sibyllinos exterminaret incendio, quod executioni mandatum anno 399. & ab imis uſque fundamentis everſum eſt Templum Apollinis, ubi oracula illa, quæcunque tandem eſſent, ſervabantur.

Nequidquam tamen hæc valuerunt quin & poſt eam ætatem, & hodie pariter Collectio Græcorum carminum in octo digeſta Libros, inſcriptaque oracula Sibyllina ſuppeteret. Sed Codex iſte nec vetus eſt Sibyllinus, Romæ notus poſt Tarquinium Superbum, nec Collectio adornata poſt bella civilia Marii & Syllæ; nec tandem illud, quod ſub Auguſto recenſitum eſt. Quod enim obtruditur hodie Opus, continet portionem oraculorum Sibyllinorum vulgatorum ſub Auguſto & poſt ejus ætatem; implet reliqua rapſodia quædam conſarta à Chriſtiano quodam, nomine veterum Sibyllarum fucum facere publico moliente. Sed fraudem ille ſuam incautè adeo obtrudit, ut vel ipſis oculis pareat impoſtura, e. g. narrantem Sibyllam induxit uxorem ſeceſſiſſe ſe uni è tribus Filiis Noe (d) ſeque pariter unà cum viro ſuo in Arca clauſam diluvii aquas evaſiſſe. Ipſe ſe Author Chriſtianum prodit illis carminibus, quorum eſt exordium (e): *Nos igitur Chriſti de ſtirpe creati*. Agit de Incarnatione, Nativitate, Circumciſione, Reſurrectione, & Aſcenſione J. C. luculentèr adeò, ut non diſertiùs Evangeliſtæ. Deſcribit Regnum Jeſu Chriſti in terra juxta commentum Millenariorum (f); exhibet ſeriem Romanorum Imperatorum (g) à Julio Cæſare uſque ad Antoninum Pium, & adoptionem M. Aurelii ac L. Veri. Demonſtrant hæc omnia Opus illud, quale hodie ſupereſt, digeſtum fuiſſe circa medium ſecundi Eccleſiæ ſæculi.)

SICAMINUM, alio nomine *Epha*, ſivè *Kepha*, *Caipha*, urbs meridionalis, in radice Carmeli, ad Mediterraneum è regione Ptolemaidis, à qua portu tantùm intermedio diſtabat. Vide *Caipha*.

SICARII, nomine à Latino *ſica* indito (h). Prædones erant, ſivè graſſatores, qui Judæam, furente Judæorum cum Romanis bello, infeſtarunt. Porrò illi eſam ſicas deferentes, ſe in cætum convenientium ad ſolemnitates Jeroſolymæ inſinuantes, gladium occulti in certos viros adigebant; poſt hæc, unà cum cæteris, imò ante omnes in homicidas clamabant.

SICELEG, urbs, quam Achis Rex Geth Davidi dono dederat, quo tempore in terras Philiſthæorum ſeceſſerat (i); inde verò Regibus Juda manſit. Abſente Davide, Amalecitæ urbem illam capientes, diripuerunt. In ſorte Tribus Simeonis à Joſue 19. 5. recenſetur; ſitamque in plaga meridionali Chanaanitidis Euſebius eſt author. Hebræi *Ziklag*, ſivè *Tziklag* nuncupant.

SICERA, quo nomine meracei omnes liquores cenſentur: *Vinum, & ſiceram non bibes*. In Vulgata aliquando idem nomen ſervatur; interdum redditur: *Omne quod inebriare poteſt* (k). S. Chryſoſtomus (l), Theodoretus, Theophylus Antiochenus, *in Luc.* 1. 15. quos natione Syros genuina vocis ſignificatio non fugiebat, tradunt, vinum è palmis expreſſum propriè denotare. Frequentiſſimum autem in toto Oriente vinum illud fuiſſe Plinius l. 4. c. 16. teſtatur, cui conficiendo adhibitum, ait, dactylorum ex palma modium, in tres aquæ congios conjectum; inde expreſſus ſuccus vinum meraceum plane referebat.

(Sicera. Vinum è palmis expreſſum colore eſt albo, & cùm recens expreſſum potatur, croci eſt ſapore ac melleæ dulcedinis. Diutiùs ſervatum invaleſcit, ut ebrietatem ceu vinum commune inducat; degenerat tandem in acetum (m).)

SICHAR vel *Sichem*, hodie *Neapolis*, urbs Samariæ. Vide *Sichem*.

(Nomen Urbis Sichem deridiculo transformant Hebræi in Sichar, quæ vox exprimit ebrietatem; & Iſaias cap. 28. 1. appellat Ephraimitas *Siccorim*, ebrios. *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim*. Hinc facilè Judæis occaſio data eſt, ut nomen *Sichem* deformarent *Sichar*.)

SICHEM, filius Hemor Principis Sichemitarum, qui viſæ in ſolemnitate Sichemitarum Dinæ filiæ Jacobi amore captus, puellæ vitium intulit (n). Dein poſtulatis à patre illius nuptiis, ea conditione, ut ipſe, cæterique Sichemitæ circumciſionem reciperent, voti compos factus eſt. Verùm tertia die, cùm vulnerum dolor crudeſcit, Simeon, & Levi fratres uterini puellæ, abreptis armis, in urbem ingreſſi, paſſim in miſeros ſævierunt. Poſt hæc, cæteri filii Jacob, atque domeſtici omnes urbem diripuerunt.

SICHEM (o), urbs Samariæ, alio nomine *Sichar*, *Neapolis*; ab incolis, authore Joſepho, *Mabartha*, forte ex adjacenti valle More. In ſorte Tribus Benjamin, in cujus montibus inſidebat, apud Joſue 17. 7. & 20. 7. recenſetur. De monte Garizim eidem urbi imminenti, alibi diximus. Cùm Jacob agrum apud eam urbem emiſſet, *Gen.* 48. 22. Joſepho in augmentum hæreditatis conceſſit, qui poſtea ibi ſepulturæ mandatus eſt, *Joſue* 24. 32. Juxta eam urbem fons, ſivè puteus Jacob extabat, cui Jeſus Chriſtus aſſidens, cum fœmina Samaritana collocutus eſt, *Joan.* 4. 5. Poſt everſam à Salmanaſare Samariam, Metropolis ejuſdem regionis Sichem habebatur; idemque privilegium ætate Alexandri Magni urbi manſiſſe Joſephus *Antiq. l.* 11 *c.* 8. eſt author. Sita erat 10. milliaribus à Silo (p), 40. à Jeruſalem, & 52. à Jerichunte (q). Templum ad fontem Jacob erectum S. Paulam inviſiſſe S. Hieronymus *Epitaph. Paulæ* teſtatur; eamdemque Eccleſiam Antoninus Martyr, Adamnanus, S. Villibaldus octavo ſæculo ſcribentes commemorant; Phocas verò duodecimi ſæculi ſcriptor nihil de illa.

SICHOR, nempè turbidus (r), nomen Nilo ex lutulentis aquis inditum. Vide *Nilus*.

SICHOR, in Tribu Aſer. Vide *Sihor*.

SICLUS,

(a) Tacit. Annal. 6. Juſtinus Martyr. Apolog. 2. (b) Dio Caſſius l. 57. Tacit. Annal. l. 6. (c) Auguſt. de Civit. Dei l. 18. c. 53. 54. (d) Lib. Sybil. 3. in fine. (e) Ibid. l. 8. (f) Ibid. l. 2. & 3. (g) Ibid. l. 5.
(h) Antiq. l. 20. c. 7. (i) 1. Reg. 27. 5. A. M. 2947. ante Chr. 1053. ante Ær. 1057. (k) Levit. 10. 9. Septuag. Sicera.
(l) Chryſoſt. in Iſai. 5. 11. Ita & Theodoret. ibid. (m) Renaudot Notæ in iter Sinenſe p. 12.
(n) Geneſ. 34. 1. &c. circa A. M. 2205. ante Ch. 1735. ante Ær. 1739. (o) Hebr. Schechem. Neapolis, Sichima, Sichar, Mabartha. Joſeph. de Bello l. 5. c. 4. Flavia Neapolis. (p) Euſeb. & Hieron. in locis.
(q) Vide Reland. in Sichem. (r) Joſue 13. 3. *A fluvio turbido*. Hebr. *A fluvio Sichor*. Vide & Jerem. 2. 18.

Digitized by Google

SICLUS, Hebraicè *ſchekel*, pondus, & menſura Hebræorum, è verbo *ſchakal*, quod ponderare ſonat. Porrò *ſicli* nomen de omnium rerum ponderibus, ſivè ferri, ſive crinium, ſive aromatum, ſivè alterius cujuſcumque rei uſurpatur: Inter varias de pondere, & valore ſicli ſententias, nobis probatur conjectura Cl. le Pelletier Rothomagenſis, qui ſicli pondus definit ad dimidiam unciæ, ſivè quatuor drachmas Romanas, vel 266. grana, & [illegible]; ſicli verò argenti juſtum pretium ſtatuit 32. ſolidos, quinque denarios, & tres ex octo partibus denarii noſtratis. Moyſes & Ezechiel ſtetiſſe tradunt ſiclum 20. obolis, ſive 20. gerah *Num.* 18. 16. *&* *Ezech.* 45. 12. Vide Tabulam ponderum, & menſurarum.

Siclus aureus, ejuſdem quidem cum argenteo ponderis; valebat autem 23. libras, 4. ſolidos, & 4. denarios.

Siclus Sanctuarii, juxta pleroſque Interpretes duplo pluris, quàm communis valebat, ſed nulla prorſus in eam rem argumenta. Nos eumdem cum communi cenſemus; adjectum autem epithetum Sanctuarii, ut indicaretur pondus eſſe juſtiſſimum, & exactum ad normam ponderis, in Tabernaculo ſivè Templo ſervati.

SICYON, urbs Peloponneſi, ſive Achajæ, ad quam Romani literas pro Judæis dederunt, 1. *Mach.* 15. 23.

SIDE, urbs Pamphyliæ, ad cujus cives Romani literas pro Judæis dederunt, ut illos in amicos, & fœderatos reciperent (a).

SIDON, filius Chanaan, natu major, *Gen.* 10. 15. & conditor vetuſtiſſimæ urbis Sidonis, Metropolis Phæniciæ.

SIDON, urbs vetuſtiſſima ſimul & florentiſſima, hodie Zaide appellata, à Sidone filio Chanaan natu majori condita, 400. ſtadiis à Berytho, & 200. à Tyro, authore Strabone *l.* 16.

Ejus nomen plerique ex Hebræo, ſivè Syriaco *Zada*, nempè piſcari, derivant. Apud Joſue per excellentiam *Sido magna* appellatur; unde nata quorumdam ſuſpicio, duas fuiſſe ea ætate Sidones (b); quarum tamen ne veſtigium quidem apud Geographos. Quamvis in ſorte Tribus Aſer recenſeretur, *Joſue* 9. 28. *&* *Judic.* 1. 31. nunquam tamen factum eſt, ut ea viri ejuſdem Tribus potirentur. Sita eſt ad Mediterraneum, in agro quidem amœno, diei itinere à *Paneade* (c), ſivè à fontibus Jordanis, atque commodo portu ornatur. Abulfedæ eſt 66. m. paſſuum, ſivè 22. leucis à Damaſco. Emporium fuit omni ætate celeberrimum. Extant veteres quidam ejus urbis nummi, veteribus Phænicum characteribus ſignati, iiſdem planè cum literis Hebræorum ante captivitatem Babylonicam. Clariſſima Sidoniorum Numina Baal, & Aſtarte, ſivè ſol, & luna: ſuus etiam cultus Herculi. Phænicum cultus ſæpè inter Hebræos irrepſit, potiſſimùm poſt ductam ab Achabo Rege Iſraelis Jezabelem, filiam Ethbaalis Regis Sidoniorum, 3. *Reg.* 16. 31. De hac urbe frequentiſſimè Scriptura.

Muara Sidoniorum, *Joſue* 13. 4. urbs facilè juxta Sidonem; alii ſpecum malunt; *Muara* enim Hebraicè ſonat cavernam.

SIDRACH, nomen Chaldæum, juſſu Nabuchodonoſoris, Ananiæ, ſodali Danielis, inditum. *Dan.* 1. 7. Vide *Ananias*.

SIENE, urbs in finibus Æthiopiæ, inter Thebas, & cataractas Nili; vulgò per *y* ſcribitur, *Syene*. Ad extremitatem Ægypti è regione Chus ſitam innuit Ezechiel 29. 20. & 30. 6. *A' turre Syenes uſque ad terminos Chus*. Porrò regio Chus in Arabia Petræa ad extremitatem maris Rubri ſita eſt; verùm Textus Hebræus ita reddi poteſt: *A' Migdol uſque Syenem, & uſque ad terminos Chus*. Regio Chus ſua pariter erat in Æthiopia, propter dicta, quæ ſupra, & ad meridiem Syenes poſtremæ urbium Ægypti ſita erat. Migdol turrim ſonat, & urbs etiam ejuſdem nominis apud Moyſem occurrit. *Exod.* 14. 2. Alibi Ezechiel 30. 6. Migdol, & Syenem veluti duos terminos Ægypti ſtatuit: *A' turre Syenes gladio cadentis in ea*; ſive juxta Hebræum: *A' Migdol uſque Syenem &c.* Joſephus *de Bello l.* 5. *c.* 11. 2000. ſtadia in longitudine Ægypto tribuit, à Peluſio uſque Syenem.

Urbs iſta apud Antiquos celebris (d), in finibus Ægypti Æthiopiam verſus ſtatuitur. De illa Plinius tradit, in Peninſula ad ripam orientalem Nili ſitam eſſe, 1000. paſſibus in gyrum extendi, præſidio verò Romano detineri. Strabo l. 17. tres in ea Romanas cohortes contra irruptiones Æthiopum conſtitutas perhibet. Puteum eſſe in ea addit, ubi ſol ad libellam inſiſtens, cùm in ſolſtitio eſt, in neutram partem umbram demittit. Paria apud Plinium l. 2. c. 73. legas: *Solſtitii die medio nullam umbram jaci*. Et Lucanus l. 2. v. 587.

Umbras nuſquam flectente Syene.

(Hanc Urbem Geographi Arabes appellant *Aſunam*, conſtituuntque in regione *Al-vahat*, ubi ex ruderibus hodie uſque ſuperſtitibus intelligimus provinciam olim fuiſſe ditiſſimam, & incolis frequentiſſimam. Eſt autem Siene Urbs ambitu ſuo anguſtiſſima (e), ſed refertiſſima quà civibus, quà exteris, eò negociationis cauſa venientibus, accitis è proximis fodinis auri, & argenti. Fertur inſuper unicam in toto orbe ſmaragdorum orientalium fodinam ejus ſolum offerre; cui pariter illud accedit ad felicitatem, ut regio ſit omnis generis fructibus feraciſſima, quanquam ſub tropico conſtituta. Totam claudunt montes Alaki & Gianhadel, ubi majores Nili cataractæ; ex his autem montibus illum habet Orientalem, hunc Occidentalem. Diſtat quinque brevium dierum itinere ab Urbe Cous, quæ ſeptentrionalior eſt, quæque pariter jacet ſub gradibus 61. 30. longitudinis, & 24. 30. latitudinis. Sunt ambæ in ſecundo climate.)

SIGAION, ſive *Schiggaion*, (f); vox Hebræa, in titulo Pſalmi 7. & in Abacuc 3. 1. Hanc Septuaginta vertunt, *Pſalmus*, ſive *Canticum*; Aquila & Symmachus *ignoratio*, ſive *crimen ignorationis*; Theodotion in Abacuc reddit *pro voluntariis peccatis* (g). Verùm an Textus integer ſit, meritò dubitatur. Quidquid ſit, quidam *Sigaion* dictum intelligunt de inſtrumento muſico; alii de certa quadam Pſalmi canendi modulatione. Vertunt nonnulli, *Error David*; quidam, *Secretum David*; illi, *delictæ David*; hi, *moleſtia David*. Nos malumus, *Canticum doloris*, ſive *Canticum conſolationis* David; Arabum enim *ſchaga* ſonat in mœrore eſſe; & Hebræum *ſchagah* (h), gaudere, lætari.

(S)IGILLUM, *Signaculum*, *Signum*. Apud veteres Hebræos olim geſtabantur inſerta in digitis vel in brachiis annulorum vel armillarum loco ſigilla. Edicta Regis Aſſueri in Judæos obſignavit Amannus *annulo Regio*. *Eſth.* 3. 12 Sacerdotes Beli rogarunt Principem ut obſignaret *annulo ſuo* fores Templi ejus Numinis, experimento hoc probaturos neminem noctu ingredi in locum ſanctum *Dan.* 14. 10. Deſiderat Sponſus in Cantico 8. 6. invitatque ſponſam: *Pone me ut ſignaculum ſuper brachium tuum.*

Sigillorum uſum rarum fuiſſe adhuc ætate belli Trojani ut nodis variis tantùm vincirentur epiſtolæ, notat Plinius *l.* 33. *c.* 1. Sed multo vetuſtiùs id apud Hebræos. Judas, filius Jacob, pignoris loco reliquit Thamar, quam nondum noverat, ſigillum ſuum, armillam, & baculum. *Geneſ.* 38. 25. Inſtrumenta ultionis ſuæ obſignata habere Deum in theſauris cecinit Moyſes *in Deut.* 32. 34. Ab eo pariter teneri veluti ſub ſignaculo ſtellas docet Jobus 9. 7. quo emblemate exprimit aſtra omnia ad ejus nutum ſtare, ut nonniſi eo jubente pareant. Et *cap.* 14. 17. *Signaſti, quaſi in ſacculo, delicta mea.*

Cùm

(a) 1. Mach. 15. 23. A. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139. (b) Vide Hieron. Onomaſt. in Cana. (c) Antiq. l. 5. c. 2. (d) Strabo, Ptolem. Herodot. Plin. Stephan. alii. (e) D'Herbelot. Biblior. Orient. p. 141. (f) Pſal. 7. 1. Septuag. ψαλμὸς τῷ Δαυίδ. Aqu. & Sym. Pro ignoratione. (g) Vulg. Pro ignorantiis. (h) Vide Prov. 5. 19. 20. & 20. 21. & noſtr. Præf. in Pſal 7.

Cùm fortè obſignanda eſſet vel epiſtola vel liber, panno quodam lineo obvolvebatur, ſeu vinciebatur filo, tum applicatæ ceræ imprimebatur ſigillum. Mandat Deus Iſaiæ 8. 16. 17. *Liga teſtimonium* (volumen oraculorum tuorum) *& ſigna legem in Diſcipulis meis.*

Paria injunxit Danieli: *Tu autem Daniel, ſigna ſermones, & claude librum uſque ad tempus. Dan.* 12. 4. Liber ille, quem Deus, ſpectandum per viſum obtulit S. Joanni in Apocalypſi 5. 1. & 6. 1. 2. & ſeq. muniebatur ſeptem ſigillis, & erat ſcriptus intus & foris. Nemo illum audebat recludere, nemo exponere, niſi unus Agnus ab exordio mundi immolatus. Porrò tot numero ſigillis obſignatus Liber rarus erat; ſed notabant hæc Operis neceſſitatem, dignitatem, & profunditatem.

Dum civilia tractarentur, plerumque duo originalia inſtrumenta conficiebantur, quorum unum pronum erat omnibus, manebatque illi, cujus favore res confecta erat: alterum verò munitum ſigillo in loco publico depoſitum manebat. Porro cautione ſigilli removebantur fraudes, ne corrumpere, ſeu violare aliquid tabularum illarum quis auderet. Emit agrum in Anathoth Patria ſua Jeremias ab Ananeele quodam. Ipſe per ſe Propheta deſcripſit ſyngrapham emptionis, adhibuit teſtes, tabulas munivit ſigillo atque ita paratam tradidit Baruch diſcipulo ſuo, ſimul hæc monens: *Sume Libros iſtos: librum emptionis hunc ſignatum, & librum hunc, qui apertus eſt, & pone illos* (illum qui obſignatus eſt) *in vaſe fictili, ut permanere poſſint diebus multis. Jerem.* 32. 10. & 2. 10. Idem mos obtinebat apud Græcos. Autographa inſtrumentorum & ſcripta quæcunque majoris momenti conſervabant in vaſis æneis vel fictilibus. Vide Scholiaſtem Ariſtophanis ad V. *Echinos* in Veſpis.)

I. SIGNUM, vox propriè rem aliquid indicantem deſignans; quemadmodum Dominus iridem Noemo, *Gen.* 9. 12. 13. uti & circumciſionem Abrahæ in ſignum iniit cum ipſis, eorumque poſteritate fœderis conſtituit. *Gen.* 17. 11. Sol, & luna in ſignum temporis, atque dierum deſtinavit. *Gen.* 1. 14.

II. *Signum* eſt prodigium: *Virgam ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna*, ait Dominus ad Moyſem, *Exod.* 4. 17. *& ſi neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis &c.* Hic porrò ſigni ſenſus frequens eſt in ſacra Scriptura.

III. *Signum*, non rarò rei argumentum denotat: *Hoc habebis ſignum, quòd miſerim te. Exod* 3. 12. *Da mihi ſignum, quòd tu ſis, qui loqueris ad me. Judic.* 6. 17. *Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanavit?* 4. *Reg.* 20. 8. Hæc autem ſignificatio nomini ſatis cum prima convenit; quemadmodum & illud: *Miſit Dominus ſignum in Cain: Gen.* 4. 15. nempè indicium, ut cognoſceretur.

IV. *Signa de Cœlo, ſigna Magorum*, ſunt præſtigia Magorum, & Cœli phænomena, quibus aliquando ſimplices deterrentur. *Irrita faciens Deus ſigna divinorum. Iſai.* 44. 25. Et alibi: *A' ſignis Cœli nolite metuere. Jerem.* 10. 2.

V. *Signum* in domo Iſraelis conſtituit: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael. Iſa.* 8. 18. tantundem valet, ac, quidquid contingeret, futurum in populum eventum portendet. *Et ponam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in proverbium. Ezech.* 14. 8. Hebr. *Faciam in ſignum*, nempè vindictæ meæ in impios exemplum (a).

SIGO, ſive *Sigoph*. De urbe ejuſdem nominis in Galilæa ſermo eſt apud Joſephum *de Bell. l.* 2. *c.* 25.

SIHA, filius Aluphæ, è genere Nathinæorum. 1. *Eſdr* 2. 43.

SIHOR, vel *Sichor*, quod interdum de Nilo uſurpatur. Vide *Sichor*, & *Nilus*.

SIHOR, vel *Sichor*, nomen eſſe urbis in plaga occidentali Aſer creditur, in loco planè non procul à Carmelo. Hanc eſſe urbem, ſeù amnem crocodilorum in eadem regione juxta Plinium l. 5. c. 19. & Strabonem l. 16. Relandus *Palæſt. l.* 3. *p* 730. ſuſpicatur. Urbs enim illa inter Ptolemaidem & Turrim Stratonis, ſive Cæſaream Palæſtinæ Straboni ſita eſt. Hebræus legit, *Joſue* 19. 26. *Sichor-Lebanath*; & nos *Lebanath* ipſiſſimum credimus Promontorium album inter Ecdippum, & Tyrum (b); & *Sichor*, quod ſonat *turbidum*, ejuſdem regionis torrentem denotare.

SILAS, ſeu *Sylvanus*, unus de *viris primis in fratres*, juxta S. Lucam, *Act.* 15. 22. ex quo inter ſeptuaginta Diſcipulos habitum ſuſpicamur. Cùm de legalium obſervantia orta eſſet Antiochiæ diſceptatio, ad conſulendos ea de re Apoſtolos Paulus, Barnabas, Judas, & Silas Jeroſolymam miſſi ſunt. Ipſiſſimus creditur cum Sila, cujus ſub *Sylvani* nomine (c) mentio occurrit in fronte geminæ Epiſtolæ S. Pauli ad Theſſalonicenſes. Eo tabellario S. Petrus deferendæ primæ Epiſtolæ ſuæ Roma ſcriptæ uſus, illum *fratrem fidelem* appellat (d). Poſtquam Paulus & Barnabas mutuò ſegregati ſunt, occaſione Joannis Marci, Silas Apoſtolo adhærens (e), unà cùm illo Eccleſias Syriæ & Ciliciæ inviſit. Indè in Lycaoniam, Phrygiam, & Galatiam tranſgreſſi, tandem trajecto mari, Macedoniam tenuerunt. Vide *S. Paulus*.

Cùm Philippis eſſent, *Act.* 16. 11. ſpiritu Pythonicò è puella ab Apoſtolo depulſo, heri ejuſdem mulieris, qui Dæmonis oracula vendebant, viros Apoſtolicos coram Magiſtratibus pertraxerunt, inductorum in urbem contra Romanorum leges morum accuſantes. Confluentibus ad ſpectaculum populis, Paulus & Silas in pleno omnium theatro, virgis cæſi, dein in carcerem detruſi ſunt. Succedente nocte, ſubito terræmotu concuſſæ carceris foreæ, reſeratæ, atque captivorum vincula agitatione diſrupta. Quod ſtatim carceris cuſtos animadvertens, ratuſque commiſſos ſibi reos jam diffugiſſe, deſperatione actus, gladio in ſe converſo necem ſibi jam intuliſſet, niſi opportunè clamante Paulo, omneſque in carcere manſiſſe affirmante, reſipuiſſet. Quare ſtatim ad Sanctorum pedes miſer accidens, victas fidei manus dedit, uti fuſiùs diximus v. *Paulus*. Manè alterius diei Magiſtratus dimitti viros juſſerunt; ſed Paulus cives Romanos à Magiſtratibus eò ſe conferentibus dimittendos eſſe dixit; ex quo ſanè intelligimus, Silam civitatis Romanæ, ſicut & Paulum, jus habuiſſe.

Venientes deinde Theſſalonicam & Berœam, fidem annunciarunt: ibique Apoſtolus, ſecedere coactus Athenas iturus, Silam reliquit. Iterum ambo Corinthi juncti, ibi utriuſque nomine geminæ ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ ſcriptæ ſunt A. Ch. 52. Hunc planè virum Apoſtolus fidiſſimum ait in Evangelii prædicatione adjutorem. 2. *Cor.* 1. 19. Ejus Feſtum in Martyrologio Romano ad 13. Julii conſignatur. Obiiſſe Macedoniæ Ado teſtatur, nec ſinè Martyrii palma, quantum ex ejus verbis colligimus. Silam & Sylvanum tanquam duos diſtinctos viros Græci die 13 Julii colunt. Ad illum Pauli ad Corinthios verba quidem referunt: *Miſimus cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias, non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ* 2. *Cor.* 8. 18. 19.

(Silas & Carpus ipſi creduntur gemini diſcipuli S. Joannis Baptiſtæ, qui ab eo miſſi venerunt ad Jeſum Chriſtum, poſtulaturi, num ipſe eſſet Chriſtus *Matth.* 11. 2. 3. &c. hoc autem ideo, non quaſi de illo ambigeret Joannes: ſed ut occaſionem caperent Diſcipuli agnoſcendi Jeſum; ſimul autem & Jeſus demonſtrandi ſe illis, viroſque inſtituendi in rebus fidei.

(a) Vide & Ezech. 4. 3. (b) Plin. l. 5. c. 19.
(c) Hieron. Grot. Fromond. (d) 1. Pet. 5. 12. A. Ch. 45.
(e) Act. 15. 37. ... 41. A. Ch. 51.

fidei. Vide Gerhard. *Comment. ad Matt.* 11. *Baron. Not. in Martyrol. Rom.* 13. *Jul. & 13. Octobr.*

Porrò in cauſa aſſignanda hujus legationis ad Jeſum Chriſtum diſſidium eſt, quà inter veteres, quà inter recentiores Commentariorum Scriptores. Sunt qui hæſiſſe dubium credant S. Joannem, quid de Jeſu Chriſto reputaret; malunt alii ſolos dubitaſſe Diſcipulos Viri Sancti de miſſione Chriſti; aliis tandem perſuadetur poſtulaſſe tantùm S. Joannes, quid ſibi mandaret in altera vita renunciandum. Vide in hanc rem noſtrum Commentarium ad Matt. 11.)

I. SILENTIUM, vocis quidem pauſationem ſignificans, ab Hebræis tamen de vacatione etiam ab opere uſurpatur: *Fiant immobiles quaſi lapis.* Exod. 15. 16. Hebr. *ſileant*. *Neque taceat pupilla* (Hebr. *filia*) *oculi tui*; *Thren.* 2. 18. nempe: ne ceſſet à lachrymis. *Steterunt* (Hebr. *ſiluerunt*) *ſol & luna Joſue* 10. 13.

II. *Silentium*, eſt plena rei everſio, ſicut etiam plena ſui in alterum abdicatio: *Ar Moab conticuit*; *Iſa.* 15. 1. nempè penitus everſa eſt, nulla reliqua emergendi ſpe. *Sileamus ibi, quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit*, *Jer.* 8. 14. malis ſcilicet oppreſſit. *Te decet hymnus Deus* *Pſal.* 64. 2. Hebr. *Tibi ſilentium laus Deus*; nempè decet nos obſequioſo ſilentio Numen tuum venerari. *Siluit terra in conſpectu Alexandri.* 1. *Mach.* 1. 3.

III. *Silentium* eſt mors, & ſepulchrum; *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea*; *Pſal.* 49. 17. Hebr. *in ſilentio*. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum*: *Pſal.* 95. 17. Hebr. *in ſilentium*.

SILIQUA, cortex ciceris, vel fabæ. Filius prodigus fame & egeſtate preſſus, *Luc.* 15. 16. ſiliquis, quibus ſues ſaturabantur, implere cupiebat. Græcum tamen *Keratia* ab eruditiſſimis Interpretibus (a) *ſiliqua dulcis*, arboris cognominis Aegyptiæ fructus, vertitur. Ex hac vinum, vel liquor in Syria, & Aegypto ſucculentiſſimus exprimitur, illinſque fæces ſuibus projiciuntur. Hos fructus Græci, & Latini *Keratia*, Plinius *ſiliquas*, uti Scriptura, nuncupat.

(SILIQUÆ. Legimus in Evangelio *Luc.* 15. 16. de Filio prodigo: *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.* Porro Græcum *Keratia* deſignare creditur Siliquas, *Caroubes*, vel *Carouges*. Eſt autem fructus maximè familiaris in Palæſtina, Græcia, Italia, Provincia, Barbaria. Tamdiu in arbore relinquitur, donec matureſcat, atque areſcat; aluntur eo pauperes, aluntur, & greges ad ſaginam. Eſt autem arbor ſiliquas offerens modica, ramoſa, ornata foliis rotundis unius vel duorum digitorum diametri. Flores emittit veluti in racemos rubros lanugine quadam ſufflava veſtitos. Fructus autem referunt baccas teretes, longas à ſemipede ad uſque 14. digitos, latas verò digito & ſemis; ſubatro veſtiuntur ſuperius, curvantur interdum, duplici cortice coaleſcunt, quem utrumque ſeparant membranæ quædam plures oblongæ; continent ſemina, quæ tereti figura ad caſiæ ſemina accedunt. Porrò amborum corticum medullam tenet ſuccus quidam melleus, ad caſiæ medullam. Græcum nomen *Keratia*, i. e. cornua parva, è recurva facilè ſiliquarum figura petitum eſt.)

SILLAEUS, vir, ſeu potiùs procus Salomes ſororis Herodis. Vide *Sylleus*.

SILO, urbs celebris Ephraim, *Joſue* 18. & 19. & 21. 12. m. paſſuum, ſive 4. leucis à Sichem, juxta Euſebium; vel tantùm 10. m. paſſuum, juxta S. Hieronymum; utroque verò authore in Acrabatene ſita erat. S. Hieronymi ætate (b) nihil de veteri urbis gloria, niſi rudera Altaris holocauſtorum, erecti quo tempore Tabernaculum ibidem colebatur, reſtabat. Eo loci coacto à Joſue populo (c), de ſecunda terræ Promiſſionis diviſione actum eſt. Nec alibi Arca, & Tabernaculum conſtituta, poſt fixas a populo in Chananitide ſedes (d); manſitque ibi religio uſque ad tempus captæ à Philiſthæis ſub Heli ſummo Sacerdote Arcæ (e). Ibidem etiam Samuel clarere cœpit; eamdemque ſedem Ahias Propheta habuit. 3. *Reg.* 14. 2. Templum Domini ad eamdem, quam Silo, deſolationem redigendum, Jeremias prædixerat. *Jer.* 7. 12. 14. & 26. 6. 9. Reſtituta ab hoſtibus Arca non in Silo, ſed in Cariathjarim reducta eſt. 1. *Reg.* 6. 21.

Ex nomine Silo deducta conjectura, Pauſaniam l. 6. c. 24. aſſeruiſſe, Silenum Bacchi comitem in Palæſtina ſepultum eſſe, Relandus ſuſpicatur. Fuiſſe ibidem ſua ætate monumentum Samuelis Prophetæ Benjamin Tudelenſis perhibuit. In nummis Sichem, ſive Neapoleos, Silenus exhibetur; ex quo ſepulchrum ejus viri in Sichem potiùs, quam in Silo extitiſſe credium colligimus.

(SILO. Cùm ad obitum decumberet Patriarcha Jacob, adventum Meſſiæ ſub nomine *Silo*, vel *Schilo* prædixit: *Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus eſt*: Hebræus: *Donec veniat Silo*. Vide ſupra *Schilo*.)

SILOE, vel *Siloa*, *Siloam*, fons infrà Jeroſolymæ mœnia, ad latus orientale, inter urbem, & torrentem Cedron. Precibus Iſaiæ Prophetæ aquas illas deductas ſcribit S. Epiphanius *de vit. & mort. Proph.* ſed & ante eum Prophetam fluxiſſe jam conſtat; & facilè cum fonte Rogel, ſive Fullonis, de quo apud Joſue 15. 7. & 17. 16. & in Libro 2. Regum 17. 17. & 3. *Reg.* 1. 9. confundendæ videntur. Cùm enim fons Rogel ad orientem; & intra mœnia urbis ſpectaretur, ut etiam de Siloe animadvertimus, ſimulque unum tantùm ibi fontem extitiſſe conſtet, quidni unus, idemque ambo illi cenſeantur? De aquis Siloe tum alibi ſæpè agit Joſephus cùm etiam in obſidione urbis per Nabuchodonoſorem uberiori vena fluxiſſe narrat; *de Bello l.* 5. *cap.* 26. quod etiam prodigium in alia obſidione urbis per Titum innovatum eſt; cùm tenues alioqui, & vix precio comparandæ aquæ adeò excreverunt, ut largas exercitui Romano aquas præberent, ſimulque hortis irrigandis ſufficerent.

Dulci & miti vena fluxiſſe Iſaias 8. 6. inſinuat: *Abjecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin, & filium Romeliæ.* De hoc fonte ait S. Hieronymus *in Jerem.* 14. *Uno fonte Siloe, & hoc non perpetuo, utitur civitas*: Olim tamen rem aliter ſeſe habuiſſe ex Scriptura colligere videmur. Quin & idem S. Hieronymus in Jerem. 14. & 32. & in Matth. 10. tradit, vallem illam, quæ à fonte alluitur, amœniſſimam fuiſſe, quòd aquæ illæ nemora, & hortos irrigarent. Sale aliquantulùm infectas illas, atque guſtui ingratas Monconis teſtatur (f). Si quando Sacerdotes carnes ingurgitaſſent, aquas ejuſdem fontis adhibebant, cibis digerendis ſalubres (g); quam in rem planè ſalinæ aquæ conducere poterant. Piſcinæ Siloes, nomine *Bethſaida*, ſive *Betheſda*, meminit S. Joannes, & nos de illa v. *Betheſda*.

Turris Siloe, qua corruente 18. homines oppreſſi ſunt, uti in Evangelio narratur, Erecta illa juxta fontem Siloe creditur.

SILONI, 1. *Par.* 9. 5. nomen eſſe creditur viri patris Afaiæ, è Tribu Juda. Quidam hunc Siloni originem duxiſſe ex urbe *Silo*, ſive ex *Sela* filio Juda autumarunt.

I. SIMEON, filius Jacobi ex Lia (h), frater Dinæ ex utroque parente. Poſt irrogatam à Sichem filio Hemor ſororii injuriam, de quo v. *Dina*, & *Sichem*, Simeon & Levi in urbem Sichem ingreſſi, paſſim obvios

(a) Syr. Arab. Grot. Hammond. Cleric. Bochart. &c. (b) Hieron. in Sophon. 1. & in Epitaph. Paulæ.
(c) Joſue 18. 1. &c. A. M. 2560. ante Ch. 1440. ante Ær. 1444. (d) Joſue 19. 51. A. M. 2560.
(e) Ab A. M. 2560. uſque ad 2888. ante Ch. 1112. ante Ær. 1116. Vide 1. Reg. 4. (f) Voyage de la Terre S. part. 2.
(g) Rabb. Nathan. in Aboth. c. 35. (h) Gen. 30. 33. Natus A. M. 2247. ante Ch. 1753. ante Ær. 1757.

Google

obvios trucidarunt (a), receptamque ſororem in domum paternam reduxerunt. Præ cæteris fratribus in Joſephum ſævitiæ Simeon creditur, eidemque etiam authori conſilium de illo occidendo tribuunt (b). Inde factum dicunt, ut cæteris dimiſſis, ipſe in carcere ab eodem detentus, cæteris duriùs haberetur (c). Jacob ad mortem decumbens, commotio in Simeonem, & Levi, illorum in Sichimitas violentiam diris inſectatus eſt (d). *In conſilium eorum*, ait, *non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea; quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael.*

Nec ſanè ambæ illæ Tribus in Iſraele niſi diſperſæ ſubſtiterunt. Nulla enim certa ſedes, & hæreditas Levi conſtituta eſt; Tribui verò Simeonis para quædam è Tribu Juda avulſa, aſſignata fuit; *Joſue* 19. 1. quam illi ditionem montibus quibuſdam Seir, & regionibus nonnullis in deſerto Gader ſubactis, 1. *Par.* 4. 27. 39. 42. nonnihil provexerunt. Targum Jeroſolymitanum, & Rabbini, quos veteres nonnulli Patres ſequuntur (e), tradunt, Scribas, & Doctores Hebræorum ferè omnes è Tribu Simeonis originem duxiſſe, qui per univerſum Iſraelem diſperſi, oraculo Jacobi ſuam fidem aſſeruerunt. Hoc Simeonis factum probaſſe videtur Judith 9. 2. at non crimen illum, ſed ſtudium viri in impios laudaſſe credimus.

In Teſtamento duodecim Patriarcharum legimus, virum illum 120. annorum ætate grandem obiiſſe (f); virum autem fuiſſe ſtrenuum, immitem, rigidum; qui in fratrem ſuum Joſephum à patre unicè dilectum emotus, ejus necem molitus eſt. Cùm Judas fratrem vendere, quàm enecare maluiſſet, tanto in illum furore exarſit Simeon, ut niſi ſubito prodigio, areſcente manu, impediretur, illum ſubtuliſſet. Reſipiſcens tandem ad hæc, poſt ſeptem elapſos dies in priſtinam denique valetudinem reſtitutus eſt. Ejus viri cadaver clam à filiis Hebronem delatum fuiſſe, quo tempore bellum Ægyptiorum ingruebat, ibidem legimus. Quæ autem fides apocrypho libro?

Filios habuit *Exod.* 6. 15. Samuelem, Jamin, Ahod, Jachin, Sohar, & Saulem, quorum poſteri ex Ægypto egredientes 59300. milites exhibebant; *Num.* 1. 22. quamvis terram promiſſionis ingredientes, ad 22200. redacti fuiſſent. *Num.* 26. 14. 15. Simeonis regio ad occidentem, & meridiem Juda ſita erat (Vide *Joſue* 19.) ad ſeptentrionem, Tribum Dan & Philiſthæos; ad occidentem, mediterraneum; ad meridiem, Arabiam Petræam contingebat.

II. SIMEON, avus Mattathiæ, patris Machabæorum, è familia ſacerdotali Phinees. 1. *Mach.* 2. 1.

III. SIMEON, Iſraelita, qui ductam alienigenam uxorem cum cæteris dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 31.

IV. SIMEON, ſenex ſanctiſſimus, qui Spiritu S. afflatus, redemptionem Iſraelis Jeroſolymis opperiebatur. *Luc.* 2. 25. Viſurum autem illum ſuis oculis antequam diem ultimum clauderet, facta ſibi à Spiritu S. promiſſione confidebat; quare intimo ejuſdem Spiritus ductu in Templum eo planè momento venit, quo Joſephus, & Maria de Legis præſcripto puerum oblaturi veniebant. Senex igitur puerum ulnis complexus, totus in gratiarum actionem effuſus eſt. Jam nunc, ait, lætus moriar, oculoſque, quibus ſalutare Iſraelis aſpexi, libentiſſime claudam. Inde fauſta parentibus precatus, Infantem Mariæ reſtituit, ſimul addens futurum, ut puer ille exitio, & reſurrectioni multorum in Iſraele contingeret. Sciret autem, in eum veluti in ſcopum, omnium jacula dirigenda; ex quo fieret, ut matris animus doloris gladio transfoderetur; *Ut revelentur*, ait, ex *multis cordibus cogitationes*. Hæc de viro illo pio Evangelium, quem paulò poſt redditum adeò illuſtre de Jeſu Chriſto teſtimonium, diem clauſiſſe ferunt.

Vetus author, Celſus nomine (g), Simeonem illum oculis caligantem, vix recepto in ulnis puero Jeſu ad lumen revocatum, teſtimonium Salvatori palam dediſſe teſtatur. Nonnulli Sacerdotem fuiſſe autumant, cujus propter deum muneris fuerit puerum tamquam primorem natu Domino ſiſtere, atque poſt acceptum pretium legale parentibus reſtituere (h). In hanc ſententiam plures ex antiquis laudantur (i); alii verò, nec temerè, negant (k). Nec temerè, inquam, cùm ſilentium Scripturæ in eam rem illis plurimùm ſuffragetur; neque enim viri dignitas ſilenda unquam videbatur.

Plura conferenti ſe ad Tamplum ea occaſione Simeoni contigiſſe Leo Allatius in ſua Diſſertatione de Simeonibus narrat. Nimirum irradiantem ſubita luce matrem animadvertiſſe; quare per tranſverſum populum ad illam ſe conferens, bona plurima imprecatus eſt, ſimulque brachiis complexus puerum, Divino Spiritu afflatus, illud incæpit: *Nunc dimittis &c.* Poſt redditum matri infantem, ſtatim ſenem obiiſſe refert Nicephorus, ejuſque cadaveri ſepulturæ honorem denegaſſe Sacerdotes Hebræorum, quod teſtimonium Salvatori contuliſſet, S. Epiphanius *de vitu & morte Prophet.* perhibuit. Quanta fides traditionibus hiſce adhibenda ſit, ſatis inter omnes conſtat.

Ferunt, hunc Simeonem ipſiſſimum eſſe Simeonem Juſtum, filium Hillelis, & præceptorem Gamalielis, à quo S. Paulus inſtitutus eſt (l). Addunt, eumdem virum cùm quadam die explicationi illius oraculi: *Ecce virgo concipiet, & pariet &c.* ſtuderet, neque myſterium aſſequi poſſet, certiorem divinitùs factum fuiſſe, ante mortem impletum illud viſurum (m). Alii majora etiam ſuprà fidem produnt, nempe Simeonem hunc inter Septuaginta Interpretes ſub Ptolemæo Philadelpho Verſioni Legis ex Hebræo in Græcum vacaſſe (n); quem de oraculo Iſaiæ aliquamdiu ſubdubitantem Spiritum Sanctum eadem promiſſione confirmaſſe. Hæc verè Simeonis hiſtoriæ adſcititia ornamenta ingenium recentiorum Græcorum ſatis produnt.

Vetuſtiſſima Martyrologia Latina ejus Feſtum ad 5. Januarii conſignant; alii verò ad 2. ſive 4. Februarii; Uſuardus, & Ado ad 8. Octobris, quemadmodum & Martyrologium Romanum. In Menologio Caniſii cum Feſto Purificationis jungitur; in Veneto, & Ughelli ad alteram item translatum eſt. Ejus ſepulchrum in valle Joſaphat olim viſebatur; ipſius ſacra Conſtantinopoli Venetias translata feruntur A. 1220. V. Tillemont. Not. 6. ſur. J. C.

V. SIMEON, filius Judæ, & pater Levi, inter progenitores Jeſu Chriſti. *Luc.* 3. 30.

VI. SIMEON, conſobrinus Jeſu Chriſti, Epiſcopus Jeroſolymæ, filius Cleophæ, & Mariæ ſororis SS. Virginis; idem fortè, ac quem S. Marcus *Simonem* appellat. *Marc.* 6. 3. Inter primores Jeſu Chriſti diſcipulos

(a) Gen. 34. 25. A. M. 2265. ante Ch. 1735. ante Ær. 1739.
(b) Gen. 37. 19. A. M. 2276. ante Ch. 1724. ante Ær. 1728.
(c) Gen. 42. 25. A. M. 2297. ante Ch. 1703. ante Ær. 1707.
(d) Gen. 49. 5. A. M. 2315. ante Ch. 1685. ante Ær. 1689.
(e) Tertull. contra Jud. c. 10. & contra Marc. l. 3. c. 18. Ambroſ. de benedict. Patriarch. c. 3.
(f) A. M. 2367. ante Ch. 1633. ante Ær. 1637.
(g) Celſ. Præfat. 10 diſput. Joan. & Papiſci: quæ nunc periit. Inter Opera Cypriani.
(h) Vide Barun. A. C. 1. §. 10.
(i) Method. Parar. Cyrill. Jeroſ. orat. de occurſu dom. Athan. de eſſentia comm. &c. Epiphan. de PP. V. T. Leon. Imperat. Orat. de Purific. Sophron. Jeroſol. Dionyſ. Carthuſ. Franc. Luc. Lyr. Tolet. Cajet. alii apud Allat. de Simeonibus, p. 3.
(k) Phot. Euthym. Theophylact. Janſen. Barrad. Tillem. Not. 6. ſur. J. C. s. s.
(l) Galatin. l. 5. c. 3. Vide Allat. loco cit.
(m) Nicephor. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 12.
(n) Cedren. in Synopſ. Georg. ſeu Gregor. Pard. Damaſc. Theſſal. apud Allat. loc. cit.

Digitized by Google

habendus (a), ejuſque ſequelæ citiùs ſe addixiſſe videtur. Cùm Jacobus minor neci à Judæis traderetur, Simeonem ejus fratrem liberiùs crimen arguiſſe S. Epiphanius *hær.78.c.14.* eſt author. Ejus verò morte viduata Ieroſolymæ ſede (b), de Apoſtolorum, Diſcipulorum, & Cognatorum Ieſu Chriſti judicio Simeon electus eſt. Furente autem Iudæorum in Romanos bello, recedentes Pellam in transjordanies Fideles S. Epiſcopus ſequutus creditur. Poſt urbis excidium, omnes ad priſtinas ſedes redierunt (c); ex quo factum, ut Eccleſia Chriſti nova gloria, conceſſiſque a Deo prodigiis, niteret. Cùm Imperator Trajanus viros familiæ Davidicæ inquirere inſtituiſſet, ille ad Atticum Præfectum Palæſtinæ deductus eſt (d). Tormentis per plures dies productis, non ſine omnium, & ipſius Attici admiratione, ſenex 120. annorum ætate grandævus par fuit. Tandem crucis ſupplicio abſumptus eſt An. Ær. 107. & 43. circiter Epiſcopatus. Vide Euſeb. in Chron. Ejus Feſtum à Latinis die 18. Februarii, à Græcis die 27. Aprilis celebratur. Succeſſorem habuit S. Juſtum (e).

SIMERON, quartus filius Iſſachar, 1. *Par.7.1.* alio nomine *Semron*. *Gen.46.13.*

SIMIA, Hebraicè *Koph*, quam ſanè vocem ſimiam deſignare Interpretes conveniunt. Salomonis claſſis dives inter cætera eboris, & *ſimiarum* rediit (f). Genus quoddam ſimiarum in Æthiopia, & ad mare rubrum occurrit, cui nomen *kephos*, ſive *keipos*, vel *kebos*; quod valdè affine eſt Hebræo *kuph*, ſive *koph*. Porrò *kepus* manus habebat, & pedes humanis ſimillimos, rictum leoni, corpus pantheræ magnitudine ad damam accedebat. Quam incolæ Babylonis Ægypti colebant ſimiam, hanc Strabo *kipon* appellat (g).

(Omnium, quotquot unquam, brutorum Simia ad hominis figuram accedit maximè. Sunt autem Simiarum plura genera; e. g. caudatæ, & cauda deſtitutæ, rictu quædam oblongo ceu canino, quædam rotundo capite, & naſu magiſſimo. Digitos manuum & pedum habent æquè longos. Plerumque rubris tectis ad virides accedentibus Simiæ veſtiuntur. Albas exhibet Indoſtan; aliæ rubium habent dorſum, pectus, ventrem; interiora autem femorum ac brachiorum alba, vel ſubatra. Ut ſe eripiant è diſcrimine, defendantque vitam, mille artibus valent Simiæ. Plerumque tenent ſuperiora arborum mira dexteritate deſultantes in ramos. Ad utrumque mandibulæ latus gerunt ſacculo, paratos quæcumque maximè conduxerit, excipiendo. Simiarum fœmellæ nonniſi unicum fovent catulum, quem levatum gerunt in humeris, ceu mater filium ſuum; cùm lactandus eſt, aſſumit mater catulum in ulnis, atque offert ori mammas, quomodo nutrices ſolent erga infantes.

Simiarum cultus non ita peculiaris fuit Ægyptiis, ut Indis etiam non adoptaretur. Deſcribit Maffejus *Hiſt. Indic. l.1.* magnifici operis Templum, ſacram Simiæ ædem, cui accedebat porticus ad excipiendas victimas Numini immolatas; porticum autem illam fulciebant 700. columnæ, quæ nihil concederent, ait ille, columnis Pantheon Romæ. Cùm Luſitani anno 1554. ſubegerunt Inſulam Ceylan, in ſummo vertice Pici Adam ſeu montis Adam, erectum ſtabat ſuperbum Templum, in quo nihil repertum eſt, niſi arcula quædam auro gemmiſque plena cum dente Simiæ. Principes ejus prodente illo, cui religioſum offerebant cultum, obtulerunt pretium 700000. aureorum (*ducatos*), quod ne acceptaretur obſtitit Epiſcopus, juſſitque abſumi igne dentem, & cineres projici in mare (h). Incolæ Goæ manus injicere violentas in Simiam, vel in anguem nunquam auderent, perſuaſi ſpiritus eſſe à Deo ereatos, ut homines affligerent meritamque de criminibus exigerent ultionem.)

I. SIMMAA, ſive *Semma*, filius Iſai, & frater Davidis (i), pater Jonathan, & Jonadab.

II. SIMMAA, filius Davidis, & Bethſabee. 1. *Par.3.5.*

I. SIMON, e genere Judæ, pater Ammonis, & Rinnæ &c. 1. *Par.* 4. 20.

II. SIMON I. cognomento *Juſtus*, ſummus Sacerdos Judæorum, filius & ſucceſſor Oniæ I. (k). Vacuum obitu ejuſdem Simonis Sacerdotium, cùm Oniâ II. ejus filius ætate impar eſſet, Eleazarus patruus ejuſdem pueri implevit; eique decedenti Manaſſes frater avi, Jaddi nempè, ſucceſſit; inde ad Oniam II. dignitas delata A.M.3771. Elogium, quo Jeſus filius Sirach *Eccl.* 50. 1. memoriam Simonis filii Oniæ proſequitur, quidam ad hunc Simonem Juſtum referendum cenſent; quamquam Simonem II. filium Oniæ II. faciliùs ſpectat. Nihil hic nobis de opinione illorum, qui Simonem Juſtum cum Simeone ſene, puero Jeſu in ulnis recepto celebri, confundunt.

(Mira jactant Hebræi de Judæo hoc Summo Sacerdote (l). Relatum eſt in Thalmude Jeroſolymitano ſub eo Pontifice hircum Azazel, ſeu emiſſarium vix actum in præceps, antequam medium ſui lapſus curſum attingeret, jam totum confractum diſſiluiſſe in fruſtula. Sed poſt obitum, inquiunt, viri illius inclyti, hircus proripuit ſe in deſertum voraruntque aberrantem Saraceni; quod in ſiniſtrum omen acceptum eſt. Addunt inſuper nunquam ſub eodem Pontifice non contigiſſe, ut in ſorte quæ die Expiationis ſolemnis decernebat uter è duobus hircis immolaretur Deo, uter verò in libertatem permitteretur *Levit.* 16. 7. 8. 9. *&c.* projiceretur que in deſerto; in ſorte, inquam, quæ manu dextera extrahebatur, non alia offerretur inſcriptio ac iſta: *Rogare Deum*; quæ verò ſors ſiniſtræ obveniebat, ferebat ſemper: *Pro Azazel*, ſeu pro hirco emiſſario; variavit id ſtatim poſt ejus mortem, ut ſummi Sacerdotis dexteræ manui interdum obveniret: *Pro Azazel*; id pariter in malum præſagium ceſſit.

Vitta pariter coccinea (m), quæ capiti hirci Azazel in præceps agendi alligabatur, nunquam non album colorem retulit, quocumque tempore Simeon Juſtus egit Pontificem; eo autem indicio intelligere datum eſt, remitti à Deo crimina populi ad preces ſummi Sacerdotis, juxta illud Iſaiæ 1. 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*. Variavit id pariter fatis functo Simeone, interdum enim rubrum offerebat vitta, interdum album. Quoadusque vitam ille prorogavit, lucerna occidentalior candelabri aurei nunquam non arſit; cùm poſt ejus obitum extingueretur non ſemel. Ita pariter ſuperſtite illo clara micabat Altaris flamma, & poſtquam mane ſingulorum dierum duo commoda ligna igni illi fuiſſent impoſita, nihil ultra tota die addebatur; eo ſublato, elangueſcebat ignis, cui alendo juge pabulum ſufficiendum erat.

Donec advixit, Dei benedictio multiplicabat duos panes primitiarum, oblationem dies Pentecoſtes *Levit.* 23. 1. 5. 21. & duodecim panes propoſitionis ſuper menſam auream in Sancto poſitos, ut ibi detinerentur tota hebdomada aduſque ſuccedentem proximè ſabbatum, cùm recentes alii ſubſtituebantur *Levit.* 24. 5. 9 panes, inquam, iſtos adeo provexit Deus, Pontificem agente Simeone Juſto, ut cùm loco eulogiarum diſtribueretur inter Sacerdotes Templo miniſtrantes, non minor portio ſingulis cederet, quàm ad olivæ magnitudinem; id autem ſingulis ſufficiebat ad alimentum, quin & nonnullis ſupereffluebat. Poſt ejus obitum inaruit

ea

(a) Euſeb. hiſtor. Eccl. l. 3. c. 32. (b) Euſ. hiſt. Eccl. l. 3. c. 11. A. Ær. 62.
(c) Epiphan. de menſur. c. 15. Euſeb. Demoſtr. l. 3. c. 5.
(d) Euſeb. l. 3. c. 32. hiſt. Eccl. (e) Vide Tillem. hiſt. Eccl. t. 2.
(f) 3. Reg. 10. 22. & 2. Par. 9. 21. Bochart. de anim. ſacr. p. 1. l. 2. c. 31.
(g) Strab. l. 17. Vide Bochart. de anim. ſacr. p. 1. l. 2. c. 23. (h) Linſchot. P. Sirard. (i) 2. Reg. 13. 3. & 21. 21. & 1. Par. 2. 13. (k) Antiq. l. 11. c. 2. ab An. 3702. ſive 3703. Obiit A. 3711. ante Ch. 289. ante Ær. 293.
(l) Vide Miſnah in Joma, & Maimon. in Jom. Hacipurim.
(m) Nihil tale quidem in Scriptura injungitur, ſed mox valuit pro Lege.

ea benedictio; quæ in ſingulos diſtribuebatur portio modica erat adeo, ut modeſtiſſimi gratias agerent, cæteri porrigerent adhuc manus. Hæc Hebræi.)

III. SIMON II. Summus Sacerdos Judæorum, filius Oniæ II. (a). Sub eo Sacerdote Ptolemæus Philopator Jeroſolymam veniens A. M. 37. adyta Templi, quò nonniſi ſummo Sacerdoti ingreſſus patet, penetrare tentavit; ſed obſiſtente Simone, cæteriſque Sacerdotibus, ſubito timore à Deo correptus, ab incepto abſtinuit (b). Hunc virum ſpectare elogium Ieſu filii Sirach in hæc verba conceptum autumamus. *Eccl.* 50. 1. *Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum. Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio & excelſi parietes Templi. In diebus ipſius emanaverunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. Qui curavit gentem ſuam, & liberavit eam à perditione. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus eſt gloriam in converſatione gentis. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in Templo Dei.*

Inde elogium proſequutus, Sacerdotem exhibet ſolemnibus dignitatis ornamentis glorioſum, & in corona Sacerdotum ſacrificium in gratiarum actionem offerentem. Hoc autem ſpectaſſe creditur ſacrificium coram Philopatore oblatum in gratiarum actionem pro victoria de Antiocho Magno prope Raphiam. Succeſſorem reliquit *Oniam III.*

IV. SIMON MACHABÆUS, cognomento *Thaſi*, filius Mattathiæ & frater Judæ, ac Jonathæ, Dux, Princeps, & ſummus Sacerdos Judæorum (c). Mattathias pater Machabæorum vita jam deceſſurus, de Simone ad filios ſuos locutus, ait (d): *Scio quòd vir conſilii eſt: ipſum audite ſemper; & ipſe erit vobis pater.* Virtutis in bello ſuæ ſpecimen exhibuit, tum in prælio Judæ Machabæi fratris ſui cùm Nicanore (e); tum in altero prælio in eumdem (f); tum etiam auxiliares copias in Galilæam ducens (g), ut incolas à moleſtiis Tyriorum, Sidoniorum, & Ptolemaidenſium defenderet. Exercitu enim tantummodò 3000. virorum pluribus ſecundis præliis hoſtes fregit, ultra 3000. illorum cæſa, ingentem ex victoria prædam retulit; tum Iſraelitas in Galilæa inventos in Judæam reducens, ad fratres ſuos victor regreſſus eſt. Neque in altero prælio unà cum Jonatha fratre ſuo in Apollonium commiſſo, imparem ſe, & avitæ virtuti, & fratri exhibuit (h); collatis enim cum illo ſignis, ambo certantes pluſquàm 8000. hoſtium cæſis, in fugam reliquos verterunt. Præfectura totius oræ Mediterranei à Tyro uſque ad fines Ægypti ab Antiocho Deo donatus eſt (i); deinde Bethſuram, 1. *Mach.* 10. 64. &c. & Joppem 1. *Mach.* 12. 33. cepit, ac in agro Sephala Adiadam *ibid. verſ.* 38. ædificavit. Hæc Simonis decora quo tempore Ionathas Reipublicæ, & Sacerdotio præerat. Capto jam à Tryphone per inſidias Ionatha (k), atque ſparſo de ejus nece rumore, Simon Jeroſolymam ſe conferens, populos ne animis deſponderent, pro concione confirmavit. Se dixit eodem, quo fratres & pater, animo pro Legis & Templi defenſione eſſe. Si fratres omnes certantes pro ſalute Iſraelis hoſtes interemerant, ſcirent, ſe eamdem cum illis

Tom. II.

conditionem non invitum ſubiturum. Hæc ubi dixerat verba ſummo plauſu populus excipiens, Principatum ultrò illi detulit. Ille ſtatim ad urbis defenſionem verſis curis mœnia reparavit; ſimulque venire Tryphonem cum valido exercitu intelligens, copias in illum duxit.

Interea Tryphon miſſis ad Simonem legatis ſignificavit, ſe quidem Jonatham in vinculis retinuiſſe, quod ob geſta Regis negotia, ejus ærario deberet. Mitteret ergo 100. argenti talenta, duoſque ejus filios obſides; & fratrem reciperet. Simon dolum quidem viri ſenſit; ſed invidiam Iſraelitarum ſibi metuens, ſi recuſaret, utrumque & pecuniam & pueros miſit. Verùm Tryphon omnibus receptis, & Jonatham retinens, provinciam excurrendam ſuſcepit, Simonis tamen exercitu latera hoſtium premente, ille conſilio fruſtratus, primò Jonatha, geminiſque filiis in Baſcaman occiſis, dein copias in Syriam reduxit. Fratris cadaver Simon in Modin ſumptuoſo prius funere curans, ſepulturæ tradidit, locumque pyramidibus, columnis, inſculptiſque triumphis ornavit.

Sublato jam à Tryphone Antiocho (l), invaſoque à proditore Regno, Simon Machabæus, partibus Demetrii Nicatoris contra eumdem Tryphonem favens, immunitatem ab illo Judææ precariò obtinuit. Adjecit inſuper Rex ſupremum in Provincia, & in urbes à ſe in eadem regione munitas, jus & poteſtatem. Hinc is annus 170. Regni Græcorum in publicos faſtos ita relatus eſt: Anno primo Simonis ſummi Sacerdotis, Ducis magni, & Principis Judæorum. Hinc Gazam cepit, Syroſque in arce Jeroſolymæ deditione receptos, expulit; cujus rei memoriam annuo Feſto inſtituto à poſteris celebrandam curavit. 1. *Mach.* 13. 43.

Conſtitutum autem exercitus ſui Ducem Ioannem Hircanum filium ſuum (m), in Gadara arce maximi ad eam regionem momenti conſtituit. Ipſe interea omnia, quam Judæis paraverat, pacis commoda comparaturus, nihil habuit antiquius, quàm ut gentis ſuæ gloriam propagaret. Capta Joppe, opportunum in illa portum pro Judæis conſtituit, & ditionem prorogavit (n). Suum ea ætate agellum quiſque colebat, fructus omnis generis ſata arva ferebant; Seniores in foribus aſſidentes, de Republica conſulebant; juniores pro libito, ſeu veſtibus magnificis, ſive bellicis ad pompam utebantur. Quiſque tandem ſub vite ſua, & ficu ſecurus aſſidens, nihil curabat, quàm ut eum virum, à quo omnis regionis ſecuritas, intueretur. Tandem Simonis nomen longè lateque per Orbem univerſum vulgatum eſt.

Ad innovandum cum Romanis (o) & Lacedæmonibus (p) miſſis Legatis fœdus curas vertens, glorioſo ab illis reſcripto donatus eſt. Tot autem accepta abeo, ejuſque familia beneficia Judæi publico aliquo gratiarum monumento repenſuri, jus illi, ejuſque familiæ Regni, & Pontificatus aſſertum decreto voluerunt (q). Injunctum etiam, ut publica acta ejus nomine obſignarentur, purpuræque illi & auri uſus permitteretur. Decretum illud in ærea tabula exaratum, in portico Templi ſuſpenſum eſt; ejus tamen exemplar in ærario Templi ad uſum Simonis, ejuſque filiorum repoſitum eſt.

L l 2 Inte-

(a) Aſſumptus A. M. 3785. obiit an. 3805. ante Chr. 195. ante Ær. 199.
(b) Vide 3. Mach. A. M. 3787. (c) Ab A. M. 3860. uſque 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135.
(d) 1. Mach. 2. 65. A. M. 3838. ante Chr. 162. ante Ær. 166.
(e) 2. Mach. 8. 22. 23. A. M. 3838. (f) 2. Mach. 14. 17. A. M. 3843.
(g) 1. Mach. 5. 17. 18. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.
(h) 1. Mach. 10. 74. &c. A. M. 3856. ante Chr. 144. ante Ær. 148.
(i) 1. Mach. 11. 59. A. M. 3861. ante Ch. 139. ante Ær. 143. (k) 1. Mach. 12. 48. &c. & 13. 2. &c. A. M. 3860. 3861. ante Ch. 140. 139. ante Ær. 144. 145. (l) 1. Mach. 13. 31. &c. A. M. 3861. ante Chr. 139. ante Ær. 143.
(m) 1. Mach. 13. 54. A. M. 3862. ante Chr. 138. ante Ær. 142.
(n) 1. Mach. 14. 4. &c. A. M. 3863. ante Chr. 137. ante Ær. 141.
(o) 2. Mach. 15. 51. &c. A. M. 3865. ante Chr. 135. ante Ær. 139.
(p) 1. Mach. 14. 38. &c. circa A. M. 3864. ſeu 3865. (q) 1. Machab. 14. 24. &c. Textus Latinus habet *populus Romanus*; Græcus tamen & Syriacus leguntur tantummodò *populus*, quod ex contextu ſermonis de Judæis intelligendum conſtat. Hæc A. M. 3863. ante Chr. 137. ante Ær. 141. contigerunt.

Interim Antiochus Sidetes Rex Syriæ, filius Demetrii Soteris, & frater Demetrii Nicatoris, ſciens fratrem captivum apud Parthos detineri, datis ad Simonem Rhodo literis, in partes ſuas illum adducere conatus eſt, 1. *Mach.* 15. 1. conceſſa à fratre privilegia omnia confirmans, ſimulque jus addens æris ſeſſundæ (a), & ſi quæ Regio ærario debuiſſet, omnia ſpontè remittens; liberam tandem, & ſanctam Jeroſolymam declarans. Simon eas amicitiæ conditiones ſibi non negligendas ratus, auxiliares ſtatim copias, adjecta pecunia, miſit, ut in obſidione Doræ ad meridiem Montis Carmeli, in qua Tryphon tenebatur, Regi ſuppetias ferret. Verùm Antiochus mutato conſilio, neque miſſa à viro auxilia recipere, neque ea, quæ antea obtulerat, omnia rata habere ſuſtinuit. Miſſo quin etiam Athenobio, quas retinebat urbes reſtituere, ſive mille talentorum pretium ſolvere juſſit, bellum alioqui, & inimicitiam denuncians. Simon nihil ad hæc territus, reſpondit, nihil ſe injuria eripuiſſe, ſed tantùm jure poſtliminii avitæ hæreditatis poſſeſſionem recepiſſe. Centum tantummodò talenta pro urbibus Joppe, & Gazara obtulit, quas ille, utpotè regioni infeſtiſſimas, occupandas cenſuerat.

His minimè acquieſcens Antiochus, Cendebæum unà cum exercitu in oram mediterranei mittens, regionem vaſtari juſſit (b). Joannes Hircanus, filius Simonis, in Gazara, ſive Gadara conſtitutus, ſtatim veniſſe hoſtes ad patrem retulit; qui re comperta, ipſum, & Judam alterum filium cum exercitu 20000. ſelectiſſimorum obviam Cendebæo miſit. Ambo igitur Duces cum hoſtibus congreſſi, prælium commiſerunt, eo eventu, de quo nos v. *Joannes Hircanus*. Triennio poſt (c), Simon Judææ urbes luſtrans, cùm ad arcem *Doch*, ſive *Dagon* perveniſſet, à Ptolemæo filio Abobi genero ſuo, ibidem verſante, magnificè exceptus eſt. Verùm inter medias dapes, Simon à ſicariis invaſus, unà cum filiis Mattathia, & Juda oppreſſus eſt. Ea quidem proditione Jeroſolyma potiri Ptolemæus ſperabat; ſed viri conſilia Joannes Hircanus, ſtatim Jeroſolymam contendens, prævertit. Quare Imperium, & Sacerdotium ad illum delatum eſt. Quid deinde proditori Ptolemæo contigerit, vide ejuſdem articulum.

V. SIMON, e Tribu Benjamin, qui præpoſituram Templi obtinens (d), iniquum aliquid in urbe molitus, Onia III. reluctante, per eumdem denique conſilio fruſtratus eſt. Quare Apollonium filium Tharſeæ, Præfectum Cœle-Syriæ conveniens, ingentes in Templo theſauros reconditos prodidit, quos in Regium ærarium referri facilè poſſe dicebat. Rex nihil moratus, Heliodorum Jeroſolymam miſit, qui Divina ultione correptus, vacuus poſtea regreſſus eſt. Vide *Heliodorus*. Simon alterum ex altero conſilium meditans (e), proditi ſacri theſauri ad Regem invidia Oniam ſummum Sacerdotem oneravit; calumniam ſecundantibus amicis Oniæ, adſtruente Simone factum eſt, ut inter utriuſque partis fautores oborto diſſidio, Simon, cui Apollonius Phœniciæ Præfectus favebat, neque à cædibus abſtineret. Coactus igitur Onias, Antiochiam apud Seleucum cauſam ſuam defenſurus ſe contulit; Simonem enim in ordinem redigi, nonniſi Regia authoritate poſſe intelligebat.

Inter hæc, Seleucus obiit (f); delatoque ad Antiochum Epiphanem Regno, Jaſon frater Oniæ cum illo ſacerdotalem dignitatem pretio pactus eſt. Ex condicto igitur aliquot poſt annis ſtatam pecuniæ ſummam ad Regem per Menelaum fratrem Simonis miſerat, cùm Menelaus ea arrepta occaſione, dignitate ſibi coempta, fratrem à Sacerdotio cupulit (g). Ex his quidem meritò ſuſpicaremur, an verè Simon, & Menelaus ad Tribum Benjamin, alienam à jure Sacerdotii, pertinerent; cùm viris ejuſdem Tribus neque Sacerdotium neque Templi Præfectura demandari potuiſſet. Sed facilè Sacerdotale ſibi genus, quamquàm injuria, arrogabant; vel fortè Textus mendosè legit *Benjamin*. De Simone nihil ultra in Scriptura.

VI. SIMON, filius Boethi, ſummus Sacerdos Judæorum Alexandria oriundus, & ab Herode Magno ad eam dignitatem aſſumptus, ut eam ducendæ ſibi Mariamnes ejus filiæ occaſionem prætenderet (h). Accuſatus deinde initæ cum Pherora & Antipatro in Herodem conſpirationis, à Sacerdotio amotus, Matthiæ filio Theophili locum cedere coactus eſt (i).

VII. SIMON, filius Camithi, ſummus Sacerdos Judæorum ab an. M. 4028. ad 4029. poſt Eleazarum filium Anani, Poſt annum ab inita dignitate, à Grato Præſide Judææ exauthoratus, Joſephum Caipham ſucceſſorem reliquit (k).

VIII. SIMON, cognomento *Canthara*, filius Simonis Boethi, ſummus Sacerdos Judæorum, poſt Theophilum filium Jonathæ (l), & ante Matthiam filium Anani A. M. 4045. *Ær.* 42. Iterùm verò dignitati reſtitus eſt ab Herode Rege Chalcidis poſt Elionæum, & ante Joſephum filium Canæi (m).

IX. SIMON Galilæus, qui Judæum hominem Romanorum vectigalem eſſe, eoſdemque dominos agnoſcere nefas eſſe dictitabat (n). In textu Latino Simon, ſed in Græco genuinè Judas appellatur (o). Sed Judæ filius erat nomine Simon, crucis ſupplicio ſub Claudio abſumptus (p).

X. SIMON *Cyrenæus*. Cùm Jeſus in Calvarium ad ſupplicium deduceretur, atque ſub crucis pondere fatiſceret, occurrentem fortè Simonem, Cyrene in Libya oriundum, & patrem Alexandri, & Rufi, coegerunt, ut oneri ſuccedens, totum pondus, vel ſaltem partem illius deferret. *Matth.* 27. 32. *Marc.* 15. 21. Utrùm Judæus eſſet, an Ethnicus, ambigitur. Ethnicum plures ex Patribus autumarunt, quippè qui Ethnicos portenderet in Evangelii, & Crucis Dominicæ ſocietatem advocandos (q). Alii Judæum credunt (r). In textu Latino S. Marci è villa ad Jeruſalem veniſſe legimus, nec ſanè rari erant Cyrene in Libia, unde ipſe originem trahebat, Judæi. Quidam confundendum cenſent cum *Simone nigro*, de quo in Actis, & proinde Judæum (ſ). Eccleſiam Boſtriorum in Arabia rexiſſe, eamque ſanguine ſuo, tolerato ignis martyrio, illuſtraſſe quidam aſſeruerunt. De *Alexandro* & *Rufo* diximus in ſuis articulis.

XI. SIMON *Chananæus*, ſive *Zelotes*, Apoſtolus Jeſu Chriſti. Utrùm viri cognomen *Chananæus*, ex urbe *Cana* in Galilæa, an *Chananæus* legendum ſit (t); ſive tandem ex verbo *Kana*, nempe zelotem eſſe, derivandum ſit, ambigitur. Sanè quem alii Evangeliſtæ Cananæum, S. Lucas zelotem, fortè eodem ſenſu, appellat. *Luc.* 6. 15 *Act.* 1. 13. Quidam tamen ex Pa-

(a) Extant adhuc nummi Simonis Machabæi argentei, ſicli vel ſemiſicli valore, hac adjecta inſcriptione. 1. 2. 3. ſive 4. an. liberationis Sion, ſive Jeruſalem. (b) 1. Mach. 15. 38. &c. & 16. 1. &c. A. M. 3866. ante Chr. 134. ante Ær. 138.
(c) 1. Mach. 16. 11. &c. A. M. 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135.
(d) 2. Mach. 3. 4. &c. A. M. 3828. ante Chr. 172. ante Ær. 176. (e) 2. Mach. 4. 1. &c. Anno eodem.
(f) 2. Mach. 4. 7. &c. A. M. 3829. ante Ch. 171. ante Ær. 175. (g) 2. Mach. 4. 23. &c. A. M. 3832. ante Ch. 168. ante Ær. 172.
(h) Antiq. l. 15. c. 12. A. M. 3981. exauthoratus an. 3999. anno ante Ch. 1. ante Ær. 4. (i) Antiq. l. 17. c 6.
(k) Antiq. l. 18. c. 3. (l) Antiq. l. 19. c. 5 & l. 6. A. 4045. (m) Antiq. l. 20. c. 1.
(n) De Bello l. 2. c. 12. (o) Confer. Antiq. l. 18. c. 1. &c. (p) Antiq. l. 20. c. 3.
(q) Ambr. in Luc. 10. Hilar. in Matth. 27. Leo Magn. ſerm. 8. de Paſſ. Beda Druthmar. &c.
(r) Maldon. Grot. Brug. Janſen.
(ſ) Vide Cornel. à Lapide in Matth. 27.
(t) Chananæi nomen ita ſcribitur: Chenani.

Digitized by Google

Patribus (a) è Cana in Tribu Zabulonis, ſive Nephtali originem traxiſſe teſtantur. De nomine etiam zelotæ ambigitur; quidam enim ex ſtudio in Chriſtum; quidam ex ſecta Zelotarum (b) nomen derivant (c).

Geſta illius omnia, uti & prædicationis atque obitus locus, ignorantur. Peragraſſe Ægyptum, Cyrenaicam, & Africam Nicephorus, & recentiores Græci teſtantur; addentes inſuper, annunciatam ejus opera fidem, non ſine prodigiorum apparatu, in Mauritania, Libya, & Inſulis Britannicis. Tandem tot laborum coronam, fortiter tolerato crucis martyrio, retuliſſe. Alii (d) martyrium conſummaſſe in *Sunir* urbe Perſidis teſtantur. Paria legimus in Martyrologio veteri Florentini ad 28. Octobris, quam diem Ecclefia Latina feſtam illi dedicavit. Martyrium illius ibidem conſignatur ad 1. Julii; hac enim die in S. Virum, ficuti & S. Judam, cujus ſimul memoria celebratur, excita à Sacerdotibus Idolorum perſecutione, ambo oppreſſi ſunt. Simonem Cananæum, quem cum Nathanaele, & cum Sponſo in nuptiis Canæ confundunt, addicun 10. Junii Græci colunt. Vide Menæa Jun p. 93.

XII. SIMON, *Frater Domini*, *Matt.* 13. 55. *Marc.* 6. 3. conſobrinus nempe ipſius, filius Mariæ ſororis B. V. quem nos confundendum credimus cum Simeone Epiſcopo Jeroſolymæ, & filio Cleophæ, de quo nos v. *Simeon*.

XIII. SIMON *Phariſæus*, apud quem Jeſus poſt revocatum ad vitam filium viduæ Naim cœnaturus divertit, *Luc.* 7. 36 &c. an. *Ær.* 31. Cùm igitur menſæ aſſiderent, fœmina quædam criminibus in urbe notiſſima, in locum ingreſſa, odori unguenti vas ſuper pedes Jeſu effudit, atque lachrymis rigatos, coma capitis, nulla data oſculis requie, deterg ebat. Simon hæc intuitus, tacitus apud ſe reputabat, virum Prophetam nunquam permiſſurum fuiſſe, ut ab ea fœmina tangeretur. Verum Jeſus, cui latentes Phariſæi cogitationes exploratæ erant, quæſivit ab illo, quid ferret in hanc rem ſententiæ? Geminis, inquit, ſibi obæratis viris fœnerator quidam debitum remiſit; alteri nempe 500. alteri 50. denariorum ſummam. Uter munificum fœneratorem magis amabit? Planè, reſpondit Simon, qui majori ære gravatus, majori ab illo beneficio affectus eſt. Viri ſententiam laudans Jeſus, fœminam indicans, Hæc, ait, ſuæ in me dilectionis argumenta majora, quàm tu, exhibuit; ſcito proinde, me plura illi crimina condonaſſe, quippe quæ multum amet: cui verò, ait, minora remittuntur, minùs amat. Hæc Jeſu Chriſti verba aliam etiam explicationem admittunt, nimirùm plura illi peccata remiſſa ſunt, ideò multum amat; cui verò minora, minori etiam amore acceptum beneficium rependit. Planè vox *quia*, interdum tantumdem valet ac *quare*. Eò autem Jeſus Chriſtus ſpectabat, ut Simeonis ejuſque ſimilium tenue in ſe ſtudium carperet.

XIV. SIMON *Leproſus*, qui Bethaniæ non longè à Jeruſalem morabatur (e), apud quem Jeſus Chriſtus aliquibus ante paſſionem diebus convivio exceptus eſt. Aderat inter convivas Lazarus, paulò antea è mortuis à Salvatore revocatus; Martha accumbentibus miniſtrabat; & Maria, altera ejuſdem Lazari ſoror obſequii ſui in Chriſtum argumento, pedes ipſius unguento inunxit. Convivium illud aliud profectò eſt ab altero duobus antea annis in domo Simonis Phariſæi celebrato; quemadmodum & Maria ſoror Lazari altera eſt à fœmina criminibus in Naim celeberrima.

XV. Simon, *filius Joannis*, ſive *Jonæ*, cognomento *Cepha*, ſivè *Petrus*. Vide *S. Petrus*.

XVI. SIMON, *pater Judæ Iſcariothæ*, *Jo.* 6. 72. nonniſi filii ſcelere notus.

XVII. SIMON *Niger*, inter Prophetas & Doctores, Eccleſiam Antiochenam illuſtrantes, *Act.* 13. 1. circa A. Ær. Ss. Paulo & Barnabæ, in miniſterium à S. Spiritu deſtinatis, inter cæteros manum impoſuit. Sunt, qui ſola nominis ſimilitudine ducti, cum Simone Cyrenæo confundendum cenſeant; ſed ne iſta quidem conjectura valet, cum Cyrenæum *Simonis* nomine, Nigrum verò *Simeonis* S. Lucas ubique diſtinguat. Nigrum quemdam inter 70. Diſcipulos S. Epiphanius *Hæreſ.* 20. *c.* 4. recenſet. Nihil de Simeone Nigro in Officiis, & Martyrologiis Eccleſiaſticis.

XVIII. SIMON *coriarius*, cujus in Joppe hoſpitio S. Petrus pluribus diebus uſus eſt an. ær. 35. *Act.* 9. 43. Ibidem autem verſans Apoſtolus, à viris per Cornelium Centurionem miſſis, Cæſaream accitus venit, *Act.* 10. 6. &c. De Simone Coriario nihil ultrà in S. Scriptura.

XIX. SIMON *Magus*, è Gitton in Samaritide juxta nonnullos (f). Cum S. Philippus Diaconus Evangelium uberi ſanè fructu Samaritanis annunciaret, Simon etiam una cum cæteris Baptiſmo ſe initiandum præbuit A. Ær. 34. *Act.* 8. 5. 13. Interim Ss. Petrus, & Joannes Apoſtoli eò ſupervenientes, Baptiſmo jam initiatis manuum impoſitione Sanctum Spiritum conferebant. Simon, qui viſis antea Philippi ſignis obſtupuerat, ea prodigiorum acceſſione, in tantam venit admirationem, ut oblata Apoſtolis pecunia, virtutem ſibi Spiritus conferendi emere tentaverit. Offenſus viri impietate Petrus, rejecta pecunia, Tecum illa, ait, abeat in perditionem; tu enim donum Dei pecunia tentans, nullam in hoc privilegio partem habebis. Moneo autem, ut quantociùs rogata à Deo venia, ſi fieri unquam poteſt, immaniſſimum crimen eluas. Simon territus ad hæc, Apoſtolum rogavit, ut precum ſuarum interpoſitione Dei ultionem averteret.

Antequam ille fidei manus dediſſet, ait S. Lucas *Act.* 8. 9. &c. præſtigiis ſuis atque incantationibus adeò populos dementaverat, ut Numinis in illo aliquid ineſſe rati, latè omnes tamquam Dei Virtutem prædicarent, & colerent. Poſtea verò quam ab Apoſtolo Petro, tentata oblatis nummis conferendi Spiritus Sancti poteſtate, repulſam paſſus eſt, vetera crimina immanioribus augens, quà priſtinis artibus, qua novis ingeſtis erroribus, Apoſtolicæ prædicationi infeſtiſſimum ſe adverſarium exhibuit (g). Deſerta igitur Samaria (h), ſi quam Provinciam Evangelii Præcones non adhuc excuſſiſſent, eò ſe conferens, prædicationibus ſuis imprudentes populos præoccupavit. Cùm Tyrum Phœniciæ veniſſet (i), proſtitutam fœminam nomine Selenem, ſive Helenem ſibi adſciſcens, omnium itinerum ſuorum ſimul & criminum pudendiſſimorum comitem adhibuit. Hanc ille Helenam ipſiſſimam jactitabat, ex qua Trojanum olim bellum excitatum eſt. His igitur ſparſis erroribus per varias Orientis Provincias, præſtigiiſque ſuis pluribus dementatis, tandem Romam Claudio imperante ſe contulit. Ibi verò tantùm valuiſſe ferunt (k), ut juſſu Senatus ejus honori ſtatua in Inſula Tyberina erigeretur, hac adjecta epigraphe: *Simoni Deo Sancto* (l); ſive *Simoni Sancto & Deo*. Plures tamen periti ſſimi Critici hujus hiſtoriæ veritatem in dubium revocantes,

(a) Theodoret. in Pſal. 67. 18. Hieron. in Matth. 10.
(b) Joſeph. de Bello l. 4. c. 2. & lib. 6. c. 2.
(c) Hammond. in Matth. 10. Grot. Ligtfoot. Scalig.
(d) Fortunat. Pictav. Carm. l. 8. c. 4. Beda Retract. in Acta. c. 1. verſ. 13. Abdias l. 6.
(e) Matth. 26. 6. Marc. 14. 8. Joan. 11. 1. 2. & 12. 3. &c. A. Ær. 33. ante mortem Ch. 5. vel 6. dies.
(f) Epiph. hæreſ. 21. Juſtin. Apol. 2.
(g) Iren. l. 1. c. 20.
(h) Theodoret. hæret. fabul. l. 1. c. 1.
(i) Theodoret. ibid. Juſt. Apolog. 2. Iren. l. 1. c. 20. Tertull. de anim. c. 34.
(k) Juſtin. Tertull. Euſeb. Cyrill. Auguſt. Thodoret.
(l) Ita Juſtin. Tertull. Cyrill.

ſtatuam quamdam *Semonis Sanci* Pagani Numinis, fucum S. Juſtino feciſſe ſuſpicantur. Hujus conjecturæ in cauſa fuit inventa in Inſula Tyberina ſtatua non diſſimilis epigraphes: *Semoni Sanco Deo Fidio Sacrum Sext. Pompejus Sp. F. Mutianus.... donum dedit*. Quæſtionem iſtam diſcutere in præſentiarum non vacat (a).

Conſtructum ab impio viro ædificium S. Petrus Romam veniens (b) evertit; nec tamen Simon urbem ſibi propterea delerendam cenſuit, in qua facilè errores apud frequentiſſimum populum obtinerent. Nerone autem regnante, ſopitam jam ſui nominis famam, novis præſtigiis iterum excitavit. Quare Chriſtum ſe eſſe palam commentus (c), ad Deum, quem Patrem ſuum jactitabat, in Cœlum aſcenſurum edixit. Cùm igitur in ſublimem jam aerem, occulto Dæmonum miniſterio delatus, volitaret, Ss. Petrus, & Paulus orationum ſuarum vi malis ſpiritibus depulſis, effecere, ut vir impius pondere ſuo in terram proturbatus, cruribus confringeretur. Delatus inde Brundam, dolore ſimul & mœroris deſperatione e ſublimi conclavi præcipitem ſeſe dejiciens, ſibi necem intulerit. Spectaculum illud coram Nerone contigiſſe ferunt; eoque Dionem Chryſoſtomum Orat. 21. ſpectaſſe dicunt, cùm de Nerone narrat, diutiùs illum in aula virum habuiſſe, qui volitaturum ſe per aera pollicitus eſt: ſicut & Svetonium *l. 6. c.* 12. referentem, virum quemdam in ludis publicis per aera volitare conatum, ſub ipſum incepti ſpectaculi initium, in terram præcipitem decidiſſe eo impetu, ut ſanguis ad Imperatorem uſque reſiliret (d).

Simonis errores præter eos, de quibus in Actis, nempè Virtutem ſe Dei jactitaſſe, *Act.* 8. 10. ſimulque emendam ſibi doni Dei conferendi poteſtatem crediđiſſe; hos potiſſimùm Ss. Patres recenſent. Spargebat in vulgus, magnam ſe Virtutem Dei eſſe, qui Patris munere ad Samaritanos, Filii ad Judeos, Spiritus S. ad reliquos deſcendiſſet; quocumque tamen nomine ab hominibus appellaretur, nullam ſe ea de re habere rationem dicebat (e). Ex quodam Libro hujus Impoſtoris blaſphemias haſce deſcribit S. Hieronymus *in Matth.* 24. *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.*

Æones tamquam totidem Spiritus Numen conſtituentes primus invexit (f). Helenam ſuam primam intelligentiam, omniumque matrem appellabat (g); nec rarò etiam Spiritus S., Prunici, & Minervæ nomine decorabat. Per hanc vero Intelligentiam cogitaſſe ſe quidem primò Angelos producere; ſed illa Patris voluntatem præveniens, inferiùs deſcendens Angelos, cæteraſque ſpiritales Poteſtates effudit, quibus nullam de Patre cognitionem indidit. Ex Angelis verò, & Poteſtatibus alii ſimul Angeli, & homines emerſerunt. Helena dein in fœminarum corpora migrans, aliam tandem Helenam conſtituit, Trojæ excidium; è qua poſtea in Helenam Tyriam, quam Simon ipſe ſecum ducebat, deſcendit.

Jeſum Chriſtum non quidem tamquam Dei Filium, ſed tamquam adverſarium ſuum, quippe qui Chriſtus eſſet, habebat. Nulla apud illum ſalus, atque carnis reſurrectio, ſed animæ tantùm ad vitam revocatio ſperanda. Proba omnino opera negligenda; cùm omnem bonorum, malorumque operum diviſionem ad ſubjiciendos ſibi homines Angeli invexerint. Veniſſe ſe ad legem Moſaicam, quam ipſe prorſus rejiciebat, abrogandam. Vetus Teſtamentum Angelis ſcriptoribus tribuebat, quibus cæteroqui infenſiſſimus, cultum tamen impendendum ſuſtinuit; cùm nullam ſupereſſe ſalutis ſpem diceret, niſi impiis ſacrificiis Summo Patri per Principatus in ſingulis cœlis conſtitutos litaretur. Quare ſacra offerenda non quidem ad eorum opem implorandam, ſed ne quid illi infeſti in homines tentarent. Ex Simone Hæretici Simoniani, de quibus infra, prodierunt. Vide & Tillem. Hiſt. Eccl. t. 2. art. 5.

XX. SIMON, Herodis mancipium, qui nonniſi procero ſcitoque corporis habitu inſignis, poſt obitum tamen Herodis Regis coronam uſurpavit. (h) Primum ejus facinus igne combuſtum Regium Jerichunthis Palatium, cæteraque & nonnulla ejus urbis ædificia, conceſſa prius fautoribus ſuis præda. Verùm Gratus provinciæ Præfectus, motis in illum armis, non prælio tantùm vicit, ſed fugientem aſſequutus, occidit An. 3. ante Ær.

XXI. SIMON, *filius Gioræ*, qui perduellium manu Acrabatenam Idumææ regionem excurrens, omnia cædibus, & direptionibus implevit (i). Verum miſſas ab Anano copias intelligens, in arcem Maſſadam ſeſe recipiens, inde Idumæam excurrebat. Ad ipſam uſque Jeroſolymam procurrens, atque immania feritatis in reſiſtentes exhibens argumenta, adeo omnes terruit, ut Zelotæ ſiniſtri aliquid metuentes, copiis in illum ductis, in ordinem reducere, ſed fruſtra, tentarunt. Aliquando poſt, (k) populus in ultimam deſperationem à Zelatoribus adductus, Simonem illum in urbem præſidio contra illos futurum accivit. Ingreſſus igitur acclamantibus omnibus in urbem Simon, nihil habuit antiquius, quam ut Joannem Giſcalæ, & Zelotas in Templo aggrederetur. Recepto tamen plus quàm illato hoſtibus incommodo, recedens, vim omnem in cives vertit, quibus tyrannum ſe non dominum exhibuit. Matthiam etiam, potiſſimum illius in urbe advocandi authorem, occidendum curavit. *De Bello l. 5. c.* 33.

Supervacaneum eſſet ſingula ejus ſcelera uſque ad tempus captæ à Romanis Urbis recenſere. Cum enim ejus viri nomen in Libris ſacris non occurrat, non eſt, cur, quemadmodum de aliis in Scriptura notis, ejus hiſtoriam deſcribamus. Cùm verò Romani urbem ſubjiſſent & Templum, ille in cloacas quaſdam, annonis comparatis, ſeceſſit. Ibi nonnullis menſibus latuit, donec fame adigente, è latebris emergens, candido habitu atque pallio purpureo inter rudera Templi ſpectandum ſe præbuit, ſperans ſe prodigii novitate attonitos Romanos eluſurum. Neque primo intuitu conſilio ſuo fruſtratus eſt; cum enim ejus aſpectu ſubitò obſtupeſcerent Romani, primò quis eſſet interrogarunt. Nomen ille ſuum prodere recuſans, acciri ducem, Terentium nempe Rufum (jam enim Titus ab urbe exceſſerat) præcepit. Veniens igitur Terentius virum agnitum vinculis oneratum Cæſaream ad Titum miſit. Romam deinde ab illo in triumphum deductus, publico tandem ſupplicio occiſus eſt.

SIMONIANI, Hæretici, Simonis Magi ſectatores, qui ducis ſui errores omnes aſſerentes, nihil in vita inſtituenda ad ſcelera ſibi reliquum faciebant; adeò ut, ait Euſebius *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 13. eorum ſcelera ne verbis quidem quis aſſequi potuiſſet; & ipſi de ſe in ſuis libris proderent, ea eſſe fidei ſuæ myſteria, ut primo intuitu ſtuporem ſimul & horrorem ingererent. Præter impudentiſſimæ namque vitæ crimina, omnibus etiam magiæ ſacramentis initiabantur; atque externo corporis habitu Chriſtianam Religionem profitentes, cultum tamen Simoni, & Helenæ ſub Jovis, & Martis ſimulacro victimis, & libationibus impendebant. Nullum etiam apud illos crimen, ſi quis Idolorum Religioni ſeſe addixiſſet; quare ſi quando perſequutionibus, & tormentis ad offerenda Idolis thura adigebantur, ultrò Ethnicorum voluntati obſequebantur.

Cùm Ss. Joannes, Petrus, & Paulus in ſuis Epiſtolis Hæreticos, & falſos Apoſtolos inſectantur, viros nempe prophanis verborum novitatibus ſanam doctrinam corrumpentes, Divina ſe unos noſcere jactitantes, Crucis Jeſu Chriſti hoſtes; viros inſuper obſequiis ventris ſui tanquam Numinis addictos; quod probri loco habendum eſſet, illud glorio-

(a) Vide Baron. a. 44. §. 55. Salmaſ. not. in Spartian. Halloix, Vita S. Juſtin. Du Pin, Tillem. Not. 1. in Sim. Mag. t. 2.
(b) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 14. Hieron. de vir. Illuſtr. c. 1. Theodoret. hæret. fabul. l. 1. c. 1.
(c) Arnob. l. 2. Maxim. Tyrius hom. 54. Ambr. Hexaem. l. 4. Cyrill. Cathech. 6. &c. (d) Obiit Simon, facilè A. Ær. 65.
(e) Iren. l. 1. c. 20. (f) Vide Nazianz. orat. 23. 44. Euſeb. in Marcion. l. 4. c. 9. (g) Vide Iren. l. 1. c. 20. Epiphan. hæreſ. 21. Aug. hæreſ. l. 1. (h) Antiq. l. 17. c. 12. (i) De Bello l. 2. c. 44. A. Ch. ſive Ær. 66. ſive 67 (k) De Bello l. 4. c. 34. A. Ær. 69.

Digitized by Google

rioſum reputantes; cùm, inquam, in eos viros Apoſtoli invehuntur, nonniſi diſcipulos Simonis, Cerinthi, atque ſimilium præ oculis habuiſſe creduntur. Eos ſanè viros ita pluries depingit Apoſtolus, ut & moribus, & doctrina corruptiſſimos exhibeat (a).

Uſque ad quartum ſæculum Simoniani durarunt; in quorum ſectam circa annum 150. quo S. Juſtinus florebat, Samaritani ferè omnes, & nonnullæ diverſarum regionum gentes tranſierant, Simonem ſummum Deum habentes, eodem S. Juſtino teſte *Apol.* 2. Eumdem ſibi Deum, nec non vivendi normam elegiſſe ſibi reliquos Simonis ſectatores S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 2. eſt author. Quin & nomen ab illo vulgo obtinuiſſe tradit S. Irenæus *l.* 1. *cap.* 20. ſicuti & Helenianos ab Helena dictos, Origenes *in Celſ. l.* 5. memorat. Narrat etiam idem Scriptor, eam ſectam ad 30. tantummodò homines redactam fuiſſe (b); quin & penitus defeciſſe in eodem Opere *l.* 5. perhibet; & ex aliorum relatione ſcimus, ſub ipſum etiam quintum ſæculum adhuc Simonianorum nomen audiri. Ab illis, dum baptiſmum conferebant, ignis ſpeciem ſuper aquam deductam teſtatur author quidam de baptiſmo, contra S. Cyprianum ſcribens circa an. 256. De Simonianis etiam eſſe inter Catholicos ſubrepentibus, atque in eorum Eccleſiis baptiſmo initiatis, pernicioſum hæreſis ſuæ virus deinde inter Fideles ſpargentibus, agit Euſebius. Verùm proditi tandem ſub initium quarti ſæculi ab Eccleſia extorres facti ſunt. *Euſeb. hiſt. Eccl. l.* 2. *cap.* 1.

SIMONIA. Cum res aliqua temporalis pro Spirituali, vel cum Spirituali annexa rependitur, in eo Simoniæ crimen verſatur. Ejus quidem mercimonii doctrinam Simonem aſſeruiſſe nunquam legimus; ſed peſſimum ea de re viri exemplum, qui donum Spiritus Sancti pecunia ſibi emere ab Apoſtolis tentavit, nomen non crimini tantùm, ſed cæteris ejus in ea re ſectatoribus indidit.

SIMONIAS, cujus nominis vicus in finibus Galilææ apud Joſephum *in Vita ſua*, occurrit. Idem facilè locus, ac *Semeron* in Tribu Zabulonis, *Joſue* 19. 15. in quibuſdam Septuaginta Exemplaribus *Symoon*; quæ duo nomina idem denotare Talmudiſtæ contendunt (c). Porrò Simonias inter Tiberiadem, & Ptolemaidem 60. circiter ſtadiis à Gaba ad radicem Carmeli ſita erat.

SIMPLEX, quod nomen in deteriorem quandoque partem ſumitur. Hinc Paulus ad Romanos 16. 19. *Volo vos*, ait, *ſapientes eſſe in bono*, *& ſimplices in malo*, nempè in diſcernenda bona à mala doctrina ſapientes; veluti tamen ſimpliciores pueri, nihil cogitantes, ad primum mali aſpectum fugiant, juxta illud, 1. *Cor.* 14. 20. *Nolite pueri effici ſenſibus*, *ſed malitia parvuli eſtote*.

II. SIMPLEX, cum doloſo, injuſto, & impio opponitur, æquitatem, bonam fidem, innocentiam, & candorem ſignificat. Ita Jacob *ſimplex*, *Gen.* 25. 27. *Simplex*, *juſtus*, *& timens Deum* Job perhibetur, *Job.* 1. 18. *Sapientis ſermocinatio cum ſimplicibus eſt*, *Prov.* 3. 32. *Qui ambulat ſimpliciter*, *ambulat confidenter*, *Prov.* 10. 9. *In ſimplicitate cordis mei feci hoc*, *Gen.* 20. 25.

III. SIMPLEX, ſivè *ſimplicitas*, interdum pro liberalitate uſurpatur; hinc *oculus ſimplex*, & *oculus nequam* eſt liberalis, & avari hominis indoles, *Matth.* 6. 21. *Luc.* 11. 34. Porrò quicumque eleemoſynis indulget, illum *in ſimplicitate*, nempè liberali, atque minimè avara manu pecunias erogare Apoſtolus jubet, *Rom.* 12. 8. *Altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum*, 2. *Corinth.* 8. 2. *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem*, *&c*..... *in ſimplicitate communicationis in illos*, *Ibid.* 9. 11. Omnia hæc Apoſtoli verba eò ſpectant, ut Fideles ad fundendas liberali manu eleemoſynas pro Fidelibus in Judæa verſantibus hortetur. David theſauros commemorans, quos à ſe comparatos, Salomoni in ædificationem Templi committebat, verſus ad Dominum, ait, 1. *Par.* 29. 16. 17. *Omnis hæc copia*....*de manu tua eſt*.... *unde*, *& ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli univerſa hæc*.

SIMYRA, urbs Phœniciæ, ad mediterraneum, inter amnem Eleutherum ad meridiem, & Maratham ad ſeptemtrionem.

SIN, urbs, & deſertum ad meridiem Terræ Sanctæ in Arabia Petræa; ex urbe tamen inditum deſerto nomen. Geminæ diſtinguuntur in Scriptura urbes, & deſerta Sin, quamquam in ſcribendi nominis ratione variant; alterum enim *Sin* per Samech, Jod, Nun ſcribitur; aliud verò *Tzin* per Zade, Jod, Nun (d). Illud ad Ægyptum, & mare Rubrum magis proximè accedebat; cùm Hebræi vixè mari egreſſi in deſertum Sin inter Elim, & Sinai veniſſe perhibeantur, *Exod.* 16. 1. & 17. 1. ubi primum manna pluit.

Alterum Sin ad meridiem erat Palæſtinæ, deflectens tamen ad mare Mortuum, in quo deſerto urbs Cades, *Deut.* 32. 51. Ex eo miſſi in Chanaanitidem exploratores, *Num.* 13. 22. ibi etiam tentatus à Moyſe, & Aarone ad aquas contradictionis Dominus *Num.* 27. 14. Regionem Chanaanitidis, & ſortem Juda deſertum *Zin*, *Num.* 34. 3. ſive *Zina*, *Joſue* 15. 3. ad meridiem terminabat.

SINA, ſive *Sinai*, mons data à Deo ſuper illum Lege Moyſi celebris, *Exod.* 18. 20. & 24 16. & 31. 18. & 34. 2. &c. *Levit.* 25. 1. & 26. 45. &c. in Arabia Petræa. Duo ejus latera Sinu Elan, ſivè Elanitico ad orientem, & Sinu *Colſum* ad ſeptentrionem alluentibus, ferè in Peninſula maris Rubri ſitus eſt. Apud recentiores Arabes *Tor*, nempe mons per excellentiam, ſivè *Gibel Mouſa*, nempe mons Moyſis, appellatur: itinere fermè decem dierum, nempe 260. m. paſſuum à Cairo diſtat. Deſertum Sinai, ubi per annum Iſraelitæ caſtrametati ſunt, atque erecto ibidem tabernaculo Fœderis à Moyſe celebre ſuper circumjacentem humiliorem agrum non modicè aſſurgit (e); quare per exciſam ſæpius in petra viam arduus ad illud aditus patet. Superiora verò in planitiem porriguntur, undique petris, & collibus 12. ferè m. paſſuum ambitu cincta. Circa extremitatem ſeptentrionalem duo excelſi montes ſpectantur, quorum alter *Sinai*, inferiori *Oreb* ſupereminet. Porrò duo iſta cacumina Oreb, & Sinai recta aſſurgunt adeò, ut præ eorum proceritate anguſtioribus ſanè finibus contineantur. Mons Sinai tertia ſaltem ſui parte alteri præſtans acutior eſt, & aditu difficilior. In vertice planities patet ardua, & inæqualis, 60. ſimul hominibus continendis ampla, in qua Ædicula S. Catharinæ ſpectatur. Hic jacuiſſe ferunt ſpatio 360. annorum corpus ejuſdem S. Virginis; donec nimirum in Templum ad radices ejuſdem montis transferretur. Juxta Ædiculam fons aquæ frigidiſſimæ manat, quod in altiſſimo, & ſterili monte prodigii loco habetur. Oreb occidentem ſpectans, à vertice Sinai exoriente Sole obumbratur. Præter fontem in vertice Sinai, alter etiam ad pedes ejuſdem vel alterius, nempè Oreb, fluens, Monaſterio S. Catharinæ aquam ſufficit. Ab eo fonte 500. vel 600. paſſibus diſtat lapis, ſubniger ſimul & variegatus, mole quidem quatuor vel quinque pedum altitudinis, & trium circiter latitudinis; qui veluti terræ infixus, nullis adhærens cautibus apparet. Duodecim foraminibus, ſeu foveis pede circiter patentibus excavatur; undè celebres Moyſem aquas adaquandis populis eduxiſſe ferunt. Nihil hîc nos addendum de rebus à Moyſe in caſtrametatione ad Sinai

(a) Vide 2. Corinth. 5. 10. Coloſſ. 2. 4. &c. Philipp. 2. &c. & 2. Timoth. 3. 14. &c.
(b) Origenes l. 1. contra Celſ. circa an. 249. (c) Cod. Megill. Gemar. Jeroſol.
(d) Vide Num. 13. 22. & 27. 14. & 34. 3. (e) Cuppin. Voyage d'Egypte, c. 10.

Digitized by Google

Sinai tactis cenſemus : cùm de ſingulis fuſiùs v. *Moyſes*.

Recenſent Arabes (a) inter filios Iſrael *Thour*, vel *Thor* quemdam, unde nomen monti Sinai inditum eſt, appellatur enim apud illos *Thour-Sinai*. Eodem etiam nomine *Thour* nuncupatur Urbs ad radices ejus montis in litore Erythræi. Caput quoddam Alcorani ſui inſcriptum Ficus, exorditur Mahometus ab hoc ſacramento : *Juro per ficum, per olivam, per montem Sinai, per Urbem ſecuram & fidelem*. Eſt *ficus* nomen montis in Palæſtina appellati *Thor-Lina*, mons ficus : *Oliva* eſt mons Olivarum ad Jeruſalem : *Sinai* notus eſt mons : *Urbs fidelis*, Mecha. Porrò magna eſt in montem Sinai Mahometanorum religio, quòd ſcilicet ibi Deus hominibus legem ſuam rogavit. Deſignant etiam eundem montem nomine *mons Moyſis*.

Eſt in eo monte Cœnobium Græcorum Monachorum conſidentium olim in turri ibi conſtructa, ubi olim Moyſi Rubus ardens per viſum objectus eſt. Cùm autem Monachos illos vexarent frequentes Arabum excurſiones, annonas omnes paratas vorantes, quin & ſacrilego ori inſerentes conſecratum panem Euchariſticum, rogarunt Imperatorem Juſtinianum ; ut firmum adeo ædificium conſtrueret, quo ab inſultibus prædonum eſſent in tuto. Omnia facilis conceſſit Imperator ; fertur tamen nece mulctaſſe Architectum, quod elegiſſet ibi locum Cœnobio ad commodum aquarum, ſicut & quia proximus eſſet Rubus ardens.

Aſceterio, & monti inditum eſt nomen S. Catharinæ, ex recepta ibi traditione, corpus ſcilicet S. Puellæ eò tranſlatum ab Angelis loci ſanctitatem auxiſſe.

SINÆ. Inter amœniſſimas *Aſiæ* nulli concedit Sinarum Regio. Arabes ſcribunt *Sin*; Perſæ cæterique Orientales *Tchin*. Tradunt nomen Provinciæ inditum fuiſſe ex *Sin* filio Japhet (b). Porrò *Sin*, ſi illos audias, cæteros filios Japhet ſuperabat ætate & ingenio, ſicut & optima hæreditatis portione, quippe cui amplus Sinarum tractus ceſſit. Eo magiſtro didicerunt filii picturam, ſculpturam, ac ſerici opificium varium ; uno verbo, quidquid fermè artis hodie regnat apud Sinas, ac negociatores allicit exteros, eidem authori referuntur accepto.

Filius ejus natu major *Matchin* Sinarum meridionalem plagam complectentem Cochinchinam, Tunchinum, Regnum Anan, Siam, & Pegu frequentavit. In vetuſtis Perſarum hiſtoriis legimus, Feridoun Regem prioris Dynaſtiæ (Piſchadienſium appellant) tradidiſſe *Tour* filio ſuo in portionem hæreditatis Sinas, & Turkeſtan, tum & adjeciſſe vivo titulum Fagfour, qui hæreditaria tranſmiſſione manſit Regibus omnibus ejus regionis, uti Regibus Ægypti nomen Pharaonis.

Vetuſtiſſima apud Orientales traditione receptum eſt (c) verſari apud Sinas magno numero Judæos, qui jam inde ab ætate Joſue per apertam ſibi à Deo viam in eam regionem aſcenderint. Sed verò propiùs autumaremus tenentes locum illum Judæos eò ſe contuliſſe poſt captivitatem Iſrael ſub Salmanaſare cæteriſque Aſſyriæ Regibus. Nec tranſitus eſt difficilis venientibus ex Perſide & Media.

Nemo utique ibit inficias ingenti olim numero Judæos apud Sinas egiſſe ; vetuſtiſſimæ enim hiſtoriæ de regione illa referentes tradunt (d) in deſolatione regionis illius, ac potiſſimùm cùm urbs Cundan in hoſtium venit poteſtatem, magna clade ſævitum fuiſſe in Chriſtianos & Judæos. Sed quando & qua occaſione eò penetraverint Judæi, manet in obſcuro. Nihil ea de re docent Hiſtoriæ Sinarum, ideò facilè quòd ſine apparatu & ſingillatim eò defluxerint Judæi ; ſive quòd ſolemne ſit Hiſtoricis illis ne quid loquantur de rebus exterorum, ut proinde nihil ea de re agendum ſibi cenſuerint.

Rari hodie tamen verſantur in eo Regno, ac diſperſi per Provincias, eò tamen maximè coguntur, ubi negocioſæ ſunt Urbes. Refert P. Ricci Judæum quemdam urbis Caifamfu, qui Pekinum venerat, ut Doctoris lauream aſſumeret, ipſum conveniſſe, eò ſcilicet adductum quòd referentes audiſſet colere illum unicum & ſingularem Deum, nec ſuperſtitionibus Idololatricis ejus regionis ſeſe implicare. Deduxit illum P. Ricci in ædiculam, ibique pictam tabulam oſtendit Ss. Virginis puerum Jeſum tenentis, poſt illum habentem appictum S. Joannem Baptiſtam. Autumavit Judæus exhiberi in imagine Rebeccam, Jacob, & Eſau, nec diſſimile judicium tulit de picta alia tabula quatuor Evangeliſtarum. Hominem variis quæſtionibus pulſavit P. Ricci, qui datis ab ipſo reſponſis intellexit, profiteri illum veterem Legem atque ſeipſum agnoſcere Iſraelitam, non Judæum ; quo indicio ſuſpicatus eſt è poſteris decem Tribuum deductarum in captivitatem genus deduxiſſe ſuum.

Expandit illi poſt hæc P. Ricci Biblia Polyglotta Antuerpienſia ; illicò recognovit Hebræus gentis ſuæ characteres, quos tamen ne legeret prohibebat neglectum ab ipſo jam diu ſtudium, ut totum ſe traderet literis Sinenſibus, ex quo parum abfuit quin extorris ageretur è Synagoga. Eo pariter referente didicit P. Ricci verſari in eadem Urbe decem vel duodecim familias Judæorum cum inſtructiſſima Synagoga, ubi pariter ſervabatur jam inde à 500. vel 600. annis Pentateuchus in volumina convolutus. Majorem etiam Iſraelitarum cœtum cum Synagoga exhibebat provincia Chequiang ; ſed in aliis provinciis multò rariores erant & Synagoga deſtituti.

P. Adam Schaal, clari nominis Miſſionarius, è Pekino ſcribens, affirmavit vidiſſe ſe Judæos in Regno Kaſchemir, qui & avitam Religionem & vetus Teſtamentum conſervaverant, nihil autem norant de obitu Jeſu Chriſti, qui & in Jeſuitam conferre voluiſſent dignitatem Chakam ſui, dummodo à ſuilla abſtinere conſentiret.

Jeſuita alter Gozani refert detexiſſe ſe apud Sinas Synagogam alteram in provincia Homan. Reputabat ille noviſſe regionem illam Judæos jam inde ante Jeſum Chriſtum ; norant Eſdram & Jeſum filium Sidrach (facilè Jeſum filium Sirach authorem Eccleſiaſtici,) in expoſitionibus ſuis methodum Thalmudiſtarum tenebant. Valent tamen potiùs hæc omnia inducendæ perſuaſioni Judæos illos gentem eſſe recentiorem, quàm ut perſuadeant derivari è veteri diſperſione decem Tribuum ; alioqui etenim nihil noſſe illos oportuit ſive de Thalmudiſtis, ſive de Eccleſiaſtico, ſive de Hiſtoria Judith.

Vulgata eſt prolixa ſatis Epiſtola Judæorum Cochinenſium ad Synagogam Amſtelodamenſem (e), in qua ipſi ſe Judæi affirmant penetraſſe Indias jam inde ab occupata Terra ſancta per Romanos ; ſeriem habuiſſe ſe apud Sinas 72. Regum, quorum alterius poſt alterum ſucceſſio replevit vacuum ſpatium 1000. annorum. Cùm tamen inter duos Fratres de Principatu æmulos ſubortum eſſet diſſidium, finitimi Principes, motis in illos armis, redegerunt in poteſtatem ; exinde verò Regibus Sinarum manſiſſe ſubditos tanta fide & conſtantia, ut à Principibus illis promeruerint amoris & fiduciæ mille argumenta. Anno 1640. Samuel, è fratribus illorum unus, Præfecturam gerens Cochinenſem diem clauſit, & in vacuum ejus locum ſubſtitutus eſt alter Samuel Judæus.

Manaſſe Ben Iſrael, firmiſſima tenens perſuaſione Judæos ſat crebros verſari apud Sinas, accommodat eorum tranſmigrationi illud Iſaiæ 49. 12 *Ecce iſti*

(a) D'Herbelot Biblioth. Orient. p. 501. (b) Biblioth. Orient. p. 811.
(c) Idem p. 474. (d) Vide Relat. Sinar. impreſſam Pariſiis 1718.
(e) Baſnag. hiſt. Judæor. t. 5. l. 7. c. 33.

iſti venient de terra Sinim, i. e. ait ille, Sinenſium. S. Hieronymus vertit: *De terra auſtrali*; Septuaginta: *De terra Perſarum*; ſed Hebræus Sin ſonat ſinum & urbem Peluſium. Quare non immerito reputamus deſignaſſe hic Prophetam Peluſium & Ægyptum.

Pluris tandem habendum non cenſeo, quod tradunt Orientales de *Schin* vel *Sin* filio Japhet, & patre Sinenſium, de quo altum eſt in ſacris Libris ſilentium. De Chriſtiania Sinarum & inſcriptione per hominum ora celebrata, quæ ibi reperta eſt, agemus v. *S. Thomas*.)

SINAPIS. Hujus arbuſti ſemini omnium minimo Jeſus Chriſtus Regnum Cœlorum comparat. Quod enim, ait, omnibus ſeminibus minimum eſt, optimæ terræ commiſſum, in arborem adeò proceram creſcit, ut volucres Cœli tutam in ejus ramis quietem capiant, *Matth.* 13. 31. 32. Quæ ſanè Jeſu Chriſti verba ſupra fidem utcumque viderentur, niſi plantas in Palæſtina magis quàm in aliis regionibus creviſſe conſtaret. Talmud Jeroſolymitanum, & Babylonicum (a) tradunt, Sintzeudam arbuſculam ſinapis fuiſſe validam adeò, & altam, ut illam illam ſcandere vir potuiſſet. Altera etiam ſimilis planta ibidem commemoratur, in tres ramos diſtincta; quorum unus figulis quibuſdam ſub illo æſtate laborantibus umbram præbebat. Porrò ramus ille trium ollarum ſinapis ferax extitiſſe narratur.

SINCERITAS, *Sincerus*; vox veritatis tenacem mentem, & linguam exprimens. Porrò ſincero animus duplex, & doloſus opponitur; cum nempè aliud corde fovemus, aliud promimus ore. Ex *ſine*, & *cera* nomen derivatur, tamquam ſi diceretur, mel purum, & ceræ admiſtione defæcatum. In Scriptura ſincerum eſt purum, & ſine admiſtione: *Sapientia eſt emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei ſincera*, *Sap.* 7. 25. S. Paulus Philippenſes hortatur, ut vitam agentes inſontes, nulli hominum ſint offendiculo: *Ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa*, *Philipp.* 1. 10. Et S. Petrus ad Fideles: *Veſtram excito in commonitione ſinceram mentem*, 2. *Pet.* 3. 1. S. Paulus 1. *Cor.* 5. 8. ſinceritatem, & veritatem, ſivè puritatem, & veritatem fermento impuritatis corruptis panibus comparat. Pſeudo-Apoſtolis vitio vertit, in annunciando Jeſu Chriſto non ſinceram illos mentem contuliſſe, nempè dolo & avaritia vacuam.

SINÆUS, octavus filius Chanaan, *Gen.* 10. 16. Sinæi olim juxta *Arce* in Monte Libano ſedem habebant (b); eodemque in Monte arx *Sinna* apud Strabonem commemoratur. Sinæi apud Acabes incolæ ſunt Tripolis in Phœnicia.

(SINUS. Precioſiſſima quæque recondimus in ſinu. Ponit Jacob 19. 27. in ſinu conceptam à ſe ſpem recipiendæ valetudinis, ſicut & in ſinu clauſa tenebat verba, atque promiſſiones Dei *Job.* 23. 12. *Munera de ſinu* (deducta) *impius accipit Prov.* 17. 23. i. e. munera rerum precioſiſſimarum. Jeſus Chriſtus *Luc.* 6. 38. invitat: *Date*; *& menſuram bonam & confertam & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

Non zeles mulierem ſinus tui Eccli. 9. 1. vel quæ requieſcit in ſinu tuo. Eſt hæc phraſis ſacræ Scripturæ familiaris uxorem legitimam exprimens.

Delatus fuit Lazarus in *Sinum Abrahæ Luc.* 16. 22. 23. tanquam infans dilectus inter ulnas & ſinum patris. Docet S. Joannes Filium Dei requieſcere in *ſinu Patris ſui*, quibus perfecta ejus unio cum patre expreſſa eſt. Apoſtolus recumbebat capite in ſinu Jeſu Chriſti in poſtrema illa cœna, quam Jeſus initiavit cum Apoſtolis; obtinebat enim tunc ut menſæ non aſſiderent convivæ, ſed diſcumberent in lectulis. Quare cùm S. Joannes ordine inferior recumberet poſt Jeſum, facilè caput ſuum reclinavit in ejus ſinum.)

I. SION, ſivè *Zion*, mons Templo Domini à Salomone extructo, & civitate Davidis è regione, & ad ſeptentrionem veteris *Jebus* (c), ſive *Jeruſalem*, ad latus oppoſitum montis à Davide condita, celebris. Quamvis autem in Scriptura mons Sion Templi Domini ſedes habeatur, certus tamen ejus locus in monte *Moria*, 2. *Par.* 3. 1. in altero latere Sion, conſtitutus. Montem Sion meridiem potiùs, quàm ſeptentrionem urbis ſpectare Relandus autumavit iis rationibus, quas apud illum legas *Palæſt.* t. 2.

II. SION, urbs Tribus Iſſachar, *Joſue* 19. 19. *in Hebr.* in Vulgata *Seon*. Porrò Seon locum fuiſſe ad montem Thabor ſua ætate Euſebius, & S. Hieronymus teſtantur.

III. SION, alterum nomen eſt montis Hermon *Deut.* 4. 48. quem facilè Pſalmus 132. 3. ſpectat: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion* (d); nempe concordia inter Sacerdotes, & Levitas, ea voluptatis ſenſu animos afficit, quo ros ſuper Hermon, & Sion duos montes perpetuo jugo conjunctos, ſtillans. Eodem nomine Sion mons Hermon in Eccleſiaſtico inſinuatur, *Eccli.* 24. 17. *Quaſi cypreſſus in monte Sion*; Græcus *in monte Hermon*.

SIOR, urbs Tribus Juda. *Joſue* 15. 54.

SIRA, ciſterna non longè ab Hebrone, 2. *Reg.* 3. 26.

SIRACH, pater Jeſu Scriptoris Libri Eccleſiaſtici, ea quo vulgò appellatus Jeſus filius Sirach.

SIRACIDES, patronymicum eſt Jeſu filii Sirach.

(SIRBON. Lacus Sirbon apud veteres Geographos notus jacet medius inter Palæſtinam & Ægyptum ad mare Mediterraneum monti Caſio ſat proximus; cum Mediterraneo communicabat modico aquarum canali. Interdum Ægypto accenſetur, Judææ interdum, quòd medius eſſet inter duas iſtas Provincias. Sunt qui credant lacum hunc hodie vel inaruiſſe, vel oppletum ſabulo aquis carere. Nullibi, quantùm ſcimus, ejus meminit Scriptura.)

SIRENES, monſtra marina, in ſcriptis Poetarum celebratiſſimæ, quas filias tribuunt Acheloo amni, & cuidam ex novem Muſis. Hanc alii Melpomenem, alii Calliopem, alii Terpſichorem, & Steropem autumant; uno verbo neque de nomine matris, ſicut etiam de Sirenum nomine convenit. Tres enumerantur: *Aglaope*, *Piſinoe*, *Thelxiopia*, ſivè juxta alios, *Thelxiope*, *Molpe*, *Aglaophonos*; vel tandem *Leucoſia*, *Ligea*, *Parthenope*. In freto Siciliæ ſedem habuiſſe perhibentur, ubi doloſis cantilenis nautas demulcentes, non ſine naufragii periculo nimia ad ſe accedentes detinebant. *Ovid. de Arte l.* 3. *v.* 311.

Monſtra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admiſſas detinuere rates.

Elegantiſſimas fœminas supernè referentes, alia tamen, & pedibus ad aves accedebant (e). Navigantes Argonautæ in Sirenes inciderunt, quibus ad conſuetas fraudes confugientibus, Orpheus ſtatim lyram pulſans, blanditias blanditiis fruſtravit. Hujus rei deſperatione, devictas ſe in cantu intelligentes, Sirenes in mare ſe projecerunt; ex quo factum, ut in ſcopulos tranſmutarentur. Alii tamen narrant præcipites ſe quidem illas in mare egiſſe; mutatas verò in monſtra marina ſupernè fœminam referentia, ſed infernè in piſcem deſinere. Quod quidem illis accidiſſe referunt, poſtquam Ulyſſes arte earum dolis eluſis, cera ſociorum aures obduxit, ſimulque funibus ſe malo navis alligari curans, nunquam ne rogans quidem ſolvendus. Sed fabellas ad examen revocare in præſentiarum non vacat. Ideò autem Sirenum hic meminimus, quòd earum nomen in Iſaia 13. 22. occurrat; *Reſpondebunt ululæ in ædibus ejus, &* *ſire-*

(a) Talmud. Jeroſol c. 7. Peach. & Talm. Babylon. cap. Chetub.
(b) Hieron. quæſt. Hebr. in Gen. (c) Pſalm. 47. 3. *Latera aquilonis, civitas Regis Magni*.
(d) Hebræus legit *Zion*, quod fortè pro *Sion* poſitum eſt. (e) Apollon. Argonaut. l. 4.

ſirenes in ædibus voluptatis. Quibus verbis everſam, atque in ſolitudinem redactam Babylonem deſcribit; cujus, ait, rudera aquæ operientes, monſtra marina inducent; quemadmodum & aves mali ominis parebunt, uti ululæ &c. Textus Latinus *ſirenes* ad lit. ♦. Septuaginta *hirenaceos*. Textus Hebræus legit *thannim*. Porrò ſi loca ſingula, ubi vox illa occurrit, conferantur, ſignificatur intelligemus immanem aliquem piſcem, monſtrum marinum, piſcem horrendum ſibilantem (a), & catulos mammilla lactantem, *Lament.* 4. 3. cujus in mari loculique humentibus cavea (b). Hæc quidem optime balenæ, vitulo marino, quæ fortè ſpectavit Iſaias, congruunt.

Fortaſſe S. Hieronymus vertens *ſirenes*, monſtra quædam marina innuere voluit, quæ homini ſimillima perhibentur. Porrò ſirenem ad Inſulam Meltæ an. 1672. piſcatu captam narrant. Alteram in Friſia inventam ſua ætate narrat Cornelius à Lapide, quam vita diutius producta, nendi artificium didiciſſe refert. Eo maris tractû, quod inter Inſulam Ceilani, & Indiæ angulum jacet, novem ſirenes, & ſeptem tritones captos tradunt. In oris Martinicæ juxta ſcopulum, cui nomen *adamas*, viſum perhibent marinum hominem, in piſcem deſinentem. Sirenibus etiam ſimillimi ſunt piſces, qui ad Inſulas Philippinas piſcatu capiuntur; quibus etiam mare Angolæ abundat. Porrò inter illos ſexus diſcretio ſervatur; octo autem aſſurgunt pedibus in longitudine, & quatuor in latitudine extenduntur. Brachiis utuntur brevioribus, longioribus manuum digitis, capite, & oculis in ovi modum contornatis, fronte prominente, naſû ſimo, dilatato, mento verò, & auribus ferè carent. Lethali vulnere affecti, velut homo vulneratus ſtrident. Hæc porrò marina monſtra præ oculis habuiſſe Iſaias, & S. Hieronymus facilè potuerint. Vox *Sirenes*, ex Hebræo *ſchir*, ſive *ſir*, quod canticum ſonat, commodè derivaretur.

SIS, ſivè *Ziz*, deſertum erat, celebri Joſaphati Regis de Ammonitis, & Moabitis victoria notum, 2. *Par.* 20. 16. Urbi Zizæ, quam Ptolemæus in Arabia Petræa collocat, fortè adjacebat.

SISA, pater Ahiæ, ſcribæ Salomonis, 3. *Reg.* 4. 3.

SISAI, gigas è genere Henac, *Num.* 13. 23.

SISARA, Dux exercitus Jabin Regis Aſor (c), qui à Rege miſſus exercitum 900. curruum falcatorum, atque ingenti peditum numero terribilem, in Deboram, & Barac duxit. Porrò Barac viribus quidem hoſti impar, quippe qui ad 10000. tantùm militum ſub ſignis haberet, è Monte Thabor tanto impetu in adverſarios prorupit, ut vim illi non ferentes, non ſine ingenti ſtrage in fugam verterentur. Siſara de ſuo periculo ſollicitus, cùm equi paventes inertiores viderentur, è curru deſcendens, pedes Haroſeth gentium verſus fugam proſecutus eſt. Cum ad tabernaculum Habet Cinæi perveniſſet, rogatus à Jahele uxore Habet, eò ingreſſus, pallio ſe obduci, atque internos humorum agitationi ſedandæ lacte reſici ſe paſſus eſt. Recreatus itur nonnihil Siſara, fœminam rogavit, ut ad oſtium tentorii excubias agens, neminem ſe in tentorio hoſpitio recepiſſe interrogantibus reſponderet. Jahel ſtatim in loco ſe conſtituens, ut Siſaram altè dormientem animadvertit, ingenti clavo in ejus tempora malleo adacto, cervicem illius terræ infixit. Vix hæc geſſerat puella, cùm Barac ſuperveniens, hoſtem ſuum in ſanguine natantem, & exanimem vidit.

(Siſara Imperator copiarum Jabin Regis Aſor. Devicti prælio Siſaræ ad pedes montis Thabor hiſtoriam retulimus in Dictionario v. *Barach & Siſaras*. Damus hic tantùm animadverſiones quaſdam prælium illud illuſtrantes.

* Panicis terroribus capiuntur multò frequentiùs majores, quàm minores exercitus, qui ſanè poſteriores minùs apti ſunt id generis terriculamentis. Quod eveniſſe agmini Siſaræ intelligimus, id etiam ſexcentis aliis Ducibus accidiſſe pariter conſtat; ægrè quorundam terriculamentorum cauſam totam expanderemus. Subitò incurrens phantaſiæ ſpectrum, inanis quædam imago, res planè flocci ac nihili terricula hæc omnia valet inducere; nihilo tamen ſeciùs vanum hoc latet, veluti ſi ſecreto aliquo impulſu, & cœleſti Numine induceretur, ſtatim autem ſubitoque corripit vaſtiſſimum licèt exercitum tanquam ſi unico conſtaret capite. Sæpè factum eſt ut præventione quadam, ſubito terrore atque metu, ejus ignorata cauſâ totum latè corripiatur agmen 100000. vel 200000. vaſtum. Tumultuariæ ſe fugæ tradunt omnes, & plurium etiam leucarum continuant curſum, nemine ſive retinendis illis ſive coercendis valente. Alter alterum interrogat de cauſa inopinatæ hujus vicis; latet omnes. Poſteriora exercitus tenentes eorum fugam urgent, qui pugnabant in capite; eoque magis ſtimulantur timore, quò majori ſe diſcrimini expoſitos reputant; ſi neminem audiant muſſitantem à tergo, ſuboritur ſtatim ſuſpicio, confuſionem latè agmen corripuiſſe, nec fugam temerè arripi. Suppetunt in hiſtoria id generis exempla planè infinita, quare nihil hic ſupra naturam, quamquam ex his inferendum non duco in fundendo fugandoque agmine Siſaræ manum ſuam non poſuiſſe Omnipotentem. Sed modò ad rem.

Ægrè admodum perſuaſit Prophetis Debora Baracum ut ſe Ducem præberet agminibus Iſrael, quò ſervitutis vincula rumperentur. Suſpicionis aliquid admiſiſſe videtur, num Divino Spiritu afflaretur mulier, erant enim raræ in Iſraele Prophetides. Sed dilationem nullam admittebant juſſiones Domini ab illa delatæ. Igitur Barac *Judic.* 4. 8. *Dixit ad eam: Si veneris mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam*. Suſpicabatur enim, nec immeritò, verba ſua non auſcultaturum populum, ac recuſaturum ſe Ducem ſequi in expeditionem temerariam adeò & plenam diſcriminis; quare cùm fiduciæ plurimum haberet in illa populus, cogendam illam cenſuit ut ſociam ſe adderet rem molienti. Nec illa venire recuſavit; ſtatimque Barac collectis è Tribubus Zabulon, & Nephtali decem millibus movit in hoſtes. *Nunciatum eſt Siſaræ, quòd aſcendiſſet Barac filius Abinoem in montem Tabor, & congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroſeth gentium ad torrentem Ciſon*. Copiarum Siſaræ numerum ſilet Scriptura, ſed Iſraelitas plus nimium multò ſuperaſſe e verbis illis Deboræ ac Barac juſſu Domini factis intelligimus. *Judic.* 4. 7. *Ego adducam ad te in loco torrentis Ciſon Siſaram Principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua*. Vindicat illi Joſephus *Antiquit. l.* 5. *cap.* 6. peditum 300000. equitum 1000. & curruum 3000.

Venit igitur Siſara in agrum adjacentem Thabor, & ad Ciſon, latè expoſituros ibi copias ſuas & currus. Tum Debora ducem animavit ad prælium, facta illi vincendi ſpe: *Surge*, ait illa, *hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: en ipſe eſt ductor tuus*. Brevis eſt quidem oratio, ſed valide planè ad perſuadendum, in ore fœminæ cœlitùs afflatæ, quæ ſpondet victoriam; quibus ſi jungas deſiderium excutiendi jugum tyrannicum impotentis Triumphatoris, & inſitam a natura ſimultatem in adverſarios Religionis, quam quis profitetur,

tum-

(a) Vide Job. 30. 29. Mich. 1. 8.
(b) Pſal. 58. 7. Iſa. 37. 2. Ezech. 32. 2.
(c) Judic. 4. 2. A. M. 2719. ante Ch. 1281. ante Ær. 1285.
* Animadverſiones in devictum prælio Siſaram ad Torrentem Ciſon adjacentem monti Thabor Judic. 4. 3. &c.

tum & neceſſitatem ſeu vincendi, ſeu moriendi; his ſimul omnibus incaleſcunt maximè ſpiritus, virtus, & ſpes Ducis ac militum.

Vero utique propiùs conciperemus, qua erat Siſara opinione roboris copiarum ſuarum, in eam inductum fuiſſe perſuaſionem, ut crederet Iſraelitas ideo crepidinem Thabor inſediſse, quòd metuerunt in patenti agro & ea æquali locorum ſitu prælii aleam tentare. Hæc enim metuentis eſse videbantur, ſeque adeò cohibentis ab inferendo impetu, ut ſibi res potiùs bellè ceſsuras reputaret, ſi viam tollere poſſet è diſcrimine reſiſtendo fortiter aggreſsoribus. Hac ductus opinione Siſara inſtruxerat agmen in fronte maximè patens ſecundùm torrentis alveum; eo ſcilicet conſilio, ut vires ſuas omnes expanderet, augeretque hoſtium terrorem; tum pariter ut promptius ſuccederet in montem, quem occupabant Judæi, arma in eos illaturus. Non malè ille quidem rem totam diſpoſuiſse videri poſset, & re ipſa prudentes Imperatoris partes omnes expleſset, ſi alios nactus eſset adverſarios, quàm Iſraelitas, quos cùm tæderet vitæ actæ in oppreſſione, quocunque randem pretio libertatem ſibi emere volebant, & quod rei caput eſt, firma tenebant perſuaſione Cælum pro ſe militare.

Cùm res eſt cum adverſariis ita animatis, niſi quis agat ſumma cautione & prudentia, nunquam turam conſtituet fiduciam ſuam in majori numero militum ſuorum. Si Barac locum ſuum tenens nihil aliud molitus fuiſset, quàm ut ſe defenderet, excepiſsent illum medium adverſarii, ac tandem perrupiſsent vallum. Nec aliter ipſe quidem Siſara de tota re judicabat, nunquam cummiſsuros imbecilles adeo viribus hoſtes ratus, ut prælium ipſi inferrent. Falſus eſt ille, & exercitum ſuum egregiè adeo diſpoſitum turbarum ſtatim & confuſum ſenſit.

Deſcendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. Per ſaxa & dumeta præceps veluti ruit in Siſaram inſtructum in prælium ad ripam torrentis. Vano audaciæ ſpectro illudi ſibi voluiſse ab hoſtibus primò reputavit Siſara; neque enim unquam commiſsuros hoſtes rebatur, ut è ſuperiori & commodo loco in æqualem campum deſcenderent; quare nihil ex alis revocandum cenſuit, ut medium agmen convalidaret.

Cùm ad imum montem perveniſsent Iſraelitæ, plura formarunt agmina ad ripam torrentis contra Siſaram, qui audaciam & virtutem Barac admiratus eſt; admirationi ſucceſſit ſtupor; ſtupori perturbatio quædam intima, quæ terrorem plerumque præcedit. Tandem manus illa decem millium ad omnia parata in confertum maximè agmen inſtructa, pro methodo Judæorum, tranſmiſso torrente tanto impetu invecta eſt in medium agmen hoſtile, ut ea alis ſuis illud avelleret, ac reſiſtentes omnes trucidaret. Porrò inter incommoda omnia illud cæterum graviſſimum reputandum eſt, ſi medii agminis ordines diſrumpantur, disjiciunturque. Id utique parvi in ſpecie reputaretur, pro valido exercitu qui Siſaræ adſiſtebat; ſed parum illud augetur ſtatim, & magni momenti plurimum affert in prælio; diverſæ ab agmine medio alæ imbecilliter reſiſtunt, nec arduo molimine vertuntur in fugam.

Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus ejus, univerſamque multitudinem in ore gladii ad conſpectum Barac in tantum, ut Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret. Ita ſe Author ſacer explicat in præſenti, ut facilè reputaretur exercitus Siſaræ, nihil vel minimum reſiſtere auſus ad conſpectum Iſraelitarum, fugæ ſe ſtatim tradidiſse; nihilo tamen ſeciùs averſam licèt haberent procellam, cujus meminit Joſephus *Antiquit. l.* 5. *c.* 6. adhuc tamen ſatis ab illo inſinuatum eſt ad indicandum defendiſse ſe illos tandiu, quoadùſque ordines non perrumperentur. Suppetunt utique exempla Ducum, quos minori de cauſa invaſit horror, quæ utique produceremus, ſi locus expoſceret.

Mirari ſubit cur Siſara deſiliat è curru, ut pedes fugiat, veluti ſi pernicior eſset equis ſuis. Doctiſſimus Commentariorum Scriptor notat, opus quidem fuiſset ut Siſara præ horrore vel mente ipſa turbaretur, quippe qui fugæ ſuæ conſulturus deſiliit è curru. Tantumdem, ait ille, præſtitit apud Homerum Iliad. 5. miles ille Trojanus pavens, qui ſe præcipitem egit è curru, ut Diomedem fugeret; ſicut & miles alter apud eundem Iliad. 20. ita ſeſe proripuit ad aſpectum Achillis; equi eorum voluntate tardiores erant ad curſum. Adeò verum eſt nihil æquè nos promptiùs adducere in diſcrimen, quàm incautum deſiderium promptè nos ab illo eripiendi.

Virtute opus eſt, inquiunt, ad timendum. Dogma eſt hoc quidem è media veritate, ſed tunc ſcilicet, cùm metus mentem relinquit in tranquillo, cùm ſatis remanet judicii, ut diſcernamus utrum è duobus ſeligendum ſit, tanquam minùs altero indecorum. Spectatus eſt noſtra ætate homo, qui equo inſidens præcipitavit ſe in amnem latiſſimum & profundiſſimum, poſt amiſsum prælium, quem utique amnem nunquam ſine prodigii ſpecie quadam natatu tranſire dabatur: adeò metus pervaſerat hominem, ut amnem non diſtingueret à rivo, atque ita ſe aquæ miſerè demergens, vitam ſimul perdidit & militis decus; commodè enim expedire ſe poterat, ſi locum ſuum non deſeruiſset, & recepiſset ſe, ut virum ſtrenuum decet, vel belli captivum ſe dediſſet; ſed è mentis ſtatu dimotus erat, impar proinde, ut ſapientiora & æquiora ſibi deligeret.

SISOE. Occurrit id in Textu Septuaginta Levitici 19. 27. quo enim loco Vulgata legit, *Neque in rotundum attondebitis comam*; habent Septuaginta: *Non facietis ſiſoem ex coma capitis veſtri*; Hebræus: *Non circumdabitis angulum capitis veſtri.* Quid *Siſoe* in præſenti ſignificet, ambigitur. Vetus Scholiaſtes in Leviticum docet floccum eſſe crinium Saturno conſecratum. Maluit Bochartus deſignatum agnoſcere cincinnorum plexum retrò poſt occiput demiſſum, cùm reliqua in rotundum coma eſſet attonſa. Solemne eſt hodie pariter Arabibus, ut floccum illum capillorum gerant in vertice, cujus moris in ea regione & Syria vetuſtiſſimi meminit Lucianus in Lucubratione de Dea Syriaca. Morem hunc igitur ſummovet è populo ſuo Moyſes, ideo utique, ut evitaret communem aliquam inter populos Arabiæ, quorum medii verſabantur Iſraelitæ, ſuperſtitionem. Vide *Capilli*.)

SISTRUM, Muſicum inſtrumentum, olim apud Ægyptios celebre. Auſonius Ep. 25.

Iſiacos agitans Mareotica ſiſtra tumultus.

Ejus inventi honor Iſidi tribuitur, cujus proinde Sacerdotes in Sacris ejus cæremoniis ſiſtra geſtabant. Ovidius de Ponto:

Jactantem Pharia tinnula ſiſtra manu.

Siſtrum ita deſcribit Apulejus, *Metamorph. l.* 11. *Dextra quidem gerebat aureum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei decurvatam trajecta mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio trigeminos jactus, reddebant argutum ſonum.*

Ejus nomen bis in Sacra Scriptura occurrit. Fœminæ Iſraeliticæ Sauli occurriſſe feruntur *in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris*, 1. *Reg.* 18. 6. Arca Domini ſolemniter deducebatur *in tympanis, & ſiſtris & cymbalis*, 2. *Reg.* 6. 5. Apud Septuaginta vox illa nunquam, quòd ſciam, occurrit. Recentiores Interpretes Hebræum *Zalzelim* ſiſtrum reddunt; Septuaginta verò vertere conſueverunt *cymbalon*. Iſaias facilè ſiſtrum verbis illis deſcripſit 18. 1. *Va terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ.* Hebræum legit: *Zalzel cenapei*, nempe zelzel alatum, quod cum ſiſtro ſatis congruit, cujus tranſverſæ virgulæ alas referunt. Inſtrumeotum illud, quod ſupra in primo Scripturæ teſtimonio redditum in Vulgata ſiſtrum retulimus, in Hebræo appellatur *ſaliſim*, ſivè *ſchaliſchim*, quod fortè tribus fidibus, ſivè triangulare eſt inſtrumentum. In ſecunda ſententia Hebræus legit *manaanim*, ſivè *minnim*, quod de fidiculari inſtrumento dictum aliqui interpretantur.

(SISU.

(SISUTHRUS, vel XYSUTHRUS. Creduntur Babylonii noſſe aliquid de diluvio Noe, nec latuiſſe illos Patriarcham ipſum ſub nomine *Siſuthrus* (*). Narrant illi Saturnum apparuiſſe per quietem Siſuthro, ac de futuro diluvio, quo genus hominum perderetur, inſtruxiſſe. Juſſit proinde deſcribere origines, progreſſus, & exitus rerum omnium, fuga ſe proripere in Urbem Sipharim (facilè *Kariath Sepher*, vel *Dabir*,) condere navim, eamque committere ſalo, atque conſcendere unà cum parentibus & amicis. Nihil omiſſum à Siſuthro; intulit in navim omnis generis commeatus, nec omiſit ex animantibus quodcumque genus. Dimetiebatur navis illa in longum 5. ſtadia, ſeu 625. paſſus, & in latum duo ſtadia, ſeu 250. paſſus.

Immiſſo diluvio homines, quicunque cum Siſuthro in tuto ſe non recepiſſent, demerſi ſunt omnes. Cùm imminui aquas intelligeret Siſuthrus, dimiſit avem, quæ nihil offendens ſeu ubi pede conſiſteret, ſeu alimenti, reverſa eſt. Aliquantò poſt alias ſubmiſit, quæ remearunt, referentes pedes lutoſos. Tandem poſt aliquantum temporis dimiſit alias, quæ avolarunt in diverſa. Eo indicio exſiccatum jam ab aquis ſolum intelligens, confracta navi, mundo ſe iterum permiſit una cum uxore ſua, filia, & naucleto. Tum conſcendit in montem, adoravit terram, atque excitata Ara ſacrificia operatus eſt Diis. Secundùm hæc evanuit è Mundo ipſe, exterique cum illo ea Arca reducti. Reliqui verò, qui in navi ſeſe continuerant, egreſſi tandem, diu, ſed fruſtra, indagati ſunt Siſuthrum; cùm tamen hominem repetitis vocibus inclamaſſent, reſpondentem tandem audierunt, commendare ſe ipſis pietatem, & in Numina religionem; de ſe verò intelligerent, nunquam commercium habiturum cum mortalibus, nec acturum deinceps niſi cum Diis. Hæc de Siſuthro feruntur, ſatis utique affinis hiſtoriæ Noemi.)

SIVA, Scriba Davidis. 2. *Reg.* 20. 25.

SIVAN, nomen menſis apud Hebræos, *Baruc.* 1. 8. lunationi Maji reſpondentis. Tertius eſt anni Sancti. & anni civilis nonus.

SMARAGDUS, gemma viridis, quam Geneſ. 2. 12. deſignatam credimus voce illa Hebræa *ſochem*, reddita in Vulgata: *lapis onychinus*. Smaragdus etiam inter gemmas rationalis Summi Sacerdotis recenſetur; ſed Hebræum *baraketh*, nitorem, & fulgorem aſtri exprimens, gemmam potiùs *ceraunium*, *aſtroitem*, & *iridem*, cujus plura ſunt genera, authore Plinio, indicare videtur. Recolenda ſunt tamen, quæ alibi animadvertimus, ex nominibus Hebraicis gemmarum, via extare ullum, de cujus ſignificatione liquidò conſtet. In Hiſtoria Orientali plures occurrunt Reges, quorum nomen *Soem*, ſivè *Sohem*, nempè, ut nos interpretamur, Smaragdus.

(SMERDIS, Rex Perſidis idem ac *Artaxerſes*, vel *Artachſarta* in 1. Eſdræ 4. 7. hæc de illo narrantur. Reliquerat Cyrus Magnus geminos liberos, nimirum Cambyſem & *Tanaoxaram* (a), alio nomine *Smerdim*, vel ut Juſtinus, *Mergim*. Fratrem hunc ſuum duxit Cambyſes in expeditionem Ægyptiacam; ſed cùm Smerdis unus eſſet inter omnes, qui intendere valeret arcum, miſſum ab Æthiopibus, Cambyſes lividis adeò oculis fratris gloriam ſuſpexit, ut diutiùs illum retinere in exercitu paſſus non ſit; quare virum remiſit in Perſidem. Aliquantò poſt ſpectavit per quietem noctis Tabellionem referentem aſcendiſse Smerdim thronum Perſarum; miſit igitur actutum ex intimis ſuis Praxaſpem oneratum mandatis, ut Principem occideret; quod executioni mandatum eſt.

Poſtquam triennio ſubſtitiſſet in Ægypto, Cambyſes iter in Perſidem repetiit (b). Syriam attingenti occurrit è Suſis miſſus Tabellarius, nuncians Smerdim filium Cyri in thronum aſcendiſse: Nec falſa ille; nam Pathiſites, è Principibus Magorum, quibus Cambyſes abiens Regnum adminiſtrandum reliquerat, Pathiſites, inquam, in thronum Perſidis extulerat fratrem ſuum Smerdim, qui Principi ejus nominis à Praxaſpe occiſo, de cujus nece pauci norant, ita accederet oris lineamentis, uti accedebat & nomine. Nuncium hunc detineri juſſit Cambyſes, & ſedulo perquiſitum de iis, quæ contigerant Smerdi fratri ſuo, expreſſit ab ejus confeſſione Principem quidem ſeipſa interiiſse, Smerdim autem alium in ejus locum obtruſum regnare.

Igitur profectionem exercitui ſtatim imperavit, deturbaturus è ſolio tyrannum; cùm fortè equum conſcenderet incauta feſtinatione, accidit, ut eductus è vagina gladius femur inſilientis in equum pernicioſo vulnere ſauciaret; è vulnere mors ſtatim conſequuta eſt. Antequàm decederet accitos viros ampliſſimos Perſarum de re tota inſtruxit, in locum ſcilicet interfecti à ſe fratris ſui Smerdis, obtruſum fuiſse Magum, quem proinde deturbarent è ſolio. Uſurpatorem hunc Herodotus l. 3. appellat *Smerdim*, Oeſchilus *Mardum*, Cteſias *Spendadatem*, Juſtinus *Oropaſtem*.

Poſtquam, ſublato Cambyſe, Smerdis Regiam ſibi aſſertam habuit dignitatem, literas recepit à Samaritanis Judaici nominis oſoribus (c) in hanc ſententiam: Judæos, gentem inquietam & turbidam, Urbem Jeruſalem & Templum reparare; ne verò opus illud abſolveretur cavendum eſſe maximè, eo enim abſoluto, jure timeri poſſe, excuſſuros illos jugum Perſarum, ac pernicioſo exemplo anſam præbituros cæteris per Syriam & Palæſtinam populis, ut tantundem molirentur: vera ſe renunciare facilè Principem intellecturum, dum vetuſtis Perſarum tabulis excuſſis diſceret, quæ Judæorum eſſet indoles pernicioſa. His epiſtolis in Aula receptis conſulta ſunt ſtatim tabularia, iiſque docentibus intellexit Princeps, Hebræos prolixum diuturnumque bellum protogaſſe cum Regibus Aſſyriæ & Babyloniæ, victos tandem ceſſiſſe Regi Nabuchodonoſor.

Quare lato ſtatim edicto juſſi ſunt Judæi ab incœpto opere Urbis & Templi abſiſtere (d); ac juſſionum urgere executionem Samaritanis injunctum eſt. Via illi Regias epiſtulas receperunt, convolarunt ſtatim Jeroſolymam, & quæ Princeps mandaret, expoſuerunt Judæis, coegeruntque invitos opus relinquere in ſuſpenſo. Itaque intermiſſa eſt ſubſtructio adusque ſecundum annum Darii filii Hyſtaſpis (e), qui primum illud edictum, inhibens reparationem Templi, contrario edicto correxit 1. *Eſdr.* 6. 1..... 14. Ad reparationem mœnium quod attinet, liberam ejus rei facultatem permiſit Artaxerſes Longimanus anno 3550.

Quò ad Smerdim regrediamur, nihil ille omiſit intentatum, ut ſecurum ſibi imperium confirmaret. Duxit Atoſſam filiam Cyri, ſubjectas ſibi gentes exemptas renunciavit per triennium à multis atque militaribus omnibus ſervitiis; & cùm metuenda ſibi eſſe omnia intelligeret ſiquidem alius eſſe à Principe Smerdi deprehenderetur, cavebat maximè ne prodiret in publicum, quod quidem in Perſide familiare erat Regibus; rarò enim ibi publico ſeſe exponunt id eſſe Regiæ majeſtatis rati. Ex affectatis hiſce cautionibus in ſuſpicionem doli ventum eſt; Ozanes, ex Optimatibus Perſarum quidam, cujus filia Phedyma una erat ex uxoribus Regiis, clam puellam exquiſivit, num re ipſa Princeps genuinus eſſet Smerdis. Renunciari illa curavit patri, ſe, cùm Smer-

* Vide Alex. Polyhiſtor. apud. Syncell. p. 30. Cyrill. Alex. l. 1. in Julian. Euſeb. l. 9. Præpar. c. 11.
(a) Xenophon Cyroped. (b) Vide Herodot. l. 3.
(c) 2. Eſdr. 4. 7. (d) A. M. 3483. ante J. C. 517. ante Ær. vulg. 521.
(e) A. M. 3485. ante J. C. 515. ante Ær. vulg. 519.

Smerdim filium Cyri nunquam vidiſſet, impotem eſſe arcano detegendo. Tunc pater filiam admonuit, ut Atoſſam filiam Cyri & Principis Smerdis ſororem adiret; ſed illa repoſuit, nullam verſari inter regias uxores conſuetudinem. Tandem Ozanes filiæ ſignificavit, ut inquireret, num Rex haberet aures, quibus præciſus fuerat à Cyro Smerdis Magus de crimine quodam convictus. Gathde id indagare eſt mulier, cùm Regem alto ſopore demerſum haberet apud ſe, renunciavitque patri auribus carere Principem.

Arcanum prodidit Ozanes ſex Principibus, conventumque inter eos, ut in tyrannum armarentur. Ingreſſi in Aulam impetum fecerunt in uſurpatorem & in fratrem ejus Patiſithem criminis authorem; ambos occiderunt (a), præciſaque utriuſque capita coram populo extulerunt, ſimul impoſturam detegentes. Elatus eſt poſt hæc in thronum Darius filius Hyſtaſpis, eo rerum eventu de quo nos v. *Darius filius Hyſtaſpis*.)

SMIGMA, ſive *Smegma*. Cum Suſanna in balneo lavaretur, ancillas ſuas ad quærendum *oleum, & ſmigmata* miſit (b), nempè ſaponem, unguenta, & odoramenta, quibus fœminæ uti conſueverunt, tum ut odore, tum ut carnibus nitor, color & mollities conciliaretur.

SMIRIS, petra eſt ſoli diſſima. Vide *Samir*.

SMIRNA, ſive *Smyrna*, urbs Aſiæ minoris ad Ægæum, commodo portu inſtructâ; cujus Epiſcopum S. Joannes Evangeliſta, ſivè Jeſus Chriſtus per Apoſtolum ita allocutus eſt, *Apoc.* 2. 8. 9. 10. *Hæc dicit primus, & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit: Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam; ſed dives es, & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ. Nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini; & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis: qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.*

Hunc Angelum, ſive Epiſcopum Smirnæ S. Policarpum deſignari plerique conveniunt (c); quem ſanè à S. Joanne Evangeliſta Epiſcopum ejus urbis conſtitutum ſcimus (d). Porrò elogia S. Spiritûs S. Policarpo optimè conveniunt; nihil enim ſuperioribus verbis vitio illi viro verſum fuiſſe conſtat. Quos autem diabolus in carcerem detruſurus in ſuperiori oraculo legitur, Martyres S. Germanicum, & ſocios ſub M. Aurelio deſignatos non abs re credimus.

(SO vel SAOS Rex Ægypti, Vide infra *Sua* vel *Sua*.)

SOBA, *Syria Soba*, ſive *Aram Soba*; quod in Provinciam nomen ex quadam forte urbe Soba derivatum credimus. Cùm autem urbs illa ſucceſſu temporis ſivè deſtrueretur, ſivè nomen mutaſſet, factum inde, ut certi Syriæ Soba limites ignorentur. Nobis tamen ad oram ſeptentrionalem Cæle-Syriæ conſtituta creditur, à Libano, & Antilibano, nimirum uſque ad Antiochiam circiter. Differt enim regio illa à Syria Damaſci, Syria Emath, Rohob, Maachæ, & Geſſur. Soba *Judith.* 3. 1. 14 nomen *Sobal*, ſive *Sobal* ſignificatur. Hanc autem Soba, ſive Sobal eamdem cum *Hobá*, ſive *Hobal*, & Abyla inter Libanum, & Antilibanum fuiſſe ſuſpicor.

SOBAB, filius Davidis ex Beth-ſabee, 2. *Reg.* 5. 14.

SOBACH, Dux exercitus Transeuphratæi Adarezer Regis Syriæ, David commiſſa cum illo pugna ad Helam, relata plenâ de hoſtibus victoria, Ducem mortali vulnere confecit, 2. *Reg.* 10. &c. circa an. M. 2967. ante Ch. 1033. ante Ær. 1036.

SOBACHAI, vir ſtrenuus exercitus Davidis, ex urbe Huſathi, qui in prælio ad Gob, alio nomine Gazer, gigantem Saph occidit, 2. *Reg.* 21. 18. & 1. *Par.* 20. 4.

SOBAI, è genere Sacerdotali, de captivitate Babylonica cum Zorobabele regreſſus eſt. *Eſdr.* 2. 42.

SOBAL, urbs Seir Horræo ſubdita. *Gen.* 36. 20.

SOBAL, *Syria Sobal*, *Judith.* 3. 14. eadem ac *Syria Soba*.

SOBI, filius Naas, ex urbe *Rabbath*, alio nomine *Philadelphia*, qui una cum Berzellai Davidi Abſalomum fugienti occurrens, annonas obtulit, 2. *Reg.* 17. 27. A. M. 2981. ante Ch. 1019. ante Ær. 1023.

SOBNA, Scriba Regis Ezechiæ, 4. *Reg.* 18. 18. qui una cum Joahe, & Aſaph ad Rabſacem à Sennacheribo miſſum Regis nomine venit. Sunt qui Summum Sacerdotium virum illum geſſiſſe autument; ſed in Scriptura nonniſi Præpoſitus Templi, quæ dignitas longè Summo Sacerdotio inferior eſt, appellatur. Hoc in illum oraculum Iſaias 22. 15. Domini verbis pronunciavit: *Vade ad Sobnam Præpoſitum Templi* (Hebraicè *Sochen*, quod Præpoſitum horreorum Regis deſignat) *& dices ad eum; quid tu hîc, aut quaſi quis hîc? Quia excidiſti tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus* (e) *; & quaſi amictum, ſic ſublevabit te* (ſeu velut accipiter in prædam proruens): *coronans coronabit te tribulatione; quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam; ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus domini tui. Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. Et erit in die illa, vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ Summi Sacerdotis.* Impletum Oraculum creditur ſub Manaſſe, quo cum Babylonem captivus Sobna traductus creditur A. M. 3328. ante Chr. 672. ante Ær. 676.

SOBRIUS, *Sobrietas*, quod virtutis nomen eſt intemperantiam coercentis. Interdum tamen uſurpatur de virtute juſtum utrimque medium ſervante, quam modeſtiam & moderationem appellamus, *Rom.* 12. 3. *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*; nempè intra moderationis cancellos nobis continendum. Rogat Apoſtolus fœminas, ut in cultu verecundiam ſervent & *ſobrietatem*, 1. *Timoth.* 2. 9. honeſtatis nempe regulas. Quandoque etiam ſobrius eſt *vigilans* (f); quemadmodum & vir frugi atque modeſtus: *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis* (g). Antiochus Epiphanes audita morte Oniæ Summi Sacerdotis, fatum deflevit viri, prudentia & modeſtia inſignis: *Recordatus defuncti ſobrietatem & modeſtiam*, 2. *Mach.* 4. 37.

SOCO, ſive *Socho*, urbs Judæ, *Joſue* 15. 35. & 1. *Reg.* 17. 1. quam à ſe prius reparatam, Heber in ſedem familiæ ſuæ deſtinavit. 1. *Par.* 4. 18. Eam urbem Roboam munitionibus firmavit. Vide 2. *Par.* 11. 7. Duplicem eſſe urbem inferiorem & ſuperiorem novem millia paſſuum ab Eleutheropoli Jeroſolymam verſus, Euſebius teſtatur.

SOCHOTH, prima caſtrametatio Iſraelitarum ex Ægypto diſcedentium, *Exod.* 12. 37. Porrò Sochoth ſonat tentoria; hinc facile confundendus locus cum *Miſchenoth*, ſive *urbibus tabernaculorum Exod.* 1. 11.

SOCHOTH, ſive *Succoth*, urbs transjordanica, inter Jordanem & torrentem Jabok. Redux è Meſopotamia Jacob torrentem tranſgreſſus, tentorium in *Sochoth* conſtituit (h); Succeſſu temporis urbs ibi condita, Tribui Gad in ſortem aſſignata eſt, Joſue 13. 27. In agro inter Sochoth & Sarthan, 3. *Reg.* 7. 46. ærea Templi ornamenta, ingentis operis conflata ſunt ſub Salomone. Porrò Sochoth in

(a) A. M. 3483. ante J. C. 517. ante Æram vulg. 521. (b) Dan. 13. 17. *Afferte mihi oleum, & ſmigmata.*
(c) Aureol. Riber. Perer. Eleaz. Lyr. Cornel. Men. Eſt. Pare. (d) Ita Iren. l. 3. c. 3. Tertull. præſcript. c. 32. Hieron. de vir. Illuſtr. c. 32. Alii. (e) Hebr. legit: *Dominus aſportari te faciet, à bona cordate, nempè ſtrenue, belliceſe.*
(f) 1. Timoth. 3. 2. Νηφάλιον, Vigilantem. Pagnin. Montan. Eraſm. Eſt. Menoch Piſc.
(g) 2. Timoth. 1. 7. Σωφρονισμοῦ, *ſobrietas, frugalitas, modeſtia, animi tranquillitas, &c.*
(h) Gen. 33. 17. A. M. 2265. ante Ch. 1735. ante Ær. 1739.

Scythopolitana S. Hieronymus *qq. Heb. in Gen.* 33. conſtituit. Ejuſdem urbis Optimates, quod annonas pro exercitu requiſitas denegaſſent, Gedeon ſpiniis conterendos damnavit, *Judic.* 8. 5. &c. A. M. 2759. ante Chr. 1241. ante ær. 1245. Tandem alterum urbi nomen, nempè *Darala* (a), indictum fuiſſe Judæi teſtantur.

SOCHOTH-BENOTH, ſive *Succoth-benoth*, Babyloniorum colonia à Salmanaſare, ſivè Aſaradone Rege Aſſyriæ in Samariam deducta, cultum etiam Deorum ſecum deferentes, ſua illis *Succoth-benoth* dedicaverunt, 4. *Reg.* 17. 30. Quæ verba *tentoria puellarum* ſonant, nempè proſtibula puellarum, quæ ſemel in vita in honorem Deæ Mylyttæ proſtituebantur (b). Quod ita in Babylonia ſervatum narrat Herodotus *l.* 1. *c.* 199. Singulæ, ait, regionis puellæ ſemel in vita advenæ ſe proſtituere religione Mylyttæ, Veneris nempè, tenentur. Locupletiores fœminæ copioſo domeſticorum famulitio ad Templum operto curru vectæ ſe conferebant; eaque cæremonia religione exſolutæ, nulla data advenis abutendi ſe copia, redibant. Vulgares mulieres floribus redimitæ Templo ſiſtebantur, ubi funiculis quibuſdam interjectis inter ſe diviſis, advenarum confluentium libidini patebant. Quam autem ex illis procus ſelegiſset, hanc in ejus gremium moneta quacumque injecta, invitabat, ſimul addens: Invoco pro te Mylyttam. Hos nummos quantulicumque illi fuiſſent, recuſare, utpote in uſus ſacros deſtinatos, uti & virum invitantem recuſare, fœminis illis nefas. Statim igitur virum ſequutæ, in locum extra Templi conſpectum violandas ſe præbebant; dein ad propria revertì puellis integrum erat. Avitam hanc ſuperſtitionem Babylonios illos in Samariam tranſtuliſſe facilè credimus. Rabbini tamen illud *Succoth-benoth* pullos & gallinam explicant. Euſebius & S. Hieronymus *in locis* nomen urbis ab ea gente in Samaria conditæ denotaſſe videntur. Aliis eſt peculiare gentis Numen.

SODI, fluvius Babyloniæ, *Baruch.* 1. 4. Cùm autem nullus in regione amnis eo nomine innoteſcat, ideò tamum Euphratem denotatum non ægrè credideram. *Sode* enim Hebraicè ſuperbiam ſonat; quod Euphrati congruit.

SODOMA, Metropolis Pentapoleos, in qua Loth nepos Abrahami aliquandiù verſatus eſt, *Gen.* 13. 12. 13. Ejus urbis ſceleribus Divinam ultionem provocantibus, dilapſis cælitus flammis Sodoma, Gomorrha, Seboïm, & Adama, criminum communione & loci propinquitate conjunctæ civitates, deflagrarunt (c). In amœno & fertili agro urbes illæ ſitæ terreſtris Paradiſi ſpecimen exhibebant; dein verò terræ facies verſa; nam fulmine cœleſti incenſum ſcatens in regione bitumen exarſit. Igni aquæ fluminis ſuccedentes ſolum inundarunt; recedentibus fluminibus, mare Mortuum ſeu Lacus Sodomæ in loco ſedit; cui etiam Lacus Aſphaltidis ex bitumine ſeu aſphalto ex aquis ebulliente nomen inditum eſt. Porro Sodoma meridionalior cæteris fuiſſe creditur, quippè quæ proxima eſſet urbi Segor, ultra angulum meridionalem maris Mortui ſitæ.

An in lacus alveo, ſivè ad ejus oram urbs illa jaceret, ambigitur. Sane in Prophetis non raró ruinarum Sodomæ & Gomorrhæ ſermo, vel ſaltem mentio incidit, *Jerem.* 49. 18. 50. 38. ſemper ſqualida, abjecta, & deſerta perhibentur loca; ſpinis tantùm & rubis horrida; ſulphure, & ſale reſperſo ſolo inculta (d); *Siccitas ſpinarum, & acervi ſalis, & deſertum uſque in æternum.* Et Amos 4. 11. *Quaſi torris raptus ab incendio.* Brevi, Sodoma & Gomorrha in vindicis iræ Dei exemplum ubique in S. Scripturis exhibentur. Tradit Joſephus *de Bello l.* 5. *c.* 5. circumjacentem illis urbibus agrum incendii etiam reliquias ſervare; & combuſtarum urbium extare veſtigia. Provenientes in ſolo fructus aſpectu delectant; decepturus verò ſi quis cultro vel morſu tentaverit, continuò in cineres evaneſcunt.

Superfuiſſe ergo quinque urbium rudera Joſephi ætate videntur. Quin & Strabo *l.* 15. de veſtigiis Sodomæ ad oram Lacus 60. ſtadiorum ambitu loquitur. In Notitiis Sodoma urbs Epiſcopalis recenſetur; cujus etiam urbis cathedram Severus Epiſcopus tenuiſſe in ſubſcriptione primi Concilii Niceni legitur. Relandus quidem nunquam reſtitutam Sodomam fuiſſe contendens, mendum Amanuenſium in ſubſcriptione Concilii irrepſiſſe ſuſpicatur. Ne tamen in ſententiam clariſſimi viri abeamus, facit vetus Notitia ſupra relata, quæ rotundis verbis Sodomam urbem Epiſcopalem inter Thamar, & Engaddi conſtituit; quemadmodum & apud Stephanum Geographum *in Eggada, & in Sodoma* ad eamdem Engaddi Sodoma quædam commemoratur. Ex quibus ſanè nullus dubito, quin Sodoma, ſivè in eodem, ſivè juxta eumdem, quo prius, locum reſtituta fuerit. Neque enim affirmare auſim novam hanc urbem ad oram maris conditam in eodem loco ac veterem ſtetiſſe; cujus forte ſolum aquæ maris Mortui occupaſſe poterant. *Lacus Sodomæ*, ſivè *Mare Sodomæ*. Vide *Aſphaltus, Lacus Aſphaltidis.*

SODOMIA, crimen eſt nefandum, quo mas tanquam fœmina abuteuti ſupponitur. In ultionem ejus criminis Deus iræ ſuæ flagellum in Sodomam, Gomorrham, Adamam, & Seboim excuſſit, *Gen.* 19. 5. &c. Neque alia fuit delendorum Hebraicis armis ſub Joſue Chananæorum ratio, quàm quòd populi illi Divinum in ſe furorem eo crimine concitaſſent. Ejuſdem ſceleris rei Gabaitæ arma in ſe, & in univerſam Tribum Benjamin concitarunt; quibus parum abfuit, quin univerſa Tribus intercideret, *Judic.* 19. & 20. Apud Hebræos capitale crimen eſt, *Levit.* 18. 22. & 20. 13. Obtinuiſſe autem apud Ethnicos Apoſtolus teſtatur, *Rom.* 1. 27. cujus tamen reos omnes à Regno Dei excludendos idem Apoſtolus denuntiat. *Galat.* 5. 28. & 1. *Cor.* 6. 10. & 1. *Timoth.* 1. 10.

SOGANE, vicus Gaulanitidis in Transjordanica, quem Joſephus cùm Galilææ præeſſet, munitionibus firmavit (e). Viginti m. paſſibus à Gabara abfuiſſe videtur, *De vita ſua.* Ubi tamen pro *Arabum*, uti legitur in Textu, legendum *Gadara.*

SOHAR, quintus filius Patriarchæ Simeonis, *Gen.* 46. 10. in 1. *Par.* 4. 24. *Zara.*

SOHEM, nomen gemmæ ſæpè in Scriptura recurrens, quod Septuaginta, & S. Hieronymus reddere conſueverunt *onychem*, *Gen.* 2. 12. nos verò *ſmaragdum* malumus. In hiſtoria Orientali plurimi Principes *Soheme* appellantur, quod ex Hebræo *Sohem* derivatum conſtat.

SOL (f), maximum illud luminare diei conſtituendo à Deo creatum; quemadmodum & lunæ alteri luminari nox commiſſa, *Gen.* 1. 6. Soli cultum & ſacrificia impendiſſe pleroſque orientales populos, quamquam ſub diverſi nominis appellatione, credimus: Hunc enim Baal eſſe Phœnicium, Chamos Moabitarum, Moloc Ammonitarum; Baal & Regem militiæ Cœleſtis Iſraelitarum autumamus. Nunquam vero ejus cultus ab Aſtarte & Regina Cœli, nempe luna, ſejunctus apparet. Numini autem colles dicati, quemadmodum & luci, eorumque ædes conſtitutæ: *Ne fortè*, ait Moyſes, *elevatis oculis ad Cœlum videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt*, *Deut.* 4. 19. Alibi verò capitalem pœnam in eos edicit, qui exteris Numinibus, ſoli, & lunæ cultum impenderint, *Deut.* 17. 3. Huic dedicatos equos Joſias Rex Juda è Templo Domini extraxit, curruſque ſimili religione ſacros, à Regibus prædeceſſoribus conſtitutos, igne abſumpſit, 4.

Reg.

(a) Hebr. Succoth. Darala. (b) Vide Selden. de Diis Syr. Syntagm. 2. c. 7. Grot. ad 4. Reg. 17. 30.
(c) Gen. 19. A. M. 2107. ante Chr. 1893. ante Ær. 1897. (d) Deut. 29. 22. Sophon. 2. 9.
(e) De Bello l. 2. c 25. in Vita &c. (f) Hebr. *Semes.* Græc *Heliós.*

Reg. 23. 11. Ingentis criminis reum damnat Jobus 31. 26. &c. virum illum, qui viſo ſole, atque radiorum ejus gloria captus, manum in ſignum adorationis oſculatur; eo enim ſigno Deum altiſſimum velut abjeciſſe ſignificat. Ezechiel 8. 16. ad Templum Domini in Spiritu raptus 25. virorum Juda irreligioſam ſuperſtitionem exhorruit, qui verſis Sanctuario humeris exorientem Solem proni adorabant.

Porrò ex ſole nobiliſſimas Authores Sacri ſimilitudines plerumque deducunt. Ut irruens ſubitò infortunium extremumque malum deſignent, ſolem obtenebratum, & lunam lumen ſuum denegaſſe dicunt (a). Neque ſolem terræ circumduci, neque terram ſoli credebant; ſed in ea erant ſententia, ſolem occidentales terminos attingentem; per excæs ignotaſque vias Orienti reſtitui (b). Tria ſolis prodigia celebratiſſima in Scriptura memorantur. Primò cùm ſol juſſu Joſue ſtetit, *Joſue* 10. 12. 13. ſecundò cùm retrogradus ſub Ezechia receſſit, 4. *Reg.* 20. 11. tertiò cùm tenebris in pleniluno obductus eſt, eo temporis ſpatio, quo Chriſtus in cruce animam agebat, *Matth.* 27. 45.

(Ut curſum aliquem diuturnum rei illuſtris & glorioſæ exprimat Scriptura, tandiu permanſurum dicit, quandiù ſol. Regnum Meſſiæ *permanebit cum ſole & ante lunam*, Pſal. 71. 5. Pſal. 88. 38. de throno Dei *Thronus ejus ſicut ſol*: Eo feliciter regnante (Meſſia nempe) luna luce ſolis micabit; ſol verò ſeptuplo quàm pro conſuetudine fulgidior erit. Jeſus Chriſtus ſol juſtitiæ appellatur Malachiæ 4. 2. *Orietur vobis ſol juſtitiæ.*

Totius terræ tractus deſignatur illis *Pſal.* 49. 1. & 106. 3. & 112. 3. &c.: *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum*, ſeu potius ab oriente uſque ad occidentem. Elevari in ſupplicium coram oculis ſolis *Num.* 25. 4.; projici in patentem agrum urente ſole *Jerem.* 8. 2. *Baruc.* 2. 25., ignominioſum eſt maximè. *Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole Eccleſ.* 1. 14. & paſſim; in mundo. *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus Apoc.* 12. 1.; agitur hìc de Eccleſia ſub emblemate mulieris.)

SOLARIUM; tectum, ſive culmen domus in modum areæ complanatum à S. Hieronymo plerumque *ſolarium* appellatur. Eo in loco exploratores à Joſue miſſos Raab celavit: *In ſolarium domus ſuæ*, *Joſue* 2. 6. Ibi etiam Samuel, 1. *Reg.* 9. 25. ſtratum Sauli collocavit. Porrò areæ iſtæ ſub dio conſtitutæ conſtructa circum lorica ambiebantur, ne facilis eſſet è culmine lapſus. Hæc Moyſes in Lege præſcripſerat, *Deut.* 22. 8. Medium hujus areæ foramen aulæ inferiori reſpondens tenebat, unde Rex Ochoſias in ſubjectum cœnaculum decidens, mortali vulnere affectus eſt, 4. *Reg.* 1. Ex his in viam per ſcalas ſub dio extra domum conſtructas deſcenſus patebat. Hinc Paralyticus ille Evangelii, quòd fores domus confluentis turba obſiderentur, in tectum devectus eſt; inde vero, tegulis fortè quibuſdam ſubductis, in lecto jacens funibus coram Jeſu Chriſto demiſſus eſt, *Matth.* 24. 17. *Luc.* 17. 31. Quicumque, ait Chriſtus, in tecto ſunt, ne in domum quidem deſcendere ſuſtineant, ſed prompta fuga ſe proripiant, nempe per ſcalas exteriores, quò facilior, & promptior fuga ſit (c).

SOLIDUS, unde deductum Gallicum *ſol*, monetæ genus. Principes populi ſub Davide ad conſtruendum Templum *ſolidos decem millia* exhibuerunt (d). Duces verò familiarum poſt reditum è captivitate *ſolidos ſexaginta millia* penderunt, 1. *Eſdr.* 2. 69. Inter pretioſiſſima vaſa ab Eſdra è Babylone relata, viginti crateres pondere *mille ſolidorum* ſpectabantur, 1. *Eſdr.* 8. 27. Sunt, ait Eccleſiaſticus 29. 7., qui aliena facilè poſtulant, in reſtituendo verò adeò difficiles ſe præbent, ut nunquam ſine murmure, & vix dimidium ſolidi reſtituant. Græcus habet tantùm *dimidium*. In Textibus ſupra relatis, Hebræus legit *Darconim*, ſive *Darcmonim*, quod *daricum* ſignificat, Perſarum nummum, cui ex Rege Dario nomen. Porrò daricus, juxta Le Pelletier Rothomagenſem, valore, & pondere ſiclum aureum æquabat, nempe dimidium ſicli argentei, juxta ejus ſupputationem, & 11. libris, 11. ſolidis, & 9. denariis reſpondentem. Qui ſicli aurei pondus cum argenteo confundunt, pondus, & monetæ valorem multiplicant.

SOLITUDO (e), *Deſertum*; quo nomine omnia inculta loca à Judæis cenſentur ad paſcua pecudum deſtinata, & ſylveſtribus arboribus conſita. Hinc nomen ſolitudinis in Scriptura non ſtatim deſertum locum ſine urbibus, & cultoribus ſonat; cùm non rarò agrum ſignificet, urbi, & vico alicui adjacentem paſcuis deſtinatum, & à vomere illæſum. Ita in Scriptura ſingulis ferè urbibus ſuum deſertum tribuitur, uti deſertum Zin, Cades, Thecuæ, Auran, Damalei, Ziph, Jeruelis, Jerichuntis, Jeroſolymæ, Maonis, Gabaonis, Bethel, Engaddi, & Bethſaidæ, & alia. Vide *Deſertum*.

SOLYMA, nomen aliquando Jeroſolymæ adſcriptum. Vide *Jeruſalem*.

SOLYME, vicus Gaulonitidis in Transjordanica. *Joſeph de vita ſua.*

(SOLYMI. Homerus & Chœrilus Poeta apud Joſephum in Appionem l. 1. agunt de Solymis, gente vetuſtiſſima & admirabili, ſermoni Phœnicio aſſueta, & comâ in rotundum attonſa, ſedeſque habente ſuas in montibus Solymis, juxta vaſtum lacum: Hoſce omnes characteres quadrare cum Judæis appellatis hìc Solymis autumarunt Joſephus & Tacitus (f); Metropolim enim Urbem agnoſcunt Judæi Jeruſalem: gens eſt autem planè ſingularis, quà legibus ſuis, quà moribus; ſermone utitur Phœnicio, vel Hebraico, Regionem incolit montuoſam; & in monte pariter ſita eſt Jeruſalem, jacetque proxima lacui Aſphaltiti, omnium quotquot unquam, vaſtiſſimo.

His tamen nequicquam obſtantibus viri plures docti defendunt Solymos Homero & Chœrilo notos alienos eſſe à Judæis. Quod autem maximè opinionem hanc juvat illud eſt, Chœrilo authore, Solymos attonſos fuiſſe coma, quod ne fiat à Judæis, expreſſo lege vetat Moyſes. Vide Levitici 19. 7. & ſupra v. *Sciſſ.* Ad hæc, lacus Aſphaltites ſeptem vel octo leucis diſtabat à Jeruſalem. Quæ arma tractant apud Vatem Solymi, multùm abhorrent à Judæis; coriaceis enim galeis ex arefacto ad fumum corioequino munitos illos affirmat. Raros adhibebant equos Judæi in regione ſua, quippe quæ nimis eſſet montibus interciſa.

Quos igitur Solymos hoſce reputemus? Sunt qui credant Moabitas vel Madianitas lacui Aſphaltiti propinquos & inter Arabes accenſitos, qui comam attondebant juxta plurimorum Hiſtoricorum fidem. Nullibi quidem appellati nomine Solymorum occurrunt; ſed meminit Joſephus de *vit. ſua*, vici cujuſdam ejus nominis trans Jordanem in Gaulonite. Collocant alii montes Solymos in Pyſidia juxta Liciam (g), nec aliò quæri jubent Solymos; Homero & Chœrilo notos.)

SOMER, qui vicum, & montem Samariæ Amri Regi Iſraelis pretio vendidit, 3. *Reg.* 16. 24. Hinc monti nomen *Somer*, ſive *Semer*. Vide *Samaria*.

SOMNIUM (h), quo nomine plerumque in Scriptura inſomnia à Deo miſſa, & prophetica cenſentur. Orien-

(a) Vide Iſa. 13. 10. & 24. 23. Jerem. 15. 9. Ezech. 32. 7. Joel. 2. 31. Amos 8. 9.
(b) Eccli. 1. 5. 6. Vide noſt. Diſſert. de ſyſtemate Mundi Vet. Hebr. ante Comment. in Eccli.
(c) Vide Noſt. Diſſert. de Ædib. Vet. Hebr. ante Comment. in Judic. (d) 1. Par. 29. 7. Hebr. *Adarconim*.
(e) Hebr. *Midbar*. Græc. *Eremos*. (f) Tacit. l. 5. hiſt. c. 2. *Clara aliis Judæorum initia, Solymos Carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ Urbi Jeroſolymam nomen è ſuo feciſſe.*
(g) Le Moine Varia Sacr. t. 2. pag. 826.
(h) Hebr. *Chalom*. Græcè *Enypnion*.

Orientales omnes, & Judæi potiſſimùm, ſomnia ſedulò obſervabant, nihilque apud illos antiquius, quam ut eorum explicationes, ſivè ab aliis quærerent, ſivè ipſi alienis darent. Hujus rei veſtigia apud Ægyptios in hiſtoria Pincernæ, & Piſtoris Pharaonis, *Gen.* 40. 5. 8. ejuſdemque Pharaonis apparent, *Gen.* 14. 15. &c. Apud Chaldæos verò in Nabuchodonoſore paria deprehendimus, *Dan.* 2. 1. &c. & 4. 2. &c. Vetitum à Deo erat Hebræis, ne quis unquam ſivè ſomnia obſervare, ſivè eorum Interpretes conſulere auderet *Levit.* 19. 26. *Deut.* 18. 10. atque capitalis pœna in eos decreta, qui Prophetica ſomnia jactantes, atque futura ex ſomniis prædicentes, etiamſi rei eventus fidem Oraculo feciſſet, *Deut.* 13. 1. populum ad idololatriam ea fraude inducere tentaſſent. Singulis tamen permiſſum, ut ſomnia, quæ rei eventum portendere credidiſſent, ad Prophetas Domini, ſivè ad Summum Sacerdotem Ephod indutum illis conſulendis referrent. Hinc Dominus ſimul Hebræos prohibet ab adeundis ariolis, magis, & ſomniorum interpretibus, *Deu.* 13. 15. ſimulque eodem loco ait: Populus, in cujus regionem immittemini, Divinos, & Ariolos conſulit; vobis autem Dominus Prophetam ſuſcitavit, quem vobis adire, & conſulere, integrum erit. A' Prophetis igitur ſomniorum interpretationes, & rerum futurarum oracula Judæis exquirenda. Hinc Saul paulò antè prælium Gelboe, Pythoniſſam conſulendam ſtatuit, 1. *Reg.* 28. 6. 15. *quia conſuluit Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas, neque per urim, & thummim.*

Ut receptæ in populo de ſomniis opinioni ſe conformaret Deus, ſomnia interdum, rerum eventus portendentia, non immittebat tantum, ſed & certos quoſdam viros eorum explicandorum peritos, excitabat. Abimelechum in ſomniis de Sara Abrahami uxore admonuit, *Gen.* 20. 3. 6. Myſticam quietem ſcalam Jacobo exhibuit, *Gen.* 28. 2. uti & rationem augendi gregis in ſomnio idem Jacob addidicit, *Gen.* 31. 11. Ab ineunte ætate Joſephus ſomniis, facilè à Jacob patre ſuo explicatis, donatus eſt, *Gen.* 37. 5. &c. Idem Joſeph ſomniorum Pincernæ, & Piſtoris Regis Ægypti, quin & ejuſdem Regis interpretatione claruit, *Gen.* 40. 5. &c. & 41. 1. Deus Moyſi locutum ſe dicit, non ut cæteris Prophetis per ſomnia, ſed facie ad faciem *Num.* 12. 6. Madianitas ſomnia curaſſe ex eo conſtat, quod Madianitam ſomnium ſuum alteri narrantem audiens Gedeon, fauſtum pro ſe omen captavit, *Judic.* 7. 13.

Somnia jactantes Prophetas, atque credulas populi aures hiſce ſuperſtitionibus implentes, ita caſtigat Jeremias 23. 25. 27. *Audivi quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes? Somniavi, ſomniavi ..... Propheta, qui habet ſomnium, narret ſomnium; & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè; quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?* Sub Meſſiæ regno futurum ſpondet Joel 3. 1. ut donorum S. Spiritus largiori copia affluentibus hominibus, ſenibus prophetica ſomnia, junioribus verò viſiones obverſentur.

Somnium etiam uſurpatur de inanibus illis imaginibus, quæ dormientibus obverſantur, aberrantis phantaſiæ, non S. Spiritus opus: *Velut ſomnium avolans non invenietur; tranſibit, quaſi viſio nocturna, Job.* 20. 8. *Erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel* (Jeruſalem) *Iſa.* 29. 7. *Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus; & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquàm fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt; ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.* Vide etiam *Pſal.* 72. 20. *Exod* 5. 2. 6.

I. SOPATER, & *Doſitheus*, Duces partibus Judæ Machabæi faventes, qui præſidium cujuſdam arcis à Timotheo relictum 10000. hoſtium peremerunt, A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163. 2. *Mach.* 12. 19.

II. SOPATER, ſivè *Soſipater*, de quo Apoſtolus, *Rom.* 16. 21. *Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei.* An ſanguinis conjunctione ad Apoſtolum viri illi ſpectarent, quamvis verbis hiſce inſinuari videatur, adhuc in ambiguo eſt. *Jaſon* namque Theſſalonicam; *Soſipater* Berœam in Macedonia patriam habuit; quas ſanè urbes à Tharſo, undè Apoſtolus, remotiſſimas fuiſſe conſtat. Quin & Origene authore *in Rom.* 16. ambo illi Ethnici erant origine, quod ab Apoſtoli cognatione plurimùm abluſiſſe videtur. Sed unde illi cognati dicuntur? An fortè, quod ad eamdem gentem, Tribum, urbem, Religionem ſpectarent? Hæc quidem fortaſſe vera, nulla licet aſſerta ratione aſſerantur. Fortè etiam Soſipater ille, qui Romæ verſabatur tempore ſcriptæ ad Romanos Epiſtolæ, alius erat à Soſipatro Berœæ, qui eodem anno eidem Apoſtolo comes in itinere Jeroſolymitano adhærens, facilè, dum Epiſtola Corinthi ſcriberetur, præſto aderat. Vide *Act.* 20. 4. &c.

Porrò de Sopatro, ſivè Soſipatro hæc memoriæ prodita ſunt. Berœæ natus, facilè cum Apoſtolus eò veniſſet, A. Ær. 51. ad fidem deductus eſt. Patrem habuiſſe Pyrrhum in Textu Latino, *Act.* 20. 4. & quibuſdam Mſs. Græcis legimus. Cum idem Apoſtolus Corintho Jeroſolymam tenderet, itineris comites Soſipatrum, Ariſtarchum, alioſque nonnullos Diſcipulos adhibuit. Cùm Philippos veniſſent, Troadem ab Apoſtolo miſſi, ibi ejus adventum opperiri juſſi ſunt. Non ergo eodem anno Supater Romæ verſari poterat, uti ſupra animadvertimus. Hæc tantum de Soſipatro, cujus Feſtum Latini ſub elogio Diſcipuli S. Pauli die 25. Junii celebrant; Græci verò die 28. ſive 29. Aprilis Jaſonem & Soſipatrum cognatos Domini colunt. Quare à Græcis ambo illi Soſipatri confunduntur; quemadmodum & nos in Comment. in Acta, & in Ep. ad Rom. cæterique omnes, quantùm ſcio, Interpretes fecerunt.

SOPHA. Malachiam Prophetam, Sophæ in Tribu Zabulon ortum tradit S. Epiphanius.

SOPHACH, ſivè *Sobac*, Dux exercitus Adarezer. 1. *Par.* 19. 16. Vide *Sobach*.

SOPHAI, filius Elcanæ è familia Caath. 1. *Par.* 6. 26.

SOPHAN, ſivè *Zaphan*, urbs Tribus Gad; *Num.* 32. 36. *Joſue* 13. 27. cui deinde nomen inditum *Amath* Judæi tradunt.

SOPHAR, Nabamathites, amicus Jobi, *Job.* 2. 11. apud Septuaginta *Rex Minæorum*; apud Interpretem Origenis, *Nomadum*. An Nahamath nomen patriæ ſit, an parentis, ambiguum.

SOPHER, Dux in exercitu Sedeciæ Regis Juda, 4. *Reg.* 25. 19. facilè tamen non exercitum ducebat, ſed Scribæ exercitum curantis munus egiſſe ea ipſo nomine autumamus; *Sopher* enim Scriba vertitur.

SOPHIM, ſive *Zophim*, plurale eſt nominis *Zuph*, ſivè *Zoph*. Porrò *Zuph* vir erat inter poſteros Caath è genere Levitarum, 1. *Par.* 6. 26. ejus autem familia nempè *Zophim*, urbem Ramatham patriam Samuëlis habuit; inde nomen *Ramatha Sophim*, ex quo tota regio Terra Zuph appellata fuit, 1. *Reg.* 9. 5.

I. SOPHONIAS, filius Maaſiæ, qui Saraja, ſacra operando, munus *Sacerdotis primi* implente, ipſe *Sacerdos ſecundus* fuiſſe legitur, 4. *Reg.* 25. 18. His verbis demandatum Sophoniæ munus Supremi Sacerdotii deſignari credimus, quoties Sarajas eventu aliquo abſtinere cogebatur. Poſt captam Jeroſolymam à Chaldæis, ambo illi ad Nabuchodonoſorem in Reblatam tranſmiſſi, ejus juſſu neci traditi ſunt A. M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588. Non ſemel Sophonias à Sedecia miſſus, *Jerem.* 21. 1. & 37. 3. Jeremiam ſuper futuris urbis eventibus conſuluit. Joſiam & Hem patrem habuiſſe Sophoniam conſtat, *Zach.* 6. 10. an iſtum?

II. SOPHONIAS, Levita Caathites. 1. *Par.* 6. 36.

III. SOPHONIAS, filius Chuſi, & nepos Godoliæ, è Tribu Simeonis, juxta S. Epiphanium & è monte *Sarabata*, in Scriptura ignoto. Ejus Prophetæ avos in capite prophetiæ recenſitos, pari

cum

Digitized by Google

cùm illo ſpiritu donatos fuiſſe Judæi autumarunt (a). Ex illuſtri genere ortus aliquibus temerè proditus creditur. Ejus geſtorum & obitus hiſtoria nulla ſupereſt. Sub Joſia florebat (b). Quantum autem ex deplorato ab illo rerum Judaicarum, quod ad mores attinet, ſtatu, conjectura aſſequimur, prophetiæ tempus ante decimum octavum Joſiæ, ex quo ille corrigendis moribus operam impendit, conſtituendum, eſt 4. *Reg.* 22. 3. 10. 12. Everſionem etiam Ninives prædicit, ante decimum ſextum Joſiæ non revocandam, ſi cum Beroſo 21. Regni in Chaldæa annos Nabopolaſſaro tribuamus. Oracula igitur Sophoniæ ſub initium Joſiæ conſignanda ſunt.

Primo operis capite, Propheta in populos omnes invehitur, neci à Domino jam deſtinatos; in Judam nempè, & in eos, qui ſaliunt ſuper limen (nempe Philiſthæos) juxta illud, 1. *Reg.* 5. 5. *Propter hanc cauſam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur Templum ejus ſuper limen Dagon.* Inde *c.* 2. in Moab, Ammon, Chus, Phœnices, & Aſſyrios vertitur; ac Ninivem evertendam prædicit. Ninives excidium contigit A. M. 3378. In tertio Prophetiæ capite, primò & minis, & verbis Jeroſolymam terret; dein tacta ſpe ſolutæ captivitatis, atque felicioris ſtatus ſolatur.

SOREC, torrens, qui Tribum Dan perluebat. Dalila etiam Samſonis amaſia in Sorec habitaſſe legitur, *Judic.* 16. 4. quem locum non longè à Saraa, & Eſtaol Euſebius in Locis, Saraa, & Caphar-Sorec collocans, moram in illo duxiſſe Samſonem tradit.

Caphar-Sorec, ſive ager Sorec, vicus non longè à Saraa, Euſebio authore.

Vinum Sorec, quod in valle ejuſdem nominis colligebatur. Vinum illud cum Aſcalonitano, tota antiquitate celebri nonnulli confundunt. Torrens Sorec non longe ab ea urbe fluebat. Rabbini verò Sorec nomen eſſe vitis, copia fructus, & ſuavitate excellentis, ſingulisque anni temporibus feracis autumarunt. Porrò Sorec non uvas tantùm, & vinum vallis Sorec ſonare, ſed aliud quodcumque apertiſſimè conſtat. Quamquam facile uva quæcumque flaveſcens, è qua vinum ejuſdem coloris exprimeretur, deſignabat. Vineam Sorec plantaſſe ſe Dominus proteſſus eſt, *Iſai.* 5. 2. Plantas Sorec Jazer in transjordanica virentes Iſaias 16. 8. commemorat. Vinum autem ejus nominis optimum habebatur, colore aureo, uti quidem credimus, flaveſcenti, *Gen.* 49. 11. *Jerem.* 2. 21. De lino etiam Sorec, ſive colore Sorec, ſermo eſt apud Iſaiam 19. 9 ſicut & apud Zachariam 1. 8. equi ejuſdem coloris inducuntur. Ex hac valle celebrem illum botrum ab Exploratoribus Iſraelitarum ad ſuos relatum ferunt; quamquam non ſatis certo authore hæc afferuntur. *Num.* 13. 26.

SORI, alio nomine *Iſari*, filius Idithun, cujus familia inter 24. Leviticas Templi obſequiis deſtinatas, ordine quarta recenſebatur, 1. *Par.* 25. 3. 11.

(SOROR. Soror Hebræorum ſtilo tam latè patet quam frater, ut eodem cenſeatur nomine ex patre tantùm ſive ex matre ſoror, vel quæcunque affinitate propinqua eſt. Ita Sara eſt ſoror Abrahami *Gen.* 12. 13 & 20. 12. licèt viri hujus eſſet tantùm ſive ex fratre neptis, juxta quoſdam, ſive ex patre tantum & non ex matre ſoror juxta alios. In Levitico 18. 18. cavetur ne adſciſcatur in torum ſoror uxoris, i. e. ne duæ ſorores ducantur; vel juxta plurimos optimos Interpretes vetatur ea lege ſecunda quædam uxor priori ſuperſtite; ita porrò litera, *Sororem ejus non accipies ad lacesſendum*; velutì ſi ea ſanctione interdiceretur polygamia. In Evangelio *Matth.* 13. 55. *Marc.* 6. 3. *fratres & ſorores* Jeſu Chriſti deſignat ejus conſobrinos & conſobrinas ex ſororibus Virginis SS. natas. In Cantico Canticorum 4. 9. 10. 12. & 5. 1. 2. ſoror nomen eſt amoris inter ſponſum & ſponſam. Exprimit pariter interdum ſoror ſimilitudinem morum & conditionum. Ita Jeruſalem apud Prophetas ſoror eſt Sodomæ ac Samariæ, quarum vitia & idololatriam imitatur. Ierem. 3. 8. 10. *Ezech* 16. 46.

Docet Ieſus Chriſtus homines præceptis ſuis morigeros fratres eſſe & ſorores ſuas *Matth.* 12. 50. Iob inter ea, quibus augebatur, mala, dicebat putredini: *Pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus Job.* 17. 14. Hortatur Sapiens alumnum ſuum ut dicat Sapientiæ *Prov.* 7. 4. *Soror mea es*; amet illam ſcilicet & familiariùs utatur. Quærit Apoſtolus num ſibi copia detur, quemadmodum & cæteris Apoſtolis? *Mulierem ſororem circumducendi?* 1. *Cor.* 9. 5. i. e. in itineribus ſuis uti ſocia ac miniſtra pia aliqua & Chriſtiana fœmina. Cum ſe Chriſtiani fratris nomine compellarent, mulieres etiam denominabant ſorores. S. Iacobus 2. 15. *Si frater & ſoror nudi ſint*, ait, *dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini.*)

SORS; Hebraicè *goral*, Græcè *kleros*, Perſicè *pur*, unde Feſtum *Purim*, nempe ſortium. Uſus ſortium in Sacra Scriptura frequentiſſimus eſt. Deus iactu ſortium decernendum iuſſit, uter hircus pro peccato offerri, die Expiationis ſolemnis, uter in libertatem aſſeri debuiſſet, *Lev.* 16. 8. Sortium etiam arbitrio committi certam ſingulis Tribubus terræ Promiſſionis portionem diſtribuendam, *Nu.* 26. 55. 56. & 33. 54. & 34. 13. &c. quod à Deo præceptum à Joſue executioni mandatum fuit, *Joſue* 14. & 15. & 16. &c. Datæ etiam iuſſu Dei ſortitò Sacerdotibus, & Levitis urbes, 1. *Par.* 6. 54. 61. &c. Neque aliter deſtinatus ſingulis 24. claſſibus Sacerdotum, & Levitarum ordo, quo in Templo miniſtrarent, 1. *Par.* 24. & 25. Poſt victoriam in dividenda præda ſortes intercedebant, *Abdias* 1. 11. *Nahum* 3. 10. &c. In Novo Teſtamento, *Jo.* 19. 24. 25. milites iactu ſortium de veſtibus Ieſu Chriſti, iuxta Prophetæ Oraculum, *Pſal.* 21. 19. diſpoſuerunt. Tandem in locum Iudæ proditoris vita functi, alter è duobus ſelectis viris per ſortes ſubſtitutus eſt, *Act.* 1. 26. Iaciendarum verò ſortium ratio neque in Scriptura liquido apparet, neque diſſidentibus inter ſe Interpretibus, ſatis conſtat. Neque enim unus eſt eius ritus. Primus apud Salomonem occurrit, *Prov.* 16. 33. *Sortes mittuntur in ſinum; ſed à Domino temperantur.* In ſinu igitur, ſivè in veſte, ſivè in galea, ſivè in vaſe fictili, vel alterius cuiuſcumque materiæ continebantur, varieque verſatæ, tandem ſive proiiciebantur in terram, ſivè extrahebantur, pro libito, uti quidem videtur, eorum, qui rei præfuiſſent.

Sortium uſus ipſe quidem nulla Lege prohibetur, cùm Deus ipſe ſæpiſſimè illas injungeret, atque præſtantiſſimis utriuſque Teſtamenti viris in uſu fuiſſet. Eius utilitatem Sapiens inſinuans, ait: *Contradictiones comprimit ſors, & inter Potentes quoque dijudicat*, *Prov.* 18. 18. Fateamur tamen oportet, ſortes quandoque contra fas, & æquum adhiberi; cùm nempe nulla adigente neceſſitate, ſivè ſuperſtitionis ſpiritu ducti, vel periculum de Deo facientes, ad ſortes confugimus. Nefas etiam ſortes conſulere, cùm indagandæ veritatis plana ſuppetit via; ac tandem cùm ratio, & religio aliter certam nos in partem determinant. Ita Aman, non ſuperſtitionis tantùm, ſed iniuſtitiæ, & iniquitatis ſpiritu, certam diem Iudæis in Regno Perſidis trucidandis ſortibus deſtinandam commiſit, *Eſth.* 3. 7. Superſtitioſæ etiam Nabuchodonoſoris ſortes, cùm in ancipiti via inter Ieruſalem & Rabbat-Ammon conſtitutus, ſortitò iter elegit, *Ezech.* 21. 18. 19. Nec minùs damnandæ ſortes nautarum in navi Ionæ, dum iis conſultis, ſævientis procellæ cauſam à Deo exquiſierunt, *Jonas* 1. 7. Potuit enim illa ventis naturali cauſa flantibus, proveniſſe; potuit in pœnam criminum ſingulorum proveniſſe. Tandem neque Deus per ſortes virum eiuſdem procellæ reum oſtendere tenebatur. Vide Noſt. Diſſert. de Electione per ſortes ante Coment. in Acta.

(a) Hebræi apud Hieron. in Sophon. initio. (b) Regnum inivit Joſias A. M. 3363. ante Ch. 637. ante Ær. 641

Sors etiam portionem hæreditatis ſignificat. *Aſcende mecum in ſortem meam*, *Judic.* 1. 3. *Dominus pars hæreditatis* (Hebr. *ſortis*) *meæ*, *Pſal.* 15. 5. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum*, *Pſal.* 124. 3.

SORTES. *Feſtum ſortium*. Vide *Purim*.

SOSANIM, ſive *Schoſchanim*, vox in titulo *Pſ.* 44. & 49. occurrens, quàm Septuaginta reddunt: *ii, qui immutabuntur*; S. Hieronymus, & Aquila, *lilia*; Symmachus, *flores*. Nos inſtrumentum fidiculare credimus, ſeu fidibus inſtructum; ſivè *Canticum jubilationis*. Vide Noſt. Præf. in titulum Pſal. 44.

SOSIPATER, quem S. Paulus *Rom.* 16. 21. ſalutat, præpoſterè eum Sopatro Berœæ, *Act.* 20. 4. confuſus. Vide *Sopater*.

SOSIUS, Ductor Romanarum copiarum, qui pro Herode ad obſidionem Jeroſolymæ contra Antigonum filium Ariſtobuli exercitum duxit (a). Vide *Herodes*, & *Antigonus*.

SOSTHENES, Princeps Synagogæ Corinthi. Cùm Judæi Corinthii ad Gallionem reum S. Paulum de invecto novo colendi Dei ritu egiſſent; ille de legalibus judicium ferre recuſans, partes inauditas dimiſit. Igitur apprehenſum coram eodem Judice Soſthenem Principem Synagogæ ceciderunt, Gallione neque prohibente, neque curante (b). Hæc in Actis. Judæine an Ethnici Soſthenem verberaverint, ambigitur. In Græco Textu impreſſo, & in Textu apud S. Auguſtinum, & Bedam (c), Ethnicis factum tribuitur. Cùm enim, inquiunt Patres illi, Pagani malè exceptos à Judice Hebræos cernerent, Præſidis exemplo audaciores facti, de Principe Synagogæ, ſivè ludibrium, ſivè ultionem de Paulo ſibi capiendam autumarunt. Patis Cajetanus, Lyranus, Grotius, aliique cenſuerunt.

Alii verò (d) tenent, ſupplicium de viro illo à Judæis exactum, quòd Paulo favere clam deprehenderent, quem non poterant in virum furorem, in amicum explerent. Hujus opinionis aſſertores eumdem credunt Soſthenem, cujus nomen una cum Apoſtoli nomine legitur in fronte primæ Epiſtolæ ad Corinthios, triennio poſt primum Pauli Corinthum adventum ſcriptæ A. Ær. 56. Sed hujus rei traditio non uſque adeò ſanè conſtans fuit, cùm Euſebii ætate (e) Soſthenes inter 70. Diſcipulos recenſeretur; quem proinde alium fuiſſe oportet à Principe Synagogæ Corinthi, 20. ab obitu Chriſti annis. Ejus Feſtum ſub elogio Apoſtoli, atque ex 70. Diſcipulis, nec non Epiſcopi Colophonis, ad diem 8. Decembris Græci conſignant. Latini verò à nono ſæculo Soſthenem diſcipulum Sancti Pauli die 11. Junii & 28. Novembris coluerunt (f).

SOSTRATUS, Præfectus Antiochi Epiphanis in arce, quam Græci in urbe ſuperiori Jeruſalem tenebant (g). Cùm fruſtrà apud Menelaum egiſſet, ut debitam Regi pecuniam ſolveret, ambo ad eumdem Regem acciti ſunt; Soſtratus verò Cypri deinde Præfecturam obtinuit. Hæc in latino Textu. Græcus autem legit (h): *Soſtratus reliquit ſucceſſorem* (nempè in arce Jeruſalem) *Cratetem*, *qui erat* (ſeu qui fuerat) *Præpoſitus Cypri*, ſive copiis Regis Syriæ præerat.

SPARTIATÆ. Vide *Lacedæmones*.

SPECULA. Locus editus, ubi vigiles in ſpecula conſtituebantur. Nomen eſt etiam certi loci, 2. *Par.* 20. 24. *Cùm veniſſet ad Speculam, quæ reſpicit ſolitudinem*. Hebræus legit *Mizpha*, ſive *Mizphe in deſerto*, facile *Mazpha* urbs Beniamin, *Joſue* 18. 26. & 3. *Reg.* 15. 2. & 2. *Par.* 16. 6. &c.

(SPECULA. Narrat Moyſes pias illas fœminas excubias agentes præ foribus Tabernaculi in deſertu, obtuliſſe alacres ſpecula ſua in opus labii ænei ad luſtrationes Sacerdotum *Exod.* 38. 8. Erant utique ſpecula illa ænea, cùm ex ipſis conflaretur labium & baſis. Non deſunt tamen ex Interpretibus quidam vitrea limbo æneo ornata, autumantes. Malunt alii circùm diſpoſita fuiſſe vaſi æneo, quò ſcilicet in ſpeculo inſpicerent ſe Sacerdotes. Sed fruſtra hæc reputemus, cùm refragante nemine conſtet parari olim conſueviſſe ſpecula ex ære, ſtanno, argento, atque æris & argenti mixtura. Poſtrema hæc æſtimabantur pluris: *Plin. l.* 33. *c.* 9. *Optima apud majores ferunt Brunduſina, ſtanno & ære mixtis*. Quædam hòdie paritet è metallo non deſunt æſtimata pluris. Narrat S. Clemens Alexandrinus, *de Adorat. in ſpir. l.* 2. mulieres Ægyptias ad Templum procedentes linea palliatas tunica, ſiniſtra quidem geſtare ſpeculum, dextera ſiſtrum.

Dum ſuperſtitioſa & diabolica operabantur Magi, uſi ſunt interdum ſpeculis; nec deſunt quibus perſuaderetur Salomon ipſe, & Alexander Magnus (i), parata habuiſſe ſpecula, quorum ope res naturales & ſupernaturales etiam interdum pervaderet. Divinationem per ſpecula norant Veteres. Fertur puer relatis licèt oculis inſpexiſſe in ſpeculo, quæ maximè cernere deſiderabat (k). Veneficæ Theſſalæ, quæ deducere ſe in inferiora lunam gloriabantur, ſcribebant in ſpeculo, quæ conſulenda proponebantur, & conſultor legebat reſponſa non in ſpeculo quidem, ſed in luna, *lunam enim è Cœlo deducere* veneficas illas fama erat.

Specula plerumque rotunda parabantur apud Veteres. Inſectatur Seneca Natural. quæſtion. l. 1. in fin. luſum fœminarum ætatis ſuæ, eò uſque intolerabile, ut ſpecula haberent hominum ſtaturam æquantia, quæ tanti valebant, quantum olim ſuffeciſſet in dotem puellæ ex Imperatore Romanarum copiarum natæ. *Rerum jam potente luxuria, ſpecula totis paria corporibus auro argentoque cælata; pluris unum ex his fœminæ conſtitit, quàm Antiquorum dos illa fuit, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum filiabus. An tu exiſtimas ex auro nitidum habuiſſe Scipionis filias ſpeculum, cùm illis dos fuiſſet æs grave? Jam Libertinorum virgunculis in unum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione.*

Sophocles apud Athenæum l. 15. exhibet Venerem unguentatam & inſpicientem ſeſe in ſpeculo, quod vetuſtatis ſpeculorum apud Græcos eſt argumentum. Meminit Pauſanias l. 7. 21. alterius ſpeculi quo explorabatur num æger recepturus eſſet ſanitatem vel ſecùs. Funiculo commiſſum ſpeculum ad imam aquæ ſuperficiem ita demittebatur, ut ejus extremus limbus aquam contingeret. Tum precibus Dea rogabatur, non ſine thuris ſuffitu, ſtatimque offerebatur inſpicientibus in ſpeculo æger qualis reipſa futurus erat, convaleſcens, vel extinctus.

SPELUNCA *duplex*, Geneſ. 23. 9. Vide *Macphela* in Dictionario Biblico.

SPES. *Spes Iſrael Act.* 28. 20. in adventu Meſſiæ conſtituta erat, in exitu captivitatis Babylonicæ, & in acquiſitione cæleſtis felicitatis. Dominus eſt ſpes Juſtorum, nec ſpe illos ſua fruſtrabitur; viciſſim autem: *Spes impiorum peribit*, *Proverb.* 10. 28. *Job.* 8. 13. recidet in caſſum; vel potiùs vivent & morientur ſpe deſtituti. *Spes quæ differtur affligit animam*; *Proverb.* 13. 12. cùm verò anima, quod deſiderat, potitur, ſolamen accipit. Caro juſtorum *requieſcet in ſpe Pſal.* 15. 9. opperietur tranquilla reſurrectionem futuram Abraham: *Contra ſpem in ſpem credidit*; cùm ſcilicet ætate effœtus Deo pollicenti filium ſibi credidit *Rom.* 4. 18. *Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcent*; *Sap.* 16. 29. ſermo eſt de Iſraelitis negligentibus colligere mannam, qua ad ſolares radios liquata, ſimul.

(a) Antiq. l. 14. c. ult. A. M. 3967. ante Ch. 33. ante Ær. 37. (b) Act. 18. 12. 13. A. Ch. 56. Ær. 53.
(c) Aug. Ep. 93. & 7. nov. edit. Beda in Acts. (d) Vide Chryſoſt. in Acts hom. 39. Oecum. in Acta, Theodoret. 1. Cor. c. 1. Sanct. Fromond. Eſt. &c. (e) Hiſt. Eccl. l. 1. cap. 12. (f) Vide Tillem. Hiſt. Eccl. t. 1. not. 45. ſur. S. Paul. (g) 2. Mach. 4. 26. 27. A. M. 3834. ante Ch. 166. ante Ær. 170. (h) Σώστρατος δὲ Κράτητα τὸν ἐπὶ τῶν Κυπρίων (i) D'Herbelot. Bibliot. Orient. p. 392 (k) Spartian. in Sever.

ſimul autem deſluebat ſpes eſurientium. *Vincti ſpei Zach.* 9, 12. ſunt Iſraelitæ in captivitate, qui tandem malorum exitum ſperabunt.

SPES, in Novo Teſtamento uſurpatur pro fiducia in Jeſum Chriſtum, ſpe in bona æterna, & reſurrectionem futuram: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei Rom.* 5. 2. *Probatio operatur ſpem, ſpes autem non confundit Rom.* 5. 4. 5.; è patientia ſpes noſtra & conſolatio, quam deducimus ex Scripturis, repetitur. *Fides, ſpes, Charitas theſaurus* ſunt Chriſtianorum, *Rom.* 15. 4. *Chriſti Jeſu ſpei noſtræ*, ait Apoſtolus 1. Timot. 1. 1. in eo tota ſpes noſtra in hac & in altera vita conſtituitur, in ejus ſcilicet gratia, promiſſionibus, & ſpiritu.

SPINÆ. Corona illa ſpinarum, qua Jeſus Chriſtus in paſſione ſua redimitus fuit, viros doctos exercuit. Diſſertationem de hoc argumento ſcripſit Thomas Bartholinus impreſſam cum Lucubratione ejus de Cruce Domini. Spinis obſitum fuiſſe caput Jeſu Chriſti non obſcurè docent uno aſſenſu Evangeliſtæ; ſed qua de cauſa ſertum illud adderetur capiti, quidnam eſſent ſpinæ illæ, ſilent omnes. Nonniſi vero propiùs autumaremus inſultando Regiæ ejus, quam aſſerebat, dignitati hæc excogitaſſe milites, ſimul autem volentes inſultui tormentum addere & dolorem, coronam, non utcunque, ſed ſpineam, vulnerando & terebrando capiti aptam, parant. *Chriſtus Jeſus quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? .... Certe, præter figuram, contumelia in promptu eſt & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt. Tertull.* de corona militis

Sed quas potiſſimùm ſpinas ad intentum ſelegerunt milites? Plerique rem exponunt de vulgaribus ſpinis, (*rubus*) fructus quoſdam ferentibus parvum, *pruna* appellant, album florem, quæ ſpinas habent foliis intermixtas. Reputarunt nonnulli, cùm ea eſſet anni tempeſtas, quâ in ea Regione florebant dumeta, elegiſſe milites ſpinas, ſpecie quidem ut floribus coronarent, re vera ut inſultui adderetur ſpinarum tormentum.

Notant alii (a) in Palæſtina, & maxime in circumjacenti Hieroſolymæ agro nihil hodie remanere ſpinarum ejuſmodi, ſed tantùm ſpectari *Rhamnum*, vel nigrum prunum, vel hircum ſpinoſum; quare non immeritò reputarentur milites illi ſpinarum genus illud ſelegiſſe, quod pronum erat & ad manus, nec de aliis ſpinis fieri ſermonem ab Evangeliſtis.

Præferunt alii *Acaciam*, cujus eſt arbos *ſpina*, Græcè *Acanthus* ſine addito appellata (c).

Alba ſpina, Oxiacantha, placet aliis, frequentiſſima arbuſcula & ſpinis duris hiſpida. Flores profert albos & gratè redolentes.

Juncus marinus ſuos habet patronos (d). Armatur in extrema ora cuſpide præacuto; & fama eſt ſpinas illas Sanctiſſimæ coronæ, quæ alicubi monſtrantur, juncum marinum ſimilitudine referre. Durandus, omnium vetuſtiſſimus, qui rem totam excuſſerint, quippè quo puero ſacrum illud pignus Lutetiam delatum eſt, affirmat è marino junco exhiberi (f); nec diſcrepant quicumque noſtrâ ætate ſedulò inſpexerunt portionem illam, tum quæ ſervatur in Sacra Æde, tùm quæ in Templo noſtræ Dominæ Pariſiis. Notat Baillet coronam illam, quæ in Sacra Æde Pariſiis ſervatur, poſt revulſam poſtremam ſpinam regnante Ludovico XIII. cuſpidibus hodie penitùs deſtitui.

Alii non infrequentes (g) in hanc ſententiam armantur; quippè quam adverſam ducunt Textui Evangeliſtarum, præferenti ſpinas, non juncum marinum, qui pariter juncus intentui militum minùs ſerviret; cuſpidibus enim nullis niſi in extrema ora armatur; Adverſariis junci marini ſocius accedit Bartholinus Diſſert. de Spin. Coron. proferens teſtimonium Deltii, qui non ſemel inſpexiſſe ſe dicit coronam Pariſiis ſervatam, tum & alias alicubi per Orbem, ut in Hiſpaniis, Belgio &c. nihilque comperiſſe quod Juncum marinum indicaret; ſed potiùs ſpinam hircinam, vel nigrum prunum, vel generatim ſpinam ampliorem & rotundam. Non abſimilem figuram præfert Trevirenſis, quam pictam exhibet Manzelius (h).

Diſſidium eſt pariter an Chriſtus ſpinoſum illud ſertum retinuerit, dum pariter in Crucem elatus eſt; an potiùs dum nudaretur veſtibus & ſerto illo pariter liberatus eſſet. Variant hac in re Scriptores; quorum opiniones via conciliare niteremur, ſicut & quæſtionem dirimere in tanto Sacrorum Scriptorum ſilentio. Nihil pariter docet vetus hiſtoria de ratione, qua ſacrum illud ſertum conſervatum eſt, & ad nos uſque tranſmiſſum. Via etiam admitteremus ſpinas omnes & portiones Sanctiſſimæ Coronæ, quæ per orbem monſtrantur, ex unica Corona Jeſu Chriſti derivari.)

SPIRITUS, Hebraicè *Ruach*, Græcè *Pneuma*, in Scriptura modo uſurpatur de Spiritu Sancto, tertia Ss. Trinitatis perſona, quo afflante Prophetæ loquuntur, juſti vitam, nos unctionem, lumen, & ſolamen recipimus; Ejuſque ac Patris & Filii nomine baptiſmus confertur. Tandem Spiritus eſt vivificans, è Patre Filioque procedens.

Modò etiam pro halitu uſurpatur, pro vita animalis, æquè hominibus & brutis communi, *Gen.* 7. 15. *Num.* 16. 22. *Job.* 12. 10. quem ſcilicet ſpiritum Deus nobis largitus eſt, atque vitam adimens à nobis repoſcit.

Animam etiam ratione utentem deſignat, qua modò vivimus, & quæ poſt corporis obitum, utpotè ſpiritalis, manet, ratione, liberaque agendi facultate prædita, ac tandem æterna beatitudine fruendo apta. Eodem quoque nomine ventus deſignatur, ut in illis: *Spiritus procellarum*, *Pſal.* 10. 7. *Spiritus grandis & fortis*, 3. *Reg.* 19. 11. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*, *&c. Pſal.* 47. 8.

Spiritus ſunt pariter Angeli, Dæmones, & animæ à corpore ſejunctæ. Hinc Saducæi negaſſe feruntur eſſe animas & Spiritus, *Act.* 23. 8. Jeſus Chriſtus Apoſtolis per viſum apparens, ait: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*, *Luc.* 24. 39. Angeli juſti apud Apoſtolum appellantur, *Hebr.* 1. 14. *Adminiſtratorii Spiritus*. Spiritus nequam a Domino immiſſus Saulem agitaſſe perhibetur, 1. *Reg.* 18. 10. & 16 14. & 19. 9. ac tandem in Evangelio Dæmones dicti ſunt, *ſpiritus impuri*, *maligni*, *tenebrarum*.

Tandem Spiritus eſt corporis, ſivè cordi habitudo; utriuſque enim bona vel mala habitudo ex uno ſpiritus fonte derivari præſumuntur. Ita legimus, *ſpiritus zelotypiæ*, *Num.* 5. 14. *fornicationis*, *Oſee* 4. 12. *precum*, *Zach.* 12. 10. *infirmitatis*, *Luc.* 13. 11. *ſapientiæ & intelligentiæ*, *Eccli.* 15. 5. *Iſai.* 11. 2. *timoris Domini*, *Iſai.* 11. 2.

(SPIRITUS quo animabantur Prophetæ, agebantur, afflabantur. Vide ſupra v. *Enthuſiaſmus*.

Diſcretio ſpirituum, Donum eſt, quo, largiente Deo, intelligimus cum homo aliquis Dei ſpiritu afflatus ſit, vel Prophetam ſimulans agat impoſturam, nullius ductum ſpiritus ſequens, niſi vel proprium.

(a) Bellon. l. 2. Obſervat. c. 88. Vide Hieronym. in Habacuc 3. Greſter l. 1. de Cruce c. 12.
(b) Marcell. Empiric. c. 13.
(c) Hugo Cardinal. in Juan. Tolet. Perer. alii, Durand. l. 6. Divin. Offic. c. 17.
(d) Vide Baillet Vitæ SS. to. 4. pag. 247. Inſtrumenta Paſſionis J. C.
(e) Baron. Annal. ad A. 34. n. 86. Caſaub. Exercit. 74. Jac. Jauſen. in vita Coccian. Delrius de Paſſion. Lect. 9.
(f) Annales Treviren. Prover. t. 5. p. 583.

proprium, vel Satanæ. Agit S. Paulus 1. Corint. 3. 12. de diſcretione ſpirituum inter dona prodigioſa jam olim ab exordio Eccleſiæ indita fidelibus, & S. Joannes in priori Epiſtola ſua cap. 4. 1. *Nolite*, ait, *omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*.

Spiritum nolite extinguere, ait Apoſtolus 1. Theſſal. 5. 19. Spiritus autem duplici ratione extingueretur; 1. Si Divinum hunc Spiritum ſecedere à nobis cogamus per crimen, mores perditos, reum inanium ſtudium, avaritiam, deſidiam, & reliqua crimina charitati, veritati, paci, vel cæteris donis S. Spiritus oppoſita. 2. Extinguitur Spiritus, cùm id præſtamus, quo mereamur multari à Deo privatione donorum ſupernaturalium, quæ gratuitus conceſſit, uti prophetiæ, doni linguarum, tum & reſtituendæ valetudinis. Quanquam enim dona illa unica Dei liberalitate conceſſa vel impiis interdum communicata ſunt; nihilo tamen ſeciùs conſentit illa non raro fidelium precibus, ſicut & in ſe recipit abuſus illorum, & contemptus ultionem.

Contriſtare Spiritum, duplici etiam ratione uſurpatur, vel ſcilicet dictum accipitur de gratia intima, ſeu habituali; ſeu actuali; ſive potiùs de donis illis prodigioſis, quæ largiente Deo, interdum dabantur primævis fidelibus. Spiritum contriſtamus obſiſtentes pervicaciùs inſpiranti intùs Numini, per gratiam ſuam excitanti, vitam agentes remiſſam & deſidem. Contriſtamus etiam neglectu donorum ipſius, & abuſione vana ſectantes curioſa, negligentes omnia. Contrario planè ſenſu: *Reſuſcitamus gratiam Dei, quæ eſt in nobis Timot.* 1. 6. exercitatione virtutum, facilitate in auſcultando ejus monita, in obſequia illius ſtudio, tum & grati animi in illum adniſu,

Spiritus, ut oppoſitus carni, exprimit, qua vivimus, animam. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, Geneſ.* 6. 3. perdam univerſum hominum genus, revocabo ex illis Spiritum meum & animam, quam largitus ſum, quia carnales ſunt, & brutalibus carnis paſſionibus ſeſe totos permiſerunt; uno verbo: *Omnis quippè caro corruperat viam ſuam Geneſ.* 6. 12.: excidit illis quodammodo homines eſſe ſe, ratione utentes, ut ſe totos, more brutorum, carni immergant.

SPIRITUS morali ſenſu carni opponitur *Rom.* 7. 25. *Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*. Rom. 8. 13. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Et Galat. 5. 19. 22. *Manifeſta ſunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia &c. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas.*

Spiritus Jeſu Chriſti, quo ſinceri Chriſtiani & filii Dei animati diſtinguuntur à filiis tenebrarum, quibus inſidet ſpiritus mundi, eſt donum gratiæ, adoptionis, Spiritus Sanctus in corda noſtra diffuſus, fiduciam nobis inſinuans clamandi ad Deum; *Pater Rom.* 8. 15. Quicumque eo cientur ſpiritu *Galat.* 5. 24.: *Carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis, & concupiſcentiis. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Et Rom 8. 9 *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Spiritus Jeſu Chriſti inſidens Prophetis 1. *Pet.* 1. 2. eos inducebat ut indagarent ſolerter tempus futuræ paſſionis, & gloriæ ipſius.

Spiritus Jeſu Criſti 1. *Petr.* 3. 19., *in quo & his, qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit, qui incredali fuerunt aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. Crucem hic Textus figit Interpretibus, ut ſalebræ undique occurrant. Adeas Commentarios, ubi de hoc argumento fuſiùs. Hunc ſenſum inter cæteros ceu proniorem ſeligimus. Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam ejuſdem ſpiritus virtute, qua revocante redierat in vivos, deſcendit ad Inferna, ſeu in carcerem, ad locum ubi SS. Patriarcharum animæ detentæ, ejus adventum opperiebantur; quibus & libertatem annunciavit & contulit reipſa, reductis illis è carcere; ſpiritibus verò, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe, increduli ſcilicet Spiritui Jeſu Chriſti, cujus nomine annunciata illis fuerat veritas & patientia, Noemi ætate; ſed dictis ſurdas aures præbuerunt, dum viverent, atque in incredulitate ceſſerunt è vita; ſpiritibus, inquam, illis veritas Jeſu Chriſti annunciata fuerat; ut & renunciatum deſcendiſſe illum ad Inferna, ſed eo nuncio conſcientiæ ſtimulis majoribus agitati ſunt, exaggerata ſupplicia & deſperatio.

SPIRITUS. *Apparitiones ſpirituum*. Perſuaſio de Spiritibus, Angelis, Dæmonibus, & defunctorum animabus ſpectandos ſe hominibus præbentibus in omnes latè gentes pervagata eſt. Petita eſt autem è frequentiſſimis hiſtoriis & experimentis, & quod caput eſt, ex authoritate Librorum Sacrorum. Apparitiones Angelorum, & Dæmonum utraque pagina offerunt Libri utriuſque Teſtamenti, in quibus pariter exhibetur opinio redeuntium in mundum, & ſpectandos ſeſe præbentium Spirituum & animarum Defunctorum. Id habes expreſſum in hiſtoria evocati à Pythoniſſa Samuelis 1. *Reg.* 28. 11. 12., tum & in illis Jeſu Chriſti ad Apoſtolos, Luc. 24. 39. *Palpate & videte quia Spiritus carnem & oſſa non habet*. Idem ponunt ſub oculis Apoſtoli gradientem Jeſum Chriſtum ſuper aquas cernentes, admirantesque, tum & dicentes *quia phantaſma eſt Matt.* 14. 26. In Actis Apoſtolorum 12. 13. 15. Apoſtolum S. Petrum ædium fores pulſantem, Angelum reputarunt quidam, qui norant parùm antehac Apoſtolum detruſum fuiſſe in carcerem. In primo Machabæorum 15. 12. 15. 16 Onias Summus Sacerdos, & Jeremias Propheta ſpectandos ſe præbuerunt per quietem Judæ Machabæo.)

SPITHAMA, menſura duodecim digitorum, nunquam ſanè in Textu Latino Scripturæ occurrens; in Græco tamen *Judic.* 3. 16. Hebræò *gomed* (a) reſpondet, ubi menſuram ignotæ magnitudinis denotat. Spithama etiam legitur in Græco *Exod.* 28. 16. & 39. 7. & 1. *Reg.* 17. 4. & *Iſa* 40. 12. *Ezech.* 43. 14. tibi in Hebræo eſt *zereth*. Porrò ibidem ſemicubitum, ſive duodecim pollices, & aliquanto amplius denotat.

SPONSALIA. Vide *nuptiæ*, ubi etiam de ſponſalibus.

STACTE, vox Græca, gummi denotans ex arbore myrrhæ ſtillans. Stacte à plaſte in eo diſtinguit Salmaſius *ad Solin.*, quòd *Stacte* fluidum illum liquorem deſignet è myrrha expreſſum; qui ſanè pretioſiſſimus, & puriſſimus habetur, cui antonomaſticè aromatis, ſeu myrrhæ nomen. *Plaſte* gummi eſt craſſius poſt expreſſum ſtactem relictum, quod in bolum reducebatur, ut thuris potiùs, quam aromatis ſpeciem referret.

Sæpè in Scriptura *ſtactes* mentio. Iſmaelitæ mercatores *reſinam & ſtacten* in Ægyptum deferebant, *Gen.* 37. 25. Iacob filios ſuos monuit, ut ſtactes munere Præſidem Ægypti ſibi conciliarent. *Gen.* 43. 11. Hebræus legit *zeri*, & *lath*; nempè reſinam, & aliud; quid potiſſimùm, incertum. Sunt qui de myrrha explicent; alii de terebintho, ſivè caſtaneis, de *ladano*, ſivè *ledo* liquore gummoſo, ea ſpecie quadam *ciſti* ſtillante, dictum interpretantur. In thymiamate conficiendo ſuper Altare aureum adolendo, ſuus inter cætera aromata ſtacti locus erat *Exod.* 30. 34. Hebræus habet *neteph*, quod liquorem, ſive oleum è myrrha expreſſum ſignificat.

Tandem idem nomen *ſtacte Ezech.* 27. 19. recurrit, in Hebræo *Kidda*, apud Septuaginta *iris*; Hoc Hebræum verbum S. Hieronymus *Exod.* 30. 24. *caſiam* odoram vertit; facilè tamen *iridis* ſpiritum denotat.

STACHYS, Diſcipulus S. Pauli, cujus eſt honorifica in Epiſtola ad Romanos 16. 9. mentio, neque ulteriùs de illo quidquam. Narrat Nicephorus Caliſtus *l.* 2. *c.* 39. S. Andream, cùm Byzantium prædicationis gratia veniſſet, poſt nonnullam ibidem

moram,

(a) Vox illa Hebræa menſuram non deſignat, niſi Judic. 3. 16.

moram, tandem alio divertere coactum, Stachym Epiſcopum loci reliquiſſe. Feſtum illius ad diem 31. Octobris in Menæis conſignatur. Martyrologium Romanum eadem die memoriam recolit S. Stachys, cujus in Epiſtola ad Romanos ſub amiciſſimi viri elogio mentio. Apud Græcos titulum obtinet Apoſtoli, ſicut & inter ſeptuaginta recenſetur. Nihil tamen de hiſce apud Veteres ante Nicephorum.

STADIUM, itineris menſura 125. paſſibus geometricis conſtans. Octo ſtadia milliare; tria verò milliaria leucam vulgarem efficiunt. Vide tabulam menſurarum.

STADIUM, locus erat, ubi currentes publica ſpectacula edebant, ſivè exercebantur. Huc ſpectans S. Paulus, pluribus, ait, in ſtadio currentibus, bravium ad unicum ſpectat, 1. *Cor.* 9. 24. Loco nomen inditum, quòd ſtadiis diſtingueretur, ut quidam primum ſtadium, alii ſecundum &c. curſo emetirentur.

STARBUZANAI, ex Præfectis Regis Perſarum cis Euphratem, qui literas ad Regem contra Judæos è captivitate regreſſos dedit 1. *Eſdr.* 5. 6.

STATER, moneta ſiclo æqualis; quare *Jeſu* Chriſti miraculo Petro in Lacu Tiberiadis piſcanti piſcis obvenit *ſtaterem* in ore tenens; ut tributum medii ſicli viritim Templo pendendum, *Exod.* 30. 13. pro ſe, & Chriſto ſolveret, *Matth.* 17. 26. Quarta pars ſicli 1. *Reg.* 9. 8. 16. 18. redditur quarta pars ſtateris; & *Jerem.* 32. 9. ſiclus à S. Hieronymo vertitur *ſtater*. Vide & *Ezech.* 4. 10. & 5. 1.

(STATUA SALIS. Docet Scriptura uxorem Loth in Statuam ſalis riguiſſe. Videſis V. *Loth*. In hanc metamorphoſim plura ſciſcitantur Doctores, & in plura abierunt ſyſtemata, ut prono & naturali ſenſu verba illa Moyſis exponant. Ejus Textus hæc tantummodo præfert: *Reſpiciens uxor ejus* (Loth) *poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam Salis*. Sunt qui Textum ita reddant (a) *Immobilis evaſit ut ſtatua Salis*. Alii, obiit illa dolore oppreſſa in eodem loco, riguitque ejus cadaver, tanquam erecta ſtatua. Sal typo ſuo exprimit incorruptile aliquid & rigens. Aliter: Obriguit tanquam ſtatua in regione illa ſalis, in regione Sodomæ nitroſa maximè & ſalina. Sed hæc violenta vel ad ſenſum apparent.

Perſuaſum habuerunt Veteres uxorem hanc Loth affectantem lento atque cunctabundo greſſu incedere, Dei ultionem tranſmutaſſe ſubitò in ſtatuam Salis metallini ac ſolidi; cujus generis materiam exhibent montes Ungariæ, Poloniæ, & Moſcoviæ; priſtinam verò humanam formam ita retinuiſſe, ut quanquam ex ea maſſa plura fruſtula ſibi quiſque itinerantium tolleret, nihil tamen è ſimulacro iſto ſive de mole, ſive de artuum œconomia decederet (b). Quin & menſtrua mulierum incommoda ſenſiſſe marmoream illam fœminam tenet S. Irenæus l. 4. c. 51. & Tertullianus, ſeu alius in Proœm. Carm. de Sodom.

Dicitur & vivens alio ſub corpore, ſexus
Munificos ſolita diſpungere ſanguine menſes.

Affirmat Joſephus *Antiq.* l. 1. c. 12. [illegible] ſtatum ſe teſtem ſimulacrum illud ſpectaſſe, quod & manſurum ad exitum uſque mundi aſſerunt Paraphraſtes Chaldæi, Jeroſolymitanus, & Jonathan filius Uziel. Idem ſpectaſſe ſe pariter affirmant Itinerantes plures, quæ eſt tandem vulgaris & recepta perſuaſio in locis ad Mare mortuum adjacentibus.

Autumarunt alii (c) commodè exponi Textum Moſaicum, ſi reputemus ignem, quo Sodoma & circumjecta illi regio exarſit, calore ſuo meatus in corpore miſeræ fœminæ aperuiſſe, ut facilè aerem undique obſidentes particulæ ſalis, totum pervaderent, quibus ſubeuntibus rigor ſtatim in membris ſucceſſit, tum & in ſal latè undique regnans tranſire fœmina viſa eſt. Nec id caret exemplo. Aventinus in ſuis Annalibus Bojorum (d) refert agreſtes quoſdam ultra 30. vaccarum gregem paſcentes, peſtilentis aeris afflatu, dum terra concuſſione quadam pulſaretur, ita correptos fuiſſe, ut ſubito in ſtatuas veluti ſalis tranſmutarentur; ſexcenta id generis alia ſuppetunt (e).

De ratione inducti hujus prodigii conjecturas quaſdam dedimus in Commentarios Geneſeos: notavimus in locis adjacentibus Mari mortuo, & Arabiæ Petreæ regnare virtutem quandam lapidificam, qua corpora ſolida, ſi fortè diutius ibi perſeverent, tranſeunt in lapides. Apud Ægyptios plura fuiſſe corpora balſamo condita perinde ac ſtatua rigentia, quæ meritò appellares *Statuas ſalis* vel ſalitas. Herodotus & Diodorus Siculus utuntur verbo *Salire*, ut exprimant cadavera balſamo condita, cujuſmodi nos *Momias* appellamus. Ita Moyſes commodè affirmare potuit uxorem Loth ſubito terrore corruentem in terram brevi tranſiiſſe in ſtatuam ſalitam vel condiente balſamo rigentem. Vide Commentariorum Scriptores in Geneſim 19. 26.

STATUA NABUCHODONOSORIS, ſeu potiùs quam Nabuchodonoſor per quietem ſpectavit (f), Immanis erat coloſſus & horrendus aſpectu. Caput præferebat aureum, pectus & brachia argentea, ventrem & femora ænea, crura ferrea, pedes partim ferreos, partim fictiles. Emblema illud exponens Daniel ſignificavit Imperium Nabuchodonoſor, vel Chaldæorum micare in capite aureo; in pectore & brachiis argenteis exhiberi Perſarum, authore Cyro, Imperium; ſuccedere Græcorum Imperium authore Alexandro Magno, illudque referri ex ventre & femoribus æneis. Crura ferrea Imperium eſſe Romanorum, ſeu potiùs bipartitum Imperium Seleucidarum in Syria, & Lagidarum in Ægypto demonſtrant. Quæ molimina agitarunt Reges & Ægypti Syriæ, quò uno juncti connubii vinculo, duo illa Regna in unum coaleſcerent, hæc revocare ſub oculis fœdus illud ferri & argillæ in pedibus; ſed fruſtra conatus illi omnes reciderunt. Lapillus ille, qui avulſus è monte, impegit in Coloſſum, refert Imperium Romanorum, quibus rerum potientibus in mundum venit Meſſias, ſpectavitque Coloſſum Romanorum armis dejectum.

Idem Nabuchodonoſor dedicavit ſtatuam auream 60. cubitis immanem, & 6. latam erexitque in provincia Dura in Babylonia (g); tum lato edicto per ditionem ſuam omnibus imperavit, proſternerent ſe coram Simulacro, ſtatim ac muſicorum inſtrumentorum harmoniam audirent, decreto in refractarios incenſæ fornacis ſupplicio. Daniel & ſocii recuſantes juſſionibus Regiis parere, projecti ſunt in fornacem; ſed divino prodigio evaſerunt illæſi. Vide *Daniel*.

Sed quæ Statua iſta, & quid potiſſimum referebat? Sunt qui ſimulacrum fuiſſe Nabuchodonoſoris autumant; patris ipſius, quem illum conſecrare moliretur, alii malunt; ſed multò verius reputaremus, ſtatuam fuiſſe Numinis *Beli*, cui in deſtinatis per diem horis, quas muſica inſtrumenta indicarent, cultus peculiaris decerneretur. Reipſa enim queritur Rex de Daniele & ſociis, non recuſaſſe quidem illum cultum ſibi vel patri ſuo, ſed potiùs cultum Numinibus ſuis: *Verene Sidrach, Miſael, & Abdenago, Deos meos non colitis, & Statuam auream non adoratis?*

Ambigua ſunt etiam nonnulla de Coloſſi hujus proportione. Super columnam erectum fuiſſe malunt quidam, rati à Daniele altitudinem baſi hujus cum ſtatua deſigna-

(a) Vide D. Cleric. Diſſert. in ſtatuam ſalis.
(b) Vide Iren. l. 4. Sedul. & Claud. Victor l. 3. in Geneſ.
(c) Quidam apud Saurin. Serm. 18. p. 282.
(d) Aventin. Annal. Bojor. apud Heidegger. Hiſt. Patriarch. tom. 2. Exercit. 8. p. 270.
(e) Marcelli. hiſt. Medic. mirabil. Biſſel. Argon. Americ. Kircher Mund. ſubterr. t. 2. l. 8. ſect. 2. & c. 2. p. 10.
(f) Dan. 2. 31. & ſeq. A. M. 3402. ante Jeſum Chriſtum 558. ante Æram 602.
(g) Dan. 2. 1. 2. 3. & ſeq. A. M. 3442. ante Jeſum 598. ante Æram 562.

deſignatam fuiſſe, cùm definierit altitudinem 60. cubitorum, & latitudinem 6. quare, inquiunt illi, Coloſſi menſura erat 40 cubitorum in altum & 6. in latum; reliqua cedebant baſi. Non defuerunt etiam, qui ſuſpicarentur, ipſiſſimam hanc eſſe molem deſcriptam à Diodoro Siculo l. 2. referentem ſimulacrum 40. pedibus immane in Templo Beli conſecratum. Ex auro conflatum erat uti Danielis illud; exhibebat potiſſimum Babyloniorum Numen divinoſque exigebat honores in auguſtiſſimo gentis hujus Templo. Porrò juſta eſt proportio Coloſſi 40. cubitorum altitudinis, & 6. latitudinis; ſurgit enim juſtæ ſtaturæ homo quadruplo & ſemis altior quàm latus ad humeros; ſi quis igitur ſex quater ducat & ſemis conficiet cubitos 27. ſeu 40. pedes, & ſemis quod fermè congruit cum menſura à Diodoro Siculo aſſignata.)

STELLA, Hebraicè *Cochab*, quo nomine Hebræi aſtra omnia, ſidera, & planetas, uno verbo, corpora Cœleſtia, & luminoſa, excepto ſole & luna, cenſebant. Motu, & intelligentia inſtructa aſtra phraſes quædam Scripturæ deſignare videntur. Iſraelitæ Idolorum ſuperſtitionibus dediti, ſolem, & lunam ſub Regis, & Reginæ Cœli nomine, ſidera verò ſub militiæ, & exercitus Cœleſtis, *Deut.* 17. 3. venerabantur.

Stellarum multitudo numerum excedere in Scriptura reputatur; quare Pſalmiſta ut Divinæ magnitudinis ideam ingereret, ait de illo: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomen vocat*, *Pſal.* 146. 4. veluti ſi Rex exercitum ſuum luſtrans, certa quædam nomina ſingulis militibus imponat. Cùm etiam multiplicatio quædam in immenſum creſcens in Scriptura ſignificatur, ſimilitudo ex aſtris, & arena maris frequens deducta eſt: *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas Cæli. Gen.* 15. 5. & 22. 17. & 26. 4. *Exod.* 32. 13. &c. Dei oculis, neque ſidera ſine labe apparere Jobus 25. 5. teſtatur; eadem verò concentu quodam mundum fabricanti plauſiſſe idem inſinuat *cap.* 38. 7. ac tandem, ait, Deus illa ſub clave condita tenet, ut nunquam niſi eo permittente prodeant *cap.* 9. 7.

In publico luctu cùm publicæ calamitates ingruerent, ſtellas ipſas tenebris obductas mortalium vices lugere perhibentur, *Ezech.* 32. 7. *Joel.* 2. 1. & 3. 20. ſicuti etiam è Cœlo præcipites cadere, evaneſcere &c. *Matth.* 24. 29. *Marc.* 13. 25. Si quis eas ſpirantes, & figuras verbis explicare voluerit, is ſanè nunquam earum vim reddet. Iſraelitas in deſerto Aſtrum portaſſe, cui Divinos honores impendebant, Amos eſt author 5. 26. *Portaſtis ſidus Dei veſtri*: Hebr. *Stellam Deorum veſtrorum*. De quatuor potiſſimis ſideribus cognitis apud Veteres, Urſa, Orione, Hyadibus, & Sidere Meridiano ſermo eſt apud Jobum 9. 9. & 38. 31.

Sidus Balaami, quod ille in Jacob primum orturum prædixit, *Num.* 24. 17. venturum Chriſtum deſignabat, verum Sidus mundi, univerſo illucens; ubi & aliud materiale ſidus, quod Magos ab Oriente in Bethleem deduxit. Vide *Magi* (a).

(Sermonem inducens Amos 5. 6. de Idololatria Iſraelitarum in deſerto, geſtaſſe illos dicit *ſidus Dei ſui*. Modò igitur quid ſidus hoc vel aſtrum ſit inquiritur; communi enim Sideris nomine cenſentur apud Judæos planetæ omnes & aſtra. Sedit pluribus perſuaſio, agi hic de figura planetæ Saturni (b), quæ ſanè opinio generatim invaluit. Lunam alii prætulerunt, quam tamen ſideris nomine expreſſam nullibi unquam legiſſe mihi ſuccurrit. Septuaginta legerunt: *Aſtrum Dei veſtri Rempham*; qua de re Lectorem remittimus ad V. *Rempham*, ne moleſtam crambim hîc recoquamus.

Stella, quam Balaam oraculo prædixit illis verbis Num. 24. 17. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias Civitatis*. Sidus hoc juxta Hebræos recentiores deſignat Regem David, armis ſubigentem Moabitas, quos & ditioni ſuæ accenſuit. Sed veteres Judæi, uti ambo Paraphraſtes Onkelos & Jonathan de Meſſia dictum acceperunt; nec alium quidem ſenſum proniorem & maximè ſimplicem offert litera. Reputarunt nonnulli (c) Balaamum præ oculis habuiſſe ſidus illud, quod exortum eſt nato in mundum Jeſu Chriſto, invitavit Magos, ut in Judæam venientes quærerent Meſſiam à ſtella iſta annunciatum. Verùm nunquam reputari poteſt ſtellam hanc exortam fuiſſe è Jacob; nec illi quadrant, quæ de ſtella Jacob Balaamus; infert nempe illa Dominatorem, Triumphatorem, magnum Principem, uno verbo Meſſiam: Judæi ſuppares Jeſu Chriſto, & illo etiam aliquantò inferiores, firma adeo perſuaſione id tenebant, ut celebris ille impoſtor Bar Caliba, nomen ſibi vindicaverit Bar-Cocheba filius ſtellæ, Meſſiam ſeſe obtrudens, coegitque Judæos Palæſtinæ ad defectionem, quæ ultimam ruinam in miſeros illos induxit.

Stella, quæ Magis ſpectandam ſeſe præbens *Matt.* 2. 2. deduxit illos ad natum Meſſiam in Bethlehem, conjecturarum uberem meſſem ſuppeditat. Autumarunt nonnulli aſtrum id fuiſſe planè novum (d) data opera creatum, ut Meſſiam veniſſe annunciaret. Cometis genus quoddam reputarunt alii (e), micans in aere. Aliis ſuccurrit (f) Angelum eſſe corporea luce in aſtri figuram indutum, qui motu ſuo Judæam versùs Magos ad ſui ſequelam pellexit, ut indagarent quid aſtrum illud deſignaret. Hanc opinionem ſuffragio ſuo firmarunt plures ex Patribus, et eo perſuaſi, quòd ratione & mente inſtrui ſidus illud videretur; modò videndum ſe permittens, modò ſe prohibens, iter promovens, ac ſiſtens, pro neceſſitate Magorum. Suſpicatur Ligtfootus (g) idem ipſum lumen, quod micavit Paſtoribus, inſpexiſſe Magos, & in eam perſuaſionem inductos illos fuiſſe ibi prodiiſſe Meſſiam tantoperè exoptatum.

Author Operis imperfecti in Matthæum tradit deſcendiſſe ſtellam in montem, ubi à Magis jam inde à pluribus ſæculis expectabatur, exhibuiſſe verò in medio ſinu ſuo puerum & crucem ſuperiorem; puerum autem illum conceptis verbis juſſiſſe illis transferre ſe in Judæam. S. Epiphanius hæreſ. 26. & 39. eandem traditionem ſecutus eſt, deductam è Libro apocrypho Seth. Viſum ex nonnullis (g) Spiritum Sanctum ſub aſſumpta aſtri figura ſpectandum ſe Magis præbuiſſe, quemadmodum columbam retulit in baptiſmo Jeſu Chriſti. Idem aſtrum fulgore ſuo cætera in Cœlo longè ſuperaſſe tenet S. Ignatius Martyr (h), addens traxiſſe illud poſt ſe velut in ſatellitium ſolem, lunam, & aſtra cætera totum vero mundum abreptum fuiſſe in admirationem inſueti fulgoris. Jure meritoque à S. Auguſtino (i) appellatur *magnifica lingua Cœli*, loquens Magis & docens; Verbum aſſumpta carne velut ad ſilentium redactum fuiſſe.

Quo tempore in Cœlo paruerit non ſat convenit inter omnes. Biennio ante natum Chriſtum reputant plures, rati pariter Magos ſtatim ſe committentes itineri, biennio in vijs perſeveraſſe (k). Exortum aſtrum malunt quo temporis momento Chriſtus exortus eſt; cujus etiam poſtremæ opinionis aſſertores committuntur

inter

(a) Vide & Noſtr. Diſſert. ante Comment. in Matth. (b) Grot. Lud. de Dieu, Scaliger. &c.
(c) S. Maxim. ſerm. 3. de Epiphan. Haymon. Drutmar Procop. D. Thom. alii apud Barrad.
(d) Leo Mag. ſerm. 1. de Epiph. Chryſoſt. in Matt. hom. 6. Ambroſ. l. 2. in Luc. &c.
(e) Origen. l. 1. contra Celſum, Maldon. Grot.
(f) Evang. Infantiæ Chriſti, Chryſoſt. Theophylact. in Matth. (g) Ligtfoot. Hor. Thalmud. & in Harmon.
(h) Quidam apud Author Mirabil. ſanctæ Scripturæ. (i) Epiſt. ad Epheſ. Ita & Evang. Infantiæ.
(k) Auguſt. t. 5. ſerm. 200. nov. edit. & ſerm. 203.
(l) Quidam apud Theophylact. Author Serm. 131. & 132. in Epiphaniam in append. t. 5. S. Auguſt.

Digitized by Google

inter ſe reputantibus aliis Magos nonniſi poſt biennium à Chriſto nato veniſſe Bethlehem (a). Deducunt alii Viros Sanctos ad locum poſt tredecim dies; celeritatis autem conficiendo huic itineri Dromadarios vectores aſſignant. Non deſunt tandem, quibus perſuadeatur paruiſſe ſidus ipſo incarnationis Jeſu Chriſti vel S. Joannis Baptiſtæ momento.

Ambigua ſunt etiam quædam in aſſignando num latè omnes, vel Magi tantùm ſidus illud ſpectarint. Palam omnibus micaſſe volunt quidam (b), ut rei novæ teſtes gentes omnes fuerint; ex illis quidam, myſterium non intelligentes, prodigium tantùm admirati ſunt; ſoli inter omnes Magi pervaſerunt, revelante Numine, myſterium, eoque impellente ſtellam ducem ſecuti ſunt. Contrarium alii malunt (c) rati paucis micaſſe, nec Magos ipſos niſi per intervalla temporum illo compotes factos fuiſſe, nimirum cùm neceſſarium id videbatur ad dirigendum iter, & ſemel inſtum conſilium confirmandum. Plerique tandem cenſent (d) Magos ab ejus aſpectu toto itinere nunquam prohibitos fuiſſe, ut tunc primùm evaneſceret, cùm Hieruſolymam attigerunt. Ex quo neceſſitate adacti ſunt inveſtigandi de novo Rege Judæorum.)

STEPHANAS, vir inter primores Fideles Corinthi, quem Apoſtolus cum tota familia initiavit (e). Eccleſiæ ſervitiis addictus A. Chr. 56. ad Apoſtolum Epheſum venit, 1. *Cor.* 16. 17. & 7. 1. ſimul deferens, juxtà S. Chryſoſtomum *in* 1. *Cor. hom.* 44. Eccleſiæ Corinthi ſcriptas ad Apoſtolum literas, in quibus de nuptiis, de continentia, ac fortè de cæteris, de quibus idem Apoſtolus in prima ad Corinthios, Paulus conſulebatur. Suas ad illos literas reſcribens Apoſtolus Epheſo; deferendas Stephano, ſive Stephanæ, Fortunato, & Achaico tradidit.

STEPHANUS, Græcè *Stephanos*, nempè *corona*, primus Martyr, qui facilè ex Judæorum Helleniſtarum numero, fidei nomen dederat. Inter ſeptuaginta Diſcipulos hunc S. Epiphanius *de Chriſto* c. 4. recenſet; incertum tamen qua fide, cum ſeptuaginta illi ab Jeſu Chriſto prædicationis munus ſuſceperint; Stephanus vero & ſocii cùm primùm curandis viduis deſtinarentur, nondum prædicationi deſtinati fuiſſe videantur. Septem igitur Diaconi an. Ch. 35. initiati ſunt. Stephanus omnium primus tamquam digniſſimus ſemper recenſetur. Sub Gamaliele ſtudio Legis profeciſſe ferunt. Cùm autem & fidei amore & vi Spiritus S. polleret plurimùm (f), ingentibus patratis prodigiis populos rapiebat; diſputationibus verò Libertinos, Cyrenenſes, Alexandrinos, cæteroſque ità confundebat, ut ne ſtare quidem contra Spiritum per ipſum loquentem, auderent.

Ejus igitur rei invidia calumniatores quoſdam ſubmiſerunt, qui de excitis in populo turbis reum illum ad Synedrium traducerent. Eo igitur deductus Stephanus, ſtatim teſtium turba teſtati ſunt, audiviſſe ſe illum indigna in Templum, & Legem effutientem; jactitaſſe etiam futurum, ut Jeſus Nazarenus Locum Sanctum, & Legis obſervantiam aboleret. Omnia hæc ſedata ſatis & mente & vultu ſuſtinens Stephanus, juſſus tandem à Summo Sacerdote dicere, ſi quid pro ſe haberet, objecta in ſe omnia diluens, nihil ſe contra Moyſem, & Templum effutiiſſe probavit, *Act.* 7. 1. Dein verſo ad Judæos ſermone, eos illos & in Deum & in Prophetas accuſans; in pervicaciam, & infidelitatem ipſorum, qui Prophetas primùm, deinde Jeſum Chriſtum ſupplicio ſubſtuliſſent, acriter invectus eſt.

Objecta criminis impatienter ferentes Judæi, dentibus in illum ſtridebant. Stephanus interim elatis ad Cœlum oculis, gloriæ Dei ſimulque Jeſu ad dexteram Dei ſtantis viſione ſubitò extra ſe factus, En, ait, Cœlos apertos, & Filium hominis ad dexteram Dei ſtantem intueor. Furentes ad blaſphemiam, ut ipſi quidem interpretabantur, Judæi virum extra urbem raptum lapidibus confecerunt. Quò autem jaciendis lapidibus expeditiores eſſent, teſtes veſtimenta ſua ad pedes Sauli adoleſcentis depoſuerant; ſiltos ſanè viri, qui ex hoſte fidelibus infeſtiſſimo, dein acerrimus fidei propugnator evaſit. In eo ſupplicio tolerando nihil antiquius habuit Stephanus, quàm ut veniam pro adverſariis à Deo impetraret; ſimulque hæc rogans, animam efflavit. Defunctum corpus religioſi quidam viri curantes, luctu, & lachrymis viro fortiſſimo parentarunt. *Act.* 8. 2.

Hæc Scriptura de geſtis, & Martyrio S. Stephani. De ſepultura ipſius, atque Corporis inventione, plura legas in opuſculo ſub nomine Luciani Presbyteri in Calce tom. 7. Novæ Edit. S. Auguſtini. Ejus cultus vetuſtiſſimus eſt in Eccleſia, certiſque prodigiis, atque frequentibus claruit.

STERCUS COLUMBARUM. Cùm Samaria obſideretur, 4. *Reg.* 6. 25. Samariæ quarta pars cabi *ſtercoris columbarum* quinque ſiclis ſtabat. Quarta pars cabi ſemiſextarium, octavam pintæ partem, pollicem cubicum, & aliquantò amplius capiebat. Stercus Columbarum humano cibo minimè, neque ſumma in fame, aptum ſcimus. Joſephus, & Theodoretus (g) ſtercus, hoc prò ſale emptum credidere. Rabbini non ſtercus columbarum fuiſſe volunt, ſed grana, quibus columbæ guttura referta ex agro referebant. Junius & Tremellius de columbarum ventre intelligunt. Bochartus tamen de anim. ſacr. t. 2. l. 1. c. 7. art. 7. quemdam arborum muſcum, ſive humum craſſam, ciceris formæ ſimillimam, quæ refrigerat, & ex qua vinum cum melle exprimitur: Arabes cicer appellant.

STIBINUS lapis, vox 1. *Par.* 29. 2. occurrens, ad literam *lapides antimonii*. Sed Textus deſignaſſe creditur *lapides alabaſtri*; Hebræus *lapides phuc*. Porrò *phuc* Hebraicè fucum denotat nigrum, quo mulieres Hebrææ oculos pingebant, 4. *Reg.* 9. 30. *Jerem.* 4. 30. Pavimentis inſternendis lapides phuc in uſu fuiſſe conſtat; *Iſa.* 54. 11. Hinc lapides alabaſtri creduntur.

(STIBIUM, Hebraicè *Phuc*, Græcè *Stimmi* minerale eſt ad metalla proximè accedens effoditurque ex argenti ac plumbi fodinis. Atro eſt colore, ſed micantibus aciculis diſſeminatum. Variis admiſcetur metallis, juvatque promptam eorum fuſionem. Ejus eſt hodie uſus plurimus in Medicina; ſed olim ante duodenum ſæculum valebat in pigmentis ac fucis, quo ſenſu & ſignificatione ad noſtrum hoc Dictionarium pertinet. Deſcribit illud Scriptura tanquam pigmentum, quo fœminarum oculi nigri fiebant 4. *Reg.* 9. 30. Jezabel certior facta Jehu ſtatim ingreſſurum Samariam: *Depinxit oculos ſuos ſtibio*, vel juxta Hebræum, *miſit oculos ſuos in ſtibio*, fricavit ſe egregiè, vel ipſam ſe immerſit in fuco, quò ſcilicet eorum uſurpatore hoc pareret, & verba ad illum faceret.

Cùm ampliores oculi, aperti, & nigricantes venuſtiſſimi haberentur, quicunque elegantiam vultus affectabant, oculos affricabant, oculorum ambitum & aciem tangebant acu ſtibio infecto, quò ſcilicet pupillam dilatarent ſeu potiùs amplicarent, ut major intuentibus exhiberetur oculus. Hodie pariter fœminæ in Syria, Arabia, & Babylonia (h) affricant nigro quodam pigmento oculos, & oculorùm circùmambi-

---

(a) Epiphan. hæreſ. 52. Hieron. in Chron. Nicephor. Beda &c. (b) Ignat. ad Epheſ. Evang. Infant.
(c) Baſil. homil. de human. Chriſti nativ. Author. de mirabilib. Sacr. Scripturæ q. 4.
(d) Chryſoſt. homil. 6. in Matth. Ambroſ. l. 2. in Luc. Bern. ſerm. 3. in Epiphan. Auguſt. ſerm. 200. 201. 203. nov. edit.
(e) 1. Cor. 1. 16. circa A. Chr. ſivè Ær. 52.
(f) Act. 6. 5. &c. ante Chr. 37. Ær. 34.
(g) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 2. Theodoret. q. 21. in Reg.
(h) Tavern. Itiner. Perſic. l. 2. c. 7. Gabr. Sionit. de morib. Orient. c. 11.

ambitum nigro illo fuco inficiunt; quin & viri pariter & mulieres in deſerto atro pigmento occupant oculos, quò illos ſervent intactos ab æſtu ſolis & vivida ſolarium radiorum luce. Darieus (a) affirmat fœminas apud Arabes atro pigmento compoſito ex Tutia (*Kehel* appellat Arabes) oculos depingere; ductaque nigro illo ceu atramento linea ad angulum oculorum paulò exterius oculos ipſos, quàm natura dederit, majores in ſpeciem formant. Mundum muliebrem filiarum Sion totum expandens Iſaias 3. 22. nec ſilet acículas illas, quibus utuntur ad pingendos oculos & pupillas. Juvenalis Satyr. 2.

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

Alloquens Jeremias *cap.* 4. filias Sion: *Cùm veſtieris te coccino, pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris: contempſerunt te amatores tui.* Scelera gentis Judaicæ ſub emblemate mulieris proſtitutæ exhibens Ezechiel 23. 40. producit lotam, unguentis delibutam & *circumliniſti ſtibio oculis.* Tum addit: *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te.* Quanto olim eſſet in pretio ſtibium ſat exprimit Job. 42. 14. nomen imponens filiæ ſuæ: *Cornu ſtibii*, vas ſtibii. Author Libri Enoch perhibet fucorum artem docuiſſe fœminas antediluvianas Angelum Aſelcèm.

Tertullianus *de cultu fœminarum* & S. Cyprianus (b) graviſſimis verbis invecti ſunt in morem tota Africa etiam inter viros regnantem, pingendi oculos & ſupercilia: *Inunge oculos tuos, non ſtibio Diaboli, ſed collyrio Chriſti*, ait S. Cyprianus. Matronas ipſas Romanas accuſat Plinius l. 12. verbis illis: *Tanta eſt decoris affectatio, ut tinguantur oculi quoque.* Sardanapalus oculos & ſupercilia inficiebat pigmentis; & parta exprobrat Joſephus ſeditioſis illis, qui Zelotum ſe nomine honeſtabant, occupabantque Templum Jeroſolymitanum.)

STIGMATA, notæ quædam, quas in honorem alicujus Numinis corpori Ethnici imprimebant. Ad quam uſum ſive candenti ferro utebantur, ſive acubus, quibus carnes compunctæ, deinde pulvere quodam nigro, cæruleo, ſive alterius cujuſcumque coloris inſpergebantur; quo pulvere in carnem inſinuato, perpetuò ſtigmata manebant. In maxillis, & brachiis ſtigmata inducere pleræque apud Arabes fœminæ hodie uſque conſuerunt. Eadem de Aſſyriis tradens Lucianus in Libro de Dea Syria teſtatur, characteribus eos quibuſdam ſtigmatizatum collum, ſive manus habuiſſe. Vetitum in Lege, nequis inquam, ſive figuram aliquam, ſive ſtigmata in corpus inducat (c). Hebræus ad literam: *Neque ſcripturam punctorum facietis in vobis*, nempè, punctionibus ſtigmata non imprimetis.

Hederæ frondis ſtigmate, plantæ nempe Baccho ſacræ, inurendi erant Hebræi, qui ad ſacra Ethnicorum tranſiverant, uti Ptolomæus Philopator ſuo edicto obſervari juſſerat. 3. *Mach.* Hunc morem ſpectans S. Joannes *Apoc.* 13. 16. 17. ait, belluam charactere ſuo dexteram manum, & frontem ſectatorum ſuorum inuſſiſſe; atque nemini vendendi quidquam, ſive emendi poteſtatem permiſiſſe, niſi ſuo nomine, ſive numero literarum ſui nominis ſtigmatizatis. Tandem ſtigmata Jeſu Chriſti in ſuo corpore geſtaſſe ſe Apoſtolus gloriatur, *Galat.* 6. 17 in vibicibus nempè corpori ſuo, flagris pro Chriſto toleratis, inflictis; in quibus ille decus omne ſuum atque virtutis ſpecimina conſtituebat.

Narrat Philo Hebræus de Monarch. l. 1. non deſuiſſe viros Numinum cultui ſolemni quadam cæremonia devotos, quibus in perpetuum ejus rei argumentum characteres quidam candenti ferro in corpore inducebantur. Mos etiam apud veteres Fideles obtinebat, ut in cubitis, & brachiis Crucis, ſive monogrammatis Jeſu Chriſti ſtigmata imprimerent; quod etiam penes Chriſtianos Orientales, & eos, qui iter Jeroſolymitanum confecerunt, in deſuetudinem non abiit. Ritum autem inducendi apud Paganos ſacra ſtigmata ita Prudentius *hymn.* 10. deſcribit.

Quid cùm ſacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere; utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmavit, hanc ſic conſecratam prædicant.

(STILUS SCRIPTORIUS. Scriptoriis ſtilis uſos fuiſſe Veteres ad imprimendas in ceratis tabellis literas tam certum eſt quàm quid aliud. Parabantur è ferro, ære, oſſe, extremamque unam oram habebant cuſpidatam, alteram teretem planamque, vel ſi mavis, alteram oram habebant cuſpidatam, alteram in parvi cochlearis formam. Quæ pars ferebat cuſpidem, literas ducebat, quæ verò teres ductas lituras radebat; ex quo maximum ſcribenti commodum. Cùm enim delendum eſſet aliquid in ſcriptura, ita ſubducebantur characteres, ut ne litura quidem reſtaret; namque ſuper ceram teres illa pars ſtili ducta æquabat omnia, ut vacua cera reſtaret. Quare novæ ſcripturæ excipiendæ aptus erat locus, cui etiam deletæ altera item & altera commodè ſuperinducebatur. Hinc monitum Horatii:

Sæpè ſtilum vertas, iterum quæ digna legi ſint
Scripturus

Eumdem morem exprimit Scriptura 4. Reg. 21. 13. *Delebo Jeruſalem ſicut deleri ſolent tabulæ; & delens vertam & ducam crebrius ſtilum ſuper faciem ejus;* i. e. ita delebo, ut ne linea quidem ſeu veſtigium ſceleſtæ Urbis remaneat.

Juſſus eſt à Domino Iſaias (d) deſcribere in grandi volumine membranaceo *ſtilo hominis* quæcunque ſibi ſcribenda dictarentur. Quid ille ſtilus hominis, quæſtio. Conſtat utique alium eſſe ſtilum à metallicis, de quibus modò; neque enim valebant ad ducendas in membrana literas, ſed in ligno, ebore, vel cera. Verò igitur propius autumamus *ſtilum hominis* deſignare ſcripturam facilem, ſimplicem, naturalem, omni amoto ænigmate & figura. Solemne erat Prophetis ſtilo uti parabolico, ænigmatico, & obſcuro; mandat hic Deus Iſaiæ, ut ſtilum teneat non Prophetarum, ſed cæterorum è vulgo.

Optat Job. 19. 24. ut verba ſua *exarentur in libro, ſtilo ferreo, & plumbi lamina; vel celte ſculpantur in ſilice.* Variat illud *celte* in Latinis vetuſtis Mſs. Pleraque antiquiora & optima legunt *certè*; reliqua *celte* (e). Eſt *celte* ſcalpellus ad imprimendum aliquid; De hoc ſcalpello nihil habet Textus Originalis; ita enim legit: *Scriberentur mei ſermones in libro: & imprimerentur in ſtilo ferreo & in plumbo in perpetuum in petra ſculperentur:* Stilus ferreus valebat imprimendis literis in plumbo, in cera, & ebore.

Jeremias 8. 8. *Verè mendacium operatus eſt ſtilus mendax Scribarum* è Hebræum ad literam: *Verè ecce in vanum fecit ſtilus, falſitas Scribarum*; appromiſerunt vobis pacem, & ecce bellum. Idem Propheta 17. 1. *Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtilo ferreo & ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Hebræus pro ungue adamantino legit *ſcalpello ſamir*. Eſt *Samir* lapis *ſmyris* expoliendis gemmis & ſcindendo vitro aptus (f). Vide Dictionarium v. *Samir*. Porrò Textus ille omnes exprimunt non obſcurè uſum pugillarium & ſtilorum.)

STOICI, Philoſophorum ſecta inter Paganos, quibus nomen ex Græco *Stoa*, nempè porticus, ſive veſtibulum; Zeno enim Stoicorum author in portico urbis Athenarum Philoſophiam profitebatur. De vita Zenonis conſule Diogenem Laërtium, alioſ-

(a) Darieux Itiner. ad caſtra Magni Emir anno 1664. impreſſo Pariſ. 1717. pag. 27. 28.
(b) De Lapſis, de diſcipl. & cultu Virg. & de opere & Eleemoſyn.
(c) Levit. 19. 28. Septuag. καὶ γράμματα στικτὰ οὐ ποιήσετε ἐν ὑμῖν.
(d) Iſai. 8. 1. (e) Vide noſtrum Commentarium in Job 8. 24.
(f) Bochart. de animalib. ſacr. tom. 2. l. 6. c. 11.

alioſque data opera de ſectis Philoſophorum agentes. Phariſæos ſimilia cum Stoicis ſenſiſſe Joſephus *de vita ſua* teſtatur. Severitatem quamdam, longanimitatem, apathiam, auſteritatem, & inſenſibilitatem affectabant. Viguiſſe Athenis Stoicos ex eo diſcimus, quòd S. Paulus cum illis diſputavit. *Act.* 18. 18. Summum apud illos bonum in vita ad regulas rationis, & naturæ ducta conſtituebatur. Deum tanquam animam mundi habuiſſe videntur.

STORAX, quod munus deferendum miſit Jacob Joſepho filio ſuo ſibi adhuc ignoto, & Ægypti Præfecto. *Gen.* 43. 11. Hebræum legit *necoth*; Septuaginta, *thymiama*; S. Hieronymus, Aquilam ſecutus, *ſtoracem*. Porrò ſtorax arbuſcula eſt amygdalæ ſimilis, ſtorace manans. Plantæ illius flos albeſcit; fructus cauliculis quibuſdam oblongis adhærentes, levi quadam pellicula obducti, rotundi, in acutum deſinentes, magnitudine nucis ponticæ; intùs verò in oſſiculis quibuſdam ſemen recondunt. Stillans ex arbore liquor craſſior eſt, & denſus inſtar balſami, odore autem graveolenti. Sunt, qui ſtoracem cum ſtacte, de quo ſuperiùs, confundant. An Hebræum *necoth* ſtoracem ſignificet, incertum; nam S. Hieronymus eandem vocem aliquando *aromata*; *Gen.* 37. 25. & 4. *Reg.* 20. 13. *Iſa.* 39. 2. quandoque verò *ſtoracem* reddit. *Gen.* 43. 11. Septuaginta perpetuò habent *aromata*. Alii de cera, de reſina, ſtacte, balſamo, ſive de pretioſa quacumque re dictum interpretantur.

I. STRATON. *Turris Stratonis*. Vide *Cæſarea Palæſtinæ*, quo nomine appellata eſt urbs celeberrima ab Herode condita, eo in loco, qui olim Turris Stratonis eminebat. Porrò Straton Græcus quidam fuiſſe creditur, qui conſtructam à ſe Turrim de ſuo nomine appellaverit (a).

II. STRATON. *Turris Stratonis*. Locus obſcurus, & latens in Regiis Jeroſolymæ ædibus, ubi conſtitutæ ab Ariſtobulo filio Joannis Hircani Rege Judæorum inſidiæ, ut Antigonum ab expeditione non ſine gloria revertentem occiderent. Vide *Antigonus*, & *Ariſtobulus*. Cùm Judæus quidam Eſſenus oraculo pronunciaſſet futurum, ut ea die Antigonus ad turrim Stratonis nece opprimeretur; cùmque illum ea die Jeroſolymis vidiſſet, diſtantem ſcilicet 600. ſtadiis ab urbe, cui nomen Turris Stratonis, oraculo ſuo fruſtratum ſe credens, in eam deſperationem devenit, ut necem ſibi conſciverit. Ignorabat ſane miſer, ſimili planè nomine quemdam palatii locum appellari, ubi paulò poſt Antigonus fratris juſſu interemptus eſt; quippe qui malum in ſe Antigoni animum ſuſpicatus, præoccupandum cenſuerat.

STRUTHIO, avis inter impuras à Moyſe rejecta. *Lev.* 11. 16. *Deut.* 14. 14. Quid potiſſimùm Hebræum *Jaanah* deſignet, inter Interpretes non convenit. Septuaginta, S. Hieronymus, Aquila, Symmachus, Theodotion Struthionem vertunt; alii recentiores ululam, nos pro cycno conjecturas adduximus (b). Vocem etiam Hebræam *Rhenanim Job.* 39. 13. Struthionem pariter reddunt: alii pavonem. Verùm peritiſſimi Interpretes (c) ſtruthioni tribuunt vocem *noza* (d), in eodem verſu occurrentem; quod nobis etiam in Comment. ibid. probatur; ſiquidem ſi tribuuntur à Jobo huic *noza* characteres, qui ſtruthioni congruunt.

(Inter aves accenſetur Struthio, eſt autem mole maximus, prolixis cruribus, breviſſimis alis, collo quatuor vel quinque palmis extento. Alarum plumæ æſtimantur maximè, valentque ornandis pileis, lectis, pulvinaribus, pinguntur autem variis coloribus & gaaas exhibent elegantiſſimas. Plumis veſtitur albis ſimul & nigricantibus; fœmellæ tamen imbuuntur colore ſubnigro, atro, & albo mixtim. Venatores illas proſequuntur curſu, ſunt enim impares ad volandum, juvantur tamen alis ad curſus pernicitatem. Exercitus Cyri minoris, teſte Xenophonte, obvios habuit ad Euphratem Struthiones plurimos, quos inſecuti ſunt milites citiſſimis totius exercitus equis, nec tamen unquam aſſecuti ſunt. Fertur inſuper, cùm Venatores habent inſequentes à tergo, arreptos unguibus lapides tanto impetu in adverſarios illos ſuos ejaculare, quanto robuſtiſſimus quiſque. Fertur inſuper, ſed populari tantùm errore, vel ferrum ipſum in ventrem tranſmiſſum in alimenti morem excoquere; vorat ille quidem fruſtula ferri vel æris, ſi quæ offerantur; quemadmodum aves alias vorantes interdum offendimus lapillos vel arenulas, non quidem ut alantur, ſed ut illis ad cibum ſubigendum juventur. In diſſecti Struthionis coram Academia Scientiarum ventriculo, detecti ſunt ad 70. nummi minuti, eraſi pleríque, abroſi, tribus ponderis ſui quadrantibus minores, ex multo, ut facilè credimus, affrictu.

Struthionibus Æthiopia abundat maximè. Ova pariunt menſe Junio, quæ terræ infoſſa, aggeſto deſuper ſabulo deſerunt; foto dein ſolis excluduntur; inde facilè petitum eſt emblema oblivionis & ſævæ indolis, quod exhibet Struthio. *Lamiæ nudaverunt mammam*, (belluæ ferociſſimæ) *lactaverunt catulos ſuos*, ait Jerem. 4. 3. *Filia populi mei crudelis quaſi Struthio in deſerto*. Sævam animalis hujus indolem & incuriam ita deſcribit Job. 39. 13. &c. *Penna Struthionis ſimilis eſt pennæ herodii & accipitris. Quando derelinquet ova ſua in terra, tu forſitan in pulvere calefacies ea? Obliviſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtra laboravit nullo timore cogente. Privavit eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit; deridet equum & aſcenſorem ejus*.

En paucis depictam inſignem Struthionis. Ova quæ parit ſub arenam infodit, fotuque illa ſolis excluduntur, quòd utique fidem non ſuperat. Scitum eſt in Ægypto quotidiano experimento excludi ova in furnos illata, & certo caloris gradu fota. Cùm Struthio corporatura ſit ingenti gravique, contereret ova, ſi illis, pro more cæterarum avium, incubaret; quare opportunè arena contegit, cuſtodit advigilans, incubatque illi, ſi non corpore, ſaltem oculis juxta phraſim Vanslebii (e); excubant enim juxta illas alternatim mas & fœmella, ut cùm ex illis alteruter divertit ad captandum cibum, advigilet alter; ſi verò uterque injuriis venatorum cogatur abſcedere longiùs, ita obliviſcuntur nidi ſui, ut locum vel quærendo nunquam reperirent; inde facilè petita ſunt, quæ ſævitiæ illorum & oblivioni exprobrantur.

Ex ovis, quæ magno numero parere feruntur, (ad 17. enim 15. & 20. ſupputant) vix nunquam non contingit ut quædam partant acerba; ſæpè enim nonnulla Struthio ipſe conterit, & è vermibus, quos putreſcentia ova illa ebulliunt, catulos ſuos avis nutrit. Job tandem affirmat: *Deus privavit eam intelligentia*; quibus verbis ſuam fidem aſſerunt, quæ de avi ipſa narrantur; hoc enim artificio capitur à venatore. Intra corium (f) colli ejus avis manum ſuam & brachium venator infodit; tum elevatam in altum manum ita commovet, quomodo caput agitant Struthiones. Narrant alii (g) avem hanc, dum à tergo inſtantes habet venatores, caput ſuum intra ſabulum occultare, atque ita demum in tuto ſe poſitam credere. Tandem Plinius affirmat inter

(a) Præfat. Novellæ 103.
(b) In Iſa. 13. 21. Vide Job 30. 29. Iſai 34. 13. & 43. 29. Jerem. 50. 39. Thren. 4. 3. Mach. 1. 8.
(c) Cocceius, Jun. Tremel. Grot. Piſc. (d) Avis pennata, ſeu plumis obtecta.
(e) Relat. Ægypt. p. 103. (f) Strab. l. 56.
(g) Claudian. in Eutrop. Oppian. Halieut. l. 4.

arbuſta occultare illam caput, nec interim curare reliqua, quaſi cætera omnia fuerint ſibi ſalva. Fertur tandem (a) ſorditatem à natura referre; unde ſtupor.

In altum alas erigit, deridet equum, & aſcenſorem ejus. Eminet plurimum corpore; ut diſſectus ille Struthio in Academia Scientiarum ab imis pedibus ad ſummum verticem dimetiretur ſeptem pedes & ſemis. Hominem in equum levatum altitudine ſua ſuperare affirmat Plinius l. 10. cap. 1. Pernicitatem ejus avis rari inter equos attingunt. Quid contigerit illis, de quibus Xenophon, ſupra narravimus. In regionibus, ubi Struthiones abundant, ad venatum ejus avis valent equi barbari latique femoribus, uti venatorii canes, qui illos curſendo attingunt.

Struthiones ne in cibum adhibeantur vetat Moyſes *Levit.* 11. 6. *Deut.* 14.15. vel ſaltem ita ferunt vulgatæ apud nos Verſiones. Conſtat utique dapes ex illis parari in Peruvia, & Africa, ubi Struthiones abundant; fatetur tamen Marmolius carnes illas olere graviter, & humore abundare maximè ad femur, ſed tamen in cibum non rejiciuntur. Moris eſt apud Numidas ut lactentes catuli alantur & gregatim curentur in deſerto, donec pingueſcant, ſaginatos verò mactari & parari ſale. Deguſtant etiam Æthiopes Struthionum ova, quæ ad delicias uſque ſapiunt; ſunt autem ova iſta magnitudine amplioris pilæ. E teſta ejuſmodi ovorum ſcyphos parare ſibi Æthiopes feruntur, quin & capitis integumenta majoris pretii, ſi fides ſit Pierio.

Meminit etiam alicubi Scriptura Struthionum; ambigitur tamen num originalis vox re ipſa Struthiones ferat. Videſis Scriptores Commentariorum in Iſaiæ 13.21. & 34. 13. & 43. 20. Jerem. 50. 39. Michææ 1. 8.

STUDIA HEBRÆORUM. Hebræorum ſtudia nunquam non in Lege Domini verſabantur, quod pariter commendat Veteris Teſtamenti utraque pagina. Rogat Moyſes Exod 13.9. ut Lex Domini diu noctuque crepet in ore, nunquam ab illa oculi avertantur, & perinde ſit ceu ſignum nunquam è manibus deponendum. Scribi mandat in corde *Deut* 6. 7. doceri filios; præcipit ut illam nullo non tempore meditentur, ſivè domi ſedeant, ſive agrum perambulent, ſive dormientes noctu, ſeu evigilantes diu: perinde ſit ac armilla in brachiis, ac gemma pendens ante oculos; adſcripta legatur in ſuperliminaribus domorum. Ei ſtudio unicè erant addicti Prophetæ, Patriarchæ, & probi quique Iſraelitæ.

Nec ſtudia illa ſua definiebant intra Leges & cæremonias à Moyſe præſcriptas. Conferebant ſe pariter ad ſtudium hiſtoriarum, & genealogiarum ſuarum in tantùm, ut pueri Judæorum, ſi fides ſit S. Hieronymo, curſim recitarent genealogias omnes deductas in Paralipomenis. Jam inde ab ineunte ætate, ait Ioſephus contra Appionem l. 1. aſſueſcebant ſtudio Legis Dei, quam & memoriæ commendabant & exequebantur opere, & alte adeò illam cordi inſerebant, ut vita potiùs mallent decedere, quàm de Lege quidquam remittere.

Ex quo Prophetarum Scripta manibus eorum commiſſa ſunt eò conferebant meditationes ſuas, ut occultum Prophetarum ſenſum pervaderent. Curarum ſuarum partem maximam ponebat Daniel ut Oraculorum ſuorum, ſicut & Jeremiæ Prophetæ in exilio captivitatis verſantis, impiexa extricaret. Jeſus filius Sirach, ceu vir re ipſa doctus exhibetur, qui poſt excuſſas ſeriò Legem, Prophetas, & alios Libros, qui Judæis à parentibus ſuis traditi ſunt, voluit ipſe ſcribere aliquid horum, quæ poſteritati inſtruendæ ſervirent. Virum opinione Judæorum doctum ita depingit idem Jeſus filius Sirach, *Eccl.* 39. 1. &c, *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur. In medio Magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu Præſidis apparebit. In terram alienarum gentium pertranſiet; bona enim & mala in hominibus tentabit ...... Si Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia Sapientiæ ſuæ &c.* Quid eſſet ſtudium Prophetarum ætatis ſuæ docet S. Petrus Epiſtola prima 1. 11. *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti* (qui nempè in illis loquebatur) *prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones & poſteriores glorias.*

Poſt victoriam Alexandri Magni Judæi, qui Græcis admixti verſabantur in pleriſque Orientis Provinciis, ſaporem aliquem & guſtum Græcorum eloquii & ſtudiorum admiſerunt. Imitatione quadam Græcorum Philoſophorum diffluxerunt in varias Sectas, inter quas Phariſæi adſciverunt portionem aliquam dogmatum Stoicorum, & Platonicorum; placuerunt Sadducæis Epicureorum quædam; Eſſeni, teſte Philone (b), temnebant Logicam, Phyſicam, & Metaphyſicam, i.e. quidquid curioſum eſt & ſuperfluit in ſcientiis, addicebantque ſe penitùs Morali diſciplinæ, & Legi Dei, quam ſublimi quadam & allegorica methodo exponebant.

Jeſu Chriſti ætate id potiſſimùm ſtudii regnaſſe videtur, ut tenerentur Patrum traditiones. Nunquam non captat occaſionem Jeſus, ut illis exprobret neglectam Legem Dei, genuinum ejus ſenſum, ut ſe totos dederent interpretationibus ſenſui genuino Legis, & menti Legiſlatoris plane contrariis. S. Paulus, qui moribus illis olim cenſebatur, abſurda illorum relevat in ſuis Epiſtolis, revocans non ſemel nec obiter Leges, & ad ipſam originem ſuam, & ad ſenſum genuinum: ſed inveteratior erat morbus, quàm ut remediis hiſce depelleretur. Majori pervicacia hodie, quàm antea unquam inhærent traditionibus ſuis, quò ſtudia illorum potiſſima collimant. Vide quæ contulimus ſupra V. *Schola Judæorum*, & in Dictionario Biblico v. *Synagoga* & *Traditiones*.)

STULTUS, *ſtultitia, imprudentia*; quod non ſemper in Scriptura virum emotæ mentis deſignat, quemadmodum & incondita ſtultorum geſta ſimul, & facta; verùm non rarò de crimine potiſſimùm contra puritatem uſurpatur: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*, *Pſal.* 37. 6. mei criminis. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Pſal. 68. 6. *Impatiens operabitur ſtultitiam*: Prov. 14. 17. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt.* Prov. 24. 9. *Stultus populus meus, me non cognovit, filii inſipientes ſunt, & vecordes; ſapientes ſunt, ut faciant mala.* Jerem. 4. 22. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Pſal. 13. 1. *Peccavi*, ait David, *obſecro, aufer iniquitatem ſervi tui, quia inſipienter egi.* 1. *Par.* 21. 8. Et Thamar ad Amnonem pudorem ſuum tentantem ait: *Noli opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc; ego enim ferre non potero opprobrium meum; & tu eris quaſi unus de inſipientibus in Iſrael.* 2. *Reg.* 13. 13.

Sapientia hujus mundi non raro tamquam inſipientia apud Deum traducitur. *Nonne ſtultam fecit ſapientiam hujus mundi?* 1. Cor. 1. 20. 21. *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit Mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Et infra: 1. Cor. 3. 18. 19. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.* Idem etiam Apoſtolus Tito, & Timotheo author eſt, ut ſtultas, ſutileſque quæſtiones evitent, contentionibus tantùm foven-

(a) Marmol. Afric.
(b) Lib. quod omnis probus liber.

ſuvendis u… *Tit.* 3. 9. & 2. *Timoth.* 2. 23. Et 1. Cor. 1. 18. *Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem, qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, Dei virtus eſt.*

I. SUA, Rex Ægypti, qui inito cum Oſee Rege Iſraelis fœdere, atque auxiliares illi copias ducturum pollicitus(a), nunquam tamen effecit, quin Salmanaſar Rex Aſſyriæ capta Samaria Regnum Iſraelis everteret (b). *Sua*, ſive *Sous*, vel *Sos*, & *Sabacbon* Rex Æthiopiæ, in Dynaſtia Ægyptiorum primus Ægypti Rex, confundendi Uſſerio (c) & Marshamo videntur. Ejus vero exordia in Ægypto ſtatuit idem Uſſerius ad an. M. 3277. cùm ſcilicet Bocchoris ejuſdem provinciæ Rex captus, atque igni traditus eſt. Poſt exactos in Regno annos 8. *Sevechum* reliquit ſucceſſorem (d), quem Uſſerius ipſiſſimum credit *Sethonem* (e).

II. SUA, frater Calebi, 1. *Par.* 4. 11. & pater Mahir.

III. SUA, è Tribu Aſer, filia cujuſdam Heber. 1. *Par.* 7. 32.

SUAL, nempe vulpes, vicus in ditione Iſraelis, incerti ſitus; quò Philiſthæi ſub Saule irruptionem fecerunt. 1. *Reg.* 13. 17.

SUAR, pater Nathanaelis, è Tribu Iſſachar. *Num.* 1. 8.

I. SUBAEL, filius Amrami, & pater Jahedaiæ 1. *Par.* 24. 20. Una cum duodecim filiis ſuis inter 24. familias Leviticas decimam tertiam tenebat. 1. *Par.* 25. 20.

II. SUBAEL, filius natu major Gerſonis, filii Moyſis, 1. *Par.* 23. 16. ſacri Ærarii Præfectus. 1. *Par.* 26. 24. In 1. *Par.* 23. 16. *Subuel* nuncupatur. Qui 1. *Par.* 26. 24. occurrit *Subael*, ex *Subaele* nepote Moyſis originem retuliſſe oportuit.

SUBUEL. Vide *Subael* in articulo præcedenti.

(SUCCOTH-BENOTH vox eſt Hebraica ſonans *tentoria puellarum*, occurrit autem 4. Reg. 17. 30. Egimus de illa in Dictionario & in Supplemento v. *Samaritani*.

SUDARIA. Latinum *Sudarium*, juxta optimos plures Interpretes, exprimit (f) æneam quandam faſciam, qua caput obnubitur. Derivatur *Sudarium* ex ſudore quòd detergendo ſudori ſinceus ille panniculus valebat. Apud nos ſudarium reddi ſolet *Mouchoir*; conſtat tamen genuinam ejus ſignificationem & uſum fuiſſe ut detergeret oris & capitis ſudorem, ex quo ſudaria pariter appellari contigit panniculos illos, quibus obvolvitur caput & vultus cadaverum, dum inferuntur in ſepulcrum.

Piger ille ſervus de quo Luc. 19. 20. retulit ad herum ſuum pecuniam, quam *habuit repoſitam in ſudario*, cum lucroſam habere par fuiſſet; & in Actis 19. 12. legimus ſudaria illa, quibus S. Paulus oris ſudorem detergebat, rapta paſſim atque diſſipata fuiſſe, utpotè quæ præſentiſſima valetudini ægris reſtituendæ haberentur. Nomen ſudarium addictum eſt peculiariter ſtilo Eccleſiaſtico ad exprimenda emortualia illa lintea, quibus obvolutum eſt corpus Jeſu Chriſti in ſepulcro. Monſtrantur Biſontii, Taurini, Toloſæ, Sarlati, Compendii ſacrum Sudarium appictam referens imaginem Jeſu Chriſti. Quod Toloſæ colitur trium ſæculorum ſpatio ſervatum fuit in Abbatia *Cadoin*, è qua demum ſævientibus bellis Anglorum translatum fuit Toloſam. Porrò reductum pignus illud ſacrum fertur è manibus Judæi Antiocheni an. 1098.

At *Sudaria* iſta emortuales potiùs ſindones, quàm re ipſa ſudaria cenſenda ſunt; in Evangelio & S. Joannis 11. 44. agitur apertè, & luculenter de *Sudario* obvoluto capiti Lazari fratris Mariæ & Marthæ, tum & de altero capiti Jeſu Chriſti *Joan.* 20. 7. dùm ambo mortui ſepulcro conderentur. Addebantur præter hæc faſciæ quædam emortuales toto circumvolutæ cadaveri, dum cadaver ipſum balſamo curaretur. Nec tamen aſſumendum mihi ſuſciperem, præter faſcias iſtas, & Sudaria nullas fuiſſe ſindones totum excipientes corpus. Nihil tale quidem exprimit Textus originalis S. Joannis; viciſſim tamen ſatis illud ipſum indicant SS. Lucas, & Marcus ſub nomine *Sindonis*. *Luc.* 23. 53. *Marc.* 15. 46.)

I. SUE, ſextus filius Abrahami ex Cethura *Gen.* 25. 2.

II. SUE filia Hirami, ex urbe Odollam, uxor Judæ Patriarchæ, & mater Her, Onan, & Selæ. *Gen.* 38. 2. Tradunt Judæi, hanc malis conſiliis apud filios ſuos Her & Onan effeciſſe, ne Thamar eorum conjux filios gigneret. Vide *Thamar*, & *Her*. In Teſtamento duodecim Patriarcharum ejus nomen notatur *Beth-ſue*, filia Barſani Regis Odollam; infeſtioremque fuiſſe in Thamar Aramæam, non Chananæam fœminam, ibidem legimus. Cùm nuptias fœminæ Chananææ cum Sela filio ſuo conciliaſſet, Judas rem impatienter ferens, maledictione illam inuſſit; cujus ſtatim vi mulier extincta eſt, mali inſpirati filiis ſuis conſilii pœnas ſimul luens.

SUHAM, filius Huſim, & nepos Dan; *Gen.* 46. 23. author familiæ Suhamitarum. *Num.* 26. 42.

SUITES. Baldad Suites amicus Jobi, *Job.* 2. 11 facilè ex poſteria Sue filii Abrahami ex Cethura, de quo ſupra. Hebræum legis *Suchites*, ſive filius Suach, quæ nominis diverſitas ex varia ejuſdem vocis pronunciatione derivatur.

SULAMITIS, nomen Sponſæ Salomonis in Canticis Canticorum, ex viri nomine derivatum, quaſi *Salomithis*, ſive *Sulamitis*, *Cant.* 6. 12. & 7. 1. Sponſa Salomonis. Textus Hebræus, & optimæ Latinæ Editiones legunt *Sulamitis*, veteres pleræque *Sunamitis*, ex *Sunam* originem ducens.

(SULCUS. E ſulcis ſimilitudines quaſdam habuerunt familiares Sacri Scriptores, quas & in præſenti exponere neceſſarium judicamus. Job 31. 38. *Si adverſùm me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent*; i. e. Si unquam ego agellis meis colendis adhibui pauperes agricolas gratis & ſine mercede. Pſalm. 64. 11. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus; inebria ſulcos ejus, glebas ejus diſſolve* juxta Hebræum. Notat Author Eccleſiaſtici 38. 27. de agricola: *Cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos*; totum ſcilicet ſeſe in eam rem impendet. Hactenus de ſenſu literali hujus vocis.

Figurato ſenſu idem Author 7. 3. monet: *Non ſeminet mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum*; i. e. uberiorem malorum meſſem non referes. Vide Galat. 4. 7. Oſee 10. 4. *Germinabit quaſi amaritudo judicium ſuper ſulcos agri*: Judicium & furor Dei producet amaritudinem in ſulcis agri tui. Duplicem hic habes metaphoram: *Judicium* exprimit ultionem Dei, qua germinatur *amaritudo*: ingrati ſaporis herbæ, mala ſcilicet, quibus à Deo ſubmittimur; germinantur autem hæc omnia, *quaſi ſuper ſulcos agri*, i. e. velut in agro benè culto & ad excipiendum ſemen parato. Idem Propheta ibidem 11. 12. *Arabit Judas, confringet ſibi ſulcos Jacob.* Iſraelitæ decem Tribuum tum & ditionis Juda alii poſt alios Divinæ ultionis vindicem in ſe iram ſentient. Addis ipſe ℣. 12. *Seminate vobis in juſtitia, & metite* (metetis) *in ore miſericordiæ*.

SULPHUR. Minerale eſt pingue, inflammabile, vitrioſicum, cujus duo ſunt genera; Sulphur flavum vel commune, ſolidum, nitens, friabile, facilè liqueſcens, & inflammabile. Deductum è Monte Veſuvio, & ad ignem liquatum affunditur in cavas formas ut in virgas confletur. Sulphuris fodinæ in

(a) 4. Reg. 17. 4. A. M. 3279. ante Ch. 721. ante Ær. 725. (b) A. M. 3283. ante Ch. 717. ante Ær. 721.
(c) Uſſer. ad A. M. 3279. Marsh. Can. Ægypt. ſæc. 16.
(d) A. M. 3285. ante Chr. 715. ante Ær. 719. (e) Herodot. l. 2. c. 141.
(f) Theophylact. Oecumen. Druſ. Hamm. Sanct. Lud. de Dieu in Act. 19. 3.

imo Montis Veſuvii fundo, ſicut & in aliis ejuſdem naturæ montibus continentur; è ſulphure autem flammæ montibus illis ſufficiuntur. Genus aliud ſulphuris, *vivum* appellant, liquor eſt pinguis, inhæret, terreus, inflammabilis, quem alicubi loca plura ſufficiunt, & in ſulphur flavum arte paratum convertitur.

Non ſemel mentio eſt in Scriptura de ſulphure, quod Hebræi appellant *Gophri* voce ſatis affini Hebræo *Gopher*; quod nomen eſt ligni in uſum Arcæ impenſi à Noemo. Perhibet Moyſes pluiſſe Dominum *igne & ſulphure* in Sodomam & Gomorrham *Geneſ.* 19. 24. i. e. ſulphureis quibuſdam & ferventibus exhalationibus; & Deuteronomii 29. 23. eaſdem ipſas Urbes combuſſiſſe Deus traditur *ſulphure & ſalis ardore*. Porrò ſalis nomine deſignant Hebræi nitrum, bitumen, ſulphur, & cætera id generis, quæ flammas concipiunt. Conſtat utique delapſo cælitùs igne impias illas Urbes arſiſſe; conſtat totum illud ſolum nitro imprægnatum fuiſſe & bitumine, quæ duo ſufficit hodie uſque uberrimè imus fundus Maris mortui. Meritò igitur reputaremus demiſſo cœlitus igne concepiſſe flammas bitumen hoc, ſulphur & nitrum ſoli; undè non quinque tantùm Urbes conflagrarunt, ſed & excoctus eſt pariter totus ille agri tractus ſecundùm lacum Aſphaltitem, vel Mare mortuum.

Job, ſeu potiùs ex Amicis ejus Baldad, ritu quodam imprecantis rogat *Job.* 18. 15. *Aſpergatur in Tabernaculo ejus* (impii) *ſulphur*; i. e. ſulphur in ejus domum cadens ingrato odore totam inficiat; aliter Domo ſua pellatur impius, & quicùnque eò migraverit ſulphuris ſuffitu locum illum averruncet. Suffumigia enim è ſulphure parabantur, ſeu maligno aeri depellendò, ſeu infectis ſedibus repurgandis. Porrò impiis hæc aſſignatur in Pſalm. 10. 7. *Ignis, ſulphur & ſpiritus procellarum*. Incendium Vallis Tophet, Idololatria immundæ deſcribens Iſaias 30. 33. exhibet ingentem quendam rogum, ut locus immundus per ignem repurgetur, tum addit: *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*.

Idem etiam Iſaias 34. 9. ut vividiorem ideam exhibeat ultionis Dei in gentes impias, coram Numine illo torrentes liquatam in picem transiſtendos, dicit, terram in ſulphur & in picem ardentem, ex quibus conceptæ flammæ jugi & inextinguibili igne diu noctuque ardebunt, æternus autem fumus ad Cælum uſque ſuſtolletur. Quæ vis eſt harum phraſium! Copias Gog minitatur Ezechiel c. 38. 22. de extremis Dei vindicis flagellis; in illorum enim caput excutiendum, dicit nimbum peſtis, ſanguinis, procellarum, lapidum, fulguris, ignis, ſulphuris. Pluviam ſulphuris in Sodomam jam ſupra meminimus; cujùs generis imbres pariter recurrunt ſæpè in Apocalypſi. Fulgur & ignes è Cælo delapſi, dum evanuerunt plerunque odore ſulphuris latè omnia inficiunt.)

SUNAM, ſive *Sunem*, urbs Tribus Iſſachar. *Joſ.* 19. 18. Cùm Philiſthæi caſtra haberent ad Sunam in Campo Magno, 1. *Reg.* 28. 4. Rex Saul ſua conſtituerat ad Gelboe. *Sunam*, ſive *Sulem*, Euſebio locus eſt ad meridiem 5. m. paſſuum à Thabore. *Sanim* locum fuiſſe in Acrabatene ad Sebaſtem, ſive Samariam, idem Euſebius teſtatur.

SUNAMITIS, puella, ſive fœmina ex *Sunam* originem ducèns; quo cognomine appellata eſt Abiſag puella à Davide ſene fovendo ducta. 3. *Reg.* 1. 3. 15. & 2. 17. 21. 22. Eodem etiam nuncupatur mulier, Eliſeum Prophetam, quoties Sunam veniret, hoſpitio excipiens. Eodem tandem, ſed corrupta lectione, ſponſa in Canticis; legendum enim *Sulamitis*. Vide *Sulamitis*.

SUNEM; *Joſue* 19. 18. eadem ac Sunam.

SUNI, tertius filius Gad, author familiæ Sunitarum. *Gen.* 46. 16. *Num.* 26. 15.

SUPERBIA, crimen eſt Deo inviſum, & hominibus, cui reprehendendo nunquam ſatis Scriptura. Quid enim in Hiſtoria ſacra frequentius, imo perpetuum, niſi audacia, ſuperbia, tumor hominis in ordinem redactus? Quid etiam, niſi laudes humilitatis, modeſtiæ, & manſuetudinis leguntur? *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Petr. 5. Jacob. 4. 6. *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Prov. 29. 23. *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus. Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm dividere ſpolia cum ſuperbis.* Prov. 16. 18. 19.

Superbia eſt etiam pervicax, & obduratus in crimine animus, non inſcitia & imbecillitate peccans: *Anima, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit . . . quoniam adverſus Deum rebellis fuit, peribit de populo ſuo.* Num. 15. 30. Et *Deut.* 17. 12. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio . . . decreto Judicis morietur homo ille.* Deus omnem furoris ſui rigorem in Ægyptios exeruit, quòd *ſuperbè egerint contra illos*, Hebræos: *Exod.* 18. 11. Job, & Pſalmiſta Pharaonem ſuperbi nomine deſignarunt: *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum.* Job. 26. 12. *Humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum.* *Pſalm.* 88. 11. Dejectum Pharaonem eadem phraſi exprimit Iſaias 51. 9. *Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum?* Et Ezechiel de Chaldæis agens 32. 12. *Vaſtabunt*, ait, *ſuperbiam Ægypti*.

Superbiam etiam Moabitarum Scriptura caſtigans, filios illos tumoris & audaciæ deſignat. Ita enim reddimus illud *Num.* 24. 17. *vaſtabit omnes filios Seth*; Hebræus enim reddi poteſt: *Vaſtabit omnes filios elationis*, ſive tumoris. Ad hunc Textum ſpectaſſe videtur Jeremias in illo: *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valdè; ſublimitatem ejus, & arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis ejus &c.* (a).

Superbia Jordanis apud Prophetas eſt ejuſdem amnis inundatio (b).

Superbia, *ſuperbus*, ſæpè de Babylone, & Babylonis uſurpatur. *Inclyta ſuperbia Chaldæorum*, *Iſa.* 13. 19. Babylonem deſignat; *Et erit Babylon illa glorioſa in Regnis; inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham.* Jeremias de Rege Babylonis 50. 31. 32. *Ecce ego ad te, ſuperbe*, ait, *dicit Dominus exercituum, quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ, & cadet ſuperbus, & corruet.* Vide *Pſal.* 118. 21. &c.

SUPERHUMERALE. Idem ac *ephod*, pectorale, rationale, de quibus ſuis locis.

SUPERSTITIO, *ſuperſtitioſus*, voces in N. T. recurrentes. Feſtus Judææ Procurator ſuper Pauli rebus cum Agrippa colloquutus, dixit habere illum à cæteris Judæis querelas *quaſdam de ſua ſuperſtitione*; *Act.* 25. 19. ita enim Ethnicus utramque religionem Judæam & Chriſtianam æquè ignorans, appellabat. S. Paulus Coloſſenſes monet, ne Pſeudo-Doctores ſub obtentu ſapientiæ pernicioſa inſinuantes, auſcultent: *Quæ ſunt*, ait, *rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione*. *Coloſſ.* 2. 23. Tandem Apoſtolus ad Athenienſes, *per omnia*, ait, *ſuperſtitioſiores vos video*. *Act.* 17. 22.

Latina vox *ſuperſtitio*, ſive ex eo derivatur, quod conſueto cultui aliquid ſuperaddat; quaſi ſonet, *quod ſuperſtat, & ſuperſtat*; ſive quòd ſuperſtitio Deum & Religionem tanquam jugum aliquod arduum reſpiciat: *Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans*, ait Lucretius l. 1. v. 66. Hinc Græci ſuperſtitionem appellant *Deiſidaimoniam*, Deorum terrorem; ſuperſtitioſus enim Deum tamquam Tyrannum aliquem ſpectans, omnibus anxiè ſtudet, ne quid unquam committat, quod ejus in ſe furorem pro-

(a) Jerem. 48. 29. Confer. Num. 21. 28. cum Jerem. 48. 45. in Hebr. Vide etiam Iſa. 16. 6.
(b) Vide Jerem. 12. 5. & 13. 9. & 49. 19. Zach. 11. 3. Vide & quæ diximus v. Jordanis.

Digitized by Google

provocet; Vir pius, ait Varro, Deum & colit, & reveretur; ſuperſtitioſus horret, & coram illo contremiſcit. Vir planè religioſus, ait Maximus Tyrius, Deo ut amicorum optimo ſervit; ſuperſtitioſus ut hero, viliſſimi mancipii more adulatur. Plures in Veteri Teſtamento damnantur ſuperſtitiones; divinationes quæcumque, & obſervationes ſuperſtitioſæ ſomniorum, volatus avium, varia idololatriæ genera, & cultus Angelorum ſuperſtitioſus, humanæ hoſtiæ in ſacris, traditiones Phariſaicæ ſuper decimis, Sabbatho, purificationibus, & aliæ, quas Jeſus Chriſtus in Evangelio Phariſæis vitio vertit. S. Paulus totus eſt in occludendo iis ſuperſtitionibus aditu, quas Judæi Doctores in Chriſtianam religionem invehere conabantur (a).

SUPH. *Mare Suph*, ſive *Mare Junci*, mare Rubrum, in Hebræo perpetuò *mare Suph*.

SUPH, ſive *Zuph*, vel *Zoph*, Levita abavus Elcanæ (b), patris Samuelis, & pater familiæ *Suphim*, vel *Sophim*, quæ Ramathæ verſabatur. Hinc urbi nomen *Ramathaim Sophim*; 1. *Reg.* 1. 1. & adjacenti regioni *Terra Suph*. 1. *Reg.* 9.

SUPHA, filius Hellem è Tribu Aſer. Filium habuit Sue, Arnapher, Sual, alioſque plures. 1. *Par.* 7. 35. 36.

(SUPPLICIA HEBRÆORUM. Suppliciorum apud Hebræos & quorum eſt in Scriptura mentio plura ſunt genera. Commodè ad has claſſes redigerentur; 1. Supplicium Crucis; 2. Suſpenſio, è fune ſcilicet; 3. Lapidatio; 4. Ignis; 5. Tympanum vel flagrum; 6. Carcer; 7. Enſis vel detruncatio; 8. Ex alto præcipitium; 9. Sub ſpinis, vel ſub animalium pedibus contritio; 10. Medio corpore ſecari; 11. Ex alta turri cinere oppleta in cinerem illum deturbari; 12. Decalvatio; 13. Oculis deſtitui; 14. Intendi in eculeo. Plura etiam adduntur in Libris Machabæorum, vel de Imperio rationis; uti e. g. ſartago ardens, pellis unà cum crinibus capitis detractio; laterum & viſcerum admotis facibus aduſtio; attrectatio corporis ferreis pectinibus; in rotam extendi; extrema pedum manuumque præcidi.

Ex his autem ſuppliciis pleraque excuſſimus in ſuis articulis quà in Dictionario, quà in Supplemento hoc noſtro. E ſuis locis repetas e. g. Crucem, Lapidationem, Tympanum, Serram, Flagrum, & Cineris ſupplicium. Quædam adnectenda ſunt modò de cæteris hucuſque intactis.

Judicum in plectendis criminoſis ſententias ritibus ſanè pluribus ſubmittunt Rabbini. Cùm res erat de ferenda in vitam ſeu mortem alicujus ſententia, multum ad id cautionis & examinis conferebatur. Poſt Teſtium examen res in manè alterius diei differenda erat; ad propria autem divertentes Judices parci erant in cibo, & in potu abſtemii. Manè binatim coibant circumſtantias omnes cauſæ expendentes. Poſt examen ſpatium adhuc dabatur reformandi priorem ſententiam, ut qui antea ſupplicium ſtatuerat in benigniorem partem tranſire poſſet; non item verò qui abſolverat, integram habebat poteſtatem damnandi.

Confirmata demùm & pronunciata ſententia ducebatur miſer ad ſupplicium. Stabat interim præ foribus Aulæ vir aliquis conſtitutus lineum quoddam panniculum tenens manu; & aliquantò longiùs ſuccedebat eques, ſeu armiger equo vectus. Si acceſſiſſet aliquis pro reo damnato dicturus, primus vigil motu panniculi admonebat alterum, ſtatimque eques feſtinans reum jubebat reduci. Ad dexteram euntis adſiſtebant duo Judices parati hominem auſcultare, ſi quid afferret pro ſe. Porrò reus ille quinquies reduci poterat, ut quæcumque haberet in ſui defenſionem produceret. Si nihil erat, quo ſententiæ executio retardaretur, elata voce promulgabatur: N. huic vel huic crimini ſeſe proſtituit. N. N. in illum dixit teſtimonium. Si quis habet aliqua in ejus defenſionem, producat.

Perſuaſum habebant Judæi reorum ſupplicium ad meritum pro æterna illorum ſalute valere plurimum, ſiquidem animadverſioni ſeſe ſubmitterent, tum ut ſatisfacerent ultioni Divinæ, tum ut crimina ſua expiarent. Admonebantur fateri crimina; tum & precari ſibi: Meum hoc ſupplicium fiat in expiationem omnium meorum criminum. Certum autem tenent eum, *qui fatetur crimen ſuum, habere portionem in ſæculo futuro.*

Damnati ſupplicio rei irrigabantur largiori vino medicato affuſione thuris, myrrhæ & id generis aromatum valentium ſtuporem inducere ſenſibus, ut doloris ſenſus hebetaretur. Hortatur Salomon *Proverb.* 31. 6. affundi vinum mœſtis; cujus humanitatis in Jeſum Chriſtum exempla in hiſtoria ejus paſſionis habemus expreſſa. Antequam enim levaretur in Crucem oblatum eſt illi vinum myrrhatum; actus autem in patibulum aceti potionem libavit *Matth.* 27. 34. 48. Porrò hæc in ſuppliciis omnibus obtinebant.

Suſpenſionis ſupplicium nulli in Lege crimini decretum erat. Defuncta quidem cadavera ſuſpendebantur non rarò; an & vivi homines interdum, ignoro. Defendunt tamen Judæi peculiare id tantùm fuiſſe ſupplicium perimendi Idololatras, & blaſphemos. Achitophel ipſum ſe è fune ſuſpendit 2. *Reg.* 17. 23. Judas pariter necem ſibi ſuſpendio conſcivit *Matth.* 27. 5. *Act.* 1. 18. Maledictum pronunciat Moyſes, *Deuter.* 21. 23. illum qui pendet in ligno; & ante ſolis occaſu deponi è patibulo præcipit. Ex eminenti furca ſuſpenſi perierunt Aman cum filiis *Eſth.* 16. 18. Piſtor Pharaonis obtruncatus, dein è patibulo ſuſpenſus eſt. *Geneſ.* 41. 13. Suſpendi in trabe præcipit Moyſes, *Num.* 25. 4. Principes illos Iſraelis conſcios Idololatriæ coram Beelphegor. Joſue eodem ſupplicio peremit Regem Hai *Joſ.* 8. 29. qui ad veſperum uſque ſuſpenſus è patibulo pependit. Iterum eandem animadverſionem revocavit in quinque Reges Chananæos *Joſ.* 10. 26. E mœnibus Bethſam ſuſpenderunt Philiſthæi cadavera Saulis & Jonathæ 2. *Reg.* 21. 12. quemadmodum & de Principibus Iſrael manibus ſuſpenſis poſt obitum injuria Chaldæorum ſermo eſt Threnorum 5. 12. Milites Antiochi Epiphanis pueros interfectos, quos piæ parentes circumciderant, ex illarum collo ſuſpendebant 1. *Machab.* 1. 62.

Ex his omnibus ſatis, quantum arbitror, intelligimus viventes quidem homines interdum, defuncta verò cadavera ſæpiſſimè pependiſſe ſuſpenſa.

SUPPLICIUM IGNIS familiare habebant Judæi. Intelligens Judas nurum ſuam Thamar è criminoſo coitu concepiſſe, adulterii ream damnavit incendio *Geneſ.* 38. 24. Lex à Moyſe data ſancit, *Levit.* 21. 9. *Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur.* Si quis reus teneretur violatæ, pro opinione ejus gentis, Numinum Majeſtatis, hunc igne damnabant populi Tranſeuphratæi. Detrectans Abraham cultum præſtare Diis Chaldæorum rogum ſubire coactus eſt *Geneſ.* 11. 31. & 2. *Eſdr.* 9. 7. In ardentem fornacem egit Nabuchodonoſor Danielem cum ſociis ejuſdem criminis reis *Dan.* 3. 6. Si quis inceſta connubia junxerit cum Matre & filia; in igne reus eſto mandat Lex Levit. 20. 4.

In ſartagine ardenti crematos Sedeciam & Achab inductis ſceleris in Iſraelem authores, abutenteſque uxoribus proximi ſui, crematos, inquam, juſſu Nabuchodonoſoris legimus, *Jerem.* 29. 22. Eodem ſupplicio fratres Machabæos peremit Antiochus Epiphanes, ex illis enim nonnullos in ahenis & ſartaginibus ſuccenſis abſumpſit; aduſſit alios verubus ardentibus, quibus per tranſverſum tergum ad intima viſcera intulit

(a) Vide Rom. 14. 1. &c. 1. Cor. 8. 3. &c. Coloſſ. 2. 18. &c.
(b) 1. Reg. 1. 1. & 1. Par. 6. 35.

ignem (a). Docet Eccleſiaſticus 7. 22. impii carnes torquendas eſſe vermibus & igne nimirum facilè, projicienda mortua illorum cadavera injuria ferarum & in rogum vallis Hinnon. Feruntur enim eò delata fuiſſe cadavera hominum & brutorum, ne ſi fortè abirent in taniem, totam infectarent urbem. Eò ſpectat Jeſus Chriſtus Marci 9. 43. 45. 47. docens vermem damnatorum nunquam interempturum, & ignem nunquam reſtinguendum.

Reum igni damnatum nunquam abſumptum fuiſſe flammis docent Authores Judæi. In fimo ad genua uſque immergebatur, tum vinciebatur gutturi amplior quædam linea faſcia excurrenti nodo; tandem duo tortores trahentes in diverſa extremas oras faſciæ illius ita guttur adſtringebant, ut cogeretur miſer, invitus licèt, os diducere, admotis etiam in eam rem forficibus ſi res popoſciſſet; atque in hunc modum hiantibus faucibus demittebatur in ſtomachum plumbum liquatum, quo tota demum viſcera conflagrabant. Porrò ſupplicii genus illud non aliter infligi conſueviſſe ex eo deducunt, quod ſcriptum ſit (b) ignem nequaquam abſumpſiſſe corpora filiorum Aaronis; quare iniquum reputant, ut corpora fratrum illorum igne abſumantur. Ad hæc tenent illi genus id mortis mitiſſimum eſſe præ omnibus. Cùm dictam hanc à Rabbinis ſententiam improbaret R. Eleazar, affirmans oculatum ſe teſtem ſpectaſſe filiam quandam Sacerdotis ream commiſſi criminis in rogum injectam; reſpondentes illos audivit: Id quidem tunc conſtitutum fuiſſe Sanhedrino, quod conſtaret è Doctoribus imperitis, vel è Chutæis & prophanis, nihil minùs callentibus, quàm Legem.

CARCER plerunque non ſupplicium erat, ſed locus ſervandis, vel de crimine accuſatis, vel iis, qui ſuſpicionem aliquam criminis incurriſſent. Joſeph fratrem ſuum Simonem retinuit carceratum, quo certo argumento probaret, an vera narrarent fratres de Jacob & Benjamin *Gen.* 43. 19. Homo ille blaſphemus coram Moyſe conſtitutus *Levit.* 24. 12. & alter qui dum ligna colligeret die Sabbati in flagranti crimine deprehenſus eſt *Num.* 15. 34. ambo carcerem ſuſtinuerunt, quoadusque de genere ſupplicii, quo perimerentur, conſultus Dominus reſponderet. Jeremiam & S. Joannem Baptiſtam coercuit carcer ne liberiùs verba facerent ad populum *Jerem.* 32. 2. 8.

Sæpè tamen & carcer ſupplicii, & quidem probroſi ac ſævi loco habebatur. Accuſatus Joſeph de injuria in torum Putipharis actus eſt in carcerem, oneratus catenis *Gen.* 39. 20. In manus Philiſthæorum incidens Samſon arcto carceri traditus eſt, captus oculis, coactuſque molam torquere *Judic.* 16. 21. Oſee Rex Iſrael, Joachaz, & Manaſſe Rex Juda in carcere clauſi ſunt à Regibus Aſſyriæ & Chaldææ victoribus. Paria ſuſtinere coactus eſt Sedecias addito inductæ cæcitatis incremento. Præcepit Achab Rex Iſrael 3. *Reg.* 22. 27. agi in carcerem Michæam Prophetam, ali pane tribulationis & aqua anguſtiæ, uſque ad conlectam expeditionem in Ramoth Galaad.

Vincula, manicæ, compedes, catenæ ſæpè appendices erant carceris, malum illud ingenti malorum pondere aggravantes. Neminem latet quid ſint vincula, funes, manicæ, quorum hodie uſque uſus non deſuit. Sed apud veteres Hebræos obtinebat olim jugi genus quoddam è duplici tabula longa lataque coaleſcens, in foramine enim inter duas illas tabulas inſerebatur adſtringebaturque collum rei. Juſſus eſt à Domino Jeremias parare ſibi vincula & juga, quæ collo ſuo induceret, tum & ſua ſingulis juga mittere ad Reges Edom, Moab, Ammon, ac Tyri, eo emblemate denunciaturus futuram eorum ſub Chaldæis Regibus captivitatem. Norant uſum pariter compedum & trabum, quorum ad certa ſpatia erant foruli inſertis continendis cruribus reorum varia divaricatione, prout ſupplicium magis minuſque aggravabatur. Vide Job. 13. 27. & 33. 11. Prov. 7. 22. Supplicium illud duobus hiſce verſiculis depinxit Prudentius Hym. 4.

Lignoque plantas inſerit
Divaricatis cruribus.

Præcipitem ex edito quodam loco agere; projicere in mare ingenti lapide ad collum alligato, ſupplicium erat extraordinarium in nonnullis tantùm rerum eventibus à Judæis admiſſum. Amaſias Rex Juda ex edita quadam petra projecit 1000. Idumæos in bello captos. 2. *Par.* 25. 12. Sunt qui è petra Oreb actum præcipitem affirment Regem ejus nominis à Gedeone in prælio cum Madianitis captum: *Interfecit Oreb in Petra Oreb. Judic.* 7. 25. Ex edito montis ſui vertice deturbare Jeſum Chriſtum moliebantur Judæi Nazareth *Luc.* 4. 29. Deturbatus eſt à celſiſſimo Templi culmine S. Jacobus Juſtus, ceciditque in vallem unde ſurgebant loci ſancti parietes. Interfectus eſt Zacharias filius Baruch in medio Templi, & in voraginem mœnibus ſancti illius loci inferiorem exanime ejus cadaver projectum jacuit (c). Supplicii projiciendi hominis in mare alligato ad collum lapide, meminit Jeſus Chriſtus Matthæi 18. 16. *Expedit ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Obtinuiſſe id apud Syros ferunt nonnulli (d).

SUPPLICIUM GLADII. Obtruncatorum exempla crebra offert Scriptura. Piſtor Pharaonis capite multatus eſt, cujus truncum cadaver è patibulo ſuſpenſum pependit *Gen.* 40. 19. Abimelech filius Gedeonis capite imminuit 72. filios Gedeonis fratres ſuus, ſuper unum lapidem omnes *Judic.* 9. 11. 4. *Reg.* 10. 7. Samaritani præciſa capita 70. filiorum Achab tranſmiſerunt in caniſtris ad Jehu Regem. S. Joannes Baptiſta obtruncatus eſt in carcere juſſu Herodis. *Matth.* 14. 8. 11. Fruſtra congererentur plura in argumentum, quod nihil ſingulare offert dignum animadverſione, ſive in natura ſupplicii, ſive in inſtrumento, quo inducebatur.

Conterere ſub ſpinis, ſub trahis, ſub pedibus Elephantorum, ſupplicia erant ab Occidentalium moribus planè abhorrentia, quorum tamen exempla nonnulla occurrunt in Scriptura. E victoria Madianitarum redux contrivit Gedeon ſub ſpinis & rubis deſerti Optimates Urbis Socoth, qui cuncti in prælium inſultaverant. *Judic.* 8. 16. Parem animadverſionem exegiſſe David de Moabitis creditur: *Percuſſit Moab coæquans terræ, menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum* 2. *Reg.* 8. 22. Favent huic expoſitioni quæ Textus habet, *coæquans terræ*, vel ſternens terræ. Sævior adhuc in Ammonitas David, 2. Reg. 12. 31. *Populum* (Regis Ammon) *adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris & traduxit in typo laterum.* Serra ſcidit medios, egitque ſuper illos ferreos currus, concidit gladiis, tandem projecit conciſa membra in fornaces, ubi latera coquebantur. De ſupplicio ſerræ v. *Serra*. Plauſtra ferrata, de quibus hic, machinæ erant quædam conterendis paleis & excutiendo tritico, cujuſmodi plura erant genera, omnia tamen armabantur ferro, vel lapide, ut paleas contererent. Vide infra *Triba*. Tandem illos traduxit per gladios ferreos, & per loca, ubi conficiebantur lateres, ſive poſtremum hoc innuat fornacem lateritiam, ſive locum, ubi argilla contundebatur ut apta eſſet figlinis, quo magis magiſque miseri illi homines tunderentur. Horrori ſunt iſta quidem, ſed tolerata tamen apud eas gentes, quæ ſibi

(a) 2. Machab. 7. 3. 5. & Joſeph. de Imperio rationis c. 9.
(b) Levit. 10. 5. Nihil ſatis expreſſum eſt de re in Scriptura; fert enim tantùm: *Ejecerunt foras, veſtitos lineis tunicis*: quod ſatis indicat in cineres vi ignis non abiiſſe.
(c) Joſeph. de Bello l. 5. c. 1. (d) Grot. & Cleric. in Matth. 18.

ſibi datum reputabant captos in bello homines occidere.

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

Ptolemæus Philopator Rex Ægypti (a), perrumpere nitens in Sanctuarium Templi Jeruſalem prohibitus eſt à Sacerdotibus; quare ſtatuit Judæos omnes ditionis ſuæ, negantes ad Paganorum ſacra tranſire, exterminio perdere. Poſt centum igitur illorum omnium juſſit iis, qui curabant elephantes, ut animalia illa largo ingurgitarent vino thure medicato, quo incenderent in furorem; poſt hæc omnia ad illos produci Judæos mandavit, ut beſtiarum pedibus conculcarentur. Sed barbara iſta conſilia fruſtravit Deus; namque belluæ in milites, à quibus agebantur, converſæ, illè illos proſtrarunt, conculcaruntque miſerè. Ad genus illud ſupplicii ſpectat Michæas 4. 13. *Congregavit eos* (Dominus) *quaſi fœnum areæ. Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas & comminues populos multos & interficies.* Amilcar Imperator copiarum Carthaginienſium pedibus elephantum proculcandos dedit Carthaginienſes & advenas nonnullos reos deſertæ partis Reipublicæ (b).

Comam reorum præcidere; plus valuiſſe ad probrum videtur, quàm ad ſupplicium, nihilo tamen ſeciùs probrum aggravabat dolor; neque enim radere comam habebant ſatis, ſed & avellebant crines, quemadmodum ſuperſtitibus avibus pennas. Genuinam hanc ſignificationem agnoſcimus Hebræi illius & Græci, quod legitur in Nehemia 13. 25. *Vidi Judæos ducentes uxores Azotidas &c. & objurgavi eos, & maledixi, & cecidi ex eis viros & decalvavi*; i.e. avulſi eorum crines. Interdum poſt avulſos crines inſpergebatur caput cinere calenti ad incrementum doloris. Ita ſervatum ferunt Athenis erga adulteros, ſi fides ſit Scholiaſti Ariſtophanis in Nubibus.

Familiare id erat olim in Perſide; ſub Artaxerſe Rege nonnihil variatum (c); juſſit enim pro eo quòd crines avellendi eſſent è Ducibus ſuis, reis commiſſi delicti, nonnullis, cogi potiùs Tiaram dimittere. Juſſit Domitianus Imperator radi crines & barbam Philoſopho Apollonio (d); & apud Gallos venefici præcidebatur coma. Nec ſupplicii genus illud intactum fuit Martyribus Chriſtianis. In impio illo libello de vita geſtiſque Jeſu Chriſti authoribus Judæis procuſo inſcriptoque *Toledos Jeſu* narratur, coegiſſe Judæos Chriſtum comam deponere, cujus & decalvatum caput aſperſum fuiſſe liquore quodam; quo calvitium per totam vitam permaneret. In Opere de Imperio Rationis laudato ſub nomine quarti Machabæorum (e) legimus, Antiochum Epiphanem caput quorundam è ſeptem fratribus Machabæis cute pariter cum crinibus nudaſſe.

Eruere oculos, & *ruſſis multare*, rara ſunt quidem ſupplicia; & quanquam Moyſes præſcribit (f) exigi oculum pro oculo, dentem pro dente; autumant nihilo ſeciùs Commentariorum Scriptores literalem ejus ſanctionis executionem rariſſimam fuiſſe (g); ſatis enim habitum multare reos certa pecunia, quæ injuria illa affecto cederet. Cùm Philiſthæi traditum haberent manibus ſuis Samſonem volentes diſcrimen ſibi omne ex illo removere, detruſerunt hominem in carcerem, tum & *eruerunt oculos ejus. Judic.* 16. 21. Naas Rex Ammonitarum illatis armis in Urbem Jabes Galaad 1. *Reg.* 11. 2. denunciavit illis, iis conditionibus recepturum ſe eos in fide, ſiquidem traderent ſe dextro oculo privandos. Coram Rege Sedecia à ſe capto juſſit Nabuchodonoſor trucidari filios ejus 4. *Reg.* 25. 7. tum miſeri oculos avulſit, ac tandem reſtituit Jeroſolymæ oneratum catenis.

Præcidere extrema manuum ac pedum; ſævum hoc indolis ſuæ argumentum dedit Adonibezec Rex Beſeth in ſeptuaginta Reges devictos, qui ſub ejus menſa de reliquiis ciborum victitabant *Judic.* 1. 6. 7. Tandem permittente Numine, quo ille rigore exercuit alios, & ipſe pariter exercitus eſt. Captus enim ab Iſraelitis præcíſus fuit extremis manuum ac pedum. Eidem animadverſioni David ſubjecit ſicarios Isboſeth, quorum etiam cadavera ſuſpendi mandavit ad piſcinam Hebron 2. *Reg.* 4. 12. Antiochus Epiphanes extrema manuum pedumque uni ex ſeptem fratribus Machabæis præcidit 2. *Mach.* l. 4. & 2. *Mach.* 7. 4. Alexander Magnus Perſepolim veniens (h), obviam habuit manum 800. Græcorum rogantem patrocinium & libertatem. Turba erat captivorum in Perſide detentorum, quibus fœdè abſciſſi erant, nonnullis quidem manus vel pedes, aliis verò nares, vel aures; tùm inuſta erat ſingulis ſervitutis nota, impreſſis in pelle barbaris quibuſdam characteribus nulla vi delendis.

SUPPLICIUM ROTÆ ignotum eſt quidem in Libris Canonicis utriuſque Teſtamenti, ſed legitur in quarto Machabæorum, álio nomine de *Imperio Rationis*, Ioſepho hiſtoricotributo. Porrò hic leguntur quintus & ſextus è fratribus Machabæis rotæ impoſiti fuiſſe (i). Prior frater raptatus fuit in machinam, quam Author *Catapultam* appellat; tum validis revinctus catenis recurvo dorſo aptabatur rotæ, ſpeciem præferens tanquam confractus ſcorpio circa rotam. Succeſſit alter, eodem planè tormento accommodatus rotæ, ut totis fermè oſſibus luxaretur. Tum admota lateribus veru quædam ardentia, quæ ad intima uſque viſcera inſinuabant ignem.

Ne ambigens quidem affirmarem rotam hanc ipſiſſimum eſſe eculeum, cujus ſupplicii genus Scriptorum calamos plurimum exercuit. Si quis compararet ea, quæ de ſupplicio rotæ hic narrantur, cum iis, quæ de eculeo memoriæ prodita ſunt, paria utrinque ſpectabit. Extendebantur in eculeo miſeri, atque ita extendebantur, ut funibus vel trocleis membra omnia luxarentur; proſcindebantur flagris ita diſtenta corpora, membrorum compages diſſolvebantur, adurebantur latera, attrectabatur ungulis ferreis corporis cutis; ſæpè verò recurvo dorſo diſtendebantur, ſupini interdum; ſæpè in gyrum recurvi, ſæpè tandem demiſſo inferiùs capite. Incommodum quemcumque ſitum ut tenerent miſerorum corpora facilis permittebat rotæ figurà. Scitum eſt quid fabula comminiſcatur de ſupplicio rotæ, cui Ixion addictus eſt. Devincta rotæ mancipia proſcindi flagris conſueviſſe notat Suidas. Sanctorum corpora in eculeo diſtenta variis ſubjecta ſuppliciis exhibent Martyrum Acta.

Exponi ad beſtias, certare cum beſtiis ſupplicium erat apud Romanos frequentiſſimum, affine aliquid præferens ſupplició contuſionis ſub pedibus elephantum. De ſe affirmat Apoſtolus 1. Cor. 15 32. *Ad beſtias pugnavi Epheſi*; qua de re vide quæ conjuximus v. *S. Paulus*. Interdum producebantur miſeri ad beſtias, ut vorarentur, quemadmodum de S. Ignatio ad Leones expoſito memoriæ proditum eſt; interdum ut belluis illis ſævo eſſent ludibrio, uti de S. Perpetua legimus; producta eſt enim ad vaccam furentem implicáta retibus ne belluam fugitaret; vel tandem ad beſtias decertaturi exponebantur, uti S. Paulo Epheſi accidit.

Damnatorum ædes interdum evertebantur, vel convertebantur in locum publicum ad ſordes excipiendas, quo injuriæ genere violavit Fanum Baal Jehu Rex: *Deſtraxerunt ædem Baal, & fecerunt pro eo latrinas* 4. *Reg.* 1. 27. Paria illaturum ſe Chaldæis Ariolis minitatur Nabuchodonoſor, ſiquidem ab illis inſomnii

---

(a) Joſeph. l. 2. contra Appion. in Latino & lib. 3. Machab. c. 5.
(b) Porphyr. de abſtineat. l. 2. p. 227. (c) Plutarch. Apophtegm.
(d) Philoſtrat. l. 3. c. 24. (e) 4. Mac. 7. & 2. Mac. 7. 4.
(f) Exod. 21. 24. Deut. 19. 18 19. 20. Levit. 24. 20. (g) Ita Rabb. & Interpp. paſſim.
(h) Diodor. Sicul. Q. Curt. Juſtin. (i) 4. Math. ſeu Imperio Rationis c. 9. in Græc. 22.

ſomnii ſui interpretationem non diſceret: *Domus veſtræ publicabuntur*; *Dan.* 2. 27. nec aliam animadverſionem decrevit in eos, qui colere recuſarent Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago. *Dan.* 3. 96. Darius Rex in adverſarios, ſi opponerent ſeſe Judæis, edixit: *Domus ejus publicentur* *Eſdr.* 6. 11. Reputant tamen Docti quidam Interpretes ſermonem in his eſſe tantùm de addicendis Regio Fiſco reorum bonis. Suſpicantur nonnulli ſupplicium pali non latuiſſe Perſas, cujus & mentionem fieri apud Eſdram ibid. *Tollatur lignum de domo illius, & erigatur, & configatur in eo*. Malunt tamen alii (a) ſuſpenſum fuiſſe reum in ligno, quòd poſt everſam ejus domum rectum ſtetiſſet; (b) devinciendum illum palo alicui è domo ejus deducto, atque ita flagris ſubmitti.)

I. SUR, Princeps Madian, & pater Cosbi, illius, quæ in crimine deprehenſa unà cum Zambri à Phinees neci tradita eſt. *Num.* 26. 15. Sur captus unà cum cæteris Principibus Madian, gladio trucidatus interiit (c).

II. SUR, filius Jebiel ex Macha, 1. *Par.* 9. 36. & 8. 30. è Tribu Benjamin, & incola Gabaonis.

III. SUR, urbs Arabiæ Petrææ, unde deſerto Sur in eadem regione nomen (d). Urbis Surattes in Arabia Petræa meminit Ptolemæus.

IV. SUR, nomen erat januæ in Templo Domini; incertum tamen qua ex parte eſſet. 4. *Reg.* 11. 6. In 2. *Par.* 23. 5. appellatur porta fundamenti. Hebr. *Hajeſod.*

SURDUS, Hebr. *chereſch*, Græcè *kophos*. Corporis vitium eſt, quotidiana experientia notiſſimum. Chriſtus non ſemel ſurdas aures prodigio aperuit. Aurium facultate orbati, plerumque & linguæ carent; cùm certum vocis ſonum modumque ad cæterorum imitationem exprimere ſurdi non valeant. Hinc Hebræum *chareſch* utrumque & loquelæ & auditus carentiam ſignificat. *Surdus* etiam per metaphoram dicitur, qui ſive abeſt, ſive adeſt quidem, ſed auſcultare loquentes nequit. Ita illud: *Surdo non maledices*; *Lev.* 19. 14. nempè abſentem maledictis non proſcindes. *Si fœmina voverit aliquid, & audierit vir & obſurduerit*. *Num.* 30. 8. 12. (Vulg. *non contradixerit*); nempè rem tacitus, ſimulans non audiviſſe, prætierit. Viri illi Iſraelitæ, quibus Saulis in Regem electio ingrata acciderat, ſua ad illum munera deferre neglexerunt; eorumque ille contemptum *obſurdeſcentis* more prætериit. 1. *Reg.* 10. 28. *in Hebr.* Cùm primò Meſſias paruerit, ſurdorum aures patebunt, ait non ſemel Iſaias c. 35. 5. & 42. 18. & 43. 8. populus ſcilicet, qui verbis ſalutis ad id uſque obſurduerat, apertis denique auribus auſcultabit:

SURENA, *Surenim*, *Serenim* (e); quo nomine Philiſthæi eos appellabant, qui rerum apud illos potiebantur; in Scriptura plerumque Satrapæ dicti. Vide *Satrapa*. Nomen eſt etiam dignitatis apud Parthos; quorum dux Surena in prælio nece Craſſi celebris occurrit (f).

(SURGERE. *Surrexit Rex novus ſuper Ægyptum* *Exod.* 1. 8. Regnum Ægypti novus capeſſivit. Homines in Scriptura plerumque vel diluculo vel ante lucem ſurgunt, quemadmodum & Heroes apud Homerum. Surgere eſt ſæpè rem aliquam exordiri. *Surgunt pueri, & ludant*; *& comede panem, ſurge, & fac nobis Deos* &c. *Surge, Domine, in requiem tuam* &c.

Surgo, eſt etiam à mortuis ſurgo. *De terra ſurrecturus ſum*; ait Job 19. 25. *Multi, qui dormierant, ſurrexerunt* *Matth.* 27. 52. *Surrexit Dominus & non eſt hic* *Matth.* 28. 6. *Corpus ſurget in incorruptione* 1. *Cor.* 15. 42.

Propheta magnus ſurrexit in nobis *Luc.* 7. 16. Joan. 7. 52. *A Galilæa Propheta non ſurgit*.

Surgere in aliquem uſurpatur etiam de accuſationibus ac falſum teſtificantibus in alium. *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me* *Pſal.* 34. 11. Marc. 14. 57. *Quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant adverſum Jeſum*.)

I. SURIEL, nomen Angeli, in Libris Judæorum, & in ſcriptis apocryphis. Hunc Deo jugiter adſiſtere dicunt Hebræi, atque in rebus ſummis legationem pro illo agere. Cum *Uriele* in Liturgiis Orientalibus ſæpè invocato confundendum cenſeo. Vide Renaudot t. 1. Liturg. Orient.

II. SURIEL, filius Abihail, Princeps familiæ Moholitarum, & Muſitarum. *Num.* 3. 33. 35

SURISADDAI, pater Salamielis, Principis Tribus Simeonis, in egreſſu ex Ægypto. *Num.* 1. 6.

(SUS. Monet Jeſus Chriſtus Diſcipulos ſuos Matthæi 6. 7. ne projiciant margaritas ante porcos, metu nè fortè pedibus illas ſuis fœdent; tum demum, ab iis in vos converſis dilaniemini ab illis; i. e. ne temerè res divinas effutiamus, annunciemuſque veritates quaſdam non benè diſpoſitis auditoribus: hæc monet Chriſtus. Re ipſa enim tunc irritantur animi, nec de annunciata veritate aliud retrahitur, quàm ejus contemptus & inſultus. Scitè Eccleſiaſticus 32. 6. in hanc ſententiam: *Ubi auditus non eſt, ne effundas ſermonem*. Ea perſuaſione inducti ſolemne habuerunt veteres Eccleſiæ Patres ut myſteria Chriſtianæ fidei celarent Paganis, nec niſi ſumma cautione & coram optimè diſpoſitis auditoribus de illis tractarent. Filius Prodigus, de quo Lucæ 15. 15. poſt dilapidatum patrimonium ſuum eò ſe redegit, ut paſceret greges porcorum, & commodè ſibi tunc accidiſſe rebatur, ſi è porcorum ſiliquis aliquid ſibi corraderet ad cibum. Vide ſupra *Siliqua*.

Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulcra & fatua *Prov.* 11. 22. Mulieres Judææ & Arabes interdum naribus ſuis inſerebant annulos ad cultum & ornatum; an pari ornamento rictus ſuis decoraretur ſine riſu?

Comparat S. Petrus in 2. *Ep.* 5. 18. 22. recidentem in crimen impium porco, qui poſt lotionem iterum ſe volutat in ſordibus. Proverbiali quadam paræmia uſurpatum eſt: Amat ſus lutum, & libenter ſeſe in illo volutat.)

SUSA, Davidi à ſecretis. 1. *Par.* 18. 16.

SUSÆ, *Suſan*, metropolis Suſianæ; nempè regionis Ælam, vel Perſidis. In Daniele 8. 2. *Suſis caſtrum* legimus; quod ſcilicet in ea urbe Regum Chaldæorum Ædes ſpectarentur. Regibus Perſarum à Cyro mos obtinuit, ut æſtivam ſedem Ecbatanis, hyemalem haberent (g) Suſis, qui mitius hyeme Cœlum; æſtate verò torrentiſſimum, ut ſolis ardore angues & lacertæ forsè è caveis emergentes, correpti adurerentur (h). Nomen urbis ex Hebræo *ſuſan*, lilium nempè, derivatur (i). Sita jacet ad amnem Eulæum; ibidemque Daniel viſionem arietis bicornis, & hirci unicornis ſpectavit (k). Aſſuerus, ſive Darius Hyſtaſpis ibidem verſabatur, cùm hiſtoria Eſther contigit (l); eumdemque ruſſum conditæ, ideſt auctæ, & exornatæ urbis authorem Plinius l. 6. c. 27. memorat. Ibi etiam agens Nehemias, regreſſus in Judæam, atque reſtituendæ urbis facultatem obtinuit (m). Benjamin Tudelenſis, & Abulfaragus monumentum Davidis in Chuzeſtan, quæ Suſæ veteres eſt, metropoli Ælamitidis conſtituit.

(SUSÆ in Hebræo *Suſan* Urbs hodie in Perſide nota ſub nomine *Touſther*, vel *Schouſther*, Metropolis Kuſiſtan. Surgebat ibi agger miræ altitudinis opus

(a) Vat. Grot. (b) Sindher. & Lud. de Dieu in 1. Eſdr. (c) Num. 31. 8. A. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451. (d) Gen. 16. 17 Exod. 15. 22. & 1. Reg. 15. 7. & 27. 8.
(e) Joſue 13. 3. Vide & Judic. 3. 3. & 16. 5. & paſſim.
(f) Plutarch. in Craſſo. (g) Vide Strab. l. 15. Xenoph. Cyropæd. l. 8. Athen. l. 12. &c. (h) Strab. ibid.
(i) Vide Bochart. Chanaan. l. 2. c. 14. (k) Dan. 8. 1. &c. A. M. 3447. ante Ch. 553. ante Ær. 557. an. 3. Balthaſaris.
(l) Eſt. 1. 2. &c. A. M. 3490. ante Chr. 510. ante Ær. 514.
(m) 2. Eſdr. 1. 1. A. M. 3550. ante Chr. 450. ante Ær. 454.

opus Regis Sapóris reflectens amnem Coaſpem (a). Affirmat Tatik-Montekeb ſua adhuc ætate manſiſſe ſibi ſepulcrum Danielis Prophetæ. Conditæ Urbis hujus honorem Perſæ quidam Scriptores vindicant Hutchenk filio Siamech, ſecundo Principi primæ Dynaſtiæ Perſarum. Docet Ligtfootus *de Templ. cap. 3.* portam exteriorem orientalis parietis Templi nomen reportaſſe portæ *Suſarum*, cujus etiam Urbis cælatam imaginem prætuliſſe, gratum monumentum edicti ſignati Suſis à Dario Hyſtaſpis, quo reſtitutio Templi permittebatur.)

SUSAN. Vide *Suſa*.

SUSANECHÆI, gens in Samariam è regione trans Euphratem, facilè ex Suſiana, ſive urbe & regione Suſarum traducta. 1. *Eſdr.* 4. 9.

I. SUSANNA, filia Helciæ, & uxor Joakimi è Tribu Juda (b), quæ unà cum viro ſuo facilè eodem tempore, ac Daniel, in captivitatem Babylonem deducta eſt (c). Porrò Suſanna fœmina erat, quæ ſpectatæ pulchritudinis famam, pietate, & religione ſua plurimùm augebat. Mos erat Judæorum in captivitate Babylonis degentium, ut in domo Joakimi convenientes, de rebus ſuis agerent, ſimulque Judices in eam rem conſtituerent. Solebat autem Suſanna quotidie meridianas horas in horto viri ſui otioſa ſallere. Cùm igitur Judices ſemel pro more in Ædes Joakimi convenientes, fœminam ſpectaſſent, impuro ſtatim illius amore exarſerunt. Diù quidem illi mala invicem celavere conſilia: tandem factum eſt, ut alter alteri ſecretum ſuum proderet, votorum ſuorum explendorum rationem mutuò ineuntes. Convenere, ut in horto ambo deliteſcentes, fœminam ad balneum venientem opperirentur. Venit Suſanna, vixque balneum ingreſſa, pediſſequas in ædes afferendis unguentis, & oleo in uſum ſuum miſit. Judices occaſionem nacti, è latebris prodeuntes, fœminam aggreſſi ſunt; eamque quà precibus, quà minis in crimen adducere conati ſunt; addentes ſimul ſe voto ſuo fruſtratos, id effecturos, ut rea ficti criminis palam accuſaretur. Suſanna undique anguſtiis oppreſſa, quid conſilii caperet, inter ſe cogitabat. Tandem caſtitatis amor metum imminentis infamiæ vicit; ac, Malo, ait, incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Exclamavit poſt hæc Suſanna, clamarunt in illam Judices; quorum alter ſtatim ad viridarii fores ſe conferens, confluentes ad ſubitum clamorem viros admonuit, mulierem ſe in crimine cùm adoleſcentulo deprehendiſſe. Domeſtici omnes re audita hærere; quippe qui de Suſanna nihil tale unquam fuerant ſuſpicati. Manè alterius diei frequenti populi turba in domum Joakimi conveniente, Judices ad quærendam fœminam miſerunt. Venit illa, parentum, filiorum, atque domeſticorum omnium ſatellitio ſtipata; eaque primo viſa, Judices è Tribunali aſſurgentes, coram omnibus ſe illam in crimine deprehendiſſe ſanctè teſtati ſunt; addentes inſuper ſe voluiſſe & procum detinere, ſed fruſtra, quippe qui prompta fuga ſe ſubduxiſſet. Jurato teſtantibus ſenioribus, rea criminis fœmina omnium judicio comprobata, capitali ſententia communibus ſuffragiis damnata eſt. Illa ſtatim verſis ad Deum precibus, ut innocentiæ, & caſtitatis ſuæ aſſertorem ſe præberet, etiam atque etiam rogavit.

Pronas roganti aures Deus exhibuit; quare cùm ad ſupplicium ducerentur, adoleſcentulus quidam, Daniel nomine, elata voce exclamavit: Mundus ego ſum à ſanguine hujus. His vocibus ſtare omnes; tum Daniel præcipiti judicio damnatam fœminam conqueſtus, ut cauſa iterum cognoſceretur, rogavit. Convenientibus igitur in domum Joakimi iterum populis, Daniel ambos Judices ſingulos, ac ſeparatos interrogavit. Primum igitur ex illis conveniens, quæſivit, quanam ſub arbore fœminam adulterantem deprehendiſſet? Ille ſtatim, ſub ſchino, ait, nempe ſub lentiſco. Equidem, ait Daniel, ſub ſchino; quippe qui in pœnam calumniæ ab Angelo Domini ſcinderis (d). Hinc introductus alter, rogatuſque de arbore, prinum, nempè ilicem, prodidit. Teneo te, ait Daniel ſtatim, in calumnia; quare futurum ſcias, ut Angelus Domini ſcindat te medium. Tum populus in Judices exclamare; communibuſque ſuffragiis neci, quam in Suſannam decreverant, addicti, lapidibus oppreſſi ſunt.

Hæc hiſtoria Græcè tantummodo ſcripta legitur; neque rari olim de ejus authoritate dubitarunt, piam quamdam fabulam ad ingerendum caſtitatis, & pudicitiæ amorem excogitatam ſuſpicantes. Id præ cæteris Julio Africano viſum. Origenes tamen illam invictè propugnavit (e); & S. Hieronymus, quamquam alibi eidem hiſtoriæ minùs æquus videtur (f), tandem in iis locis ſecutum ſe aliorum ſententiam, non ſuam, profeſſus eſt; ſcire enim ſe illam Græcis ſimul, & Latinis, Syris quin etiam & Ægyptiis probatam fuiſſe (g).

Interpretes plurimi autumarunt, iniquos illos Judices ipſiſſimos eſſe Achab, & Sedeciam Pſeudo-Prophetas Babylonis, *quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mœchati ſint in uxores amicorum ſuorum*. *Jer.* 29. 21. 22. Sed Judices Suſannæ non Rex, ſed populus damnavit; neque igne, ſed facilè lapidibus neci traditi ſunt.

II. SUSANNA, fœmina religioſiſſima, quæ cum aliis quibuſdam piis fœminis, Maria Magdalene, & Joanna uxore Chuſæ, Jeſum ſecuta, ejus atque Apoſtolorum neceſſitatibus, & pecuniis, & opera ſuccurrebat. *Luc.* 8. 2. 3. Hæc apud Judæos paſſim uſurpabantur, nemine receptum apud gentem morem ſugillante (h). De hac fœmina cætera omnia latent; quæ enim de appulſu ipſius Maſſiliam unà cum Lazaro, Martha, & Maria feruntur, apocrypha ſunt.

SUSI, pater Gaddi, è Tribu Manaſſe. *Num.* 13. 12.

SUTHALA, filius Ephraim, & pater Bared, author familiæ Suthaltrarum. *Num.* 26. 35.

SYCOMORUS, alio nomine *ficus Ægyptia*, cujus nomen è *ſycos*, ficus, & *morus*, arbor notiſſima, componitur. Ex utraque ſanè planta participat; foliis enim ad morum, fructus verò forma, & magnitudine ad ficum accedit. Hos fructus non ad extremitatem ramorum, ſed arboris trunco adhærentes emittit, ſapore ficubus agreſtibus accedentes. Ferreis pectinibus vellicati tandem hi fructus quatriduo maturescunt, fruſtra alioqui expectandi (i). Huc ſpectans Amos 7. 14. ait, ſe non Prophetam quidem, ſed paſtorem eſſe, ſcalpendis ſycomoris occupatum. Paria apud Plinium *l.* 13. *c.* 7. cæteroſque occurrunt: *Scalpendo tantùm ferreis unguibus alter non maturescit*. De illis ita S. Hieronymus in Amos: *Sycomori agreſtes afferunt ficus, quæ ſi non vellicentur, amariſſimas cariculas faciunt*.

Ut

(a) D. Herbelot. Bibl. Orient. p. 464. 829. 896. (b) Dan. 13. 1. &c. hæc hiſtoria contigit circa an. 3401. ante Ch. 599. ante Ær. 603. (c) A. M. 3398. ant. Ch. 602. ante Ær. 606. (d) Dan. 13. 54. Ὑπὸ σχῖνον... ἤδη γὰρ Ἄγγελος τοῦ Θεοῦ σχίσει σε μέσον & verſ. 58. Ὑπὸ πρῖνον... ὁ τὴν ῥομφαίαν ἔχων πρίσαι σε μέσον. Hic verborum luſus in Græco ſolummodò valet: quare dubium fuit utrùm hiſtoria illa unquam in Hebræo ſcripta fuerit, an Græcè tantùm. Potuit tamen in Hebræo aliquis alius verborum luſus occurrere, cui ſimilis in Verſione Græca alius ſubſtitutus ſit, arbore quadam alia pro ea, quæ in Hebræo legebatur, appoſita.
(e) Epiſt. ad Jul. Afric. & in tract. 31. in Matth.
(f) In Jerem. 29. 22. & in Jovinian. l. 2. & Præf. in Dan.
(g) Apolog. in Ruf. l. 2. & Præf. in Dan. Vide Noſtr. Præf. in Dan. & hic v. Daniel, & v. Schinon, Prinon.
(h) Hieron. ad Matth. 27. Beda, Strabus, &c.
(i) Plin. l. 13. c. 7. Hieron. in Amos, Theophraſt. hiſt. l. 4. c. 2. Dioſcor. l. 1.

Ut fœcunditas arbori concilietur, cortex incidendus, unde lac quoddam ſtillans, ramum quemdam ſeptem, vel ſex fructus ferentem efficit. Intùs, cavitatem quamdam, abſque ſeminibus habent, ubi liquor quidam flaveſcens frequentibus vermibus ſcatens fovetur. Dulci illi quidem ſapore palato blandiuntur; ſtomacho verò plurimùm officiunt, nauſeam, & laſſitudinem inducentes; humectant tamen, & refrigerant. In Ægypto, atque in regione potiſſimùm Cairo adjacente, frequentes Sycomori occurrunt, ea quandoque magnitudine, ut trium hominum complexû ægrè continerentur. Neque in Judæa incognitæ eſſe debuerant, cùm Zacchæus vir ſtatura puſillus, ab ingruenta turba conſpectu Jeſu Chriſti prohibitus, ſycomorum aſcenderit. *Luc.* 19. 4.

SYENE, urbs in finibus meridionalibus Ægypti. Vide *Siene*.

SYLLÆUS, Princeps Arabiæ, qui ab Oboda Rege Arabiæ ad res quaſdam agendàs Jeroſolymam miſſus, Salomes ſororis Herodis, viduæ Coſtobari, amore captus, de nuptiis cum fœmina egit (a). Nec fœmina renuſabat; ex quo amborum conſuetudo Herodem, cæteroſque non latuit. Aliquanto poſt, Syllæus ad Obodam regreſſus eſt; iterum eadem de cauſa in Judæam miſſus venit. Tunc nuptias cum Salome ab Herode requiſivit; quo annuente, nec renuente fœmina, unum adhuc reſtabat, ut Syllæus Judaicam religionem profiteretur. Sed nunquam in animum inducere potuit barbarus, ut avitam religionem deſereret, dictitans, graviora omnia à ſuis ſe eaperturum, ſi quid in ea re peccaſſet. Quare, re infecta, ad Obodam remigravit.

Idem Syllæus fidem ſuam Ælio Gallo pollicitus, duces ſe & commeatus in expeditione Arabia ſuffecturum, promiſſis non ſtetit (b). In Regem etiam Obodam perfidus, omnem in ſe Regni adminiſtrationem derivans, nudum illi nomen reliquit. Cùm igitur Herodes 60. talenta à ſe Obodæ mutuò tradita repoſceret, Syllæus jurejurando ſoluturum ſe coram Præſide Syriæ pollicitus eſt (c); dein verò Romam ſe conferens, calumnias in Herodem coram Auguſto ſtruxit. Imperator credulas aures dicenti præbens, in Herodem exarſit; ſed mox Herode egregiè ſe apud illum purgante, Syllæum in Provinciam remiſit, quò vel fœneratoribus ſuis ſatisfaceret, vel condignas pœnas daret. Ille ſtatim in Judæam & in Arabiam veniens, Imperatoris juſſionibus ne minimum quidem detulit. Deinde Romam iterum ſe conferens, accuſatorem ſuſtinuit Antipatrum filium Herodis (d): quo de tentata Herodis nece per quemdam ex cuſtodibus, Corinthum nomine, accuſante convictus, juſta tandem criminum pœna damnatus eſt.

SYLVA. Vide *Flavius Sylva*.

SYLVANUS, diſcipulus S. Pauli, Vide *Sylas*.

SYMBOLUM, vox ex Græco *Symbolon* (e), ſonans teſſeram quamdam, qua viri hoſpitio, ſive amicitia juncti inter ſe invicem conſociabantur. Cum nempè alius apud alium diverteret, ſymbolum deferebat, eo indicio ſe ejuſdem familiæ, ſocietatis, loci, & religionis probans. Symbolum etiam eſt quidquid à ſingulis convivis ad cœnam inſtituendam conferebatur, ſive moneta eſſet, ſeu vini, & carnis portio. Quo ſenſu in Proverbiis 23. 20. 21. uſurpatur: *Noli eſſe in comeſſationibus coram, qui carnes ad veſcendum conferunt; quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur*; nempè ſumptibus immoderatis ſe ipſos in arctum redigent. Hebræum tantùm legit: *Noli eſſe in comeſſationibus coram, qui carnes comedunt, & vinum potant; quia qui potum, & eſum amant, conſumentur*. S. Scripturæ phraſi ſymbolum eſt materia Sacramenti, & quidquid in Sacramentis ſenſibus, & oculis ſubjicitur. Ita in Baptiſmo aqua ſymbolum eſt Sacramenti, & interioris purificationis; in Euchariſtia panis, & vinum Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti; in Sacramento re quidem, & non per figuram præſentis ſymbolum exhibent. Vide Suicerum; (f) qui hanc quæſtionem ſapientiſſimè tractat, quamquam ejus ſententia de Euchariſtia nobis minimè probatur.

Symbolum etiam potiſſimùm uſurpatur de Symbolo Apoſtolorum, quod veluti ſummam doctrinæ Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ Chriſtianæ continet; eo enim veluti ſigno Chriſtiani inter ſe dignoſcuntur. Traditione receptum narrat Rufinus *de Symbol.* Apoſtolos, cùm mutuò inter ſe divelli, prædicationi longè, latèque provehendæ, debuiſſent, in cœtum coactos mutuas de rebus Fidei cogitationes ſuas conferentes, Symbolum conſtituiſſe. S. Hieronymus *epiſt.* 61. *c.* 9. Apoſtolis etiam idem ſcriptum attribuit; & S. Leo *epiſt.* 27. duodecim Articulos duodecim Apoſtolorum continere illud animadvertit. Sunt (g), qui ſingulos illos Articulos ſingulis Apoſtolis aſſignent; quorum tamen opinio neque ulla apud veteres authoritate, neque inter ejus aſſertores ſatis conſtat.

Olim Symbolum ante Baptiſmum (h); & alicubi etiam in ambone coram populo recitabatur (i). Ea Apoſtolis ſine ſcripto receptum, literis illud mandari prohibitum fuiſſe, ex teſtimonio plurium Patrum diſcimus (k). Quantum etiam ex illis intelligimus, brevius, quàm noſtrum, fuit; quare non idem ubique obtinuiſſe ſuſpicamur. Eccleſiam Romanam inviolatum diutiùs ſervaſſe, nullo addito, ſive detracto, Sanctus Ambroſius autumavit. Hodiernum tamen fuſius eſt, quàm quo Eccleſia Romana uteretur, ut ex Rufino, ejuſque Symboli exemplaribus, hodie uſque extantibus, conſtat (l). Epocha ejuſdem Symboli ad an. 36. Æræ conſtituitur.

(SYMMACHUS clari nominis Interpres ex Hebræo in Græcum Librorum veteris Teſtamenti. Natus eſt in Samaria, florebatque ſecundo ſæculo exeunte ſub imperio Severi. Virum fuiſſe in Religione ſua inclytum, inter primos Sapientes Samariæ, affirmat S. Epiphanius de ponder. & menſur.; cùm verò, ait, Principatum affectans Sapientum repulſam paſſus fuiſſet, abjecta Religione tranſivit ad Judæos, apud quos novæ ſe ſubmiſit circumciſioni: tanto enim odio inſectabantur ſe invicem Judæi ac Samaritani, ut quicumque ex alterutra Religione ad aliam tranſiret nova ſe circumciſione initiare cogerentur.

Poſt hæc Symmachus deſcivit ad Chriſtianos, degeneravitque in Ebionitam (m). Conſilio juvandi Hæreticos illos in Catholicos aggreſſus eſt novam verſionem Librorum Veteris Teſtamenti in Græcum. Quare id potiſſimùm ſtudet, ut phraſes Textûs ita conformet, prout maximè conducere arbitrabatur commodis ſectæ ſuæ, quæ in Jeſu Chriſto Meſſiam quidem agnoſcebat, ſed non Deum nec Dei Filium. Ita pariter negabat poſtremum Judicium, defendebatque id generis errores alios.

Methodum tenet Symmachus aliam planè ab Aquila

(a) Antiq. l. 16. c. 11. (b) Strabo, l. 16. A. M. 3980. ante Ch. 20. ante Ær. 24.
(c) Antiq. l. 16. c. 13. &c. A. M. 3997. 3998. ante Chr. 3. 4. ante Ær. 7. 8.
(d) Antiq. l. 17. c. 4. A. M. 3999. ante Ch. 1. ante Ær. 5. (e) Ea verbo συμβάλλω, confero.
(f) Suicer. Theſaur. Eccleſ. ex PP. Græcis, v. Symbolum.
(g) Vide Baron. an. 44. §. 17. Vide Aug. ſerm. 42. apud Lovan. & 241. in Append. nov. Edit. t. 5.
(h) Rufin. de Symb. Aug. ſerm. 58. Leo Ep. 24. Hilar. de Trinit. l. 9.
(i) Aug. l. 8. Confeſſ. c. 2. (k) Aug. ſerm. 212. Hieron. Epiſt. 61. Cyril. Cathe.
(l) Vide Voſſ. & Uſſer. de Symb. Natal. Alexand. Diſſert. in hiſt. Eccleſ. t. 1. Du Pin, & Remarq. des P. P. Bened. de S. Vanne in diem opus.
(m) Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 17. & Demonſtr. Evang. l. 7. c. 1.

la & Theodotione. Inhæret Aquila literæ, & cujuſcumque voculæ Textus rigidæ ſignificationi, nihil poſt hæc curans ſeu contextum ſermonis, ſeu Textûs ſenſum: ita Viri illius opus Dictionarium eſt potiùs docens quæ genuina ſit literalis vocularum ſignificatio, quam verſio ſenſum originalem reddens. Vicisſim autem Symmacho (a) genius eſt felicior in capriſmenda, quam Textui ſubeſſe ſignificationem rebatur, quàm in valute vocis reddendo. Inter geminos hoſce medius incedit Theodotion, cuius eſt verſio non ad indolem paraphraſis, uti Symmachs, non Dictionarium referens, ut Aquilæ. Studet ſenſum Textus Hebræi reddere per voces Græcas Hebræo correſpondentes, quantum permittit linguæ utriuſque indoles. Harum Verſionum fragmenta tantùm ſuperſunt diligentiſſimè collecta a R. P. D. Bernardo Montfaucon, vulgataque duobus in folio voluminibus inſcriptis: *Hexapla Origenis*. Apud Veteres Patres occurrunt Hæretici Symmachi, quos aliqui reputant diſcipulos & ſectatores Symmachi, Scripturarum Interpretis.)

SYMPHONIA vox concentum vocum, ſive inſtrumentorum, ſive unius tantùm inſtrumenti deſignans. Frater filii prodigi ex agro redux, muſicum inſtrumentorum concentum, & ludentium tripudia audivit. *Audivit ſymphoniam, & chorum*. *Luc.* 15. 25. Daniel ſymphoniam uſurpavit pro ſono unius muſici inſtrumenti, ut lyræ, & alterius ejuſdem generis (b).

SYNAGOGA, vox Græca, cœtum, ſive locum, ubi cœtus indicebantur, deſignans. Primo ſenſu pleſumque de Eccleſia Judæorum Chriſtianæ oppoſita, uſurpatur. Ita de Synagoga traditur, in ſervitute illam rejectam eſſe, & repudiatam, quippe quæ Eccleſiæ Chriſtianæ cederet. S. Joannes *Apoc.* 2. 9. & 3. 9. Hæreticos corruptores ſanæ Ieſu Chriſti doctrinæ Synagogam Satanæ appellat.

Primores Judæos, quibus in cœtu populi in deſerto locus erat diſtinctus, S. Hieronymus in Vulgata *Principes Synagogæ* appellat. *Exod.* 34. 31. *Num.* 4. 34. & 16. 2. &c. Frequens eſt etiam illud, *Synagoga deorum*, *Synagoga potentium*, *peccatorum*, *populi*, *ſuperborum*, quos cœtum Judicum, Magnatum &c. deſignat. Synagoga Aſſidæorum in 1. *Mach.* 2. 42. commemoratur, quo facilè ſecta, ſive gradus Judæorum, pietatis cultu florentium, appellabatur.

Synagoga frequentiùs eſt locus certus, orationi, ſive lectioni Librorum Sacrorum, cæteriſque inſtructionibus Judæis palàm deſignatus. Eò ſæpe in Evangeliis, & in Actis Ieſus Chriſtus, & Apoſtoli prædicationis gratia veniſſe perhibentur. Illius origo in ambiguo verſatur; neque deſunt Eruditi, qui recentiſſimam ſuſpicentur. Verùm jam ab Eliſei tempore ejus veſtigia occurrunt, cùm religioſiſſimi quique ejus ætatis die Sabbathi audiendæ lectioni ad illum convenirent. 4. *Reg.* 4. 23. Judith, cujus hiſtoria ad Manaſſem revocari ſolet, totam noctem in loco Orationis Bethuliæ inſomnem tranſegit. *Judith.* 6. 21. Author *Pſ.* 73. 8. deſolationem Ieroſolymæ à Nabuchodonoſoris exercitu deſcribens, everſas Synagogas Domini deplorat. Judæi captivi trans Euphratem, ad Ezechielem verbum Domini audituri convenerunt. *Ezech.* 33. 31. Judæos omnes Suſis verſantes Mardochæus in locum orationis collegit, ut ſuſceptam ab Eſther provinciam Domino commendarent. *Eſther.* 4. 16. Author Tertii Machabæorum, 3. *Mach. c. ult.* ſub Ptolemæo Philopatore Rege Ægypti diù ante perſecutionem Antiochi Epiphanis florens, narrat, Judæos Ægyptios, ut averterent imminens in ſuum caput periculum, locum orationis juxta Alexandriam conſtituiſſe. Vide *Proſeucha*. S. Jacobus memorat deſtinatos à Moyſe olim certos viros, *qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur*. *Act.* 15. 21.

Machabæorum ætate Synagogæ frequentiſſimæ in univerſo Iſraele, ſingulæ ferè in ſingulis locis occurrunt. Ubi decem ſaltem Iſraelitæ verſabantur, ibi conſtitutas Synagogas Maimonides teſtatur in Tephilla *c.* 11. *ſect.* 5. In una Jeroſolymæ urbe ad 460. imò & 480. numeratas ferunt (c). Singulæ artes ſuam habebant, uti & ſingulæ nationes pro ſuis gentibus peculiarem. Hinc in Actis 6. 9. *Synagoga Alexandrinorum*, *Aſiaticorum*, *Ciliçum*, *Libertinorum*, & *Cyrenenſium*. De hac Synagoga Libertinorum infra.

Porrò Synagoga publicum erat ædificium, ſive extra, ſive intra urbem, in loco plerumque edito conſtitutum. Volebant enim Judæi, ut cæteris privatis ædibus præſtarent, quod ſanè pro viribus efficere ſtudebant. Plerumque tecto obductæ ſunt; quæ enim ſub dio, & in agro jacebant, *Proſeuchæ* appellabantur. Vide *Proſeucha*. Synagogæ meditullium tribuna, ſeu cathedra legendis Libris ſive voluminibus Legis ritè deſtinata. Inde etiam verba ad populum fiunt. Ad extremitatem lateris Orientalis è regione oſtii ad occidentem, quantum fieri poteſt, conſtituti, ſcrinium ſervandis Legis voluminibus pretioſo panno opere phrygio obvolutis, conſtituebatur (d). Certus pro fœminis à viris ſeparatus locus deſtinatus eſt, in tabulato quodam cancellis clauſo, ita ut videre illæ quidem, videri non poſſint.

Singulis Synagogis ſuus eſt Princeps, atque Præfecti, pro loci dignitate eorum numero aucto. Chazaam vir eſt, dirigendis, præcinendiſque precibus deſtinatus (e). Huic alter accedit, penès quem claves ſervantur, ut veluti œconomus habeatur; huic nomen *ſciamas*, vel *famulus*. Principem Synagogæ Evangelium Archiſynagogum appellat; *Matth.* 5. 22. 35. ſicut & *Angelus Synagogæ*, ſive *Sapiens*, Hebraicè *Chacham*, dicitur. Præſidet autem cœtibus, & Judicius contra Legis violatores, in rebus magni momenti in eadem Synagoga inſtitutis, quos flagris ſubjectos, 39. ictibus damnant. Præſidibus etiam Synagogæ invitantibus, diſertiſſimi quique verba ad populum faciunt; quo potiſſimùm honore advenas, ſi qui ſunt in eam rem apti, proſequuntur. Hinc Jeſus Chriſtus verba in Synagogis ſæpiſſimè fecit (f); & S. Paulus cùm Antiochiam Piſidiæ veniſſet, *Act.* 13. 13. Principibus Synagogæ invitantibus, pro concione ibidem fratres allocutus eſt. Synagogæ nomen locum, quò populus conveniat, deſignans; interdum etiam de Eccleſia Chriſtiana uſurpatur. S. Jacobus 2. 2. *Si introierit in conventum veſtrum* (Græcè in Synagogam veſtram) *vir aureum habens annulum*. S. Paulus: *Non deſerentes collectionem noſtram* (Græcè, Synagogam noſtram.) *Hebr.* 10. 25.

Synagoga Libertinorum eos deſignat Judæos, juxta plures Interpretes, qui in Italiam à Pompeio, & Soſio captivi deducti (g), recepta deinde libertate, poſtea pulſis edicto Tiberii ex Italia Judæis (h), Ieroſolymam redierant. Alii verò pro *Libertinorum*, *Lybiſtinorum* legendum contendentes, populos Lybiæ Ægypto finitimos deſignatos credunt. Porrò *Libertini* vox Græca non eſt; atque *Lybiſtini* faciliùs contextus admittit, ſed MSſ. fides huic correctioni reclamat (i).

(Hanc

(a) Vide Hieronym. Præf. ad Chronicon Euſeb. & in Amos 3.
(b) Dan. 3. 5. 7. 10. 15. Vide Noſt. Diſſert. de inſtrum. Muſic. Vet. Hebr. ante 2. tom. in Pſal.
(c) Gemar. ad tit. Megillah. c. 3. ad tit. Cethuboth. c. 3.
(d) Maimon. apud Selden. l. 3. c. 16. n. 1. de Syned. Vet. Hebr.
(e) Leo Modena De' riti Ebr. p. 1. c. 10.
(f) Luc. 4. 16. Matth. 4. 23. & 9. 35. & paſſim.
(g) Antiq. lib. 14. c. 7. 8. De Bello lib. 1. c. 5. & Antiq. lib. 14. c. 28.
(h) Vid. Tacit. Annal. lib. 2. Suet. in Tiber. c. 36. Antiq. l. 18. c. 5.
(i) Vide Interpp. in Acta 6. 9.

(Hanc generalem regulam aſſignant Judæi in conſtruendis Synagogis: ubicumque occurrunt ſaltem *decem Batelnim* ibi pariter & Synagoga ædificanda eſt. Quid ſint *Batelnim* quæſtio eſt anceps; autumavit Buxtorfius, *Lexic. Rabbin. pag.* 292. viros eſſe mercede conductos, ut adſiſterent divinis Officiis, quò nulla non die ſaltem decem adeſſent; Ligtfooto verò perſuaſum eſt, accipi nomen illud oportere de Miniſtris & Præfectis Synagogæ (a): magis tamen recepta & probabilis opinio tenet viros fuiſſe maturæ ætatis & ſui juris, qui commodè & jugiter adſiſterent ſemper ac Sacris operari contingeret i. e. biduo ſaltem per hebdomadam ultra Sabbatum: quare ſingulis hiſce diebus decem ſaltem illos teſtes adeſſe opus erat, ſine quibus inauſpicatò res divinæ præſtarentur. Tres illi dies religioſi ſunt feria ſecunda, quinta, & ſabbatum; præter hos autem referas pariter in eum cenſum dies eſuriales & feſtorum ſolemnium. Porro diebus hiſce ter adeunda eſt Synagoga precandi gratia, mane, meridie, & veſpere. Diebus cæteris ter quidem precantur Judæi, ſed privati. Vide ſupra v. *Oratio.*

MAGNA SYNAGOGA. Ita appellant Hebræi (b) conſeſſum 120. Patrum, quorum Princeps Eſdras poſt reductum populum è captivitate Babylonica. Senatus ille duplici potiſſimùm de cauſa adlectus erat; 1. Quò laborarent reſtituendo in veterem ſanctitatem, qualis ante captivitatem, exercitio Legis. 2. Ut in unum corpus redactis Libris ſacris digereretur ille, quem appellant, Canon Scripturarum, vulgareturque exacta & correcta Sacri Codicis editio. Reputant pariter Hebræi, poſt Eſdram, Danielem cum tribus ſociis Sidrac, Miſac, & Abdenago primas in eo Senatu occupaſſe, poſtremum verò omnium ſediſſe Simonem Juſtum: hos autem omnes viros eadem ſimul ætate floruiſſe.

Repugnant hæc utique chronologiæ; Simon Juſtus multò recentior eſt Daniele & Eſdra. Sed Chronologica iſta minùs obſervant Hebræi. Quod in his omnibus fide dignius reputatur, illud eſt, nimirum Eſdram reformationem illam ſuſcepiſſe, quam tandem Judæorum ſapientiſſimi & Religioſiſſimi promoventes abſolverunt, maximè quantum attinet ad Canonem Scripturarum, ſub Simone Juſto, qui ſummum Sacerdotium Judaicum inivit A. M. 702. ante Jeſu Chriſtum 298. ante Æram 302. obiitque A. M. 3711. ante Jeſum Chriſtum 289. ante Æram 293.)

SYNTICHE, *Philip.* 4. 2. fœmina erat virtutum, & probitatis fama ſpectatiſſima, quæ in Eccleſia Philippenſi primas unà cum alia fœmina, nomine Evodia, tenebat (c). Eaſdem fœminas præ oculis habuiſſe Apoſtolum ferunt illis verbis; *Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio, Philipp* 4 3. Cùm inter illas diſſidium ſubortum fuiſſet, monet proinde Apoſtolus *idipſum ſapere in Domino*. Cætera ejus fœminæ latent omnia. In Sanctorum Catalogo die 22. Julii recenſetur; ejuſque corpus Philippis in Macedonia requieſcere in Martyrologiis traditum eſt.

SYRACUSÆ, urbs florentiſſima Siciliæ, ad latus Inſulæ orientale, quò S. Paulus in itinere Romano appellens, triduo manſit. *Act.* 28. 12. Inde Rhegium venit, A. Ær. 61.

SYRIA, Hebraicè *Aram*, *Gen.* 10. 22. nomine à Patriarcha, cujus familia præcipuas ejus regionis Provincias frequentavit, deducto. Vide *Aram*. Tenebant autem Aramæi, vel Syri Meſopotamiam, Chaldæam, Armeniæ partem, Syriam propriè dictam inter Euphratem ad orientem, Mediterraneum ad occidentem, Ciliciam ad ſeptentrionem, Phœniciam, Judæam, & Arabiam Deſertam ad meridiem. Ex Aramæis genus ſuum duxiſſe Hebræos conſtat, quòd è Meſopotamia veniſſent; unde de Jacob dictum eſt, pauperculum illum Aramæum fuiſſe (d). Hebræi tamen non ex *Aram*, ſed de *Arphaxad* altero filio Sem prodierunt. Deductos à Deo *Aram de Kir & Philiſtiim de Caphtor* (e) Amos innuere videtur; veluti ſi Aramæi ex regione ad flumen Cyrum Armeniæ in Syriam tranſmigraſſent.

Syria duorum fluminum, vel *Meſopotamia Syriæ*, uti in Vulgata legitur, ſive *Aram Naharaim*, ut in Hebræo, inter duos amnes Euphratem, & Tigrim continetur.

Syria Damaſci, cui nomen è Damaſco Metropoli inditum, ad orientem ſecundùm Libanum porrigebatur; incertis tamen limitibus, contractioribus modo, modò amplioribus, pro varia Regum Damaſci potentia.

Syria Soba, vel *Zoba*, aut *Sobal*, uti apud Septuaginta, eadem facilè erat, ac Cœle-Syria, vel Syria Cava. Huic regioni Soba præfuit, urbs incognita, niſi cum *Hoba*, vel *Hobal* ad dexteram, nempè ad ſeptentrionem Damaſci, *Gen.* 14. 15. confundatur. Vide *Hoba*, ſive *Abyla*.

Syria Maacha, ſive *Beth maaca*, vel *Machati*, regio ad Libanum (f). In transjordanica porrigebatur, atque in ſortem Manaſſis deſtinata fuit. *Deut.* 3. 14. & *Joſue* 13. 4. Vide *Maacha*.

Syria Rohob, pars nempe Syriæ, cui urbs Rohob præerat. Porrò urbs illa ad extremitatem ſeptentrionalem terræ Promiſſionis in via, ſive in anguſtiis ad Emath deducentibus, ſita erat *Num.* 13 22. Tribui Aſer ceſſit; *Joſue* 19. 28. 32. & 21. 31. *Judic.* 1. 31. atque Aphec ad Libanum juncta eſt. In ea regione *Lais*, alio nomine *Dan*, ad fontes Jordanis occurrebat. *Judic.* 18. 28. Adarezer Rex Syriæ Soba, filius erat Rohob, vel fortaſſe ex urbe ejus nominis originem referebat. 2. *Reg.* 8. 3. 12. Ammonitæ bello à David laceſſiti, ſuppetias à Syris Rohob, Maachæ & Iſtob rogaverunt. 2. *Reg.* 10. 6. 8.

Syria Tob, 2. *Reg.* 10. 6. 8. ſive *Iſtob*, vel *Terra Tob*, aut populorum *Tubim*, uti in Machabæis legimus (g), ſita erat in vicinia Libani, ad oram ſeptentrionalem Palæſtinæ. Vide *Tob*. Jephte è Galaaditide pulſus, in regionem Tob aufugit. *Judic.* 11 3. 5.

Syria Emath, cui nempè urbs Emath ad Orontem præerat. Vide *Emath*.

Syria, ſolitario nomine Regnum Syriæ, cui poſt Seleucidas Antiochia Metropolis præfuit, denotat. Ante eam ætatem nomen Syriæ ſine addito difficilè occurrit; ſolebant enim Provinciæ Syriæ ex urbe Metropoli deſignari.

Cœle-Syria, ſive *Inferior Syria*, nomen in Machabæis ſæpè recurrens (h), cui nomen ex Græco *cœle*, nempè cava, ſive depreſſa, inditum. Nomen illud propriè ad regionem inter Libanum, & Antilibanum contrahitur; latiùs verò de tota ditione Regum Syriæ à Seleucia uſque ad Arabiam, & Ægyptum uſurpatur, uti ex Strabone conſtat. Syriam Soba eandem ferè eſſe cum Cœle-Siria ſupra animadvertimus.

Syria Palæſtina, ſive *Palæſtina*, quo nomine interdum apud Veteres (i), & apud Joſephum *Antiq. l.* 10. c. 1. & *de Bel. l.* 3. c. 14. Palæſtina ſub Syria cenſetur. Cùm enim huic regioni diutiùs Reges Syriæ præfuiſſent, Præfectis regendam committebant, qui ſimul Syriæ Præſides nuncupabantur.

De Regibus Syriæ Benadad, *Hazaele*, *Adarezero*, *Adad*, *Razin*, aliiſque, fuſiùs in ſuis articulis egimus. Eorum tamen ſeriem ignota ſucceſſione, atque Regni tempore fruſtra inſtitueremus. Seleucidarum verò catalogus infra exhibebitur.

Syria olim ſuis Regibus paruit, ſingulisque certæ erant urbes, & regiones. David eos populos ſubegit


(a);


(a) Megilla c. 1. §. 3. Maimonides in Thephill. Vide & Ligtfoot. Harm. c. 17. & in Matth. 4. 23. (b) David Ganz Chronic. Buxtorf. Tiberia c. 10. (c) Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Zanch. Menoch. &c. in Philipp. 4. (d) Deut. 26. 5. *Syrus perſequebatur patrem meum*. Hebr. *Syrus oppreſſus pater meus*. (e) Amos 9. 7. Vulgata legit: *Palæſtinos de Cappadocia; & Cyros de Cyrene*. (f) Vide 2. Reg. 10. 6. 8. & 3. Reg. 15. 20. & 4. Reg. 15. 29. (g) 1. Mach. 5. 13. & 2. Mach. 12. 17. (h) 2. Mach. 10. 69. & 2. Mach. 3. 5. 8. & 4. 4. & 8. 8. Strabo l. 16. (i) Herod. l. 3. c. 5. & l. 2. c. 104 &c. Ammian. l. 14.


Digitized by Google


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google









Digitized by Google

(a); iterumque A. 2969. occaſione belli in Ammonitas ſuſcepti, Syros auxiliarea copias ad hoſtes ducentes ſub jugum miſit. 2. *Reg.* 10. 6. Ad obitum uſque Salomonis in obſequio manentes, tandem ab Iſraelitis deſciverunt. (b); nec niſi a Jeroboamo II. Rege Iſraelis (c), in ordinem redacti ſunt. Cùm Raſin Syriæ Rex & Phacee Rex Iſraelis expeditionem in Achabum Regem Juda ſuſcepiſſent, Judæi in eas anguſtias redacti, Teglatphalaſſarum Regem Aſſyriæ in hoſtes induxerunt (d); ex quo ultima pernicies in Raſin, capta Damaſcus, & Syri ejus regionis in tranſeuphratæam deducti; exinde Syri Regibus Aſſyriæ paruerunt. Inde Syria ad Chaldæos, poſtea ad Perſas; ſubinde ad Alexandrum Magnum translata eſt; brevi, maximarum Orientis Monarchiarum vices ſecuta eſt.

Poſt obitum Alexandri Magni (e), ejus imperium inter familiares ejus diviſum eſt, qui primò Præfectorum nomine, deinde Regio titulo provinciis præfuerunt. Seleucus I. cognomento *Nicator*, ſive Nicanor, author familiæ Regum Seleucidarum Regio titulo Syriæ præfuit 42. annis, ab an. 3682. Obiit an. 3724. ante Ch. 276. ante Ær. 280.

Antiochus I. cognomento *Soter*, 19. annis regnavit, ab A. M. 3724. uſque ad 3743.

Antiochus II. cognomento *Deus*, 15. annis Rex, ab A. M. 3743. uſque ad 3758.

Seleucus II. cognomento *Callinicus*, ſive *Pogon*, nempe barbatus, 20. annis, regnavit ab A. M. 3758. uſque ad 3778.

Seleucus III. Keraunos, ſive fulmen, triennio rerum potitus eſt, ab A. 3778. uſque ad 3781.

Antiochus III. Magnus, 36. annis, ab A. 3781. uſque ad 3816.

Seleucus IV. Philopator, 12. annis, ab A. 3817. uſque ad 3828.

Antiochus IV. Epiphanes, filius Antiochi Magni, & frater Seleuci IV. 11. annis, ab An. 3828. uſque ad 3840.

Antiochus V. Eupator, 2. annis, ab 3840. uſque ad 3842.

Demetrius I. Soter, filius Seleuci IV. 12. annis, ab 3842. uſque ad 3854.

Demetrius II. Nicanor, inquietum Regnum decennio tenuit, turbas foventibus Alexandro *Bala*, ſive *Balle*, & *Antiocho Deo*, filio Balæ. Obiit Demetrius an. 3864. Bala an. 3859. & Antiochus Deus ejus filius regnum inivit an. 3860. ſub curatore Tryphone conſtitutus. Occiſus eſt an. 3861. & Tryphon Regnum invadens, tandem an. 3866. neci traditus eſt.

Antiochus VI. cognomento *Pius*, vel *Soter*, aut *Sidetes*, nempe criminoſus, ſive venator, frater Demetrii Nicanoris, 10. annis, ab 3864. uſque ad 3873. quo a Parthia occiſus fuit.

Demetrius II. Nicanor, Regnum repetens, æmulum expertus eſt *Alexandrum Zebinam*, a quo prælio victus neci traditus fuit, an. 3878. Obiit Zebina an. 3882.

Seleucus V. filius Demetrii Nicanoris, inquieto regno anno præfuit, ab 3878. uſque ad 3880.

Antiochus VII. Gryphus, ſive *Philometor*, Zebina deturbato an. 3882. quietum regnum octennio tenuit, uſque ad 3890. Dein ab *Antiocho Cyziceno* fratre ſuo bello turbatus, infauſto prælio fractus eſt, an. 3892. Inde diviſum regnum. Gryphus poſt 29. annos regni, tandem anno 3910. deceſſit. *Cyzicenus* eodem anno prælio victus a Seleuco filio Gryphi, Regno, & vita privatus eſt.

Seleucus VI. filius Gryphi, poſt exactum in regno annum, prælio victus an. 3911. deturbatus eſt ab Antiocho *Euſebe*, ſive *Pio*, filio patrui ſui Antiochi Cyziceni. Eodem anno Mopſueſtæ in Cilicia neci traditus eſt.

Antiochus VIII. Pius, biennio Rex, quem Antiochus, & Philippus frater Seleuci avi ipſius, & *Demetrius Eucærus*, filius Antiochi Gryphi bellis exercuerunt. Victus tandem à Demetrio ad Parthos aufugit A. M. 3912.

Ita Syria in duos Reges *Philippum*, & *Demetrium* diviſa eſt; quorum alter Damaſci regnavit. Inteſtinis autem bellis afflictam patriam Syri ægrè ferentes, extraneis Regibus defendendam, atque tegendam committere ſtatuerunt. Cùm alii Mithridatem ad eam rem, alii Ptolomæum Lathurum Regem Ægypti accerſendum contenderent, de tertio quodam, nempe Tigrane Rege Armeniæ, convenerunt. Accitus igitur Tigranes, Syriæ regnum 18. annis habuit, ab 3921. uſque ad 3939.

Antiochus IX. Aſiaticus, ejuſque frater, filii Antiochi Pii, Syriæ partem à Tigrane non occupatam tenebant. Ambo fratres an. 3932. Romanum iter ſuſceperunt, regnum Ægypti, quod jure materno Cleopatræ Selenes ſibi debitum contendebant, à Senatu poſtulaturi. Sed an. 3933. ſublata à Tigrane Cleopatra, Aſiaticus omni ſpe deſtitutus, in Syriam an. 3935. regreſſus eſt. Quadriennio poſt Syria Pompeii armis ſubacta, in provinciam an. 3939. redacta eſt; eumque exitum Monarchia poſt 257. annorum periodum habuit.

SYRO-PHOENICIA, Regio eſt, quam peculiariter Phœniciæ nomen deſignat, cujus Metropolis Sidon. Cùm Provincia jure belli Syriæ acceſſiſſet, inde veteri nomini alterum Syriæ adjectum, quemadmodum & Palæſtina olim tamquam Syriæ pars habita, Syriæ pariter nuncupata fuit. Fœmina Chananæa in Evangelio *Syro-Phœniſſa* appellatur, *Marc.* 7. 26. quòd Phœnicia (mulieris patria) tanquam Syriæ pars ſub uno eodemque Præſide cenſeretur. S. Matthæus verò, qui Evangelium Hebraicè, vel Syriacè ſcripſerat, *Chananæam* illam nominat c. 15. 22. 24. quòd regio à Chananæis frequentaretur; Sidon etenim filius erat Chanaan natu major *Gen.* 10. 15.

T

TABATHA, vicus 5. m. paſſuum à Gaza, ad meridiem, patria S. Hilarionis (f). *Thabaſam* eandem, ac *Thabatham*, 15. m. paſſuum à Gaza Nicephorus Calliſtus *hiſt. l.* 9. *c.* 15. conſtituit.

TABEE, filius Nachor, ex Roma, ſive Rama concubina. *Gen.* 22. 24.

I. TABEEL, ex illis, qui Templi reſtaurationi obſtitere. 1. *Eſdr.* 4. 7.

II. TABEEL. Reges Raſin, & Phacee expeditionem in Achabum ſuſceperunt, ut *filium Tabeel* ad ſolium Juda elevarent. *Iſa.* 7. De hoc Tabeel nihil ultra memoriæ proditum eſt.

TABEERA, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto; *Num.* 11. 3. *Deut.* 9. 22. in Textu Latino *Incendium*, quod etiam Hebræum *Tabeera* ſonat. Inditum autem loco nomen ex igne de Tabernaculo in caſtra immiſſo, ut Deus populi in ſe murmur ulciſceretur. *Num.* 11. 1. *&c.*

TABERNACULUM, Græcè *Scene*, Hebraicè *Obel*. Sub tabernaculis olim veteres Patriachæ degebant. In caſtris Iſraelitarum ſub Moyſe duo erant Tabernacula, de quibus ſæpè in S. Scriptura; nempe *Tabernaculum conventus*, quò populus de rebus occurrentibus deliberaturus conveniebat; & *Tabernaculum Teſtimonii*, *Tabernaculum Domini*, ſive tantùm Tabernaculum, peculiari Dei cultui, & potiſſimis Religionis cæremoniis, ſacrificiis ſcilicet &c. deſtinatum.

Porrò Tabernaculum illud (g) operè quadrato,

Oo produ-

(a) 2. Reg. 8. 5. &c. A. M. 2960. ante Chr. 1040. ante Ær. 1044. (b) A. M. 3029. ante Ch. 971. ante Ær. 975.
(c) 4. Reg. 14. 24. 25. Regnum iniit Jeroboam A. M. 3179. ante Ch. 821. ante Ær. 825.
(d) 4. Reg. 15. A. M. 3245. ante Ch. 755. ante Ær. 759. (e) A. M. 3681. ante Ch. 319. ante Ær. 323.
(f) Hier. in ejus vita. (g) Vide Exod. 26. 27.

productiori tamen, conſtabat 30. cubitis in longitudine, & decem in latitudine, & altitudine. In duas partes diſtribuebatur, quarum prima *Sanctum* dicta, 20. cubitos in longum, & 10. in latum dimetiebatur. Ibi conſtituta menſa panum propoſitionis, Candelabrum aureum ſeptem ramorum, altare aureum, ubi thymiama adolebatur. Pars altera, *Sanctuarium*, ſive *Sanctum Sanctorum*, 10. cubitis in longum, totidemque in latum excurrebat; iſque locus Arcæ Fœderis deſtinatus. Sanctuarium à Sancto velum pretioſum intermedium, quatuor columnis ligni ſethim, aureis laminis obductis appenſum, dividebat. Præ foribus etiam Sancti velum erat dependens ex quinque columnis ligni ſethim, aureis laminis obductis, & æneis baſibus inſiſtentibus.

Ab occidente, ſeptentrione, & meridie Tabernaculi parietes aſſeres conſtituebant ex lignis ſethim, aureis laminis obducti, æneiſque baſibus ſuſtentati. Latus occidentale 8. tabulis, ſeptentrionale 20. totidemque meridionale conſtabat. Omnibus æqua menſura, nempè 10. cubitorum altitudinis, & cubiti ac dimidii latitudinis; ſingulæ autem in utraque extremitate mutuo nexu copulabantur. Cùm verò totum opus loco amoveri deberet, ideo ſingulæ tabulæ duabus inſerebantur baſibus; continendis verò in officio ſingulis, quinque per omne latus annuli aurei certo ordine diſpoſiti; in quibus vectes ex ligno Sethim laminis aureis induti inſerebantur.

In Tabernaculum nullus Soli aditus. Variis operiebatur velis, *Exod.* 26. 1. quorum intimiora hyacintho, & purpura variata nitebant. Hæc ſagum protegebat ex caprarum pilis contextum, pluviarum injuriis arcendis. In anteriore quidem parte nunquam, ſed ad alteram, & ad humerum pendebant. Hinc Tabernaculum ſubeuntibus primum velum pretioſum in veſtibulo appenſum occurrebat. Sago ex caprarum pilis contexto duo alia ſuper imponebantur, alterum ex arietum pellibus, rubricatis; hoc ex iiſdem pellibus, hyacinthinis. Ita Tabernaculum quatuor operiebatur integumentis; primùm pretioſum, purpura, & hyacintho nitens; alterum ex caprarum pilis; tertium ex arietum pellibus cum vellere rubeſcentibus; quartum ex iiſdem pellibus cæruleo colore ſaturo imbutis.

Circa Tabernaculum, atrium regnabat, ſtructura quadratum quidem, ſed productum longitudine 100. cubitorum, & latitudine 50. *Exod.* 27. 9. Totum ſpatium ambiebant columnæ argenteis laminis, atque epyſtiliis nitentes, baſibus verò æneis impoſitæ. Ad latus occidentale 10. columnæ, ad orientale 6. ad ſeptentrionem, & meridiem 20. utrinque ſpectabantur, E columnis vela pendebant in cortinæ modum, perpetuo ductu ex lino tenui contexta. Veſtibulum verò atrii velum pretioſius ornabat ex hyacintho, & purpura, polymito opere contextum. Veſtibulum illud 20. cubitis patebat, totidemque velum, de quo diximus, producebatur; cui detinendo quatuor diſpoſitæ columnæ argenteis laminis, & epyſtiliis, æreiſque baſibus ornatæ.

In eo Atrio è regione Tabernaculi, ſive Sancti, conſtitutum Altare Holocauſtorum, *Exod.* 27. 1. adolendis in ſacrificium Domini victimis. Piſcina etiam, ſive fons in uſum Sacerdotum poſitus. Eò uſque Laicis aditus, deducendis ad altare hoſtiis permiſſus. Ibi jugulatæ, pellibus exutæ, victimæ iis cæremoniis offerebantur, de quibus in Levitico. Vide v. *Ara Holocauſtorum*, *Sacerdotes*, *Sacrificia*.

Is erat Tabernaculi ſitus, ut veſtibulum ad orientem, Sanctuarium ad occidentem, duo latera ad ſeptentrionem & meridiem ſpectarent. Hic autem veluti Ædes ſummi Dei Iſraelis, in medio caſtrorum inhabitantis, habebantur. Circum ſingulæ Tribus ſuo ordine diſpoſitæ: Juda, Zabulon, & Iſſachar ad orientem; *Num.* 2. 3. Ephraim, Benjamin & Manaſſe ad occidentem; Dan, Aſer, & Nephtali ad ſeptentrionem; Ruben, Simon, & Gad ad meridiem pertinebant. Tribus Levi Dei obſequiis addicta, ſuum habebat circa Tabernaculum locum conſtitutum; ut Moyſes, & Aaron in latere orientali; ſamilia Gerſon, in occidentali. Meraritæ, in ſeptentrionali, Caathitæ in meridionali eſſent. Manè ſingulorum dierum, Sacerdotum miniſterio thymiama oblatum, extinctæ lampades, & veſpere accenſæ; oblatus agnus in holocauſtum ſuper Altare æneum. Idem ſacrificium ineunte veſpere quotidie innovabatur. Ad radicea montis Sinai Tabernaculum illud primò conſtructum, dedicatum eſt prima die menſis primi (a).

(Demonſtrare conatus eſt Spencerus de legib. Hebræor. Ritual. Diſſert. 1. l. 3., Tabernaculum fœderis, cui Moyſes commiſit Arcam, Candelabrum aureum, Altaria tum Panum propoſitionis, cum holocauſtorum & thymiamatis, quò pariter cogi Iſraelitas volebat ad impendendum Domino cultum publicum & ſolemne; Tabernaculum, inquam, illud, Arcam, Cherubim, & reliqua omnia imitamenta fuiſſe cultus, quem Numinibus ſuis impendebant Ægyptii, & Paganæ reliquæ gentes: ideo verò, ait, Deus iſta indulſit populo ſuo connivens potiùs quàm præcipiens, ut mores hoſce ſuperſtitioſos ad ſanctitatem & Religionem traducens, velut aggerem opponeret indoli gentium in idololatriam propenſæ.

Opinionem hanc ſuam adſtruere nititur Spencerus inſtituta comparatione ædicularum geſtatoriarum apud Paganos, tum etiam Tabernaculorum; in quibus Paganæ illæ gentes claudebant quidquid ſanctiſſimum eſſet & maximè inviolabile in Religione. Facilè autem demonſtraretur obtinuiſſe apud Gentiles mos Deos ſuos geſtandi in itineribus, & in pompis; geſtandi, inquam, vectos humeris Sacerdotum. Pompam Deæ Iſidis deſcribit Apulejus *Metamor. l.* 11. De Numinibus Trojanis ab Ænea ſecum in itinere devectos canit in Æneide Virgilius.

Erranteſque Deos, agitataque Numina Trojæ.

Laudat etiam in ſuam ſententiam Spencerus illud Amos 5. 26. relatum pariter Actuum 7. 42. *Nunquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto Domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis Tabernaculum Moloch, & Sidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis adorare eas.* Habes hic Tabernaculum Moloch & Rempham ſub ipſis Moyſis oculis geſtatum per Deſertum ab Iſraelitis. Igitur ut imbibitum altè morbum nempè in Deos cultum ſenſilem ſanaret Moyſes, conceſſit volentibus Tabernaculum, Arcam, Sacrificia, moreſque Paganicis non diſſimiles, ſed ab omni ſuperſtitione & idololatria puros. Hæc Viri docti perſuaſio eſt.

TABERNACULUM MOLOCH. Vide v. *Ædiculæ*, *Moloch*, *Socoth Benoth*.

TABERNACULUM ut exprimit *commorationem*, vel *ſedem*. Similes phraſes utraque Scripturæ pagina offeret: *Revertimini in tabernacula veſtra. Japhet habitet in tabernaculis Sem. Revertatur quiſque in tabernacula ſua.* Redduntur hæc interdum ad literam; cùm e. g. ſermo eſt de Patriarchis, qui egerunt in Chanaanitide, antequam migrarent in Ægyptum. Habitarunt enim in tentoriis; nec ædes habuerunt fabricatas, nec ſedes in Urbibus. Ita pariter ad literam accipi oportet tabernacula ſeu tentoria, cùm ſermo eſt de exercitu in prælium procedente, qui ſeu fugit in tentoria, ſeu in tentoriis ſe continet. Æquè tamen alibi non ſemel *Tabernaculum*, vel *tentorium* ponitur loco domus. Conciliavit vulgarem hanc loquendi phraſim apud Hebræos diuturna illa commoratio in tentoriis, antequam illi migrarent in Ægyptum.

Eòdem pariter nomine diſtinguitur Templum Salomonis, quanquam ſolidiſſimo opere conſtructum, quod ideam referebat perſimilem Tabernaculo à Moyſe

(a) A. M. 2514. ante Ær. 1490. ab egreſſu ex Ægypto an. 2.

Digitized by Google

Moyſe erecto. Profitetur David Pſ. 131. 3. nunquam acquieturum ſe niſi poſt conſtructum *Tabernaculum Deo Jacob*. Author Pſalmi 73. 7. perhibet Chaldæos vel Syros *polluiſſe Tabernaculum nominis Domini*.

TABERNACULUM eſt etiam interdum Cœlum, ſedes Beatis deſtinata: *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo? Pſal.* 14. 6. .... *Innocens manibus, & mundo corde* Pſal. 60. 5. *In Tabernaculo tuo in ſæcula*. Pſal 83. 2. *Quàm dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*. Iſta quidem fateor, commodè redderentur ad literam de Templo Jeruſalem. Sed ex Authoribus Novi Teſtamenti intelligimus phraſes iſtas à Judæis ſæpè uſurpari de Cœlo. Ita e. g. monet Jeſus, ut amicos nobis comparemus de mammona iniquitatis, *ut recipiant*, inquit, *vos in æterna Tabernacula Luc.* 16. 9.. S. Paulus, *Heb.* 8. 2. docet Jeſum Chriſtum Sacerdotem eſſe Summum *veri Tabernaculi*, quod fixit *Dominus & non homo*. Et Hebr. 9. 11. *Amplius & perfectius Tabernaculum non manufactum &c.* Vide etiam Apocalypſis 13. 6. & 21. 3. De corpore ſuo ita agit idem Apoſtolus 2. Cor. 5. 4. ceu de Tabernaculo: *In hoc Tabernaculo ingemiſcimus ingravati*. Et S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. 13. *Quamdiù ſum in hoc Tabernaculo juſtum arbitror ſuſcitare vos in commonitione*; tum & addit ℣. 14. *Certus quòd velox eſt depoſitio Tabernaculi mei*.

TABERNACULUM DAVID à Deo revelandum, Amos 9. 11. & Actuum 15. 16. ipſa eſt Eccleſia Jeſu Chriſti, nempè domus ejus, qui germen eſt David, & hæres promiſſionum, quæ ſanctiſſimo huic Patriarchæ factæ ſunt.)

TABERNACULA. Feſtum Tabernaculorum, in Evangelio & Machabæis *Scenopegia*(a), quæ Græca vox erectionem Tabernaculorum ſonat. Feſtum illud Hebræi *Chag-haſſacoth*, nempè Feſtum Tabernaculorum, ideò appellant, quod ſub intextis ex ramis virentibus & frondibus tentoriis, in memoriam tabernaculorum, quibus in deſerto populus uſus fuit, celebraretur. *Lev.* 23. 42. Hiſce feriis ſtatæ ſolemnes dies poſt meſſem, decimaquinta Tiſri, primi menſis anni civilis, & Lunationi Septembris reſpondentis, atque tota inde hebdomada, ibique collectæ meſſis gratiæ agebantur. *Exod.* 23. 16. Prima & ultima dies ſolemniſſimæ habebantur; *Lev.* 34. 35. totoque eo temporis ſpatio feriandum erat; indictumque ſingulis maribus, ut ſe coram Domino ſiſterent. Sua etiam erant ſolemnitati peculiaria ſacrificia, de quibus ſtatim.

Prima igitur ineuntis Feſti die, *Lev.* 23. 40. & 2. *Eſdr.* 8. 16. rami ex ſelectiſſimis arboribus, frondibus, & fructibus ditiores præcidebantur, palmarum videlicet, cæterarumque frondeſcentium arborum, ſalicum ſecundùm alveum torrentis vireſcentium; quibus ad Synagogam non ſine cæremoniarum pompa delatis, *Lulab* inſtruebatur. Portò *Lulab* cæremonia eſt, in qua palmæ unum, & myrthi ramos tres, unà cum duobus ſalicibus faſciculo ſimul alligatos dextra exerunt; ſiniſtra interim alium ramum citrinum, fructu adhuc pendente, ſuſtentat. Interim cantica modulantes, ramos utrimque jungunt, agitantesque ſimul ad quatuor mundi plagas ſiſtunt. Cùm autem inter canendum *Hoſanna* inclamari contingat, quomodo introeunte in urbem Jeſu obſervatum a Judæis ſcimus, *Matth.* 21. 8. 9. ideò ramis *Hoſanna* nomen inditum. Ea cæremonia ſingulis Feſti diebus innovata, die tamen octava ſolemnior erat, & crebrior; dicta proindè *Hoſanna Rabba*, ideſt magnum Hoſanna.

Ex Rabbinorum doctrina, ſi quis rami ſui penſum manè Feſti non perſolviſſet, huic interdictus in pœnam ea die cibus. Eò autem convenientes cum ramis, Altare holocauſtorum canentes, ramoſque agitantes circuibant. Noſtra quidem ætate ramos ad Synagogam conferunt; ne quid autem deſit malorum citreorum, & aureorum, ſedulò curant. Solemni autem ritu cathedram in medio Synagogæ circumeuntes, ſemel ſaltem in dies ſingulos, tunc primùm cibi capiendi ſibi facultatem permittunt.

Ejus Feſti occaſione concinnatus videtur Pſal. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus ... Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus &c.* Non obſcurè enim eò ſpectant verſus 23. &c. *O Domine, ſalvum me fac; O Domine, benè proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hebræus legit: *Ana Jehovah, hoſiahna; ana, Jehovah, hat, chila na &c.*; quibus ſanè verbis hodie uſque, cathedram circumeuntes, Hebræi acclamant; acclamatumque etiam in introitu Jeſu Chriſti Jeroſolymæ. Proſequitur Pſalmiſta: *Benediximus vobis de Domo Domini; Deus Dominus & illuxit nobis: Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu Altaris*.

Ex his facilè accepta occaſione, Plutarchus *Sympos. Problem.* 5. cultum Baccho impenſum à Judæis teſtatur. Ingrediuntur, ait, Templa ramos virigineos, atque thyrſos deferentes; quid autem intùs egerint, ignotum mihi. Feſtum illud *Cladoforia*, & *Thyrſoforia* appellat. Cùm autem in ſolemniis Bacchi haſtas virentibus foliis ornarat, Thyrſos nomine, Græci deferre conſuevìſſent, ſimile quid à Judæis ſervatum animadvertens, hinc Bacchi illos ſolemnes dies agere autumavit. Joſephus *Antiq. l.* 3. c. 10. de hoc Feſto agens, Græca voce *Ereſione* utitur; quæ tantundem ſonat, ac faſciculus ex ramis olivarum lana coronatus, onde fructus cujuſque generis dependent. Hunc faſciculum puer, cujus uterque parens ſuperſtes, præ foribus Templi Apollinis conſtituebat. Verùm, ait Joſephus, Hebræorum *Ereſione* myrtho, ſalice, palma, ſive citro conſtabat. Illud etiam animadvertendum eſt, nihil de myrtho apud Moyſem; quamquam apud Nehemiam, 2. *Eſdr.* 8. 16 Joſephum, & poſt illos, Rabbinos, & Syriacum, tanquam ad eam cæremoniam neceſſaria commemoratur. Portò Judæi in myrtho explicant illud: *Ramos ligni denſarum frondium*. *Lev.* 23. 40.

Prima ineuntis Feſti dies non conſuetis tantùm ſacrificiis, ſed peculiari holocauſto 13. vitulorum, duorum arietum, 14. agnorum, unà cum oblationibus farinæ, & libationibus vini celebrabatur. *Num.* 29. 12. Additus etiam hircus pro peccato.

Alteram diem ſacrificium excipiebat 12. vitulorum, duorum arietum, 14. agnorum in holocauſtum, conſuetis farinæ, & olei, & vini libationibus non omiſſis; quemadmodum & hircus pro peccato, atque conſueta matutina, & veſpertina ſacrificia. Neque intermiſſa cætera ſacra, ſivè ſpontè ab Iſraelitis, ſive pro expiandis criminibus facta. Hæc tamen ſolemnitati præſcripta nomine totius Iſraelis offerebantur. Tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima dies iiſdem ac ſecundæ diei ſacrificiis religioſæ habebantur; vitulorum tamen numerus ſingulis diebus ex lege minuebatur, ut tertia die 11. quarta 10. &c. immolarentur. Octavæ diei, quamvis ſolemniſſima præ cæteris haberetur, nullum tamen peculiare ſacrificium præſcriptum erat, quàm vituli, arietis, 17. agnorum in holocauſtum, & hirci pro peccato, cum oblationibus, & libationibus conſuetis.

Serotinorum fructuum primitias octava die Feſti in Templo à Judæis oblatas ferunt; ſicut & hauſtam è fonte Siloe aquam in Templum deferri conſuevìſſe, quam vino admiſtam Sacerdotes ad baſim Altaris effunderent, acclamantibus interim verbis Iſaiæ 12. 3. populis: *Hauriètis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris &c.* Hanc cæremoniam authoribus Aggæo, & Zacharia poſt regreſſum è captivitate inſtitutam addunt; quò ſpectaſſe Jeſum autumant nonnulli, cùm poſtrema ejuſdem Solemnitatis die in Templo clamitaret: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Jo. 7. 37. 38. Quæ ſanè

(a) Jo. 7. 2. & 1. Mach. 10. 22. & 2. Mach. 1. 8. 18.

verba, ut S. Joannes animadvertit, Spiritum denotant, in credentes mox effundendum. Quidam Interpretes autumant, Pſalmos *Pro torcularibus* inſcriptos, nempe 20. 80. & 83. juxta Vulgatam; ejus Feſti occaſione decantari conſueviſſe. Sed in eam rem illos potiùs Pſalmos in uſu eſſe teſtatur Leo, Modena *de'Riti Ebr. p.* 2. *c.* 7. quibus in fronte inſcriptum *Alleluja*, quales juxta noſtrum ordinem ſunt Pſal. 112. uſque ad 118.; & juxta Hebræos, Pſ. 113. uſque ad 119.

Cùm autem ſive Templum adeundi, ſive cæremonias à Moyſe præſcriptas ſervandi facultas Judæis noſtra ætate permiſſa non ſit, in ſuis ſinguli ædibus locum ſub dio eligunt, ubi foliis coopertam cellam ſibi ſtatuentes, velis circùm & ornamentis pro viribus inſtruunt. Ibi cibum & quidam etiam ſomnum capiunt; omnes ſaltem tantum temporis octo illis diebus feſtis verſantur, quantùm domi conſueverunt. Ægroti, & ſeniò confecti ab ejus Legis obſervantia eximuntur (a); quin & ſi pluerit, omnes, malè concamerato domicilio relicto, in ædes ſe recipiant. Quamquam autem in Lege nonniſi octo dies Feſto præſcribuntur, conſuetudo tamen, & populi religio ad novem prorogavit. Duo priores, ac poſteriores totidem, ſolemniſſimi præ cæteris habentur. Septima Feſti die, quam *Hoſanna Rabba* appellant; reſectis myrthi & palmarum ramis, ſalices præferentes, cathedram in medio Synagogæ conſtitutam ſepties circuunt, canentes Pſal. 28. *Afferte Domino filii Dei &c.* Ea dies dimidio præ cæteris ſolemnior. Nona & decima, ex Rabbinorum inſtitutione ſacræ, *gaudium Legis* appellantur, quòd lectio Pentateuchi abſolvatur (b).

TABITHA, vidua Chriſtiana, Joppe commorans, probitatis fama, & eleemoſynarum largitate inſignis(c). Cùm fortè an. Ær. 34. lethali ægritudine contracta deceſſiſſet, atque defunctæ corpus de more lotum ſuper tabulam in ſuperiori cœnaculo, mox ſarcophago imponendum, conſtituiſſent, accitus interim eſt, Lyddæ verſans haud procul à Joppe, S. Petrus, ut eò veniret. Ut igitur Apoſtolus conclave ingreſſus eſt, viduas omnes defunctam fœminam plorantes, atque receptas ab illa dono veſtes oſtendentes, obvias habuit. His faceſſere juſſis, Apoſtolus in preces effuſus, dein ad defunctum corpus verſus, ut ſurgeret, imperavit. Nec mora, apertis oculis fœmina circùm reſpiciens, ut Apoſtolum vidit, lecto priùs aſſedit; deinde eodem Apoſtolo manum præbente, incolumis ſurrexit. Ita Petrus mortuam fœminam Sanctis, & Viduis incolumem reſtituit.

TABREMON, pater Benadadi Regis Syriæ. 3. *Reg.* 15. 18.

(TABULÆ LEGIS, quas Deus conſignavit manibus Moyſis in monte Sinai, Dei ipſius digito deſcriptæ continebant decem Legis præcepta recitata in Exodi cap. 20. De his Tabulis plura quæruntur; quæ forma, qui numerus, quis author, & quid tandem continerent. Ad decem uſque dinumerant Authores quidam Orientales (d); alii ad ſeptem; ſed Hebræi nonniſi duas malunt. Sunt qui ligneas fuiſſe dicant, alii gemmeas. Cujus poſterioris ſententiæ Authores diſtrahuntur in partes; è pyropo enim alii, vel carbunculo conſtituunt; ſed carbunculo favent plerique. Qui ligneas volunt, preferunt in eum uſum lignum *Sedar*, vel Sedras, quod Loti genus eſt à Munſulmanis in Paradiſo ſatum.

Ex utroque latere Tabulas illas deſcriptas fuiſſe perhibet Moyſes *Exod.* 32. 15.; perforatas credunt nonnulli ut ex utroque latere ſecto ſcilicet & averſo commodè legerentur. Malunt alii Legiſlatorem ideo admonuiſſe Tabulas illas ex utroque latere prætuliſſe ſcripturam, quod hoc eſſet contrà receptum tùm temporis morem, cùm ſcilicet pugillaria non niſi ex uno latere deſcriberentur. Alii (e) Hebræum Textum ita reddunt: *Deſcriptæ erant è duabus partibus*, ſe mutuò reſpicientibus, ita ſcilicet ut mutuo cohærentibus Tabulis illæ deſcriptæ characteribus ſuperficies ſe invicem contingerent, nec exteriùs pareret quidquam. Sunt etiam qui credant, decem illa præcepta in utraque tabella repetita fuiſſe; placet aliis ita ſanctiones iſtas dividere, ut ſingulis quinque aſſignent. Non deſunt tandem qui Tabulas illas prorogent ad 10. vel 12. cubitos.

Affirmat Moyſes non obſcurè Tabulas, de quibus modò, *ſcriptas* fuiſſe *digito Dei*. Eſi autem id variè à variis expoſitum: ad literæ rigorem accipiunt quidam, ut non alteriùs, quàm Dei opera ductos credant literarum apices; malunt alii huic miniſterio Angelum deputare. Sunt qui *digitum Dei* hic, ſicut & alibi poſitum fuiſſe conſtat (f), deſignare credant Spiritum Dei; alii Dei ad Moyſem præceptum. Huic poſteriori ſententiæ adſtrueretur fides ex capita 34. 27. 28. ubi ſermo eſt de Tabulis à Deo traditis Moyſi, cui & Deus imperat deſcribere in iiſdem Tabulis verba fœderis à ſe initi cum Iſraele; & paulò infra legitur Moyſes exaraſſe per ſe eadem verba Tabulis. In eodem capite ſcribitur excidiſſe Moyſes geminas Tabulas prioribus à ſe confractis non abſimiles; ex quo infert S. Auguſtinus in Exod. 186. & Cyprianus lib. de Spiritu Sancto ſecundas haſce Tabulas deſcriptas non fuiſſe manu Dei uti priores. Sed Moyſes in Deuteronomio 10. 4. referens hanc hiſtoriam de ſecundis Tabulis à Deo datis, exprimit non obſcurè ſcriptas fuiſſe à Deo: *Scripſitque in Tabulis juxta id, quod priùs ſcripſerat*. Unde recta conſequutione inſertur vel neutram Deum per ſe, vel utramque ſcripſiſſe. Verùm ſi ad implendam vim Textus Moſaici ſatis fuerit reputaſſe Deum viri Sancti mentem & ſpiritum afflaſſe, ac permoviſſe ad ſcribendum, fruſtra novum miraculum inveheremus.

Tradunt Muſulmani (g) præcepiſſe Deum ſtilo cuidam Cæleſti, ut ſcriberet vel inſculperet characteres in Tabulis, vel mandaſſe Angelo Gabrieli, ut adhiberet calamum, qui eſt invocatio nominis Dei, & atramentum hauſtum è fluminibus lucis, aptiſſima ad ſcribendas Tabulas Legis inſtrumenta. Addunt primas illas Tabulas è manu Moyſis dilapſas diſſiluiſſe in fruſtula, quæ omnia Angeli tranſtulerunt in Cœlum uno excepto fruſto magnitudinis cubicæ, quod retentum in terra in Arca fœderis repoſitum eſt.

TABULÆ CÆLI. Vide *Cœlum*.)

TACHAS, tertius filius Nachor, ex Roma. *Geneſ.* 22. 24.

TALED, veſtis Judæorum, cujus potiſſimùm in Synagoga in recitandis precibus uſus. Ea verò pro pallio quadrato, olim obtinente, utuntur; cui nimirum pallio, juxta Moyſis præſcriptum, ad quatuor latera anſulæ quædam cæruleæ adjungendæ erant, *Num.* 15. 38. *Deut.* 22. 12. quemadmodum & fimbriæ per oram regnantes. Hodie verò ne veſtibus à vulgaribus nimiùm abhorrentibus ludibrio exponantur, quadratum pannum ſub veſtibus recondunt, quatuor anſulis ad quatuor latera ornatum. In Synagoga verò orantes velum habent in capite laneum quadratum, e quo quatuor anſulæ ad quatuor latera pendent (h). Hoc velum *thaled*, ſivè *taled* appellant.

TALENTUM, Hebraicè *chiccar*. Talentum Hebraicum 3000. ſiclis valebat *Exod.* 38. 24. quod reſpondet 1500. unciis, ſive 25. libris Romanis, & noſtro pondere marcorum reddit 86. lib. 14. uncias, 5. groſſos; valet autem 4867. libris; 3. ſolidis, & 9. denaris

(a) Muaſter. in Levit. 23. (b) Vide Miſn. Tit. Suca cum Commentator. Sigon. Bertrand. Cunæ, Godvin. De rit. Hebr. l. 3. c. 6 &c. (c) Act. 9. 36. Tabitha, quæ interpretatur Dorcas nempe Dama.
(d) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 649. (e) Oleaſt. & Rivet. in Exod. 31.
(f) Vide Exodum 8. 19. Luc. 11. 20. (g) D'Herbelot Biblioth. Orient. pag. 649.
(h) Leo Moden. De' Riti Ebr. p. 1. c. 5. & 11.

Digitized by Google

denariis noſtræ monetæ. Siclus aureus ejuſdem ponderis valebat 69532. lib. & 3. ſolidis.

Talentum vulgare Athenienſe 2400. libris valebat.

Duo talentorum genera apud Hebræos plures diſtinguunt; Magnum, & parvum; talentum nempè Sanctuarii & commune; quorum primum, inquiunt, altero duplum. Nihil tamen de hoc in Scriptura. Talenti ad noſtram monetam reductionem vide in tabula ad calcem hujus Dictionarii; uti & Authores de monetis Veterum agentes.

(TALIO. Pœnam Talionis decernit Moyſes in eos, qui corpus proximi ſui vulnerarunt, Exod.21.23. &c. *Animam pro anima oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* In aſſignando harum Legum ſenſu variant Interpretes. Literæ rigorem præferunt quidam, quibus favet Textus Deuteronomii 19. 18. &c. *auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant......non miſereberis ejus; ſed animam pro anima, oculum pro oculo &c.* Nihil lenimenti admittunt Saducæi. Sed Judæi reliqui cum pluribus Chriſtianis Commentariorum Scriptoribus contendunt Legum illarum literalem exequutionem incommoda retuliſſe plura; quare mitiori ſenſu ita temperandas eſſe, ut inferant tantùm in reis multam quandam pecuniariam, vel pœnam crimini reſpondentem. Ita qui oculum proximo ſuo excluſerat, damnabatur ſive ad amiſſionem unius oculi, ſive ad eam pœnam multa pecuniaria redimendam, & ſic de cæteris.

Nec hiſce quidem Legibus ultionem permittit Deus, ſed illam moderatur & reſtringit: *Non fomes, ſed limes furoris eſt*, ait S. Auguſtinus *contra Fauſt. l. 19. cap. 25.* Privatorum manus cohibet, Legem hanc Talionis conſtituens, & parem intimans pœnam malo illi, quod in proximos illatum eſt. Addit idem S. Auguſtinus in Pſal. 108. *Injuſtorum juſtitia eſt* (Lex par pari reddi permittens) *non quia iniquum eſt, ut recipiat unuſquiſque quod fecerit.......ſed quia ulciſcendi libido vitioſa eſt.*

Docet Philo *de Legib.* legem hanc Talionis minùs quàm pro toto rigore exequutioni mandari, ſi alteri, quàm ingenuo homini injuria irrogata ſit. Sed diſcrimen illud latet penitùs Rabbinos; docetque Joſephus, *Antiquit. l. 4. cap. 8.* integram permitti poteſtatem læſo, ut pro illata ſibi injuria ultionem re ipſa proſequatur; nec invitum cogi poſſe, ut jus ſuum remittat accepta ab adverſario pecunia. Legem hanc Talionis authoritate ſua fulciunt Græcorum & Romanorum, ſicut etiam Eccleſiaſticæ & Canonicæ Leges. Vide infra V. *Ultio*, & *Ultor*.

TALISMANNI. Deſignantur eo nomine certæ quædam ſeu imagines, ſeu emblemata ſigni alicujus cæleſtis, conſtellationis, vel planetæ, inſculptæ in lapide ſympathico, vel in metallo, cui ſit affinitas aliqua cum aſtro ad influxus ejus excipiendos. Sunt qui credant vocem *Taliſman* puram putam eſſe Arabicam, alii Perſicam ac deſignare ſculpturam quandam ſyderatam. Deducunt nonnulli ex Græco *Teleſma*, conſervatio; D. du Cange accerſit ex Talemaſcha, quod eſt illuſio, phantaſma; unde literæ Talemaſcæ ſunt literæ, vel characteres ignoti, quibus utuntur Sagæ. Eques Marshamus, poſt Rabbinos nonnullos ſtatuit colubrum illum æneum, quem extulit Moyſes ad valetudinem procurandam Iſraelitis anguium ictibus offenſis, retuliſſe aliquid Taliſmannicum. Taliſmatici elogio donatur pariter ab Arabibus Apollonius Thianæus, quippè quem Taliſmani ope valuiſſe credunt ad præſtigia, quibus rudibus per eam ætatem hominibus fucum faciebat.

Ea illo dictum hoc refert Abulpharages. *Infelicem me hoc nomine reputo, quòd poſt filium Mariæ in Mundum parui.* Ad prodigia valuiſſe Jeſum Chriſtum tenent Judæi virtute nominis *Jehovah* furto è Templo à ſe ſubducti, & cujus genuinam pronunciationem, ignotam cæteris, noverit.)

TALITHA-CUMI, quibus verbis Jeſus Chriſtus filiam Jairi, Principis Synagogæ Capharnai, ad vitam revocavit. *Marc. 5. 41.* Non Hebraicè illa, ſed Syriacè ſonant; redduntur autem: *Filia ſurge*.

TALMUD, ſive *Thalmud* (a). Corpus eſt totius juris Sacri, & Moralis Judæorum. Duo autem ejuſdem nominis opera diſtinguuntur, quorum primum *Thalmud Jeroſolymitanum*, alterum *Thalmud Babylonicum* inſcriptum eſt. Primi operis author Rabbinus Johanan, qui Academiæ Palæſtinæ ſpatio 80. annorum præfuit; abſolviſſe autem illud ferunt anno 230. poſt Templi excidium, nempè circa annum 300. Ær. ut Judæis in Judæa reliquis gratam operam præſtaret. Porro Thalmud hoc contractius atque obſcurius Babylonico, vetuſtius tamen habetur.

In duas partes diſtributum eſt, nempè in *Miſnam*, & *Gemarram*. Miſnam dictavit Rabbi Juda, cognomento Sanctus circa annum 120. poſt everſum Templum à Romanis, Ær. 190. Miſna autem, quæ *ſecundam Legem* ſonat, traditiones Doctorum Judæorum collectas exhibet, quas ſimul tradendas Judas cenſuit, ne in diſperſione Iſraelitarum, & Scholarum everſione, forte in oblivionem abire contingeret. Poſt 100. annos circiter Rabbi Johanan adornavit Gemarram, nempè *complementum*; qua ſcilicet ultima manus Miſnæ imponeretur. Duo iſta opera in unum collecta Thalmud Jeroſolymitanum conſtituunt.

Thalmud Babylonicum, præter Miſnam Judæ Sancti, de quo ſupra, Gemarrham exhibet, à Rabbi Aſe adornatam (b). Huic operi nomen inditum *Thalmud Babylonicum* ex loco, ubi adornatum eſt. Uſui potiſſimùm Judæorum trans Euphratem ab authore compoſitum eſt, planiori ſanè, atque fuſiori, quàm Jeroſolymitanum, ſtylo; quare a Judæis frequentiùs, atque libentiùs uſurpatur. Innumeris fabellis, atque hiſtoriolis refertum eſt, de quarum tamen veritate vel dubitare quidem citra religionis diſpendium Judæis nefas. Quin & Thalmudi authoritatem ipſi quidem Scripturæ præferentes, Biblia aquæ, Miſnam vino, Gemarram mulſo comparant. Traditiones, & explicationes in eo libro ſcriptas, à Deo traditas, & ex ipſo in Moyſem, & ab illo in Aaronem ejuſque Filios, & ſeniores Iſraelis, ex quibus in Prophetas, atque ſubinde in magnæ Synagogæ Patres derivatas credunt; hinc ad Miſnam, & Gemarram delatas. Miſna Hebraicè ſcripta, terſo, & obſcuro ſtylo; Gemarra Hebræo Chaldæum, atque ſubinde cæterarum linguarum voces qualdam admiſcet.

Cùm ante impoſitam ſupremam operi manum Rabbinum Aſe mors ſurripuiſſet, ejus filii, ſive diſcipuli nonniſi ſeriùs paternum Commentarium abſolverunt, nempe juxta plures, circa an. Chr. 500. ſive 525. (c) Miſnam ante an. 500. adornatam non fuiſſe Morinus contendens (d), Thalmud Babylonicum nonniſi circa an. 700. abſolutum, Jeroſolymitanum verò ante ſæculum quintum non prodiiſſe cenſet. Porrò ſi Miſna an 500. vetuſtior non eſt, Thalmud Jeroſolymitanum recentius fuiſſe oportet (e).

(Talmud, vel *Thalmud* Jeroſolymitanum, & Miſna poſt Chaldaicas Paraphraſes Onkelos & Jonathan, vetuſtiſſimi ſunt omnium juris Hebraici Commentarii, ſi Libros Sacros excipias. Plurimum ex

(a) Thalmud ex verbo Lamad, docere. Hine Thalmud verti poteſt Doctrinale.

(b) Florebat Aſe 100. annis poſt Rabbi Johanan, ſcholæ autem præfuit Saræ juxta Babylonem, ubi poſt exactos 40. annos, tandem Commentarium in Miſnam effudit. Opus autem imperfectum ab ipſo relictum Diſcipuli ſive Filii ejus abſolverunt. (c) Ita Serrar. de Rabbin. l. 2. c. 9. Bartholoc. t. 1. & 3. Biblioth. Trigland. de Caraitis.

(d) Morin. Exercit. Biblic. l. 2. Exercit. 6. c. 2. & 3. &c. (e) Vide Bartholoc. & cæteros ſupra laudatos, & continuat. hiſt. Judaic. Joſephi t. 6. l. 9. c. 3. & 4. edit. Pariſ.

Digitized by Google

ſtilis profecit Ligtfootus, undè pervaderet ſenſum plurium Textuum Novi Teſtamenti, inſtituta inter phraſes Miſnæ ac Evangeliſtarum, & Apoſtolorum collatione. Excerpta quædam vel Synopſim Thalmud Babylonici dedit Maimonides ſcita adeò, ut virorum doctiſſimorum judicio Thalmud ipſum ſuperent; amotis enim fabellis anilibus atque ſupervacaneis unicè retinuit, quæ dogmatis eſſent & diſciplinæ. Opus hoc ſuum inſcripſit *Jad Hachazacah*, vel manus fortis. Codex eſt Legum Judaicarum omnium, quotquot unquam, abſolutiſſimus, non in rebus quidem, ſed in rerum apta diſpoſitione, ſtili perſpicuitate ac methodo.

TALMUDISTÆ ſecta hominum inhærentium traditionibus Judæorum ſervatis in Thalmud. Pro temporis ſucceſſu nomina etiam variarunt. Ex quo magna Synagoga conſtituta eſt uſque ad Miſnam, *Thannaim* appellati ſunt, ac ſi diceretur *Traditionarii*, etymo deducto ex *Tanach*, quod Chaldaicè eſt traditione dare. Poſt Miſnam aduſque Thalmud audierunt nomine *Amoraim*, pronunciantes, dicentes, dictantes, eò quòd Diſcipulis ſuis exponerent ac dictarent interpretationes, quæ digeſtæ ſunt in Gemarra. *Subaraim*, i. e. opinantes, poſt Thalmud denominari illos viſum eſt; tùm *Geonim*, excellentes, ſublimes. Hodie tamen fumoſa hæc nomina evanuerunt, ac modeſtiori contenti elogio, diſtinguunt ſeſe nomine *Rabbi* Magiſter, vel *Chacham*, Sapiens.

Circa annum 1236. Judæus quidam Rupellenſis, qui ad Chriſtiana Sacra translatus nomen Thomas recepit in Baptiſmo, Gregorium IX. Pontificem anno duodecimo Pontificatus ipſius, i. e. anno 1238. convenit, omneſque Thalmudi errores illi expandit; digeſtos illos in 35. articulos tranſmiſit Pontifex ad Archiepiſcopos Galliæ, anno 1239. addito per literas mandato, ut Libros omnes Judæorum conquiſitos, quos continere errores noſſent, traderent incendio. Paria ſcripſit ad Reges Galliæ, Angliæ, Aragoniæ, Caſtellæ, Legionis, Navarræ, & Luſitaniæ. His deferentes mandatis Galli corruperunt incendio tot Codices Hebræorum, quot implerent 20. plauſtra.

Innocentius IV. Gregorii ſucceſſor commiſit Oddoni de Caſtroruſo Legato ſuo, ut ſedulo examine diſcuteret Thalmud & reliquos libros Judæorum, & in quibus eos noſſet nihil tradere Chriſtianæ Religioni oppoſitum toleraret illos, ac redderet poſtulantibus. Reſcripſit ad Pontificem Legatus perinde futurum ea Opera tolerare ac approbare. Quare die 15. Maii anno 1248. judiciali ſententia omnia damnavit.

Utrumque Thalmud vulgata ſunt typis; Jeroſolymitanum quidem ſingulari, ſed ampliori volumine in folio; Babylonicum verò 12. voluminibus in folio Amſtelodami, & alibi.)

TALPA, animal in Lege impurum. *Lev.* 11. 30. Hebræum *taſchameth* in Syriaco explicatur de animali pluribus pedibus inſtructo, facilè *de eruca*; Caſtalio *de buſone*; alii *de muſtella*; Bocchartus *de Chamæleonte*. Verùm Chaldæus, & Rabbini de Talpa explicant; idemque Bochartus autumat, verum talpæ nomen *choled* eſſe, quod Vulgata reddit *muſtellam* *Lev* 11. 29. Vide Bochart. *de anim. ſac. p.* 1. *l.* 3. *c.* 35. Nomen etiam talpæ *Iſa.* 2. 20. occurrit in Vulgata, cui in Hebræo reſpondet *chaporpheroth*, nomen ex radice *chapor*, nempè fodere, derivatum; atque omnium Interpretum conſenſu *talpam* deſignans. Ex hoc Iſaiæ teſtimonio Judæos eouſque impietatis, deveniſſe intelligimus, ut vilibus hiſce animalculis Divinos honores impenderent.

TAMMUS, decimus menſis anni civilis. Vide *Thammus*.

TAMMUZ, alio nomine Adonis. Vide *Adonis*, & *Thammuz*.

TAMNA, ſive *Tamnatha*. Vide *Thamna*.

TANAC. Vide *Thanac*,

(TANGERE, apprehendere. *Deus præcepit ne tangeremus illud Geneſ.* 3. 3.; apprehenderemus ſcilicet ad eſum. *Tangere mulierem. Non dimiſi ut tangeres eam Geneſ.* 20. 6.; ut acciperes in uxorem. Apoſtolus 1. Cor. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*; manere in cælibatu. *Pollutum nolite tangere Iſai* 52. 2.; tangere ſcilicet & comedere. Impuræ rei tactus polluebat mundos, ſicut & tactus rerum ſacrarum polluebat impuros, vel illos, quibus nefas eſſet ea tangere. Vide Levit. 5. 2. 3. & 6. 18. 27. &c. Mandat Deus Deut. 27. 5. erigi ſibi Altare lapidibus, *quos ferrum non tetigit Joſue* 8. 31. credebatur ferrum vel trulla impuri aliquid in ſacrum ædificium inferre.

Tangere eſt etiam punire, vel morti tradere. 1. Reg. 6. 9. *Sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos*; flagellavit. Exod. 11. 1. *Adhuc una plaga tangam Pharaonem*. 1. Par. 16. 22. *Nolite tangere Chriſtos meos*. Jobi 1. 11. *Tange cuncta quæ poſſidet*. Sapientiæ 3. 1. *Non tanget illos tormentum mortis*. Et capite 18. 20. *Tetigit & Juſtos tentatio mortis*.

Deus tangit cor eorum, quibus inſpirat reſipiſcendi ſenſus Jeremiæ 4. 18. & 1. Reg. 10. 26. Deus ipſe dolore & pœnitudine tangitur: *Tactus dolore cordis intrinſecus*; Geneſ. 6. 6. ſeu potiùs ita agit, veluti ſi pœniteret.

Exprobrat Chriſtus Phariſæis recuſare ſcilicet illos, ut vel digitulo tangant onera, quæ aliis imponunt *Luc.* 11. 46.; & Deus ipſe conqueritur Oſee 4. 2. de Iſraelitis, qui priorum cædum macula nondum eluta, novas & novas contrahunt: *Sanguis ſanguinem tetigit*.

Tangere pedes, habitus eſt ſupplicis, Vide Exod. 4. 25. & 4. Reg. 4. 27. 37.)

TANIS, urbs Ægypti, Hebraicè *Zoan. Num.* 13. 23. quam urbem ſeptennio recentiorem fuiſſe Hebrone in Chananitide Moyſes teſtatur. Edita à Moyſe prodigia *in Campo Taneos* apud Pſalmiſtam legimus *Pſal* 77. 12. 43. Urbs illa ſita erat in Delta. Ad Principes Taneos ſapientiam, & prudentiam jactitantes, Iſaias ſermonem convertens, peſſimæ illos politiæ arguit. Ejuſdem Prophetæ ætate, Tanis Metropolis fuiſſe inferioris Ægypti videtur. De *Zoan* ſermo eſt apud Ezech. 30. 14. Sed S. Hieronymus pro *Tanis* vertit *Taphnis*, quæ ſanè urbes plurimùm differunt. Tanis ſita eſt ad ramum Nili Peluſiaco proximiorem, occidentem verſus. De *Taphni*, ſive *Daphnis* infra.

TANNIM, ſive *Thannim* (a), immanem quemcumque piſcem, ſive monſtrum marinum, vel draconem deſignat. Projecta à Moyſe, quam manu tenebat, virga, in *draconem* verſa eſt; Hebr. *in thannim*. Et *Exod.* 7 9. *Fel draconum vinum eorum*. Heb. *Fel thannim. Deut.* 32. 33. Interdum crocodilum ea voce deſignari credimus, ut in illo: *Contribulaſti capita draconum*, (Hebr. *tanaim*, ſive *thannimm*), *& dediſti eum eſcam populis Æthiopum*. *Pſal.* 73. 13. Apud Septuaginta, & S. Hieronymum, interdum vertitur *Syrenes*; quaſi ſcilicet monſtrum illud marinum, cujus ſuperior pars hominem, ima piſcem refert, expreſſerit (b) Tandem eandem vocem S. Hieronymus ſemel vertit *lamia*. *Lament.* 4. 3. Optimè tamen & frequentiùs vertitur, monſtra marina, dracones.

TAPHNE, Regina Ægypti. Pharao Ægypti Rex adeò in Adad filium Regis Idumææ inclinavit, ut apud ſe receptum, nuptiis cum ſorore Taphnes uxoris ſuæ donaverit. 3. *Reg.* 11. 19 20.

TAPHNIS, urbs Ægypti, de qua ſæpè Jeremias 2. 16. & 43. 7. &c. & 44. 1. & 46. 14. Sepulchro ejuſdem Prophetæ claruiſſe ferunt. Eadem creditur cum *Daphnis Peluſiis*, ſexdecim m. paſſuum à Peluſio ad meridiem, juxta itinerarium Antonini. Cùm Jeremias, & Iſraelitæ eò ſe recepiſſent, Dominus per viſum Prophetæ prodidit futurum, ut Nabuchodonoſor eamdem urbem caperet, ibique ſolium conſtitueret (erat enim Taphnis Regia urbs) ubi idem Propho-

(a) Gen. 1. 21. Vulg. *Cete grandia*. Septuag. *Cete*.
(b) Vide Job. 30. 29. Iſa. 34. 13. & 43. 20. in Septuag. & Iſa. 13. 22. in Vulg.

Propheta projectos in ſe lapides abſconderat. *Jerem.* 43. 7. Præſidium *Daphnis Peluſiis* conſtitutum fuiſſe ætate Pſammetichi Regis Ægypti, cohibendis barbarorum excurſionibus, Herodotus *l.* 2. *c.* 30 teſtatur.

TAPHSAR, nomen in Jeremiæ 51. 27. occurrens, quod S. Hieronymus in ſua Verſione ſervavit; & in Nahum 3. 17. ubi idem Sanctus reddit *parvulos*, quaſi pro *taphſarim*, legerit *tapphapim*. Optimi Interpretes nomen eſſe dignitatis autumarunt; & facile idem eſt ac *Achaſdrapne*, ex quo *Satrapa*. Quidam provinciam deſignari, ſed nulla prorſus ducti conjectura, cenſuerunt.

TAPHU, filia Salomonis, uxor Ben-abinadabi, Præfecti regionis Dor. 3. *Reg.* 4. 11.

I. TAPHUA, urbs in finibus Tribus Manaſſe, ſed in ditione Ephraim. *Joſue* 17. 8. Eadem facilè ac En-Taphuah, de qua *Joſue* 17. 7. in Vulgata *Fons Taphuah* ſive *pomi*.

II TAPHUA, urbs Tribus Juda, *Joſue* 15. 33. an eadem cum *Beth-Taphna Joſue* 15. 53. urbe ejuſdem Tribus, ultra Raphiam, 14. m. paſſuum ab illa, Ægyptum verſus, juxta Euſebium?

TAPSACUS, Vide *Thapſacus*.

TARGUM (a), in plurali *Targumim*, expoſitionem, ſive interpretationem ſonat. Hinc nomen inditum Paraphraſibus Chaldaicis Librorum utriuſque Teſtamenti; quippè quæ Textum potiùs exponant, quàm vertant. Chaldaica Lingua exaratæ ſunt, nempè vernacula Judæorum, poſt captivitatem Babylonicam. Tunc enim Chaldæa Lingua familiarior Hebraica apud Judæos obtinuit, adeo ut cùm Textus Hebraicus Scripturæ in Templo, ſive in Synagogis legeretur, explicationes Chaldaicæ in favorem vulgi, materna lingua parum callentis, adjungerentur. Hæc ætate etiam Eſdræ ſervari conſueviſſe ea eo ſuſpicamur, quòd Scriba ille doctiſſimus Legem populo in Templo recitans, 2. *Eſdr.* 8. 9. ſimul etiam unà cum cæteris Sacerdotibus adſiſtentibus, illam populo explicabat; ſive Lingua tunc Hebraica, ſive, quod nos malumus, Chaldæa, vel Syriaca uteretur; Syriaca enim & Chaldæa linguæ tunc temporis affines erant, niſi eaſdem credamus (b); ſicut hodie uſque valdè inter ſe conformes habentur.

Quamvis autem expoſitionum Chaldaicarum mos diù apud Judæos obtinuerit, nullæ tamen extant ſcriptæ paraphraſes, ſive Targumim, niſi ab Onkelo, & Jonathan, quos credunt Jeſu Chriſti ætate floruiſſe. Sub Herode 30. ante Chriſtum annis Jonathan vixiſſe fertur; Onkelos recentior eſt. Porrò Targum Onkeli præ cæteris in pretio eſt; nec deſunt Exemplaria, ubi ſingulis Hebraici Textus verſibus eadem paraphraſis ſubjicitur: Adeò conciſus eſt, & ſimplex, ut in ſuſpicionem corruptionis nunquam venire poſſit. Vide *Onkelos*. Paraphraſis iſta Libros Pentateuchi non excedit, ac ſtylo adeò exculto utitur, ut ferè eamdem præſeferat Chaldaicæ Linguæ puritatem, quam Daniel, & Eſdras. Opus illud in *Miſna* laudatur; nihil tamen apud Euſebium, S. Hieronymum, & Origenem.

Targum Jonathan filii Uzielis, majores & minores Prophetas exponit, fuſiori ſtylo uſus, quàm Onkelos, & maximè in minoribus Prophetis, ubi liberiùs aliquando etiam in allegorias excurrit. Cultiſſimus tamen eſt, nec multum in ea re à Chaldæo Onkeli abhorret. Doctores quoſdam Hebræos Jonatha 700. annis recentiores operi aliquid addidiſſe ferunt. Vide Jonathan *Ben-Uziel*. Paraphraſis in Pentateuchum eidem authori falsò inſcribitur.

Targum Joſephi cæci in Agiographa. Author eſt ætate, & pretio cæteris maximè inferior; ſicut & ſtylo, Chaldæo quidem, ſed bàrbarorum vocabulorum admixtione corruptiſſimo utitur. In Pſalmos, Job, Proverbia, Canticum Canticorum, Eccleſiaſtem, Ruth, Eſther laboravit.

Targum Jeroſolymitanum Pentateuchum non excedit; quin neque opus integrum eſt, abſolutumque; verſibus enim quandoque mancum eſt; alios tranſponit, alios mutilat, ex quo facilè ſuſpicio oritur, fragmentum eſſe veteris alicujus paraphraſis, quæ fortè periit (c).

Nullum extat in Danielem, duos Libros Eſdræ, & Nehemiæ Targum. In Paralipomena recentiſſimè prodiit. Editiones paraphraſum Chaldaicarum in Polyglottis Complutenſibus, Antuerpienſibus, & Pariſienſibus, ſicut & in Bombergiana Biblia, Venetiis impreſſis, nullæ ſunt; Baſileenſes Editiones, ſicut & Polyglotta Anglicana, integras exhibent.

TARICHÆA, Urbs Galilææ, de qua ſæpè agens Joſephus *de vita ſua*, ſitam perhibet 30. ſtadiis à Tiberiade. Maritimam urbem fuiſſe idem Author inſinuat, cùm navigio ibi conſcenſo, Tiberiadem adnavigaſſe ſe narrat *de Bello l.* 2. *c.* 26. Ad meridiem lacus Geneſareth, & ad occidentem Tiberiadis Plinius illam collocat.

TARSUS, Urbs, Metropolis Ciliciæ, eadem facile ac Tharſis, de qua in Scriptura. Vide *Tharſis*. S. Paulus è Tarſo Ciliciæ originem referebat, *Act.* 9. 11. & 21. 39. Sunt, qui privilegio Coloniæ Romanæ donatam eam urbem credant, quod partibus Julii Cæſaris ſtuduiſſet; ex quo, inquiunt, ejuſdem urbis cives civitate Romana donati ſunt, uti S. Paulus obtinuiſſe jure patrio gloriatur. Alii verò contendunt, Tarſum jus liberæ civitatis, non verò Coloniæ Romanæ, Apoſtoli ætate habuiſſe, neque enim, inquiunt, in nummis illum veſtigium Coloniæ Romanorum eidem urbi apparet ante regnum Caracallæ, & Heliogabali; quare privilegium illud Apoſtoli, non ex patria repetendum eſt, ſed fortè ex patre, atque aliquo ex majoribus ipſius relatum. Vide Interpp. in Acta 16. 37. Vide *Tharſis*.

TAU. Vide *Thau*.

TAURUS, animal purum, & in ſacrificiis frequentiſſimum. Vox Hebræa taurum ſonans, in Septuaginta, & Vulgata non rarò vertitur *bos* (d); bovis voce non pro certæ ætatis, & ſexus animali, ſed pro genere pecudis uſurpata. Porrò animal quodcumque caſtrare apud Hebræos nefas. *Levit.* 22. 24. Quare cùm in Textu *bovem* legimus, de tauro vox explicanda eſt.

(Patriarchæ Joſeph venuſti corporis elegantia comparatur tauro *Geneſ.* 33. 17. Religioſo quodam obſequio, quin & divino animal illud venerabantur Ægyptii, qua in re imitatores habuerunt Judæos ſive dum in itinere per deſertum taurum extulerunt in aras, ſive dum aureos vitulos ſeu tauros toto Iſraelis Regno conſecrarunt. Exprobrat Jacob filiis ſuis Simeoni & Levi ſuffodiſſe illos mœnia Sichemitarum, vel juxta alios Interpretes Hebræi *ſuccidiſſe femora tauri*. *Geneſ.* 49. 6. Ita vertendum maluerunt cum Septuaginta è veteribus Patribus (e) multi, dictum hoc accipientes de Jeſu Chriſto neci tradito Judæis. Hebræum *Schor* exprimit ſeu murum, ſeu taurum.

Poſtremum hoc allegorico & typico ſenſu uſurpatur etiam de hoſtibus validis, ſævis, & impotentibus. *Tauri pingues* (Hebr. *Tauri Baſan*) *obſederunt me*, & ait Pſalmiſta *Pſal.* 21. 13 Et Pſalmo 67. 31. *Increpa* (Domine) *feras arundinis, congregatio taurorum*; percute in furore tuo greges in latè patentibus paſcuis luxuriantes. Iſaias 34. 7. *interfectio magna in terra Edom: Et deſcendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus*, i. e. Principes ſuperbi & crudeles; qui imbecilliores oppreſſerunt.)

TEBBATH. Cùm Madianitæ in Valle Jezrael contra Gedeonem caſtra locaſſent, verſis in ſe armis, effuſa

(a) Ex Chald. Thargum, expoſuit, interpretatus eſt. (b) Vide 1. Eſdr. 4. 7. & 4. Reg. 18. 26. Dan. 2. 4. ubi Lingua Chaldæi appellatur Aramea vel Syriaca. (c) Vide Walton. Proleg. 12. Morin. Exercit. Bibl. Le Long. Bibliot. Sacr. cap. 2. ſect. 2. (d) Hebr. Schor, Taurus, ſive bos. (e) Origen. hom. 17. in Geneſ. Tertull. contra Judæos c. 10.

Digitized by Google

effuſi fugâ ad Bethſettam, & crepidinem Abelmeholæ in Tebbath profugerunt, *Judic.* 7. 23. Ejus loci ſitus ignotus eſt, niſi cum Thebes, 3. m. paſſibus à Scythopoli, confundatur.

TEBET, ſive *Thevet*, quartus menſis anni civilis Hebræorum, & decimus anni Eccleſiaſtici, Lunationi Decembris reſpondens. Diebus 29. conſtat; quorum ſecundus poſtremus eſt octavæ Dedicationis Templi à Juda Machabæo expiati. Vide 1. *Mach.* 4. 59. *Jo.* 10. 22.

Decimus jejunio pro Verſione Legis in Græcum curante Ptolemæo Philadelpho, deſtinata eſt. Porrò jejunium illud triduo duraſſe ferunt. Vide *Septuaginta Interpretes.*

TECTUM, *domus, ſolarium*. Pleraque Judææ tecta in ſolarii modum complanata erant. V. *Solarium.*

(TEGLAT-PHALASSAR. Vide *Theglat-Phalaſſar.*)

TEHINNA, filius Eſton, è familia Calebi, 1. *Par.* 4. 12. & pater familiæ Naas.

TELEM, urbs Tribus Juda, *Joſue* 15. 24. an eadem cum *Telaim* ejuſdem Tribus, 1. *Reg.* 15. 4.

TELMON, Levita, janitor Templi. 1. *Par.* 9. 17.

TEMPLUM, Domus Dei, Sanctuarium, Tabernaculum Domini, Ædes Altiſſimi &c. quibus variis vocibus idem tamen in Scriptura Sanctuarium & Templum deſignatur, quamquam ſi literæ ſonus obſervetur, varia ſignificant. Sanctuarium enim pars eſt Tabernaculi, ſive Templi; nec Templi nomen Tabernaculo ſive viciſſim convenit. Tandem quamvis nullum fuerit ante Salomonem verum Hebræis Templum, non rarò tamen eo nomine deſignando Tabernaculo utuntur, ſicut non ſemel Tabernaculi nomine Templum Salomonis appellant.

David certior factus à Deo, certam religionis ſedem conſtitutam Jeroſolymis fuiſſe, nihil antiquius habuit, quàm ut antea deſignatum inſigne Deo Templum molirctur. Accito proinde Nathano conſilium omne ſuum communicavit; indignum videri ſibi dicens, ſi in domo cedrina ipſe inhabitans, Arcam Domini ſub pelliceo tabernaculo derelinqueret (a). Primum Regis propoſitum Deus quidem probavit, ſed ædificandi Templi honorem alteri reſervans, per eumdem Prophetam Davidem admonuit, ne humano ſanguine, tot undique cæſis hoſtibus, cruentas manus ad conſtruendum Templum admoveret. Sciret autem, paternæ religionis & Regni ſucceſſorem filium, virum pacificum, quæ ipſe cogitaverat, omnia executioni mandaturum. Divinis juſſionibus acquieſcens David, comparandis auro, argento, cæteriſque ad opus neceſſariis, ſtudium impendit.

Jaciendis igitur Templi fundamentis (b), Salomon aream ſelegit, nomine *Moria*, ad latus montis Sion, eaque ædificii ratio inita, ut veſtibulum ad orientem, Sanctuarium verò ad occidentem reſpiceret. In 3. *Reg.* & 2. *Par.* late omnes ædificii, quod maximè Templum dicebatur, partes deſcribuntur; uti Sanctuarium, Sanctum, & cellæ iis adjunctæ; ſicuti, & vaſa inſtrumenta & ornamenta Templi. Nihil tamen ibidem de atriis, atque exterioribus ejuſdem ædificii partibus, quæ tamen Ezechiel exactiſſimè ſupplet. Fateamur tamen oportet, Templum illud, quale Ezechiel deſcripſit, nunquam à Judæis poſt regreſſum è captivitate reſtitutum fuiſſe. Cum tamen deductæ ab illo Sancti & Sanctuarii menſuræ parum à Templi Salomonici menſuris abhorreant, ipſe autem Sacerdotali munere fungens, omnia, quæ Templi prioris eſſent, comperta habuiſſe potuerit; hinc facilè credimus, deſcriptam apud illum Templi Salomonici formam ſervari.

In area igitur 600. cubitorum in quadro, *Ezech.* 45. 2. ſive 1025. pedum Regalium, Templum aſſurgebat. Totum ſpatium paries 6. cubitorum altitudinis, totidemque latitudinis ambiebat. Muro ſuccedebat atrium Gentilium 50. cubitorum latitudinis, deſinebat autem in murum amplum, totum atrium Iſraelis ambientem 500. cubitorum in quadro. Atrii Iſraelis area 100. cubitorum in quadro ſpatium dimetiebatur, elegantibus circum porticibus triplici columnarum ordine ſuffultis regnantibus. Quatuor eò aditus patebant; ad orientem videlicet, occidentem, ſeptentrionem, & meridiem: veſtibula autem omnia ejuſdem menſuræ, & operis, ſeptemque ſingula gradibus inſtructa. Stratum marmore variis coloribus atrii pavimentum ſpectabatur; tecto autem carens, populum, ſi quando opus fuiſſet, ſub porticibus ab ingruentibus cœli injuriis protegebat.

Illius areæ meditullium atrium Sacerdotum tenens quadratum adamuſſim, ſpatium 100. cubitorum in ſingulis lateribus deſcribebat. Interiora atrii Sacerdotalis porticus tecto inſtructæ, & cellæ circumdiſpoſitæ in uſum Sacerdotum, & obſervandas res Templo neceſſarias, tenebant. Tres illic fores octo ſingulæ gradibus imminentes ad orientem, ſeptentrionem, & meridiem. E regione januæ atrii Sacerdotalis in atrio Iſraelis thronus magnificentiſſimus Regis ſpectabatur, qui illi locus ad Templum oraturo venienti conſtitutus. Intrà atrium Sacerdotale contra orientalem portam Altare holocauſtorum eminebat, 12. cubitorum in quadro, juxta Ezechielem 43. 12. 13. ſivè 10. cubitorum altitudinis, & 20. latitudinis juxta 2. *Par.* 4. 1. Eo per gradus ad orientalem partem conſtitutos aſcenſus patebat.

Atrium ad occidentem excipiebat Templum, nempè ædificium, Sanctuarium, Sanctum, e veſtibulum continens. Veſtibuli 20. cubitorum latitudinis, & 10. longitudinis aditus patebat per oſtium 14. cubitorum amplum. Sanctum, aream continens 40. cubitorum longitudinis, & 20. latitudinis, candelabrum aureum, menſam panum propoſitionis, & Altare aureum thymiamatis habebat. Sanctuarii menſura, 20. cubitorum in quadro; qui locus Arcæ Fœderis, ubi tabulæ Legis conditæ, deſtinatus erat. Eo permiſſus ſemel in anno Summo Sacerdoti aditus, præcluſus cæteris. Intimos Loci Sancti parietes Salomon inſculptis anaglyphico opere palmis, & ligneis Cherubim figuris, laminis aureis obductis, exornaverat; quin & totum Sanctuarium aureis laminis radiabat.

Conclavia triplici ſolariorum ordine, 33. numero, extima Sancti, & Sanctuarii circum tenebant, latitudinis 4. cubitorum juxta Ezechielem. Verùm 3. *Reg.* 6. 5. primi ordinis ſpatium 5. cubitorum, ſecundi 6. tertii ſeptem definitur. De ſingulis tamen Templi partibus latiùs in ſuis articulis.

Poſt dedicatum an. 3001. à Salomone Templum, pluribus ſacra domus vicibus jactata fuit, de quibus hic aliqua ſubjicienda.

Seſac Rex Ægypti, illatis in Roboamum Regem Judæ armis, Jeroſolyma capta, ſacrum ærarium expilavit (c).

Ioas Rex Iudæ collectitio ære ſarciendis ſacris ædibus manum an. 3146. impoſuit. Cæptum ſerìo opus biennio poſt (d).

Achaz Rex Judæ, auxiliares copias à Teglatphalaſar Rege Aſſyriæ contra hoſtes, Reges nempe Iſraelis, & Damaſci, ſibi infeſtos poſtulans, detractas e ſacro ærario divitias in poteſtatem externi Regis tradidit (e). Neque hæc ſatis; ſed continuò prophana ſuperſtitione Sacri Loci religionem violans, Altare ad normam Damaſceni à ſe olim viſi, amoto æreo Salomonis, ſubſtituit, 4. *Reg.* 16. 10. &c. Pari audacia mare æneum dorſo boum æneorum incumbens, labra

(a) 2. Reg. 7. & 1. Par. 17. & 28. 8. &c. A. M. 2960. ante Ch. 1040 ante Ær. 1044.

(b) Cœptum opus A. M. 2992. ante Chr. 1008. ante Ær. 1012. ſtetit An. M. 3000. dedicatum eſt An. 3001. ante Ch. 999. ante Ær. 1003. Vide 3. Reg. 8. & 2. Par. 5. & 6. & 7.

(c) 3. Reg. 14. & 2. Par 12. A. M. 3033. ante Ch. 967. ante Ær. 971.

(d) 4. Reg. 12. 4. &c. & 2. Par. 24. 7. &c. A. M. 3148. ante Chr. 852. ante Ær. 856.

(e) 2. Par. 28. 21. &c. A. M. 3264. ante Chr. 736. ante Ær. 740.

labra etiam ænea, ſuis baſibus ſuſtentata, ac tandem æneum Regis tribunal deponendum, atque inde aſportandum, ne à Rege Aſſyriæ abriperetur, imperavit. Acceſſit ad cumulum, ſacrificium Diis alienigenis immolatum, erecta Altaria prophana in angulis omnium viarum Jeroſolymæ, confracta vaſa ſacra, ac tandem domus ſacræ fores concluſæ (a).

Clauſas à Patre Templi fores Ezechias non recluſit tantùm, ſed amota paterno ſcelere ornamenta reſtituit (b). Reſtitutus inde Loco Sacro ſuus cultus, & ſacrificis, innovata vaſa ſacra, ab Achaz olim direpta, atque confracta. Verùm anno ipſius 14. Sennacheribo Rege Aſſyriæ in ditionem Juda cum exercitu ingreſſo, Ezechias omnes ad illum Templi divitias, revulſis etiam aureis oſtiorum laminis, ab ipſo olim dedicatis, ad compeſcendum hoſtem tranſmiſit (c). Mox verò, regreſſo in regionem ſuam Sennacheribo, omnia à pio Rege reſtituta fuiſſe nullus dubito.

Manaſſe filius, & ſucceſſor Ezechiæ, Loci Sancti religionem, erecto in atrio Domus Domini, & alibi paſſim, Altari militiæ cœli, peſſundedit (d); conſtitutiſque ibi Idolis atque impenſo illis cultu, prophanavit. In ſceleris ultionem, impius Rex manibus Regis Babyloniæ permiſſus, catenis onuſtus, in tranſeuphratæa traductus eſt (e). Agnito crimine, atque Regno ſuo redditus, illatam Templo Domini injuriam reparaturus, Idola ſubducens, Altaria prophana deſtruens, priſtinum cultum, & Altare reſtituit.

Templi ædificiis majorum injuria neglectis, ſivè impietate dejectis, ſarciendis, Joſias Rex Judæ non ſegnem operam navavit (f). Igitur Sacerdotibus, & Levitis præcepit, ut Arcam Domini ſadi ſuæ in Sanctuario reſtituerent; cavitque, ne quis unquam è loco illam amovere auderet, uti antea ſub impiis Regibus factum contigerat. 2. *Par.* 35. 3.

Vaſorum Sacrorum partem Nabuchodonoſor è Templo Domini in Templum Dei ſui Babylonem, regnante Joachimo Rege Judæ, tranſtulit (g). Reliqua ſub Jechonia ſibi vindicans (h), tandem capta urbe, anno undecimo Sedeciæ Templum ipſum funditus evertit (i).

Is Templi ſtatus 52. annis manſit, nempè uſque ad annum primum Cyri Babylone, M. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536. Cyro enim reditum in Jeruſalem, atque Templi reſtitutionem permittente, 1. *Eſdr.* 1. 1. &c. ſequenti anno jacta novi operis fundamenta, 1. *Eſdr.* 3. 8. Vix annus proceſſerat, cùm Cyrus, ſivè ejus miniſtri ab hoſtibus Judæorum ſubornati, ne ædificium Judæi proſequerentur, edicto cavere an. M. 3470. ante Chr. 530. ante Ær. 534. 1. *Eſdr.* 4. 5. Idem poſt obitum Cyri, & Cambyſis novis edictis Magus, qui poſt necem Cambyſis Regnum uſurpaverat, Artaxerſis nomine in Scriptura deſignatus, inhibuit (k). Tandem ſub Dario filio Hyſtaſpis, gratioſo obtento ab Hebræis reſcripto, tandem ultima Templo manus impoſita (l). Quadriennio poſt ejus dedicatio celebrata eſt (m).

Hujus Templi religio ſub Antiocho Epiphane violata eſt A. M. 3837. Sacrificia quotidiana intermiſſa, atque Altari ſimulachrum Jovis Olympici impoſitum, 1. *Mach.* 1. 62. Poſt triennium ſacra domo à Juda Machabæo luſtrata, ſacrificia iterum, atque priſtinus cultus rediere (n).

Herodes Magnus novam Templi Jeroſolymitani erectionem molitus, anno 10. regni, M. 3986. (o), tandem ſequenti anno ſuſcepti operis fundamenta jecit, 46. annis ante primum Chriſti Paſcha, uti Judæi innuunt, illis ad Chriſtum verbis, *Joan.* 2. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Quæ ſanè verba non eò ſpectant, ut Herodes 46. annorum ſpatium Templi ædificationi impenderit, cùm 9. annorum ac dimidio ſtetiſſe narret Joſephus *Antiq. l.* 15. *c.* 14. ſed jam inde ab eo Principe abſoluto ædificio, nova ſubinde, & nova opera adjecta ſunt; ut uſque ad tempus initi cum Romanis belli, opera circa Templum, authore Joſepho *Antiq. l.* 20. *c.* 8. non ceſſaſſent.

Templum illud Herodis, ſpatio tantùm 77. annorum ſtetit; cœptum enim an. 3987. abſolutumque 3996. tandem à Romanis igne, & ferro vaſtatum eſt an. 4073. Chr. 73. Ær. 70.

Porrò Templum illud Herodis à Salomonico, & ab altero, curante Zorobabele poſt captivitatem reſtituto, diſcrepabat. Hæc de illo Joſephus:

Ea ædificii pars, quæ Templum appellabatur, 60. cubitos altitudinis, & totidem latitudinis excurrebat; duæ tamen adjectæ in anteriori parte alæ, 20. cubitis ex utroque latere porrectæ, ex quo tota molis facies ad 100. cubitos latitudinis, & totidem altitudinis aſſurgebat (p). Conſtabat autem ſtructura è lapidibus candidis, firmiſſimis, magnitudine 20. cubitorum in longum, & 8. in altum; latitudine verò 12.

Habebat totum ædificium Baſilicæ ſimilitudinem, hinc & inde humilius, media ſui parte adeò excelſum, ut ex adverſo venientibus à pluribus ſtadiis conſpiceretur. Januæ penè ipſi Templo pares, & ſuperliminare aulæis variegatis, purpureiſque floribus diſtinctis ornabatur. Duo januæ latera totidem columnæ hinc inde poſitæ decorabant, ſub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botris, mirando ſanè artificio, opere naturam æmulante. Templum latiſſimæ, atque auguſtæ porticus pro cæteri ædificii amplitudine ambiebant, quarum magnificentiæ nihil erat reliqui.

Prærupto arduoque monti ædificium illud inſidebat, ubi vix tantum areæ porrigebatur, ut ſuus eſſet Templo, & Altari locus (q). Reliqua omnia in declive, & prærupta. Hinc Salomone ædificium illud moliente, ſtructus ad latus Orientale murus ſolum ex ea parte continebat, atque hiatu humo congeſta exæquato, ſpatium conſtruendis porticibus factum eſt. Ea tantùm ſub Salomone Templo area patebat. Dein ſucceſſu temporis prorogato jugibus populi operibus ſpatio, dejecto muro ad latus ſeptentrionale, parem priori aream adjecerunt. Tandem eò contra ſpem opera producta ſunt, ut triplici muro totus mons cingeretur. Sed hæc nec exigui laboris, neque unius ſæculi opus; quin & profuſæ in eam rem omnes Sacri Theſauri opes, ex religioſis populi, undique è toto orbe ad Templum venientis, oblationibus collectæ. Porrò muri illi alicubi 300. cubitorum altitudinis

(a) 2. Par. 28. 24. &c. Hæc evenere ab an. 3264. ante Ch. 736. ante Ær. 740. uſque ad ejus obitum, an. 3278. ante Ch. 722. ante Ær. 726. (b) 2. Par. 29. 3. &c. A. M. 3378. ante Ch. 722. ante Ær. 726.
(c) 4. Reg. 18. 15. &c. A. M. 3291. ante Ch. 709. ante Ær. 713.
(d) 4. Reg. 21. 4. &c. & 2. Par. 33. 5. &c. A. M. 3306. & ſequentibus.
(e) 2. Par. 33. 11. &c. A. M. 3328. ante Ch. 672. ante Ær. 676.
(f) 4. Reg. 22. 4. &c. & 2. Par. 34. 8. A. M. 3380. ante Chr. 620. ante Ær. 624.
(g) 2. Par. 36. 6. 7. A. M. 3398. ante Chr. 703. ante Ær. 706.
(h) 2. Par. 36. 10. A. M. 3405. ante Chr. 595. ante Ær. 599.
(i) 4. Reg. 25. 1. &c. & 2. Par. 36. 18. 19. An. M. 3416. ante Chr. 584. ante Ær. 588.
(k) 1. Eſdr. 4. 7. 17. 18. A. M. 3483. ante Chr. 517. ante Ær. 521.
(l) 1. Eſdr. 5. 1. & 6. 1. 14. Ag. 2. 1.... 15. An. M. 3485. ante Ch. 515. ante Ær. 519.
(m) 1. Eſdr. 6. 15. 18. A. M. 3489. ante Ch. 511. ante Ær. 515. poſt regreſſum è captivitate 20.
(n) 1. Mach. 4. 36. A. M. 3840. ante Chr. 160. ante Ær. 164.
(o) Antiq. l. 15. c. 10. (p) De Bello l. 6.
(q) Joſeph de Bello l. 6. c. 14. Antiq. l. 15. c. 14.

Digitized by Google

dinis excedebant; lapidibus autem conſtabant 40. cubitorum longitudinis, ferro, & plumbo contra temporum injurias colligatis. Area Templi ſtadio, ſive 125. paſſibus in quadro patebat.

Intrà primum ædificii ambitum, quadrato undique ſtadio excurrentem, per januam ad latus orientale, & alteram ad meridiem, ac tertiam ad ſeptentrionem aditus patebat. Quadruplex ad occidentem janua pandebatur, unde ad aulam, ad urbem exitus; reliquæ duæ viæ ad agros imminebant. Regnabant circum ſolida celſaque ſtructura muri firmiſſimi; interiora verò ad quatuor latera porticus magnificentiſſimi operis, immanibus columnis, vix trium hominum complexu continendis (utpotè quæ 27. pedibus gyrarent) ſuffultæ occupabant. Columnarum numerus ad 162. aſcendebat. Solarium cedrinum exquiſiti operis ſuſtinentes columnæ illæ, tres conſtituebant porticus, quarum media celſior, & latior, 45. pedibus latitudinis, & 100. altitudinis ſpectabatur; reliquis ad latera 30. pedibus latitudinis, & 50. altitudinis menſura.

Atrium porticibus ſubjectum marmoribus variegatis ſtratum erat; modicoque à porticibus ſpatio ſecundum clauſtrum ſuccedebat, cancellatis marmoribus ſeptum. Certo illic ordine diſpoſitæ columnæ, Græcis & Latinis inſcriptionibus inſculptæ in eam omnes ſententiam, ut advenas, & impuros, ne ſub mortis pœna ultra procederent, admonerent. Septo illi janua patebat ad latus orientale; ad ſeptentrionale verò, & meridionale tres utrimque æquo ordine diſpoſitæ.

Tertium ambitum Templum, & Altare Holocauſtorum continentem murus 40. cubitorum conſtituebat. Ejus areæ ſpatium, quemadmodum & cætera, quadratum erat. Porrò hujus muri altitudo nè exterius ſpectaretur, prohibebant gradus undique regnantes, & ad ejus altitudinis partem pertingentes. Statim enim 14. gradus ſeſe offerebant, ex quibus in aream ſecundùm murorum ambitum productam, & cubito latam aditus. Hanc novi gradus quinque excipientes, ad januam deducebant; quare interior muri facies nonniſi ad 25. cubitus aſſurgebat. In porticus ad latus orientale janua ſingularis patebat; quatuor verò ad meridiem, totidemque ad ſeptentrionem, nulla ad occidentem; ubi perpetuus muri ductus à ſeptentrione in meridiem excurrens. Introeuntibus per ſingulas januas, ſtatim aulæ quædam in tabernaculi ſimilitudinem ſeſe offerebant 30. cubitorum in quadratum, & 40. in altum; quibus fulciendis columnæ 12. cubitorum, & 18. pedum craſſitudine ſupponebantur.

Intrà ſeptum faſtigiatæ porticus duplices, duplicato columnarum ordine ad orientem, ſeptentrionem, & meridiem, nullæ verò ad occidentem, continebantur. Ibi etiam deſtinatus fœminis à viris diſcretus locus, quò per certam januam ad orientem, ad meridiem, & ſeptentrionem aditus.

Altare holocauſtorum ad meridionale latus abſque gradibus ſcanſile, 15. cubitos in altum, & 40. quaquaverſum in latum æquabat. Ad quatuor latera quatuor prominentibus veluti cornibus, inſtructum erat. Tota autem ſtructura ex lapidibus impolitis, omni ferri metallique inſtrumento amoto, conſtabat.

Templi proſpectum, 100. cubitorum ſpatium quaquaverſùm dimetientem, relata ex hoſtibus à Regibus Juda trophæa, Domino à victoribus dedicata, exornabant: quæ in extima facie novi Templi apponenda, novis à ſe ex præliis in Barbaros adjectis, Herodes curavit.

In veſtibulo Templi 90. cubitis alto, & 100. à ſeptentrione in meridiem excurrente janua ſpectabatur, 70. cubitis celſa, atque 25. cubitis patens. Nihil de Sancto, Sanctuario, ac cellia ſecundùm duo Templi latera regnantibus addendum cenſeo; nihil enim de illis, præter jam dicta, occurrit. Narrat Joſephus, cum Templi hujus ædificationi incumberet Herodes, ne in atrium Sacerdotale ingrederetur, religione abſterritum, ejus opera moliendi curam totam in Sacerdotes tranſtuliſſe. Horum ſedulitate factum eſt, ut totum opus 18. menſium ſpatio abſolveretur; reliqua 8. annorum labore ſteterunt.

Intrà eumdem ambitum ſeptum erat ex muro per cubitum aſſurgente, Templum, & Altare holocauſtorum continens; quo Sacerdotum à reliquis locus diſtinguebatur. Eò Laicis ingreſſus interdictus; ſed ad ſeptum uſque procedentes, hoſtias & oblationes tradebant.

Ex veteri traditione narrat Joſephus, toto eo temporis ſpatio, quo Templi ædificationi allaboratum eſt, impluvios ſemper dies decurriſſe, quamquam nocte interdum pluebat, ne intermittere unquam opus artifices cogerentur. Ultima jam ædificio manu impoſita, dedicatio ſolemni pompa celebrata eſt. Omnia Dei ab univerſo populo laudibus inſonabant: Regi etiam acclamatum, cujus impendio, & ſolertia tantum opus ſtetiſſet. Solemni etiam Hecatombe Deo à Rege litatum eſt, ne quid dicamus de victimis à populo oblatis, quarum copia numerum vincit. Recurrentes etiam eo temporis articulo dies inaugurationis Herodis, Feſti acceſſione, publica gaudia cumularunt.

In angulo lateris ſeptentrionalis primi ambitus Templi firmiſſima turris, opus Regum Aſmonæorum, penes quos ſumma in Sacra & Regnum poteſtas erigebatur. In tuto ibi ſervata ornamenta, veſteſque ſolemnes Summi Sacerdotis: eaſque ibidem reconditas Herodes, & poſt illum Romani, in ſua poteſtate habuerunt. Tiberio regnante, cùm Vitellius Syriæ Præfectus Jeroſolymam veniens, ſummo honore à civibus exceptus eſt; eorum in ſe ſtudio captus, author apud Imperatorem fuit, ut ſacri depoſiti cuſtodia eorum manibus remitteretur. Privilegium illud uſque ad Agrippæ Regis obitum populo manſit; mox verò Caſſius Longinus Syriæ Præfectus, & Cuſpius Fadus Judææ Procurator, tradere Romanis turrim Judæos coegerunt. Iterum verò Claudium Imperatorem rogatum venientes, Regis Agrippæ junioris favore, priſtinum illis jus aſſertum eſt.

Porrò circa ſacras illas veſtes is potiſſimùm ritus ſervari conſueverat. Summi Sacerdotis, atque Præfectorum Sacri Ærarii ſigillo clauſæ in turri ſervabantur. Imminente ante Feſtum die, Romanorum Præfectum, qui arci præerat, convenientes, ſigilla priùs an inviolata manſiſſent, obſervabant. Dein illis reſeratis, ex Præfecti manibus ſacras veſtes accipiebant; eoque ſtatim poſt Feſtum, iiſdem ſigillis muniendas, referebant. Hanc turrim, firmiſſimam alioquin, Herodis novis munitionibus auxit, atque ex Antonii patroni ſui nomine, Antoniam appellatam voluit. Ex ea turri uſque ad alteram turrim in porta orientali conſtitutam, pervium ſub terra iter, Herodis opus, ducebat, tutum contra ſeditiones, ſubito exortas, effugium.

Alia etiam Palæſtinæ Templa in Scriptura commemorantur. Templum *Dagon* Gazæ, *Judic.* 16. 23. & Azothi, 1. *Reg.* 5. 1. &c. & 1. *Mach.* 10. 84. *Templum Samaritanorum*, in Monte Garizim, 2. *Mach.* 5. 23. & 6. 2. *Templum Aſtaroth*, inter celeberrima Philiſthæorum, 1. *Reg.* 31. 10. *Baal* ab Achabo Samariæ ædificatum, 3. *Reg.* 16. 32. *Remnon*, Damaſci, 4. *Reg.* 5. 18. *Neſroch*, Babylone, *Iſai.* 38. 37. *Beli*, Babylone, *Dan.* 14. 9. *Chamos*, & *Moloch*, è regione Templi Domini in Monte Oliveti à Salomone ædificata, 3. *Reg.* 11. 7. *Nanneæ*, quod Antiochus diripere molitus eſt, 2. *Mach.* 1. 13. *Templum Babylonis*, ubi collocata à Nabuchodonoſore vaſa Templi Domini, *Dan.* 1. 2. *Templum vituli aurei* in Bethel, & Dan. Porrò Templum *Dan* ſua quoque ætate ad ripam parvi Jordanis ſtetiſſe Joſephus *de Bello l.* 4. *c.* 1. eſt author. Pro *Dan* in Textu mendosè legitur *Daphne*.

I. *Templi* nomen uſurpatur etiam de Eccleſia Jeſu Chriſti, *Apoc.* 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei.* Et S. Paulus de Antichriſto, 2. *Theſſal.* 2. 4. *Itaut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*

II. *Templum* eſt Cœlum: *Dominus in Templo Sancto ſuo, Dominus in Cœlo, Pſal.* 10. 5. Martyres in Cœlo conſtituti *ſunt ante Thronum Dei, & ſerviunt ei die, ac nocte in Templo ejus. Apoc.* 7. 15.

III. Spirituali ſenſu ſunt animæ Juſtorum, 1. *Cor.* 3. 16.

Digitized by Google

3. 16. 17. *Scitis, quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi, 1. *Cor.* 6. 19. *An neſcitis quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti, qui habitat in vobis?* Et illud: *Vos eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, &c.* 2. *Cor.* 6. 16.

(*Templum Jeruſalem.* Damus hic quædam in deſcriptionem Templi Jeroſolymitani juxta Villalpandum & D. Prideaux.

* P. Joannes Baptiſta Villalpandus Jeſuita Hiſpanus, qui deceſſit die 22. Maii anno 1608. juſſu Regis Hiſpani contulit ſe ad deſcribendum exactiùs Templum & Urbem Jeruſalem, quam ſibi impoſitam provinciam obivit glorioſè, vulgatis tribus in folio voluminibus. Quod ille in hoc argumento publico communicavit, non aliter ſuſpectum eſt hucuſque quàm inter cætera omnia, quæ vulgata ſunt, abſolutiſſimum. Cùm enim architecturæ penetralia intima pervaſiſſet, eo adjumento id præſtitit, quod nunquam vulgò Interpretes Scripturæ architecturæ ſcientiam vel nihil, vel parùm callentes.

Nihilo tamen ſeciùs viros plurimos doctiſſimos ea inceſſit ſuſpicio, virum hunc doctum occupatum grandibus illis ideis architecturæ Græcorum & Romanorum, atque altiſſima opinione de ſtructura Templi Salomonici, cujus Deus ipſe normam tradiderat, direxeratque ipſe per ſe Salomon Rex, quà ſapientia, quà divitiis, quà ingenti præſtantia cæteris omnibus Regibus multò ſuperior; hiſce omnibus, inquam, præjudiciis occupatum reputaſſe quæcunque auguſta, quæcumque ſuperba conciperet de Templo illo, minora eſſe, quàm ut rei granditatem æquarent; quare nihil omiſit intentatum, ut Templum quàm fieri poſſet magnificentiſſimum exhiberet.

In hanc mentem ornamenta adjecit plurima omiſſa quidem in ſacro Textu, ſed non omittenda juxta regulas architecturæ, quas non ignoraſſe Salomonem rebatur; quaſi ſcilicet idem eſſet apud gentes æquè omnes & per tractus ſæculorum Architecturæ tenor invariatus. Quaſi pariter Salomon diuturna adeò ætate primos Græcæ Architecturæ authores præcedens ea noſſe reputandus ſit, quæ diutiſſimè poſt fuerint ſancienda. Ad hæc, Villalpandus auxit numerum atriorum & porticuum, ut pro tribus expreſſis in Scriptura, ad undecim exhibeat; nimirum præter atrium Gentium vel exterius, magnum atrium vel Iſraelis, alia novem addit regnantibus circùm columnis vel porticibus ſepta.

Atriorum multiplex illud ornamentum non adſtruitur niſi ex fide capitis 42. 3. 6. Ezechielis, ubi legimus Prophetam referentem monſtratam ſibi ab Angelo in atrio exteriori Templi porticum junctam porticui triplici: *Ubi erat porticus juncta porticui triplici*, quaſi ſcilicet hiſce ſignificarentur tres explicantes ſe in fronte porticus, cùm reipſa nil aliud ſignificent, quàm tres ordines columnarum, vel tria ambulacra, aut ſolaria exhibita per viſum Ezechieli. Adde pariter, ſpatium illud ſoli in dorſo montis Moria anguſtius fuiſſe, quàm ut vaſtum adeò ædificium admitteret.

Conſtituit Villalpandus atria hæc omnia triplici columnarum ordine redimita fuiſſe, columnas autem ſuſtinuiſſe ſuper ſe tribus ſolariis diſtributa conclavia; quod ego quidem nihil habere in Scriptura fundamenti credo; neque enim id ſatis perſpicuè docet Textus Ezechielis 42. 3. 4. 5. 6. habet enim ad literam ſingulis atriis tres reſpondiſſe porticus inferiores, ſuperiores verò tres ductus, quorum medius exhibebat porticum tectam, cui reſpondebant diſpoſita ad utrumque latus conclavia; ſed ambiguum eſt maximè, num ſuper columnas vel porticus inferiores incumberent tria ſolaria: alienum eſt enim id à moribus Orientalium, neque enim ſolaria altera ſuper altera ſtruunt; quæ pariter in noſtro hoc ædificio plus nimio, quàm par ſit, aſcendiſſent in altum.

Quæ ille pariter ſtatuit de cruſta pavimenti & murorum, illa quidem è porphyretico, hæc verò è Pario marmore, minùs verè aſſerta ab eo Authore credimus; nihil tale ſaltem notat Scriptura, quanquam id etiam fatemur hæc utique omnia inferiora eſſe majeſtati loci Sancti, & divitiis Salomonis. Sed non ea quærenda ſunt hic, quæ pulchritudinem, quæ divitias poſcunt; non quid deceat & conveniat; at id potiùs, quod veri ſpeciem habeat majorem, & quæ Sacro Textui magis cohæreant.

* Illud utiquè reputandum eſt ſyſtema D. Prideaux deductum è Libris Rabbinicis commodiſſimum eſſe, & lucem affundere iis omnibus, quæ traduntur in Scriptura de variis membris Templi, ſicut & uſu illorum diverſo. Nihil hic deſideres eorum, quæ indicantur in Evangelio, non portam Speciosam, non Salomonis, non cippum ad excipiendas oblationes, *Gazophylacium &c.* Qui tandem ichnographiam illam dederunt, provida cura conſuluerunt omnibus. Unum deeſt, ſed magni planè momenti, nimirum Authores Thalmud cæteroſque Rabbinos, nec argumentis demonſtraſſe adhuc, nec unquam poſthac demonſtraturos ideas haſce ſuas, ſive adducto teſtimonio Scripturæ, ſive Authorum, qui Templum hoc ſpectarint, vel qui rem ſciverint ex teſtibus oculatis. Neque enim tanta eſt Thalmudiſtarum, & Rabbinorum antiquitas, ut neceſſitatem nobis imponant credendi, dum agitatur quæſtio de re, cujus nec ipſi teſtes ſunt idonei, nec illi pariter id valent, quos dicti ſui vades exhibent, nimirum patres ſuos vel avos. Thalmud Jeroſolymitanum, ut citiùs, digeſtum eſt poſt annos 300. ab everſione Templi; Babylonicum verò integro ſæculo recentius eſt Opus. Rabbinorum celeberrimi, quorum ſuperſint Scripta, non floruerunt niſi poſt undecimum vel duodecimum rei Chriſtianæ ſæculum. Illos verò in ſtudio antiquitatis rudes eſſe maximè certiſſimè ſcimus; conſtat etiam nullum vetuſtum monumentum ſervare illos, quo de ſtructura Templi doceantur, niſi Libros Sacros & Codices Joſephi.

Si Rabbini in deſcriptione tantùm Templi per Romanos everſi ſe continerent, non abs re quidem locaretur opera conciliandis illis cum Joſepho, quod tamen vix ſucceſſurum credo; vel ſaltem reputari potuiſſet manſiſſe apud illos ſeu traditionis aliquid, ſeu occultum aliquod Scriptum præ Joſepho fidelius & exactius. Verùm ſi id contendatur, ipſiſſimum, quod illi exhibent, Templum Salomonicum eſſe, vel ſaltem illud, quod ab Ezechiele deſcriptum eſt, id utique nullis argumentis evinceretur.

E. g. quod illi ſtatuunt de atrio mulierum nullibi in Scriptura recurrit. *Chel* i. e. murus, atrium Gentilium ab atrio Iſrael diſtinguens, ſurgebat non interius quidem, ſed in exterioribus Templi. Columnæ *Jachin*, & *Booz* nullæ erant in ſecundo Templo. Quod autem velum reſciſſum eſt in obitu Servatoris ipſiſſimum fuiſſe diſtinguens Sanctum à Sanctuario, cum incertiſſimis æquè eſt incertiſſimum. Multò verius autumaremus accidiſſe id velo oppoſito inter Sanctum & veſtibulum. Latitudo veſtibuli Templi Salomonici latitudinem ipſam Templi non ſuperabat. Et ubi docentem nanciſceremur ſuper unam ex aliis Templi ſtetiſſe Jeſum à Diabolo conſtitutum? *Matth.* 4. 5. Quo documento aſſererentur januæ illæ omnes, quà Occidentales, quà Meridionales Templi, & tanta cellularum multitudo, quarum omnium vel minimi uſus referuntur?

Neque hæc ego tanquam invidiam creaturus in ſtudium D. Prideaux; ſed eò tantùm ſpecto, ut intelligant Lectores pleraque in ejus ſchemate de Templo ab ipſo tradita fidem habere minùs aſſertam; Authores Judæos, quos ipſe ſibi ſequendos proponit, ducea eſſe

* Animadverſiones in deſcriptionem Templi Jeruſalem per Villalpandum. Vide Præfat. Interpretis.
* Animadverſiones in Templum Jeruſalem juxta ſyſtema D. Prideaux.

eſſe hujus itineris minùs tutos; ac tandem ut in cognitionem veniamus Templi Salomonici continendos eſſe nos intra fines Textus Librorum Regum & Ezechielis; quò vero de Templo Herodis à Romanis everſo intelligamus aliquid, unum Joſephum ſuppetere.

TEMPLUM DEI VERI in Ægypto excitatum. Vide in Dictionario V. *Onias*.)

TEMPUS, nomen eſt, menſuram motus, ſivè ſpatium illud, quo res manet, vulgò deſignans. Uſurpatur etiam de occaſione rebus agendis opportuna. Tempus alicujus eſt etiam tempus adventus ipſius: *Propè eſt, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur*, *Iſai.* 14. 1. Jeſus Chriſtus de mortis ſuæ tempore agens; *Tempus meum*, ait, *nondum advenit... tempus meum nondum impletum eſt Jo.* 7. 6.

Tempus ultionis Dei interdum nomine temporis Domini, ſivè temporis viſitationis ipſius deſignatur: *Væ eis, quia venit dies eorum, tempus viſitationis eorum... Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus, quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ*, *Jerem.* 50. 27. 31. *Redimere tempus* legimus *Dan.* 2. 8. *Certè novi, quòd tempus redimitis*; & apud Apoſtolum, *Epheſ.* 5. 16. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*. Phraſes iſtæ denotare poſſunt tempus præoccupare, tem longiùs protrahere, opportuniorem occaſionem expectare. Ita Magi Nabuchodonoſoris *redimebant tempus*; nempè tempus ſibi concedi poſtulabant, ut ſomnium explicarent, ſperantes futurum, ut ſivè ſollicitudo audiendi ſomnii evaneſceret, ſivè ſomnium ipſum tandem Regi ſuccurreret. Apoſtolus Fideles hortatur, ut tempus redimant, *quoniam dies*, ait, *mali ſunt*; nempè impiorum furorem temporis beneficio evitantes, opportuniorem occaſionem opperiantur.

(Rex Aſſuerus conſuluit Sapientes, *qui norant tempora*, *Eſther.* 1. 13. *Hebr.* i. e. viros, quos habebat à conſiliis in hiſtoria, moribus, & legibus Perſarum conſultiſſimos. Porrò hiſtorias noſſe viſi eſt, qui res politicas curat. Quomodo enim intelliget ille quæ commoda ſint Regionis, cujus ignorat tempora, vices, & quæcunque illi majoria momenti acciderunt? S. Hieronymus in ſua Verſione reddidit: *Interrogavit Sapientes, qui ex more Regio ſemper ei aderant*. Paraphraſtes Chaldæus ſtatuit adhibuiſſe illum in conſilium filios Iſſachar, viros ſcientiam temporum, & vicium anni callentes. Prædixit de illis Moyſes: *Populos vocabunt ad montem*, *Deut.* 33. 17. 19. futuros nempè in aſtronomia peritos & exactos Feſtarum dierum ſupputatores: quare & vicinos admonituros adeſſe tempus conſcendi ſe Jeroſolymam & ad montem Sanctum.

Interrogantes Apoſtoli Jeſum Chriſtum, num ipſe reſtituturus eſſet brevi Regnum Iſrael, hoc dimiſſi fuerunt reſponſo: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. *Act.* 1. 7. Nondum exuerant vetus illud præjudicium, Meſſiam nempè temporale quoddam Regnum habiturum. Succeſſu dein temporis depoſuerunt errorem: qui enim S. Spiritus illos afflavit die Pentecoſtes, docuit illos pariter Regnum Meſſiæ & priſtinam rerum omnium reſtitutionem in exitu tandem mundi futuram. Tempus illud appellat S. Petrus ſermonem habens ad Judæos *Act.* 3. 20. 21. *Tempus refrigerii, & tempus reſtitutionis omnium*. Quibus verbis Jeſus Chriſtus indicavit Apoſtolis poſtremum adventum ſuum; ipſis pariter uſus eſt Apoſtolus 1. Theſſal. 5. 1. *De temporibus autem, & momentis non indigetis, ut ſcribamus vobis; ſcitis enim, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet*.

Tempus, & tempora, & dimidium temporis in Daniele 12. 7. & Apocalypſi 12. 14. deſignant tres annos & ſemis, quot definiunt ſpatium perſecutionis Antiochi Epiphanis in Judæos, & Diocletiani in Chriſtianos.

Tempus, annus eſt; *tempora*, biennium; *dimidium temporis*, anni dimidium. In eodem Daniele 4. 13. *ſeptem tempora* valent ſeptem annos: *Donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum*; dicta ſunt hæc de ſeptennali metamorphoſi Regis Nabuchodonoſoris. In Ezechiele 4. 10. 11. *A tempore uſque ad tempus comedes*; comedes 390. panes ſpatio dierum, quos tibi jam innui. *A tempore uſque ad tempus*, ab exordio uſque ad exitum hujus periodi.

Tempus acceptabile, tempus beneplaciti, tempus viſitationis, tempus eſt favoris, præſtitæ miſericordiæ, & opis a Deo; cui opponitur tempus furoris, tempus correctionis, tempus malum, tempus ultionis.

Tempus noſtrum, uſurpatur pro tempore mortis 1. *Machab.* 9. 10.: *Si appropiavit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros*. *Matth.* 8. 29. Queruntur Dæmones de Jeſu eo nomine, quòd ſcilicet veniſſet torquendis illis *ante tempus*; i. e. ante poſtremam Judicii diem; qua in præparatum illis ignem agendi ſunt. *Plenitudo temporum Galat.* 4. 4., eſt tempus venturi Meſſiæ. *Noviſſima tempora* ſunt interdum tempora Meſſiæ, interdum poſtremi judicii & perſecutionis Antichriſti. Ante tempora ſæcularia 2. *Timot.* 1. 9. *Tit.* 1. 2., in Apoſtolo deſignat æternitatis illud, quod creatum mundum præceſſit. Nulla erant re ipſa tempora ante mundum; quæ verò poſt Adam ad nos uſque defluxerunt, hæc ſunt *tempora ſæcularia*: oppoſita ſcilicet tempori æternitatis, quod creationem præceſſit, & nomen tantùm, non rem ipſam temporis refert.

Legimus in Pſalmo 30. 16. *In manibus tuis ſortes meæ*; quo tamen in loco Hebræus fert: *In manibus tempora mea*, i. e. vitæ meæ. Plura Latina Exemplaria eamdem lectionem retinent, uti Pſalteria Romana, S. Germani Pratenſis, & S. Petri Carnotenſis.

Nullam ſe requiem daturum aſſirmat David Pſal. 131. 4. *temporibus ſuis, donec inveniat locum*, ad Templum Domini aptum; ſed hic tempora ſignificat tempora capitis; innuit autem nunquam ſe quietos captaturum ſomnos, niſi priùs ædificaverit Templum Domino.)

TENEBRÆ. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, *Gen.* 1. 2. nempè tenebris glomerantibus nondum creata luce, chaos offundebatur. Plaga tenebrarum, qua Ægyptus, infligente Moyſe, perculſa eſt, inter graviſſimas habetur. Adeò enim tenebræ glomerabantur, ut manibus ipſis penè palpari potuiſſent. Nullus eo tempore oculorum uſus; quin & talis horror animos corripiebat, ut neque è loco ſuo movere ſe Ægyptii auderent. Ea rerum facies tribus diebus, totidemque noctibus manſit. Author Sapientiæ ita rem deſcribit 17. 2. *Vinculis tenebrarum, & longa noctis compediti Ægyptii, incluſi ſub tectis fugitivi perpetua providentiæ jacuerunt..... Neque enim, quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem illis præſtabant. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpida flamma illuminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat autem illis ſubitaneus ignis timore plenus, & timore perculſi illius, quæ non videbatur, faciei, æſtimabant deteriora eſſe, quæ videbantur*.

Tenebræ in ipſo obitus Jeſu Chriſti articulo mundi faciem tenentes, ab hora ſexta diei, nempè à meridie uſque ad nonam horam, ideſt, ad tertiam poſt meridiem, durarunt. Quare toto fermè temporis ſpatio, quo Chriſtus in cruce pependit, luctuoſus ille rerum ſtatus manſit; cùm paulò ante ſextam horam in Crucem elevatus, paulò ante nonam expiravit (a). Tenebras illas nonniſi in Judæa fuiſſe, quam ſæpè totiùs terræ nomine deſignatam conſtat, Origenes, Maldonatus, Eraſmus, Vatablus, aliique plures autumarunt. Alii verò cum S. Joanne Chryſoſtomo, Euthymio, Theophylacto, per totum noſtrum

(a) Confer. Matth. 27. 45. cum Jo. 19. 14. & Marc. 15. 25. & Vide Interpp. & Concord. in hunc locum.

noſtrum hemiſphærium, vel maximam ejus partem, effuſas malunt. Nube craſſiſſima ſoli objecta prohibitam lucem cenſet Origenes; nec ſanè alia pronior cauſa ejus rei potuit afferri, cùm Luna pleno orbe micans, Solis eclypſim tum temporis denegaret.

Verùm Julius Africanus, Euſebius, & S. Hieronymus ad obitus Jeſu Chriſti tempus referunt ſolis eclypſim, de qua Phlegon teſtatur, nullam unquam majorem contigiſſe, cum pleno meridie ipſa Cœli aſtra micare cernerentur. Porrò hujus eclypſis tempus ad quartum annum Olympiadis 102. conſignatur, ipſiſſimum nempè obitus Jeſu Chriſti annum. Tertullianus Apolog. c. 21. ad publica tabularia Gentilea provocat, ut tenebras pleno meridie ipſa obitus Chriſti die diſcant. Pſeudo-Dionyſius Areopagita Ep. 7. ad Polycarp. teſtatur, ſe, cùm in Ægypto eſſet, eclypſim contra aſtronomiæ regulas ingruentem obſervaſſe; qua viſa, ait, Apollophanes una mecum ſtudens exclamavit: *Iſta, o præclare Dionyſi, Divinarum ſunt viciſſitudines rerum*. Suidas hæc loquentem ipſum S. Dionyſium ea occaſione inducit: *Aut Deus patitur, aut vicem patientis dolet* (a).

I. *Tenebræ*, interdum pro morte uſurpantur. *Terra tenebrarum*, *Job*. 10. 22. ſepulchrum ait. *Qui ſedent in tenebris, & in umbra mortis*, *Pſal*. 106. 10. ii ſunt, qui vita exceſſarunt. Paganorum Numina mortuis in tenebris ſepulchri derelictis ſimillima ſunt, ait Baruch 6. 70.

II. *Tenebræ*, nox, caligo, interdum pro ærumnis, atque ingruentibus malis uſurpantur: *Fuit dies illa tenebrarum*, *Eſth*. 11. 8. nempè triſtis. *Dies illa vertatur in tenebras, & non illuſtretur lumine*, *Job*. 3. 4. 5. nempè nefaſta habeatur. *Contexerunt me tenebræ*, *Pſalm*. 54. 6. *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, &c*. *Joel*. 2. 31. His omnibus phraſibus maximæ ingruentes calamitates denotantur.

III. *Tenebræ*, morali ſenſu peccatum deſignant; hinc *tenebrarum filii*, nempe impii, increduli, & infideles *filiis hominis*, nempe Fidelibus, & Juſtis opponuntur. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate*, *Epheſ*. 5. 8. 11. *Deus de tenebris appellavit nos in admirabile lumen ſuum*, 1. *Petr*. 2. 9.

IV. *Tenebræ*, Regnum *Angeli tenebrarum*, nempè Diaboli deſignant. 2. *Cor*. 11. 14. cujus vim, & authoritatem Jeſus Chriſtus appellat *poteſtatem tenebrarum*, *Luc*. 2. 53. Vide & *Coloſſ*. 1. 13. *Opera tenebrarum*, *Rom*. 13. 12. *Epheſ*. 5. 11. ſunt opera Dæmonis, peccatum &c.

TENTARE, experimentum capere. *Tentavit Dominus Abraham*, cùm de immolando filio præceptum impoſuit, *Gen*. 22. 1. voluit nimirum Deus eo experimento ſpecimen fidei, & obedientiæ in eo viro mundo exhibere, ſimulque illum in fide, atque obedientia firmare. Nec tamen Deus homines tentat, ut eorum animi ſenſus ſibi ignotos prodat; ſed ideo potiſſimùm, ut eorum virtutem exercitatione adaugeat, perficiat, atque ejus ſpecimen aliis exhibeat, ſimulque tandem, ut è prælio victores homines coronet. Ita ſi quando in Scriptura legimus, tentaſſe Deum populum ſuum, *Exod*. 16. 4. an in viis ſuis ambularent, eo facto experimento intellecturus; cum permiſſos ab illo malos Prophetas legimus, ut vana annunciantes, intima cordis illorum Deus ipſe exploraret, *Deu*. 13. 3. hæc ſanè omnia non ad literam quidem accipienda ſunt, ſed juxta ſenſum à S. Jacobo inſinuatum: *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat*, *Jacob*. 1. 14. Abſit planè, ut credamus, Deum nos ad id ſollicitare, quod commiſſum punit (b). *Deus non eſt author eorum, quorum eſt ultor*.

Dæmon quidem nos ideò tentat, ut in malum, in crimen, deſperationem, contemptum Dei, ejuſque Legis, in ſuperbiam, & vanitatem inducat. Quin & in rebus ſanctiſſimè geſtis occultos nobis parans laqueos, omnem ex illis fructum nobis ſurripere, vanam aliquam de illis gloriam ſuadendo, conatur; debitam enim Deo illorum geſtorum gloriam, ut nobis ipſis vindicemus, hortatur. Davidem tentans, cenſum populo, levis cujuſdam gloriolæ captandæ cauſa, inſtituere perſuaſit, 1. *Par*. 21. 1. Dominum in deſerto tentans, in tumorem quemdam mentis inducere conatus eſt, *Matth*. 4. 1. *Marc*. 1. 13. *Luc*. 4. 2. Ananiam, & Saphiram tentavit, ut in Spiritum Sanctum mentirentur, *Act*. 5. 3. Corinthios Apoſtolus hortatur, ne ſub ſanctioris vitæ in conjugio ducendæ prætextu, incontinentiæ ſe tentationibus exponant, 1. *Cor*. 7. 5. Tandem in orationis formula, nobis à Jeſu Chriſto præſcripta, Dominum rogamus, ne unquam permittat, ut in tentationem ducamur, *Matth*. 6. 13. cui etiam tentationi, ut aditum vigilantia præcluderent, ipſe Jeſus Diſcipulos paulo ante mortem admonuit, *Matth*. 26. 41. Nunquam, ait Apoſtolus, Deus permittet, ut tentationibus ſupra vires in diſcrimen veniamus 1. *Cor*. 10. 13.

Deum homines tentant, cùm potentiæ, bonitatis atque præſentiæ ſuæ argumenta præpoſterè exigunt. Opem ſanè à Deo, atque auxilium in neceſſitatibus poſtulare licet; tentare autem illum, ſive prodigia poſtulando, ſive nos in diſcrimen immittentes, ubi nullum abſque prodigio effugium, nefas. Neque enim Deus prodigiis ſuis nobis famulari tenetur, neque ultra vires aliquid ab hominibus exigit. Iſraelitæ in deſerto non raro Dominum tentarunt, *Exod*. 15. 2. 7. 17. *Num*. 14. 22. &c. *Pſalm*. 77. 18. 41. &c. veluti ſi præſentiæ ipſius in medio populi, ejuſque bonitatis, & potentiæ, poſt tot ſibi exhibita argumenta, experimentum capere vellent. Porrò Deum tentare ipſe Deus inhibuit, *Deut*. 6. 16. *Ante orationem præpara animam tuam; & noli eſſe, quaſi homo, qui tentat Deum*, *Eccli*. 18. 23.

Homines mutuò ſe tentant, probantes utrùm dictis res ipſæ conſentiant; ſivean homines tales ſint, quales ſive fama prædicat, ſive homines ipſi optarent. Regina Saba ſapientiam Salomonis tentatura veniens, ænigmata illi ſolvenda propoſuit, 3. *Reg*. 10. 1. & 2. *Par*. 9. 1. Daniel Eunucho, cujus cuſtodiæ ipſe, & ſocii commiſſi fuerant, ait 1. 12. 14. *Tenta nos diebus aliquot* experimentum capturus, an impuris dapibus abſtinentes, macie extenuemur. Scribæ, & Phariſæi Jeſum Chriſtum non ſemel tentarunt, ut ſtructis illum inſidiis caperent, *Matth*. 16. 1. & 19. 3. & 22. 18. & paſſim.

TENTATIO, locus, ubi Iſraelitæ caſtrametati ſunt in deſerto, *Exod*. 17. 1. *Deut*. 6. 16. Hebraicè *Maſſa*, cujus articulum vide. Alterum ejus caſtrametationis nomen, *Raphidim*. Ibi deductæ à Moyſe è ſilice Oreb aquæ.

TEPHILIM, ſive *Tepilim*, alio nomine *Totaphot*, *Deut*. 11. 18. & 6. 8. *frontalia* erant, ſive *phylacteria*, quæ ſibi Judæi in precibus matutinis, & nonnulli etiam religioſiſſimi in meridiania (rari tamen, exceptis præcentoribus) induebant. Vide quæ de hoc ritu narrat Leo Modena *de' Riti Ebr. p*. 1. *c*. 11. & nos v. *Phylacteria*. Cùm enim Legis præceptum de geſtandis ſemper in fronte, tamquam ſigno quodam, Legis verbis, Hebræi ad literam ſervandum ſibi putent; ideò ſaltem orationis tempore hæc fronti alligata prætulerunt: ne perpetuò deferant, metu ludibrio exterorum ſacra verba exponendi abſterriti, *Idem ibid. c*. 5.

(Videſis in Dictionario v. *Taled*. Induebant olim Hebræi pallia quadrata, unde ad quatuor angulos pendebant totidem flocci, quos *zizith* appellabant; eodemque veſtium inſigni à reliquis gentibus diſtinguebantur. Ejus loco deferunt hodie latens ſub veſtibus quadratum aliquod, ad cujus quatuor angulos pendent è funiculis flocculi quidam. Veſtis id genus appellant *arbah caſoth*. Dum in Synagoga ſe continent precandi gratia aſſumunt Taled, i. e. velum qua-

(a) De hac re Vide Interpp. in Matth. 27. 45. Baron. Tillem. & noſt. Diſſert. de eodèm argumento in Collectione noſt. Diſſert.   (b) Fulgent. ad Monim. l. 1.

quadratum cum ſuis floccis ad angulos; velum illud quidam obvolvunt collo; alii levant in caput.

Aſſumunt poſt hæc Thephilim, vel frontalia, quæ ſacra adeo reputant, ut firmiſſimè teneant quidam, Deum ipſum præſerre illa alligata capiti & lacertis, ceu Judæum aliquem. Neque id per allegoriam traditum credas ab eorum Doctoribus, quaſi ſcilicet latens aliquid ſub eo figurarum obtentu inſinuare volentibus (a). Defendunt enim Deum, cum revelaturum ſe Moyſi poſteriora ſua ſpopondiſſet, id ſibi propoſuiſſe conſilii, ut monſtraret homini nodum vittæ alligantis Thephilim capiti; faciem verò, quam detecturum ſe Legiſlatori illi recuſavit, ipſiſſimam fuiſſe Dei faciem. Sed hæc omnia eò ſpectant, ut originem & excellentiam Thephilim releveut in immenſum.

Nec immeritò ad Deum ipſum origo Thephilim referretur, ſiquidem verborum Moyſis, *Deut.* 6. 8. litera teneretur: *Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, inſcribeſque ea in limine & in oſtiis domus tuæ*. Cùm igitur poſtremâ hæc verba ad literam teneantur, ut inſcribenda cenſeant, verba Legis in ſuperliminaribus domorum; ita pariter & vim habere majorem, quàm ut meram inſerant allegoriam credenda ſunt verba illa, quæ de frontalibus præcipiunt. Animadverſum eſt in rem præſentem, quòd ſicut Pagani varia corporis membra conſecrabant impoſitis phylacteriis, vel amuletis; ita pariter injunxiſſe Deum populo ſuo, ut in fronte & in brachiis commendata haberent phylacteria, memoriam Legis Dei refricantia, atque retrahentia populum à ſuperſtitionibus Taliſmannicis, & Phylacteriis Paganorum.

Verùm S. Hieronymus, quem ducem ſequuntur docti plures Commentariorum Scriptores, defendit, verba illa Legis ad figuratum ſenſum torqueri oportere, uti & accepiſſe dicunt veteres Judæos; nec ad literam antea uſurpata fuiſſe ſentiunt, quàm poſt conſtitutam ſectam Phariſæorum. Jeſus Chriſtus Thephilim ita reprehendit; ut de abuſu rem habere ſe tantùm ſignificaret; vitio enim vertit Phariſæis, quod amplioribus & latioribus præ cæteris uterentur; præ cæteris, inquam, qui illa admitterent; neque enim omnes nemine excepto prætuliſſe illa credo. Vide Commentarios in Matth. 23. 5.)

TEREBINTHUS. Hebræum *elath* (b), in Vulgata, & Septuaginta plerumque redditur *Terebinthus*. Alii vertunt *quercum*, *ulmum*, *caſtaneam*, vel tantùm *arborem*. Nec S. Hieronymus in ea re ſemper ſibi conſtat; interdum enim vertit *quercum* ſive *ilicem*. Porrò terebinthus arbor eſt, cortice & ligno à lentiſco parum abhorrens; fraxinum foliis, latioribus tamen, & craſſioribus; olivam floribus refert; fructibus eſt inſtar botri confertis, ſolidis illis, reſinoſis, magnitudine juniperi. Corniculis quibuſdam ad ſimilitudinem quercus tumet, in quibus muſcæ quædam naſcuntur. Liquor etiam in illis, ut in lentiſco, continetur. Reſinam ſtillat è trunco, quemadmodum & arbores cæteræ reſinoſæ. Frequentiſſima eſt in Judæa.

Terebinthus illa, ſub qua tres Angelos Abraham hoſpitio recepit, tota antiquitate celebratur, *Gen.* 18. 1. &c. Sex ab Hebrone ſtadiis immanis terebinthus ſpectabatur, ipſi mundo ex populi traditione coæva (c). Sunt etiam ætate Abrahami terebinthum extitiſſe, tam Abrahami, quàm Angelorum memoria apud Chriſtianos æquè & Paganos ſumma religione cultam, narrat Euſebius. Bis m. paſſibus ab Hebrone abfuiſſe S. Hieronymus eſt author, cui etiam vetus Itinerarium conſentit: 15. ſtadiis Sozomenus *hiſtor.* l. 2. c. 4. ab ea urbe removet. Quæ ſitus diverſitas ſuſpicionem inducit, terebinthum Joſephi aliam eſſe ab ea, de qua Euſebius, cæterique teſtantur.

Ex Antiquis quidam (d) arborem illam autumarunt, ex ſcipione alterius ex tribus Angelis, hoſpitio ab Abrahamo receptis, terræ infixo, ſubitoque miraculo virenti crevisse. Olim ad ejus pedes Altare erectum erat, ubi prophana quædam ſacrificia immolata; cujus ſuperſtitionis certior factus Conſtantinus Imperator (e), datis ad Euſebium Epiſcopum Cæſareæ literis, quantocius altare tollendum, atque Oratorium conſtituendum præcepit.

Cùm eidem arbori ignis ſupponeretur, totam in flammas abiiſſe ferunt; verum iis extinctis, virens, uti prius, planta incolumiſque apparebat. Confluentibus autem undique ad eumdem locum populis, celebres ibi nundinæ conſtitutæ ſunt. Poſt bellum Adriani in Judæos, ibidem mancipia ejus populi infimo pretio divendita ſunt, ait S. Hieronymus. Quæ verò venditioni ſuperfuerant, in Ægyptum tranſlata, pleraque infelici exitu interierunt (f).

Terebinthus illa, ad cujus radices Jacob idola ex Meſopotamia à Domeſticis ſuis tranſlata defodit, *Gen.* 35. 4. retrò poſt urbem Sichem ſpectabatur, diverſo planè loco, ac Terebinthus Abrahami ad Hebronem; quamquam præpoſterè ſanè ambas illas quidam confunderunt. Sub eadem arbore (quam Vulgata quercum appellat, *Joſ.* 24. 26.) innovatum creditur fœdus Domini cùm Joſue; & Abimelechus filius Gedeonis in Regem à Sichimitis inauguratus, *Judic.* 9. 6.

TERENTIUS RUFUS. Vide *Rufus*.

(TERMINUS. Cavit Moyſes, *Deut.* 19. 14. *Non transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua &c.* Omnis populus diris devovit illum, qui auſus fuiſſet transferre terminos à Patribus ſuis conſtitutos *Deut.* 19. 14. id autem criminis accenſet Jobus 24. 2. inter fures, & raptores, & pauperum oppreſſores. Sunt quidem termini ſacrum aliquid & religioſum, quin & juris publici portio. Siculus Flaccus *de condit. agror.* tradit in ponendis limitibus ſolemne fuiſſe Veteribus, ut *unguento velaminibuſque; & coronis eos coronarent*. Subverſores limitum duplici flagrorum animadverſioni damnant Rabbini; primò cauſa alienæ hæreditatis furto ſoviſæ; ſecundò quòd rei ſint violatæ ſanctionis interdicentis tangere ſeu immutare terminos.

Legem hanc Moyſis planè ſingulari ſenſu accepit Joſephus *Antiq.* l. 4. *cap.* 8. *Terminos, ait, terræ ne liceat movere, neque propria, neque aliena, eorum quibuſcum vobis eſt pax; ſed caveatur ne auferantur tanquam firmus Dei ſtabulus in ſempiternum poſitus; quippe cùm bella inde naſcantur & ſeditiones, quòd ultra terminos progredi volunt avari. Neque enim à legibus tranſiliendis longe abſunt, qui agrorum limites de loco ſuo dimovent.*

Apud Romanos *Digeſt.* l. 47. *tit.* 21. *de termino moto*; capitale erat ſervo ſi ſciens & dolo malo terminum aliquem dimoviſſet. Optimates interdum pœnas ejus criminis dabant exilio; privati pro qualitate delicti puniebantur, damnari vel mulcta pecuniaria, vel animadverſione. Veterum obſequium in limites erga ſuperſtitionem exurgebat. Numa Pompilius Rex Romanorum juſſit, oblationes fieri terminis, ex pulte, placentis, ac primitiis fructuum. Narrat Ovidius *in Faſt.* immolari limitibus agnum, atque inſpergi illos ſanguine

Spargitur & caſo communis terminus agno.

Meminit Juvenalis, *Satyr.* 16. annuæ oblationis, qua terminorum religio alebatur.

Et ſacrum effodit medio de limite ſaxum.
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo.

Termini maris. Ad relevandam Dei potentiam id ſæpè commemorat Scriptura, poſuiſſe ſcilicet illum certos mari terminos: Pſalmus 103. 9. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram.* Jobus 26. 10. *Terminum circumdedit aquis uſque dum finiantur lux & tenebræ.* Sapientia apud Salomonem, *Prov.* 8. 29. de ſe gloriatur adfuiſſe quo tempore Deus: *Circumdabat mari terminum*

(a) Baſnag. hiſt. Judæor. t. 5. l. 7. c. 17. n. 13. Bartolocci. Bibl. Rabbin. t. 1. pag. 557. (b) Gen. 35. 4. Septuag. aliquando vertunt, *Lalantos*. Gen. 35. 8. Aliquando etiam Drys, *Quercus*. (c) Joſeph. de Bello l. 5. c. 7. (d) Vide Euſtath. ad Allat. editum, & Jul. Afric. apud Syncell. (e) Vide Socrat. Hiſtor. l. 1. c. 18. Euſeb. de vita Conſtant. l. 3. c. 52. (f) Hieron. in Jerem. 31. in Zacch. 10. Vide Chron. Paſchal.

Digitized by Google

minum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Deus de ſe, *Jerem.* 5. 22. *Poſui arenam terminum mari.*)

TERPHALÆI, populi tranſeuphratæi, in Samariam deducti, 1. *Eſdr.* 4. 9. quos aliqui eoſdem cum *Sepiris*, ſive *Saſpiris* cenſent. Vide *Sephar*, ſive *Tripolitanos*.

TERRA (a), vox primò elementum terreſtre craſſum illud, quo ſuſtinemur, & alimur, denotans. Terra dat fructum ſuum; terra ſterilis eſt, & irrigatur: *Et appellavit Deus aridam terram*, *Gen.* 1. 10.

2. *Terra* eſt craſſa illa materia, ex qua prima mundi rudimenta. Deus enim primo *creaſſe Cœlum, & terram*, *Gen.* 1. 1. perhibetur; nempè ſenſibilium omnium materiam.

3. *Terra* eſt globus terraqueus, ſicut & terra una cum conſtitutis in illa hominibus, animantibus, plantis, metallis, aquis, piſcibus &c. *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, *Pſal.* 23. 1. *Cœlum Cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum*, *Pſal.* 113. 15. 16. Alibi etiam dicitur: *Ingredimini ſuper terram, creſcite, & multiplicamini ſuper eam*, *Gen.* 8. 17.

4. *Terra* non rarò pro ejus cultoribus accipitur: *Erat autem terra labii unius*, *Gen.* 11. 1. *Omnis terra laudet Dominum*, &c. *Pſal.* 99. 1.

5. *Terra* interdum deſignat ſive regionem Iſraelitarum, ſive illam, de qua ſermo inducitur; Terra Chanaan, terra Ægypti, terra Aſſur, terra Moab. Interdum *omnis terra* eſt ſive Judæa univerſa, ſive imperium Chaldæorum, & Aſſyriorum. Ita Cyrus: *Omnia Regna terræ*, ait, *dedit mihi Dominus*, *Eſdr.* 1. 2. In Pſalmis univerſa terra, (nempè Iſraël) ad laudes Domino concinendas, ſive ad cultum ipſius invitatur (b).

Terra viventium eſt commoratio Juſtorum in altera vita; ſive Palæſtina, regioni captivitatis, in qua Iſraelitæ veluti in ſepulchro tabeſcerent, oppoſita (c).

Terra oblivionis, ſive tenebrarum, ſepulchrum eſt, *Pſ.* 87. & 26. 10. *Job.* 10. 21. 22.

Terra morali ſenſu, Cœlo & ſpiritui opponitur: *Qui de terra eſt, de terra loquitur; & qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt*, *Joan.* 3. 31. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram*, *Coloſſ.* 3. 1. &c. *Primus homo, de terra terrenus; ſecundus homo, de Cœlo cœleſtis*, 1. *Cor.* 15. 47. 48. Commoratio terreſtris, & Cœleſtis in 2. *Cor.* 5. 1. inſinuatur.

(Poſcere a gente aliqua terram & aquam ſolemne erat Perſis, cùm populis illis denunciarent, ut ſubditos ſeſe ipſis dederent. Ita Nabuchodonoſor, in Græco Judith 2. 5. oneravit Holofernem mandatis, iret ad populos occidentales, qui imperata facere recuſaverant, ſuoque nomine denunciaret, præpararent terram & aquam; decreviſſe enim ſe toto ſuroris ſui pondere illos opprimere &c. Darius pariter poſtulatum miſit à Scythis terram (d); ſicut & Megabiſus nomine Darii Domini ſui venit eadem denuncians Amyntæ Regi Macedoniæ (e). De eodem more Perſarum agunt pariter Polybius & Plutarchus. Sunt qui credant ſymbolis hiſce deſignari imperium Maris & Terræ; malunt alii exprimi hæce duo maximè neceſſaria vitæ, ut perinde ſit ac poſtulare panem & aquam. Deſignabatur emblemate terræ quidquid à terra ſuſficitur alimentorum, fruges, fructus; aqua verò potus homini neceſſarii quodcumque genus.

Non diſſimili ſenſu ſcripſit Eccleſiaſticus 15. 17. *Appoſuit tibi* (Deus) *aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam*. Et 39. 31. *Initium neceſſariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis* &c. Aqua & ignis reputabantur apud Veteres ceu principia generationis, ortus, & conſervationis hominum. Hinc proſcriptis interdicebatur utrumque, ſicut & ipſa eadem tangenda offerebantur ſponſæ in cæremonia nuptiali. Ovid. Faſt. l. 4.

An, quod in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul;
His nova fit conjux, hæc duo magna putant.

TERRA. Homo eſt *terra* & cinis, *Eccli.* 10. 9. vel pulvis & cinis. *Terra coram vobis eſt.* *Gen.* 20. 15. Jus eſt vobis, ut ubicumque malueritis, ſedem eligatis. Judicis ſententia damnatur anguis, ut *terram comedat cunctis diebus vitæ ſuæ*. *Gen.* 3. 14. Noe appellatur *Gen.* 9. 20. *Vir terræ*, ſeu vir agricola. Minitatur Deus populo ſuo redditurum ſe, quam teneret, regionem in *terram ferream*, *Deut.* 28. 23. ſterilem nempe, arentem, duram, intractabilem.

Hebræi ad inſpiciendam terram Promiſſionis miſſi, retulerunt de illa; *Terra devorat habitatores ſuos*. *Num.* 13. 33. bellicoſas fovet gentes, hoſtibus undique infeſtatur, & nunquam libera eſt à diſcrimine. Naaman mundatus à lepra ab Eliſeo, rogavit illum, ut permitteret duas mulorum ſarcinas ſabuli Iſraelitici referre ſe in Provinciam, quòd ſcilicet ſuper illud cultum Domino impenderet religioſum, ratus nefas eſſe id præſtare in terra impura, quale eſſe reputabat ſolum Syriæ.)

TERRÆMOTUS. Plures naturali eventu contingentes terræmotus in Scriptura notantur. Inter celebriores, terræmotus ſub Ozia Rege Juda recenſetur (f). Ejus præter Prophetas Amos 4. 1. & Zachariam 14. 5. etiam Joſephus meminit; addens, uſque adeò terram fuiſſe concuſſam, ut medium montis ad Occidentem Jeroſolymæ vi abſciſſum, 40. ſtadiis, ſive 500. paſſuum ſpatio abduceretur, nec niſi objectu montium Orientalium Jeroſolymæ ſteterit; humo etiam in viam, & in hortos Regios regeſta.

Alter etiam terræmotus ad obitum Chriſti celebratur, *Matth.* 27. 51. Sunt, qui univerſam terram eo tempore concuſſam credant; alii verò ſolam Judæam, ſive tantummodò Templum, cujus fores revulſit, atque velum conſcidit. Ejus terræmotus impetu diſruptas Calvarii rupes ſua etiam ætate monſtrari teſtatur S. Cyrillus Jeroſolymitanus, *Catech.* 13. Ex planè occaſione plura incutiendo terrori contigiſſe oportet, cùm Centurio, ejuſque aſſeclæ adeò emoverentur, ut innocentiam Jeſu Chriſti, atque injuſtitiam ejus damnationis agnoſcerent, *Luc.* 23. 47. Phlegon, Adriani Libertus narrat, unà cum eclypſi pleno meridie viſa anno quarto Olympiadis 202. (g) ingentem etiam terræmotum terram concuſſiſſe, cujus maxima in Bithynia vis fuit.

Ultionis, iræ, atque indignationis Divinæ vim explicans Sacra Scriptura, non rarò phraſibus utitur terræmotus, concuſſionis montium; atque baſium Univerſi. Quæ ſanè phraſes non ſemper ad literam explicandæ, quaſi ſcilicet terra, & montes verè concuterentur; ideæ enim ingerendæ potentiæ atque virtutis Divinæ adductæ ſunt. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*, *Pſal.* 103. 32. *Fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt*, *Pſal.* 17. 8. *Non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris... Conturbati ſunt montes in fortitudine ejus*, *Pſal.* 45. 3. 4. *Montes exultaverunt ut arietes* &c. *A facie Domini mota eſt terra* &c. *Pſ.* 103. 4.

TERTIUS, Amanuenſis S. Pauli, cui Apoſtolus Epiſtolam ad Romanos dictavit an. 58. *Saluto vos ego Tertius*, *Rom.* 16. 22. Sunt, qui credant Tertium Epiſtolam illam ex autographo Apoſtoli tranſcripſiſſe (h). Cum Sila ſocio Apoſtoli in pluribus itineribus confundendum Ligtfootus *Chorograph.* cenſet; cùm Silas Hebraicè idem ſonet, ac Latinè Tertius. In quibuſdam editionibus Græcis pro *Tertius* legimus *Terentius*. Ejus Feſtum die 2. Novembris à Græcis celebratur, non ſine additis viro elogiis, quem in Epiſcopatu Iconii Soſipatro ſubſtituunt.

TERTULLUS, Orator Judæorum, qui ad tribunal Felicis Præſidis, *Act.* 24. 1. 9. Judææ cauſam in Apo-

(a) Hebr. *Aretz.* Græcè *Ge.* (b) Pſ. 32. 8. 19. & 44. 17. & 47. 3. & 56. 6. 12. & 65. 1. 4. &c. (c) Vide Pſ. 26. 13. & 51. 7. & 55. 13. & 141. 6. Iſai. 38. 11. & 53. 8. &c. (d) Herodot. l. 4. c. 126. (e) Idem l. 5. c. 17. (f) 2. Par. 26. 19. & 4. Reg. 15. 5. 6. Antiq. l. 9. c. 11. A. M. 3221. ante Chr. 779. ante Ær. 783. Oziæ 27. (g) Annus iſte reſpondet anno Ær. 33. (h) Grot. Tolet. Bez.

ſtolum egit an. ær. 58. Fidei tandem illum nomen dediſſe quidam ſuſpicantur.

TERUMAH, ſive *Thrumah*, vox Hebræa, oblationes ſignificans, quare apud Septuaginta, & S. Hieronymum plerumque redditur oblatio, primitiæ, ſeparatio, donarium. Hebræum *rum*, ex quo *terumah*, eſt elevare; quod cum oblationibus quadrat, plerumque coram Domino elevandis, & ad quatuor mundi partes agitandis. Nomen illud nuſpiam in Textu Latino Sacræ Scripturæ.

I. TESTAMENTUM, in Scriptura *fœdus* deſignat; & Hebræo *Berith*, ac Græco *Diatheke* reſpondet, quibus vocibus ſuprema decedentis hominis voluntas, qua de rebus ſuis diſponit, exprimitur. Sed nomen *Teſtamentum* in eo ſenſu nuſpiam, quantum ſcio, in Veteri Teſtamento legitur, ſemper enim pactum, & fœdus ſonat. Sed Apoſtolus de verbo Græco *Diatheke* quo ſuprema decedentis hominis voluntas exprimitur, differens hæc habet *Hebr.* 9. 15. 16. Jeſus Chriſtus *Novi Teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in Redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis. Ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. &c.* Quibus ſanè verbis de Veteri, Novoque Fœdere ita Apoſtolus agit, quaſi de ſupremis decedentis hominis tabulis.

In eumdem ſenſum de fœdere Dei cum Abrahamo idem Apoſtolus alibi diſſerit, *Galat.* 3. 15. *Fratres (ſecundùm hominem dico) hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus.* Lex igitur poſt 430. annos ab eodem teſtamento firmato primùm lata, nihil contra illud prævaluiſſe unquam, ſive ejus vim abrogaſſe cenſenda eſt.

Verùm in utroque teſtamento nomen *Teſtamenti*, plerumque fœdus, Legem, & promiſſiones exprimit. Ita *Arca Teſtamenti*, *Exod.* 30. 26. eſt Arca, ubi tabulæ Legis Fœderis recondebantur. *Teſtamentum pacis*, *Eccl.* 45. 30. eſt fœdus pacis; *Teſtamentum Regni*, *Ibid.* 47. 13. promiſſiones à Deo factæ de Regno. *Reſpice teſtamentum tuum*, *Pſal.* 73. 20. ideſt promiſſiones, & fœdus tuum: *Non prophanabo teſtamentum meum*, ideſt promiſſionum mearum fide liberabor. *Sedebo in Monte teſtamenti*, *Iſai.* 13. 14. ubi ſcilicet Templum & Arca Fœderis. *Angelus teſtamenti*, *Malach.* 3. 1. Filius Dei eſt, à quo fœdus innovandum. *Sanguis novi Teſtamenti*, *Matth.* 26. 28. ſanguis novum fœdus obſignans. *Dedit illi teſtamentum circumciſionis*, *Act.* 7. 8. nempè circumciſione mandata Deus fœdus cum Abrahamo percuſſit.

Plura in Sacra Scriptura fœdera, ſive teſtamenta à Deo cum hominibus inita occurrunt. Primum, quo Deus cum Adamo convenit, felicitatem illi, & immortalitatem promittens, ea conditione, ſi vetito fructu abſtinuiſſet, *Gen.* 2. 16. Secundum, quo Deus fidem ſuam cum Noemo, ejuſque poſteris obligavit, nunquam ſe inundantes ſuper univerſæ terræ faciem pluvias immiſſurum, *Gen.* 9. 9. &c. Tertium, quo Deus circumciſione obſignatos Abrahamum, ejuſque poſteros ſibi fœdere conjunxit, *Gen.* 17. 1. &c. Quartum, quod Deus cum populo Iſraelis, agente Moyſe, ad radices Sinai firmavit, *Exod.* 19. & 20.

Porrò fœdus illud ſæpiùs innovatum eſt à Moyſe aliquandiù ante obitum, *Deut.* 29. 1. à Joſue 110. annorum grandævo, *Joſue* 24. 25. à Joſia, Nehemia, & Machabæis.

Libri V. T. ſunt.

Geneſis; Exodus; Leviticus; Numeri; Deuteronomium; Joſue; Judices; Ruth; Quatuor Libri Regum; Duo Paralipomenon; Duo Eſdræ; Tobias; Judith; Eſther; Job; Pſalmi; Proverbia; Canticum Canticorum, Eccleſiaſtes; Liber Sapientiæ; Eccleſiaſticus; Iſaias; Jeremias; Baruc; Ezechiel; Daniel; duodecim minores Prophetæ, nempè Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Libri Machabæorum. Porrò omnes iſti in Canone Concilii Tridentini continentur, atque Divina illis authoritas ab univerſa Eccleſia, non ſecus ac ſequentibus Libris, aſſeritur.

Libri N. T.

Quatuor Evangelia; ſcilicet SS. Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; Acta Apoſtolorum; Epiſtolæ S. Pauli; videlicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; ſeptem Epiſtolæ Canonicæ; nempè S. Jacobi, S. Petri duæ, S. Joannis tres, S. Judæ Apoſtoli; Apocalypſis S. Joannis.

De omnibus hiſce ſimul vide quæ diximus v. *Biblia*; de ſingulis verò in ſuis, vel ſuorum Authorum articulis. De Libris apocryphis utriuſque teſtamenti, lege v. *Apocrypha*, & articulos Authorum, quibus tribuuntur, uti *Eſdras*, *Machabæi*, *Apocalypſis*, *&c.* Fuſiùs verò de illis omnibus in noſtris Præfationibus ad ſingulos S. Scripturæ Libros diſſeruimus (a).

(*Teſtamentum*) deſignat interdum Legem Dei. *Iniquè non egimus in teſtamento tuo*; *Pſal.* 43. 18. Leges tuas non violavimus. Pſal. 49. 16. *Quare aſſumis Teſtamentum meum per os tuum*. Verba Legis meæ ore tuo pronuncias? Pſal. 77. 10. *Non cuſtodierunt Teſtamentum Dei & in Lege ejus noluerunt ambulare.*

Teſtamentum inferorum: *Eccle.* 17. 12. fœdus inferni, vel ſententia in homines pronunciata; qua omnes ad ſepulchrum damnantur. Græcus: *Teſtamentum Dei inferorum demonſtratum non eſt tibi*. Nunquam vobis indicavit Pluto, quod reliquum habeatis vivendi tempus. Deductum eſt id quidem è Paganica Religione, ſed facilè in bonum ſenſum reduceretur loco Plutonis Deo ſubſtituto.

Renunciat Daniel. *Cap.* 11. 32. futurum, ut in perſecutione Antiochi Epiphanis impii *teſtamentum* (fœdus factum) *ſimulent fraudulenter*. Hebræus: *Et prævaricatores pacti facient ſimulare in blanditiis*, ſimulate ſcilicet fidem ſuam. Reipſa quidem ex Judæis plures Religionem ſuam deſeruerunt, alii turpiſſimè deſertionem ſimularunt. Secundus Machabæorum 7. 36. *Fratres mei ſub teſtamento* (in ſpe) *æternæ vitæ effecti ſunt*. Reddi poſſet Græcus: Mortui ſunt pro fœdere ſibi tradito a Deo, qui juratus promiſit illis vitam æternam.

Orientales, quorum ſunt ingenia ad fabellas feraciſſima, procuderunt Teſtamenta Adami, Noe, Abrahami, Jobi, Moyſis, Salomonis, & duodecim Patriarcharum filiorum Jacob. Quantum fidei hiſce addicendum ſit, norunt omnes; ſed noſtrum duximus, ut Lectores non cæco more ad temnenda illa deducantur. Igitur in ſcriptis hiſce legas Adamum (b), paolò ante exitum ſuum accitis Seth, Enoch, Cainan, & Malaleele injunxiſſe, ut cadaveri ſuo darent ſepulturam *in medio terræ*, i. e. in monte Calvariæ non longè à Jeruſalem. Author quidam Mahometanus (c) tradit primum illum mortalium parentem ſupremas Tabulas ſuas deſcribendas atque obſignandas tradidiſſe Angelo Gabrieli, & 60000. Angelis; ita verò confectum inſtrumentum tradidiſſe Seth filio ſuo Patriarchæ.

Ad teſtamentum Noe quod attinet comminiſcuntur (d) virum illum 934. annorum ætate grandævum Orbem univerſum diſtribuiſſe in tres filios ſuos; aſſignatis Cham Nigris, Japhet Rubris, Sem Subnigris; injunxiſſe vero Semo, ut ſecum adſciſceret Melchiſedechum, deferretque feretrum cum cadavere Adami in eum locum, quo deduceretur ab Angelo Domini. Nec Semus mandatis hiſce vel minimùm defuit.

Me-

(a) Vide etiam Fabric. Codic. Pſeudepigraph. V.T.&c. & Cod. Apocryph. N.T. (b) Eſmacim & Eutych. Alex. apud Fabric. apocryph. V. T. t. 2. p. 35. (c) Libr. de generat. Mahomet. apud Sgambat. p. 211.
(d) Georg. Syncell. Abulpharag Dynaſt. p. 9. 10. Eutych. t. 1. Annal. p. 44.

Meminit Lambecius Biblioth. Vindob. cod. 337. Græci manuſcripti, cujus eſt titulus: *Teſtamentum Abraham*; ſed opus eſt æque recentiſſimum & fabuloſum.

In Catalogo Librorum apocryphorum, quos damnavit Gelaſius Papa, legas inter cæteros *Teſtamentum Job*; ſed optima exemplaria pro Job habent Jacob.

Apud S. Athanaſium in Synopſi Sacræ Scripturæ & Veteres alios nonnullos occurrit *Teſtamentum Moyſis*; liber erat autem apocryphus, Sethianorum Hæreticorum impoſtura. D. Gilbertus Gaulminus laudat non ſemel in ſuis animadverſionibus ad Pſellum Græcum quoddam manuſcriptum præfixum titulo *Teſtamenti Salomonis*; ſimul autem monet Opus eſſe infimæ planè notæ à Græculo aliquo receptiori procuſum, cui authoritatis conciliandæ gratia ambitioſus ille titulus præfixus eſt: *Teſtamentum Salomonis*.

TESTAMENTUM DUODECIM PATRIARCHARUM, Græcum opus apocryphum, Authorem referens Judæum aliquem primi vel ſecundi Eccleſiæ ſæculi. Legerat Scriptum illud Origenes, deprehenditque in eo rectum aliquid, quanquam in Canonem Judæorum nunquam relatum eſſet (a). Longa ætate ignotum fuit Viris doctis in Europa & Græcis pariter. Cùm in ejus cognitionem veniſſet Robertus Epiſcopus Lincolnienſis referentem de illo audiens Joannes Baſingeſtker Diaconum Leidenſem, qui Athenis ſtudiorum curriculum confecerat, transferendum Græcum ejus Codicem in Angliam curavit, atque ut Latinis traderet literis operam dedit unà cum Magiſtro Nicola Græco origine, ac Clerico Abbatiæ S. Albani, circa annum 1252. Poſt hæc Græcè vulgatum eſt à D. Grabe in ſuo Spicilegio Patrum, iterumque à D. Fabricio in ſuis Apocryphis Veteris Teſtamenti. Hujus Operis Author ſingularia plurima tradit de vita & obitu duodecim Patriarcharum, quos loquentes, narrantes, ac futura pandentes, ut opportunum arbitratur, inducit. Agit de everſione Jeruſalem, de adventu ac variis rebus geſtis à Meſſia ſicut etiam de Scriptis Evangeliſtarum, & ita agit quomodo Chriſtianum potiùs, quàm Judæum decet; ſed faciIè Judæus erat, qui ad Chriſtiana Sacra tranſlatus gentis ſuæ præjudicia non exuerat.)

TESTIMONIUM. Vox iſta 1. uſurpatur de teſtimonio coram Judice prolato, cùm ſcilicet ad ejus interrogationem affirmando, vel negando teſtis reſpondet. Falſa teſtimonia pluries damnat Sacra Scriptura. Vide *Exod.* 20. 16. & 23. 1.

2. *Teſtimonium* eſt monumentum aliquod. *Tumulus iſte erit teſtis inter me, & te*, *Gen.* 31. 43. 47. hinc tumulo nomen inditum, Teſtimonium. Tribus Iſrael in tranſjordanicis commorantes, Altare quoddam in ripa Jordanis erexerunt, ut monumentum ſtaret perpetuum fœderis eum ſuis fratribus cis jordanicis.

3. *Teſtimonium* eſt ſæpè Lex Domini, quam Deus Iſraelitis tradens, teſtes vocavit prodigia coram ipſis facta, atque fidelitatis ſacramentum ab illis exegit. Porrò teſtimonium genus eſt juramenti. Hinc *Arca teſtimonii* appellatur, quod tabulas Legis contineat; & Tabernaculum teſtimonii, quòd in illo tabulæ Legis eſſent. In Pſal. 118. vox *teſtimonia* pro Lege Domini, pro Divinis prodigiis, Divinisque ad populum ſuum inſtitutionibus uſurpatur.

(Hebræum *Moed* redditur ſæpè à S. Hieronymo *Teſtimonium*; ut in illo: *Tabernaculum teſtimonii*. Reipſa tamen *Moed* ad literæ rigorem ſonat potiùs cœtus, conventio, quòd ſcilicet pro foribus Tabernaculi coacto populo expanderet Moyſes Domini juſſiones.

Teſtimonium eſt etiam interdum laudandi ſignificatio. De Cornelio Centurione ſcriptum eſt Act. 10. 22. *Vir juſtus & timens Deum & teſtimonium habens ab univerſa gente Judæorum*; Et Act 6. 3. habemus: *viros boni teſtimonii ſeptem*, viros omnibus probatos.

Arca fœderis interdum appellata eſt *Teſtamentum* ſine addito, quòd ſcilicet contineret tabulas Legis vel Teſtimonii. In Exodo 16. 34. legitur Aaron poſuiſſe Gomor mannæ plenum in *Teſtimonio*; ita enim eſt in Hebræo, quo loco Vulgata fert in *Tabernaculo*. In 4. Regum 11. 12. liber Legis ſeu volumen quod capiti Regum imponebatur, qua die Regnum adibant, appellatur *Teſtimonium*. *Produxit filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema & teſtimonium*. Iſaiæ 8. 16. eſt *Teſtimonium* ſcriptum quoddam continens oraculum pronunciatum atque deſcriptum juſſu Dei & coram duobus teſtibus. Jubet autem Deus ſcriptum illud ſigillo clauſum conſervari uſque ad certum tempus: *Liga Teſtimonium, ſigna Legem &c.*

In novo Teſtamento *Teſtimonium* perinde eſt ac probitatis alicujus teſtificatio. Joannes Baptiſta venit, *ut teſtimonium perhiberet de lumine Joan.* 1. 8. annunciaturus ſcilicet veniſſe Jeſum, aſſerendumque illum in Meſſiam & Chriſtum: ſi enim de ſeipſo Jeſus teſtimonium perhibuiſſet, *teſtimonium ipſius non fuiſſet verum Joan.* 5. 31. i. e nemo cogitur deferre judicium ſententiæ in cauſa ſua, & dotes ſuas prædicanti, blanditur ille ſibi, ſuoque honori & famæ conſulere voluiſſe præſumitur. Pater cœleſtis, & ipſa Jeſu Chriſti opera, ac tertius accedens Joannes Baptiſta teſtimonium illi reddebant planè certum & inelucabile.)

1. TESTIS, qui teſtimonium perhibet; hinc illud: Vos teſtes eſtis, fidelis, falſus teſtis: Deus mihi teſtis eſt, &c.

(Jubet Lex ne Judicia ſtent unius teſtimonio, ſed duos ſaltem vel tres adhibeant. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit qui interficietur. Nemo occidatur uno dicente contrà ſe teſtimonium. Deut.* 17. 6. 7. Cùm reus aliquis damnabatur morte teſtes omnium primi in illum injiciebant manus; e. g. ſi lapidibus obruendus erat, primum lapidem jaciebant. Falſos teſtes eidem animadverſioni ſubmittit Lex, quam in proximum ſuum procurabant. *Deut.* 19. 16. 17. 18. 19. Docet Jeremias 29. 23. Deum *Judicem* eſſe & *teſtem*; non opperiri nempe illum cognitionem ſupplicium venturum, ut ex delatione teſtium meritum ſingulorum habeat compertum; omnia noſcit abſque eo quod accuſationibus hominum indigeat. Accuſare illos per ſe, & pœnam inferre, ac damnare pariter, quippe qui hominum crimina ſapientia ſua, juſtitia, & immoto omnia penetrante oculo explorat.

Meſſiam teſtis nomine donat Iſaias 55. 4. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus*, miſſus eſt enim ille ad homines teſtimonium redditurus veritati, & revocandis aberrantibus ad vias juſtitiæ ac ſalutis. Dum Ephraim, ait Oſee 11. 12 Deum fallebat, removebatque ſe longè ab ejus cultu, ut tranſiret ad religionem vitulorum aureorum, *Judas teſtis deſcendit cum Deo*. Docent Judæi apud Hieron. in Oſee 12. Tribum Juda & fidei & ſtrenuæ virtutis ſuæ ſpecimen dediſſe inſigne, cùm prima omnium ingreſſa eſt in mare Rubrum, dum cæteræ Tribus pavidæ hærerent & ſuſpenſæ, non audentes diſcrimini ſeſe committere, quanquam animis à Moyſe confirmatæ. Facinus illud Judæ Deus ingenti illo privilegió rependit, largitus ſcilicet illi Regnum ſuper cæteros. Minitatur Malachias 3. 6. perjuris, calumniatoribus, adulteris atque impiis cæteris, denuncians ultionem Domini, ac loquentem Deum ipſum inducit his verbis: *Ero teſtis velox maleficis*; Judex ſit idem ac teſtis, ut ſupra jam demonſtratum eſt. Dictum hoc accipitur de adventu Meſſiæ vel poſtremo Judicio. Jeſus Chriſtus ſimul teſtis & Judex cauſam egit in Judæos pervicaces & incredulos. Vide S. Joannem 16. 8.

Prophetæ teſtes ſunt ejus, quam tenemus, fidei, & Religionis noſtræ aſſeruunt veritatem; *nubem teſtium* appellat illos Apoſtolus Hebr. 12. 1. Sunt etiam Apoſtoli teſtes locupletiſſimi adventus, miſſionis,

(a) Origen. in Joſue n. hom. 15. D. Grabe conjicit Tertullianum etiam illud agnoviſſe, Præfat. in Teſtam. 12. Patriarcharum.

doctrinæ Jeſu Chriſti. *Si Jeſus Chriſtus non reſurrexit nos invenimur falſi teſtes Dei*, Ait Apoſtolus, 1. Cor. 15. 15. *Nos teſtes ſumus omnium quæ fecit Jeſus in Judæa*, ait S. Petrus *Act.* 10. 39. parvo numero, proſequitur ille, ſelegit ſibi in teſtes. Cùm Apoſtolis viſum eſt alterum in locum Judæ ſubſtituere ſtatuerunt ſeligendum eſſe adhuc unum teſtem reſurrectionis Jeſu Chriſti *Act.* 1. 22.)

II. TESTIS, Græcè *Martys*, ſive *Martyr*, quo ſcilicet nomine viros veritati ſanguine, vita, bonisque omnibus teſtimonium reddentes ſignificamus. *Jeſus Chriſtus qui eſt teſtis Fidelis*, *Apoc.* 1. 15. nempè Martyr veritatis, & juſtitiæ. Daturum ſe Deus pollicetur ſpiritum Prophetiæ duobus teſtibus ſuis, nempè ut vulgò creditur, Henoch, & Eliæ, dein ſubjungit neci illos tradendos, eorumque corpora inhumata in forum magnæ Urbis projicienda, quæ ſcilicet urbs ſpirituali ſenſu *Sodoma & Ægyptus* appellatur.

TESTUDO, quadrupedis amphibii nomen, quod & inſtrumentum muſicum, olim ſex, modo undecim fidibus inſtructum ſignificat. Tabula conſtat abiegna ſive cedrina; manubrio in novem ſubſiculares pinnas diſtributo, & jugo inſtrumenti, in quo inſerti pluteri intendendis ad certam armoniam fidibus. Porrò in ima tabula, fulcro fides illæ committuntur, easque ad aliam extremitatem eburneum alterum fulcrum excipit, in ora manubrii, quod inciſionibus nonnullis aſperum eſt. In ventre tabulæ per hiatum quoddam in roſæ modum ſonus reboat. Dextra manu fides pulſantur; ſiniſtra verò in pinnis ludit. *Cythara*, *teſtudo*, *chelis* plerumque pro eodem uſurpantur: ſed Veterum cythara, Hebraicè *Kinnor*, longè alia erat è noſtro inſtrumento (a).

TETRAGRAMMATON, nempè *nomen quatuor literarum*; quod ſæpè nomen Hebræi pro *Jehovah* (illud enim verbis exprimere nefas) pronunciabant. Sacrum igitur nomen reticentibus, *Adonai*, ſive *Elohim*, vel ſaltem *Schem hamphoraſch*, ſcilicet *nomen explicatum*, ejus loco uſurpabatur. Græci libentiùs nomine *Tetragrammaton* utuntur, quo videlicet quatuor literas, quibus ſacrum nomen conſtat, deſignent, nempe Jod, He, Vau, He. Vide *Jehovah*.

(TETRAPLA Origenis. Eo nomine appellavit Origenes adornatam à ſe Bibliorum editionem diſtributam in quatuor columnas è regione poſitas. Singulas haſce columnas tenebant ſingulæ Verſiones, Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Græcum *Tetrapla* ſonat ad literam *quadruplum*, vel ex quatuor partibus coaleſcens.)

TETRARCHA, vox Græca, Principem quartæ partis Regni, Provinciæ &c. deſignans; Principem ſcilicet nullius dominio ſubjectum, quamquam nomen, & inſigne Regis non obtinentem. Porrò nomen illud aliquando in Scriptura occurens (b), in poſteris Herodis Magni, diviſo inter illos ab Imperatoribus Romanis Regno, frequentiſſimum fuit. Quamquam non ita ad literam illud accipiendum eſt ut quartæ tantùm partis Principem deſignet; interdum enim dimidium, ſive tertiam Regni partem obtinens, Tetrarchæ titulum obtinuit. Quandoque etiam Tetrarchis Regis nomen, quemadmodum & *Tetrarchiæ Regni* datum eſt.

I. TEXTUS *Scripturæ*. Eo quandoque nomine literam Scripturæ, ſive illa originalis ſit, ſive tantùm verſio, ut à gloſſa & explicatione diſtinguitur, ſignificatur, Ita dicimus: Textus habet: *Deum pœnituit*, Deus iratus eſt; gloſſa verò, metaphoricè verba illa intelligenda eſſe monet; Deus enim iraſcitur, cùm ita ſe gerit, ac ſi iratus moveretur.

II. *Textus Scripturæ*, prout à Verſionibus diſtinguitur. Textus Hebræus V. T. & Græcus Novi omnium Verſionum fontes habendi ſunt, qui proinde Verſionibus intelligendis conſulendi ſunt.

Textus originalis omnium Librorum V. T. qui in Canone Judæorum continentur, Hebraicum eſſe conſtat. Nonnulli tamen in Canone Eccleſiæ Catholicæ recenſentur Libri V. T. quorum Græcus Textus originalis habetur; uti Sapientia, Eccleſiaſticus, Tobias, Judith, Machabæi, capita 13. & 14. ſicut & c. 3. à verſu 24. uſque ad 91. Danielis; Additiones ad calcem libri Eſther. Tobias, Judith, Eccleſiaſticus, & facilè primus Machabæorum, Syriacè quidem, vel Hebraico, Chaldæo & Syriaco mixto ſermone exarati videntur; ſed cùm Originalia noſtra jam ætate interciderint, ideò Græca vetuſtiſſima Verſio Originalis loco ſucceſſit. An idem Libro Sapientiæ, & ſecundo Machabæorum contigerit, nonniſi temerè aſſirmaremus.

Textus originalis Librorum N. T. Græcus eſt; licèt enim S. Matthæi Evangelium Hebraicè exaratum apertiſſimè conſtet, ſicut & Evangelium S. Marci, utque Apoſtoli ad Romanos Epiſtolam Latinè, & Epiſtolam ad Hebræos Hebraicè ſcriptas quidam ſuſpicentur; cùm tamen & originale Hebræum S. Matthæi nuſpiam extet, & rationibus benè multis cæteros omnes N. T. Libros Græcè exaratos fuiſſe facilè probetur, hinc Græcus Textus originalis habitus eſt.

De Textu Samaritano, vide *Samaritanus*.

Licèt autem originales utriuſque Teſtamenti Textus mendis prorſus non careant, Divina tamen illis authoritas aſſerenda; quæ enim ſive temporis injuria, ſive incuria Amanuenſium in ipſos irrepſerunt menda, tanti profectò momenti non ſunt, ut ſive originales fontes, ſive rei veritatem mendaci narratione corrumpant. Rarò enim, & in rebus parvi momenti contigunt. E. g. mendum irrepſit, ſive in numero annorum, in nomine ſive hominis, ſive urbis &c. Hæc ſanè nullo negotio, ſive conſultis veteribus Mſſ. ſive collatis veteribus Verſionibus, ante corruptionem Textus adornatis, emendantur. Judæos quidem veteres nonnulli Patres de corruptis quibuſdam ſententiis V. T. Jeſu Chriſto apertè faventibus, traduxere (c); ſed objectæ accuſationes malè ab ipſis defenduntur, cùm ſententiæ illæ à Scriptura, uti quidem ferebatur, ſubductæ, facilè in Hebræo nunquam extiterint. Hinc ea opinio hodiè penè apud Criticos obſolevit (d).

THAAN, filius Thale, & pater Laadan, è Tribu Ephraim, 1. *Par.* 7. 25.

I. THABOR, mons Galilææ, Græcis *Itabyrius*, ſive *Atabyrius*. Situs eſt Euſebio in loc. in *Thabor*. in finibus Zabulonis, in media Galilæa, 10. m. paſſibus à Diocæſarea, orientem verſus; fineſque etiam Iſſachar & Nephtali contingit. In finibus Machar à Joſue conſtituitur, *Joſue* 19. 22. Nomen *Thabor* Hebraicè celſitudinem & umbilicum ſonat, cùm mons in medio ampliſſimi agri, ſcilicet vallis Jezraelis, ſive magni Campi, altitudine 30. ſtadiorum, authore Joſepho *de Bello lib.* 4. c. 2. *ſeu* 5. *in Græc.* erigatur. In ejus culmine area eſt, 26. ſtadiorum, mœnibus cincta, atque à ſeptentrione impervia. Eidem vertici urbem inſidere Polybius *lib.* 5. c. 70. eſt author; quod ſanè & à Joſepho inſinuatum videtur, cùm mœnibus ſe cinxiſſe tradat 40. dierum ſpatio verticem Ithabyrii, cujus incolæ nonniſi pluvialibus aquis vivebant. Addidit idem Author, montem illum ſitum eſſe inter magnum Campum, & Scythopolim, quo ſanè magni campi nomine alius planè intelligendus eſt, quàm campus Jezraelis, in cujus medio mons erigebatur; ſermo enim eſt de magno Campo ad radices Carmeli patente (e), qui ad meridiem, orientem, & ſeptentrionem ejus montis protenditur.

Porrò Thabor ſolitarius erigitur, veluti in co- ... num,

(a) Vide noſtr. Diſſert. de Inſtrum. Muſic. Vet. Hebr. ante 2. 1. Comment. in Pſ. (b) Matth. 14. 1. Luc. 3. 19. & 9. 7. Act. 13. 1. (c) Juſtin. Dial. Tertull. de habit. mul. c. 3. Orig. h. 12. in Jerem. & Epiſt. ad Jul. Afric. Chryſoſt. hom. 5. in Matth. Vide & Hieron. in Galat. 3. (d) Vide S. Hier. in Iſa. 6. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 10. Augu. de Civ. Dei l. 15. c. 13. (e) Vide Reland. Palæſt. lib. 1. c. 55. p. 366. 367. &c.

num, in medio patentis campi: *Eſt autem Thabor mons in Galilæa, ſitus in campeſtribus, rotundus atque ſublimis, & ex omni parte finitus æqualiter*, ait S. Hieronymus *in Oſee* 5. Eidem teſtimonio adjiciunt Itinerariorum omnium quorum relatione viſu amœniſſimum montem, virentibus herbis & arboribus veſtitum diſcimus. In vertice verò, addunt, vaſtiſſimus panditur campus, ubi olim urbs, deinde inſigne Monaſterium florebat (a). Hodie tamen prorſus deſertus eſt locus. De Urbe Thaboris lege 1. *Paral.* 6. 77. De amne, cujus fontes ad radices hujus montis in latere orientali, atque inde in Jordanem ad extremitatem lacûs Geneſareth, influente, lege Sanutum (b). Thabor, & Hermon hinc, & inde ad latera oppoſita vallis Jezraelis erigebantur. Porrò Hermon mons erat ad meridiem, ſterilis & deſertus, altus planè a Thabore, fertili illo, & cultoribus frequenti. Duos hoſce montes Pſalmiſta opponit: *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt*, *Pſal.* 88. 13.

Coactis in monte Thabor copiis, Debora, & Barac (c) in Siſaram ad radices ejus montis procurrerunt.

Oſee vitio Principibus Iſraelis, & Sacerdotibus vituli aurei vertit, *quoniam laqueus facti eſſent ſpeculationi* (Hebraicè in Maſpha) *& rete expanſum ſuper Thabor*. Quæ ſanè ad Idola ſive Altaria prophana ibidem erecta, deducendis in ſuperſtitionem populis, ſpectaſſe videntur.

Super eumdem montem occurriſſe credunt nonnulli Melchiſedechum Abrahamo; eaque occaſione oblata ibidem perhibent ſacrificia. Quin & Altare tunc erectum (ut quoque ætate monſtrat Adrichomius) teſtatur. In Hiſtoriis quibuſdam apocryphis (d) legimus, Melchiſedechum ſeptennio in eo monte pœnitentiâ ſe exercuiſſe, quem virum Abrahamus Dei monitu conveniens, Sacra Unctione & benedictione donatus eſt. Sed apage apocrypha.

Cum Joſephus Galilææ præfecturam haberet, verticem Thaboris munitionibus vallavit, ut arcem hoſtibus imperviam ibidem firmaret (e). Sed Veſpaſianus, miſſo Placido ex ducibus ſuis, Judæos ſtratagemate quodam in campum in vertice ejuſdem montis deducens, latè incautos trucidavit.

Traditione plurium retrò ſæculorum receptum eſt, Jeſum Chriſtum S. Petro, S. Jacobo, & S. Joanni in monte Thabor transfiguratum ſe ſpectandum præbuiſſe, *Matth.* 17. 1. *Luc.* 9. 27. &c. Eadem apertis verbis prodit Euſebius *in Pſal.* 88. 13. S. Hieronymus (f), & S. Joannes Damaſcenus *hom. de Transfig.* quin & à pluribus ſæculis vulgò eadem traditio in dubitato recepta eſt. Veruntamen Maldonatus, Ligtfootus, & Relandus *Palæſt. lib.* 1. c. 51. contraria cenſent. Vetus Itinerarium Burdegalenſe montem Olivarum eo ſpectaculo deſignat. Veteres Patres, de Transfiguratione agentes, de monte Thabore ne verbum quidem; nihil etiam apud Evangeliſtas, qui eo itinere Chriſtum deducunt, quo planè receptâ de monte Thabor re opinio non fulciatur (g).

II. THABOR, urbs in vertice Thaboris, quæ Levitis ex familia Merari ceſſit, 1. *Par.* 6. 67. De hac Polybius, & Joſephus, quemadmodum & nos in articulo præcedenti.

III. THABOR. *Quercus Thabor* de qua 1. *Reg.* 10. 3. Alibi ſanè, quàm ad Thaborem in Galilæa ſitam fuiſſe oportet; nec alibi, quàm inter Bethleem, & Bethel. Verti poſſet *Quercus collis*. Nomen etiam *Thabor* appellativo ſenſu pro colle uſurpatum in Hebræo occurrit, *Judic.* 9. 36.

CASALOTH, ſive *Ceſeleth Thabor*, *Joſue* 19. 12. 18. vel *Chaſalus*, quemadmodum Euſebius, & S. Hieronymus legunt, ſita erat ad radices Thabor 10. milliaribus à Diocæſarea orientem verſus.

THACASIN, Urbs Zabulonis, *Joſue* 19. 3. in Textu Hebræo *Itta-Kazim*.

THADAL; Rex Gentium, ſive *Rex Goim*, juxta Hebræum, *Gen.* 14. 1. Regem Galilææ Gentium trans Jordanem; *Matth.* 4. 15. nomen illud deſignare quidam autumarunt. Symmachus vertit: *Rex Pamphiliæ*; Syriacus *Rex Galatarum*. De Rege *Goim* vel *Galgal*, *Joſue* 12. 23. ſive in Galilæa, juxta Septuaginta, ſermo eſt apud Joſue.

THADAMOR, ſive *Thadmor*, urbs à Salomone condita (h); dein *Palmyra*. Vide *Palmyra*.

I. THADDÆUS, cognomen adjectum S. Judæ Apoſtolo, de quo nos v. *Judas*. Ingrati nominis, Judæ nempè, evitandi causâ, interdum, ſuppreſſo nomine Judæ, Thaddæus tantùm appellatur. Non rarò Thaddæo Apoſtolo tribuitur (i), quod nonniſi S. Thaddæo diſcipulo Jeſu Chriſti, de quo ſtatim, convenit.

II. THADDÆUS, ſivè juxta Ruffinum, *Tatæus*, frater, ut vulgò creditur, S. Thomæ Apoſtoli (k), & inter 70. Diſcipulos. Paulò poſt receptum Jeſum Chriſtum in Cœlum, miſſus à S. Thoma, Edeſſam ad Regem Abgarum venit (l), ut promiſſionum Jeſu Chriſti, quibus ſe eidem Regi obſtrinxerat, miſſo ad illum uno ex Diſcipulis ſuis incolumem ex diutino morbo redditurum, fidem liberaret. Ingreſſus igitur Edeſſam, primò apud Tobiam quemdam divertens, prodigiorum gloriâ tum ſibi nomen, tum Jeſu Chriſto clientes comparavit.

De his certior factus Abgarus, ratuſque veniſſe jam tempus, quo Chriſtus promiſſiones ſuas impleret, deduci ſibi virum per Tobiam juſſit. Ut in conſpectum venit, Rex ante ejus pedes provolutus quæſivit, an præſtiturus ſibi ſanitatem adeſſet. Affirmavit Thaddæus, ſimulque incolumitatem fidei illius præmium futuram monens, quæſivit deinde, an in Jeſum Chriſtum, ejuſque Patrem crederet. Nihil cunctatus Rex, credere ſe dixit: tum alter, impoſitis ſuper ægrum manibus, morbum ſtatim omnem ejecit. Tanta deinde vir ille Sanctus prodigiorum gloria tota urbe coruſcavit, ut incolas omnes ad fidem traduceret. Abgarus beneficium acceptum magna ſuri vi rependere conatus eſt, ſed fruſtra, recuſante altero; Qui enim, ait, noſtra omnia abjecimus, quomodo alienis gravabimur? Quæ deinde S. Thaddæo acciderint, omnia latent. Ejus cultus, quòd non ſatis à S. Juda diſtinguatur, partim in Eccleſia alteritur. Feſtum S. Thaddæi, quem Martyrem obiiſſe in Aſia inſinuant, ad diem 11. Maii Latini conſignant; Græci ad 21. Auguſti; eumque in pace Beryti in Phœnicia, poſt initiatos baptiſmo quampluriMos, obiiſſe teſtantur.

I. THAHAT, caſtrametatio Iſraëlitarum in deſerto; ex *Maceloth* enim venerunt *Thahat*; inde *Thare*, *Num.* 33. 26. 27.

II. THAHAT, filius Caath, & pater Urielis, 1. *Par.* 6. 24.

III. THAHAT, filius Bared, & nepos Ephraimi, 1. *Par.* 7. 20.

THA-

(a) Adamnan. lib. 2. De loc. SS. & S. Villibrord. (b) Sanut. ſecret. fidel. Cruc.
(c) Judic. 4. 6. &c. An. M. 2719. ante Chr. 1281. ante Ær. 1285.
(d) Vide apud Athan. Edit. P. Montfauc. Tom. 3. p. 239.
(e) De Bel. lib. 4. cap. 6. An. Ær. 67.
(f) Hieron. in Epitaph. Paulæ, & in Ep. 17. ad Marcellam.
(g) Vide noſt. Comment. in Matth. 17. 1. (h) 3. Reg. 9. 18.
(i) S. Hieron. in Matth. 10. 4. utroſque illos Thaddæos confudiſſe videtur.
(k) Editio Euſebii Genevenſis an. 1612. p. 23. & verſio Latina Muſculi p. 13. legunt, Thaddæum fratrem habuiſſe S. Thomam; ſed pleraque MSſ. ac Verſio Rufini, ſicut & Nicephorus nihil habent de ea re.
(l) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 1. c. 13.

Digitized by Google

THALASSAR, Aſiæ provincia; Rabſaces Pincerna Regis Sennacherib, Ezechiam alloquens, *Iſai.* 37. 12. & 4. *Reg.* 19. 12. nullos eſſe ait Deos gentium, qui *filios Eden, qui erant in Thalaſſar*, ſive *Thelaſſar*, ut in 4. Reg. legimus, è manibus Domini ſui liberaverint. Certus hujus Provinciæ ſitus latet; facilè tamen ad Armeniam, & Meſopotamiam, non longè à fontibus Euphratis, & Tigris, ubi *filiorum Eden* ſedes jacebant.

THALASSA, urbs, ſive portus ad meridiem Inſulæ Cretæ; cujus alterum nomen *Laſſæ*, *Act.* 27. 8.

THALCA, urbs Simeonis, de qua in Hebræo nihil, ſed tantùm apud Septuaginta, *Joſue* 19. 7. Thala nomen eſt loci 16. m. paſſuum ab Eleutheropoli, meridiem verſus, authore Euſebio, & S. Hieronymo.

THALE, filius Reſeph è Tribu Ephraim, & pater Thaan. 1. *Par.* 7. 25.

THALMUD, vide *Talmud.*

THALLUS. *Super-baa, & thallos, qui Templi eſſe videbantur*, 2. *Mach.* 14. 4. Virga eſt virentibus ramis veſtita, vel tantùm ramus olivarum, aut alterius arboris. Inde Thallophori derivati, nempe pueri, vel lenes, ramos illos, ſivè caduceos olivarum ramis veſtitos, in honorem Minervæ, ſive Palladis deferentes.

I. THAMAR, nurus Judæ Patriarchæ, uxor Her, & Onan, & mater Phares, ac Zaræ. In libro Teſtamenti duodecim Patriarcharum legimus, è Meſopotamia illam, & ex patre Aram, nempè ex Syria, originem retuliſſe. Cùm autem ſocrus odiis, uti ibidem legimus, maximè quòd alienigena eſſet, peteretur, eadem ſocru inſtante, virum Her habuit adverſarium. Eo igitur uxorem veluti extraneam habente factum eſt, ut in ultionem ſceleris poſt triduum à nuptiis Angelus Domini virum interficeret. Quidam tamen autumant (a), virum illum nimis uxorem venuſtiſſimam deperientem, nefariam quamdam rationem iniviſſe, ne illa concepto fœtu priſtinam venuſtatem amitteret. In Scriptura tamen nihil de Her legimus, niſi tantùm, virum illum iniquitate ſua Divina in ſe ultione concitata, Deo percutiente, interiiſſe, *Gen.* 38. 7.

Her è viris ſublato, conciliante Juda, Thamar Onan alterum filium ejuſdem Judæ, ut germen fratri ſuſcitaretur, virum accepit. Sed Onan orituros ex eo matrimonio non ſibi, ſed fratri, filios graviter ferens, rationem nefariam ſanè iniit, ne fœtum Thamar conciperet. Par crimen, pari à Deo morte punitum eſt; quare Thamar utroque conjuge viduatam juſſit ſocer, tamdiu in avita domo viduam manere, quoiſque Sela tertius filius adoleſceret; verebatur enim, ne eodem cum fratribus fato puer interiret. Mulier conditioni acquieſcens, diutiùs in paternis ædibus manſit, nihil interim de explendis promiſſionibus Juda cogitante. Poſt aliquos annos, cum Judas una cum Hira Odolamite in Thamnam tondendis ovibus tenderet, Thamar ejus rei certior facta, proſtitutam fœminam ementita, in itinere venientem ſocerum expectavit. Ille fœminam incautus offendens, ratuſque meretricem aliquam, promiſſo hœdo, datiſque in pignus promiſſionis annulo, armilla, & baculo, voluptates ſuas explevit.

Paulò poſt eò referens hœdum, nec fœminam amplius, nec quemquam de illa referentem nactus eſt. Nonnullis tamen elapſis menſibus, concepti fœtus indiciis in fœmina prodeuntibus, obſtrepere ſtatim Judas, ignem minitari; quin & mulier ad ſupplicium ducebatur; cùm ſtatim illa productis annulo, armilla, & baculo, Cum eo, ait, viro concubui, ad quem omnia iſta ſpectant. Tunc Judas crimen ſuum faſſus, omnem in ſe commiſſi inceſtus culpam tranſtulit. Tandem ſuo tempore fœmina geminos fœtus enixa eſt, Pharen, & Zaram (b), ubi nos latiùs in ſuis articulis.

(Author Operis imperfecti in Matthæum hom. 1. tradit matrem Her filii Juda, quippè quæ generis eſſet Chananitici, nunquam adduci potuiſſe, ut probaret nuptias filii ſui cum Thamar fœmina Aramæa vel Syriaca; quare inſtitit apud filium ne ad illam accederet; ſed his ejus conſiliis plus nimio deferens Her, à Deo percuſſus, interiit. Acceſſit ſecundus ad fœminam Onan defuncti frater, ſed intelligens filios, qui ex eo connubio naſcerentur reputandos eſſe filios Her, infando crimine id molitus eſt, ne Thamar unquam evaderet in matrem; quare & ipſe pariter Dei vindicis gladium non evaſit. Thamar igitur poſt duplices nuptias perſeveravit. Sauciatus Judas dolore interitus utriuſque filii, atque nurus ſuæ opprobrio, cujus ignorabat cauſam, perſeveravit diutiùs in luctu & pœnitudinis afflictationibus. Tactus viri miſeratione Deus, quæcumque contigerant omnia illi revelavit, & Judas religione abſterritus eſt, ne duceret in uxorem Thamar, quanquam probè norat nuptias ejus cum utroque filio ſecretioris commercii appendices non retuliſſe.

Teſtamentum duodecim Patriarcharum, unde ex his pleraque deducta ſunt, tradit Onam integro anno perſeveraſſe cum Thamar, nec tamen unquam ſuſtinuiſſe, ut eam in locum noctis haberet. Cùm Judas indignationem ſuam inceſſurum illum minitatus fuiſſet, niſi impleret, quæ officii eſſent maritalis, obſequuturum ſe Patri ſimulavit, ſed id molitus eſt, ne Thamar evaderet in matrem, uti jam ſupra innuimus, qua de cauſa oppreſſus eſt à Deo. Tum Judas conjungere voluit cum Thamar Sela è liberis ſuis tertium, quod tamen ne executioni mandaretur effecit Beſſue, uxor Juda, quæ Selæ tradidit uxorem Chananæam. Altè adeo offenſus eſt ea de re Judas, ut diris devoveret fœminam, quarum vi illa ſtatim oppreſſa periit. Biennio poſt Judas, cum ad greges ſuos paſcendos diverteret, incidit in nurum ſuam Thamar, quæ novam ſponſam & ſplendore veſtium & pellectu ementita, conſtituerat ſe præ foribus Urbis. Obtinebat tunc inter Amorrhæos, ait idem Author, ut novæ nuptæ proſtituerent ſe per ſeptem dies ante fores Urbium. Judas igitur largiori perfuſus vino acceſſit ad illam, nec recognovit. Hactenus de hiſtoria Thamar in libro apocrypho.)

II. THAMAR, filia Davidis, ex Macha, & ſoror Abſalomi, fœmina venuſtate inſignis, quod nimiùm Amnon frater ipſius ſenſit. Sororem ille impotenter deperiens, ægritudine ſimulata patrem rogavit, ut miniſtrari ſibi manibus Thamar permitteret (c). Veniente igitur Thamar, fratri miniſtratura, recedere omnes æger juſſit; tum violentis in illam manibus injectis, vitium invitæ atque reluctanti intulit. Libidine autem expleta, verſo in odium amore, fœminam indignabundus rejecit. Illa conſperſo cinere capite, atque operto manibus vultu, diſſecrata ſimul veſte, ejulans egreſſa eſt, atque fortè Abſalomum ex utroque parente fratrem offendens, omnem doloris ſui cauſam aperuit. Conceptum in fratrem odium alta mente diutiùs Abſalom fovit, ultionem meditans, quam deinde, fratre interfecto, exercuit (d). Vide *Abſalom*, *Amnon*.

III. THAMAR, filia Abſalomi, ſpectatæ venuſtatis fœmina, 2. *Reg.* 14. 27. quam in nonnullis Exemplaribus Græcis, & Latinis, Roboamum Regem Juda duxiſſe, filiumque habuiſſe Abiam ſucceſſorem Roboami legimus. Cùm autem neque in Hebræo, neque in Vulgata quid de additione illa legamus, ideò ſuſpectæ eſt fidei. Roboamum duxiſſe Maacham filiam Abſalomi memoriæ proditum

eſt, 2.

(a) Ita Rabbini. (b) Gen. 38. A. M. 2277. ante Chr. 1725. ante Ær. 1727.
(c) 2. Reg. 13. 1. &c. A. M. 2972. ante Chr. 1028. ante Ær. 1032.
(d) 2. Reg. 13. 28. &c. A. M. 2974. ante Chr. 1030. ante Ær. 1034.

eſt, 3. *Par.* 11. 20. neptem nempe Abſalomi ex Thamar; non rarò enim in Scriptura filiæ pro neptibus habentur.

THAMAR, urbs Judææ, quam veluti terminum meridionalem ejus regionis Ezechiel conſtituiſſe videtur, *Ezech.* 47. 19. & 48. 27. facilè ad angulum meridionalem maris Mortui jacebat. Thamaram diei itinere à Mali, ſive Malatha, Æliam, ſive Jeruſalem versùs, Euſebius *in Thamara* conſtituens, Romanorum præſidio detentam tradit. Ptolomæus, & Tabulæ Peutingeri *Thamar*, ſivè *Thamaram* in Judæa collocant.

THAMMUZ, Vide *Thamus*.

I. THAMNA, urbs illuſtris Palæſtinæ, in via inter Jeruſalem, & Dioſpolim (a), Metropolis Toparchiæ Thamniticæ, ſedente Republica Judæorum celebratiſſimæ regionis.

II. THAMNA, ſivè *Thamnas*, urbs Tribus Juda, *Joſ.* 15. 10. 57. quò tendens Judas cum Thamar, in via inceſtum conſummavit, *Gen.* 38. 13. An eadem cum urbe inter Jeruſalem, & Dioſpolim?

III. THAMNA, ſivè Thamnata, *Judic.* 14. 1. urbs Philiſthæorum, ubi Samſon conjugio copulatus eſt; eadem facilè ac Thamna Judæ, tunc Philiſthæis, à quibus certè non aberat, parens.

THAMNAT-SARA'AC, ſivè *Thamnat-Sare*, urbs Ephraim, mora, & ſepulchro Joſue celebris, *Joſue* 19. 50. & 24. 30.

I. THAMNA, filius Eliphaz, & nepos Eſau, 1. *Par.* 1. 36. Ut autem locus Paralipomenon cum *Gen.* 36. 12. concilietur, Thamnam matrem Amalec, & uxorem Eſau tribuamus oportet.

II. THAMNA, concubina Eſau & mater Amalec, *Gen.* 36. 12. facilè eadem cum *Thamna*, de qua in articulo ſuperiori.

III, THAMNA, Dux, ſive Princeps Idumæorum poſt Adad. 1. *Par.* 1. 51. *Gen.* 36, 40.

THAMUS, ſive *Thammus*, menſis Judæorum, quartus anni ſancti, & decimus anni civilis; lunationis Junii reſpondens. Viginti novem diebus conſtat, quarum decima ſeptima jejunio ſacra eſt, ob impenſum vitulo aureo cultum, atque inflictam ob id à Deo ultionem. *Exod.* 32. Eodem mente memoria recurrit percuſſæ lepra Mariæ ſororis Moyſis in pœnam murmuris in fratrem. *Num.* 12. 1. .... 10.

(Thamus vel *Thamouz*, nomen eſt menſis Julio reſpondentis in calendario Syrorum (b). Exprimunt eo dies æſtatis ferventiores Arabes, Perſæ, & Turcæ. Judæorum Aſtronomi hodie pariter deſignant nomine *Tekupha Thammus*, vel revolutio Thammus, ingreſſum ſolis in ſignum Cancri.)

THAMUZ, ſive *Thammuz*, Idolum Ethnicorum, idem facilè cum Adonide. *Mulieres plangentes Adonidem*: Hebræus, *Plangentes Thammuz* (c). Davidis Kimchi Rabbini fide, Thammuz æneum erat Idolum, cui ſubjecto à cultoribus igne, plumbei oculi liquabantur, ut ſpecimen lugentis exhiberent. Alii tamen Rabbini malunt, Thammuz nomen eſſe Prophetæ Ethnici, qui aureum ſolis ſimulacrum inter Cœlum terramque ſuſpenderat. Cùm autem, inquiunt, Rex Babylonis virum illum neci tradidiſſet, Idola omnia regionis ſimul convenientia, ejus funus ante imaginem illam deflevere. Inde conſtituta ſolemnitas, ſingulis annis ineunte Thammus recurrens, ut luctus ejus Prophetæ innovaretur. Aliis Judæis Thammuz bellina eſt, cui Divini honores à Paganis impenſi. Sed hæc Rabbinica ſunt. S. Hieronymus nomen illud, nec abs re prorſus, uti credimus, Adonidem reddidit (d). Nomen *Ammuz*, idem ac *Thammuz*, *abſtruſum* *abditum* ſonat; Textus autem Hebræi ſyntaxis idem nomen in ſenſu appellativo pluſquam eſſe ſatis inſinuat. Nihil autem *Adonidi* æquè congruit, ac nomen, *abſconditum* ſonans; ejus enim myſteria arcana omnia, & occulta, ejuſque ſimulacro ſarcophago impoſito, veluti defunctum Numen lugebatur: quare *abſconditum* illud jure diceretur. Hinc aliquando *Mortuum* per contemptum à Moyſe appellatum eſt. *Lev.* 19. 27. 28. *Deut.* 1. 1. Vide & *Pſal.* 105. 8. Fœminæ tandem apud Ezechielem lugentes Thammuz inductæ, argumento apud Commentatores pleroſque fuerunt, ut nomen de Adonide dictum explicarent. Vide *Adonis*.

(Mulieres illæ Iſraeliticæ, quas lugentes Thammuz inducit Ezechiel 8. 15. lacrymas hasce ſuas conſecraſſe creduntur eidem Soli, quem viri ibidem apud Ezechielem 15. 16. adorabant. *Converſus videbis abominationes majores his. Et introduxit me in atrium Domus Domini interius;* (vel in atrium Sacerdotum) *& ecce in oſtium Templi Domini inter veſtibulum & Altare, quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum ſolis.*

Nec repugnant iſta opinioni autumantium Thammuz Adonidem deſignare; in Theologia enim Paganorum Adonis ipſe erat & Sol.

Viri illi doctiſſimi, qui gnaviùs inſtruxerunt ſe in vetuſtate prophana ad illuſtrandas Scripturas conferente, animadvertiſſe ſe reputarunt expreſſos in Thammuz Patriarchas Cham, Joſeph, & Moyſem. Opinionis hujus ſuæ ex eo deducunt argumenta, quod inter Thammuz & Cham affinitas ſit nominum & cultus idem utrique impenſus in Ægypto. Quibus ea ſedet opinio Thammuz & Joſephus confundi oportere, animadvertunt Thammuz vel Adonidem ſymbolum eſſe Solis, non ſecus ac Apis & Oſiris; cùm igitur Apis ipſe ſit Patriarcha Joſephus, ad illum pariter referendum eſſe dicunt Adonidem vel Thammuz. Quàm frivola, Deus bone, quàm frigida! Videſis Voſſium *de Idololat.* l. 1. c. 19. *p.* 112.

D. Huetius emeritus Abrincenſis Epiſcopus in demonſtrat. Evangel. Propoſit. 4. c. 4. perſuaſum habuit Thammuz confundendum eſſe cum Moyſe. Statuit illu Regem Ægypti, quo rerum potiente natus eſt Moyſes, appellatum fuiſſe *Thammuz*, vel *Themoſis*; ejus filia Thermuthis, ait, ab aquis ſervato Moyſi patris ſui nomen indidit Thammuz. Indicat poſt hæc characterea ſimilitudinis inter Moyſem & Adonidem. Sed hæc omnia levia ſunt adeò, ut nec expendi mereantur. Religionem Paganam peperit errans hominum phantaſia, direxitque cordis errorem amantia ingenium; fruſtra igitur vel ſyſtematis vel rationis aliquid in ea quæras. Syſtemata omnia Paganicæ hujus Theologiæ ſerò nimis & poſt factum accommodata ſunt, ad amovendam ab eo invidiam probri, abſurdi, & erroris.)

THANAC, urbs dimidiæ Tribus Manaſſis, in tranſjordanica (e), Levitis conceſſa. Ætate Euſebii, & S. Hieronymi, non ignobilis erat locus, 3. m. paſſibus à Legione diſtans.

THANATH, vicus 10. m. paſſuum à Sichem in plaga Jordanis (f). S. Hieronymus *Thanath* appellat; *Thena* etiam Ptolomæo eſt locus in Samaria.

THAPSA, urbs Ephraimitica. Occiſo à Sellum filio Jabes Zacharia Rege Iſraelis, vacuum Regnum Manahemus Dux copiarum ejuſdem Regis occupans (g), cives Thapſæ, quos ſibi reſiſtentes offendit; urbe expugnata, omnes diræ animadverſioni ſubjiciens, nec fœtibus ipſis, diſſecto matrum utero, pepercit (h).

THA-

(a) Euſeb. in Ænan. (b) Bibliot. Orient. pag. 450.
(c) Ezech. 8. 14. Septuag. Τὸν Θαμμοῦζ. Alius Ἀδδωνιάν, abominationes. Alius, Παροργισμούς, irritationes.
(d) Manetho apud Plutarch. de Iſide, & Oſir.
(e) Joſue 21. 25. & 12. 21. Judic. 1. 27.
(f) Euſeb. & S. Hieron. in loc. Hebr.
(g) 4. Reg. 15. 16. 17. A. M. 3233. ante Chr. 767. ante Ær. 771.
(h) Vide Joſeph. Antiq. l. 9. c. 11.

Digitized by Google

THAPSACHUS, urbs florentiſſima ad Euphratis vada, quà à Meſopotamia in Arabiam deſertam, & viciſſim, tranſitus. Non longè aberat à Chaboræ, & Euphratis confluente. Apud veteres Geographos pluriminùm celebratur. Aſſyriæ Reges, cùm in Palæſtinam tenderent, ibi Euphratem tranſgreſſos ex deſcripta ejuſdem itineris ratione intelligimus.

THARA, alter Eunuchorum, qui in Aſſuerum ſecreto conſpirantes, à Mardochæo proditi ſunt *Eſth.* 12. 1.

THARAA, filius Michæ, nepos Jonathæ filii Saulis. 1. *Par.* 8. 15.

THARACA, Rex Æthiopiæ, ſeù potiùs regionis Chus, Palæſtinæ, & Ægypto finitimæ. Cum ille auxiliares copias ad Ezechiam duceret (a), Sennacherib, qui bello Judæos affligens, urbem Lachis premebat, ea de re certior factus, in illum proceſſit. Verùm ſubito Angeli Domini incurſu, ejuſdem Sennacheribi exercitus graviſſima plaga correptus, unius noctis ſpatio 85000. virorum extinctis, diſſipatus eſt. Eam Angeli cædem antequam duo exercitus in conſpectum venirent, contigiſſe facilè credimus. Pro *Tharaca* Strabo *lib.* 1. & 15. habet *Thearcon*, eumdemque Regem ad Europam uſque, & ad Columnas Herculis ditionem ſuam prorogaſſe, idem Scriptor ex Megaſthene narravit.

THARBIS. Eo nomine Reginam illam Æthiopiæ appellant, quam Moyſi conjugem, occaſione ſuſceptæ in Æthiopes expeditionis, & obſeſſæ urbis Meroes, tribuunt (b). Vide *Moyſes*.

THARE, filius Nachoris, & pater alterius Nachoris, Aran, & Abrahami (c). Ætatem agens 130. annorum Abrahamum genuit an. M. 2008. ante Chr. 1992. ante Ær. 1996. quocum deindè ex urbe Chaldæorum ſecedens in Haran Meſopotamiæ venit A. M. 2083. ubi 205. annorum grandævus diem clauſit (d).

Numinum cultui alienum illum addictum fuiſſe ex Scripturis liquidò intelligimus: *Joſue* 24. 2. *Thare pater Abraham, & Nachor ſervierunt Diis alienis*. Paterna etiam ſuperſtitione primùm implicatum fuiſſe Abrahamum quidam ſuſpicantur, ſed Divina tandem luce affulgente, & ipſum ſe in viam rectam, & patrem etiam Thara remiſiſſe (e).

Arabes, & Turcæ patrem Abrahæ tribuunt Azar, avum verò Thara (f). *Azores*, *Abraham*, & *Iſrael* Reges Damaſci ordine ſuccedentes, apud Juſtinum l. 36. leguntur. Abrahamum ex Idololatria ad ſanam religionem patrem ſuum Thare adduxiſſe Suidas in Abraham teſtatur; addit Syncellus Chronic. eumdem Abrahamum domeſticos lares in ignem conjeciſſe, conantemque flammas extinguere Aran, igne correptum periiſſe. Cùm vero, ait, Thare in Haran veniſſet, priſtina ſuperſtitione, quam antea ejuraverat, implicatus eſt, eique ad obitum uſque inhæſit.

De hoc viro tradunt Judæi (g), non Idololatriam tantùm coluiſſe, ſed & Idola fabricatum, quæ dein pretio vendebat. Accidit interim, ut Thare peregrè proficiſcens, merces illas ſuas Abrahamo commiſiſſet. Ille, de Idolorum vanitate jam antea perſuaſus, emptores, ſi qui veniſſent, interrogandos ſuſcepit, ecquam ſinguli annorum agerent ætatem? Suam autem illis ætatem prodentibus, ſtatim Abraham: Quod, ait, emere vobis ad cultum Numen ſtudetis, multò illud vobis ætate eſt imbecillius; quippè quod ante unam vel alteram diem ſub materia conſtructum fuerit. Quare, addebat, me authore, hanc vanitatem abjicite. Ita emptores rubore ſuffuſi, vacui redibant. Venit inter cæteros vetula quædam mulier, libamen deferens Laribus ejuſdem officinæ; qua viſa adeo excanduit Abrahamus, ut abreptum baculum in ſimulachra illa impingens, omnia confregerit. Simulachro tamen omnium maximo parcens, baculum in ejus manibus poſuit. Interim regreſſus Thare, atque Larium ſtragem intuens, Abrahamum, quid ejus rei in cauſa fuiſſet, requiſivit. Ille ſtatim veniſſe ait quemdam, libamen Laribus illis offerentem; cùm autem ſuper ea re obortum eſſet inter Numina diſſidium, omnium maximum Numen abrepto baculo cætera in ordinem redegiſſe. Ea fabella invidiam in ſuperſtitionem Idolorum excitari à filio facilè pater intellexit; quare coram Rege Nemrod Abrahamum, tanquam Idolorum contemptorem, accuſavit. Nec mora: ſtatim Abraham igne damnatus, divino tamen prodigio illæſus ſervatus eſt. Apage fabulas.

(Orientalibus ſanè multis ea ſedit perſuaſio Azor ipſum eſſe Thare, patrem Abrahami. Hunc virum Perſæ & Turcæ appellant *Pour-Touſch*, h. e. ſculptorem Idolorum; receptum eſt traditione apud Muſulmanos, non Idolis tantùm addictum fuiſſe hominem, ſed & illa fabricaſſe & vendidiſſe, qua de re inter ipſum & Abrahamum ejus filium magnæ plures concertationes ſubortæ ſant, ac tandem factum eſt ut pater filium accuſaret apud Nemrodum, eoque mandante fornacem ardentem ſubire filius cogeretur.)

THARE, caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto, media inter caſtrametationem Tahat, & Metca. *Num.* 33. 27. *Thana* Ptolomæo urbs eſt in Arabia Petræa; & *Tharabaſa* apud Joſephum (h) urbs appellatur, quam pulſis Arabibus Judæi ſubegerunt.

THARELA, urbs Benjamitica. *Joſue* 18. 27.

THARGUM. Vide *Targum*.

THARICHÆA. Vide *Tarichea*.

THARSÆAS, pater Apollonii Præfecti Cœle-Syriæ. 2. *Mach.* 3. 5.

I. THARSIS, alter filius Javan, *Gen.* 10. 4. quem Tharſum Ciliciæ condidiſſe, ſuoque nomine totam provinciam appellaſſe, credimus.

II. THARSIS, filius Balan, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 7. 10.

III. THARSIS, inter primores Satrapas Perſarum, favore Aſſueri pollens. *Eſth.* 1. 14.

THARSIS, Regio, quò Salomon claſſes ſuas mittebat. 3. *Reg.* 10. 22. & 2. *Par.* 9. 21. Quam autem potiſſimùm regionem nomen illud deſignet, varii varia ſentiunt. Joſephus, Paraphraſtes Chaldæus, & Arabs de Tharſo urbe Ciliciæ explicant. Septuaginta, & S. Hieronymus de Carthagine. Hiſpaniam è Tharſis Euſebius derivat. Geographus Arabs eo nomine deſignatum Tunetum in Africa credit; & Bochartus Tarteſſum, Inſulam in faucibus Gadium maluit. Clericus pro Thaſo Inſula, & urbe maris Ægæi contendit. Nomen *Tharſis* ad totum Oceanum ex urbe florentiſſima Tarteſſo propagatum fuiſſe Grotius ſuſpicatur. Mare univerſum deſignari Sanctius autumavit; quare, eo authore, naves Tharſis, naves ſunt, quarum uſus in maritimis itineribus, ad lemborum diſtinctionem, quibus fluenta & amnes trajiciuntur. Sanè Tharſis interdum mare redditur apud Septuaginta; atque in Scriptura navium Tharſis nomine æque deſignantur claſſes illæ, quæ ex Aſiongaber ad mare Rubrum ſolvebant, Oceanum petituræ; & quæ in Joppe, & in portibus Mediterranei conſtruebantur. Nobis planè nulla alia occurrit ratio, ut varia Scripturæ loca conciliemus, in quibus de navibus Tharſis ſermo.

Nomen enim Tharſis non obſcurè quidem urbem Thar-

(a) 4. Reg. 19. 9. A. M. 3291. ante Chr. 709. ante Ær. 713. (b) Antiq. l. 2. c. 5.
(c) Gen. 11. 31. 32. Natus A. M. 1878. ante Chr. 2122. ante Ær. 2126.
(d) Gen. 11. 31. 32. A. M. 2083. ante Chr. 1917. ante Ær. 1921.
(e) Vide noſt. Comment. in Gen. 11. 32. & Judith. 5. 7. & Iſa. 43. 25.
(f) Biblioth. Orient.
(g) Vagenſeil. in Sota, p. 192. ex Schalſcheles Hakkabala p. 8.
(h) Antiq. l. 14. c. 14. c. 2.

Tharſum, & Ciliciam deſignat; naves verò Tharſis, ſive in Tharſis petituræ, inſtruebantur in iis etiam locis, unde iter Tharſum Ciliciæ inſtituendum commoda planè ratione videbatur. Ita e. g. Holofernes Ciliciam petiiſſe, *omneſque filios Tharſis* diripuiſſe legitur, *Judith.* 2. 12. 13. Jonas à facie Domini fugiens, navigium in Joppe conſcendens, Tharſum (nempè, uti quidem credimus, Ciliciæ) iter direxit. Inter naves mercibus onuſtas ad emporium Tyri confluentes, naves Tharſis ab Iſaia 23. 1. 14. & 60. 19. & Ezechiele 27. 12. 25. & 38. 13. memorantur. Porrò è Cilicia pervium erat ad urbem Tyri iter, neque Oceanus ob eam rem adnavigandus videbatur. Tandem apud Pſalmiſtam, Reges Tharſis, & Inſularum una memorantur: *Reges Tharſis, & Inſulæ.* Pſalm. 71. 10. Inſularum autem nomen apud Hebræos de Inſulis Mediterranei, locisque maritimis, quæ maritimo itinere peti ſolerent, apud Hebræos uſurpatur.

Ex his planè intelligimus, regionem Tharſis ad Mediterraneum ſitam, & fortè in Ciliciæ ditione fuiſſe. Cùm igitur claſſes inſtruuntur in Tharſis ituræ, in Mari Rubro, & in Aſiongaber, vel duas eſſe Regiones cognómines, alteram ad Oceanum, aliam ad Mediterraneum, fateamur oportet (quod tamen minùs probamus) ſive nomen navium Tharſis nihil aliud deſignaſſe credendum eſt, quàm naves ad longa itinera inſtructas, ut à lymbis diſtinguuntur. Vide Noſt. Comment. in Gen. 10. 4.

THARSUS. Vide *Tarſus.*

THARTHAC, Numen Hevæorum; 4. *Reg.* 17. 31. cui Rabbini aſini figuram attribuunt. Si quis pro *Tharthac* pronunciaverit *Sarſac*, ſtatim ſub eo nomine Deum Seſac latere intelliget. Porrò de Deo Seſac pluries Jeremias 25. 26. & 51. 40. & ludi Saceæ ſive Saceæ apud Ethnicos commemorantur (a).

THARTHAN, ſive *Thaudthan*, vel *Thathanai*, Præfectus, qui unà cum Rabſace à Rege Sennacheribo, cum Ezechia collocuturus, miſſus eſt (b). Porrò nomen illud reddi poteſt: Qui muneribus, ſive tributis præeſt.

THASI; cognomen Simonis Machabæi, ſive Mattathiæ. 1. *Mach.* 2. 3.

THATHANAI; Præfectus Samariæ, & Provinciarum cis Jordanem, qui Judæis in ædificatione Templi, & mœnium Jeroſolymis adverſarium ſe præbuit. Datis tamen ea de re ab ipſo ad Darium Regem Perſarum literis, pro Judæis reſcriptum datum eſt (c).

THAU; poſtrema Alphabeti Hebraici litera, cujus olim forma X. ſive crucem exhibuiſſe creditur (d). Nec planè ab ea opinione abludunt nummi Samaritani, ac vetera quædam monumenta, (e) in quibus eadem litera ad formam X. ſive Crucis accedit. Plerique etiam Interpretes locum illum Ezechielis 9. 4. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium*, ita explicant, ut in frontibus illorum literam Thau, ſive formam Crucis inſcribendam credant; ſed cur *Thau* potiùs, quàm alia quæcumque litera illorum frontibus inſcribenda? Ideò potiſſimùm, inquiunt nonnulli, quòd prima ſit litera vocis *Thorah*, quæ Legem ſonat. Septuaginta legunt tantùm: *Signa ſuper frontes virorum gementium* (f).

Origenes in fragmento, in nova Editione Hexaplorum vulgato, teſtatur, Aquilam, & Theodotionem paria cum Vulgata legiſſe. Verùm S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Euſebius Cæſarienſis, atque cæteri Græcorum, Septuaginta ſecuti, de ſigno quocumque in fronte gementium inſcripto, verba illa intelligunt; quo nimirum ſigno à cæteris neci deſtinatis diſtinguerentur. Patres etiam Latini Editione S. Hieronymi vetuſtiores, eandem lectionem ac Septuaginta exhibentes, literam Thau, ſive Crucem aliquam nunquam frontibus illorum virorum inſcribendam prodiderunt (g).

(Jam inde à longiſſima ætate accuſantur Samaritani de ſubductis dolo malo tribus elementaribus literis; ſed tandem æquius de illis ſentiri cœptum eſt, ex quo licuit inſpici eorum manuſcripta & veteres nummos cuſos in Phœnicia, regione illis finitima. Vitio illis vertitur tantùm, immutata figura literæ *Thau*, quam olim crucem retuliſſe Origenes, quique illum ſecuti ſunt Patres affirmarunt. S. Hieronymus, cui vetera exemplaria Pentateuchi Samaritani ſuppetere poterant, affirmat pariter literam *Thau* crucem retuliſſe (h). Convenit autem inter omnes literæ hujus hodie aliam eſſe figuram; & ex nummis intelligimus Thau reipſa olim crucis lineamenta aliqua prætetuliſſe. Sed nunquid hæc in caſum referenda ſunt, vel in longiſſimi temporis vices, aut potiùs onerandi ſunt ea culpa Samaritani, qui ſubducere voluerint nobis argumentum pro adſtruendo myſterio crucis in Libro Ezechielis conſecrato? Nihil in ea re mihi quidem aſſerendum ſuſciperem; illud conſtat, mutationes haſce characterum, niſi conſilium & meditatio acceſſerit, infrequentes accidere. Facta veterum litterarum Samaritanarum cum recentioribus collatione, intelligimus diſcrimen inter utrumque Thau antiquum ac novum majus eſſe, quam inter reliquas ejuſdem alphabeti literas veteres cum recentioribus comparatas. Vide noſtram Diſſertationem an Eſdras immutaverit veteres Hebræorum characteres, præfixam Commentario in Eſdram.)

THEATRUM, locus publicis ſpectaculis exhibendis deſtinatus. In formam hemicycli theatrum conſtituebatur, ubi ſpectatores aſſidentes, ludos in ſcena è regione patenti ſpectabant; orcheſtram inſtrumentis canentes implebant. Vide tamen hæc omnia fuſius apud Authores de Antiquitatibus Romanorum agentes. Nomen theatri ſemel tantùm in Scriptura occurrit, cùm nempè Demetrius argentarius ſeditionem Epheſi concitavit an. Ær. 57. *Act.* 19. 29. *Et impleta eſt civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gajo, & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli.*

THEBAT, urbs Syriæ capta, & direpta à Davide (i). Thebes in Syria apud Stephanum Geographum mentio occurrit. Urbi *Thebat* aliud fuiſſe nomen *Bethach*, ſive *Bete* videtur. 2. *Reg.* 8. 7.

THEBES, urbs Ephraim, in cujus obſidione Abimelech filius Gedeonis interemptus eſt (k). Ejuſdem nominis vicus eſt 13. m. paſſuum à Sichem, Scythopolim verſus apud Euſebium.

THEBÆ, urbs florentiſſima in ſuperiori Ægypto, & Metropolis Thebaidis, cujus nomen in Textu Vulgatæ nuſpiam legitur, priſtinamque ejus appellationem apud veteres Hebræos ignoramus. Bochartus *Phaleg.* l. 4. c. 27. autumavit, ipſiſſimam eſſe urbem No-Ammon, de qua ſæpe in Prophetis (l); ſed illam vulgò cum Alexandria confundunt;

nos

(a) Athenæ l. 4. c. 10. Dio. Chryſoſt. Orat. 4. de Regno. Vide & Noſtr. Comment. in Jerem.
(b) 4. Reg. 18. 17. Tharran. 1. Eſdr. 5. 3. 6. & 6. 6. 13. Thathanai. Ita Iſa. 20. 10. Septuag. Tanathan.
(c) 1. Eſdr. 5. & 6. A. M. 3485. ante Chr. 515. ante Ær. 519.
(d) Ita quidam Judæi ad Ch. converſi apud Orig. Hier. Sanct. Prado &c. in Ezec. 9.
(e) V. Palæograph. Græc. D. Bernar. de Montfauc. l. 2. c. 1.
(f) 70. Δὸς τὸ σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα. Et ita Aqu. Symmach. apud Hieron. in Ezech. ſicut & Chaldæus, & Syriacus.
(g) Vide Interpp. in Ezech. 9. 4.
(h) Hieronym. quæſt. Hebraic. in Geneſ. c. 4. & in Ezechiel. c. 9.
(i) 1. Par. 18. 8. A. M. 2960. ante Chr. 1040. ante Ær. 1044.
(k) Judic. 9. 50. &c. A. M. 2771. ante Chr. 1229. ante Ær. 1233.
(l) Ezech. 30. 14. Nahum 3. 8. Jerem. 46. 25.

pos vero ad Dioſpolim in Ægypto inferiori referendam in Commentariis in Nahum contendimus.

(His potiſſimùm rationibus perſuaderi poſſet Urbs Thebarum celebris illa centum portis ſuis, Homero commendata, deſignari in Scriptura (a) nomine *No*, vel *Ammono*, vel *No-Ammon*, & in Vulgata nomine *Alexandria*. Deſcribit Nahum ſitum *No-Ammon* vel *No* incolis frequentatæ, magnæ. Eſt No ſedes, & Hammon turbæ populorum, vel incolarum frequentia. Ambigerem ego, num defendi poſſet etymon deducens No-Ammon ex Cham, ac ſi diceretur commoratio Cham, vel Ammon; nunquam enim Hebræus nomen aliud ſcribit cum *Heth*, vel *Cheth*; ſed tantùm cum *Aleph*, vel *He*.

Igitur ſitum No Ammon ita deſcribit Nahum Propheta: *Habitat in fluminibus, aqua in circuitu ejus, cujus divitiæ mare; aquæ muri ejus.* Thebarum Urbs Metropolis Thebaidis adjacet ad Nilum, qui ſæpè amnis in plures ramos & canales diſcurrens, ſæpè plurali nomine expreſſus eſt. Urbs vaſta adeò, qualis Thebarum, dicitur, girans 400. ſtadiis (b) nempè 13. leucis, vel 40 mille paſſibus, in quam exponebant centum portæ frequentatiſſimæ, claudens non populum, ſed nationem; perluebatur quidem, uti credere par eſt, canalibus de induſtria ductis, cùm aquæ Nili, inferius ab illa defluentes, nonniſi arte coactæ latè per compita ipſius omnia & agros ſeſe diffudiſſent. Perſuadentur hæc facilè iis, qui norunt Ægypti & veterum Ægyptiorum diſpoſitiones.

Addit Nahum: *Cujus divitiæ mare.* Remotiſſima eſt quidem à mare Urbs Thebarum, ſed fortè commercia detinebat in Mediterraneo, tranſvehens merces ſuas in mare illud per Nilum, & è mari viciſſim per Nilum recipiens onuſtas mercibus, ex lateribus Mediterranei devectis, naves. Conſtat inſuper *maris* ſæpè nomine deſignari apud Authores ſacros ingentes amnes, & maximè Nilum & Euphratem, quod à nobis ſuprà v. *Mare*, allatis documentis probatum eſt.

Thebarum Urbem nomine Dioſpolis, i. e. Urbis Jovis, donatam fuiſſe à Græcis affirmat Diodorus Syculus l. 1. eadem appellatione nuncupant Septuaginta in Ezechielis 30. 14. 16. Sed nomen iſtud Dioſpolis, cum Authoribus Sacris comparatum, eſt recentiſſimum; datum eſt enim primò Urbi à Græcis poſt expeditiones Alexandri Magni. Vetus Urbs Thebarum in deſolationem & everſionem redacta fuit juxta fidem Oraculorum Propheticorum, quæ jam laudavimus. Sed non longe ab illa condita eſt Urbs Dioſpolis ſeu novæ Thebæ, quam Urbem diripuit, evertitque Cornelius Gallus. Videſis Strabonem l. 17. D. D'Herbelot in ſua Bibliotecha Orientali p. 174. reputat Urbem *Coſs* in ſuperiori Thebaide, & ad ripam Nili ipſiſſimam eſſe veterem & inclitam Thebem. Thebais eſt tota trifariam diviſa, in ſuperiorem, mediam, & inferiorem. Ad ſuperiorem pertinent Urbes *Aſoüan* alio nomine Siene, *Aſna*, *Coos*, Kiphe, quæ vetus eſt *Coptos*, & *Akſur*. Porrò Coos Urbem eſſe omnium, quotquot in Ægypto, ampliſſimam, & Magno Cairo ſecundam affirmat *Abdelmoal* Geographus Arabs.)

THEBET, ſive *Thevet*, menſis Hebræorum, decimus anni Sancti, & quartus civilis, lunationi Decembris reſpondens.

THEBNI, filius *Gineth*, Amri in Regno Iſraelitarum potiundo æmulus; 3. *Reg.* 16. 21. ſed Amri, relata de adverſario victoria, cauſam vicit. Porrò quo genere mortis Thebni obierit, incertum, facilè tamen in eodem prælio A. M. 3079. ante Chr. 921. ante Ær. 925.

THECEL, ſive *Thechel*, ideſt, appendit. Vox illa una fuit ex tribus, quæ ſubitò ſcriptæ, dum Balthaſar impium convivium celebrabat, in pariete apparuerunt. Voluit autem Deus ea voce inſinuare, omnia ſe ejuſdem Principis geſta in lance appendiſſe, atque inania deprehendiſſe. *Dan.* 5. 25. Vide *Balthaſar*, *Daniel*.

THECUE, ſive *Thecua*, urbs Tribus Juda, 2. *Par.* 11. 6. cujus nomen in Græco quidem, non in Hebræo *Joſue* 15. 60. legitur. Duodecim m. paſſuum à Jeroſolyma, meridiem verſus, ab Euſebio, & S. Hieronymo collocatur; alibi tamen idem S. Hieronymus 6. m. paſſibus à Bethleem, meridiem verſus, illam amovet (c). Urbs illa montibus inſidens, poſtremus erat ejus lateris locus, uſque ad Mare Rubrum. Urbem Thecue proximè ſitam fuiſſe arci *Herodio* Joſephus *de Bel.* *l.* 5. *c* 7. teſtatur. Deſertum Thecue occurrit 2. *Par.* 20. 20. quod non longè à mari Mortuo patebat. 1. *Mach.* 9. 4.

THECUE, pater Sellum. 2. *Par.* 34. 22. an fortè urbs, patria Sellum?

THEGLATPHALASSAR, Rex Aſſyriæ, filius, & ſucceſſor Sardanapali (d), apud Phrophanos pleriſque *Ninus Junior*; apud Aelianum *hiſt. anim.* *l.* 12. *c.* 12. *Thilgam*; in Scriptura, *Thelgathphalnaſar*, 1. *Par.* 5. 6. & 2. *Par.* 26. 20. ſive *Teglatphalaſar*, ſive *Theglatphalaſſar* 4. *Reg.* 15. 29. & 16. appellatus. Poſt divulſum à *Beleſi*, & *Arbace* Regnum Aſſyriæ, ipſe Regnum illud reſtituens, diutiùs imperavit.

Cùm Achaz Rex Juda copiis Raaſin Regis Syriæ, & Phacee Regis Iſraelis premeretur, tantique hoſtibus imparem ſe noſceret (e), miſſis ad Theglatphalaſſar legatis, ut ſibi contra Reges Syriæ, & Samariæ ſuppetias ferret, etiam atque etiam rogavit. Ejus precibus, ſimulque miſſis auri, & argenti Regiis, & ſacris Theſauris, Rex adductus, contra Razin expeditione ſuſcepta Damaſcum evertit, Regem occidit, ſimulque incolas omnes trans amnem Cyrum traduxit. In occurſum regis Damaſcum uſque Achaz proceſſit. Verùm Theglatphalaſſar derivatis in ſe Judææ theſauris minimè ſatisfactus, ejus fines ingreſſus, regionem latè nullo ſibi obſiſtente excurrit. 2. *Par.* 28. 20. 21. Idem illatum excidium in regiones Samariæ, cujus incolas Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe, in Laheſam, Habor, & Aram ad fluvium Gozan traduxit. 2. *Par.* 5. 26. Captæ etiam urbes, Ajon, Abel-beth-Maca, Janoe, Cedes, Azor; capta etiam Regio Galilææ, Galaad, & Nephtali, omneſque earum incolæ in Aſſyriam tranſlati. 4. *Reg.* 15. 29. Tandem poſt exactos Ninive 19. Regni annos, fato cedens, Salmanaſſarem ſucceſſorem reliquit (f).

THEHEN, filius Ephraim, author familiæ *Thehenitarum*. *Num.* 26. 35.

THELASSAR, provincia Aſſyriæ. V. *Thalaſſar*.

THELATPHALNASARG. Vide *Theglatphalaſſar*.

THELHARSA, an eandem cum *Thelaſſar*, ſive *Thalaſſar*? Hujus regionis cives cum Zorobabele reduces (g), nunquam ſe, productis Genealogiis, è genere Iſraelis probare valuerunt.

THELLA, vicus ad Jordanem, ad extremitatem ejuſdem amnis, oppoſitam Meroth (h).

THELMA, cujus loci incolæ cum Zorobabele redu-

(a) Nahum 3. 8. *No Ammon* Jerem. 46. 25. *Ammon No*. In Ezech. 34. 14. & 16. tantùm appellata eſt *No*, & y. 15. *Hamono No*.

(b) Caro apud Stephan. Bizant. Euſtathius aſſignat 420. ſtadia. Comment. in Nannium. Diodorus Siculus l. 1. 140. aſſignat, ſed ille tantùm de nova Thebe ſive Dioſpoli loquitur.

(c) Vide ejus Proleg. in Amos.

(d) Regnum Ninive inivit A. M. 3257. ante Ch. 743. ante Ær. 747.

(e) 4. Reg. 16. 7. &c. A. M. 3264. ante Ch. 736. ante Ær. 740.

(f) A. M. 3276. ante Ch. 724. ante Ær. 728.

(g) 1. Eſdr. 2. 59. A. M. 3468. ante Ch. 532. ante Ær. 536.

(h) De Bello, l. 3. c. 2.

reduces, nunquam ſe è genere Iſraelis derivatos probarunt (a). Hujus loci ſitus latet.

THEMA, filius Iſmaelis, pater, uti creditur, civium *Thema* in Arabia deſerta. *Gen.* 25. 15. De turmis *Thema, & Saba*, iter agentibus, ſermo eſt apud Job 6. 16. *Themma* ſive *Thamma* apud Ptolemæum urbs eſt in Arabia Deſerta, ad Montes Chaldæos.

THEMAN, filius *Elipha*, & nepos Eſau. *Gen.* 36. 15. Inter Reges Idumææ accenſetur Huſam *de terra Themanorum*. *Ibid. verſ.* 34. Idem nomen Theman legimus apud Jeremiam 49. 7. 20. & Amos 1. 11. 12. nomen eſt etiam loci in Arabia Petræa, ait Euſebius *in Thaiman*. 5. m. paſſibus à Petra, qui præſidio Romanorum tenebatur.

THEMANI, filius Aſſur ex Naara. 1. *Par.* 4. 6.

THENAC-SELO. Vide *Thaanac*.

THEOCRATIA, quo nomine Joſephus contra Appion. l. 2. politiæ Judæorum formam deſignavit. Inter varias, ait, gentes varia politiæ ratio introducta eſt; alii enim Monarchiam; alii Democratiam ſelegerunt; Legiſlator verò noſter longè aliam à cæteris viam iniens, *Theocratiam*, ſi ità loqui fas eſt, inſtituit; qua ſcilicet omnis in populum noſtrum poteſtas, & imperium in Deum unum reducitur; eo documento inſinuans, Deum eſſe, qui omnia luſtrat, atque uni illi bona omnia noſtra accepto referri debere.

(Politicum Judæorum regimen, quod Joſephus Theocratiam appellat, vices paſſum eſt frequentiſſimas. Rempublicam rexerunt illam alter poſt alterum primus omnium Moyſes Legiſlator, tum Joſue ejus ſucceſſor, dein Judices, Reges & Summi Sacerdotes. Inter varios hoſce Reipublicæ ſtatus reipſa quidem ſemper Deus habitus eſt tanquam ſummus Iſraelis Princeps & Imperator; ſed à vero longiſſimè aberraret qui crederet eamdem ſemper illi aſſertam fuiſſe authoritatem, & idem imperium reſervatum.

Sub Moyſe ipſe per ſe, ferè dicam, de rebus omnibus diſponebat; in ſingulis rerum eventibus quid decerneret indicabat huic Legiſlatori; habitabat in medio populi ſui tanquam Rex in urbe Metropoli, & Imperator in caſtris, paratus ſemper conſulentibus reſpondere, reducere in ordinem prævaricatores Legum, inſtruere illos, qui in juſſionibus à ſe datis aliquid haberent ambiguum, ac tandem incertos nutanteſque, cum ſummi momenti aliquid ſuſcipiendum eſſet, determinabat. Is erat florens Theocratiæ ſtatus, cùm ſcilicet illa vim totam ſui nominis expandit.

Parùm huic quidem deceſſit, cùm Joſue ad Reipublicæ clavum admotus eſt. Vir ille ſummus, transfuſum gerens in ſe ſpiritum Moyſis, nihil agebat inconſulto Deo; vel ſaltem majoris momenti præſtabat omnia ad ejus nutum; & ſi quid interdum egit ad arbitrium, uti in Gabaonitarum conventione illa, & in expeditione in Hain, ſcimus utique quanta indignationis ſuæ argumenta exhibuerit tunc Deus, coegeritque ad obedientiam & Ducem & populum. Per auream verò illam ætatem, qua Dei imperio regebantur & Dux & milites, victoria & proſperitas eventuum ſub Iſraelis ſignis militabat. Fidem morigeræ juſſionibus ſuis gentis repenſabat Deus prodigiorum non interrupta ſerie, qua ſimul & amoris & ſpecialis in eam curæ argumenta præbebat.

Qui poſt Joſue ſucceſſerunt Judices totidem erant Heroes, quos per intervalla mittebat Deus oppreſſæ gentis liberatores, quam in rem illos inſigni armatos robore ſpiritu aſſlans ſuo comparabat, iiſque velut inſtrumentis mira ſimul & magna Judæorum favore præſtabat. Modò integra defluebat generatio ſine Judicibus, uti poſt Joſue contigiſſe certum eſt; modò breviori temporum interſtitio diſtinguebantur; interdum pro viris ſurgebant ad judicandum & liberandum populum fœminæ, uti Debora. Judicum ſæpè virtus exerebatur tota in excutiendo jugo unius Tribus, ſæpè tandem univerſæ gentis res proſtratas relevabant. Quæ crebrò per hæc tempora recurrebant ſervitutes, non ſemper univerſam latè gentem premebant. Ex illis quædam intra fines Transjordanicos continebantur, de cujus ſervitutis genere Judæos exemit Jephte; quædam pariter & eis amnem prorogabantur; aliæ tandem magis latè, aliæ minus oppreſſionem diffundebant. Omnes tamen juſtiſſimæ erant pœnæ de ſceleribus Iſraelis exactæ, Iſraelis ſcilicet, quem Deus expertum intelligere volebat; quid eſſet diſcriminis inter Patris charitatem, ac Dei mite imperium gerentis clementiam, cum ſæva & immiti tyrannide triumphatoris, qui cogit in ſervitutem.

Primum illud conſilium, quod tunc cœptum eſt ab Iſraelitis, cùm poſt plures ab obitu Joſue annos ſub Chananæorum jugo gemebant oppreſſi *Judic.* 1. 2. 10. ſub oculis ponit quæ regimini formæ per eam ætatem obtineret: *Conſuluerunt Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitque Dominus: Judas aſcendet; ecce tradidi terram in manus ejus. Judic.* 1. 1. Habes hic expreſſam vivam Theocratiæ imaginem, & exercitium illud authoritatis in Deo deſignante belli Imperatorem, qui ſuo nomine ſuſciperet ac gereret expeditionem. Ita pariter & Judices omnes, data proportione, miſſionem ſuam & authoritatem ab illo acceptam receperunt. Cùm Iſraelitæ Regiam authoritatem conferre volebant in Gedeonem ejuſque ſucceſſores, ita reſpondentem illum inducit Liber Judicum 8. 22. 23. *Non dominabor, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.*

Cùm Iſraelitæ dari ſibi Regem, quemadmodum & reliquæ finitimæ nationes, poſtularent à Samuele, graviter id tulit Propheta, ratus id futurum Deo, qui peculiarem Principatum & Imperium gerebat in populos, injurioſum. Quare tabeſcens vir ſanctus Deum precaturus acceſſit. Reſpondit illi ſtatim Dominus, auſcultaret populum: *Non enim*, ait, *te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Conſenſit illis Deus Regem *in indignatione ſua*, tum & *abſtulit in furore ſuo*, ait Oſee 13. 11. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.*

Simul autem injunxit Samueli 1. *Reg.* 8. 11. 12. 13. &c. exponeret populo jura Regis: ſcirent enim ab illo aſſumendos eſſe è populo corporis cuſtodes, veredarios, præfectos, agricolas, meſſores, & fabros; ſicut viciſſim filias Iſrael addictum iri ſibi in unguentarias, focarias, & paniſicarias. Neque hæc ſatis; ſed Rex ille, ait, extenderet manum ſuam in agros veſtros, & vineas, & oliveta, quæ omnia mercedis loco tradet famulis ſuis. Decimas levabit de latifundiis veſtris & gregibus, ut ſufficiant ad impenſas eunuchorum ac domeſticorum. Tunc, ait, ſuſtolletis ad me clamores veſtros, quibus ego ſurdas præſtabo aures; Regem enim vos ipſi poſtulaſtis. Cernere licet in his omnibus ſupremam Dei authoritatem, veluti ſub ipſis oculis expoſitam. Eo enim tradente accipiunt Regem; ab illo Regium jus dirigitur; ex authorat ille Regem, ac reprobat prævaricationibus Principis illius offenſus.

Futurum prænoſcens Moyſes, ut Iſraelitæ tandem poſcerent ſibi Regem, denunciavit illis Deuteronomii 17. 14. 15. *Eum conſtitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus; præſertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam ampliùs per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ*,

(a) 1. Eſdr. 2. 59. A. M. 3468. ante Ch. 532. ante Ær. 536.

ſua, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in Lege præcepta ſunt.

Ea inſtituenda erat Hebraicæ politiæ ratio ſub Regibus. Seligendi fuerant Principes à Deo, docendi à Sacerdotibus; Principibus verò illis injungebatur, ut manerent in fide, nihilque majoris momenti ſuſciperent Deo inconſulto: ac tandem ita ab ejus voluntate & arbitrio penderent, ut ad nutum ipſius, ſiquidem ab officio deeſſent, è ſolio amoverentur. Si Deus Davidi promiſit aſſerturum ſe in ejus familia Regnum, derogatum eſt in ea re in favorem viri amiciſſimi, juribus Principatus poſtulantibus eligi Reges, non naſci, atque Dei ipſius manu tradi populo.

Fatendum eſt utique Reges Juda & Iſrael poſt Davidem gerere voluiſſe non rarò imperium diſpoticum; & poſt ſchiſma Roboami raros inter Principes ad Theocratiæ normam Regnum ſuum direxiſſe. Auſi ſunt illi Regiam ſibi libertatem totam vindicare, atque è cervicibus amovere felix illud jugum, quod ſuaviter preſſit colla Judicum & primorum Regum inter Hebræos. Sed malo ſuo intellexerunt, quàm durum ſit & incommodum defectionem moliri in Deum, atque è manu ejus ſubductionem tentare. Namque in caput ſuum & Regnum nihil fuit mali, quod non provocarint; præda fuerunt hoſtibus; inquietum habuerunt Regnum; experti ſunt fortunam extra Regnum averſam, intra inimicam; & Deus ſiniſtra plura in illos excitans, induxit tandem extremum malorum, in terras remotiſſimas omnes diſperdens.

Simul autem, ut experti intelligerent vivere ſe imperio ſubmiſſos, ac revocarentur ad officium, ſuſcitavit Dominus Prophetas non infrequentes, qui Dei zelo, animi virtute & conſtantia inſtructi gravioribus verbis reprehendebant caſtigabantque illorum ſcelera; tum & opponebant ſe tanquam murum æreum contrà illorum molimina, Dei jus integrum ſanctumque tuentes. Nec Deo afflatos illos homines dedit tantùm Regno Juda, ubi publicus Dei cultus retentus eſt, ſed & crebros vidit Regnum Iſrael, quod longè latèque occupabat ſchiſma & vitulorum aureorum cultus ſuperſtitioſus. Quarè non immeritò affirmaremus, omnia licèt pervagante licentia, Deum nihilo ſeciùs Theocratiam ſuam retinuiſſe, qua coactis metu pœnarum impiis Regibus ad officium, qua utentem miniſterio Regum proborum, qui numero rari vitam egerunt ad normam Legis exactam, uti Ezechias, & Joſias; qua tandem propugnatores juris ſui excitantem Prophetas per data temporum intervalla uſque ad captivitatem Babylonicam.

Toto captivitatis ejus tempore fruſtrà quæras exactum quoddam politiæ regimen in Iſrael. Fruſtra pariter in eam rem ingenium ſuum torquent Judæi, conantes Rempublicam quandam extrudere ultra Euphratem, ſive ante, ſive poſt Cyrum. Quin nec ſatis exactum atque conſtantem Reipublicæ ſtatum demonſtrarent adhuc poſt ſolutam captivitatem, quamdiù Palæſtinos Hebræos imperio ſuo ſubjectos habuerunt Reges Perſarum & Græci ſucceſſores Alexandri. Si quis interroget, quæ tunc eſſet forma regiminis Judaici, me reponentem habebit, Ariſtocraticum præceſſiſſe, ſubjectum tamen Imperio Perſarum, vel Græcorum. Inter totius gentis Optimates, tanquam ex illis unus, primas tenebat Summus Sacerdos, cujus authoritas intra certos limites à ſupremo Principe reſtricta, extendebatur tantùm ad res Legis & Religionis; imperium gerebat in populum ceu voluntarium ſe permiſſum tum à populo, cùm etiam à Regibus, à quorum nutibus pendebat. Summus Sacerdos Jaddua venientem Jeroſolymam Alexandrum populi ſatellitio comitatus excepit; primas autem ideò gerebat, quòd Urbem tunc deſeruerant Præfecti à Regibus Perſidis dati, & terror armorum Alexandri cogebat diſſimulare in Judæo illo Principatum, quem aliàs nunquam tuliſſent.

Principes Aſmonæi quintam Monarchiæ periodum formarunt, undè nova Reipublicæ facies. Cùm enim Machabæi illi Religionem in Provincia ſua vitæ etiam diſcrimine defendiſſent, atque incredibili animi virtute reſtitiſſent impiis juſſibus Antiochi Epiphanis; jugum tandem Regum Syriæ excuſſerunt, ac priſtinam ſibi aſſeruerunt libertatem. Secundùm hæc titulum ſibi adſcriverunt Principum & Regum Judæorum, cui politicæ dignitati aſſentiente populo acceſſio facta eſt & ſupremæ authoritatis, & Summi Pontificatis.

Dum illi rebus præeſſent, ſpectare licet in Republica non obſcura Theocratiæ lineamenta; ipſe enim apud quem ſumma reſidebat authoritas in Civilibus, Sacerdotium etiam Summum in ſe conciliaverat, ut ad literæ rigorem impleretur Moſaicum illud, Exod. 19. 6. *Eritis mihi Regnum Sacerdotale*; vel ut habet S. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. 9. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium*. Fœdus illud Regiæ & Sacerdotalis authoritatis ſingularis ordinis politiam inexit, ſub Principibus peculiariter addictis, atque ab unguiculis inſtructis in latis à Deo Legibus, quos vel ipſa politicæ gubernationis ratio cogebat, ut defenderent urgerentque in Leges obſequium. Quarè nihil erat, cur non exulare cogeretur è Regno Idololatria, Legum ignoratiò, impietas, atque immania illa ſcelera, quæ antea ſub Regibus & ipſa pariter regnarunt. Ita factum eſt, ut Reipublica Judæorum nunquam fuerit ſubmiſſior Legibus Divinis, nunquam defæcatior à criminibus, quæ olim inſectati ſunt Prophetæ.

Sub eorum Regno contigit, ut Romani ſubigerent Judæam, eandemque Provinciam Imperio ſuo adjicerent. Sed intactam illi reliquerunt, quæ Religionis eſſent; quin & ampliores fines aſſignarunt authoritati noviſſimorum Principum Aſmonæorum. (Qui poſt illos ſucceſſit Herodes, ambitione ſua ac contumacis omnia habuit deteriora, quamquam autem Judaicam Religionem profitebatur, minori tamen tenebatur erga illam ſolicitudine, quin & multiplici ratione illam violavit. Verùm Sacerdotes & populus tenaciſſimè illi inhæſerunt, & cùm Jeſus Chriſtus paruit, Religionis ſtatus in Palæſtina florebat. Vix ille prædicationem ſuam inſtituens, bellum dixit in Phariſæos, qui nimiis cavillis ſuis in Legis præcepta eò rem deduxerant, ut vana obtrudentes, verum Legis ſenſum, & genuinum, quod illis debebatur, obſequium corrumperent. Errores illorum detexit Chriſtus, hypocriſim prodidit, revocavit omnia ad priſtinam integritatem; ac tandem dedit Judæis regulas puri & ſinceri cultus in ſpiritu & veritate.)

I. THEODAS, ſive *Theudas*. Gamaliel narrat (a), ante eam ætatem Theodam quendam prodiiſſe, qui magnum de ſe aliquid jactitabat. His artibus 400. ferè homines in ſuam ſequelam adduxit; eo verò occiſo, omnes diſſipati ſunt, ejuſque ſecta evanuit. Eum virum cum Juda confundendum cenſet Uſſerius, quem Judam ſub ipſum Herodis obitum res novas molitum narrat Joſephus (b).

II. THEODAS, ſive *Theudas*, impoſtor, qui in Judæa, Præſide Cuſpio Fado, apparuit (c). Cùm ſe & Prophetam, & divinitùs inſpiratum jactitaret, Judæorum quamplures perſuaſit, ut facultatibus omnibus derelictis, ſecum ad Jordanem comites accederent, ſicco pede, ut olim apud Joſue, trans amnem illos deducturus. Verùm turmis quibuſdam equitum in illos à Fado immiſſis, partim occiſi, partim capti, omnes diſperſi; ac Theodæ caput Jeroſolymam allatum eſt. Porrò hic multò recentior eſt, quam alter, de quo Gamaliel (d). Non defuere tamen, qui præpoſterè ambos confuderint (e).

(THEO-

(a) Act. 5. 36. Dum Gamaliel hæc dicebat, annus Aeræ 33. currebat. (b) Antiq. l. 17. c. 12. A. M. 4001. Ch. 2. ante Ær. 3. (c) Antiq. l. 20. c. 2. A. Ær. 45.
(d) Gamaliel verba faciebat pro Apoſtolis an. Ær. 33. Theodas verò à Fado occiſus an. 45.
(e) Vide Interpp. in Act. 5. 36.

(THEODOTION vir è Synope Ponti, juxta nonnullos (a); Epheſius juxta alios (b). Utramque ſententiam conciliaturi quidam reputant natum fuiſſe Synope, diem verò clauſiſſe Epheſi. Floruit ſub Commodo circa annum J.C. 175. Chriſtianam religionem ab initio profeſſus adhæſit Tatiano; tum degeneravit in Marcioniſmum, donec tandem committens ſe cum ſectæ ſuæ viris defecit ad Judæos. Cùm Hebræum didiciſſet, ſuſcepit in ſe Græcam verſionem Librorum Veteris Teſtamenti; quod ejus opus tertia eſt verſio à priori illa Septuaginta. Verſio Aquilæ ordine ſecunda eſt, & Symmachi quarta. S. Irenæus lucubrationem Aquilæ & Theodotionis laudans, Symmachi non meminit; unde licet inferre verſionem hanc recentiorem eſſe ætate viri Sancti.

Opus hoc ſuſcepit Theodotion, quò revinceret erroris Marcionitas, à quibus defecerat. Methodum ſequitur inter Septuaginta & Aquilam mediam (c), ut nec literæ ſerviliter inhæreat, quod ab Aquila præſtitum eſt; nec excurrat longiùs, quod ſibi indulſit Symmachus, Paraphraſtes potiùs quàm Interpres. Propoſuit ſibi potiſſimùm Septuaginta, ait S. Hieronymus Comment. in Eccli. c. 2. quorum planam interpretandi rationem imitatur; ſtudet, ut genuinum Textus ſenſum exprimat, ſubſtitutis Græcis vocabulis Hebræo, quantum utriuſque linguæ genus permittit, reſpondentibus. Hanc ejus Verſionem prætulerunt Chriſtiani Scriptis Symmachi & Aquilæ. Sed Judæi maximi omnium ducunt Aquilam, & ita ducunt, ut cùm Græca aliqua verſione utendum ſibi cenſent, non aliam adhibeant; ut verò illam ſupra Septuaginta habeant in pretio, facit ſervilis illa literæ inhæſio, quæ ne voculas quidem negligit. Hinc ſæpiùs in Thalmud oggeritur Verſio Aquilæ; Septuaginta verò nunquam.

Quæ Judæos Helleniſtas tenet exiſtimatio in verſionem hanc Græcam offendit animos Hebraizantium, quibus accidit graviſſimè, ut abolito veteri more Synagogarum, verſiones exteris linguis traditæ in illis legerentur. Contenderunt illi netas eſſe aliter Scripturas legi, quàm Hebraicas, vel è veteribus Paraphraſibus Chaldaicis; Græcas autem verſiones omnes amoveri oportere. Cùm tamen arduo planè negotio revocarentur Judæi Helleniſtæ ad linguas, quæ apud illos deſuetudine exciderant, turbas ad exeivit inter Judæos grandes adeo, ut ad componenda diſſidia manum admovere Imperator cogeretur. Lato edicto, quod inter Novellas ipſius adhuc legitur, ſancivit Juſtinianus permitti Judæos legere Scripturas in Synagogis ſuis ſive ex verſione Græca Septuaginta & Aquilæ, ſive aliis traditas linguis pro arbitrio & pro Regione, quam incolebant (d). Sed cùm Doctoribus Judæis alia ſediſſet opinio, Imperatoris Conſtitutio illa effectu ſuo ferè deſtituta eſt. Verſiones Græcæ exinde penitus ceſſarunt, regnavitque ſola lectio Scripturæ Hebraica & Chaldaica, namque hodie pariter Chaldaica obtinet in Synagogis nonnullis, uti Francofurti in Germania.

Quò verò ad Theodotionem regrediamur, Opus ejus tanto in pretio habuerunt veteres Chriſtiani, ut cùm deprehendiſſent verſionem Septuaginta in Danielem mendis ſcatere multis, ea ſuppreſſa ſubſtituerunt Theodotionem, qui hodie pariter retinetur (e). Idcirco etiam cùm Origenes in ſuis Hexaplis (f) cogebatur aliquid in Septuaginta deliberatum ſupplere, recurrebat ad Theodotionem, additamentum illud notans aſteriſcis. Porro Theodotion duplicem verſionem adornavit, vel firmavit, priſtinam recenſuit; ſed utrumque Opus ita intercidit, ut ſolus remaneat Liber Danielis, & fragmenta quædam parum antehac collecta in Hexaplis Origenis traditis à R. P. Montfaucon.

E' Theodotione accepit Eccleſia hiſtoriam Suſannæ (g), quam rejiciant licèt Judæi, retinent tamen Codices omnes Eccleſiæ Chriſtianæ, quà apud Græcos, quà apud Latinos, quà pariter apud Syros & Ægyptios. Docet S. Hieronymus in Iſai. 3. hiſtoriam Suſannæ præfixam eſſe prophetiæ Danielis in vulgaribus editionibus, ibi autem locandam cenſuiſſe Theodotionem, quòd hoc expoſceret rei geſtæ chronologia.)

THEODOTIUS, Syrus, qui unà cum cæteris de pace cum Juda Machabæo acturus, à Nicanore miſſus eſt (h).

THEOPHILUS, cui S. Lucas Librum Evangelii, & Acta inſcripſit. *Act.* 1. 1. *Luc.* 1. 3. An certus aliquis vir eo nomine, vel tantùm vir quicumque Dei amicus, juxta ejus etymologiam, deſignetur, incertum. Sunt enim (i), qui poſteriorem hanc opinionem præferentes, ad omnes Dei ſtudioſos directum à S. Luca opus credant; faciliùs tamen Chriſtianus aliquis vir inſinuatur, quem non infimæ conditionis fuiſſe ex epitheto *optimi*, ejus nomini adjecto, ſuſpicamur. Ex eo ſanè titulo, plerumque de Procuratoribus, ſive Præfectis Provinciarum uſurpato, parem virum illum dignitatem obtinuiſſe Oecumenius autumavit. Quidam Epiſcopum illum Antiochenum egiſſe credunt; ſed ea ætate nullus erat ejuſdem nominis in ea urbe Epiſcopus. Magiſtrum quemdam Achajæ à Sancto Luca fide initiatum Grotius deſignatum credit.

THERAPEUTÆ (k), vox Græca, Dei ſervitiis addictum virum ſonans: nomen autem erat cœtus cujuſdam apud Hebræos, cujus diſciplinam, & mores Philo deſcribit. Veterum PP. quamplures (l) Chriſtianos illos fuiſſe autumaverunt, quorum, inquiunt, vitam, & converſationem Philo admiratus, genti ſuæ decus illud adſciſcere voluit. In eo autem ab Eſſenis Therapeutæ diſtinguebantur, quòd illi vitæ activæ, hi verò contemplationi ſtuderent. Hanc igitur vitæ rationem inſtituerunt Therapeutæ, quæ deinde veterum Monachorum Orientis, & Occidentis diſciplinæ exemplar, & prototypus fuit. Bonis ſuis omnibus, parentibus, & patriæ valedicentes, tumultus, & turbas fugiebant in agro ſolitarii agentes, ædibus etiam inter ſe diſcretis; ita tamen, ut ſolitudini ſervientes, mutuò tamen ſe à prædonibus defendere, atque ſocietatem ſervare valerent. Cellulæ autem Therapeutarum, nonniſi neceſſariis inſtructæ, ſimplices erant; inter quas ſacellum anguſtum ſpectabatur, contemplationi, & religioni deſtinatum. In varias Mundi regiones diffuſi, potiſſimùm tamen in Ægypto circa lacum Mœrim florebant.

Potiſſimus apud illos temperantiæ cultus; neque enim cibos, niſi poſt Solis occubitum, guſtabant; quin & ſemel ſingulis triduis à quibuſdam; ſemel item ſingulis ſex diebus ab aliis jejunium ſumptis dapibus ſolvebatur. Totus autem menſæ apparatus panis erat, cui ad delicias adjectus à nonnullis ſal cum hyſſopo, & aqua. Veſtis reliquo cultui par: cui hyeme adjectum pallium ſubnigrum; æſtate levior erat. Vanitatem omnem veluti mendacii filiam vitabant. Quotidie bis genua flectebant; mane, & veſpere ad orationem; ſpatium intermedium lectio, & contemplatio occupabat; lectio, inquam, Librorum Sacrorum, quos allegorico ſenſu, pro accepta ab Authoribus ſectæ diſciplina, explicabant. Hymnos,

(a) Epiphan. de ponder. & menſur. (b) Iren. de hæreſ. l. 3. c. 24. & Synopſis Athanaſ.
(c) Vide Hieron. Præfat. in Job. (d) Juſtinian. Novell. 146. Photii Nomocan. 12. 3.
(e) Hieronym. præfat. in verſion. Daniel. in præfat. ad Comment. in eundem.
(f) Idem Præfat. in Pentateuchum & præfat. ad Libros Paralipp. & Epiſt. ad Auguſt.
(g) Hieronym. præfat. in Dan. (h) 2. Mach. 14. 19. A. M. 3843. ante Ch. 157. ante Ær. 161.
(i) Ita ferè Origen. hom. 1. in Luc. Ambroſ. in Luc. Epiph. hær. 51. Beda, Camerar. Hammond. in Luc.
(k) Vide Philo. de vita contempl.
(l) Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 17. Hieron. de Vir. illuſt. c. 8. Epiph. hær. 29. c. 5. Caſſian. Inſtit. l. 2. c. 5. &c.

imnos, & Cantica, varii metri ſcribentes, nil unquam niſi Deum corde, & ore verſabant, ut & ſomnia ipſa Therapeutarum religioſa eſſent.

Die Sabbathi, in Oratorium commune conveniebant, ubi ſuum erat pro fœminis ſeptum, parietibus trium cubitorum clauſum, ubi illæ inſtructionem audire quidem, videri tamen à viris non poſſent. Singuli deſtinato ſibi pro ætate loco aſſidentes, manus tenebant ſub veſtibus reconditas, dextera quidem ſupra pectus, ſiniſtra infrà poſita. Tunc provectior ſcientia, & ætate aſſurgens, modeſto quodam intuitu, ac voce, verba ad cœtum ſolida, & ſine fuco faciebat. Loquentis verba ſilentio ab omnibus excipiebantur, probare ſe dicta nutu quodam oculorum, & capitis ſignificantibus. Diem Pentecoſtes præ omnibus ſolemniſſimum agentes, niveis veſtibus dealbati, ad orationem, & feſtiva ſimul convivia accedebant. Porrò preces dapibus præibant; inde menſæ in ſtoreis vimineis, virgines ad ſiniſtram, mares ad dexteram aſſidebant. Silentium interim adeò religioſè ſervatum, ut ne liberiùs quidem reſpirare auderent; quamquam non deerant, qui propoſita aliqua Scripturæ Sanctæ quæſtione, quam ad libitum allegoricè explicabant, convivas detinerent.

Appoſitæ inde dapes, panis nempè fermentatus, ſal, & hyſſopum; ætate, & viribus validiores frigida, calida verò ſenes imbecilliores potabant. Poſt cœnam omnes aſſurgentes, in duos choros virorum & fœminarum diviſi; modò alternatim, modò ſimul omnes, hymnos in Dei honorem pſallebant. Choreis etiam pro ſpiritus, & verborum Cantici ductu ludentes, œſtro quodam rapti videbantur: inde una ſimul omnes chorea, inſtar illius, qua Iſraelitæ in exitu Maris Rubri, ludebant. Hæc totius noctis ante Pentecoſtem tripudia; manè verò ſub ortum ſolis, porrectis ad Cœlum manibus, Deum exorabant, ut veritatis illius lux ſingulis affulgeret. Inde in ſuam ſinguli cellam reducti, conſuetis exercitiis vacabant. Vide Montfaucon l. 1. c. 12. obſervationum ipſius in Librum Vitæ contemplativæ Philonis; eoſque qui contra illum ſcripſerunt, probantes Therapeutas illos à Chriſtiana religione alienos fuiſſe (a).

(Ita illos deſcribit Philo *de vit. contemplat. Vocantur Therapeutæ Therapeutideſque, hoc eſt curatores & curatrices, ſive cultores & cultrices vero nomine, vel quia profitentur medicinam præſtantiorem iſta vulgata per oppida omnia; hæc enim medetur ſolis corporibus, illa & animas liberat morbis gravibus adverſus medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiſcentiæ, dolores, timores, avaritia, inſipientia, injuſtitia, & cætera perturbationes vitiorumque agmen innumerabile. Vel quia didicerunt à natura & à ſacris legibus colere illud Ens, & bono melius & uno ſincerius, & unitate in generando antiquius, atque, ut ita dicam, principalius.*

Huic vitæ inſtituto, qui ſe addicunt, non ex more aut rogatu id faciunt, ſed amore correpti rerum cæleſtium, & quaſi furore divino perciti; donec ad contemplationem illam deſideratiſſimam perveniant. Deinde præ immortalis beatæque vitæ cupiditate, quaſi jam hac mortali defuncti, facultates ſuas relinquunt liberis aut cognatis, alterò eis poſſeſſiones cedendo, atque etiam ſociis & amicis, ſi cognati deſint..... Relictis igitur facultatibus & avocamentis omnibus, fugiunt ſine reſpectu fratrum, liberorum, parentum, uxorumque, & deſerunt numeroſas cognationes, ſocietates, amicitias, ipſas denique patrias; in quibus geniti educatique ſunt, quandoquidem conſuetudo magnum momentum habet ad alliciendos animos.

Demigrant autem non in aliam civitatem ſicut ſervi, qui ſe vendi heris aliis impetrant, miſeri, ut qui ſervitutem mutant, non effugiunt. Quævis enim civitas vel optimis ornata legibus, plena eſt tumultu plurimo, quem nemo ſapientiæ ſectator ſuſtineat.

Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas ſingulas, præſertim circùm Alexandriam; ex omnibus autem locis optimus quiſque Therapeutarum, tanquam in hujus generis patriam colonus, mittitur in locum quendam aptiſſimum, ſitum ad ſtagnum Mariam in terreno colle acclivi leniter, tutum ſimul & laudatum ab aeris temperie; ſecuritatem enim præſtant villæ vicique proximi: aerem verò temperat emiſſorium ſtagni exonerantis ſe in mare, & auræ nunquam non ex alto adſpirantes tenuiter, ſicut craſſiores ſerunt ſtagna, quibus permixtis temperamentum exiſtit ſaluberrimum. Domicilia verò conventuum ſunt admodum frugalia, parata contra æſtum tantummodo & frigora, non contigua, ut in Urbibus; non enim placet id amantibus ſolitudinem; nec tamen longè remota, quia ſocietatem diligunt, ut ſibi poſſint invicem ſuccurrere, contra latronum incurſus fortuitos.

Singuli autem habent ſacras ædiculas, quas Semneas, ſive Monaſteria vocant, ubi ſolitarii ſanctæ vitæ myſteriis dant operam, nec ſibi potaſve quidquam eò inferunt, aliudve in uſum corporis; ſed Legem tamen & Prophetarum oracula Divinitùs prodita, hymnoſque & quædam alia pietati ſcientiæque promovendæ utilia; itaque perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in ſomniis quidem aliud eis obverſetur, quàm imagines Divinarum pulchritudinum, & ſunt in his, qui ſomniando prodant præclaras Sacræ Philoſophiæ ſententias.

Quotidie bis precari ſolent, mane ac ſub veſperam, oriente ſole petentes diem verè felicem, utque mentes eorum cæleſti repleantur lumine; occidente verò, ut anima in totum exonerata ſenſibus, moleque rerum ſenſibilium, veritatem veſtiget in conſiſtorio domeſtico; medium verò matutini, veſpertinique temporis interſtitium totum meditationi attribuitur. Verſantes enim ſacra volumina dant operam Philoſophiæ per manus acceptæ à majoribus, ſcrutando ejus allegorias, quoniam ſub apertis verbis latere credunt ſecreta naturæ, conjectatione explicanda probabilibus; habent etiam Priſcorum Commentarios, qui hujus ſectæ Authores multa monumenta reliquerunt de allegoriis ejuſmodi, ad quorum imitationem poſteri ſe accommodant.

Potiſſimus apud illos temperantiæ cultus.. ....

Quibus ea ſedit perſuaſio, Therapeutas Chriſtianiſmum profeſſos fuiſſe, his potiſſimùm moventur. Abdicabant ſe Therapeutæ bonis ſuis omnibus, conſuetudine fratrum, liberorum, parentum, ac neceſſariorum, ut totos ſe traderent contemplationi, arctiùſque conjungerent Deo. Suppetebant illis plures veteres Libri ab Authoribus Sectæ ſuæ ſcripti, quos allegoricè exponebant. Longè latèque per Orbem diſſipati erant. Vivebant in communi omnes, habebantque è Secta ſua Sacerdotes, Diaconos, Virgines, Monaſteria, Menſam ſacram & myſticam; cœtus cogebant ſuos noctu ad canendos hymnos; in precibus ora tenebant ad Orientem converſa, legebant, exponebantque Libros ſacros, exponebant, inquam, allegorica methodo; ſcribebant hymnos, quos canerent Deo in cœtibus nocturnis. Conveniebant ſeptima quaque die ad allocutiones pietatis, & ad impendendum cultum Domino communem. Peculiares illis Eccleſiæ ad ſacros conventus deſtinatæ referebant figuram veterum Eccleſiarum apud Chriſtianos. Fœminæ coibant ſeorſum à viris, interjecto inter utroſque humili pariete trium cubitorum. Religioſos habebant quinquaginta dies inter Paſcham & Pentecoſtem medios: vitam agebant auſteram, ſolitariam, quietam, humilem in abſtinentia & jejunio.

Qua-

(a) Vide etiam Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 17. Hieron. de vir. illuſtr. c. 8. Epiph. hær. 29. c. 5. Caſſian. Inſtitut. l. 2. c. 5. Sozom. l. 1. c. 12.



THERAPHIM SIMULACRA JUXTA HEBRÆOS

a Primogeniti caput, sub cujus lingua lamina aurea, spiritus alicujus immundi nomine inscripta. *b Theraphim fasciis involutus, certaque in sede locatus, ante quem thura adolentur*

Digitized by Google

VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI
Digitized by Google

Quadrant hæc in Chriſtianos adeò, ut ſimul omnia alteri Sectæ nulli, non Judæis, non Paganis.

Agens Philo de menſa illorum ſacra ſub ambagibus rem totam obvolvit, curam enim ponebant non indiligentem primores Chriſtiani, ut myſterium illud ſedulò occultarent. Quod tamen menſæ huic apponebatur, appellat alimentorum omnium ſanctiſſimum & ſacratiſſimum, additque ſtatim eſcam hanc retuliſſe panem non fermentatum & ſal cum hyſſopo; meminit inſuper ad viros in toto cœtu ampliſſimos ſpectaſſe res illas ſacras tangere ac miniſtrare: Menſæ inſtruebant Diaconi; & apud primos illos Chriſtianos pro celebratione ſacrorum myſteriorum erant tantùm in uſu ligneæ & portatiles menſæ. Perſeverabat id pariter ætate S. Athanaſii, nec obſoleverat in pluribus Ægypti urbibus quinto Eccleſiæ ſæculo, uti Sozomenus eſt author.

Nunquid Philonis ætate alia hominum ſecta per totam latè orbis faciem extendebatur, ſi Chriſtianos excipias? Hæc autem affirmat Philo de Therapeutis. Profectò ſi homines illi alii ſunt à Chriſtianis, quò deinceps evanuerunt? Quomodo S. Paulum & cæteros Apoſtolos latuerunt? Si Therapeutarum vetus erat apud Judæos ſecta; quomodo ſilet cæterà unum hoc illorum decus, nempe vetuſtatem, non celebrat Philo? Si verò Scriptor ille, qui ſolus Therapeutas novit, Chriſtianos appellandos illos non cenſuit, id in cauſa fuiſſe credimus, quòd poſtremum hoc nomen non increbuiſſet adeò apud Ægyptios. Quicunque ex Patribus de Chriſtianis eos eſſe ſignificarunt, id utique ſcire non poterant, niſi ex traditione, vel deducere, niſi ex affinitate morum ac diſciplinæ. Nomen monaſterii additum ab exordio ædibus ſolitariis Chriſtianorum Ægypti, & notum quoque apud Therapeutas; cellulæ illæ vel aſceteria conſidentia in eminenti quodam loco ultra Lacum Mœris, i.e. in monte Nitriæ (a), Eremicolarum frequentia celebratiſſima; ac tandem imago Therapeutarum vividis adeò coloribus à Philone expreſſa, totidem ſunt argumenta demonſtrantia Monachos originem ſuam retuliſſe è Therapeutis, & à poſterioribus illis ad priores hæreditaria quadam ſucceſſione tranſiiſſe cellulas. Quis enim credat vel Judæos ſedes ſuas conceſſiſſe Chriſtianis, vel illas, pulſis veteribus incolis, occupare ſibi potuiſſe Chriſtianos, jugi perſecutione adulque quartum ſæculum jactatos?

Euſebius, Caſſianus, & Methodius Patriarcha affirmarunt, S. Marcum condidiſſe in Ægypto Monaſteria. Fatemur equidem nomen & profeſſionem Monachorum, quales ſunt in præſenti, recentius eſſe aliquid, quàm ut ad Apoſtolorum ætatem referantur. Sed non incongruè reputaremus veteres illos Scriptores, cùm de *Monaſteriis* loquebantur, non alio ſpectaſſe, quam ad cellulas illas Therapeutarum, conditas à S. Marco Evangeliſta, vel ſaltem, ſi mavis, de ejus conſilio. Si quis verò Therapeutis invideat Monachorum nomen, vindicet illis ſaltem neceſſe eſt decus abdicatorum bonorum ſuorum omnium, juxta datum à Jeſu Chriſto conſilium, ut vitam agerent in communi omnes, quæ fuit agendi ratio primorum fidelium Jeroſolymis. Certò autem certiſſimum eſt primæ huic inſtitutioni vitæ communis ſucceſſiſſe è veſtigio vitam monaſticam, cujus jam ſuppetebant exempla ante ſeceſſum S. Antonii, i. e. ante annum 271. quo ſcilicet S. Antonius in eremum contendens incidit in ſenem Monaſticam exercentem. *Athanaſ. in vita Antonii.*

Euſebius, omnium primus inter Patres, in hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 17. vindicavit Chriſtianis, quæ Philo celebrat de Therapeutis. Ejus veſtigia legit S. Hieronymus *de Script. Eccleſ. in Marc.* Longius excurrit S. Epiphanius, *hæreſ.* 29. reputans Chriſtianorum eſſe non id tantùm quòd Philo de Therapeutis, ſed ea pariter quæ ille narrat de Eſſenis (Jeſſæos appellat). Caſſianus *in fine Præfationis ſuæ ad Librum Inſtitutionum,* *& lib.* 2. *c.* 5. tradit Monaſteria in Ægypto ex ipſa Apoſtolorum ætate, authore S. Marco, ſtetiſſe. Therapeutæ Philonis ſi Sozomeno l. 2. c. 12. credas, Judæos referebant ad Chriſtiana ſacra translatos, à quibus ſolitariæ vitæ inſtituta profeſſio, felici incremento in Ægypto multiplicavit. Agnoſcit Photius *Cod.* 104. 105. Monaſteria, & vitæ Therapeutarum profeſſionem normam fuiſſe & exemplar Monaſticæ: Notat inſuper perſuaſum fuiſse nonnullis Philonem, cùm acceſſiſſet Chriſtianis, & conſuetudinem habuiſſet Romæ cùm S. Petro, proſequutum fuiſſe laude primorum Chriſtianorum Ægypti, diſcipulorum S. Marci, qui Apoſtolum illum habuit inſtitutorem pariterque doctorem in Cathedra Alexandrina.

Igitur Chriſtianiſmus Therapeutarum fulcitur authoritate & teſtimonio plurium veterum Patrum, cohærentia temporum, locorum, & characterum vitæ Therapeuticæ cum Chriſtianis comparatæ. Hæc opinio quietum habuiſſe regnum videtur in Eccleſia ſpatio plurium ſæculorum. Hodie res igitur ad problema, hæc enim rationum momenta pro adverſa afferuntur.

Quicunque Scriptores de Chriſtianiſmo Therapeutarum egerunt, nihil præſtiterunt aliud, quàm ut exſcriberent Euſebium, cujus tantùm authoritate & teſtimonio nituntur ſeſe; nec hos omnes illa credere aliud perſuaſit, quam quæ exhibet Philonis narratio. Quæ igitur narrat Philo Therapeutas cum Chriſtianis confundi oportere utique non probat. Commodè enim hæc omnia exponerentur de ſecta Judæorum, quàm pro reliquo populo in diſciplina & dogmatibus defæcatiori. Vitæ profeſſio illa in auſteritate, ſilentio, ſeceſſione, contemptu divitiarum, quin & in continentia non ità Chriſtianis cohæret, ut aliis vindicari non poſſit; quot enim Pagani vitam inſtituerunt, ab hominum conſuetudine remotam, vacuam à cupiditatibus, continentem, auſteram? Nec omnes æquè Therapeutæ lege adigebantur ad cælibatum; ſolis illis id erat injunctum, quorum uxoribus & filiis idem vitæ genus ſectari erat grave. Excubias nocturnas, religionem Sabbati, diei Pentecoſtes, hymnos, & allegoricas expoſitiones ad Judæos meliùs quam ad Chriſtianos referas. Diaconi vel miniſtri in Sacris cœtibus Hebræorum, & in Synagogis non deerant. Myſtica illa convivia panis non fermentati, ſalis, & hyſſopi, quid valent ad Euchariſtiam, in qua panis quidem & vinum, nunquam ſal & hyſſopus? Quæ verò addit Philo, dapes nimirum illas inſtitutas eſſe in honorem *menſæ dedicatæ in Templi veſtibulo, nam & in ea ſolent poni panes cum ſale, abſque condimento alio, ſed panes non fermentati*: hæc utique probant ſermonem eſſe hic de cæremoniis purè putèque Judaicis.

Nec eſt cur imponatur nobis de voce illa *Monaſterium*, vel *Semneum*. Facilè enim veteres Monachi illam adoptarunt è Therapeutis, quemadmodum & voces plures & mores Judaici tranſvecti ſunt in Eccleſiam; nec tamen recta ex his inferas Eccleſiam dogmata ſua è Judæis accepiſſe.

Conjecturis verò illis, quæ ex cohærentia diſciplinæ inter Therapeutas & Chriſtianos deductæ ſunt, reponimus minus eſſe validas, quàm ut Chriſtianos referant ad Therapeutas. Ut id evinceretur indicandus eſſet character aliquis ita Chriſtianis peculiaris, ut aliis omnibus non conveniret; e. g. nomen Chriſtianus, vel dogma aliquod, quod non aliunde deduci potuerit, vel diſciplinæ ratio quædam nulli alteri Religioni communis.

Quod addunt, nimirum hæc ſimul omnia, quæ de Therapeutis narrantur, nonniſi Chriſtianis convenire poſſe, non ita facilè ab omnibus admitterentur. Quanquam enim hæc ſimul omnia ſpecioſius aliquid præferant, & magis aptum ad imponendum, nihilo tamen ſecius ſinguli illi characteres ambigui ſunt maximè, quare & juncti ſimul omnes minus

(a) Vide Pallad. Lauſiac.

Digitized by Google

utique validum formant argumentum, quam ut ſententiam peremptoriam extorqueant. Ad hæc, fruſtra tanto molimine lineamenta ſimilitudinis inveſtigarentur Therapeutas inter & Chriſtianos; cum in prioribus illis quædam non exigui momenti indicari poſſint, quæ planè abludunt à Chriſtiania. Ita e. g. Therapeutæ abdicabant ſe patria, bonis, parentibus, & ſecedebant ſolitarii. Non ita de Chriſtianis, primitivæ etiam Eccleſiæ ſæculis, memoriæ proditum eſt; nec enim Urbes deſerebant, nec avitas ædes, non parentes, uxores, filios. Diſciplina exeundi ab Urbibus, & ſecedendi in Eremum diù poſt Philonem invecta eſt, cum de Therapeutis fama jam evanuiſſet.

Agnoſcit quidem Philo è Therapeutis illis diffundi quoſdam longè lateque per Orbem, ſed in Ægypto plures conſediſſe. Qui hæc Chriſtianis conveniant, plus florentibus tunc in Palæſtina & Syria, uti jam omnibus conſtare arbitror, quàm in Ægypto? Ad hæc, quomodo Philo, utique Judæus profeſſione, affectatis adeò laudibus proſecutus fuiſſet Chriſtianos, cujuſmodi genus hominum in execratione fuiſſe apud Judæos, ſcimus?

Occupabantur Therapeutæ ſtudio Sacrarum Scripturarum, verſabantque ſedulâ manu Commentarios allegoricos priſcorum Sectæ ſuæ Patrum. Meliùs iſta quadrent Judæis Ægyptiis, quàm Chriſtianis, Sectæ hominum adhuc naſcenti, ætate illa Philonis, ac proinde deſtitutæ Scriptis veterum Patrum ſuorum, ſicut & allegoricis lucubrationibus, quarum ſtudium nunquam occupavit Chriſtianos; ac viciſſim tenebat applicatos animos & mentes Judæorum Ægypti, habebatque Philonem inter primos fautores, propugnantes rationem illam interpretandi Scripturas. Choreas & geſticulationes illas Therapeutarum minùs referre arbitror agendi rationem ſimplicem & modeſtam primorum Fidelium.

Ex his omnibus, quæ planè ſummam referunt quæſtionis in utramque partem agitatæ, jure intendendum arbitror verſari nos in ambiguo, & rem eſſe problematicam, quin & ſententiam faventem Judæis plus aliquid præferre veritatis, quàm quæ illis opponitur. Videſis Authores id argumenti genus fuſiùs tractantes.)

THERAPHIM. Quo loco legimus: *Gen.* 31. 19. *Rachel furata eſt idola patris ſui*: Hebræus habet: *Theraphim patris ſui*; Septuaginta quandoque reddunt, *Oracula* (a); quandoque verò, *inanes figuras*; 1. *Reg.* 19. 13. Aquila tantùm habet *figuras* (b). Nec ſanè aliud eo nomine inſinuatum, ex collatis omnibus Scripturæ locis, quàm Idola quædam & figuras ſuperſtitioſas intelligimus. Ex Judæorum traditione, Theraphim caput erat hominis à reliquo corpore avulſum, atque balſamo conditum, ſub cujus lingua lamina quædam aurea, Numinis alicujus nomine inſcripta, recondebatur. Ita verò præparatum caput illud, atque certo quodam loco non ſine cereis, & incenſo expoſitum, oracula reddebat.

Credunt tamen alii, eo nomine deſignari taliſmanos, nempè figuras quaſdam è metallo, ſub certis quibuſdam planetarum aſpectibus conflatas, & inſculptas, quibus mira vis, pro naturâ tamen metalli, planetæ, & figurarum. Horum quidem opinio nobis præ cæteris probatur; totus enim Oriens adhuc ſimili ſuperſtitione tenetur. Perſæ *teleſin* (c) appellant nomine, quod cum *Teraphim* congruit. Nemo apud illos ſine taliſmano; nec deſunt, qui ſimilibus lamellis onerentur; bruta ipſa & avium caveæ immunes non prætermittuntur. Quæ verò Rachel ſubripuit, illa ſanè & pondere, & pretio præſtare debuerant (d).

Quid verò fuit in cauſa, cur Rachel Teraphim Labani patris ſui ſubriperet? Ut nimirùm, quas illatas ſibi à patre ſuo dicebat injurias, ulciſceretur (e), inquiunt nonnulli: Alii, ſubduxiſſe oracula credunt, ne illis conſultis, quonam fugiſſent, Labanus addiſceret (f): alii etiam, in ea fuiſſe perſuaſione Rachelem credunt, ut ſubreptis Theraphim, omnem ſimul felicitatem è domo patris in domum viri ſe avertere autumaret. Quidam malunt ſubducta à filia Idola, ut pater ab Idololatria revocaretur (g). Non deſunt tandem, qui vanæ hujus ſuperſtitionis ſtudioſas fuiſſe ambas ſorores Rachelem & Liam, ejuſque gratia Idola ſecum in Chananitidem transferre voluiſſe, autumaverint (h). Jacob tamen familiam ſuam quantocyùs ab omni ea labe expurgans, Theraphim ſub terebintho à tergo urbis Sichem defodi juſſit. *Gen.* 35. 4.

Præter *Theraphim* ſuperſtitioſos à Rachele ſubreptos, alioſque ſimiles, de quibus huc uſque, duo etiam alterius generis in S. Scriptura notantur: Davide fuga ſubducto, Michol ejus loco, quem ægrotantem jacere ſimulaverat, *tulit ſtatuam* (Hebr. *Theraphim*) *& poſuit eam ſuper lectum*. 1. *Reg.* 19. 13. Hic Theraphim deſignare credimus ſtatuam tumultuario opere ex ligno quocunque congeſtam, cui adjectæ veſtes, ut proceram quandam pupam, ſive abigendis avibus terriculamentum referret. Illud autem ſpectrum Michol in lecto ſuppoſuit, quò miſſis à Rege ſatellitibus ægrotantis viri ſpecimen exhiberetur.

Alter erat *Theraphim*, quem Judæi conſulendum ſibi, etiam non abjecto penitùs Dei cultu, ducebant, Michas conſtructum ſuis impenſis Theraphim in domo ſua ſtatuens, Sacerdotem Leviticum ephod veſtitum ejus cultui addidit: *Judic.* 17. 5. qua ſibi religione largas Dei benedictiones impetraturum ſpondebat. Hunc Theraphim Danitæ auferentes, *Judic.* 18. 14. in Lais, quò eorum coloniæ deductæ, ſtatutum, tamdiu ibi coluerunt, quamdiu Iſraelitæ trans Euphratem non transferrentur. Deſignabatur autem facile eo nomine figura aliqua hieroglyphica, quam Judæi oracula & prædictiones aucupaturi conſulebant. Quamquam autem certa ejus deſcriptio nonniſi temerè duceretur, fortè tamen à figura illorum Cherubim non abludebat, qui variorum animalium formas in ſe conſiſtantes, alatum & g. hominem, bubulis pedibus, roſtrato capite exhibebant.

Oſee Propheta c. 3. 4. Iſraelitas decem Tribuum minitatus eſt, permanſuros illos diutiùs *ſine Rege*, *ſine Principe*, *ſine ſacrificio*, *ſine Altari*, *ſine ephod*, *ſine Theraphim*; id eſt, omni Religionis exercitio in captivitate deſtituendos. Florentibus etiam rebus ſuis, non deerant populo Altaria, Ephod, Theraphim, cum impium vitulis aureis cultum impendebant; his etiam futurum ut populus careret, Propheta iiſdem verbis prædicit, adeout nulla ſuperſint oracula, ſeu vera ſeu falſa, quæ ſive conſulerentur, ſive ſuccederent. Addit deinde Propheta: *Poſt hæc, revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum &c.* id eſt, è captivitate reſtituti, amico fœdere cum Tribu Juda conciliati, ad Templum Domini Jeroſolymitanum regredientur, à quo antea ſchiſmate facto receſſerant.

(Contendit Spencerus, *tract. de Urim, & Thummim*, nomen Theraphim Chaldaicum eſſe idem ac *Seraphim*, immutato tantùm *Schin* Hebraico in *Thau*, i. e. S in T. Arbitratur autem ſigna Theraphim originem referre ſuam ex Amorrhæis, Chaldæis, & Syris. Addit Deum Serapidem Ægyptiorum & ipſum fuiſſe è Theraphim, quibus etiam non immerito hoc aliud adderetur, nempè imaginem ſerpen-

(a) Septuag. Oſee 3. 4. [illegible] Zacc. 10. 2. [illegible]. (b) [illegible]. Alibi [illegible], nempè ſtatua pectore tenus expreſſa. (c) Chardin. t. 2. ſcience des Perſ. c. 10.
(d) Vide Interpp. Gen. 31. 19. & 1. Reg. 15. 23. Ezech. 21. 21. Zach. 10. 2. ubi Theraphim Idolum, & figuram ſuperſtitioſam deſignat. (e) Peter. Janſen. alii. (f) Abenezra. (g) Theodoret. q. 90. Nazianz. orat. de Sancto Paſcha. Rabb. Salom. (h) Cyrill. in Gen. l. 11. Chryſoſt. in Gen.

ſerpentis *Saraph*, volantis, nominis occaſionem præbuiſſe Seraphim, i.e. Angelis illis per viſum apparentibus Prophetis, exhibitiſque à nobis plerumque, tanquam circa thronum Dei advolarent. Porrò non abſimili emblemate pingebant olim Pagani magicas ac ſuperſtitioſas imagines. Scitum eſt quàm monſtruoſas figuras præſeferet *Abraxas*, qui veri ſunt Taliſmanni vel Theraphim. Exhibent interdum anguem erectum, capite radiato (a); ſæpè humano in trunco præferunt caput galli, deſinunt verò inferiùs in geminos angues, qui & pedes referunt, & femora monſtri. Tandem anguis ille variè pingitur: Deus Serapis ferè ſemper adpictos habet ſerpentes, quorum vel ſpiris cingitur, vel ſatellitio comitatur (b). Spectare licet imagines Mithræ vel Solis quatuor inſtructas alis, quot apud nos Seraphim, cum leonino rictu atque prominenti ſupra capite ſerpentis, cujus ſpiris ſimulacri corpus ambitur (c).

Hæc omnia graphicè, quantum capimus, pingunt Theraphim. Cùm Taliſmanni iſti ſuperſtitioſi familiares eſſent omnibus fermè per Orientem gentibus, verò propiùs autumaremus formaſſe ſibi gentes illas in Numen, illud, quod ſibi maximè favere quiſque arbitrabatur. Sol cultum per Orbem ferè univerſum obtinebat; ejus erat ſymbolum anguis, Sol item Deus erat beneficus, ac boni omnis. Pingebant illum frequenter Orientales in ſuis Taliſmannis vario expreſſum emblemate. Porrò Judæi è diuturna in Ægypto mora habitudinem contraxerunt & propenſionem in cultum Numinum, apud eas gentes obtinentium potiùs, quam in alia aliarum nationum. Hinc cultus aurei vituli in deſerto, & in Regno decem Tribuum. A' vero igitur non abludit Theraphim Labani, quos Rachel ſubripuit, iconiculas retuliſſe hieroglyphicas, & Taliſmannicas pro more Syrorum expreſſas; ſicut & Theraphim Michæ acceſſiſſe propiùs ad Cherubim Moyſis, vel ad Seraphim Iſaiæ; uno verbo figuras haſce nihil uniforme ſatis & conſtans prætuliſſe, uti Cherubim & Seraphim in Scriptura deſcripti. Singuli pro libertatis ac religionis ſuæ arbitrio illos pingebant.

Docent Rabbini Theraphim iſtos non mera tantùm Idola retuliſſe, ſed & fatidica Numina, Oracula futurorum reddentia (d). R. David Pomarenus tradit hominis imaginem prætuliſſe, ſemel erectos & conſecratos humanas reddidiſſe voces & reſponſa, certis quibuſdam horis, & certis regnantibus ſtellis, influxu quem accipiebant corporum Cæleſtium; talem autem hunc influxum procurabat illis, inquit, artifex Theraphim è certis quibuſdam metallis, certiſque inſcribens characteribus, ſub noto quodam aſtrorum aſpectu.

R. Eliezer cap. 36. probat & ipſe pariter quæ de conceptis vocibus Theraphim feruntur, in quam rem laudat illud Oſee 10. 4. *Theraphim loquuntur verba ſuperſtitionis inutilis*. Hac autem arte parari Theraphim docet vir ſapientiſſimus. Mactabatur puer major natu, atque deciſſum ejus caput condiebatur aſperſo ſale & oleo; tum in lamina quadam aurea ſculpebatur nomen Spiritus alicujus immundi, & ſub lingua cadaveris lamina illa conſtituenda erat. Caput ſic præparatum reponebatur in loco apto, excavato in pariete, incenſiſque circum lampadibus accedebat conſulens ad preces, interrogabatque reſpondens.

Subeſſent hæ utique fabellas, nihilo tamen ſeciùs docentur pariter & à R. Tanchuma, & Paraphraſte Jonathan (e). Verùm, ut jam ſupra inſinuavimus, non ita reputandum eſt, quaſi una eſſet & conſtans imago Theraphim; communi hoc nomine plura inter ſe varia qua in figura, quà reipſa cenſebatur. Qui Theraphim in lecto Davidis pro Davide ipſo ſubſtitui fuit, illi utique ſimulacra referebant juſtæ magnitudinis. Theraphim illi apud Oſee, quos conſulebant Iſraelitæ decem Tribuum, ſicut & Theraphim Michæ, exprimebant facilè vel Cherubim Arcæ, vel ſuperſtitioſum aliud, ſed nihilominus tale quo perſuaderentur Iſraelitæ ejus cultum cum Religione Domini conciliari potuiſſe. Pars major Abraxaium, quos Taliſmannorum, vel Theraphim genus fuiſſe conſtat, oneratur nominibus Dei *Jao*, *Adonai*, *Eloim*.

P. Kircherius in Oedipo Ægypt. Synta. 4. c. 3. pag. 259. & poſt illum Cunæus in ſua Republica Hebræorum defendunt veterem omnem Idololatriam ex impuro Ægyptiorum fonte derivari, ex quibus pariter Theraphim inundaſſe per totum Orientem. Reputant enim illi Cham, vel Meſraim ejus filium ſtatuariam primos exercuiſſe, & apud Ægyptios tàm multa fuiſſe ſimulacra, ut nullibi deeſſent, non in Urbe, non in Vico, non in Via regia, in compitis. Fama erat valere illa ad multa, ea maximè quæ ſub aſpectu aſtrorum quorundam formata erant; futurorum arcana reſerare, occulta pandere, averruncare mala, commoda quædam procurare, uti gratum ſe aliis reddendi, vincendi in ludo, lucrandi in negociationibus &c. hæc illis authoribus dabantur. Fatentur Rabbini nomen Theraphim alienum eſſe à lingua Hebraica, unde licet inferre ex Ægypto repeti oportere, atque confundi cum Serapide. Affirmat Abenephius ex diuturna Abrahami in Ægypto mora aſſuetuſſe ejus familiares Idololatriæ id generis, eamque detuliſſe ſecum in Chananitidem, ex quo in domum Laban tranſlata eſt. Hæc utique omnia temerè effatus eſt, magnumque ejus aſſertoribus fieret negocii, ſi ad argumenta exhibenda cogerentur.

Recens quidam Author (f) conjecturam aliquam in Theraphim proponit. Reputat enim ille Theraphim à Rachele ſublatos non alios fuiſſe, quàm Deos Penates Labani. Quæ olim Numina in viis regis conſecrabantur, ſimul etiam tutelaria erant domorum. Agens Ovidius *Faſt. l.* 2. de Lariunda matre Deorum Larium & Vialium, tradit peperiſſe illam geminos filios tutores, quadriviorum & privatarum ædium:

Fitque gravis geminoſque parit, qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Lares iſti Dii & regiarum viarum tutelares, ipſi erant Heroum è familiis animæ inter Deos conſecratæ, & ad cultum propoſitæ. Ita pariter & Theraphim Labani, ſi Authorem hunc audias, ipſæ erant imagines *Noe* reparatoris generis humani, & *Sem* principis familiæ Labani. Hanc iſte aſſignat primam inſtitutionem Deorum Penatum. Duo tantùm conſtituti ſunt; cœpitque eorum cultus brevi poſt diluvium. Non queritur tantùm Laban furto ſublatos eſſe ſibi Deos, vel ſtatuas; in quibus ſpem ſuam omnem conſtituerit & cultum: ſed dolet *Cur furatus es Deos meos Geneſ.* 30. 31. i. e. Deos mearum ædium.

Sed hæc conjectura nihilo ſolidior eſt præ ſuperiori. Vix credimus cultum Deorum Larium & Penatum Labani ætate jam obtinuiſſe; quin & invaluiſſe in Oriente pluribus ſæculis poſt eum Patriarcham ambigo.

Adhæc, quis credat Labanum inter Immortales Deos conſecraſſe Noemum & Sem parùm antehac defunctos? Obiit enim Noe A. M. 2006. & Sem A. M. 2158. i. e. anno 87. annos quàm Jacob veniret in Meſopotamiam ad Labanum.

THERISTRUM, vox Græca, velum deſignans, quo matronæ vultum ab æſtivis ſolis caloribus contegentes, defendebant. Eodem nomine velum appellat S. Hieronymus, quo Thamar faciem celavit (g). In Hebræo eſt *zaiph*, quod verti ſolet, velum ſive palliolum, Orientalibus fœminis ad obtegendum vultum familiare. Eadem Hebræa vox recurrit

Gen.

(a) Antiquitas explicata t. 2. part. 2. & alibi. (b) Ibid. t. 2. Supplement. tabul. 42.
(c) Diarium Italic. & Antiquitas explicata l. 1. p. 2. pag. 378. (d) R. David. Kimchi.
(e) Jonat. Targum in Geneſ. 31. 19. (f) Jurieu Hiſtoire des Cultes.
(g) Gen. 38, 14. Septuag. Περιεβάλετο τὸ θέριστρον.

Gen. 24. 65. quo in loco Vulgata de Rebecca pallio ſe amiciente legit; *operuit pallium ſuum*. Theriſtrum etiam legitur in Textu Latino Iſaiæ 3. 23. cujus loco Hebræus habet *hardidim*, & Septuaginta reddunt velum ad decumbendum, ſive menſæ accumbendum. Alii explicant de velis tenuiſſimis, mulieribus æſtate ſimiliaribus.

(Theriſtro illo, ſeu velo tegebant vultum fœminæ extra domum prodeuntes; multum autem deſcendebat in faciem, ſinum, & humeros. Velum erat tenue adeo, ut per tranſverſum illud intueri liceret, vel ſaltem perforatum erat ad oculos in commodum gradiendi.)

THERMUTHIS. Eo nomine filiam Regis Ægypti, quæ Moyſem ex aquis Nili reductum, in filium adoptans, omnibus Ægyptiorum ſcientiis erudiendum curavit, Joſephus *Antiq. l.* 2. *c.* 9. appellat. Nihil tamen de ejuſdem fœminæ nomine in Scriptura. Alii *Pharian* denominant (a).

THERSA, quinta filia Salphaad. *Num.* 26. 33. & 27. 1.

THERSA, ſive *Therza*, urbs Ephraimitica, ſedes Regum Iſraelis, ſive decem Tribuum poſt ſchiſma Jeroboami filii Nabat, uſque ad Amri, qui empto monte Semeron, Urbem ibi Samariæ, Metropolim deinde univerſi Regni, condidit. *Joſue* 17. 3. Regem Therſæ Joſue occidiſſe perhibetur, *Joſue* 12. 24. ſicut & Manahem filius Gadi de Therſa, nece illata Sellum Regni Iſraelitici Tyranno, Samariam totumque Regnum uſurpavit. Cùm tamen urbem Therſam ſibi reſiſtentem offendiſſet, in illam vindictæ nihil reliqui fecit (b).

THESAURUS; Græcè [illegible], Hebraicè ... : Theſauri nomen vulgò Hebræi de horreis quibuſque, ſive annonæ copia uſurpant. Theſaurus frugum, vini, & olei; theſaurus auri, argenti, æris, imò theſaurus pecuniarium. Nix, venti, pluviæ, imbres, & abyſſi in theſauris Dei continentur. *Deus educit ventos de theſauris ſuis. Pſal.* 134. 7. & *Jerem.* 51. 16. Sunt etiam theſauri proborum operum, & malorum; theſauri in Cœlo congregantur: ex theſauro cordis bona proferuntur, vel mala. Magi, apertis theſauris ſuis, nempe ex ſuis impedimentis, eduxerunt munera Domino offerenda. Cum fratres Joſephi pecunias ſuas in ore ſaccorum inveniſſent, Joſephus illis renunciari juſſit, Deum ipſis theſauros ſuos tradidiſſe, *Gen.* 43. 23. Moyſes ad Dominum; *Domine*, ait, *aperi theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ. Num.* 20. 6. Theſauri Domus Domini, auri, argenti, frumenti, vini, & olei, Levitarum, quibus Templi fores commiſſæ, cuſtodiæ credebantur. Suos etiam theſaurorum cuſtodes habebant Reges Judæ, ſive in agris, ſive in urbibus. 1. *Par.* 27. 25. & 2. *Par.* 32. 27. in urbibus, inquam, quæ propterea vocabantur *urbes ærarii*.

THESAURUS valet etiam pro cellis promptuariis. Adegit Pharao Hebræos ad condendas Urbes *theſaurorum*, i. e. promptuariorum: *Urbes Tabernaculorum* habet Vulgata Exod. 1. 2. ſed optimi interpretes Hebræum reddunt Theſaurorum. Ponitur etiam pro largitate rei alicujus deſignandæ, quo ſenſu ſcribit Apoſtolus *Coloſſ.* 2. 3. de Jeſu Chriſto: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: & Sapiens, *Eccli.* 1. 26. *In theſauris ſapientiæ intellectus, & ſcientiæ religioſitas*, i. e. ſapientia in promptuariis ſuis habet conditam ſapientiam, & ſcientiam Religionis. S. Paulus *Rom.* 2. 25. *Theſaurizas tibi iram in die iræ*. Amos 3. 10. *Theſaurizantes iniquitatem*, ex qua plurimum malorum procellam in caput ſuum provocant.

Theſauri impietatis deſignant malè partas divitias: *Non proderunt theſauri impietatis*; ait Sapiens, *Prov.* 10. 2. eodem ſenſu, quo Jeſus Chriſtus *mammona iniquitatis* appellat malis artibus comparatas divitias.

Fides eſt theſaurus juſtorum, ſed divitem hunc theſaurum habemus *repoſitum in vaſis fictilibus*, ait Apoſtolus, 2. 7. *Timor Domini eſt theſaurus hominis juſti*, ait Iſaias 33. 6. Monet Sapiens, *Eccli.* 29. 14. *Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi*. Vir probus, ait Jeſus Chriſtus Matth. 12. 35. *De bono theſauro profert bona; & malus de malo theſauro profert mala*; neque enim è nobis aliud educeretur, quàm quod repoſitum ſit.

(THESAURUS ponitur etiam interdum loco rei occultæ & pretioſæ: *Aperi theſaurum tuum, Domine, & educ è fonte aquas vivas Num.* 20. 6. *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, Cœlum, ut tribuat pluviam Deut.* 28. 12. Terribiles, univerſi Dei; *Nonnè condita ſunt apud Deum, & ſignata in theſauris ejus? Deut.* 32. 34. *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti Job.* 38. 22.? Latent hæc omnia mortales, cùm Deus in theſauris ſuis recondita illa teneat.)

THESBE ſive *Thisbe*, Urbs in Galaaditide, tranſjordanica, patria Eliæ Prophetæ, unde Theſbitæ dicti. 3. *Reg.* 17. 1. Hanc urbem in Arabia ſitam eſſe probat S. Epiphanius *de vitis Prophet.* quod ejus ætate tota tranſjordanica regio Arabibus pareret. Eam urbem Joſephus *Antiq. l.* 8. *c.* 5. *Theſben* appellat.

THESSALONICA, celebris Macedoniæ urbs, & totius Regni Metropolis ad Sinum Thermaicum. Ornamentis, atque ampliori acceſſione a Philippo Rege Macedoniæ aucta, ait Stephanus Byzantinus, Theſſalonica appellata eſt ob relatam ab eo Rege de Theſſalis victoriam. Vetus ejus nomen *Therma*. Strabo tamen aliique nonnulli, nomen Theſſalonicæ urbi inditum tradunt ex nomine uxoris Caſſandri, filiæ Philippi. Judæis frequentabatur, adeò ut ſua illis ibi eſſet Synagoga. In eam autem Synagogam S. Paulus ingreſſus pro more, tribus ſuccedentibus Sabbathis Scripturas Sacras ad populum interpretatus eſt; earumque teſtimonio Jeſu Chriſti Divinitatem, atque prædictam ejus Paſſionem, & Reſurrectionem probavit. Ejus verbis Judæorum nonnulli, ingens etiam Ethnicorum, Deum timentium, & matronarum turba victas fidei manus dedit; cæteri verò Judæi præpoſtero Legis ſtudio acti, ſeditione in urbe excitata, ad ædes Jaſonis procurrerunt, Paulum, & Silam ibi commorantes, ad Tribunal ducere molientes. Cùm neutrum inveniſſent, Jaſonem ipſum, & nonnullos fratres coram Magiſtratibus traxere, reos illos, atque rebelles in Cæſarem, quòd alterum Regem Jeſum inveherent, magnis clamoribus accuſantes. Data tamen cautione, reos omnes liberè abire permiſſi ſunt; eâdemque nocte Paulus, & Silas à fratribus extra urbem deducti, Beræam iter inſtituerunt.

THESSALONICENSES, Fideles Theſſalonicæ cives. Cùm Apoſtolus ea, quæ in articulo præcedenti diximus, occaſione, Theſſalonica receſſens, Berœam veniſſet, Silam ibi, & Timotheum ad confirmandas Eccleſias Macedoniæ reliquit. Ille Athenas, hinc Corinthum contendens, poſt aliquorum menſium ſpatium, Silam, & Timotheum acceſſens, referentes illos de rebus Eccleſiæ Theſſalonicenſis, audivit, eos nimirum fidei receptæ inhæſiſſe adeò, ut ſævientibus perſecutionibus, & æſtibus nihil dimoverentur. Narrarunt etiam, ex fidelibus illis nonnullos domeſticorum morte nimio dolore affici, nec ſatis inſtructos eſſe iis, quæ ad Domini adventum, & ſupremum Judicium pertinerent. Accuſabant etiam nonnullos, quòd otio, & curioſitati vacarent, & ingenio eſſent inſtabili.

Ad eos igitur Epiſtolam ſuam dirigendam Apoſtolus cenſuit; quam primam ad Theſſalonicenſes Epiſtolam omnium S. Pauli primò ſcriptam conſtat. In veteribus exemplaribus Græcis, Latinis, Syriacis, Arabicis, Copticis, & apud Theodoretum, & S. Athanaſium, Athenis datam legimus. Peritiores tamen Critici, & itinerum Apoſtoli ſeries,

(a) Syncell. Chronol. (b) Vide 4. Reg. 15. 14. 17. Antiq. l. 9. c. 11.

Digitized by Google

ſeries, nonniſi Corintho miſſam demonſtrant. In ea autem Apoſtolus ſupremum judicium, & rationem lugendi in domeſticorum funeribus Fideles docet: Singularem in ea amorem, & charitatem, ſtudiumque eos adeundi ſummum præſefert. Ita verò errantes corripit, ut mixtam ſuavitate prudentiam adhibeat, reprehenſionibus laudes, & amoris argumenta ſubnectens.

Secunda ad Theſſalonicenſes Epiſtola, data eſt Corintho paulo poſt primam ſub initium Ær. 53. Cùm ex priori Apoſtoli Epiſtola viri quidam falſo deduxiſſent, poſtremam Domini diem in proximo imminere; vel ſaltem ad eam rem confictas aliquas, ejuſdem Pauli nomine, literas ſuppoſuiſſent, ideò paventes ſpario timore animos confirmat. Hortatur autem, ut doctrinæ, atque receptæ ab ipſo traditioni inhærentes, obfirmatum in perſecutiones animum habeant. Otioſos & levi curioſitate inſtabiles acrioribus, quàm antea, verbis caſtigans, monet, ut id hominum genus ſedulò notetur, quò à cæteris ſegregati, ejus ſaltem rei pudore corrigantur. Sigillo ſuo literam illam obſignans, monet, ut ſedulò illud obſervent, ne ſuppoſitis ſuo nomine literis aliquando fallantur.

Nomine impii, qui *myſterium iniquitatis* 2. *Theſſal.* 2. 7. operatur, Neronem deſignari; ſicut & *adverſarii Dei* nomine, *Ibid.* 2. 4. qui ſuper omne, quod dicitur Deus, elevatur, Simonem Magnum indicatum credimus. Judæorum in Romanos defectionem, tanquam figuram inductam interpretamur defectionis populorum à Romano Imperio, ſicut & Chriſtianorum à Jeſu Chriſto, ejuſque Eccleſia. Myſterium iniquitatis, jam ſub Claudii imperio, cùm Epiſtolam Apoſtolus ſcriberet, cœptum, ſub Nerone tandem erupit; cùm ſcilicet impius ille Princeps, inſito ad iniquitatem ingenio, authoritate ſua Simonem Magnum deterrimum impoſtorem extulit. Ambo tamen figura erant Antichriſti, ſub exitum ſæculorum exerendi, à quo ingens in Eccleſiam Chriſti perſecutio, & Imperii Romani exitus imminebat.

Veteres nonnulli ſcriptam eam Epiſtolam Athenis; alii Romæ, ſive Laodiceæ, inconſultò omnes, autumarunt. Grotius exaratam contendit diù ante primam ad Theſſalonicenſes; directa verò ad Jaſonem Judæum, Silæ & Timothei neceſſarium, & ad Fideles alios Judaizantes, a mota poſt necem S. Stephani perſecutione, è Syria, & Palæſtina diſperſos. Ejus Epocham ad annum ſecundum Caii determinat. Vide refutationem ejus opinionis apud Bochartum (a).

THEUDAS. Vide *Theodas*.

THILON, filius Simonis è poſteri Calebi. 1. *Par.* 4. 20.

THIRAS, ſeptimus filius Japhet, filii Noe, *Gen.* 10. 2. pater Thracum, uti Interpretes omnes conveniunt.

THIRATABA. Vide *Tyrataba*.

THIRATÆI, nomen in Hebræo tantùm, non in Vulgata occurrens (b). Porrò Thiratæi Chaldæo nomine Janitores deſignant. Originem referebant ex Chamath, authore familiæ Rechabitarum.

THIRIA, filia Jaleleelis, è poſteris Calebi (c).

THISBE, patria Tobiæ. *Tob.* 1. 12. Sita erat ad dexteram, nempè ad meridiem urbis Cades, Metropolis Nephtali. Ex illa Eliam Thesbitem originem duxiſſe nonnulli autumarunt (d) quamvis diutiùs in Galaaditide ſubſtitiſſet: 3. *Reg.* 17.1. *Thesbites de habitatoribus Galaad*.

THOB-ADONIAS, Levita, & doctor legis, miſſus cum ſociis à Rege Joſaphat, ut urbes Juda diſcurrens, populos religione inſtrueret (e).

THOB-IAS, Levita, & Doctor legis ſelectus à Rege Joſaphat inter eos, qui urbes Juda populis inſtruendis excurrerent. 2. *Par.* 17. 8.

THOCHEN, urbs Simeonis; 1. *Par.* 4. 32. apud Græcos *Tocca*.

THOGORMA, tertius filius Gomer. *Gen.* 10. 3. Quam potiſſimùm regionem frequentaret, non ſatis convenit. Joſephus, & S. Hieronymus Phrygiis patrem tribuunt; Euſebius, Theodoretus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, Armenis; Chaldæus, & Thalmudiſtæ, Germanis. Recentiores benè multi autumant, filios Thogormæ Turcomaniam in Tartaria, & Scythiam incoluiſſe. Bochartus Cappadocibus favet, eo fretus argumento, quòd Ezechiel 27. 14. è Thogorma equos & mulos ad nundinas Tyri accerſat. Cappadoces autem equis, & aſinis excelluiſſe oſtendit. Addit etiam, Gallos nonnullos duce Trocmo in Cappadocia ſedem fixiſſe, quorum nomen *Trocmi*, ſive *Trogmi*. Nobis tamen ea opinio ſolidior creditur, quæ Thogormam in Scythia, & Turcomania conſtituit (f).

THOHU, filius Suphai, ſive Suph, pater Elielis, ſive Eliu, avus Samuelis. 1. *Reg.* 1. *&* 1. *Par.* 6. 34.

THOLA, natu major filius Iſſachar, author Tholaitarum. *Num.* 26. 23. *Gen.* 46. 13.

THOLA, decimus Judex Iſraelis, qui poſt Abimelechum rerum potitus, ſpatio 23. annorum ab A. M. 2771. ad 2794. ante Ch. 1206. ante Ær. 1210. ad obitum uſque, populo præfuit. In Scriptura patrem habuiſſe Phuam patruum Abimelechi, adeòque germanum Gedeonis legimus; ſed Tholam ad Tribum Iſſachar, Gedeonem ad Tribum Manaſſe ſpectaſſe ſatis conſtat. Quare, ut ambo hæc concilientur, dicamus oportet, ambo illos eadem matre natos, alterum tamen habuiſſe patrem; fortè enim eadem fœmina viro Tribus Manaſſis primò nupta, Gedeonem edidit; dein ſecundo conjugio cum viro Tribus Iſſachar, patre Phuæ, copulata eſt (g). Samir, urbs in montibus Ephraim, & ſedem Tholæ, & tumulum præbuit. Huic Jair Galaadites ſucceſſit.

THOLAD, Urbs Simeonis, 1. *Par.* 4. 29. eadem facilè cum *Eltholad*. *Joſue* 15. 30. & 19. 4. E ditione Tribus Juda ad Simeonem tranſiit. Græci *Moladam* appellant.

I. THOLMAI, filius Enach, è genere Gigantum, quem, unà cum aliis, Iſraelitæ occiderunt. *Num.* 13. 23. *Joſue* 15. 14.

II. THOLMAI filius Ammiud, patris Maachæ, uxoris Davidis, 2. *Reg.* 3. 3. & matris Abſalomi, & Thamar. Poſt fratris Amnonis cædem, Abſalom ad avum ſuum in Geſſur ſeceſſit (h).

S. THOMAS *Apoſtolus*, alio nomine *Didymus*, quod Græcè ſonat *gemellus*, quemadmodum & in Hebræo *Thomas*. *Joan.* 20. 24. Alterum etiam viro nomen Judam fuiſſe Euſebius *l.* 1. *c.* 12. inſinuare videtur, narrans Judam, alio nomine Thomam, Edeſſam ad Abgarum miſiſſe S. Thaddæum Diſcipulum Chriſti. Exemplaria quædam Euſebii hunc Thaddæum fratrem S. Thomæ tribuunt. Cæterùm S. Thomam e Galilæa originem, quemadmodum & cæteros Apoſtolos, retuliſſe nullus dubitu: ignotum tamen quo loco, ſicut & ejus vocationis hiſtoria in obſcuro latet. Apoſtolus igitur an. 31. Ær. deſignatus, *Luc.* 6. 13....15. tribus prædicationis annis Jeſu Chriſto ſocius adhæſit. Verum uſque ad an. 33. Ær. ejus geſta omnia latent; paulò tamen ante paſſionem Chriſti, cùm idem Chriſtus in Judæam ad Lazarum è mortuis revocandum ire conſtituiſſet, *Jo.* 11. 16. *Eamus*, ait Thomas, & *moriamur cum illo*, nempe vel cum Lazaro, vel cum Chriſto; utraque enim interpretatio ſuos habet patronos. Porrò his verbis inſinuare voluit Apoſtolus, certam illis perniciem ex odio Judæorum in-

(a) Epiſt. ad Sarrav. t. 3. Vide Henricum Maur. l. 2. c. 21. & Noſt. Præf. in 2. ad Theſſal.
(b) 1. Par. 2. 55. Vulg. Canentes. (c) 1. Par. 4. 16. (d) Reland. t. 2. Palæſt. p. 1035.
(e) 2. Par. 17. 8. A. M. 3094. ante Ch. 906. ante Ær. 910. (f) Vide noſt. Comm. in Gen. 10. 3.
(g) Vide Auguſt. q. 47. in Judic. & alios Interpp. in Judic. 10. 1.
(h) 2. Reg. 13. 37. A. M. 2974. ante Ch. 1026. ante Ær. 1030.

in Chriſtum in Juda imminere. Ita verò locutum, ut cæteris Apoſtolis animum faceret, aliqui credunt; alii verò metum ſuum prodidiſſe malunt (a).

In ultima cœna *Jo.* 14. 5. 6. Thomas Jeſum Chriſtum, quò iret, & unde, interrogavit: cui Salvator *Ego* ait, *via ſum, veritas, & vita*. Poſt Reſurrectionem Jeſus Chriſtus cùm Apoſtolis ſpectandum ſe, abſente Thoma, præbuiſſet, *Jo.* 20. ... 29. ille fratrum ea de re teſtimonio nunquam fidem ſuam additurum profeſſus eſt, niſi manibus ſuis vulnus lateris, atque pedum, & manuum exploraſſet. Quare Jeſus poſt dies octo iterum Apoſtolis apparens (b), Thomæ tangendum, & videndum ſe præbuit; eoque teſtimonio, ille omni hæſitatione depoſita, exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*. Tunc Jeſus, quia vidiſti, ait, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Paucis abhinc diebus, *Jo.* 21. 1. ... 23. piſcantibus in Mari Galilææ Thoma aliiſque nonnullis Diſcipulis Jeſus apparens, poſt conceſſam uberrimam piſcationem, inſtituto cum illis prandio noſcendum ſe præbuit. Veteri traditione receptum eſt, in Orbis inter Apoſtolos diſtributione, regionem Parthorum S. Thomæ obtigiſſe (c). Addunt, regionem Medorum, Perſarum, Carmaniam, Hircaniam, Bactrianorum, & Magorum provincias, cæteraſque Imperium Parthorum conſtituentes excurriſſe. Author operis imperfecti in Matthæum *hom.* 2. narrat, veniſſe illum in regionem Magorum, qui Chriſti incunabula adoraverant, quos Baptiſmo initiatos prædicandi Evangelii muneri addixit. Patres bene multi docent, eundem Apoſtolum ad Indos uſque pervaſiſſe (d), ſicut & alii in Æthiopiam (e).

Nullo ſatis recepto monumento de rebus à S. Thoma geſtis, atque ejus prædicatione inſtruimur. In quibuſdam Libris apocryphis, a Manichæis probatis, memoriæ proditum erat, S. Vitum acceptum ab homine quodam colaphum maledictione rependiſſe; quæ ſtatim irruentem in virum leonem induxit. Porrò eadem hiſtoria in Abdia legitur, atque S. Auguſtinus pluries illam, ſicuti & Libros omnes eandem referentes, tanquam apocryphos, & nullius authoritatis damnat (f). S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 4. ex Heracleone Hæretico Valentiniano immunem illum à Martyrio obiiſſe refert; cæteri vero Patres illata ab Infidelibus nece periiſſe teſtantur. Locus Martyrii Calamina in India deſignatur; inde verò Edeſſam corpus translatum, ibique ſummo honore cultum ferunt. Alia apud Luſitanos traditio: lancea enim ad pedem crucis transfoſſum propè urbem *Maliapur* apud Indos, ex veteri ibi reperta inſcriptione narrant; addentes inſuper, ejus corpus noſtra ætate inventum, Goam translatum, hodie uſque extare.

Huic tamen traditioni alia apud Græcos recepta traditio, Edeſſeniorum erga Apoſtoli lipſana veneratio teſtimonia PP. & Martyrologiorum, quæ diù ante inventum in *Maliapur* corpus, & corporis, & reliquiarum meminere, opponuntur. Tandem nullo firmo argumento Calaminam cum *Maliapur* confundendam probari poſſe contendunt. Sed hæc noſtræ indaginis non ſunt. Conſule, ſi placet, Authores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, uti Baronium ad an. Ch. 44. & Tillemontium de S. Th. t. 1. qui poſtremus Authores indicat de S. Thoma agentes, & fontes, qui ab optantibus petantur. Dies emortualis Apoſtoli, et & translationis Edeſſam, ad 21. Decembris, feſta eidem Apoſtolo dies apud Latinos (apud Græcos 6. Octobris colitur) in Martyrologiis conſignatur. In Martyrologio S. Hieronymi feſtum recurrit die 9. Junii; obitus, die 9. Februarii. V. Florent. in Not. ad Martyr. S. Hieron.

Plures ſub ejus Apoſtoli nomine apocryphi Libri prodiere, uti Acta, Itineraria, Evangelium, Apocalypſis, omnes a Gelaſio Papa damnati. Liber de itineribus, & rebus ab eodem in India geſtis; apud Abdiam commemoratur. Acta S. Thomæ Græca in pluribus Bibliothecis Mſs. ſervantur. Evangelium S. Thomæ authorem habuit Thomam Diſcipulum Manetis (g), quod facilè confundendum videtur cùm *Evangelio Infantiæ Jeſu* à Fabricio in Apocryphis N. T. vulgato. Hiſtoriam hominis à leone vorati, dira in illum Apoſtolo imprecante, ſupra deſcripſimus; hanc verò ex Actis S. Thomæ petitam apud Abdiam legas. Ex iiſdem Actis etiam collatum ab Apoſtolo non aqua, ſed oleo baptiſmum diſcas; quod inter Manichæos uſu receptum erat.

Sunt apud Indos Chriſtiani, qui S. Thomæ dicuntur, utpotè qui inſtitutos ſe ab Apoſtolo credant. In Peninſula Indiæ cis Sinum habitant; quamquam nec rari occurrunt etiam in Regno Cranganor, atque finitimis regionibus, ſicuti & in Negapatan, Meliapar, Engamar ſupra Cocchinum, ubi totius gentis Archiepiſcopus, Patriarchæ Babyloniæ ſubjectus reſidet. Narrant, primos Fideles ab Apoſtolo inſtitutos, in priſtinam deinde idololatriam lapſos, receptam ab illo doctrinam oblivioni adeò tradidiſſe, ut ne Chriſtianos quidem unquam in iis regionibus extitiſſe recordarentur. Succeſſu temporis vir quidam nomine *Mar-Thome*, ſive *Dominus Thomas*, Syrus natione, eo veniens, extinctum jam Evangelii lumen ſedulitate ſua, atque aliorum Sacerdotum ex Syria & Ægypto, quos acciverat, ope iterum excitavit, ingenti eorum populorum numero fidei reſtituto. Porrò Chriſtiani illi variis quidem erroribus, ſed Neſtorianiſmo potiſſimum infecti, non ab Apoſtolo, ſed ab hoc *Mar-Thome* fide primò inſtituti facilè crederentur.

Plerumque cæmentarii regula, & norma pictis ejuſdem Apoſtoli imaginibus apponitur; & apud Abdiam legimus, fidem illum ſuam obligaſſe apud Gondoſarum Regem Indiæ, exquiſiti operis palatium ſe illi conſtructurum. Namque, ait, ſervitiis ego addictus ſum peritiſſimi architecti, qui conſtruendis cujuſque generis ædificiis ex ligno & lapide maximè præſtat. Quibus ſanè verbis ille cœleſte ædificium ſpectabat, quod Juſti in terris degentes ſibi in Cœlo bonorum operum exercitio conſtruunt. Inſcriptio Malabarica habet, veniſſe illum in eas regiones, tenentem *regulam fabri lignarii & palum*. Narrant etiam, eundem Apoſtolum manum admoviſſe immani cuidam trabi, opus fruſtra ab aliis tentatum, ad locum deſtinatum pertrahendæ, cingulo autem ſuo alligatam nullo negotio, veluti ſi parvum aliquem bacillum duceret, traxiſſe. Viſum illud prodigium, Regi & univerſo populo urbis Maliapur ſalutare fuit. Hæc quidem, fidei quamquam ſubleſtæ, Pictoribus tamen & Sculptoribus excuſandis ſatis ſuperque habentur.

(Autumarunt plures (h) S. Thomam inter cæteras regiones, Sinas etiam excurriſſe prædicationis gratia. Fulciunt opinionem hanc ſuam authoritate Breviarii Syrorum hæc ferentis: *Per S. Thomam error & idololatria diſſipati ſunt apud Indos. Per S. Thomam Sinæ ac Æthiopes in agnitionem veritatis converſi ſunt. Per S. Thomam Regnum Cœlorum advolavit, & aſcendit uſque ad Sinas*. Ex ea regione divertiſſe creditur ad Indos, ubi martyrium conſummarit, juxta tradi-

(a) Chryſoſt. in Jo. hom. 71. (b) Patres vulgò tetigiſſe Chriſtum ſentiunt; quamquam nec ſatis liquidò Evangelium eam rem exprimit, neque certò conſtare S. Auguſtinus inſinuat Hom. 121. in Jo. & ſerm. 158.
(c) Orig. apud Euſeb. l. 3. c. 1. Hiſt. Eccleſ. Rufin. l. 10. c. 9. Recognit. l. 9. c. 29.
(d) Greg. Naz. Orat. 25. Hieron. epiſt. 148. Ambr. in Pſ. 45. Paulin. Carm. 26. & alii plures.
(e) Vide t. 6. Chryſoſt. Append. hom. 31.
(f) Aug. l. 1. c. 20. de Serm. Dom. in Adimant. c. 17. in Fauſt. l. 22. c. 79. (g) Cyrill. Catech. 6.
(h) *Commentar. Sinenſes* tom. 2. pag. 195. Kircher Sina illuſtrata. Trigant &c.

Digitized by Google

traditionem Eccleſiæ Malabaricæ, in Urbe Calaminæ hodie, & forte etiam per omnia retrò ſæcula incognita. Illud conſtat, Religionem Chriſtianam vetuſtiſſimam eſſe apud Sinas. In Collectione Canonum unus quidam præficit Metropolitanos Sinarum. Duo illi Arabes, quorum Itinerarium paulo antehac vulgatum eſt (a), agnoſcunt Regem Sinarum noviſſe aliquid de Jeſu Chriſto & Apoſtolis. Narrant ſe in itinere pertranſiiſſe Beyomnam, i. e. Eccleſiam S. Thomæ. Attamen P. Couplet non ſemel teſtatus eſt, in Sinarum hiſtoria ne verbum quidem occurrere de prædicata Religione Chriſtiana apud Sinas, nec de illa quidem prædicatione, cujus eſt mentio in inſcriptione Sinica & Syriaca; de qua nos ſtatim.

Porrò inſcriptio iſta detecta fuit annò 1628. in Urbe Siganfu Metropoli Provinciæ Kenſi; exhibebatque Sinicos characteres pluribus admixtos Syriacis apicibus, inſculpta autem fuit anno J. C. 780. (b), qui componitur cum anno 1092. Æræ Græcorum vel Seleucidarum. Habet autem illa, anno, qui incidit in annum J. C. 636. virum quendam ſanctum (*Olopuen vel Lopuen* appellat) *cæruleis vectum nubibus, & ventorum regulas obſervantem, veniſſe è Taein*, vel è Syria, ſeu ex Judæa ad Sinas, Religionem Chriſtianam annunciaturum. Sed facilè intelligimus hæc omnia ad alium planè referri, quàm ad S. Thomam 600. annis antiquiorem. Hanc inſcriptionem non adornavit Olopuen, ſed ſucceſſores ejus Chriſtiani. Cæterùm de hac miſſione nulla ſupereſt traditio, ſciturque tantum è verbis inſcriptionis illius, quam aſſequi non ſine ingenti ſtudio datum eſt. Primi Eccleſiæ Sinenſis inſtitutores Neſtorianiſmum profitebantur. Inſcriptionis hujus Authores meminerunt Hananiſhua Patriarchæ Neſtorianorum tunc in vivis agentis; & in notitiis Metropoleon Eccleſiæ Neſtorianæ recenſetur etiam Metropolitanus quidam Sinarum. Sed nihil minus hæc valent, quàm ad aſtruendam prædicationem Sinenſem S. Thomæ Apoſtoli.

Damus hic verſionem celeberrimæ hujus inſcriptionis Sinenſis detectæ anno 1625. D. Abbas Renaudot eam recenſuit poſt primores illos, quorum opera vulgata eſt & expoſita, atque imprimendam curavit in ſuis adnotationibus ad Iter Sinenſe duorum Arabum Mahometanorum, impreſſum Pariſiis in 8. apud Coignard 1718. Gallicè.

Anno Græcorum M. XCII. J. C. 780. Mareüs Iſdebuzid Sacerdos & Chorepiſcopus Cumdan (c). Urbis Regiæ Orientis, alio nomine appellatæ Milica (vel Meleca) Sacerdos Balch Urbis Turkheſtan erexit hanc tabulam lapideam, in qua deſcriptum eſt myſterium vitæ Servatoris noſtri, & prædicatio noſtrorum Patrum apud Reges Sinarum, tempore Patris Patrum Hananiſhuah Catholici-Patriarchæ (d).

Adam Diaconus filius Iſdebuzid Chorepiſcopi.
Marſargis Presbyter & Chorepiſcopus.
Sabar Jeſua (i. e. ſpes Jeſu) Presbyter.
Gabriel Sacerdos & Archidiaconus & Princeps Civitatis Cumdan & Daſrag.
Adam-So Diaconus filius Chorepiſcopi, Papæ Sinenſium.
In diebus Patris Patrum.
Ananiſhuah Catholici Patriarchæ.

Nomina virorum Apoſtolicorum deſcripta ad extremas oras lapidis Syriacis characteribus.

PRIMUS ORDO.

Aaron.
Petrus.
Job.
Lucas.
Matthæus.
Joannes.
Sbar Jeſua.
Jeſus Adad.
Lucas.
Conſtantinus.
Noe.

SECUNDUS ORDO.

Ardaſpha.
Joannes.
Apiuk.
Malargis.
Iſaac.
Simeon.
Iſaac.
Joel.

TERTIUS ORDO.

Mar-Juhanon Epiſcopus.
Iſaac Presbyter.
Joeh Presbyter.
Maher Presbyter.
Georgius Presbyter.
Mahada Gunneſph, Presbyter.
Matchadad Presbyter.
Andreas Presbyter.
M. Andreas Presbyter.
David Presbyter.
Moyſes Presbyter.

QUARTUS ORDO.

Iſaac Presbyter.
Elias Presbyter.
Moyſes Presbyter.
Abad Jeſua.
Simeon Presbyter.
Gabriel.
Joannes.
Simeon.
Iſaac.
Joannes.

QUINTUS ORDO.

Jacob Presbyter.
Malargis Presbyter & Chorepiſcopus.
Aggæus Presbyter, Archidiaconus Urbis Cumdan.
Paulus Presbyter.
Simeon Presbyter.
Adam Presbyter.
Elias Presbyter.
Iſaac Presbyter.
Joannes Presbyter.
II. Joannes Presbyter.
Simeon Presbyter.

SEXTUS ORDO.

Jacob Presbyter.
Abod Jeſua Presbyter.
Jeſu-Adad Presbyter.
Jacob.
Joannes.
Subcholmoran (Laus Domino noſtro).
Mor Joſeph.
Simeon.
Ephrem.
Ananias.
Cyriacus.
Cus.
Amiun.

In

(a) Veteres relationes Indiarum in Arabum tranſlatæ *Pariſiis* 1718. p. 13. & 146.
(b) Chriſtianum nomen innotuerat apud Sinas anno 636. adeoque annis 146. ante erectionem monumenti Sinenſis.
(c) Urbs eſt Nanquin tunc Metropolis Sinarum, quam Arabes noverant ſub nomine Cumdan.
(d) Erat Patriarcha anno 782.

In capite ſingulorum ſex columbarum novo modum illud Sinenſe teleſcopium legas deſcriptam expoſitionem quamdam Sinicam myſteriorum Chriſtianæ Religionis. Ante priſtinam columnam adſtruunt exiſtentia unius ſingularis Dei in Trinitate Perſonarum, Dei, inquam, creatoris ſeculorum omnium, cujus nomen exprimitur voce *Eloho*, ſonante vetuſto Syrorum ſermone *Deus*.

In ſecunda & tertia columna ſequitur expoſitio creati mundi, lapſus primi hominis inſtigatione Dæmonis, qui nomine vetuſto, Syrorum teſtibus, plerumque appellatur *Satan*.

In quarta deſcribitur adventus Jeſu Chriſti in carne his verbis: *Donec perſonarum quæ ſunt trinitatis ſecunda clariſſimo venerabiliſque Meſſias, operiendo abſcondendoque veram majeſtatem, ſimul homo prodiit in ſeculum.* Non obſcurè hæc præferunt Neſtorianorum erroneam expoſitionem myſterium Incarnationis.

Sermo eſt ibi pariter de Legatione Angeli, deſideratoque Magis atque eorum adoratione.

Quinta, ſexta, & ſubſequentes columnæ exprimunt Sacramenta Baptiſmi, & ceremonias alias Religionis Chriſtianæ, ut e. g. ab operantis facultatis habere illos faciem ad Orientem converſam; ſepties quotidiè orare pro vivis & defunctis, ſacrificare prima quaque hebdomadæ die; prohibuiſſe barbam, radere ſupremum verticem, ſervorum longo ſatellitio deſtitutos procedere; comparandis divitiis operam non dare, ſtudere jejuniis, [illegible] &c. Characteres ii omnes congruunt Chriſtianis Syris Orientis.

THOPHO, urbs Judææ, à Bacchide munitionibus firmata. 1. *Mach.* 9. 50. Eadem eſt ac *Taphua*. Vide *Taphua*.

THOR, modica urbs, & portus ad Mare Rubrum, ſive ad radices, & ad occidentem montis Sinai, à quo 50. m. paſſuum circiter diſtat. Medio ferè ab ea urbe, hortus eſt 12. fontibus & palmis nonnullis amœnus; hinc conjectura locus, idem eſſe ac Elim, ubi Scriptura teſte 12. fontes & 70. palmæ ſpectabantur. Fontes illi hodie amaris aquis fluunt; ac pro 70. palmis, ultra 2000. in loco florent. Nuſquam, quantum ſcio, nomen Thor in Scriptura occurrit. Ibi ſitum perhibent nonnulli montem magneticum, cujus vi attracta navigiorum clavis, navigia ipſi ſubitò reſoluta, veluti naufragio, diſſolvuntur; quare ut à præſentiſſimo periculo naves eximantur, ligneis clavis connecti oportet. Arabes Authores quidam prodigium illud de monte Almandabò ad litora Æthiopiæ, in Mari Rubro, in ora Arabiæ felicis aſſerunt. Aliqui tamen de ullo ejus loco experientia convicti negant Recentiores; quibus omnia hæc fabulam olent.

THOR, *Al-thor*, ſive *Al-tur*, quo nomine montem Sinai Arabes appellant.

THOSA, pater Jedihelis, & Joha, filiorum Samri. 1. *Par.* 11. 45. Solo nomine notus eſt locus.

THOU, Rex Emath in Syria, qui de accepta à Davide in Regem Adarezer victoria gratulaturum filium ſuum; ſimulque vaſa aurea, argentea, & ænea oblaturum, ad illum miſit (a).

THRONUS. Cælum thronus eſt Dei, terra vero ſeſe ſui exhibet ſuppedaneum. *Iſa.* 66. 1. *Act.* 7. 49. Ad ejus throni dexteram Chriſtus Jeſus aſſidet. *Pſal.* 109. 1. *Luc.* 22. 69. Arca fœderis velut alter Dei thronus habebatur. Divini ſolii baſes, Juſtitia ſunt & Judicium: *Juſtitia & Judicium præparatio ſedis ejus.* *Pſal.* 88. 15. & 96. 2. Thronus Salomonis veluti ſtructura prodigium in S. Scriptura celebratur. 3. *Reg.* 10. 18. 19. Ex ebore conſtructus, auro obductus fulgebat. Sex gradibus, ſingulisque duobus aureis leunculis ad ambas extremitates ornatis, ad ſedem aſcenſus patebat. Superiora in poſteriori quidem parte rotundo opere deſinebant, inſtar rotundæ reductis. Adjectæ utrimque manus, ad utrumque latus ſingulæ, ſive ſedi continentes, ſive tanquam duo ſolii brachia, juxta manus adjecti totidem leunculi, ejuſdem cum aliis operis.

Thronus ponitur pro magnifica quadam cathedra, cui aſſidens ſupremus Princeps excipit ſubditorum tributa, miniſtros exterarum gentium ablegatos, vel ſpectandum ſe præbet in ſolemni majeſtatis oſtentatione; utì enim jus dicendum eſt, uno verbo thronus, ſceptrum, & diadema inſignia ſunt Regiæ dignitatis. Deum throno aſſidentem exhibet plerumque Scriptura, Iſaiasque aſſignat illi pro throno Cœlum, cui terram ſcabelli loco ſubmittit: *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* *Iſai.* 66. 1. Pſalmiſta non ſemel perhibet Deum jam inde ab æternitate conſtituiſſe in Cælo thronum ſuum. *Pſal.* 102. 19. *Dominus in Cælo paravit ſedem ſuam*; & *Pſ.* 92. 2. *Parata ſedes tua ex tunc.* *Pſal.* 44. 7. *Sedes tua in ſeculum ſeculi.* Throni hujus fulcimenta ſunt æquitas, & juſtitia. *Pſ.* 96. Thronus ille Domini, qui per viſum Ezechieli 1. 2. 3. oblatus eſt, terribilis erat ſimul & magnificentiſſimus omnium, quotquot uſquam animo complectimur. Inſidebatur etenim ſibi vel thronus anima, habebatque admotos vectores quatuor Cherubim, figuras planè ſingulares; ſuppoſitas erat rotas quatuor ampliſſimæ & pulcherrimæ ad miraculum, quibus accedebat ad decorem animus, quo rotæ agebantur, & ſpiritus, quo impellebantur. Thronum illum Domini impoſitum rotis & Cherubim cryſtallum referebat politiſſima, cui cathedra erat ſapphirina. Aſſidebat throno vir nitenti quadam luce, ignè ſeu ignito metallo perſimili micans, circa quem opus vividos Iridis colores referens ſpectabatur. Vide pariter deſcriptionem throni Domini apud Iſaiam 6. 1. 2. 3.

Cherubim ſuper Arcam fœderis poſiti perinde habebantur ac Thronus aliquis Dei; unde non temerè legitur in Scriptura, cùm de Deo agitur, illud: *Qui ſedes ſuper Cherubim* 1. *Reg.* 4. 4. & 2. *Reg.* 6. 2. & 4. *Reg.* 19. 15. *Iſai.* 37. 16. *Pſal.* 79. 2. & 98. 1. *Iſai.* 37. 16. Sive autem conſideres Cherubim illos Arcæ, ſive Cherubim alios, de quibus Iſaias & Ezechiel, infra ſe circa Thronum Omnipotentis circumitos, eò facilè ſpectavit S. Paulus, cùm Spiritus quoſdam ſub Thronorum nomine deſignavit: *Sive Throni ſive, Dominationes.* Coloſſ. 1. 16.

Thronus Salomonis ſubjicitur mentis noſtræ meditationis ſibi vindicat; illud enim deſcribit Scriptura, tanquam omnium, quotquot in mundo, altiſſimum & pulcherrimum: *Non eſt factum tale opus in univerſis Regnis.* 3. *Reg.* 10. 20. Ex ebore paratus erat totum, veſtiebaturque auro puro; per ſex diſpoſitos gradus ad ſummum aſcendebatur. Retro poſt tergà rotunda erat operis, & duobus brachiis ſella tegebatur; tantùm ad ornamenti decus præcipuum accedebant duodecim aurei leones, gemini in ſingulos gradus diſpoſiti.

Jurabant interdum Hebræi per Thronum Dei, ſive per Cœlum, cujuſmodi prohibita ſacramenta vetuit Dei Filius, *Matth.* 5. 34. & 23. 22. Qui enim, ait, jurat per Cælum, jurat ſimul per Thronum Dei, & qui per Thronum Dei, ſimul per aſſidentem illi ſacramentum nuncupare convincitur. Textus eſt quidam in Exodo 17. 16. qui commodè exponeretur de ſacramento præſtito per Thronum Dei: *Quia manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalech*; i. e. Dominus extulit manum ſuam ſuper Thronum ſuum, i. juravit per Thronum ſuum, ſe bellum illaturum ſe in Amalecitas. Ita pariter Judith 2. 12. jurat Nabuchodonoſor per Thronum ſuum Regni, vindicaturum ſe eas gentes, quæ ad mittere Legatos ſuos recuſaverant.

Dei Filius in Scriptura exhibetur aſſidens ad dexteram Patris. *Pſal.* 109. 1. Vide *Hebr.* 1. 8. *Apoc.* 3. 21. Jeſus Chriſtus ſpem facit Apoſtolis collocaturum ſe illos in ſoliis duodecim, ut ſedeant judicaturi duodecim Tribus Iſrael. *Luc.* 22. 30. Spectare licet in-

(a) 2. Reg. 8. 9. Circ. a. M. 2960. ante Ch. 1040. ante Ær. 1044.

in Apocalypſi 4. 4. Seniores 24. in ſuis ſingulos Thronis adſiſtentes Domino ; & in Daniele 7. 9. cùm Deus judicium inſtituturus eſt de filiis hominum, parantur pro Judicibus Throni: *Throni poſiti ſunt*. Sedit tunc Antiquus dierum in flammeo ignis Throno impoſito rotis, ceu ex igne devorante. Fluvius igneus ex ejus vultu egrediebatur ; adſiſtebant parati ad nutum milleni Angelorum, qui latera & circum omnia ſtipabant.

THRONI in ordine Cæleſtis Hierarchiæ exprimere poſſunt, uti jam innuimus, Cherubim, perinde habitos ac Thronos Dei ſedentis ſuper Cherubim Arcæ impoſitos. S. Paulus ad Epheſios 3. 10. & 6. 12. inter Cæleſtes Spiritus, Angelorum Hierarchiam conſtituentes, nihil habet de Thronis. Recentiores quidam autumarunt Apoſtolum, cùm recenſet Thronos, Poteſtates, & Dominationes, deſignare voluiſſe tantùm Principatus temporales alteros alteri ſubordinatos: Throni ſunt Reges : Principatos Præfecti Provinciarum : Poteſtates Judices & Magiſtratus Urbium.)

THUBAL, quintus filius Japheti, cujus nomini S. Scriptura plerumque alterum, nempè Moſoch, jungens, ambo hæc geminos finitimos populos deſignare ſatis inſinuat. Significatos autem Italiæ & Aſiæ, ſeu potiùs Auſoniæ populos, Interpretes Chaldæi autumarunt. Joſephus maluit Iberos, & Cappadoces. S. Hieronymus Hiſpanos, olim Iberos dictos, nomine Thubal deſignari voluit. Bochartus tandem Moſchos & Tibarenos iiſdem viris poſteros attribuit. Vide Interpp. in Gen. 10. 2.

THUBAL-CAIN. Vide *Tabal-cain*.

(THUS, THURIBULA. Eſt thus reſina quædam aromatica, odore grata, quam ſtillat arbor apud Veteres *thurifere* cognomine deſignata ; foliis veſtita pyro perquam ſimillimis juxta Theophraſtum. Ex inciſo cortice diebus canicularibus illacrymatur thus. Optimum eſt thus maſculum, cujus ſunt rotunda granula, alba, & interiùs pinguia, quæ vix igni impoſita concipiunt flammam: appellatur etiam *Olibanum*. Thus fœmella mollius eſt, & magis reſinoſum, ac minus gratum odore. Sabæum maximi æſtimabatur apud Veteres, ut vel cum elogio Sabæi thuris meminerint (a).

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Dare thura munus erat Sacerdotum, inſinuabant ſe bis mane & veſpere ſingulorum dierum in Sanctum ad ſuffitum. Die Expiationis ſolemnis Summus Sacerdos plenum thure vel unguento contuſo ; paratoque ut inferretur in thuribulum cocleare accipiens, igni dabat quo temporis articulo pedem inferebat in Sanctuarium, ut ſcilicet ſublati vaporis nubes curioſam nimis inveſtigationem Arcæ & Propitiatorii impediret : cui cæremoniæ ſi quis deeſſet, mortis à Deo minas incurriſſet, *Num.* 16. 13. Nefas erat Levitis manum extendere ad Thuribula ; quod malo ſuo intellexerunt Core, Dathan, Abiron & ſeditionis conſcii, qui eam ſibi prærogativam vindicare auſi ſunt *Num.* 31. 32. 33. Veterum Hebræorum thuribula differebant plurimùm à noſtris ; neque enim è prolixis illis catenis pendebant ; ſed genus quoddam referebant parvi clibani cum anſulis, vel etiam abſque illis, quem Sacerdos vel imponebat Altari Thymiamatis, vel inferebat in Sanctuarium. Agens S. Joannes, *Apoc.* 5. 8. de thuribulis, quæ tenebant quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, deſignat illa tantùm nomine lancium vel ſcyphorum aureorum continentium ſuffitus : *Phialas aureas plenas odoramentorum*. Variabant igitur plurimùm à noſtris. Inſculpta thuribula fumantia, in figuram ſcyphi vel calicis baſi ſuæ impoſiti, offerunt nummi Symonis Macchabæi.

INCENSUM ſignificat interdum in Scriptura hoſtias & adipes victimarum, quæ immolabantur, ut in illo 1. Par. 6. 49. *Aaron verò, & filii ejus adolebant incenſum ſuper Altare holocauſti, & ſuper Altare thymiamatis*. Scitum eſt utique nulla offerri conſueviſſe thura ſuper Altare holocauſtorum, ſed deſtinatum erat victimis, quæ incendebantur in odorem gratum Domino.)

THYATIRA, urbs, Myſiæ ab aliquibus, ab aliis Lydiæ, ſive Aſiæ Minori, quòd tribus illis Provinciis contermina ſit, aſſignata. Ad Angelum Thyatiræ S. Joannes in Apocalypſi 2. 18. hæc ſcribit : *Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus. Sed habeo adverſus te pauca ; quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua. Ecce mittam eam in lectum ; & qui mœchantur cum ea ; in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint. Et filios ejus interficiam in morte, & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes, & corda. Et dabo unicuique veſtrum ſecundùm opera ſua. Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatiræ eſtis, quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines Sathanæ, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus ; tandem id, quod habetis, tenete donec veniam.*

Hunc Thyatiræ Angelum, ſive ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, vel S. Carpum, vel S. Irenæum, aliqui deſignare crediderunt ; quamquam de primo plurimùm dubitamus ; de ſecundo nulla ſuppetit conjectura ; quare Angelus iſte Thyatiræ in incerto prorſus latet. Quidam Heretici, referente S. Epiphanio, authoritati Apocalypſis ideò detrahebant, quòd eorum ætate nulla eſſet Thyatiræ Eccleſia Catholica ; quaſi ſcilicet illius temporis ſtatus, præcedentis argumentum fuiſſet. Jezabel illa, quæ ſe Prophetidem jactitabat, figuratum eſſe nomen, iniquiſſimæ fœminæ (quænam illa, incertum) deſignandæ creditur. Plura Græca Mſs. legunt : *Tuam mulierem Jezabel* ; & ex veteribus Patribus nonnulli uxorem eſſe illius Epiſcopi autumarunt. Alii Nicolaitas deſignatos credunt, viros corrumpendis Fidelium moribus, atque in hæreſim pertrahendis perniocioſiſſimos. Sanior pars ſub eo nomine ſugillatam credunt fœminam quamdam, quæ potentia, & audacia ſua vana quædam oracula jactitans, populos ſeduceret.

THYINUM LIGNUM, Hebraicè *Almagim*, ſive *Algumim*, lignum prodigiosè pulchrum. Vide quæ diximus v. *Almagim* (b).

THYRSUS, nomen, quod Latini æquè, ac Græci uſurpant de ſpiculo, ſive lancea, hederaceis pampinis ornata, quam in manibus militum Bacchi, ſive Sacris illius Numinis adſiſtentium imponunt. Vitigineos pampinos ad hunc uſum Ovidius *Metamorph. l. 3. v. 666.* aſſignat.

Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis.
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam.

De Thyrſis hæc in 2. Machab. 10. 7. *Propter quòd thyrſos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui proſperavit mundare locum ſuum*. Nihil tamen his thyrſis cum aliis Bacchi commune, ſi figura excipiatur ; illi enim celebrandæ Dei Iſraelis potentiæ, atque agendis ejus in populum providentiæ gratiis deſtinati erant. Thyrſos etiam præferebant Judæi in Feſto Tabernaculorum, cujus moris nunc etiam in eorum Hoſannis veſtigium ſervatur. Ramos enim ferunt ſalicum, myrthi, & palmarum, quos ſimul colligatos, atque appenſis pomis citrinis, & aureis religioſa quadam cæremonia ad quatuor mundi partes agitant. Vide *Feſtum Tabernaculorum*

THYMIAMA. Unguenti ſuaveolentis genus erat ea ſta-

(a) Virgil. Georg. 1. & 2. Vide & Æneid. 1. Theophraſt. hiſt. Plantar. l. 9. c. 4. & alii paſſim.
(b) Vide etiam Comment. in 3. Reg. 10. 11. 12.

ex ſtacte, onyche, ſive ungue odorato, & galgano, atque thure, omnibus æquali pondere conſtans. Res erat ſacra, & religioſa, quam in privatum uſum adhibere capitali pœna vetitum. Mane, & veſpere ſingulorum dierum altari aureo in Sancto imponebatur, ejuſque deferendi munus ad Sacerdotes hebdomadario officio fungentes ſpectabat. Zacharias, pater S. Joannis Baptiſtæ, cum thymiama oblaturus iret, Angelum obvium habens, orturum Præcurſorem Meſſiæ didicit.

TIARA, quo nomine non rarò Mitra, ſeu capitis integumentum Summi Sacerdotis appellatur. Vide *Cidaris*.

TIBARENI populi Cappadociæ finitimi. V. *Thubal*.

TIBERIUS ALEXANDER LYSIMACHUS, nepos Philonis Hebræi, & filius Alexandri Lyſimachi, Alabarchæ ſive Præfecti Judæorum Alexandrinorum, & fratris Philonis Judæi. Tiberius igitur originem ex Judæis, & quidem Sacerdotalem referens, patria religione abjecta, ad Ethnicorum Sacra tranſivit. Cuſpio Fado in Præfectura Judææ ſucceſſor datus eſt (a); quam provinciam quietam ab anteceſſore ſuſcipiens, nihil innovans, in pace ſervavit. Jacobum, & Simonem filios Judæ Galilæi, qui ante 40. annos in populo ſeditionem excitaverat, crucis ſupplicio ſuſtulit. Præfecturam egit uſque ad A. Chr. ſive Ær. 88. eumque Ventidius Cumanus ſucceſſor excepit (b). Cùm Tiridates, cogente Corbulone, Romam veniret, ad accipiendam Regni coronam à Tiberio, ipſe Parthis obſes datus eſt (c). Ægypti Præfectus an. 66. renunciatus eſt. Omnium primus Veſpaſianum Imperatorem ſalutavit die 1. Julii an. 69. atque in bello Jeroſolymitano ſecundam à Tito poteſtatem exercuit (d). Hunc Ducem Titus ſummè obſervans, ſummum illi inter Conſiliarios locum conceſſit.

TIBERIUS, Imperator, filius Liviæ uxoris Auguſti, & Tiberii Neronis, è Patricia Claudiorum gente, in Auguſti familiam adoptatus A. Chr. ſive Ær. 4. Auguſto in Imperio ſucceſſit A. Chr. 14. rerumque 22. annis, menſibus 7. totidemque diebus potitus eſt. Rerum ab illo & ante & in Regno geſtarum hiſtoriam retexere nihil ad nos; quibus tantùm ea commemorare ſufficiet, quæ ad S. Hiſtoriam & S. Scripturæ, quam potiſſimùm intendimus, explicationem conferunt. Ab eo igitur (e) Judæis, quibus opprimebantur, vectigalium reductionem efflagitantibus, res tota ad Germanicum, eo anno Orientem petiturum, remiſſa eſt; quo exitu, ignotum.

Poſt aliquot annos, an. Ch. 19. Tiber. 5. vel 6. latis à Senatu edictis, Judaicarum cæremoniarum exercitium Romæ interdictum eſt; Judæique omnes, ſi fides Tacito, ex Italia faceſſere, niſi avita ſacra intra certum tempus deſeruiſſent, decreta ſervitutis pœna in tranſgreſſores, juſſi ſunt. Hæc tamen de exilio ad univerſa Italia, neque apud Joſephum, neque apud Svetonium legas. Hujus perſequutionis authorem moltoremque fuiſſe Sejanum Philo in Legat. teſtatur; iniqua enim verſans conſilia, de Judæorum fidelitate ſibi metuebat. Joſephus tamen *Antiq. l.* 13. *c.* 5. ejus indicendæ invidiam in quatuor Judæorum factum refundit; qui Romæ Judaicam Religionem docentes, Fulviam quamdam matronam Romanam in ſuam ſententiam adductam perſuaſerunt, ut ditiſſima munera ſibi committeret, ſpecie quidem quaſi ad Templum Jeroſolymitanum deferri, re tamen in ſua commoda verterunt. Re ad Tiberium per Saturninum virum Fulviæ delata, omnes actutum Judæi urbe proſcripti ſunt; ex quibus etiam 4000. lecti, ut in Sardiniam coercendis prædonibus mitterentur (f).

Circa ann. 26. Ær. in Judææ Præfectura Pilatus Grati ſucceſſor ab Imperatore datus, uſque ad ann. 35. in Provincia manſit. Vide *Pilatus*. Inter hæc, Pilatus aureum clypeum Tiberio dedicandi (g) in palatio Herodis Jeroſolymis negotium ſuſcepit. Ea de re commoti Judæi, inſtanter rogare, ſive ut monumentum illud tolleret, ſive Imperatorem idipſum poſtulari permitteret. Scriptis igitur ea de re literis, reſcriptum ab Imperatore impetratum eſt, ut ſtatim clypeus tolleretur. Iterum etiam Judæorum in ſe invidiam Pilatus creavit, cùm Romanas copias, ſub ſignis Imperatorum ſtemmata præferentibus, in urbem introduxit (h): inſtantiſſimis tamen Judæorum precibus à Præſide impetratum eſt, ut ſigna tandem illam Cæſaream reduci juberet.

Quadraginta ante Jeroſolymæ everſionem annis, jure ſanguinis Judæi privati ſunt à Romanis (i). Succedente tamen anno, datis ad Præſidem reſcriptis, Tiberius cavit, ne quicquam in Judæis innovaretur, nihilque fieret, quod in eorum incommodum cederet. Cùm Jeſus Chriſtus an. Ær. 33. neci traditus fuiſſet, de obitu ipſius, & prodigiis, quæ poſtea contigerant, Pilatum literas ad Imperatorem dediſſe ferunt (k). His compertis, Tiberius Numinis aliquod in Chriſto eſſe intelligens, ita ad Senatum ea de re ſcripſit, ut Divinos illi honores decerni optaſſe videretur. Renuit tamen Senatus, ut authoritatem ſuam ſervaret, ne cultus cuiquam ſine Senatuſconſulto impenderetur, & nemo inter Numina reciperetur, niſi probante Senatu. Tiberius tamen exinde propenſo in Chriſtianos animo manens, accuſatores ipſorum mortis pœnam minitans deterruit. Porrò nulla ſub eo Principe perſecutio in Eccleſiam mota eſt. Obiit menſe Martio A. Chr. 37.

TIBERIAS, urbs celebris Galilææ ad oram meridionalem, & in ripa occidentali Lacus Genezareth, alio nomine *Maris Tiberiadis*. Vetus ejus nomen creditur *Cinnereth*, ſive *Chammat*, *Emath*, *Raccat*, *Recchath*; quod tamen valdè in incerto verſari Relandus *Palæſt. t.* 2. non futilibus argumentis demonſtrat; neque enim, ait, ea opinio aliunde fulcitur, quàm quod dictum olim *Mare Cinnereth*, poſtea *Mare Tiberiadis* appellaretur. An igitur Cinnereth, & Tiberias propterea confundendæ? Addit etiam, ſortis Nephtali latus meridionale à Capharnao incipere (l); quæ ſanè urbs Tiberiade ſeptentrionalior eſt; Cinnereth verò, Hemath, & Reccath in ſorte Nephtali ſine controverſia recenſentur. *Joſue* 19. 35. Non igitur confundenda Cinnereth cum Tiberiade, urbe ſcilicet ad meridiem Lacus Tiberiadis.

Hanc urbem in honorem Tiberii Herodem Agrippam condidiſſe A. Chr. 17. Tiber. 3. 4. ex Joſepho *Ant. l.* 18. *c.* 3. *& de Bello*, *l.* 2. *c.* 8. diſcimus. Juxta illam, candentium aquarum balnea ſita erant; atque in urbis ſolo monumenta quampluríma, & cadavera occurrebant (m); quod ſanè à Judæorum moribus prorſus abhorruit. Triginta ſtadiis ab Hippo, 60. à Gadara, 120. à Scythopoli (n), & 30.

(a) Joſeph. Antiq. l. 20. c. 3. & de Bello, l. 2. c. 19. A. Ær. 46.
(b) Antiq. l. 20. c. 3. (c) Tacit. Annal. l. 15. c. 26. 29. Dio. l. 62. A. Ær. 63.
(d) Joſeph. de Bello l. 5. c. 6. & l. d. c. 24. & de vita ſua. A. Ær. 70.
(e) Tacit. Annal. l. 11. c. 42. A. Chr. 17.
(f) Sveton. in Tiber. c. 36.
(g) Philo Legat. (h) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 4.
(i) Jo. 18. 31. Judæi apud Caſaub. Exerc. 15. n. 71. Philo, Legat. A. Ch. 30. Tiberii 16. & 17.
(k) Euſeb. l. 2. c. 2. Hiſt. Eccleſ. Tertull. Apolog. c. 5.
(l) S. Matth. 4. 13. notat Capharnaum ſitum eſſe in finibus Zabulonis, & Nephtali. Et Joſue 19. 34. tradit, ſortem Nephtali ad latus meridionale pertranſire in Zabulon.
(m) Ant. l. 18. c. 3. (n) Idem de vita ſua.

Digitized by Google

& 30. à Tarichæa (a) diſtabat. In tabulariis, ſive in Ærario ejuſdem urbis, referente S. Epiphanio *l. 1. adv. hær.* Comes Joſephus, imperante Conſtantino Magno, Evangelium S. Joannis, & Acta Apoſtolorum Hebraicè tranſlata invenit. Addit etiam, ante eam ætatem, nulli unquam Chriſtiano permiſſam manendi, ſive Tiberiade, ſive Capharnai, Nazareth, & Diocæſareæ facultatem; eumdem verò Comitem conceſſa ſibi ab Imperatore poteſtate, condendi Jeſu Chriſti nomine Templi, in eum uſum magnum Templum *Adrianeum*, nunquam antea abſolutum conſecratumque, abſolvit, atque abſolutum in Chriſtianorum uſus convertit. Narrat Lampridius *in Sever.* Imperatores Alexandrum Severum, & Adrianum de adſcribendo in Deorum cenſum Jeſu Chriſto, eique Templis dedicandis cogitaſſe: hinc, ait, noſtra etiam ætate in omnibus urbibus Templa ſine Numine occurrunt, propterea *Adrianea* appellata.

Lacus Tiberiadis, *Stagnum Tiberiadis*, *Mare Tiberiadis*, quæ diverſa nomina eundem deſignant lacum Genezareth, ſive Mare *Cinereth*, vel *Cennereth*, vel tantùm *Mare Galilææ*. Vide *Cennereth*.

(Hanc Urbem à ſe conditam Herodes Tetrarcha largitionibus pluribus cumulatam ornavit, cujus etiam commodus ſitus id effecit, ut brevi inter cæteras diſtingueretur: crevit tandem in Metropolim Galilææ. Agrippa coactus Romam deſerere eò ſe recepit cum Herode patruo ſuo; eamdemque tandem Urbem Claudii munere ſibi accepit; ex quo factum eſt, ut in Nummis vindicaret Urbs illa ſibi nomen *Claudia Tiberias*. Furente bello Judaico Joſephus illam occupavit, oneravitque ibi grandibus ictibus Præfectos illos, qui Romanorum nomine pacem oraturi venerant. Incolas ejus omnes trucidandos ſtatuerat Veſpaſianus; ſed Agrippa juris ſui Urbem illam dimitti precariò obtinuit, contentus expoliari tantùm mœnium portione. Erat Tiberias Urbs frequentiſſima piſcatoribus & nautis, ex quo factum, ut poſtica nummorum ejus referret inſculptam ratem. In aliis nummis ſub Trajano cuſis offert ſe Dea Sanitas anguis ſpiris cincta, ac monti aſſidens, ex quo dives aquarum vena decurrit, quibus emblematibus intelligas celebrari Urbem balneis ſuis tepentibus, quorum medicamine juvarentur ægroti.

Eo poſt Jeroſolymæ everſionem per Romanos Judæi quidam cum doctiſſimis nonnullis Sacerdotibus ſeſe recipientes, fundamenta locarunt Academiæ, cujus celebre deindè nomen fuit tum ex digeſta Miſna, cùm etiam ex alio inſigni Opere Maſſoretarum Anthorum vocalium punctorum; ac tandem decoris acceſſio facta eſt ex fama Doctorum ibi profitentium: ibi pariter reſidebat totius gentis Patriarcha.)

TIBIA, muſicum inſtrumentum, de quo ſæpè in Scriptura, ſub nomine *chalil*, *machalath*, *maſrokithe huggab*, quamquam poſtremum hoc vulgò reddi ſolet, organum. Organa tamen vetera facilè nonniſi tibiarum inæqualis altitudinis ordines erant, quæ ſanè tibiæ ſolo ſuperiori foramine inſtructæ, atque ore canentis per ſingulas tranſmeante, admiſſo per inſpirationem aere crepitabant. V. *Organum*.

De reliquis tibiis in S. Scriptura memoratis via certi aliquid afferre poſſemus. Ferunt, veteri more, duabus ſimul tibiis ori applicatis tibicines luſiſſe; unico foramine inſtructam ad dexteram, duplici, ad ſiniſtram conſtituebant; ex quo factum ut acuto ſimul & graviori ſono modularentur (b). De Tibicinis ad deducendum funus filiæ Jairi conductis, ſermo eſt in Evangelio *Matth.* 9. 23. 24.

Ex Rabbinorum doctrina, in vulgaribus funeribus duo ſaltem Tibicines, præter lamentatrices, adhibendi fuerant (c). Joſephus *de Bel. l.* 3 *c.* 15. de ſeipſo perhibet, ſparſo de obitu ſuo vano per urbem Jeruſalem rumore, non defuiſſe, qui Tibicines ad lugendum funus conduxiſſent. In Veteri tamen Teſtamento ne veſtigium quidem hujus moris apparet; Judæi enim facilè ex Romanis deindè acceperunt. Seniorum funera tubæ comitari conſueverant; puellarum verò tibiæ (d); quemadmodum & ex Evangelio in hiſtoria ſupra narrata obſervatum novimus.

TICHON. De domo Tichonis, ſive *Beth-Ticon* in finibus Auranitidis, ſermo eſt apud Ezechielem 47. 16. Incerti ſitus locus eſt; facilè tamen non longè à Damaſco, & Trachonitide. *Bethaenorum* nomen apud Plinium occurrit (e).

TIGRIS, amnis celeberrimus, ex Armenia in Sinum Perſicum defluens, apud Moyſem *Chidkel*, *Gen.* 2. 14. apud Veteres *Diglito*; hodie etiam *Tegil*, ſive *Tigil*. Joſephus, Paraphraſtes Chaldæus, Interpretes Arabes, & Perſæ *Diglat* appellant. Sub ipſis fontibus, & exinde quoadusque leni amne fluit, *Diglito* nuncupari Plinius l. 6. c. 27. animadvertit; inde præpeti fluento raptus, Tigris dicitur, quod Medorum lingua *ſagittam* ſonat. Ejus fontes in ſuperiori Armenia in medio campi Elegoſini conſtituit. Lacum Arethuſam invadens, intermixtis aquis ſecat. Inde objectu montis Tauri impeditus, terram ſubit, iterumque ad alterum montis latus emergit. Voraginem illam Zoroandam appellant, atque abſorptæ in illa aquæ, ſi quid ſecum una rapuerint, iterum ad aliud latus emergentes reddunt; quo indicio unum, idemque flumen deprehenditur. Hæc Plinius. Ptolemæus etiam in Armeniæ meditullio fontes ejuſdem fluminis, ad 39. gradus, & tertiam gradus partem latitudinis collocat.

Strabo tamen l. 11. fontes ejuſdem amnis ad montem Taurum, ubi iterum emergit, conſtituiſſe videtur; oriri enim ait extra Armeniam ad meridiem montis Niphatis, qui pars eſt montis Tauri. Tigris ad orientem, & Euphrates ad occidentem Meſopotamiam, intra duos illos amnes ſitam, terminant. Ambo hi, poſt emenſum vaſtum regionis tractum à ſeptentrione in meridiem, in Sinum Perſicum influunt. Hodie communi alveo in mare feruntur; olim verò, anthore Plinio l. 6. c. 27. 28. ſeorſim ſuis ſinguli canalibus, quorum veſtigia ejuſdem Scriptoris ætate adhuc ſupererant. Fontes Tigris in regione Eden ſpectabantur, quippe qui unus eſſet ex quatuor Paradiſi Terreſtris: *Geneſ.* 2. 14. ſolutis è montibus Armeniæ nivibus ineunte vere fluvius iſte tumens, in ſubjecta arva exoneratur. *Eccli.* 24. 35.

TIGRIS, animal immite, de quo ſemel tantùm in Textu Latino Scripturæ: *Job.* 4 11. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam.* Hebræum tamen *laiſch*, quod Latino *Tigris* reſpondet, ſenem leonem potiùs deſignat. Porrò Tigridem genus eſſe leonis conſtat; exceptis enim maculis, quibus pellis alterius variatur, de reliquo conveniunt (f). Pellis tigridis longis quibuſdam lineis diſtinguitur; Panthera verò, maculis rotundis aſpergitur (g).

(Tigris bellua ad felem quàm propiùs figura accedens, aduncis unguibus; ſed ſeſe planè major. Animalia quadrupeda ita vincere elegantia corporis ait Oppianus, quemadmodum pavo inter aves præſtat. Celerrima eſt adeo & prompta, ut ventis fœtam concipere fabulentur Poetæ. Addunt ipſi pariter Tigres adjungi currui Bacchi ad vehendum; quo ſcilicet emblemate deſignatum eſt vino edomari omnium ferociam. In Aula Mogolis inſtitui certamina hominum

(a) Ibidem. (b) Vide noſt. Diſſert. de inſtrum. muſic. Hebr. ante a. t. Comment. in Pſ.
(c) Vide Selden. Uxor. Hebr. l. 3. c. 8.
(d) Stat. Thebaid. l. 6. Ovid. Prop. Servius.
(e) Plin. l. 5. c. 23. Legunt alii Bœtarreni ſive Bœtaceni.
(f) Varro de Lingua Lat. l. 4. Tigris eſt ut leo varius. Vide & Oppian. Cyneget.
(g) Vide Bochart. de anim. Sacr. p. 1. l. 3. c. 8.

cum Tigridibus narrat Petrus della Valle. *part.* 4.)

TIMAEUS, pater cæci illius, quem Jeſus Chriſtus Jerichunte ad lumen revocavit; dicti proinde in Evangelio *Bar-Timæi*, ſive *filii Timæi*. *Marc.* 9. 46.

TIMON, unus ex ſeptem primis Diaconis ab Apoſtolis electis. *Act.* 5. 5. Ejus geſta omnia latent. Feſtum quatuor primorum Diaconorum die 28. Julii à Græcis celebratur; quibus Authoribus etiam habemus, S. Timonem Epiſcopum Boſtrorum in Arabia vixiſſe ac deinde ab impiis ignis martyrium toleraſſe. Obitum S. Timonis Corinthi conſignant Latini ad 19. Aprilis, addentes inſuper, poſt annunciatam aliquo tempore fidem Berœæ, Corinthum veniſſe, ubi parato ſibi à Judæis, ac Ethnicis igne prodigio liberatus, crucis ſupplicio abſumptus eſt. Eundem virùm modò Boſtrorum, modo Tyri, & Sidonis Epiſcopum Dorotheus appellat. Vide Bolland. 19. Aprilis.

(TIMOR ponitur interdum pro cauſa timoris. Ita ſcriptum eſt *timor Iſaac* ad inſinuandum Deum, quem Iſaac metuebat: *Ni Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes*. *Geneſ.* 31. 42. Præmiſſurum ſe ſignificat Deus ante populum terrorem ſuum ad conſternandos animos Chananæorum, quos terror meus, ait, in fugam vertet *Exod.* 23. 27. *Deut.* 11. 25. Certare contra ſe terrores Domini ait Jobus 6. 4. & Pſalmiſta Pſal. 87. 17. *Terrores tui conturbaverunt me.*)

I. TIMOTHEUS, qui una cum Bacchide, altero copiarum Antiochi Epiphanis Duce, exercitum in Judam ducens, commiſſo prælio magna ab illo cæde, ultra ſcilicet 20000. ingentique relicta præda, fractus eſt (a). Poſt hæc, iterum iterumque in transjordanicis cum eodem Juda congreſſus, ſiniſtro ſemper prælii exitu, 1. *Mach.* 5. 6. 7. tandem paulò poſt, ingenti clade 20600. peditum, & 600. equitum, à Juda proſtratus, cùm ſe una cum fratre ſuo Chærea in Gazaram recepiſſet, ambo interfecti ſunt. 2. *Mach.* 10. 37.

II. TIMOTHEUS, Ductor copiarum Antiochi Epiphanis, & Præfectus regionis transjordanicæ, alter ab eo, de quo jam egimus. Valido in ſua Provincia exercitu coacto, infauſto tamen eventu, cum Juda Machabæo, ejuſque fratre Jonatha conflixit (b). Ad primum enim Judæorum conſpectum, hoſtes in fugam effuſi, cum adverſariis animum adjecere, ut in fuga 8000. ſuorum amitterent. Reliqua 120000. peditum, & 2500. equites, qui aliò, una cum Timotheo à fuga ſe receperunt, Judas cum manu 6000. tantùm inſequutus, ſolo aſpectu iterum in fugam vertit, eorumque veſtigia premens, ad 3000. trucidavit. Timotheus verò, cùm in Doſithei & Soſipatri manus incidiſſet, ea conditione, ut Judæos captivos plures ſoſpites reſtitueret, precariò libertatem impetravit (c).

III. TIMOTHEUS, Diſcipulus S. Pauli, Derbenſis, ſeu potiùs Lyſtrenſis, quæ duæ ſunt Lycaoniæ urbes (d), patre ſatus Gentili, matre verò Judæa. Matris nomen, Eunice; avæ, Lais, bonorum operum, atque educationis puero præſtitæ, merito nomine commemorandæ. 2. *Timoth.* 1. 5. & 3. 15. Cùm Paulus an. Ch. 51. ſive 52. Derbem, & Lyſtras veniſſet, Timotheum, fratrum omnium teſtimonio commendatum, itinerum ſuorum ſocium, antea tamen circumciſione initiatum, Lyſtris aſſumpſit. *Act.* 16. 3. Ambo igitur una in prædicatione Evangelii laborarunt; nec ſegnem prorſus toto miniſterii tempore operam Apoſtolo Vir Sanctus exhibuit. Quo primum tempore Epiſcopus ordinatus ſit, incertum; citiſſimè tamen creditur. Prophetiæ atque peculiari Spiritus Sancti juſſu ad id munus accitus. 1. *Timoth.* 4. 14. & 2. *Timoth* 1. 6. Eum virum non tantùm cariſſimum filium, ſed fratris etiam, & laborum ſocii, atque hominis Dei elogio S. Paulus appellat; neque ſe alium habuiſſe virum profitetur, quocum meliùs, quàm cum Timotheo conveniret.

Comes igitur S. Paulo acceſſit in itinere in Macedoniam, Philippos, Theſſalonicam, & Berœam; *Act.* 17. 14. qua in urbe una cum Sila Apoſtolo relictus eſt, Fidelibus confirmandis. Cùm tamen idem Paulus Athenas veniſſet A. Chr. 51. eò ſtatim accitum Timotheum, de rebus Eccleſiæ Macedoniæ requiſivit. Dein iterum Theſſalonicam miſſus, unde iterum, unà cum Sila, Corinthum ad Apoſtolum regreſſus eſt. *Act.* 16. 5. Ibi cum eodem manſit; ejuſque ac Silæ nomen ambæ ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ eo tempore datæ præſeferunt.

Succedentibus annis, Timotheus & Eraſtus in Macedoniam ab Apoſtolo miſſi ſunt (e), juſſuſque etiam Timotheus Corinthum venire, veritatibus antea ab Apoſtolo inſinuatis, in eorum mentibus altius imprimendis (f). Hinc aliquantò poſt ad Corinthios Paulus ſcribens, ſedulò fidelibus Timotheum commendat, quo ſecurus apud illos manens, in pace tandem reducatur. Dein Timotheus iterum ad Paulum, in Aſia illum opperientem, ſeſe reducens, cum eo ſimul in Macedoniam tranſiit, amborumque nomine inſcripta eſt ſecunda ad Corinthios Epiſtola, in Macedonia data; uti & nomine Timothei Romanos ſalutat Apoſtolus, in epiſtola ad eos Corinthi eodem anno ſcripta. *Rom.* 16. 21.

Cùm Apoſtolus biduò Cæſarienſi carcere detineretur, ac tandem Romam tranſmitteretur, nuſquam ſocium habuiſſe Timotheum in Actis legimus; verùm cùm una & Jeroſolymam veniſſet (g), ubi Apoſtolus in carcerem detruſus eſt, atque inde Cæſaream, poſtea Romam tranſmiſſus, nunquam ab Apoſtolo devulſum credimus. Porrò Romæ fuiſſe illum conſtat, cùm idem Apoſtolus ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem Epiſtolas An. 60. 61. 62. ſcriptas, quæ amborum nomen, Pauli ſcilicet & Timothei præſeferunt, ſcriberet. Altero anno Paulus ad Hebræos ſcribens (h), Timotheum è carcere liberatum nunciat, nihil tamen de captivitatis hujus atque liberationis cauſis attingit.

Romam iterum veniens ann. 64. Apoſtolus Timotheum Epheſi reliquit (i), rebus ejuſdem Eccleſiæ curandis, cui primus Epiſcopus præfuit, uti ex Concilio Chalcedonenſi diſcimus (k). Primam ad illum Epiſtolam è Macedonia Apoſtolus direxit, monens, ut ſibi in auſterioris vitæ ſtudio aliquantùm temperaret, atque modico vini hauſtu languentem ſtomachum nonnihil fovens, ægro corpori mederetur (l). Cùm autem jam Romam an. 65. veniſſet, atque martyrii illius tempus inſtaret, alteram ad eundem diſcipulum Paulus dedit epiſtolam, in qua non obſcura amoris ſui argumenta in cariſſimum filium exhibens, veluti ſupremas voluntatis ſuæ tabulas reliquit. Rogat igitur Timotheum, ut ante ineuntem hyemem Romam veniens, ea refe-

(a) A. M. 3840. paulo poſt purificationem, novamque Templi Dedicationem. 2. Mach. 13. 30.
(b) 1. Mach. 5. 11. 12. & 2. Mach. 12. 20. &c. an. 3841.
(c) Vide hæc fuſius 1. Mach. 12. 1.... 26. & 5. 11. &c. A. M. 3841. ante Chr. 159. ante Ær. 163.
(d) Vide Act. 16. 1. & 14. 6.
(e) Act. 19. 21. 22. labente A. Ær. 56.
(f) 1. Cor. 4. 17. Circa medium A. Chr. 57.
(g) Vide Act. 20. 4.
(h) Hebr. 13. 23. A. Ær. 64.
(i) 1. Timoth. 1. 3. 4. & 2. 1. 8. 9. & 3. 1. 8. & 5. 17. 20.
(k) Chalcedon. Conc. t. 4. Vide & Conſt. Apoſt. l. 7. c. 46.
(l) 1. Timoth. 5. 23. circa A. 64. vel 65.

teferat, quæ ipſe Paulus Troade reliquerat. 2. *Timoth.* 4. 10. Si roganti Timotheus acquievit, uti facilè credimus, ipſe ſuiſmet oculis morientem an. Ch. 66. Paulum intuitus eſt.

Regreſsus demum Epheſum, facilè an. 67. omnes ad Eccleſiæ ſuæ regimen curas vertit; etenim Sanctus Joannes Evangeliſta, qui per ea tempora ibidem verſabatur, ſuperiori quàm Epiſcopi authoritate, omnes ſimul Aſiæ Eccleſias curabat. Ex Actis S. Timothei, quæ in epitomem redacta apud Photium leguntur (a), diſcimus, occaſione magnæ celebritatis, quam Ethnici Epheſini die 22. Januarii (A. 92) agebant, in qua delatæ Deorum imagines perſonati viri, atque clavis armati procedebant, S. Timotheum inter medias turbas irruentem, pro viribus ſuperſtitioni reſtitiſse. Quare lapidibus & fuſtibus ab ingruentibus idololatris oppreſsus, interiit. Defunctum viri corpus inde à Diſcipulis reductum, in monte urbi proximo ſepulturæ mandatum eſt. Ejus Feſtum à Græcis, Uſuardo & nonnullis Latinis ad 22. Januarii conſignatur; à Beda verò, Rabano, Adone, aliiſque, ad 24. ejuſdem Menſis, tandem in Martyrologiis veteribus, S. Hieronymi nomine ſcriptis, die 27. Septembris colitur.

Si Timotheus nonniſi anno 97. è vivis ſublatus eſt, nullus dubito, quin ipſiſſimus ſit Angelus Epheſinæ Eccleſiæ, ad quem S. Joannes in Apocalypſi a. 1. Epiſtolam direxit; quamvis objectum a S. Spiritu teporis vitium, non ſatis cum viro Sanctiſſimo, qualem Timotheum ſcimus, conveniat. Hæc igitur ad illum: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui dicunt ſe Apoſtolos eſſe & non ſunt, & inveniſti eos mendaces & patientiam habes & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti, ſed habeo adverſum te, quòd charitatem tuam priſtinam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Plerique Interpretes hæc S. Timotheum minùs, quàm membra quædam ipſius Eccleſiæ, quæ a priſtina exciderant charitate, ſpectaſse credunt; ſed alii ad eundemmet S. Timotheum pertinere crediderunt; quamquam objectum ſibi à Spiritu Sancto vitium tolerato martyrio ſatis reparavit. Neque ſanè viri ſancti immunes à peccato cenſendi ſunt; neque adeo conſtans in illis charitatis fervor, quin aliquando intepeſcat. Sancto Timotheo ſucceſsor S. Oneſimus tribuitur.

(TINTINNABULA. Præſcripſerat Moyſes, *Exod.* 28. 33. 34 infimam oram tunicæ hyacinthinæ indumenti ſolemnis Summi Sacerdotis, ornati tintinnabulis & malogranatis alterno ordine diſpoſitis. Porro malogranata illa contexta erant ex lana hyacinthina, purpura, & cocco; tintinnabula verò aurea. Tum addit Moyſes: *Veſtietur eo Aaron in officio miniſterii, ut audiatur ſonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium, & non moriatur.* Hebræi quidam rebantur tintinnabula illa rotunda fuiſse, uti apud nos crepitacula (*Grelots*;) alii verò tintinnabula hæc à vulgaribus noſtratibus non diſtinguunt.

Feruntur Reges Perſidis (b) extremam veſtis oram ornatam habuiſse, uti Sacerdotes Summi apud Judæos, malogranatis & tintinnabulis aureis. Matronæ apud Arabes in obſequium, ſeu ad delicias (c) Regis crepitacula gerunt alligata cruribus, collo, & cubito manuum, quæ gratam edunt harmoniam, dum cientur, ac fœminæ choreas ducunt ad numerum. Fœminæ principes apud Arabes (d) crura habent adſtricta amplioribus annulis, aureis, cavis, intus continentibus lapillos, qui cum inter gradiendum agitentur, crepitant; vel etiam ferunt ampliores circulos inſertos tenentes alios minores, qui affrictu invicem ſuo ſonant gratè. Porrò annuli illi non perficiunt circulum, ſed cornuti ſunt inſtar lunæ, ut crus medium excipiant. Præter hæc ſuſpenſas gerunt ad cincinnos retro poſt occiput longis plexibus pendentes laminulas quaſdam teretes, quæ capitis agitatione edunt tinnitum, monentes domeſticos matrem familias ante illos pertranſire, quarè componant ſe in obſequii ſignificationem; externos verò ut è loco ſeſe ſubmoventes tranſeuntem illac fœminam curioſiùs non indagent.

Igitur tintinnabula ad infimam tunicæ oram idcò facilè gerebat Summus Sacerdos, ut pertranſire ſe indicaret, vel fortè ut moneret populum pedem inferre ſe in Sanctuarium. In Aula Regum Perſarum nemo conclavia ingrediebatur, niſi dato priùs ea de re indicio, non aliquid pulſando, ſeu voce, ſed rei alicujus tinnitu vel ſono. *Judit.* 14. 8. 9. Ita profectò & Summus Sacerdos ingreſsurus Sanctuarium non pulſando, ſed tinnitu, atque agitatione tintinnabulorum permitti ſibi poſtulabat aditum: *Ut audiatur ſonitus, & non moriatur*, ait Moyſes.

Quot eſsent numero tintinnabula illa non ſat convenit inter plures. Sunt qui definiant ad duodecim, alii ad quinquaginta, alii ad 66. alii ad 72. alii ad 80. Nihil certi in ea re, ſi enim grandiora parabantur, minor exigebatur numerus; ſi minora major. Profectò ſi crepitaculis ornanda erat tunicæ illius ima ora, plura in eam rem exigebantur.

Sermo frequens recurrit in Scriptura de tintinnabulis, quorum erat interdum uſus in Templo, ſed cujus eſſent figuræ, ignorantur. *Mizeloth*, vel *Mizlothaim* appellat 1. Par. 15. 19. Ærea parabantur, ſtridebant acutè, ac procul exaudiebantur. Agens Zacharias 14. 20 de crepitaculis ad phaleras militarium equorum appenſis, ut aſſueſcerent ſtrepitui, habet: *In die illa erit quod ſuper frænum equi eſt, Sanctum Domino*; i. e. verba illa in frænis equorum deſcribentur. Apud Græcos equus, qui non audivit ſonitum tintinnabuli, eſt equus non militaris, qui non aſſueverat ſtrepitui tintinnabuli (e). Ad utrumque tempus mulorum vehentium ſarcinas Alexandri Magni appenſum erat crepitaculum aureum (*).)

TIRSI, *Tizri*, menſis Hebræorum, primus anni civilis, & ſeptimus ſacri, ſive Eccleſiaſtici, Hebraicè dicitur: *Roſch haſchana*, ideſt *initium anni*. Lunationi Septembris reſpondet. Ineuntis menſis dies buccinarum Feſto, anni exordium annunciantium, celebratur. Ea die feriabantur Judæi; certumque ejus ſacrificium vitulus, aries, ſeptemque agni deſtinati. *Lev.* 23. 24 *Num.* 29. 1.

Eadem dies Joſue emortualis creditur. Anni Sabbathici, & Jubilæi in ſe exordium ducitur.

Tertia dies nece Godoliæ filii Ahican in Maſpha jejunio ſacra. 4. *Reg.* 25. 25. *Jerem.* 41. 2.

Quinta, jejunium eſt pro morte 24 potiſſimorum Doctorum, ac potiſſimùm Akibæ.

Octava ejuſdem menſis die Dedicatio Templi Salomonis celebrari cœpta; feſtum per 14. ſuccedentes dies uſque ad 22. ejuſdem menſis duravit. 3. *Reg.* 8. 53. & 2. *Par.* 7. 9 10.

Decima, Expiatio ſolemnis. *Levit.* 16. 29. & 33. 29. Vide *Expiatio.*

Quinta decima, Feſtum Tabernaculorum ſeptem diebus celebrandum. *Lev.* 23. 34. V. *Tabernacula.*

Vigeſima tertia, Feſtum eſt, quod agendis à Deo gratiis pro data Judæis Lege inſtitutum, *gaudium Legis* appellatur. Legitur ea die teſtamentum, atque hiſtoria obitus Moyſis. *Deut.* 33. & 34.

TITANES, Gigantes in Hiſtoria, ſeu potiùs in Fabu-

(a) Cod. 254. Vid. Buland. 24. Janu. Tillem. t. 2.
(b) Targum Sebeni in Eſther 6. 10.
(c) Tract. de Caravanis Authore D. Bugerum. l. 83.
(d) Darvieux mores Arabum c. 17. g. 265. Gallicè.
(e) Vide Scholiaſt. Ariſtophan. in Ranis, & Etymolog. in conodizo & Henric. Stephan. in theſauro in coduonophalaropolus. (*) Diodor. Sicul. Biblioth. l. 18.

Fabula celebratiſſimi, quos è Cœlo & Terra parentibus ſatos, bellum Jovi intuliſſe ferunt, ut à ſolio illum deturbarent. Nomen illud ſemel in Textu Latino S. Scripturæ occurrit. Judith Epinicium canens, Holophernem non fortiſſimorum juvenum manibus, neque *filiorum Titan* (Gigantum ſcilicet) concidiſſe dicebat. *Judith.* 16. 8. Quo loco 2. *Reg.* 5. 18. legimus: *Vallis Raphaim*, Septuaginta verterunt. *Vallis Titanum*.

(Ejus nominis nonniſi ſex recenſet Apollodorus, videlicet Oceanum, Cælum, Hiperionem, Crium, Japhetum, & Saturnum. Apud Hyginum verò ſunt Briareus, Gyges, Steropes, Atlas, Hyperion, Prolus. Refert Heſiodus è Cælo & Terra natos fuiſſe Cyclopes, videlicet Harpem, Steropem, & Brontem, quos pater detruſos in nigrum Tartara vinxiſſe catenis. Ea filiorum injuria offenſa mater in maritum ſuum & patrem illorum Titanas armavit. Omnes igitur in illum fecerunt impetum uno excepto Oceano, victumque demiſerunt è Throno, extuleruntque in ejus locum Saturnum fratrem ipſius. Sed ille non mitior in illos, quin & oneratos catenis, rejecit iterum ad Tartara.

Succeſſu temporis Jupiter paris rependit in Saturnum, quæ Saturnus ipſe in Cælum. Centimanos & tricipites tres Gigantes liberavit è carcere, videlicet Cottum, Briareum, & Gygem, quibus adjutoribus uſus eſt ad edomandos bello Titanas. Expeditio illa prorogata eſt ad decennium; ſed tandem victis Titanibus Jupiter aſſeruit ſibi Regnum Cæli, dejectoſque ad Inferos Titanas compreſſit ſuperimpoſito pondere montium. Vide Thengoniam Heſiodi.

Hanc fabellam è veteri aliqua Hiſtoria petitam utcunque fuiſſe, ne ambigimus quidem. Deprehendere licet in nominibus Titanum Japhet, Gyges eſt Gog, Cottus eſt Cut, ſeu Chus filius Cham; ipſum nomen *Titan* commodè deducitur ex *Dodanim* filio Japhet; Arma Gigantum in Cælum illata deſignant facile crimina primorum hominum antediluvianorum, Gigantum nempe, quorum celebre eſt in Moyſe nomen, criminibus ſuis infame; illi nempe ſceleribus ſuis veluti moverant in Deum, viciſſim autem ab illo oppreſſi ſunt. Exhibet illos Jobus tanquam gementes ſub aquis, deſcribunturque à Prophetis veluti relegati & detruſi in Abyſſos, in carceres tetra nocte horrendos. Bella Gigantum in populum Dei nota ſunt apud Moyſem, Joſue, & in Libris Regum. Supererant adhuc quidam in Palæſtina ſub Davide, & Gigantes reipſa verſatos fuiſſe in mundo res eſt hiſtoriarum omnium aſſertione certiſſima. Veteres Græci & Phænices totam deſigurarunt veterem hiſtoriam, fabellas undique obtrudentes; quibus & annexuerunt Poetæ adſcititia Poeſis ornamenta. Autumavit P. Pezron (a) Titanas retuliſſe veteres Celtas vel Gallos; ipſiſſimos eſſe pariter Gomarim poſteros Gomer filii Japhet *Geneſ.* 10. 2. Primò obtinuerunt nomen *Saci*, dein tranſierunt in Titanas. Sedes habuerunt primò quidem in Armenia, ex quo venerunt in Cappadociam, tandem in Phrygiam. Imperavit genti primus *Acmon*; ſecundus *Uranus* Princeps bellicoſus, qui victricibus armis excurrit tractum ab Aſia minori aduſque Hiſpanias. Tertius regnavit Saturnus vel Chronus; quartus Jupiter, qui & Regium ſibi diadema primus Titanum aſſumpſit, & formam indidit Imperii Titanibus. Ejus filius *Tenſat*, alio nomine Mercurius, ipſe eſt vir, qui poſt patruum ſuum, Ditem alio nomine Plutonem, Titanas invexit in Provincias Europæ, & maximè in Gallias, eoſque pariter inſtruxit ad normam politiæ, & datarum à ſe legum. Imperium illud Titanum duravit circiter 300. annis ſive in Aſia minori, ſive in Græcia, ſive Italia, vel in reliquo Europæ tractu. Exordium illius conſtituitur ætate Tharæ Patriarchæ circiter. Derivat ille nomen *Titan* ex Celtico *Tit*, terra, & *Den*, homo, ac ſi diceretur filii Terræ. Fuſiùs deductum hoc ſyſtema habes apud Authorem, in quo tamen ardua ſunt multa; ſed Diſſertationem in præſenti non adornamus.

TITHÆA, vel TITHIRI, quo nomine uxor Noemi apud nonnullos appellata eſt.)

TITULUS, vox, quæ 1. *monumentum* ſignificat. Jacob manè ſurgens, eamdem petram, quæ dormienti ſibi pulvinar exhibuerat, *erexit in titulum*. Idem Jacob & Laban in monumentum, ſive in titulum initi ſimul fœderis, ingentem lapidum ſtruem in monte Galaad erexerunt. *Gen.* 31. 5. Memoriæ Rachelis è vivis ſublatæ Jacob titulum erexit. *Gen.* 35. 20. Alterum ſibi dedicavit Abſalom, cui nomen indidit, *Manus Abſalom*. 2. *Reg.* 18. 18. Plerumque in his locis apud Hebræum eſt *matzbah*, quod ſtatuam deſignat, columnam, & quidquid ſtatuitur, & erigitur in monumentum. Moſaica lege cautum eſt, ne quis unquam in tota ditione Iſraelis ſuperſtitioſos tituloa ſtatuat. *Lev.* 26. 1. *Num.* 33. 52.

2. *Titulus* verba illa denotat, quæ in fronte alicujus rei inſcribuntur; Titulus Pſalmi, Titulus Libri. Hinc ſæpè in inſcriptionibus Pſalmorum vox occurrit: *Pſalmus David in Tituli inſcriptionem* (b); in Hebræo: *Michtam le-David*, quod S. Hieronymus, Aquila, & Symmachus ita explicat: *Pſalmus David humilis, & ſimplicis*. Alii ita reddendum malunt: *Pſalmus aureus David*: nos verò tantùm: *Pſalmus inſcriptus, obſignatus, notatus nomine David.* Iſaias prædicit futurum tandem, ut in finibus Ægypti Titulus Domino inſcriptus videatur, ibique ara, ſive monumentum ejus nomine inſcriptum ſtatuatur. *Iſa.* 19. 19. Cruci Jeſu Chriſti impoſitum fuiſſe Titulum in Evangelio legimus, in quo ejus condemnationis cauſa tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina, exarata erat in hanc ſententiam: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*; nempè Jeſus Nazarenus ſupplicio damnatus eſt, quòd ſibi Regis Judæorum titulum uſurparet.

3. *Titulus* uſurpatus etiam videtur de epitaphiis, ſive inſcriptionibus, vel tandem columnis, ſarcophagis, ſive aliis quibuſcumque rebus, defunctorum ſepulchris appoſitis. Huc ſpectant Tituli Rachelis, & Abſalomi ſupra relati. Titulus etiam illi Dei viro erectus eſt, qui Jeroboamo arguendo miſſus venit, cui Titulo Rex Joſias pepercit. 4. *Reg.* 13. 17. Tituli etiam memorantur *Ezech.* 39. 15. defunctorum cadaveribus appoſiti, quo illa ſepulturæ mandarentur.

I. TITUS, qui patri ſuo Veſpaſiano in Imperio ſuccedens, Domitianum deindè fratrem habuit ſucceſſorem. Inter optimos Romanorum Principes meritò habendus; liberalis, magnanimus, clemens, prudens, ſtrenuus, qui vacuam à beneficio collato diem, amiſiſſe ſe reputabat. Meritò proindè Amor & Deliciæ generis humani appellatus. In noſtro Dictionario ea tantùm ratione memorandus venit, quod à Deo evertendæ urbi & Templo Jeroſolymitano deſtinatus ſit; minarum ſcilicet latarum à Deo in urbem, Prophetarum & Jeſu Chriſti ſanguine exundantem, implendarum miniſter. *Matth.* 24. 1.

Verſanti in Achaja, unà cum Nerone, Veſpaſiano, Judaicam expeditionem Nero commiſit A. Ær. *66.* Ille altero anno Ær. *67.* in Provinciam veniens, exercitum comparare aggreſſus eſt. Patrem Titus, cui ille inter Legatos locum fecerat, cum duabus Alexandria deductis legionibus, Ptolemaide convenit (c).

Veſpa-

(a) Pezron. Antiq. linguæ Celticæ.

(b) Pſ. 15. 1. 56. & 57. & 58. & 59. & 60. Septuag. Στηλογραφία τῷ Δαυὶδ. Aqu. Ταπεινόφρονος καὶ ἁπλοῦ. Sym. Ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου. Hieron. Humilis, & ſimplicis David.

(c) Joſeph. de Bel. l. 3. c. 5. Sveton. in Veſpaſ. c. 4.

Digitized by Google

Veſpaſianus itaque communibus cum filio conſiliis & vitibus, bellum à Galilæa exorſus eſt; quo major relinqueretur civibua Jeroſolymæ reſipiſcendi opportunitas. Toto ejus belli ſpario ea Titus edidit virtutis ſpecimina, ut Veſpaſianus ad Imperium capeſſendum in Italiam regredi coactus, ſummam in exercitu poteſtatem ad illum tranſtulerit. Obſidione Jeroſolymam aggreſſus eſt ineunte Aprili an. Ær. 70. Extima urbia mænia expugnavit 28. Aprilis; intima verò 3. iterumque 7. Maii. Turris Antonia die 5. Julii victoribus ceſſit. Sacrificium perpetuum interruptum, ac tandem abolitum eſt 7. vel 10. ejuſdem menſis. Templum, nequidquam repugnante Tito, flammis abſumptum die 10. Auguſti. Tertio tandem ſepto die 7. Septembria à Romanis pervaſo, mane alterius diei Titus in urbem ingreſſus eſt.

Hinc Victoris juſſu Templum & urbs ſolo æquata, exceptia turribus Hippici, Phaſaeli, & Mariamnes, unà cum occidentalibus urbis mænibus (a). Vomerem etiam à victoribua per ſolum captæ orbis, vel ſaltem Templi aream traductum fuiſſe, recepta apud Judæos traditione (b) vulgatum eſt: quod ſanè ultimum exhibet deſolationis argumentum; quamquam faciliùs hæc ſub Adriano potiùs contigiſſe credimus. Ita Chriſti oraculia ſua fides manſit, qui Templi ædificium demirantibus Apoſtolia, futurum dixit, ut hoſtium furor ne muris quidem tantæ molia parcens, omnes funditùs everteret, *Matth.* 2. 2. His geſtis, Titus relicta in urbe decima legione, Duce Terentio Ruſo, cùm ineunte jam hyeme Romam adnavigare intempeſtivum videretur, Syriæ urbes variaa peragravit, in quibus varia Judæorum cæde exhibita populia ſpectacula (c).

Poſt productam aliquandiù Beryti moram, deinde ineunte an. Ær. 71. Antiochiam tranſiit. Inde Zeugmam ad Euphratem veniens, cum Legatis Vologeſi Parthorum egit. Iterum poſt hæc, Antiochiam regreſſus, jure civitatis ut Judæos multaret ne flagitantibus quidem Antiochenis, acquievit (d). Cùm autem petiturus inde Ægyptum, Jeroſolyma pertranſiret, miſerum urbis ſtatum illachrymatus, in authores ejus deſolationis, qui alienum ſe ad id impulerant, dira imprecatus eſt (e). Alexandriæ tandem navigium conſcendens, maritimo itinere Romam ad triumphum venit; quod una cum Veſpaſiano egit. Inter relata ſpolia, menſa etiam aurea, candelabrum aureum ſepticeps, & volumina Legis deferebantur (f). Idem legis volumen, & purpura, quæ uſibus Templi ſervierant, in palatio ſervata ſunt; vaſa vero aurea Templo Pacis à Veſpaſiano conſtructo deſtinata ſunt (g).

Poſt obitum Veſpaſiani, ſumma poteſtas ad Titum delata, qui poſt biennium ac 2. menſes, & 10. dies fato cedens, vacuum Regnum Domitiano fratri ſuo reliquit.

II. TITUS, cognomento *Juſtus*, Corintho oriundus, & S. Pauli in ea urbe hoſpes. In Actis Apoſtolorum legimus 18. 7. Apoſtolum Paulum, relicto Aquilæ hoſpitio, ad ædes *Titi Juſti*, viri religioſi, Synagogæ adhærentes divertiſſe; quaſi ſcilicet eo indicio inſinuare vellet Apoſtolus, invitum ſe quidem Judæo adeſeruiſſe; ſeque præſto exhibuiſſe, ut ſi æquiores ſe præbuiſſent, ad illos regrederetur. In Græcis quibuſdam Mſſ. nomen viri tantummodò ſine elogio Juſti legitur: in aliis eſt: Titus filius Juſti. Hunc virum cum alio viro cognomine Epiſcopo Cretenſi, ad quem data Pauli Epiſtola, S. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Tit. & Grotius ibid. confundendum cenſent: alia tamen recepta vulgò opinio. Ejus Titi geſta omnia latent.

III. TITUS, Diſcipulua S. Pauli, qui ab avito Idolorum cultu, *Galat.* 2. 3. ad fidem ab Apoſtolo genitus, filii ab illo nomine diſtinguitur. *Tit.* 1. 4. Amanuenſem fuiſſe Pauli Sanctus Hieronymus Epiſt. 150. 9. 11 teſtatur, ſive quod verba ex ore dictantis Apoſtoli ſcriberet; ſive quòd Græca ab illo prolata verba, Latinè, vel Hebraica, ſeu Syriaca Græcè explicaret. Cùm Sanctus Paulus Jeroſolymam proficiſceretur A. ær. 51. *Galat.* 2. 1. quæſtioni agitandæ, an ſcilicet Gentiles ad Fidem converſi legalibus adigendi eſſent, unà ſecum Titum adduxit. Volentibus autem quibuſdam Titum ad Circumciſionem cogere, neque Apoſtolus ipſe, neque Titus unquam acquievit. Eumdem virum, ſuborto in Eccleſia Corinthiorum opinionum diſſidio, ad res ſedandas eò Apoſtolus miſit (h). Comiter exceptus à Corinthiis, de prompta quidem eorum ſubmiſſione gratulatus eſt, nihil tamen ab illis, cupiditate vacuum Magiſtri ſui animum æmulatus, accepit.

Hinc ad S. Paulum in Macedoniam ſe conferens, de rebus Eccleſiæ Corinthi illum fecit certiorem, 2. *Cor.* 7. 6. 15. Paulò poſt rogante Apoſtolo, ut Corinthum rediret, rebus ante adventum ejuſdem Apoſtoli diſponendis, novi itineris laborem ſuſcipiens, actutum ſe viæ commiſit, 2. *Cor.* 8. 5. 16. 17. una ſecum delata ſecunda S. Pauli ad eoſdem fideles epiſtola, Epiſcopus Cretæ conſecratus eſt, circa an. Chr. 62. cùm Apoſtolus curandis aliarum Eccleſiarum rebus eam Inſulam coactus reliquit, *Tit.* 1. 5. Altero anno receptis ab eodem Apoſtolo literis, monitus eſt, ut cùm primùm Tychicus, ſive Artemas in Cretam veniſſent, vicariam illis muneris ſui operam committens, ſtatim Nicopolim in Macedonia, *Tit.* 3. 12. ſive Nicopolim in Epiro, ad ſinum Ambraciæ, ubi ipſe Apoſtolus hybernare decreverat, veniret.

Potiſſimum ejus epiſtolæ argumentum in officio Epiſcopi exhibendo verſatur. Cùm autem potiſſimum Titi munus in ea Inſula eſſet initiare Sacerdotes, & Epiſcopos, ſumma illi cura ſatagendum erat, ut optimos eligeret. Quæ autem vitæ ratio ſingulis hominum ſtatibus, ſenibua nempe, viris, fœminis, junioribus cujuſque ſexua, mancipiis, ab Epiſcopo præſcribenda, idem Apoſtolus perſequitur. Monet inſuper, ut in Cretenſes authoritatem ſuam exerat, acrioribus verbis caſtiget, uti viros nempe mendaces, iniquos, pigros, & voraces. Cùm autem frequentes in ſua Eccleſia haberet Judæoa, hortatur, ut vanis illorum traditionibus, atque Judaicis fabulia averſetur, ſimulque oſtendat, neminem ultra legalibus cæremoniis adigendum eſſe, ciborum delectum abolitum iri, omnia enim munda mundis. Fideles verò, ut temporalium Principum dicto audientes ſint, diſputationes, querelas, maledictiones evitent, honeſtis ſe exercitationibus impendant, ſedulò autem caveant hæreticos, poſt primam, & ſecundam correctionem pervicaces. Hæc docere Epiſcopum decet juxta Apoſtoli præſcriptum.

Sua ſemper huic epiſtolæ in Eccleſia manſit authoritas, ſoloſque hæreticos habuit refragantes, uti Marcionitas (i), Baſilidianos, & alios nonnullos Hæreticos (k). Tatianus Encratitarum author non probabat tantùm, ſed & cæteris præferendam contendebat (l). Unde ſcripta, & à quo delata fuerit epiſtola, adhuc in obſcuro latet.

Evangelii prædicandi gratia S. Titus in Dalmatiam miſſus (m), adhuc in ea provincia verſabatur, cùm Apoſtolus ſecundam ad Timotheum daret. In Cretam inde deductus, circumjacentibus Inſulis Evangelii lucem detuliſſe fertur. Nonaginta quatuor annia grandævus, in Inſula Cretæ diem clauſit, ubi etiam ſepulturæ mandatus eſt (n). In Cathedrali Cretenſis urbis Eccleſia, ejus nomini, uti ferunt, dicata, integrum ejus caput ſervari fama eſt (o). Ejua feſtum Græci die 25. Auguſti; Latini 4. Januarii celebrant.

TOB.

(a) De Bello l. 7. c. 1. & c. 7. (b) Vide Scalig. Iſagog. l. 3. (c) De Bello l. 7. c. 6. 8. 13. (d) De Bello l. 7. c. 14. (e) De Bello l. 7. c. 15. (f) De Bello l. 7. c. 19. (g) De Bello l. 7. c. 19. (h) 2. Cor. 12. 18. labente anno Chr. 56. (i) Tertull. cont. Marc. c. ult. (k) Hieron. Prolog. in Ep. ad Tit. (l) Hieron. ibid. (m) 2. Timoth. 4. 10. an. 65. (n) Menæa p. 559. (o) Bolland. 4. Januarii.

TOB. Regio *Tob*, *Tubin*, ſive *Tubienorum*, in transjordanicis, & in ora maximè ſeptemtrionali ſortis Manaſſe. Jephte à fratribus pulſus, in eam regionem ſe recepit, *Judic.* 11. 3. 5. Ejus provinciæ nomen 1. *Mach.* 5. 13. *Tubin*; atque incolæ *Tubiani*, 2. *Mach.* 12. 17. ſive *Tubianæi appellantur*.

I. TOBIAS, ſive *Tobit*, filius Tobielis (a), nepos Ananeelis è Tribu Nephtali. Alius eſt filius Ananeelis (b). In Cades metropoli ſuæ Tribus ſedem habebat; in Textu tamen Græco commoratus in Thisbe dicitur, ad dexteram Cades Nephtali. Uxorem habuit fœminam ſuæ Tribus, nomine Annam, quo connubio Tobias alter genitus eſt (c). In medio Galilææ, & in Regno decem Tribuum verſans, ubi cultus vituli aurei jam inde à pluribus annis obtinebat, ſtatis tamen ſolemnibus diebus clam ſe ad Templum Jeroſolymitanum conferens, decimas ſuas, & primitias ritè perſolvebat: quod ab illo ab ineunte ætate obſervatum, uſque ad tempus captæ Samariæ per Salmanaſarem, à quo unà cum tota familia captivus Ninivem translatus eſt, nunquam fuit prætermiſſum

Ninivem igitur translatus, Paganorum dapibus ſanctè abſtinens, Gentiles immunditias ſedulo evitavit; quare, Deo conciliante, inita apud Regem Salmanaſarem gratia, non tantùm libertas illi decreta eſt, ſed & Regiæ domus procurator, juxta Græcum Teſtum, conſtitutus (d). Cùm quondam in Rages Medorum veniſſet, mutuo, ſeu depoſiti loco, juxta Græcum Textum (e), Gabelo Judæo neceſſario ſuo ſolvit 10. talenta, ſummam nempè 48671. librarum, 17. ſolidorum noſtræ monetæ. Poſt obitum Salmanaſaris, Tobias à favore Regis Sennacheribi excidens, miniſteriis omnibus privatus, in ſummas rei familiaris anguſtias redactus eſt; quin etiam Regio fiſco bonis illius omnibus addictis, ipſe, niſi latuiſſet, ad mortem quærebatur.

Ut è vivis exceſſit Sennacherib, domum ſuam, atque bona ſua omnia recepit. Tum priſtinis pietatis exercitiis ſe dedens, eorum merito Deus experimento tentare virum conſtituit. Quare cùm cadavere, quod in foro invenerat, ſepulturæ mandato, abſoluto jam opere ædes ſuas repetiiſſet, atque contractæ legalis maculæ, ex contactu cadaveris, cauſa ab ingreſſu abſtinens, parieti atrii innixus obdormiſſet, accidit, ut calens è nido hirundinis ſtercus ſuper dormientis oculos decidens, viro ſubitam cæcitatem inferret *Tob.* 2. 1. Tanta inopinatò irruens calamitas nunquam tamen impavidam viri conſtantiam labefactavit; quam quidem, inſultantibus inſuper domeſticis, atque ipſa exprobrante uxore, ut fructum proborum operum, atque collatorum in alios beneficiorum tandem oſtenderet, invictam ſemper infractamque ſervavit.

Cùm tamen ſe pondus inutile Mundo, ſibique, atque aliis oneri factum animadverteret, ideo ut ſe tandem è vita revocaret, verſis ad Deum precibus efflagitabat, *Tob.* 3. 1. Quamquam Deus non neci virum, ſed prodigioſæ valetudini reſervabat. Tobias tamen Divini ignarus conſilii, in mortis limine conſtitutum ſe ratus, filium ad recipiendam ex Gabelo pecuniam, in Rages Medorum miſit. Eo igitur ſe conferens Tobias junior, tandem regreſſus, & pecuniam, & ductam in via conjugem Saram filiam Raguelis, & tandem collyrium patri retulit, uti fuſius v. *Tobias II.*

Recepta ab Angelo Raphaele, quem mortalem hominem credebat, beneficia, utpotè qui filium Ecbatanas duxerat, rependere cupiens Tobias, omnia, quæ filius è Media retulerat, ut pro æqua portione inter ſe dividerent, etiam atque etiam rogavit. Tunc Angelus privatim utroſque ita eſt allocutus; Deo Cœli de exhibitis in vos munificentiæ ſuæ argumentis debitas gratiarum laudes perſolvite. Orationis jejunio, atque eleemoſynæ conjunctæ ſupra omnes Mundi theſauros virtus extollitur; quippè quæ immunes præſtet à letho, crimina remittat, atque ad impetrandam miſericordiam ſimul, & vitam æternam mirificè conferat. Adjecit ad hæc, proborum operum & lachrymarum merito hoc ſibi Tobiam à Deo obtinuiſſe, ut tentatione probaretur. Cæterùm ſcirent, miſſum ſe à Deo Angelum Raphaelem, qui cùm ferendæ illis opi veniſſet, ſuo tandem munere functus, Cœlum repetebat.

Tunc ambo Tobiæ prono in terram vultu, trium horarum ſpatio Deum adorantes, tandem ſurgentes, pleno ore accepta à Deo beneficia prædicarunt; quæ pariter ſenior Tobias concinnato Cantico complexus eſt. In eo hymno poſt celebratam miris laudibus potentiam, amplitudinem, & munificentiam Dei, reſtitutionem Jeroſolymæ, exitum captivitatis, & gloriam Sanctæ urbis, incolis frequentiſſimæ, & Templi oraculo prædicit *Tob.* 13. 1. Vitam indè Tobias ad 42. ulteriores annos producens, *Tob.* 14. 1. filios ex nepotibus intuitus eſt. Annum agens 56. luminibus captus, ſexageſimo convaluit. Maturante vitæ exitu, filio Tobiæ ſeptemque ejus filiis nepotibus ſuis prænunciavit, everſionem Ninives jam imminere; Neque enim, ait, Dei verbum excidit. Adjecit inſuper futurum, ut Iſraelitæ extra regionem ſuam diſperſi, tandem ad propria remigrarent; excitatumque iterum Dei Templum omnibus Deum timentibus pervium pateret. Neque Iſraelitæ tantum, ſed & cæteræ per orbem nationes, ait, abjecta Deorum ſuperſtitione, Jeroſolymam ſe conferentes, & ſedem mutabunt & cultum, ut in unius Dei religionem omnes Reges terræ convenientes, omnes ſint æquè gaviſuri. Propterea, filii, adjecit, Deo veritatis morigeros vos præbete: una ſit vobis cura, ut illi per omnia obſequamini. Nec vos tantùm, ſed & filii veſtri exercitio proborum operum eleemoſynis, atque jugi Dei memoriæ & laudi aſſueſcite. Cavete autem, ne diutiùs hic moram trahatis; ſed poſt mandatam ſepulturæ matrem veſtram una mecum in eodem tumulo, illicò hinc abeuntes, imminentem ſceleribus hujus urbis ultionem evitate.

Hiſce Tobiæ oraculis ſua fides manſit; nec junior Tobias de præſcriptis ſibi a patre juſſionibus quidquam prætermiſit. Centum igitur & duorum annorum grandævus Tobias, vitæ mortalis curſum abſolvit; defunctoque corpori ſolemni funere in urbe Ninive parentatum eſt. Cæcitate percuſſus eſt A. M. 3317. Filium Ecbatanas miſit A. 3322. Eodem anno convaluit. Obiit A. 3363. ante Chr. 637. ante Ær. 641.

II. TOBIAS, filius Tobiæ, de quo jam egimus, ex Anna uxore ipſius, è Tribu Nephtali (f). In prima adhuc infantia captivus una cum patre Ninivem à Salmanaſare translatus eſt A. M. 3283. Sanctè à patre educatus, atque legalibus inſtitutionibus imbutus eſt, quas pater ipſe, exitum ſibi vitæ imminere ratus, altè in ejus mente imprimere conatus eſt. Accitum igitur filium monuit (g), ut eleemoſyna & charitate impendenda nunquam laſſaretur; caveret autem, ne quidquam in alterum inferret, quod in ſe nollet. Elationem, infidelitatem in conjugio evitaret; nihil præſtaret viris prudentibus inconſultis; Deo verò ſive precibus, ſive laudibus nunquam non vacaret.

Monuit tandem, ut commiſſam Gabelo in Rages Medorum pecuniam exigendam curaret; ac dein in hanc ſententiam orationem clauſit. Bono eſto, fili mi, animo: anguſta quidem nobis res eſt familiaris, ſed Dei timor, immunis à crimine animus, atque proborum operum exercitium, theſaurus ſunt nobis locupletiſſimus.

Tunc

(a) Ita Edit. Rom. Septuag. Hebræi, Munſter. (b) Ita Hebr. Fagii, & antiq. Edit. Lat.

(c) Tob. 1. 1. &c. Natus A. M. 3262. Uxorem duxit circa an. 3280. Filium genuit circa an. 3281. In captivitatem deductus an. 3283. ante Chr. 717. ante Ær. 721. (d) Top. c. 1. 13. Ἤμην αὐτοῦ ἀγοραστής. (e) Tob. 1. Græc. Παρεθέμην Γαβαήλῳ. Ambroſ. de Tob c. 2. Commendaverat.

(f) Natus A. M. 3281. ante Chr. 719. ante Ær. 723.

(g) Tob. 4. 1. &c. A. M. 3322. ante Chr. 678. ante Ær. 682.

Tunc filius ſe quidem ait effecturum, ut omnia implerentur; de Gabelo verò neque hominem ſe, neque viam ad Ecbatanas ſcire, *Tob.* 5. 1. Cui pater ſcriptum apud ſe debiti chirographum ſervari aperuit: quo ſtatim exhibito, Gabelus pecuniam reſtituiſſet. Iret proindè itineris ducem aliquem quæſiturus, ut in Mediam deduceretur. Vix igitur egreſſus juvenis, hominem ætate florentem in foro offendit, ad iter paratum, quo ad patrem adducto, convenere facilè ambo de mercede; eoque comite Tobias itineri ſe commiſit. Porrò ſub hominis exuviis Angelus Raphael à Deo miſſus, Tobiæ deducendo, latebat. Vide *Raphael*.

Cùm interim ad diverſorium in ripa Tigridis perveniſſent, *Tob.* 6. 1. &c. Tobias lavandis pedibus egreſſus, immanem quemdam piſcem in ſe ex aquis inſilientem obvium habuit. Exclamare illicò conterritus juvenis; ſed ab Angelo confirmatus, ejuſque monitu branchiis monſtri apprehenſis, ad ſe reductam belluam exanimem ante pedes habuit. Mox eodem Angelo jubente, cadaver exenterans, cor, jecur, & fel in pharmaca præſentiſſima, uti Angelus innuebat, reſervavit. Reliquæ carnes in uſum præſentis cibi igne toſtæ fuerunt; & quæ ſupererant, ſale conditæ, in commeatum itineris reſervatæ ſunt. Cùm prope Ecbatanas perveniſſent, Tobias Angelum, quonam diverterent, requiſivit. Cùm Angelus eſſe in loco ait virum, Raguelem nomine, & viro unicam filiam Saram, quam ſi ipſe Tobias uxorem jure arctioris præ cæteris cognationis poſtularet, omnia ejus bona hæreditate demum poſſideret.

Cui Tobias metuere ſe dixit, ne ſe idem maneret infortunium, quod ſeptem prioribus ejus fœminæ viris, ſingulis à Dæmone ſuffocatis, acciderat. Noſti autem, ait, quid parentibus meis ſeneſcentibus jam accideret, ſi quid ſimile de filio ſuo audire illos contingeret. Metuentis animum Angelus confirmavit, juvenem docens in eos tantùm Dæmonem prævaluiſſe, quos brutalium voluptatum appetitus ad nuptias impulerat. Quare, ait, poſt celebrata ſponſalia, tribus prioribus noctibus à fœmina abſtinere te moneo, impoſitoque prunis felle piſcis, quem tibi ſervaſti, ejus vi Dæmonem ejicies.

Hæc ſimul colloquentes, in urbem ingreſſi, comiter à Raguele, cujus recta ædes petierunt, excepti ſunt; cùm enim Raguel Tobiæ parentis nota lineamenta in ore filii notaſſet, obortis lachrymis, & dulci amplexu amicum hoſpitem excepit, *Tob.* 7. Appoſitæ inde dapes; ſed Tobias nunquam ſe cibum guſtaturum profeſſus eſt, niſi cum Sara nuptiæ ſibi poſtulanti concederentur. Hæſitanti Rag ueli, metu ne quid ſiniſtri juveni contingeret, Angelus animum adjecit, dicens, juvenem eſſe religioſum, qui eas nuptias, alioquin ſibi debitas, peteret. Hinc, ait, alius nemo eam fœminam ſibi vindicare valuit. Initæ igitur nuptiæ, conciliante Raguele, qui filiæ manum juveni tradens, ſimul Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi rogavit, ut conjugibus adeſſe, atque utroſque largis benedictionibus cumulare dignaretur. Hinc chirographo conjugii ſcripto, lautiſſimoque inſtructo convivio, omnia Dei laudibus inſonuerunt.

Poſt cœnam Tobias in thorum ſponſæ introductus *Tob.* 8 1. &c. continuò piſcis fel prunis impoſuit; quo vis ab illo facto, Angelus Raphael abreptum Dæmonem in deſerto ſuperioris Ægypti alligavit. Vide Raphael, & Aſmodæus. Reliquum noctis ambo conjuges in continentia, & precibus tranſegerunt. Vix altera dies illuxerat, cùm Raguel quid Tobiæ accidiſſet, exploraturos famulos ſuos miſit; ipſe interim tumulum effodi, quaſi defunctum ſepulturæ mandaturus juſſit. Sed inexpectato nuncio de vita utriuſque accepto, totus in laudes Dei effuſus, egeſta humo replevit foſſam, atque lautiſſimum convivium vicinis & amicis paravit.

Interim rogante Tobia, Angelus Gabelum adiens, exactam ab illo pecuniam, ipſumque Gabelum de ejus adventu lætiſſimum ad Tobiam retulit, *Tob.* 9. 1. Sed his Ecbatanis geſtis, Tobias ſenior & Anna de mora filii anxii cruciabantur, *Tob.* 10. 1. Mater potiſſimùm nulla non die ad ſpeculam ſe conferebat, an à longe venientes proſpiceret, exploratura. Nec minor erat ad parentes regrediendi junioris Tobiæ anxietas: quare nequidquam Raguele renitente, ad diceſſum ſeſe diſpoſuit, fauſta omnia eodem Raguele filiæ & genero imprecante.

Viæ igitur ſe committentes, *Tob.* 11. 1. cùm jam in Charan perveniſſent, Raphael Tobiæ propoſuit, an ad ſolandos parentes maturandum ambobus cenſeret: uxore, & domeſticis relictis, ut cum reliquis impedimentis longis itineribus ſequerentur. Viſo è re conſilio, ambo iter feſtinantibus, vix ab Anna è ſpecula proſpectis, lætum rei nuncium ad Tobiam ſeniorem relatum eſt. Anna referente, interim canis juvenis Tobiæ ſocius, ejuſque adventus index ſupervenit. Re comperta Tobias, nihil cæcitate detentus, à famulo manu deductus, in occurſum venientis, atque in amplexum corruit: Paria & mater egit, gaudio interim parente utroque plorantibus. Tunc nihil cunctatus Tobias, piſcis felle producto, patris oculos linivit, eoque collyrio poſt mediæ horæ ſpatium membrana, veluti albugine ovi, ex ægri luminibus dilapſa, priſtina ſanitas viro rediit. Poſt ſeptem dies Sara etiam, & domeſtici omnes pervenerunt; ex quo aucto in immenſum Tobiæ ſenioris gaudio, ſeptem diebus convivii ſolemnitas, adhibitis amicis, celebrata eſt. Verſæ inde ad rependenda accepta à Raphaele, quem mortalium aliquem credebant, beneficia, curæ. Sed Angelus conditionem ſuam prodens, uti v. *Tobias I.* diximus, ſtatim evanuit.

Tobiæ junioris conjugio Deus largis benedictionibus favens, ſeptem filiorum fructum conceſſit. Poſt exactos eum patre 42. à reditu annos, ſupremiſque illi primùm, deinde matri officiis ſolutis, Ninivem una cum tota familia deſerens, in domum ſoceri Ecbatanas ſeſe recepit, *Tob.* 14. 15. Proſpera valetudine ſenes nactus, ſummo illos officio ſemper curavit, donec utriſque juſta perſolveret. Vitam autem ad 99. annos producens, filios filiorum uſque ad quintam generationem vidit; ac tandem placido fine vitæ curſum abſolvens, ſepulturæ à filiis mandatus eſt. Miſſus eſt in Rages An. 3322. Obiit 3380. ante Chr. 620. ante Ær. 624.

Liber Tobiæ hiſtoriam complectitur utriuſque Tobiæ, de qua ſatis huc uſque. Ab ipſis patre & filio Tobia exaratum vel ſaltem ex ſcriptis ab illis Commentariis derivatum ferunt; plura enim occurrunt, quæ nuſquam alteri innoteſcere potuiſſe videntur. Quamquam ejus Operis originale Hebræum, ſive Chaldæum extitiſſe ſatis conſtat; illud tamen ætate noſtra intercidit. Sanctus Hieronymus Chaldæum Exemplar nactus, à Viro peritiſſimo Hebraicè dictari curavit, cujus ille verba Latinè ſtatim excipiebat. Hæc Latina Verſio Concilii Tridentini decreto probata hodie obtinet. Altera circumferebatur ex Græco adornata, incerto authore, & tempore; quæ ſanè ex alio originali, quàm quo Sanctus Hieronymus utebatur, expreſſa, longiſſimè aliquando à verſione ejuſdem S. Doctoris diſcrepat. Quin & veteres Latinæ Verſiones ex Græco adornatæ, nec ſatis inter ſe conveniebant, quemadmodum etiam exemplaribus Græcis noſtræ ætatis hodie uſque accidit.

Hebraicam Tobiæ hiſtoriam Hebraicè impreſſam cura Fagii, & Munſteri babemus. Judæos hiſtoriam Tobiæ Hebraicè ſcriptam legere Origenes *Ep. ad Afric.* aliis referentibus, audiverat. Huetius, olim Abrincenſis Epiſcopus, Hebraicum Tobiæ Mſ. ſervabat. De exemplari Hebræorum, de quo Origenes, utpotè nobis incognito, nihil eſt, quod dicamus. Fagii, & Munſteri, valdè à Latino, & Græco diſcrepant, nec niſi Verſiones ex Græco, ſive Latino, recenti manu adornatæ reputandæ ſunt. Verſio Syriaca adeò cum Græca convenit, ut ex illa expreſſa videatur. Verſio tandem Latina ſimplicitate ſua, perſpicuitate, atque ab extraneis hiſtoriolis immunitate, apertiſſimos præ cæteris veritatis characteres exhibet.

Cùm

Digitized by Google

Cum Liber iſte in Canone Judæorum non recenſeretur, ideo in deductis per veteres Authores Chriſtianos catalogis, Judæorum norma expreſſis, deſideratur. Inter Sacros libros apud S. Hieronymum Prolog. Galeat. & in c. 8. Dan. & Præf. in Jonam non legitur. Recentiores aliqui ejus authoritatem non ſatis obſervantes, veluti fabellam quamdam piè tantùm, non verè excogitatam habuerunt, ad normam optimi patris, & religioſi filii exhibendam; ſive ut ea veluti in tabula pingeretur, quodnam à Deo proborum operum præmium in hac vita ſtatueretur; ſimulque ut Mortuorum ſepultura curaretur. Hæc Paulo Fagio ſententia ſtetit.

Nihilo tamen ſecùs fateamur oportet, Judæos hujus Libri authoritati plurimum ſemper detuliſſe; quamvis enim inter apocrypha illum amandarint, Opus tamen legebant, ait Origenes in Epiſtola ad Africanum. S Hieronymus Ep. Chrom. & Heſiod. ea de re ita ſcribit. *Quem Hebræi de Catalogo Divinarum Scripturarum ſecantes, his, quæ hagiographa memorant, mancipatunt*. Grotius fatetur, Hebræos Opus legiſſe, atque veram hiſtoriam reputaſſe (a).

Quod ad Eccleſiam Chriſtianam attinet, facilè ea plurium Veterum Patrum teſtimonio, Canonicum habitum fuiſſe Librum probaremus. Tamquam Scripturam divinam S. Spiritu dictante exceptam, S. Cyprianus illud, nec ſemel quidem, laudat (b). Non ſecùs ac cæteris Canonicis Libris, eo utuntur S. Polycarpus in ſua Epiſtola, S. Clemens Alexandrinus, Origenes *contra Celſ. l.* 3. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum *l.* 1. *c.* 1. *& l.* 3. *c.* 15. S. Baſilius, S. Ambroſius, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus, aliique ex Patribus. Recenſetur autem in Catalogis Librorum Sacrorom Concilii Hipponenſis An. 393. Can. 98. tertii Carthaginenſis An. 397. Can 47. Epiſtolæ Innocentii I. ad Exuperium, omniumque recentiorum Authorum, uti Caſſiodori, Rabani Mauri, S. Iſidori Hiſpalenſis, Decreti unionis inter Græcos, & Latinos ſub Eugenio IV. ac tandem Concilii Tridentini *Seſſ.* 4.

III. TOBIAS. Præcepit Deus Zachariæ Prophetæ, ut à Tobia, Holdai, alio nomine *Helem*, Idaia, & Joſia, alio nomine *Hem*, filio Sophoniæ, paulò antea è Babylonia regreſſis, certam quamdam auri, argentique ſummam, ab ipſis Templo deſtinatam, peteret, ea qua coronam pro Jeſu filio Joſedechi Summo Sacerdote Judæorum conflaret, *Zach.* 6. 10. Hos quatuor viros ipſiſſimos eſſe Danielem, Ananiam, Azariam, Miſaelem Rabbini opinantur.

IV. TOBIAS, frater uxoris Oniæ II. Summi Sacerdotis, pater Joſephi, & avus Hircani, de quo Joſephus *Antiq. l.* 12. *c.* 4. Hic alioquin obſcuri nominis, Joſephi filii ſui, & Hircani nepotis nomine innoteſcit. Cùm Heliodorus juſſu Seleuci Regis ad diripiendos Templi theſauros veniſſet (c), obtenderunt Hebræi, maximam eorum portionem ad Hircanum Tobiæ, virum valdè conſpicuum pertinere, quem Seleucus ipſe exigendis tributis in tota regione Tranſjordanica præfecerat.

V. TOBIAS, Ammonites, Judæorum hoſtis acerrimus, qui erectioni Templi, atque reductioni Judæorum è captivitate Babylonica, ſi quis alius, pervicaciſſimè obſtitit (d). Hic aliquando *ſervi* titulo notatur, 2. *Eſdr.* 2. 19. facilè quia ſervilis eſſet conditionis. Quamquam in regione Samaritanorum, cui una cum Sanaballat Præfecti jure præerat, ſummam obtinebat authoritatem. Filia Secheniæ, viri inter Optimates Judæorum Jeroſolymitanorum, ducta, 2. *Eſdr.* 6. 18. multos ſibi fautores contra Nehemiam in eadem urbe comparavit, cum quibus & literarum commercium adverſus eumdem Nehemiam detinuit, 2. *Eſdr.* 6. 17. &c. Omnes tamen ejus artes Nehemias prudentia ſua ſemper eluſit. Eo Babylonem regredi coacto A. M. 3562. ante Chr. 438. ante Ær. 442. poſt reſtituta urbis mœnia, Tobias opportunitatem nactus, ſedem in urbem transferens, tantum apud Eliaſib Procuratorem Domus Domini prævaluit, ut habitationem in ipſo Templo obtineret. Regreſſus tamen poſt aliquos annos Nehemias, virum ex atrio Templi depellens, utenſilia ipſius omnia è loco ſacro projecit (e). Inde de Tobia, facilè in Samariam ad Sanaballat regreſſo, nihil in Sacra Scriptura.

VI. TOBIAS, filius Necodæ, cujus filii, ſive nepotes è captivitate regreſſi ſunt. 1. *Eſdr.* 2. 60.

TOCHEN, urbs Juda. 1. *Par.* 4. 32.

(TONSURA uſurpatur pro tonſura ovium, equorum, & barbæ hominum. In tondendis ovibus feſtum inſtituebatur, invitatis amicis. Nabal maritus Abigail ea occaſione convivium paraverat Regium 1. *Reg.* 35. 2. *&c.* quare & reputaverat David annonæ aliquid conferendum eſſe ab eo viro pro alenda militum ſuorum manu. Abſalom attonſurus greges ſuos familiam Regiam totam invitavit.

In luctibus ſuis Hebræi & crines tondebant, & intonſam negligebant barbam 2. *Reg.* 13. 13. *&c.* Job certior factus de nece filiorum ac filiarum ſuarum, atque de amiſſione bonorum, conſcidit veſtes, præcidit crines, atque proſtratus eſt corpore Deum adoraturus. Mandatis oneratur à Deo Jeremias 7. 29. ut præciſis projectiſque crinibus agat luctum. Filiam Sion monet Michæas 1. 16. *Decalvare & tondere ſuper filios deliciarum tuarum; dilata calvitium tuum.*

Inhibuerat Deus Iſraelitis, ne comas circum attonderent pro more Arabum: *Neque in rotundum attondebitis comam. Levit.* 19. 27. Eas gentes deſignat non ſemel Jeremias his characteribus: *Qui attonſi ſunt in comam. Jerem.* 9. 26. *&* 25. 23. *&* 49. 32.

Sacerdotes in Templo brevem gerebant comam, ſed non penitùs abraſam; *Ezech.* 44. 20. forcipe illam reformabant ſubinde, ſed non præcidebant ad vivum juxta Septuaginta. Plures exponunt Hebræum ita ſerentem ad literam: *Non mittent cæſariem*; non nutrient comam (f). Aaroni poſt caſum filiorum Nadab & Abiu vetat Deus, *Levit.* 10. 6. *Capita veſtra nolite curare*; i. e. radere crines pro ſolemni Iſraelitarum more in luctibus. Notant Thalmudiſtæ, Sacerdotes, quo tempore ſervitiis Templi actu occupabantur, præcidiſſe comas forcipe per ſingulos recurrentes triginta dies; Summum verò Sacerdotem Lege juſſum eſſe comam ſuam præcidere ſingulis ſextis feriis in veſperis, ita tamen ut cutis verticis penitus non nudaretur. S. Hieronymus in Textum Ezechielis notat duo ibi vetari Sacerdotibus à Deo, ſuperſtitionis unum, nempe præcidendi crines novacula, quod religioſum erat Sacerdotibus Iſidis (g); alterum ne proliziores haberent cincinnos, quod effœminatorum eſt, criſpantium promiſſas comas.

Cùm Joſeph mandante Rege è carcere eductus eſt, ſtatuendus coram Pharaone: *Totonderunt eum ac veſte mutata obtulerunt*. In carcere coma ejus neglecta, tunc abraſa fuit, cùm in Aulam producendus eſſet; obtinet enim apud Ægyptios, ait Herodotus *l.* 3. *c.* 12. ut à prima juventa comam vel radant, vel præcidant, nec promittitur niſi in luctibus, ait idem *l.* 2. *c.* 36. Porro ſtatuere hominem coram Rege habitu corporis neglecto, & lugubri, debitum in Regem obſequium vetabat. Idem Joſephus, dum Regis favore polleret plurimùm, continuit ſe tamen ne per ſe peteret a Pharaone facultatem deferendi oſſa patris ſui in Chanaanitidem; alios miſit ad Regem pro ſe *Gen.* 50. 4. quippe qui luctum ageret.

Legimus 2. *Reg.* 14. 24. 26. Abſalomum, cujus erat coma omnium quotquot in Iſraele elegantiſſima, reformandam illam tradidiſſe ſemel quotannis, quòd ſcilicet illius pondus, & copiam ſibi eſſe incommodo; (pondus illud referebat *ducentos ſiclos* pondera publico).

Fein-

(a) Præf. in Tob. Siar. Sen. l. 8. Biblioth. (b) Cyprian. l. 3. teſtim. & l. de opere & Eleemoſ.
(c) 2. Mach. 3. 11. A. M. 3828. ante Chr. 172. ante Ær. 176.
(d) Eſdr. 2. 10. & 4. 1. & 6. 1. 12. 14. A. M. 3550. ante Ch. 450. ante Ær. 454. (e) Eſdr. 13. 4...7. &c. incertum quo anno.
(f) Theodoret. ex Hebr. & Syr. (g) Juvenal. Satyr. 1. 6. *Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.*

Princeps ille totam utique cæſariem ſuam non deponebat, pluaenim nimio ea poſita deformaretur. Nunquam decalvabant ſe Hebræi, niſi, ut jam ſupra demonſtratum eſt, in luctibus. Quare reformabat tantùm comam illam ſuam exonerabatque; comæ hujus nihilo ſectùs pondus referebat ducentos ſiclos: id tamen facile dictum cenſeo de cæſarie univerſa, tam quæ intacta relinquebatur, quam quæ deponebatur, facta utrinque compenſatione. Videſis v. *Abſalom*.)

TOPARCHIA, vox Græca, ſonans Dominium, ſeu præfecturam loci, regionis &c. qua quidam donatus, nullum peculiarem titulum, ſive præfecti, ſive Præſidis, Ethnarchæ, Tetrarchæ ſive Regia obtinet. Trium Toparchiarum *Apherema*, *Lydda*, *Ramathu*, frequens eſt mentio 10 1. Machab. 11. 28. & 10. 30. 38. Decem in Judæa Toparchias Plinius *l*. 5. *c*. 14. recenſet; Jerichuntem, Emmaus, Lyddam, Joppem, Acrabatenem, Gophniticam, Thamniticam, Betlephtephenem, Montoſam, ſive Orinem, ubi Jeruſalem ſita, ac tandem Herodium. Totidem etiam apud Joſephum *de Bello l*. 3. *c*. 4. enumerantur; Jeruſalem omnium caput: Gophnam, Arabatam, Thamnam, Lyddam, Ammaus, Pellam, Idumæam, Engaddi, Herodium, Jerichuntem. *Antiq.* vero *l*. 13. *c*. 5. tres Toparchias Judææ adjectas memorat, Samariam, Galilæam, Peræam. Ac tandem *Antiq.l.13.c.8.* tres haſce Toparchias habet, Samariam, Joppem, Galilæam.

TOPASIUS, Hebraice *pitdath*, *Exod.* 23. 17. & 28. 18. & 39.8. *Job.* 28. 19. *Ezech.* 28.13. Septuaginta, S. Hieronymus, Leo de Juda, Junius, & pleriquc recentiores vocem *pitdath* topaſium reddunt. Paraphraſtæ Onkelos, & Jonathan, quemadmodum & Kimchi, virentem petram reddunt, quod topaſio congruit: *Egregia topaſio gloria eſt, ſuo virenti genere*, ait Plinius *l*. 37. *c*. 8. Prætioſiſſimos tamen topaſios alii aureum colorem referre ſuſtinent (a). Quæcumque tandem ea ſes ſit, Hebræo *pitdath* topaſium denotari facilè quidem credimus, cujus vel nominis literæ converſæ illum ferè exprimunt. Ex Inſulæ maris Rubri nomine nomen topaſio inditum ferunt. Ejus inventi gloriam Jubæ Regi Mauritaniæ Plinius tribuit. Verùm ſi nota Moyſi gemma fuit, vatuſtiori ſanè authore gloriatur. De *pitdath Chus* ſermo eſt apud Jobum 28. 19. unde facilè eorum ſententia confirmatur, qui gemmam è Mari Rubro derivant; regio enim Chus ad litus occidentale ejuſdem Maris innotuit. Contendunt alii, *pitdath* ſmaragdum deſignare (b), quem Plinius *l*. 37. *c*. 5. virenti fulgore niteſcere, atque ex Æthiopia deduci teſtatur. Porrò Chus non rarò Æthiopiam redditur, & *pidath Chus* Jobum meminiſſe jam diximus. Porro gemma illa nomine Simeonis inſculpta, ſecunda erat primi ordinis in Rationale, *Exod.* 28. 18.

Vocem Hebræam *pas*, ſive *phaz* in Pſalmo occurrentem (c), quæ potiùs aurum obrizum, aurum Phaſidis, ſive Phiſon ſonat, Septuaginta topaſion reddiderunt (d).

TOPHETH, quo nomine deſignata creditur cloaca Jeroſolymæ, ad meridiem ejuſdem urbis, in Valle filiorum Hennon, ubi perpetuus ignis detineri ſe-ſebatur, abſumendis morticinis, & immunditiis ex urbe delatis. Eò etiam loci proiiciebantur, cineres, & fragmina Idolorum, cùm Aræ eorumque ſimulachra deiiciebantur. Hunc morem comburendi in Topheth cadavera ſpectaſſe videtur Iſaias 3. 33. cùm de everſo exercitu Regis Sennacheribi agens, ait: *Præparata eſt enim ab heri Topheth à Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa, flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eum.* Alii verò nomen Topheth valli Hennon inditum ſuſpicantur, ex ſacrificiis Idolo Moloch ibidem oblatis, tympanis interim (Hebr. toph) ſtrepentibus. Horum ſacrificiorum is erat ritus. Ex concavo ære conflatum Idolum brachia porrecta, & paulò in anteriorem partem inclinata exhibebat. In ejus ulnis expoſiti infantes ad ſacrificium deſtinati, facilè naturali pondere dilabentes, in ſubjectum ignem demittebantur; quod non ſine ingenti infantum ejulatu contigiſſe potuit. Hiſce ejulatibus ſupprimendis, ne quem fortè miſerationis ſenſum in ſpectatoribus conciliarent, ingenti tympanorum ſtrepitu totus interim locus reboabat. De ſacrificiis in Topheth oblatis hæc tradunt. Jeremias Propheta hæc virio Iſraelitis vertit 7. 32. & 19. 11. &c. *Ædificaverunt excelſa Topheth, quæ eſt in valle filiorum Hennon, ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni*. Ex eodem autem Propheta intelligimus, Topheth locum fuiſſe impurum, quò cadavera ſepulturæ honore privata proiiciebantur. Joſias Rex locum Topheth profanavit, ubi Templum Moloch ſteterat, ne immondiſſimo Numini ſacrificia ibidem à quoquam exhiberentur, 4. *Reg.* 23. 10. 11.

TORCULAR Hebraicè *Gath*. Frequenter quidem torcular in Sacra Scriptura legitur, quamquam eo nomine non tantum machina illa deſignata ſit, qua uvæ, ſed etiam vas, quo expreſſus liquor excipitur dictum Hebraicè *Jekeb*, Græcè *Laccos*. Inde phraſes illæ. *Fodit in eo torcular*, *Iſai.* 5. 2. *Matth.* 21. 33. *Vino torcularia tua redundabunt*, *Prov.* 3. 10. *Et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas*, *Agg.* 2. 17. *Zeb in Torculari Zeb*, *Judic.* 7. 25. occiſus eſt. Porrò lacus illi inſtar ſubterraneæ ciſternæ conſtructi, vinum continebant, ſervabantque, donec in lagenas, ſive dolia fictilia, ſive lignea infunderetur (e).

Plures in Pſalterio leguntur Pſalmi hoc titulo: *Pro torcularibus* (f), quem alii aliter explicant. Sunt, qui Pſalmos illos Cantica eſſe vindemiarum, & lætitiæ in Feſto Tabernaculorum, poſt vindemiam ſcilicet, & meſſes canenda putent. Alii verò vocem *gittith*, quæ *torcularibus* in Vulgata reſpondet, de inſtrumento muſico explicant (g). Spirituali ſenſu PP. interpretantur de Eccleſia Jeſu Chriſti, vinea illa myſtica, in qua erectum torcular, juxta phraſim Jeſu Chriſti in Evangelio (h). Nos verò ita reddi poſſe Hebræum cenſemus: *Pſalmus ad Præfectum Muſicæ, qui choro Gethæorum præſidebat*. Choros enim mulierum cantatricum in Templo fuiſſe conſtat, quarum aliquæ facilè ex urbe Geth deduci potuerant.

TORRENS, Græcè *chemarros*, Hebraicè *nachal*. Quæ perpeti amne fluunt aquæ, flumina; quæ ſtato tantùm tempore, uti dum imbres affluunt, ſive nives ſolvuntur, torrentes appellantur. Cùm verò Hebræum *nachal* & vallem, & torrentem exprimat, non rarò alterum pro altero in S. Scriptura uſurpatum occurrit; ut *torrens Gerara* pro *valle Gerara*. Hunc ſanè errorem, quamquam alioqui non ægrè conciliandum, cùm torrentes in vallibus potiſſimùm fluant, operæ tamen pretium fuit adnotaſſe, cùm non rarò ea, quæ torrentis ſunt, valli tribuantur, uti valli Cedron, ea quæ ad torrentem ejuſdem nominis ſpectant. Interdum etiam in S. Scriptura unum idemque torrentis nomen de fluviis etiam uſurpatur, uti de Euphrate, Nilo, Jordane, cæteriſque perpeti curſu fluentibus, ut Jabok, & Arnon. Hinc Nilus *torrentis Ægypti* nomine deſignatus occurrit *Num* 34. 5. *Joſue* 15. 4. 47. *Iſa.* 27. 12. Euphrates vero eſt torrens ille, de quo *Pſal.* 123. 5. & *torrens ſalicum* apud Iſaiam 15. 7.

Torrens ſpinarum, in Hebræo *Sethim*; apud Septuaginta *Funium*, *Joel*, 3. 18. Fluentum hoc ipſiſſimum credo torrentem Cedron, in mare Mortuum defluentem.

Tor-

(a) Vide Danæum, & Diction. des Arts & des Sciences. (b) Schindler. Mercer. Ceval. hrins in Job. Rabb. Joan. in parguino. (c) Pſal. 118. 27. ſuper aurum & topaſion. (d) Confer. Jerem. 10. 9. & 3. Reg. 9. 28. Dan. 10. 5. Pſal. 20. 4. Job. 28. 17. (e) Vide Plin. l. 14. c. 21. Columell. l. 12. c. 18. Cato de re ruſt. c. 113. Vide etiam de ratione ſervandi vini Noſt. Comment. in Jerem. 48. 11. (f) Pſal. 80. 1. & 83. 1.

(g) Ita quidam Rabb. Grot. Boſſuet.

(h) Ita Euſeb. Athan. Didym. Theodoret. Heſych. Nicephor. Aug. Hieron. in Pſalmos.

Digitized by Google

Torrens Cedron, medius inter Jeruſalem ad occidentem, & montem Olivarum ad orientem fluens. Vide *Cedron*.

Torrens Ægypti, idem facilè ac Nilus, ſeu ramus ejuſdem amnis, cæteris orientalior. Vide *Ægyptus*.

Torrens Beſor, vulgò ſitus creditur inter Gazam, & Rhinocoruram; ſed inter Rhinocoruram & Peluſium à S. Hieronymo *in Amos c. 6.* collocatur. Vide *Beſor*. Vide etiam 1. *Reg.* 30. 9. 21.

Torrens Botri; Hebr. *Nehel Elſchol*, torrens ſive vallis botri (a). Situm credimus ad meridiem ſortis Judæ & Simeonis, non procul à *valle Sorec*.

Torrens Zared Num. 21. 12. *Deut.* 2. 13. 14. torrente Arnon meridionalior.

Torrens Arnon, amnis potiùs, quàm torrens. Vide *Arnon*.

Torrens Jabok, & ipſe fluvius meritò appellandus. Vide *Jabok*.

Torrens, ſeu *vallis Geraræ*, ad urbem cognominem, in Arabia Petræa, & ad meridiem Chanaanitidis.

Torrens Jeruel, ſeu potiùs torrens è regione deſerti Jeruel, 2. *Par.* 20. 16. in plaga meridionali Juda.

Torrens Ciſon, ad radices montis Thabor emergens, in mediterraneum inter Carmelum & Ptolemaidem influit. Vide *Ciſon*.

Torrens Cadumim, an idem ac Ciſon? (b).

Torrens Carith, in transjordanica, Socoth verſus. Vide *Carith*. Vide etiam 3. *Reg.* 17. 3.

Torrens Gaas, 2. *Reg.* 23. 30. & 1. *Par.* 11. 32. fluens facilè in Tribu Ephraim ad radices montis Gaas, *Joſ.* 24. 30. *Judic.* 2. 9. cui urbs Thamnat-Saraa, ubi ſepulchrum Joſue, *Joſue* 24. 30. inſidebat. Euſebii ætate ſepulchrum illud in monte Gaas adhuc ſpectabatur (c).

Torrens Mambre, *Judic.* 2. 14. idem ac vallis Mambre, *Gen.* 13. 18. & 14. 13. &c. cùm Hebræum *nachal* vallem & torrentem æquè ſignificet.

Torrens Auſtri. *Pſalm.* 125. 11 *Sicut torrens in auſtro*. Ea planè phraſi torrentes omnes deſignati videntur, ad meridiem Palæſtinæ, vel ſaltem fluenta illa, quæ reſolutis auſtrali vento nivibus feruntur. Hebræus enim textus non *nachal*, quod torrentem ſonat, ſed *aphikei* habet, quod *effuſiones* ſonat.

Torrentes, ſive *fluvii Ethan*, *Pſal.* 73. 15. V. *Ethan*.

(In Palæſtina, Arabia, cæteriſque regionibus, ubi æſtus fervet maximè & raræ è Cœlo ſunt pluviæ, jucundiſſimè æquè ac commodiſſime accidit itinerantibus, ſi in quem fortè torrentem per deſertum inciderint. Id autem Deus ſe præſtiturum in favorem populi ſui è captivitate reducis ſpondet, *Iſai.* 35. 6. *Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine*; & Jeremiæ 30. 9. *Adducam eos per torrentes aquarum in via recta*. Deſcribitur à Pſalmiſta *Pſal.* 109. 7. Meſſias ceu triumphator aliquis, qui cum triumphatricibus copiis remeans, largas aquarum venas pronas habet in itinere: *De torrente in via bibet*. *Pſalm.* 119. 7.

Figurato ſenſu torrens inſinuat largitatem, ſeu boni ſeu mali. *Torrens lacrymarum*, *Jerem. Thren.* 2. 18. torrens iniquitatis, *Pſal.* 17. 5. *torrens Belial* juxta Hebræum. *Torrentem pertranſivit anima noſtra*; *Pſal.* 1. 22. 5. ſub aquis veluti demerſa è diſcrimine erepta eſt à Deo. *Torrens ſulphuris*, *Iſai.* 30. 33. & contrario ſenſu: *Torrens deliciarum*; *Pſal.* 39. 9. *torrens pacis*, *Iſai.* 66. 12. *auri*, *Job* 22. 24. *butyri & mellis*, *Ibid.* 20. 15.)

TORTA PANIS, quo nomine exprimitur *panis ex pinguibus palmulis farina, & aqua confectus* (d). Alii reddunt placentam, ſive tortam, ſive aliquid ſimile (e). In Scriptura tamen eſt *panis*, & Hebræo *ciccar*, *Exod.* 29. 29. reſpondet, quod ſonat compactum aliquod craſſumque fruſtum; hinc deſignando talento adhibetur, quæ maxima eſt metalli moneta, atque ſummi inter cæteras, cujus uſus in negotiatione, pretii. Sunt, qui Hebræum *ciccar*, & Latinum *torta* de fruſto panis interpretentur: nos integrum panem maluimus.

(TOTAPHOT. Legitur ea vox in Exodo 13. 16. & in Deuteronomio 6. 8. & 11. 18. redditurque à S. Hieronymo interdum quidem *appenſum quid*, inauris, interdum *ſignum*. Commentariorum Scriptores plures arbitrantur *Totaphot* Ægyptium eſſe nomen ornamenti nobis non ſat cogniti. Septuaginta vertunt id vocis plerumque *res immobiles*; Aquila *inaures*; Paraphraſtes Chaldæi modò quidem *Thephilin*, amuleta, modò verò *tiaram*, coronam, armillam, inſpectis moribus Judæorum ætatis ſuæ, qui nomen Totaphot uſurpabant de longioribus membranis, quas fronti alligatas præferebant. Syriacus: *Memoriale ante oculos tuos*; Pagninus: *Frontale oculare*.

Rabbinorum quibuſdam eſt *Totaphot* ſpeculum; & doctis pluribus eſt Ægyptium nomen (f) deſignans *oculorum vitra*. Scaliger & Ligtfootus Hor. Hebr. in Matt. 23 dictum accipiunt de *Amuletis*, philacteriis &c. Samuel Petit (g) imagines obſcænas, quibus uſos conſtat Paganos pro amuletis, interpretatur. Reputat S. Hieronymus deſignari his faſcias membranaceas, quæ tremulo motu agitabantur ante vel inter medios oculos Judæorum. Deuteronom. 6. 8. *Movebuntur ante oculos tuos*, & cap. 11. 18. *Inter oculos veſtros collocate*; & Exodi 13. 16. *Quaſi appenſum quid*. Ita variè reddit Sanctus Hieronymus. Idem vero in Commentariis ad S. Matthæum cap. 23. quanquam meminit Septaginta reddentium *Totaphoth*, res immobiles, adhuc tamen affirmat Phariſæos literæ Moſaicæ plus nimio tenaces, deſcribere conſueviſſe Decalogum in faſciis quibuſdam membranaceis, quas convolutas applicabant fronti, alligabantque in modum coronæ, ita tamen ut nunquam non motu agitarentur ante oculos. Manere id ſua etiam ætate apud religioſiſſimos Judæos Indiarum, Babyloniæ, & Perſidis.

Ex his ſtatuendum arbitrarer vocem *Totaphot* deſignare ornamentum quoddam frontis coram vel inter oculos pendens. Vide Geneſim 24. 22. monere autem Moyſem, Legem Dei nunquam deponi à corde & mente Iſraelitarum, uti ornamenta illa frontis ſemper ante oculos pendent. Nec vocem illam vernaculam eſſe Ægyptiorum negaremus; animadvertiſſe enim mihi viſus ſum in pleriſque imaginibus Sacerdotum Tabulæ Iſiacæ ornamentum quoddam modicè ſupra frontem aſſurgens, & pileo illorum adhærens. Illud quidem immotum non tremulum ante frontem videtur, ſed recurvum quoddam folium exhibet. Quantum è verbis Moſaicis inſinuaretur, virile erat ornamentum, viros enim hortatur ne unquam è memoria deponant mandata Dei, quemadmodum Totaphot nunquam non pendet ante oculos.)

TRACHONITIS, ſive *Traconitis*, vel *Draconitis*. De hac regione agit S. Lucas 3. 1. cùm anno 15. Tiberii Philippum filium Herodis Magni Tetrarcham Ituræ, & Trachonitidis commemoret. Arabia deſerta ad Orientem, Batanæa ad occidentem, Ituræa ad meridiem, Damaſcena regione ad ſeptentrionem definitur. Arabiæ interdum adſcripta eſt, ad quam ſanè potiùs, quam ad Palæſtinam attinebat. Joſephus *Antiq. lib.* 1. *c.* 7. ſitam perhibet inter Palæſtinam & Cœle-Syriam; ejuſque incolas ab Hur filio Aram derivat. Via in Trachonitidem ducens, in viciniis Lacus Phialæ, ubi fontes Jordanis, patuit. Frequentiſſimæ in ea regione cavernæ tutum prædonibus illis effugium præbebant, qui Herodem Magnum

non

(a) Num. 13. 25. *Vallis Botri* Num. 13. 24. & 32. 9. Deut. 1. 24. (b) Vide Judic. 5. 21.
(c) Euſeb. in loc. in Gaas. (d) Erotianus in Onomaſticu.
(e) Altheluis de laudib Virgin c. 28. *Punica mala videns granis fertiſque referta; Botros, & ficos, & plures ordine tortas.*
(f) Olcaſt. Munſt. Mayer. Grut. &c.
(g) Samuel. Petit. Var. lect. c. 20. pudenda è luto efformata. Legit in Septuaginta *axalenta* ex *axa*, pulvere, & *uta* pudenda, quo loco nos legimus in Septuag. *aſalenta*.

non ſemel turbarunt. Vide Joſephum. Tribus Manaſſe, Euſebio authore in locis, v. Kanat, in Trachonitidem Boſtram verſus excurrebat; in quam etiam regionem, ait alibi idem Euſebius, Ituræa porrecta, in deſertum etiam ad Boſtram penetrabat. Tandem S. Hieronymus ultra Boſtram, Damaſcum verſus, Trachonitidem collocat. Montes *Trachones* apud Strabonem ſupra Damaſcum ad latera Arabiæ & Ituræx exhibentur, ubi prærupti montes, & cavernæ, 1000. viris continendis amplæ, occurrebant.

TRADITIO, quo nomine Dei verbum non in Libris Sanctis ſcriptum, ſed ore traditum Apoſtolis, & ea illis conſtanti ſucceſſione ad nos uſque delatum exprimimus. Certiſſima atque aſſerta, diſcernendis veris à falſis Traditionibus, regula Eccleſiæ eſt, ut nihil tamquam Apoſtolica traditione ratum habeatur, quod communi totius Eccleſiæ uſu, & ſententia, licèt nil de origine conſtet, receptum non ſit.

Ante bellum Romanum ſub Veſpaſiano, & deindè ſub Adriano, & Severo, nihil uſpiam de traditionibus ſuis ſcriptis mandaverant Judæi. Poſt hæc, Rabbi Judas, cognomento Sanctus, *Miſnam*, ac ſi diceretur, *ſecunda Lex*, adornavit. Hæc Judaicarum traditionum prima collectio. Adjecta deinde Gemarra Jeroſolymitana, & Babylonica, ex quibus Miſnæ junctis, Talmud Jeroſolymitanum, & Babylonicum, conſtat. Portò Gemarræ illæ veluti Miſnæ, ſeu Codicis principalis explicationes habentur.

Jeſus Chriſtus in Evangelio falſas traditiones Phariſæorum non ſemel accuſat; illiſque plura exprobrans, ait: *Relinquentes mandatum Dei propter traditiones veſtras .... Bene irritum facitis præceptum Dei: ut traditionem veſtram ſervetis*, *Mar.* 7. 7. &c. *Matth.* 15. 1. &c. Corruptæ etiam ea ratione Legis, & ſuperſtitioſæ in rebus vanis religionis, cùm interim majora negligerent, exempla plurima in medium adducit. Hæc autem, ait, eſto obſervetis; ne tamen vos gravioribus præceptis ſegniores præbete. Nec temporis ſucceſſu de priſtina ſervandarum traditionum pervicacia Phariſæi quidquam remiſerunt; eoſque, quos earum authoritati minùs deferentes offenderint, continuò veluti hæreticos damnant. Ita erga Caraitas ſervatum eſt, quippè qui Scripturæ Textui potiſſimùm inhærentes, traditiones omnes niſi probatiſſimas, & Legiſlatoris menti congruentes, rejiciunt.

Traditiones ſuas Judæi *Legem oralem* appellant: Moyſi verò in monte Sinai à Deo oretenus traditas, cùm ſimul alteram Legem ſcriptam daret, jactitant. Adduut, ea ſcientia inſtructos deindè à Moyſe Seniores populi, qui ſanctiſſimi depoſiti loco illam recipientes, dein ad poſteros tranſmiſerunt. Eo veluti rivulo derivatos ferunt iidem Judæi Libros Talmud, quorum tanta apud illos authoritas, ut non raro vel apertiſſimis S. Scripturæ Textibus præferant.

Suæ etiam Chriſtianis ſunt traditiones, à Chriſto & Apoſtolis acceptæ, quas quidem tamquam inviolabile ſacrumque depoſitum ſanctè cuſtodientes, fidei ſuæ ac diſciplinæ certam normam ab eodem Spiritu, a quo Scripturæ Sacræ, conſtitutam habent. Hinc Apoſtolus ita Fideles hortatur, 2. *Theſſal.* 2. 15. *Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Debitam hiſce traditionibus obſervantiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 1. *c.* 1. apertiſſimis verbis exponens, prodit, veritatem, & diſciplinam Eccleſiæ Catholicæ & in Libris Sacris contineri & in traditionibus, ex ore ipſius Chriſti in Apoſtolos, & ex illis conſtanti ſucceſſione ad nos uſque tranſmiſſis. Paria apud veteres Patres legas, qui ſimul omnes veritati, & authoritati Apoſtolicarum traditionum, ſivè illæ ſcriptis mandatæ, ſive ore tantùm deductæ fuerint, ſuffragantur (a). Nec tamen omnes æquè, quæ vulgò ferebantur, traditiones paſſim tamquam Apoſtolicas recepiſſe Patres nullo delectu credendi ſunt. Diſcretione opus eſt, ut vera à falſis diſtinguantur. Nos eas tantummodò recipere cogimur, quas Eccleſia, & unanimis Paſtorum conſenſus probavit.

TRAGELAPHUS, ſive dama, animal ad hircum, & cervum accedens; hinc ea *tragos*, hircus, & *elaphos*, cervus, feræ nomen. In purorum animalium cenſu apud Moyſem habetur, *Deut.* 14. 5. Porrò tragelaphos nonniſi ad Phaſidem occurrere, nec niſi barba, atque longioribus villis à cervo diſtingui Plinius *l.* 33. *c.* 8. eſt author. In Arabia etiam non deeſſe Diodorus Siculus Biblioth. *l.* 2. tradit. Eo nomine fabuloſum aliquod animal deſignari Veteres nonnulli autumarunt: Hebræum *akko* hircum ſylveſtrem deſignare, deducta ex Arabico etymologia, Bochartus de anim. Sacr. p. 2. *l.* 6. c. 1. oſtendit.

(TRAHA plauſtri genus eſt quoddam ad uſum excutiendi tritici, ac conterendæ paleæ, cujus ſub plauſtri nomine mentio eſt frequens in Scriptura. Iſaiæ 25. 10. *Triturabitur Moab, ſicut teruntur palea in plauſtro.* Et cap. 28. 27. *Non enim in ſerris triturabitur gith; nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit.* Et cap. 41. 15. *Ego poſui te ſicut plauſtrum triturans novum, habens roſtra ſerrantia.* Amos 1. 3. *Eo quod trituraverit in plauſtris ferreis Galaad.* Trahæ illæ inſtruebantur rotis compactis humilibuſque, ac ferratis, quæ ſuper ſtratos manipulos paleaſque circumductæ valebant ad trituram. Ita illas deſcribit S. Hieronymus in Commentario ad Iſai. 25. *Sunt autem carpenta ferrata, rotis per medium in ſerrarum modum ſe volventibus, quæ ſtipulam conterunt, & comminuunt in palea.*

Machinarum ejuſmodi parandarum non una erat ars. Referebant alicubi trabes quaſdam ingentes cuſpidibus ferreis vel lapidibus armatas, quæ inducebantur ſuper manipulos. Meminit illarum Virgilius, *Georg.* 1.

Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra
Tribulaque, trahæque.

Quo in loco notat Servius traham plauſtrum eſſe ſine rotis; tribula plauſtrum *omni ex parte dentatum*, obtinens potiſſimùm in Africa ad trituram.

Septuaginta & S. Hieronymus plauſtra illa interdum exhibent ceu ſerræ genus quoddam referentia: *Plauſtrum habens roſtra ſerrantia Iſai.* 41. 15. 70.; reipſa enim tota ejus ſuperficies hiſpida erat dentibus, veluti ſerratis. Potitus David Metropoli Ammonitarum Urbe Rabbat, cives ejus id generis machinis contrivit ſerravitque 2. *Reg.* 12. 31. *Populum adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta.* Ita pariter & cum Judæis Galaaditidis egiſſe Regem Damaſci perhibet Amos 1. 3. Accedunt hæc maximè ad morem plectendorum reorum apud Romanos, Carthaginenſes, & veteres Germanos; necabantur enim contuſi ſub crate immanibus lapidibus onerata; quod erat *ſub crate necare* (b). Plautus: *Sub cratem ut jubeas ſeſe ſupponi, atque eo lapides imponi multos, ut ſeſe neces.* Vide v. *Supplicia*.

TRANS. Hebræum *heber*, quod vertitur plerunque *trans*, deſignat etiam *cis*; vel non ſemel occurrunt Textus, in quibus narrationis ſeries cogit, ut *cis* legamus. Ita e. g. Geneſ. 50. 10. illud: *Ad aream Athad, quæ ſita eſt trans Jordanem.* Erat area illa ad occidentem amnis, quare vertendum potiùs videretur *cis Jordanem*, pro *trans Jordanem*, quantùm ad Palæſtinam, ubi ſedem habebant Judæi. Illud etiam Num. 22. 1. *Trans Jordanem Jericho ſita eſt*; conſediſſe urbem illam conſtat ad occidentem amnis.

Reponi hic poſſet Moyſem, dum ſcriberet, verſatum fuiſſe ad Orientem Jordanis; quare ad ipſum quod ſpectat Athad & Jericho trans Jordanem fuiſſe; ſed & Joſue agens cis & ad occidentem amnis, eadem

(a) Vide Iren. l. 3. c. 3. 4. Tertull. de corona milit. c. 3. Baſil. ad Amphiloch. de Spir. S. c. 29. Chryſoſt. in 2. Theſſal. 2. Epiph. Hæreſ. 61. Auguſt. Ep. olim 118. nunc 54. ad Januar.
(b) Tit. Liv. l. 4. Plaut. Pœnulo, Tacit. de morib. Germ.

eadem pariter uſurpat, quippe qui transjordanicam appellet tam regionem cis, quàm trans amnem. Vide cap. 12. 1. *Hi ſunt quos perduxerunt filii Iſrael trans Jordanem ad ſolis ortum*. Continuò recenſet Sehon & Og, quorum erat Regnum trans & ad Orientem Jordanis. In eodem capite ℣. 7. *Hi ſunt Reges quos percuſſit Joſue trans Jordanem ad occidentalem plagam*; videlicet Regem Jericho, Jerimoth, Eglon, Dabir, quibus jungit cæteros plagæ occidentalis cis Jordanem. Inferendum ea his arbitror Hebræum *heber* valere æquè pro *cis* & *trans*, ſeu potiùs deſignare *ultra* ac tantùm amnis tranſitum, abſque eo quod è voce illa inferri poſſit regio aliqua, ſive trans, ſive citra, niſi contextus ſermonis aliud determinet.)

TRANSFIGURATIO. Poſtquam Jeſus Chriſtus ab Apoſtolis requiſivit, quænam de ſeipſo opinio inter homines ferretur, atque ab Apoſtolo Petro apertam de Divinitate ſua confeſſionem expreſſiſſet, tunc verſo ad imminentem Paſſionem ſuam ſermone, adjecit *Matth.* 16. 28. *Amen dico vobis, ſunt quidam hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo. Et poſt ſex dies* (nempe ab ea facta promiſſione) *aſſumpſit Jeſus* (a) *Petrum, Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Et transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias, cum eo loquentes.*

Colloquio autem argumentum exhibuere, ait S. Lucas, ſupplicia, & mors, quæ Chriſtum Jeroſolymis manebant. Addit idem Evangeliſta, Petro, & ſociis ſubito ſomno oppreſſis, cum primùm evigilaſſent, ob oculos obverſatum Filium Dei inſueta gloria fulgentem. Tunc autem verſus ad Jeſum Petrus, *Præceptor*, ait, *bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula, unum Tibi, unum Moyſi, & unum Eliæ..... Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; & ecce vox de nube dicens; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite. Et audientes Diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè. Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, nolite timere. Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Jeſum.*

Prodigium illud noctu contigiſſe credimus; hinc Apoſtolorum ſomnus; hinc etiam S. Lucas 9.37. *manè* deſcendiſſe illos de monte inſinuat, veluti ſi noctem ibidem tranſegiſſent. In eo autem patrando fidem ſuam Chriſtus liberare voluit; quippe qui paulò ante exhibiturum ſe gloriæ ſuæ ſpecimen nonnullis ex Diſcipulis ſuis, antequam è vivis diſcederent, promiſerat. Ea hoc autem eorum animos præmunivit, ne de cruce ſua, & nece imminenti ſcandalo aliquo afficerentur, utpote qui certiſſimum Divinitatis ſuæ argumentum oculis ipſis ſpectaſſent. Ita Patres cenſuerunt. Meritò autem animadverſum eſt a nonnullis, habitum Chriſti, quo ſe inter medios homines infirmum, egenum, humilemque homuncionem exhibuit, veram, & perpetuam fuiſſe transfigurationem. Quæ verò transfiguratio in monte accidit, ea naturali ordine & ſine prodigio contigit.

In Monte Thabor transfigurationem à Chriſto factam vulgò Interpretes conſentiunt: horum tamen ſententia graves patitur difficultates, quarum nonnullas v. *Thabor* notavimus.

Quod ad Moyſem, & Eliam ſpectat, quinam fieret, ut ab Apoſtolis viri illi dignoſcerentur, meritò inquiritur. Hoc tamen facilè contigiſſe reſpondent, ſive quod Jeſus nomine illos appellaverit; ſive quod è monte deſcendens, Apoſtolis prodiderit; ſivè tandem Apoſtoli ipſi ex inſpectis utriuſque imaginibus, ſivè recepta de habitu oris utriuſque à Veteribus traditione, ambos illos per ſe dignoverint. Vulgatam enim ea de re traditionem apud Judæos extitiſſe, quemadmodum, & apud nos de SS. Petro, & Paulo, nullus dubito. In ea verò Moyſis, & Eliæ apparitione teſtimonium ex Lege, & Prophetia Jeſu Chriſto per figuram exhibitum fuiſſe, vulgò Patres animadverterunt. Ea occaſione, Moyſes ad vitam revocatus creditur; quoad Eliam, illum certè adhuc vivere conſtat: ex ignoto autem loco in montem transfigurationis deductus eſt. Non deſunt tamen, qui crediderint, inanem tantùm amborum figuram in monte exhibitam fuiſſe.

(TRANSMIGRATIO. Vide ſupra Captivitates. De Regione quò decem Tribus Iſrael translatæ ſunt, ambigua offert plura. Docente Scriptura 4. *Reg.* 15. 29. & 1. *Par.* 5. 26. ſcimus Teglatphalaſar amotas è regione Transjordanica Tribus Nephtali, Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe tranſtuliſſe *in Lahelam*, *Habor*, & *Aram* A M. 3264. Poſt viginti annos circiter A. 3283. Salmanaſar redacta in poteſtatem Samaria, reliquias Regni Iſrael duxit in Aſſyriam, *poſuitque eas in Hala, & in Habor, juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum*, 4. *Reg.* 17. 6. & 18. 10.

De *Lahela*, & *Hale* nihil eſt ambiguum, unum ſunt enim idemque, nec aliam facilè deſignant regionem quàm *Hewla* vel Colchidem. *Habour* vel Chabor eſt amnis Chaboras & regio adjacens. *Gozan* vel *Gauzan* eſt nomen provinciæ, quam amnis ille perluit, juxta ac teſtatur quartus Regum 18. 11. *In Habor fluvii Gozan*; & cap. 17. 6. *In Habor juxta fluvium Gozan*, Regio eſt alia *Gauzan* in Media inter amnes Cyrum & Cambyſem. Benjamin Tudelenſis conſtituit Gozan in Media quatuor dierum itinere ab Hemdam. Eſt Gozan Judæis amnis Sabbaticus, qui ſingulis recurrentibus Sabbatis à fluendo ceſſat, eademque die ita obſidetur flammis, ut vadum ejus tentare audeat nemo.

Hara vel *Ara* locus eſt in Media, nec alter facilè a provincia Areorum nota apud veteres Geographos in Media. Affirmat Benjamin Tudelenſis Urbes eſſe in Media ad quinquaginta Iſraelitis cultoribus frequentatas. Ex Libro Tobiæ *c.* 1. 11. 16. & 3. 7. 5. 8. intelligimus Iſraelitas frequentes degiſſe Ninive, Reges Medorum Suſis & Ecbatanis. Jeſu Chriſti ætate longè latèque per Orientem diſſeminabantur Iſraelitæ in Perſide, Media, regione Elam, Meſopotamia, Cappadocia, Ponto, Aſia, Phrygia, Pamphylia, Ægypto, Cyrenaica, Inſula Cretæ, & in Arabia *Act.* 2. 9. 10. 11. S. Jacobus epiſtolam ſuam ſcripſit ad *duodecim Tribus diſperſionis*; & Philoni, *Legat. ad Cajum* ſunt Judæi frequentes per Orientem, & totum latè Perſarum Imperium. Sermonem habens Joſephus, *Antiquit. l.* 11. *c.* 5. decem Tribuum, verſari illas adhuc ſua ætate frequentes trans Euphratem perhibet; quin & captivas detineri in montibus & urbibus Mediæ ſæculi ſui teſtis affirmat S. Hieronymus, in *Ezech.* 23.

Author quarti Eſdræ 13. 41. &c. perhibet, Iſraelitas in captivitatem deductos à Salmanaſare, ſtatuiſſe reducere ſe è medio gentium, ut liberiùs vacarent Divinis, eodemque conſilio Euphratem tranſvadaſſe, aperta ſibi per medium alveum à Deo via, prodigio non diſſimili ab eo, quo Hebræi olim ſub Joſue ſicco pede in averſam Jordanis ripam evaſerunt. Errarunt integro anno & ſemis, antequam pervenirent ad locum, quò aſpirabant. Tandem conſtiterunt in Arzeret, ubi tracturi ſunt moram adusque noviſſima tempora, cùm novo prodigio aperto ſibi per Euphratem vado revocandi ſunt ab Omnipotente.

Sed quæ Regio iſta Arzeret, vel ipſis ignota Hebræis? Refert Joſephus Gorionidis Alexandrum Magnum aditum tentantem per montes tenebroſos, ſeparantes Regionem Iſraelitarum à cæteris, prohibitum fuiſſe à ſubita quadam inclamante voce: *Cave, ne pedem inferas in domum Dei*. De ſe perhibet Benja-

(a) S. Marcus 9. pariter ſex dies enumerat. S. Lucas 9. 27. 28. facilè, quia diem factæ promiſſionis, & impletæ computat; quibus omiſſis, cæteri Evangeliſtæ 6. tantum enumerant.

Digitized by Google

Benjamin Tudelenſis poſt iter ar. dierum ſeptemtrionem versùs, tenuiſſe Regnum Rechabitarum, quod longum tractum 16. dierum itineris occupat; tùm & plura de Urbibus ejus ditionis refert. Sed nihil docet num ipſum ſit Arzeret.

Legas in Menaſſe Ben Iſrael, *lib. Spes Iſrael*, decem Iſraelis Tribus recepiſſe ſe primùm in Tartariam, inde plures penetraſſe in Americam. Quæ ejus ſententia multos nacta eſt patronos; viris enim doctis (a) ſanè pluribus perſuaſum fuit manere hodie uſque Tribus illas in Tartaria, ex quo effudiſſe ſe Judæos credunt in Ruſſiam, Moſcoviam, Poloniam, Lituaniam, ubi Judæi frequentiores, quàm nullibi per Europam verſantur. Judaicos mores longè plurimos retinent Tartari; abſtinent à ſuilla; novennes initiantur circumciſione; ſervant Legem Leviratus, i. e. cùm frater ſuperſtes viduam uxorem fratris defuncti abſque liberis ducit. Rex Thaboe in Tartaria contulit ſe in Galliam rerum potiente Franciſco I. atque Principi illi propoſuit, ut Judaicam Religionem amplecteretur; idemque & aliis per Europam Principibus ſuaſit; ſed non ſine riſu & contemptu ab omnibus exceptus eſt. Hæc Davity de Turcarum ſtatu in Aſia p. 124. 168.

Judæi plures e Tartaria in Sinas migraſſe creduntur, qua de re fuſiùs nos ſupra v. *Sina*.

Quæ illorum opinio tenet Iſraelitarum decem Tribuum partem ſaltem inſinuaſſe ſe in Americam his potiſſimùm fulcitur: Monteſini in relatione ſua ad Menaſſe Ben-Iſrael affirmat incidiſſe ſe in Iſraelitas ſat frequentes latenteſque retrò poſt montes Cordilleros, terminantes regionem Chilly in America. Addit, ſe, cùm eò uſque penetraſſet, veniſſetque ad ripam amnis, ſignum dediſſe, ſtatimque eò accurriſſe confertam turbam hominum pronunciantem Hebraicè Deuteronomii illa: *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*. Agnoſcebant illi in patres ſuos Abrahamum, Iſaac, & Jacob, atque originis ſuæ authorem habebant Ruben: eò deductos ſe affirmabant, iter ſuum dirigente non ſine prodigio Numine; Indorum verò arma uſque tertiò provocaſſe in ſe Magos; ſed uſque tertiò inſigni victoria retudiſſe. Tandem Magos illos è cæde ſervatos declaraſſe Iſraelis Deum verum eſſe ſingulare Numen, & in caitu ſæculorum Iſraelitas unicos futuros Orbis Dominos.

Impoſuerunt hæc Menaſſe, qui ſtatim ſumpto calamo ſcripſit Librum, cui titulus: *Spes Iſrael*. Conſtituit in eo vir doctus Aſiam & Americam olim continuatas fuiſſe, quas dein inducto inter utramque freto Aniano diſtinxiſse Numen. Antea tamen Iſraelitas eò veniſse, atque inter medios veteres incolas regionis conſtituiſse ſedes. Fidem dictis hiſce ſuis adſtruit ex illis Iſaiæ 51. 5. *Inſulæ me expectabunt*, vel *in me ſperabunt*; tùm ex illis Iſaiæ 42. 4. *Legem ejus Inſulæ expectabunt*. Nomine Inſularum deſignari hic Americam affirmat Menaſſe.

Eques Pen, in ſua epiſtola de præſenti ſtatu regionis Anglicanæ in America, perſuaſum habet, Americanos ex Hebræis deduci. Oris lineamenta, maximè infantium Hebræos ad vivum depingunt, ut eos intuens Hebræos intueri crederes. Oculos habent parvos & nigros: tempus ſupputant per lunationes; offerunt è fructibus primitias; norunt Feſtum quoddam veluti Tabernaculorum; Aras habere ſacras è duodecim lapidibus feruntur; luctum prorogant ad annum. Fœminarum mores Judæas exprimunt; eadem eſt & indoles ſermonis, maſculi, conciſi, ſtricti, & emphatici, ut unica vox valeat pro tribus ac teliqua ſupplenda menti relinquat.

Adduntalii, Mexicanos initiari circumciſione; apud illos olim ſpectatos fuiſſe Gigantes, noſſe aliquid Americanos de diluvio & transfretatione Erythræi. Alicubi in Regno Peruviano mactatur albi velleris agnus, cujus è vulnere cruor farina admiſtus diſtribuitur in populum, ad imprimendam eo ſanguine rubram quandam notam in liminari ædium. Ex iis quidam tenent reſurrectionem, alunt ignem perpetuum in honorem Numinum, celebrant in ſingulos quinquaginta annos Jubilæum, & ſingulos ſeptem dies ſabbatum. Porro affinitas iſta diſciplinæ & morum Americanos inter & Iſraelitas caſui authori nunquam tribuerentur. Agnoſcendum eſt itaque Iſraelitas penetraſſe in Americam ſive per Sinas, ſive alia quacumque data via.

E' Judæis quidam traducunt illos per Hiſpanias vel per Gallias, exponuntque de eo tranſitu illud Abdiæ ✝. 20. *Tranſmigratio exercitus hujus filiorum Iſrael omnia loca Chananæorum uſque ad Sarreptam*; Hebr. uſque ad Sarphad (i. e. Galliam); *& tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt*; Hebr. in *Sarphad*. (i. e. juxta illos in Hiſpaniis) *poſſidebit Civitates Auſtri*. Videſis ea de re Librum Gallicum inſcriptum: Affinitas morum inter Indos Orientales & Judæos (b), per D. de la C... Bruxellis anno 1704. in 12. & Librum Anglicum de eodem argumento authore Thoma Thorougood, alioſque nonnullos Authores, quos exhibet D. Fabricius Bibliograph. Antiquar. pag. 16. 17. 18.

Cùm verò iſthæc omnia propiùs diſpiciuntur, & ad veritatis libram expenduntur ea, quibus opinio iſta adſtruitur, deprehendimus ſtatim partim hæc meras eſſe fabellas, partim ambigua eſſe & incerta. Si quæ ſint apud Americanos lineamenta Judaiſmi, ſunt etiam quædam Chriſtianiſmi admiſta, ſed ſuper hæc omnia eminet Paganiſmus & Idololatria publica & manifeſta, quibus utique prohibemur ne quid ſatis certi adſtrui poſſit de origine Americanorum ſive ab Iſraelitis repetenda, ſive per Chriſtianos traducta. Fuſiùs hæc omnia diſquirere noſtri non eſt inſtituti; vide Scriptores, qui hoc argumenti genus excuſſerunt, uti D. Baſnage hiſt. Jud. lib. 7. c. 1. Diſſertationem noſtram in regionem, quò decem Tribus translatæ ſunt. Wolfium Bibliot. Hebr. t. 1. P. Lafiteau mores Sylveſtrium Americanorum t. 2. & generatim omnes quicumque in hiſtorias & mores Americanorum laborarunt.

Diu eſt ex quo decem Tribus, vel ſaltem ex illis portio in Æthiopiam veniſſe feruntur. Ex iis plures comites acceſſiſſe dicuntur Reginæ Sabæ, cùm ab inviſendo Rege Salomone regrediebatur. R. Eliezer (c) docet jam inde ab ætate Jeroboami Tribum Dan eò ſeceſſiſse, quò aliquanto poſt illam ſequutæ ſunt Tribus Nephtali, Gad, Aſer, & Moyſia. Poſtrema hæc Tribus, cujus ne verbum quidem Scriptura, Idololatriæ, ſi Rabbinum audias, erat addicta, ſed tandem reſipiſcens ſe totam impendit excitandis ædibus in regione quò tranſmigraverat. Tribus illæ omnes in unius populi ſocietatem coaleſcentes, è gente ſua potentiſſimum Imperatorem ſibi præfecerunt, cui pronum erat habere ſub ſignis ad nutum exercitum 120000. equitum & 100000. peditum. Apage fabellas. Illud certò conſtat plures in Æthiopia verſari Judæos viros ſtrenuos & bellicoſos, quin & potentiſſimos; ex illis enim quidam circa medium elapſi ſæculi molitus eſt dare ſe Regem modicæ regionis tractus & acceſsu ardui & montuoſi, quod geminorum Legatorum Regis Æthiopiæ relatione didicit D. Bernier Itiner. Cachemitar. t. 4. p. 218., in Aula principis Mogolis illos conveniens. Sed Judæi illi originem ſuam referunt à Juda, nec ſatos ſe è decem Tribubus traditione ulla ſciunt.

Olaus Rudbekius, filius clariſſimi Rudbekii, Authoris Atlantici in ſua *Laponia illuſtrata* defendit fruſtra quæri decem Tribuum reliquias ſive in Aſia, ſive

in Afri-

(a) Philipp. Mornay. de Verit. Relig. Chriſt. c. 26. Genebrard. Chron. Rebg. Mundi Opus Gallic. to. 2. Vide Grot. de orig. Gent. Americ.
(b) Conformitè des Coutumes des Indiens Orientaux avec celles des Juifs.
(c) Vide Bartolocci Bibl. Rabb. t. 1. p. 129.

in Africa, & multò etiam minùs in America; ſepultæ ſunt enim in imo fundo Septemtrionis in Laponia patria ſua. Vadem hujus ſententiæ dat affinitatem quandam morum, & cæremoniarum Lapones inter & Judæos, quam & fulcit generalibus quibuſdam conjecturis, quibus ſatis certi nihil determinaretur. Qua probandi ratione admiſſa nulla non Regio ex Judæis ſe & decem Tribubus aſſeret.

Conſtat utique, 1. Nullam eſſe in terra regionem nobis cognitam, ubi ad ſenſum ſeſe offerant decem Tribus in unum coaleſcentes populum; 2. Raras eſſe viciſſim regiones Judæis & Iſraelitis habitatoribus deſtitutas, ac veſtigia aliqua Religionis illorum non exhibentes. 3. Conſtat inſuper ex Iſraelitis captivis frequentiſſimos repetiſſe avitas ſedes, rerum potientibus Perſis & Græcis. 4. Tribus Juda & Benjamin ac decem Tribus Iſrael confuſas habent modò inter ſe rea & admixtas adeò, ut nullo ingenio diſtinguerentur; quare operam perderet ille, qui ad inveſtigandas decem Tribus per orbem peregraret. Vide ſupra *Captivitas*, *Principes Captivitatis*.)

TRIBUNA area Salomonis, baſis erat quadrata, trium cubitorum altitudinis, & quinque longitudinis, & latitudinis, 2. *Par.* 6. 13. cui impoſita cathedra, ſivè thronus quidam, cujus pars intima rotunda erat, è regione atrii Sacerdotum, in ſuperiori atrii majoris parte. Hic Rex Templum petens aſſidebat.

TRIBUNALIA, loca juri dicundo deſtinata. In ſingulis urbibus ſuos conſtitui Judices, & Magiſtratus, controverſiis ejuſdem regionis definiendis, Moyſes juſſit. Si quæ autem gravior interceſſiſſet controverſia, ad locum à Domino in ſedem electum, ait idem Moyſes, deferatur coram Sacerdote de ſtirpe Aaronis, & Judice à Domino per ea tempora deſtinato. Vide quæ diximus v. *Judex* & v. *Sanhedrin*. Tres Tribunalium ordines olim in Iſraele diſtinctos tradunt Rabbini; trium Judicum, viginti trium, & ſeptuaginta. Tribunal trium Judicum ſuum erat in ſingulis vicis, quod de pecuniis, & bonis mobilibus cognoſcebat. In urbibus verò Tribunal 23. Judicum conſtitutum, non in hæc tantùm, ſed etiam jus ſanguinis habebat. Tertium tandem Tribunal, unicum illud, ſedem tantùm in aula Templi Jeroſolymis habebat. Huic, quod magnum Synedrium dicebatur, Reges ipſi, Summus Sacerdos, Tribus Iſraelis, Pſeudo-Prophetæ, & arduæ de religione controverſiæ ſubjiciebantur. Ex Rabbinorum doctrina, jus ſanguinis Synedrio ablatum 40. annis ante everſionem urbis, & Templi, nempe An. 30. Ær. & 7. ante mortem Chriſti: hinc illud Judæorum ad Pilatum: *Nobis non licet interficere quemquam*, *Jo.* 18. 31.

TRIBUNUS, nomen Dignitatis apud Romanos, nec ſanè unus erat: apud illos Tribunorum ordo. Tribunorum alii militiæ, alii Reipublicæ gubernationi præerant. *Tribuni Celerum*, levioris armaturæ equitibus imperabant; *Tribuni ærarii*, publica æraria curabant; *Tribuni fabricarum*, armorum fabricam; *Tribuni maritimorum*, portubus maris, alveis amnium, & ſalinis; *Tribuni Plebis*, populi jura aſſerebant, tantaque pollebant authoritate, ut Optimatibus reſiſterent; tandem *Tribuni militiæ*, in ſuperiores, & inferiores diſtincti; illi legionum, hi cohortum Prælecti.

Tribuni nomen ſæpè in Scriptura etiam in Veteri Teſtamento legitur; cùm enim ejus Interpretes nullam haberent in promptu vocem, dignitatibus quibuſdam exprimendis, quæ ſatis ad Tribunos Romanæ Reipublicæ accedebant, ideò mutuò ab illis nomen acceperunt. Ita S. Hieronymus *Tribunos* reddidit, quos Hebræus appellat Principes mille virorum; & Septuaginta, ſatis appoſitè ad Hebræum, *Chiliarchos*, *Exod.* 18. 21. 25. Vide & *Num.* 31. 14. 48. 52. *Deut.* 1. 15. & 1. *Reg.* 8. 12. & 17 18. & paſſim. In Novo Teſtamento nomen Tribuni magis accedit ad deſignanda munera, & Dignitates Romanorum, cùm de Præfectis Romanarum copiarum uſurpetur, uti *Jo* 18. 12. *Act.* 21. 31. De Tribunis Aulæ Herodis Tetrarchæ ſermo eſt *Marc.* 6. 21. Omnes indiſcriminatim Græcus appellat *Chiliarchos*, nempe mille virorum Præfectos; & Tribuni quidem militibus totidem præerant. Qui tamen Apoſtolum Paulum vinctum tenuit, è manibus priùs Judæorum liberatum, cohortem tantùm ſub ſe habebat.

TRIBUS, Jacob duodecim filios genuit, totidem florentiſſimarum familiarum patres, ex quibus omnibus potentiſſima conſtitit gens, pro numero familiarum in ſuas Tribus diviſa. Cùm autem ille ad mortem decumberet, Ephraim, & Manaſſem filios Joſephi in ſuam familiam adoptans, *Gen.* 48. 5. inter tribus Iſraelis ſuum illis locum aſſignaret; pro duodecim Tribubus, tredecim conſtitutæ ſunt, duabus in ſorte Joſephi computatis. In diviſione tamen regionum, quas Joſue Dei juſſu in populum diſtribuit, duodecim tantùm portiones totidem Tribubus reſpondentes, diſcretæ ſunt: cùm Tribus Levi obſequio Tabernaculi Domini deſtinata ſuo carere agro debuiſſet; ejuſque loco, urbes quædam in ſedem, primitiæ, decimæ & oblationes populi in cenſum aſſignatæ.

Portò duodecim illæ Tribus caſtra in deſerto metantes, circa Tabernaculum ſuum ſingulæ ordinem ſervabant. Ad orientem, Tribus Juda, Zabulon, & Iſſachar conſtitutæ; ad occidentem, Ephraim, Manaſſe, & Benjamin; ad meridiem, Ruben, Simeon, & Gad; ad ſeptentrionem, Dan, Aſer, & Nephtali. Levitæ circa Tabernaculum, propiùs quàm cæteri, ita diſtribuebantur, ut Moyſes & Aaron, cum ſuis familiis orientem tenerent, Gerſon occidentem, Caath meridiem, Merari ſeptentrionem.

Procedentis autem exercitus diſciplina hæc potiſſimùm ſervabatur, ut duodecim Tribus in quatuor acies diſtinguerentur, tres in ſingulis. Prima acies, Judæ, Iſſachar & Zabuloni aſſignata; ſuccedebant Ruben, Simeon, & Gad. Medii inter ſecundam, & tertiam aciem conſtituti Levitæ & Sacerdotes cum Arca Domini, integumentis, aſſeribus, columnis, cæteriſque Tabernaculi utenſilibus.

Tertiam aciem tenebant Tribus Ephraim, Manaſſe, & Benjamin. Quarta, quæ totum agmen claudebat, Dan, Aſer, & Nephtali aſſignata.

In diviſione Chanaanitidis, Tribubus Ruben, Gad, ad dimidiæ Manaſſis regio in transjordanica aſſignata fuit, cæteris cis fluvialis ager diviſus, cum quibus & dimidia Tribus Manaſſe computata. In ſingulis Patriarcharum earum Tribuum authorum articulis, nedum illorum geſta, ſed ſatum etiam ſingularum Tribuum deduximus. Vide *Juda*, *Simeon*, *Levi*, *Benjamin*, *Dan*, *Ephraim*, *Manaſſe*, *Ruben*, *Gad*, *Aſer*, *Zabulon*, *Iſſachar*, & *Nephtali*.

Status duodecim Tribuum ſub uno Principe manſit, unuſque diu fuit populus eademque ditio, & Monarchia, ad obitum uſque Salomonis. Poſt hæc, decem Tribus Iſraelis à Domo Davidis recedentes, Jeroboamum filium Nabat ſibi Regem conſtituerunt; Tribubus interim Juda, & Benjamin Roboamo parentibus. Ea populi ſciſſio ingentibus malis duo latè Regna, totamque gentem Hebræam inundantibus, oſtium aperuit. Ex eo enim fonte cultus, & vetus populi religio corrumpi cœpta eſt. Jeroboam filius Nabat aureorum vitulorum cultum extulit, qui decem Tribubus deſerendi Templi Dei in cauſa fuit. Mutua inde odia, quin & apertæ inimicitiæ inter duo regna invectæ, ingentium, atque frequentiſſimorum bellorum fons, & origo. His populi criminibus offenſus Dominus, adverſariorum illos manibus permiſit. Teglatphalaſar omnium primus Tribus Ruben, Gad, Nephtali, & dimidiam Tribum Manaſſe transjordanicam ultra Euphratem traduxit (a).

Succedentibus annis, expugnata Salmanaſar Rex Aſſyriæ Samaria, eaque everſa, Iſraelitas 10. Tri-

(a) 4. Reg. 15. 29. & 1. Par. 5. 26. An. M. 3264. ante Ch. 736. ante Ær. 740.

Tribuum omnes trans Euphratem transferens, 4. *Reg.* 17. 6. & 18. 10. 11. eorum regionem aliis populis incolendam conceſſit. Hic exitus fuit Regni 10. Tribuum Iſraelis An. M. 3283. ante Chr. 717. ante Ær. 721. Problema eſt inter Patres, & Interpretes agitatum, utrùm 10. Tribus adhuc in tranſeuphratea maneant, an illæ in regionem ſuam redierint. Plerique manſiſſe conveniunt; contraria tamen opinio nobis Scripturæ magis congruere videtur; in Scriptura enim liquidò, nec ſemel tantùm, reditus Tribuum promittitur; ſimulque Palæſtina exhibetur Iſraelitis omnium Tribuum florentiſſimam, diù ante Jeſu Chriſti adventum. Fateamur tamen oportet, reditum illum nuſpiam in hiſtoria expreſſum, ſenſim contigiſſe, neque tranſeuphrateam regionem ita penitus Iſraelitas deſeruiſſe, ut frequenti ſatis numero non manſerint. Hinc S. Petrus primam Epiſtolam ſuam dirigit ad Judæos Fideles, in Provincias Ponti, Cappadociæ, Bithyniæ, & Aſiæ diſperſos (a).

Diutior in regione ſua mora fuit Tribubus Judæ, & Benjamin, quæ Regibus è familia Davidis paruerunt; impleta tamen iniquitatum menſura, conſtituta illis à Deo hora tandem venit. Nabuchodonoſor enim capta Jeroſolyma, incenſo Templo, atque everſa urbe, populum univerſum in Babyloniam, cæteraſque Imperii ſui provincias tranſtulit (b).

Judæ captivitas 70. annis, juxta præfinitum à Prophetis ſpatium duravit, *Jerem.* 25. 11. 12. & 29. 10. Ejus initium conſignari poteſt an. 3398. exitus verò an. 3468. Cyri Babylone regnantis primo; conſtitui etiam idem initium poteſt anno captæ, & everſæ à Nabuchodonoſore Jeroſolymæ an. 3416. cui exitus reſpondet an. 3486. primo initi Regni à Dario Hyſtaſpis, viro Eſther, & Judæorum patrono. Regreſſus Judæ in regionem ſuam hiſtoria, & in ſecundo Paralipomenon 36. 20. &c. & in Libris Eſdræ, & Nehemiæ legitur. Edictum Cyri, quo redeundi Judæis facultas permittebatur, latum eſt an. M. 3468. ante Ch. 532. ante Ær. 536.

(TRIBUS ISRAEL. Vide *Judæi*, *Captivitas*, *Tranſmigratio.*)

TRIBUTUM, Græcè *phoros*, Hebraicè *mas*, ex verbo *maſas*, ſolvere, liquare. Cùm unum ſupremum generis ſuæ arbitrum Deum agnoſcant Hebræi, hinc eorum politiam peculiari nomine *Theocratiam* Joſephus *contra Appion. l.* 2. appellat. Ab hac ſuprema Dei in populum poteſtate indictum in ſingulos tributum hemi-ſicli, eidem Domino ſolvendum *Exod.* 30. 13. Huc proinde reſpiciens Chriſtus in Evangelio, his verbis Petrum alloquutus eſt: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? Matth.* 17. 24. ac ſi diceret, ſe Filii Dei prærogativa à tributo immunem fuiſſe. Reges, ſivè Judices Hebræorum, cùm è civibus aſſumerentur, nunquam ab illis tributa exegiſſe legimus.

Salomon via ab initio Regno reliquias Chananæorum in ſua ditione manentes tributo ſubegit, atque oneribus ad ædificia publica, quæ ſuſceperat, deferendis, 3. *Reg.* 9. 21. &c. & 2. *Par.* 8. 9. filios verò Iſraelis ab his quidem immunes eſſe decrevit, ſed militiæ omnes addictos, Prælectos copiarum, equitum, & curruum conſtituit. Labentibus tamen ejus Regni annis, Iſraelitas iiſdem, quibus cæteros, tributis, & operibus ſubegit; quod ægrè adeò populus tulit, ut jam inde prima injicerentur defectionis ſemina; quam quidem Jeroboam filius Nabat moliri incipiens, in præſentiarum quidem in Ægyptum ſe recipere coactus eſt; demùm verò regreſſus, aperta defectione decem Tribuum abſolvit (c). His autem gravati Iſraelitæ,

Roboamum filium Salomonis in hæc verba alloquebantur: 3. *Reg.* 12. 4. *Pater tuus duriſſimum impoſuit nobis jugum: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de jugo graviſſimo, quod impoſuit nobis, & ſerviemus tibi.*

Tributis oppreſſos Iſraelitas, cùm extraneis Principibus ſubderentur, intolerabili jugo ſubeundo neceſſitate, & metu adactos apertiſſimè conſtat. Sequiori tamen ætate poſt relegatum A. Ær. 6. Viennam Galliæ Archelaum, redactamque Judæam in provinciam (d), cùm Auguſtus, miſſo in eam regionem Quirino, novam bonorum æſtimationem, dirigendis tributis, quæ deinde Romanis ſolverentur, inſtituiſſet, Judas quidam, cognomento Galilæus, ſive Gaulonita, ex patria Gamala, in regione Gaulonitidis, & provincia Galilææ, Judæorum animos, ne tributa ſolverent, ſollicitavit; vulgans, iniquum eſſe, eos populos, qui Deo unitè tamquam Domino ſubderentur, tributorum ſolutione extraneis principibus ſubjici. Inde ortum duxit ſecta *Galilæorum*, ſivè Herodianorum, de qua nos v. *Judas Galilæus*, & v. *Herodiani*.

Quo Jeſus reſponſo Phariſæos exceperit, quærentes ab illo, tributa Cæſari ſolverentur, necne, apud *Matth.* 22. 16. &c. legas, & apud *Jo.* 8. 33. Judæi ſe nemini ſerviſſe jactitantes, tamquam gentem liberam, Deoque, unico Regi, ſubjectam, leguntur. Cùm autem eo tempore Judæ Gaulonitæ dogmata apud populum invaluiſſent, genſque univerſa vanæ cujuſdam libertatis & dominii ſpectro ſibi blandiretur, ideò Fidelibus in ſubjectione, & obedientia Principum, atque ſolutione tributorum continendis, Apoſtoli Petrus & Paulus in ſuis Epiſtolis plurimùm allaborarunt (e).

TRINITAS; quo nomine Theologi & Fideles Auguſtiſſimum Religionis noſtræ myſterium explicant, nempe unum Deum, Trinitate perſonarum Patris, Filii, & Spiritus Sancti diſtinctum. Quamquam autem Trinitatis nomen in Scriptura nuſpiam legitur, re tamen ſingulæ tres Perſonæ apertiſſimè parent. Ita illud: *Creavit Deus Cælum & terram*, Patrem prodit. Filius nomine *Verbi*, *Sapientiæ*, *Salvatoris*, *Liberatoris* exprimitur. Spiritus Sanctus, qui Prophetas afflavit, in Evangelio *Spiritus Paraclitus* appellatur. Ad Patrem & Filium pertinet illud *Pſal.* 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* In N. T. tres Perſonæ non ſemel diſtinctæ ſunt: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Aſcendentem ex amne poſt ſuſceptum baptiſmum Chriſtum, recluſis Cœli foribus, Spiritus S. in columbæ forma deſcendit; tum vox Cœlo lacta ita affata eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, *Matth.* 3. 16. 17. ex quo ſanè apertum de Patre, Filio, & Spiritu Sancto teſtimonium habemus. In hujus rei argumentum totum etiam Evangelium S. Joannis venire poteſt: quamquam primum ejus hiſtoriæ caput totius myſterii apertiùs prodat veritatem. Spiritui Sancto Joannes Baptiſta teſtimonium perhibuit, vidiſſe ſe dicens Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie ſuper Jeſum Chriſtum dilapſum *Jo.* 1. 32. 33. 34. atque eumdem Spiritum, quo mittente, ipſe ad baptiſmum conferendum venerat, ita loquentem audiſſe ſe referens: *Super quem videris, Spiritum deſcendentem, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Sed fruſtra à nobis teſtimonia congeruntur, quæ potiùs ad Tractatum Dogmaticum, & Theologicum ſpectant.

Platonem, ejuſque Diſcipulos de trium Perſonarum diſtinctione recta ſenſiſſe Scriptores quidam autumarunt; nec deſunt noſtræ ætatis Authores, qui ex eo Philoſopho phraſes ſuas huic myſterio explicando Patres Eccleſiæ hauſiſſe contendant (f).

(a) Vide Noſt. Differt. an decem Tribus è captivitate redierint, ante 2. Par.
(b) 4. Reg. 25. 1. &c. & 2. Par. 36. 17. &c. A. M. 3416. ante Ch. 584. ante Ær. 588.
(c) Vide 3. Reg. 5. 13. 14. & 9. 15. & 11. 17. (d) Joſeph. Antiquit. lib. 17. c. 15.
(e) Vide Rom. 13. 1. &c. & 1. Pet. 2. 13.
(f) Vide Librum Le Platoniſme devoilé, & P. Baltum Defenſe des Peres accuſez de Platoniſme, & Baſn. Hiſt. des Juifs t. 4. l. 6. cap. 4. Edit. Pariſ.

Ex veteribus Judæis ante Jeſum Chriſtum nonnullos idem myſterium agnoviſſe negaverit nemo. Saniorem enim, illuſtremque Eccleſiæ partem, quales Patriarchæ, Prophetæ, atque Hebræorum clariſſimi habentur, tantum fidei myſterium in Libris V. T. expreſſum ignoraſſe vix credo. Quin & Raymundus Martinius, Galatinus (a), aliique nonnulli contendunt, Chaldæos Paraphraſtes, & veteres Rabbinos Trinitatis Perſonarum mentionem in ſuis libris induxiſſe. Occurrit ſanè apud illos vox *ſchaliſchith*, quæ Trinitatem ſonat; *Memar*, quæ Verbum; & *Ruah*, & *Hakkadoſcha*, nempe Spiritus Sanctus. Occurrit etiam *Deus Pater*, *Deus Filius*, *Deus Sanctus Spiritus*, quemadmodum & illud *tres in uno*, *unus in tribus*. Tandem *Jehovah* adhibetur indicando Patri; *Memera-Ja* Verbo Patris; & *Sechinah* Spiritui Sancto.

Conantur quidem recentiores Rabbini plures ex iis libris à Judæis authoribus abjudicare; conantur in alium ſenſum detorquere verba; ipſi enim non tantùm Trinitatem fateri renuunt, ſed Divinæ Veritati adverſarios ſe pervicaciſſimè opponunt. Oportet ſanè illos, ſivè a ſententia veterum PP. ſuorum receſſiſſe, ſivè inſito in Chriſtianos odio eò adductos eſſe, ut veritatem, cujus aſſertores Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli ſe præbuerunt, adverſarentur; vel ſaltem myſterium illud pleroſque Judæorum fugit, nec niſi confuſa quædam ejus idea populo permiſſa. Craſſior ſanè populus ille facilè è veritate Trinitatis Perſonarum in errorem multiplicitatis Deorum impegiſſet: quare Divinæ Providentiæ conſilio factum eſt, ut perniciosa veritas nonniſi ſub ambagibus involuta traderetur (b). Vide *Memar*.

TRIPOLIS, urbs Phœniciæ ad Mediterraneum inter Botrym ad meridiem, & Arcam ad ſeptentrionem, quam amnis è Libano fluens perluit. Triennio poſt obitum Antiochi Epiphanis, Demetrius filius Seleuci, ad quem jure hæreditario Syriæ Regnum pertinebat, Roma dilapſus, Tripolim appulit (c). Nomen Tripolis Græcè tres urbes ſonat; totidem enim urbem conſtituunt, ſtadii ſpatio inter ſe diſtantes. Porrò ex his urbibus una ad Aradios, altera ad Sidonios, tertia ad Tyrios pertinebat (d). Noſtra etiam ætate portu ſuo urbs floret.

(Tripolis in Syria, cujus eſt portus in figuram peninſulæ, opere perſimili ac portus Joppe. Ejus portus aditum difficilem reddunt parvi quidam diſſeminati ſcopuli; quare naves ſubſiſtere coguntur in alto ancoræ commiſſæ. Diſtituitur Urbs munitionibus, loco mœnium habens ædificia domuſque. Compitis inſtruitur potiùs quàm viis; arcem ad baſim alluit amnis *Nahar-kadiſcha*, vel amnis ſanctus, cui ſufficiuntur aquæ è fontibus & nivibus liquatis Libani, ac maximè è fonte in Scriptura noto (e) nomine fontis Hortorum. Irrigatur Urbs aquis ejuſdem amnis, quas per canales deducit ad privatas ædes & hortos incolarum induſtria. Inclyta eſt hodie pariter Urbs ex commercio tam maritimo quàm terreſtri.)

TRISTITIA, ægri animi affectio, quæ oppreſſo corde, ſpiritum, totamque corporis œconomiam turbat; quare ne ſpiritu triſtitiæ abducamur Scriptura nos admonet, *Prov.* 25.20. *Eccli.* 14. 1. Quamquam Apoſtolus duplicem diſtinguit triſtitiam, alteram ſecundum Deum, alteram ſecundum homines, 2. *Cor.* 7.10. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; ſæculi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium &c.* Alibi etiam vitio vertit Theſſalonicenſibus, quòd in obitu domeſticorum nimia triſtitia afficerentur, 1. *Theſſal.* 3. 12. &c. Sapiens de triſtitia quadam ita diſſerit, *Eccle.* 7. 5. *Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor ſapientis ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum ubi lætitia.* Porrò hic triſtitia vultus, eſt potiùs os ad ſeria compoſitum; atque animus à tripudiis alienus; inſinuat autem Sapiens, vultum Præceptoris ad gravitatem compoſitum, riſui, adulationibus, & blanditiis cæterorum præſtare. Phariſæos, dum jejunabant, gravem mœſtumque vultum affectantes, Jeſus Chriſtus caſtigans, Diſcipulos ſuos monet, ut illud vanæ apud homines æſtimationis aucupium ſedulò evitent, *Matth.* 6.16. Iſaias 42.4. mores Meſſiæ deſcribens, *Non erit triſtis*, ait, *neque turbulentus, donec ponat in terra judicium*; Hebræus habet. *Non extinguet, & non conquaſſabit &c.* mite ſcilicet, & clemens regnum habebit. Remedium triſtitiæ præſcribens S. Jacobus, ait: *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret*, *Jacob.* 5. 13. Salomon de triſtitia hæc diſſerit, *Prov.* 25. 23. *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*: facies nempe minimè plaudens, ad gravitatem compoſita, atque detrahentem minus curans.

(TRITURARE. Excutere triticum ſeu potiùs ſtipulam pedibus animalium conculcandam ſubmittere, ad eruendum triticum. *Non alligabis os bovi trituranti*, ait S. Paulus 1. *Cor.* 9.9. & 1. *Timoth.* 5.18 ex præcepto Moſaico Deut. 25. 4. Porrò rictus bovum oppoſito quodam oriri impedimento, ſeu vaccino ſtercore linitus prohibebatur, ne triticum, quod boves illi conterebant, depaſcerent. Ita verò triturationis totum opus conficiebatur. Paranda erat area ſub dio benè ſubacta malleis, cujus prout fieri poterat medium teneret arbor. Tum manipuli ſpicarum alter juxta alterum erecti circùm arborem ſtatuebantur conferti maximè. Adigebantur poſt hæc omnia flagrorum ictibus boves & equi, ut diſcurrentes ſupra confertos manipulos circum arborem gyrarent, validèque contunderent triturarentque ſtipulam ita, ut grana omnia excuterentur. Fervente maximè die id plerumque operis præſtabatur. In veſperis autem repurgabatur area, & ventilatione diſtinguebatur à ſtipula triticum; flantibus enim ventis exſufflabatur ſtipula illa, triticum verò pondere ſuo recidebat mundum in aream.

Ad artem hanc triturandi, & ventilandi tritici ſpectatum eſt non ſemel in Scriptura. Michæas 4 13. *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminuet populos multos, & in pulverem rediget.* Appellatur apud Iſai. 21.10. Babylon, quo temporis momento cadit in ruinam: *Tritura mea, & filii areæ meæ.* Tu, inquit Propheta, perinde es ac meſſis mea in area collecta, & parata ad trituram. Triturationem illam jam inſtituunt hoſtes tui, in pulverem jam & ſtipulam redigenda es. Eadem ſimilitudine idem exprimit Jeremias 51. 33. *Filia Babylonis quaſi area, tempus trituræ ejus. Adhuc modicum; & veniet tempus meſſionis ejus.* Author quarti Regum 37. 7. redactam ſcribit Judæam armis Regum Syriæ *quaſi pulverem in tritura areæ*; i. e. quaſi aream poſt triturationem.

Erat totum illud triturationis opus laborioſum maximè & durum; quare Deus indere volens hominibus humanitatis & lenitudinis ſenſus erga congeneres ſibi homines, vetuit, uti jam ſupra inſinuatum eſt, ne impoſito ori impedimento prohiberentur à depaſcendo boves triturantes. Ephraimum comparat Oſee 10. 11. *Vitula docta diligere trituram*; innutritæ ſcilicet pinguedine paſcuorum, quæ detrectat jugum ad arandum. Sed ego, ait Dominus: *Tranſivi ſuper pulchritudinem colli ejus.*

Ars

(a) Raym. Mart. Pugio fid. Galat. de Arcan. Cath. verit. l. 2. c. 1.
(b) Vide plures apud Baſn. Hiſt. des Juif. t. 4. l. 6. cap. 4. & 5. Edit. Pariſ. Suid. in Lexic. v. Trias. Cudvvart. Thi true Intellectual. Syſteme, of the univerſe. Book 1. cap. 4. & Joſ. Arndi Diatrib. de Myſt. Trin. è Scriptis Rab. (c) 2. Mach. 14. 1. An. M. 3642. ante Ch. 358. ante Ær. 362.
(d) Diod. Sicul. l. 16. c. 41. Strab. l. 16. Plin. *l.* 5. c. 20.
(e) Cant. 4. 15. *Fons hortorum*, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

Digitized by Google

Ars erat alia triturandi ſuperinductis plauſtris ferreis vel Trahis. Vide *Traha*.

Area triturationis. Vide V. *Area*.)

TROAS, urbs Phrygiæ, ſivè Myſiæ ad Helleſpontum, inter urbem Trojæ ad ſeptentrionem, & Aſſon ad meridiem. Eo nomine interdum Trojanorum regio, cujus metropolis Troja, deſignatur; ſed in Novo Teſtamento ſemper de Urbe ejus nominis uſurpatur; quam etiam urbem Antigoniam, & Alexandriam dictam conſtat: *Ipſa Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria* (a); interdum duobus nominibus junctis *Alexandria-Troas* nuncupatur. Cum ibi verſaretur S. Paulus, noctu ſibi apparentem hominem Macedonem per quietem vidit, hæc rogantem: *Tranſiens in Macedoniam adjuva nos*, *Act.* 16. 8. Conſcenſo igitur navigio in Macedoniam actutum ſe contulit. Porrò virili aſpectu Præſes Macedoniæ Angelus prædicationis opem ab Apoſtolo efflagitaſſe vulgò creditur. Nec ſemel tantùm, ſed pluries etiam Troadem Apoſtolum veniſſe conſtat: ignotum tamen quid egerit (b). Relictas ibi apud Carpum veſtes nonnullas, & librum deferri ad ſe Romam per Timotheum, datis ad illum literis, rogavit, An. 65. Ær. paulò ante mortem, quæ contigit a. 66. Vide 2. Timoth. 4. 13.

TROGLODYTÆ, vox Græca, qua verſantes in cavernis, & foraminibus deſignantur. Plures erant hujus generis in Palæſtina populi, quemadmodum & in Arabia ad mare Rubrum, ad ſinum Perſicum, & in Ægypto. De Troglodytis ſemel tantùm in Scriptura, 2. *Par.* 12. 3. *Lybies, & Troglodytæ, & Æthiopes*, in Hebræo *Lubim*, *Suchim*, & *Chuſchim*. Plerique Interpretes nomine *Suchim* verè Troglodytas deſignari autumant; in quam rem Bochartum *Phaleg. l.* 4. *c.* 29. legas, ubi nomen Hebræum *ſucha* foramen, ſivè cavernam deſignare oſtendit, addens inſuper, urbem eſſe *Succham* ad mare Rubrum, in regione Troglodytarum, à Plinio *l.* 6. *c.* 29 memoratam. Grotius, aliique nonnulli malunt, *Suchim*, quos in exercitu Seſac Regis Ægypti Scriptura recenſet, populos eſſe ſub papilionibus, more Arabum Scenitarum, verſantes. Hujus generis Arabes frequentes occurrebant in Arabia Petræa, & circumjacentibus Ægypto regionibus; nihilque illi ſivè de colenda tellure, ſivè de domibus ædificandis curabant.

TROPHIMUS, Diſcipulus S. Pauli, & Epheſo oriundus, qui ex Idolorum ſuperſtitione ad fidem opera ejuſdem Apoſtoli deductus, indiviſus illi comes adhæſit. Epheſo Corinthum una cum eodem Apoſtolo veniens, illum inde in itinere Jeroſolymam comitatus eſt an. Chr. 58. Cum igitur eo veniens Apoſtolus, Templum adiiſſet, Judæi violentas in illum manus injicientes, clamarunt, *Act.* 21. 28. 29. *Viri Iſraelitæ adjuvate: hic eſt homo qui adverſus populum, & legem, & locum hunc omnes ubique docens, inſuper & Gentiles induxit in Templum, & violavit Sanctum Locum iſtum*. Has ſtruendi calumnias cauſa è Trophimo cœpta eſt, quem cùm in urbe una cum Apoſtolo vidiſſent, atque ex Gentibus ſatum ſcirent, inductum etiam in Templum ab eodem Apoſtolo rati ſunt. Tota igitur in illum urbe commota, detentus Paulus, in carcerem detruſus eſt, uti in ſuo articulo diximus. Eumdem Apoſtolum Paulum Romam traductum, ibique in vinculis detentum, Trophimum proſecutum fuiſſe facilè credimus. Ferunt, Apoſtolum poſt receptam libertatem an. 63. in Hiſpanias primùm, deinde in Gallias profectum, Arelatenſem Epiſcopum eumdem Trophimum conſtituiſſe (c). Verùm vix iſta concilientur cum teſtimonio Pauli in Epiſtola ad Timotheum ſcripta an. 65. in qua ſe reliquiſſe Trophimum infirmum Mileti teſtatur, 2. *Timoth.* 4. 20. Oporteret enim, poſt annum relicta Arelatenſi Eccleſia, in Aſiam tranſiiſſe. Colitur à Græcis die 14. Aprilis, atque una cum Apoſtolo juſſu Neronis capite obtruncatus perhibetur; die verò 29. Decembris ab Arelatenſibus.

SS. TRYPHÆNA, & TRIPHOSA, fœminæ Chriſtianæ, de quibus Apoſtolus *ad Rom.* 16. 12. *Salutate Tryphænam, & Tryphoſam, quæ laborant in Domino*. Fuſiùs de his fœminis in hiſtoria S. Theclæ, ſcripto, ſi unquam aliud, corrupto, adeoque fidei parum certæ. Illarum Feſtum in Martyrologio Romano ad 10. Novembris conſignatur. Romam ambas, ut Sanctarum ſervitiis ſe totas impenderent, ſimulque Martyrii corona potirentur, veniſſe dicuntur. Cùm Deus earum votis non annuiſſet, in orientem regreſſæ ſunt, ubi tandem Martyres occubuerunt.

TRYPHON, Rex Syriæ. Vide *Diodotus* (d).

TUBA. Duas tubas argenteas malleo ductas Moyſes juſſu Domini conflavit, quarum uſus in movendis caſtris fuiſſet, *Num.* 10. 2. Poſt hæc Dominus addit: *Cùm increpueris tubis, congregabitur à te omnis turba ad oſtium Tabernaculi Fœderis. Si ſemel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Iſrael. Si autem prolixior, atque conciſus clangor increpuerit, movebunt caſtra primi, qui ſunt ad Orientalem plagam. In ſecundo autem ſonitu, & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſè ululabunt. Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Si exieritis ad bellum de terra veſtra contra hoſtes, qui dimicant adverſùm vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum. Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis.* Signum etiam ineuntis anni civilis Sabbathici, & Jubilæi, tubis dabatur, *Levit.* 23. 24. & 25. 9. 10. *Num.* 29. 1. Eas tubas cubito circiter oblongas, atque magnitudine ad tibiam accedentes Joſephus *Antiq. l.* 3. *c.* 11. deſcribit. Os verò tantùm patebat, quantùm ad inflandum ſufficeret; ac tandem in tubæ modum deſinebant. Duæ primùm pro toto exercitu conſtructæ ſunt; quibus ſucceſſu temporis plures adſeſerunt, ut Joſue ætate ſeptem numerarentur, *Joſue* 6. 4. In dedicatione Templi Salomonis, 2. *Par.* 5. 12. 120. Sacerdotes buccinis clangebant; quin & ſub eo Principe Tubarum numerus ad 200000. *juxta Moyſis præſcriptum*, aſcendit, ait Joſephus *Antiq. l.* 2. *c.* 8. ex quo authore, ignotum.

Præter buccinas ſacras, & bellicas, ſuæ etiam erant Ducibus, cogendis militibus, deſtinatæ. Aod tuba clangens, Iſraelitas ad excutiendum Moabitarum jugum armavit; quo in bello Rex Eglon extinctus eſt, *Judic.* 6. 27. Gedeon initurus cum Madianitis prælium, & ipſe ſuam tubam, ſuamque cæteris militibus tradidit, *Judic.* 7. 8. 16. Joab certanti in Abnerum, & in Abſalomum exercitui ſuo, ut pedem tandem referret, tubæ ſonitu imperavit (e); eodemque ſigno ab inſequendo Seba filio Bochri, ejuſdem Ducis juſſu ceſſatum (f).

Feſtum tubarum. Solemnitas primi diei ſeptimi menſis, exordium anni civilis, qui nempè menſis *Tizri* appellatur, lunationi Septembris reſpondens. Ineuntis igitur anni ſignum tubarum ſonitu dabatur, *Levit.* 23. 2. *Num.* 29. 1. eademque dies ſolemnis habita, feriata erat. Feſto ſolemne holocauſtum, totius gentis nomine, addictum erat, vituli nempè, duorum arietum, & ſeptem anniculorum agnorum, unà cum ſuis farinæ, & vini libationibus. Ejus Feſti indicendi nulla ſpecialis cauſa in Scriptura proditur: ſed Theodore-

(a) Plin. l. 5. c. 30. (b) Vide Act. 20. 5. &c. & 2. Cor. 2. 14.
(c) Vide Baron. a. 62. §. 4. (d) Vide etiam 1. Mach. 11. 39. & 12. 42. 49. & 13. 1. 12. &c. & 15. 10. 25. &c.
(e) 2. Reg. 2. 28. & 18. 16.
(f) 2. Reg. 20. 22. Vide paria exempla non minùs quàm 20. in Hiſt. Hebr.

doretos in *Levit.* 4. 32. in memoriam tonitruum, quibus, deſcendente ad Legem ferendam Domino, mons Sinai reboavit, inſtitutam tradit. Rabbini in memoriam liberationis Iſaaci, & ſubſtituti ejus loco arietis in ſacrificium, volunt.

Mos eſt Judæorum noſtræ ætatis, veſpere ejus diei fauſta ſibi invicem precari, lautioribus conviviis, atque 30. repetitis vicibus tubis clangentes ſolemnitatem agere (a). Diu olim inter Rabbinos diſputatum eſt, ait Leo Modena (b), quo anni tempore, vere ne, an autumno exordium mundus habuerit. Ea tandem invaluit opinio, ut autumno cœpiſſe credatur; quæ ſanè, ait ille, ratio eſt, cor Feſtum Tubarum ineunte menſe Tiſri, Septembri reſpondente, inſtitutum fuerit. Duo ſolemnitati continui dies deſtinati, feriales prorſus, & ſolemnes. Traditione receptum eſt inter Judæos, Deum ea die de geſtis ſuperioris anni judicare, ſimulque ineuntis eventus diſponere: hinc primis præcedentis menſis diebus, vel ſaltem tota hebdomada ante Feſtum Tubarum plerique pœnitentiæ operibus ſeſe affligunt; die verò ante Feſtum, 39. flagellorum ictus quadam flagellationis umbra ſibi infligunt. Veſpere ante primam diem Tiſri, ineuntis anni exordio, è Synagoga redeuntes inſcribi ſe bono anno ſibi invicem precantur; cui alter reſpondet; tu pariter ſcribaris. Cùm domum venere, menſæ aſſident, melle, pane fermentato, cœteriſque rebus ubertatem, & ſuavitatem anni portendentibus inſtructæ: plerique manè utriuſque diei, in ſignum puritatis, & pœnitentiæ, albis veſtibus induti, ad Synagogam ſe conferunt. Nonnulli inter Germanos, quem ſibi habitum in ſepulchro deſtinarunt, eo in luctus, & mœroris indicium utuntur. Statæ ea die plures preces, & benedictiones in Synagoga recitandæ; educitur ſolemni cærimonia è pluteo Pentateuchus, & quinque ſelectis viris peculiaris ejus diei ſacrificii lex perlegitur. Lectionem excipit ſonitus jugis 30. vicibus repetitus, modò lenior, modò graviſſimus; quo revocari dicunt in memoriam Judicium Dei, ad terrorem criminoſis incutiendum, ut ad pœnitentiam inducantur. Poſt recitatas deinde preces nonnullas, domum repetunt, ac reliquas ejus diei horas, exactis epulis, concionibus quibuſdam audiendis, atque reliquis religioſis operibus exercendis tranſigunt. Utriuſque diei eadem eſt religio.

TUBAL-CAIN, filius Lamechi bigami, & Sellæ, *Geneſ* 4 22 quem primum excogitaſſe, atque docuiſſe ducendi, atque ad uſtrinam elaborandi ferri rationem, ſimulque ænea opera conflandi artem invenitſe primum, ac tradidiſſe in Scriptura diſcimus. An idem cum Vulcano Prophanorum? Sanè nomen Tubal-Cain ab ea re non abludit.

TUBIANÆI, 2 *Mach.* 12 17. ſivè *Tubieni*, & *Tubin*, 1 *Mach.* 5. 13. iidem ac populi regionis *Tob* ad ſeptentrionem Batanææ. Vide *Tob*.

TUNICA inconſutilis Jeſu Chriſti. Vide *Veſtes*.

TURRIS, Græcè *pyrgos*, Hebraicè *migdal*. De turribus quamplurimis in Scriptura occurrentibus egimus v. *Migdal*

Turris Stratonis, locus eſt ubi poſtea Cæſarea in Palæſtina floruit. Vide *Strato*.

Turris Siloe, facilè ad fontem cognominem, ad orientem Jeroſolymæ.

Turris Gregis Mich. 4. 8. ſivè *turris Ader*, quam in viciniis Bethleem, *Gen.* 35. 21 ſitam ferunt; quo loco Paſtores ab Angelo de ortu Domini moniti, *Luc.* 2. 8. verſabantur (c). Eo in loco ſucceſſu temporis Eccleſia condita eſt. Plures Interpretes illud Michææ: *Et tu turris Gregis nebuloſa filia Sion*, deſignare orbem Bethleem, unde Salvator Mundi oriturus erat, autumarunt (d). Alii verò de urbe Jeruſalem Prophetam interpretantur (e).

Turris Cuſtodum. Familiaris eſt ea Scripturæ phraſis. *A' turre Cuſtodum uſque ad Civitatem munitam*, 4 *Reg.* 17. 9. & 18. 8. qua omnia loca certæ regionis deſignantur, à minimo uſque ad maximum. Turres cuſtodum, ſivè paſtorum, ſolitariæ in medio agri erigebantur, excipiendis paſtoribus excubias gregi agentibus, vel ſaltem in uſus ſpeculatorum. Rex Ozias plures paſtorum turres in deſerto excitavit, pluresque effodit ciſternas, quot ſcilicet opimo gregi detinendo neceſſariæ fuiſſent. 2. *Par.* 26. 10. Ad ſimilem uſum deſtinata turris in medio vineæ, de qua Iſaias 5. 2. & turris Gregis, de qua jam egimus.

Occurrunt etiam in Scriptura turris *Phanuelis*, *Soccoth*, & *Sichem*, ſimileſque nonnullæ, quæ veluti arces, & munitiones urbium habebantur. *Turris Babel*, de qua nos v. *Babel*, veluti munitio Babylonis habenda videtur: *Faciamus civitatem*, & *turrim*, *Gen.* 11. 4 5. In eo Scripturæ loco Septuaginta verbum *baris* adhibuiſſe S. Hieronymus ad Principiam; animadvertit; quæ vox in Palæſtina recepta eſt, deſignandis domibus perpetuo muro clauſis, & inſtar turris. Id etiam in alio Textu ſignificatum eſſe facilè credimus, traditur enim, Joſaphat ædificaſſe in Juda *domos ad inſtar turrium*, 2. *Par.* 17. 12. Hebræus *biramioth*; ex quo Chaldæum *bira*, nempè palatium.

Frequentiſſimæ etiam turres in urbe Jeruſalem eminebant, quarum certus ſitus ferè ignoratur: Hinc conſultò illas omittere, quàm incerta tradere, maluimus.

Turris Syenes bis apud Ezechielem 29. 10. & 30. 6. legitur. *A' turre Syenes uſque ad terminos Æthiopiæ*. De hac nos v. *Syene* egimus; ubi etiam Hebræum ita legendum animadverſum eſt: *A' Migdol*, ſivè *Magdolo*, *urbe inferioris Ægypti*, *uſque ad urbem Syenes*, quæ urbs eſt in Ægypto, in Æthiopiæ confiniis.

(*Turris Babel*. Vide ſupra V. *Babel*. Septuaginta in Iſai. 10. 9. legunt: *Nun cœpi regionem quæ eſt ſupra Babylon. in & Chalanem*, *ubi turris ædificata eſt*. Græci Patres ea verſione uſi, ratique congruere cum Hebræo, arbitrati ſunt celebrem illam turrim in loco ſupra Babylonem erectam fuiſſe, eundemque locum appellari Chalanne; ſed Hebræus fert: *Nonne ſicut Charchemis Chalno; an non ſicut Arphad Chamat? nonne ſicut Dameſech Someron?* Nonne omnes haſce Urbes ſubmiſi?

Turris Sichem in arcis modum fabricata erat, conſiſtebatque in loco reliquæ urbi ſuperiori, molemque ſerebat adeo vaſtam, ut defenſores ultra mille continere poſſet *Judic.* 9. 46. &c. Abimelech, poſt expugnatam & ſolo æquatam Urbem Sichem, conatus eſt pariter & turrim illam, quò Sichemitarum plures confugerant, redigere in poteſtatem, ſed munitionem firmiorem eſſe, quàm ut expugnaretur, intelligens, ſtatuit, ſubmiſſo igne deſtruere. Eo conſilio à vicino monte ipſe primus & milites ejus omnes poſt illum, cæſa ligna in humeros comportarunt, quibus munitionis foſſa oppleta eſt; tum paratæ materiæ ſubjectus ignis, & ex igne vapor defenſores omnes ambuſſit, ſuffocavitque.

* Immorandum hic non ducimus in hiſtoria captæ atque everſæ Urbis Sichem; ne etenim id generis facta miremur faciunt crebra nimis in hiſtoria veteri ac recentiori id generis exempla. Urbs Sichem valida erat quidem; nihilo tamen ſecius Abimelech in ardore victoriæ tunc relatæ de Sichemitis, in ardore, inquam, victoriæ ex quo incauti ſæpè reddi-

(a) Buxtorf. Synag. Judic. c. 19.
(b) De' riti Ebr. p. 3. c. 5.
(c) Hieron. Ep. 27.
(d) Hieron. qq. Hebr. in Gen. Theodoret. & Cyrill. in Mich. Alii plures.
(e) Vide Interpp. in hunc locum.
* *Animadverſiones in expugnationem Sichem*, & *incenſam ejus Urbis turrim*, *quo ſimul incendio incolæ plures combuſti ſunt.* 9. 45. 46.

Digitized by Google

teddimur, ne evitemus diſcrimina, urbi illi inſultavit. Quare admotis ſcalis impetu illam rapuit; *Quam cepit*, ait ſacer Hiſtoricus, *interfectis habitatoribus ejus, ipſaque deſtructa, ita ut ſal in ea diſpergeretur*. Sal illud ſparſum in ruinas captæ Urbis valuit tunc potiùs (ait D. Calmet) ad demonſtrandum furorem Abimelechi, & quo tenebatur, deſiderium, ut ſi fieri poſſet, perpetuò deſereretur habitatoribus, quam ut re ipſa ſterilis efficeretur & maledicta. Paris ultionis exempla plura ſuppeditat Hiſtoria. Urbs Mediolani anno 1172. impetu hoſtili capta, & vi expugnata direptioni priùs ſubmiſſa eſt, tum incendio vaſtata & ſolo æquata. Narrat Sigonius, *de Regno Ital. l.* 13. 14. vomerem ſuper ejus ſolum inductum fuiſſe, ac tandem latè omnia diſſeminata ſale. Tradit Brantom olim in Gallia ſale diſſeminari conſueviſse aream everſæ domus hominis proditionis in Principem ſuum rei, quod & cum ædibus D. de Chatillon Maris Præfecti ſervatum eſt.

Aggreſſio turris Sichem, ſeu, ut meliùs dicam, munitionis, quippè quæ tot numero incolas continebat, ardua ceſſit magis hoſtibus, quàm primum illud in Urbem tentamen; aſſerit enim non obſcurè Author: *Qui locus erat munitus valdè*. *Judic.* 9. 46. Arcem illam per inſultum & aggreſſionem rapere, quod in Urbem quidem valuit, ne tentandum quidem videbatur; eam enim tollebat ſpem & munitio loci & numerus defenſorum, qui ad ultimam deſperationem decertaturi erant. Arcem expugnare patientia obſidionis & famis res eſſa videbatur longioris molimi-nis. Aliud in rem præſentem aptius ſuccurrit Abimelecho: *Aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo: & arrepta ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: Quod me videtis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur Ducem. Qui circumdantes præſidium* (ſtrue illa lignorum) *ſuccenderunt; atque ita factum eſt, ut fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres habitatorum turris Sichem*.

Stratagema eſt hoc paratu quidem facile, & modò ſecundus aſpiret ventus, nunquam ferè vacuum eſt ab effectu, tunc maximè, quando res eſt in turrim, vel in munitionem ſpatium non vaſtum tenantem; cujus ego vadem do exemplum Platææ. *Hanc Lacedæmones obſidentes, & ne venirent unquam ad intentum prohibente quà militum virtute, quà Ducum peritia, exiſtimarunt præſentibus terroribus Urbem capi non poſſe, ſe ad eam muro cingendam parabant. Ipſis tamen Urbem priùs igne tentare placuit, ſi poſſent coorto vento eam incendere, quod ſpatioſa non eſſet. Nullum enim oppugnationis genus intentatum prætermittebant, ſi fortè ſine ſumptu & obſidione in ſuam poteſtatem redigere poſſent. Comportates igitur materiæ faſciculos primùm quidem in eam partem, quæ erat inter murum, & aggerem ex ipſo aggere conjecerunt. Cùm autem propter tantam hominum manum celeriter fuiſſet repleta, in alias etiam Urbis partes, quas plurimas de loco ſuperiore occupare potuerunt, materiam congeſſerunt, eamque injecto igne cum ſulphure & pice incenderunt, tantaque flamma excitata eſt, quantam nullus unquam ad illud uſque tempus ſaltem manu excitatam viderat. Jam enim arbores, quæ ſunt in montium ſylvis, caſu vi ventorum mutuo concurſu colliſæ ignem flammamque ex hoc conceptam emiſerunt. Hoc verò incendium & magnum extitit, & Plataenſes, qui cætera vitarant, propemodum abſumpſit. Nam intra magnum Urbis ſpatium accedere non dabatur; quòd ſi ventus ſecundus, ut adverſarii ſperaverant, ad ipſam acceſſiſſet, effugere non potuiſſent*.

Luculentum eſt & dignum memoria poſterorum, etiam ſupra facinus ad Turrim Sichem hoc, quod dedimus, exemplum. Nunc verò par alterum adnectimus, quod ſuppeditat Q. Curtius in aggreſſione atcis cujuſdam poſitæ in prærupto, quò ſibi perfugium quæſiverant Perſæ poſt fuſum fugatumque eorum exercitum à Satibarzane. *Prærupta rupes erat*, ait Scriptor lib. 6. *quæ ſpectat occidentem; eadem quà vergit ad orientem leniori ſubmiſſa faſtigio; multis arboribus obſita, perennem habet fontem, ex quo largè aqua manant. Circuitus ejus triginta & duo ſtadia comprehendit; in vertice herbidus campus, in hoc multitudinem imbellem conſidere jubent. Ipſi, quà rupes erat, arborum truncos & ſaxa obmoliuntur. XIII. millia armata erant. In horum obſidionem Cratero relicto, ipſe Satibarzanem ſequi feſtinat. Et quia longiùs eum abeſſe cognoverat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit. Ac primò repurgari jubet quicquid impedire poſſet: deinde ut occurrebant invia cautes præruptaque rupes, irritus labor videbatur, obſtante natura. Ille, ut erat animi ſemper obluctantis difficultatibus, & cum progredi arduum & reverti periculoſum eſſet, verſabat ſe ad omnes cogitationes, aliud atque aliud (ut ſolet ubi prima quæcunque damnamus) ſubjicientes animo hæſitanti; quod ratio non potuit, fortuna conſilium ſubminiſtravit. Vehemens favonius erat, & multam materiam ceciderat miles, aditum per ſaxa molitus. Hæc vapore torrida inaruerat. Ergo aggerari alias arbores jubet, & igni dare alimenta, celeriterque ſtipitibus cumulatis faſtigium montis æquatum eſt. Tunc undique ignis injectus cuncta comprehendit, flammam in ora hominum ventus ferebat: fumus ingens velut quadam nube abſconderat Cælum ..... Barbari ſuppliciorum ultimum, ſi quà intermoreretur ignis effugere tentabant, ſed quà flamma dederat locum, hoſtis obſtabat. Varia igitur cæde conſumpti ſunt*.

Non ita feliciter ac in expeditione Sichem ceſſit Abimelecho aggreſſio turris Thebis. Molitus aſt illam vi abripere; ſita erat Turris illa in medio Urbis, quam Dux occupaverat, quamquam id non ſatis luculenter aſſerit Sacer Hiſtoricus. *Accedens Abimelech juxta Turrim pugnabat fortiter, & appropinquans oſtio ignem ſupponere nitebatur: & ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens illiſit capiti Abimelechi, & confregit cerebrum ejus. Qui vocavit citò armigerum ſuum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur quòd à fœmina interfectus ſum*. Novum mihi planè accidit audire hominem malè adeò exceptum à vulnere, adhuc tamen ſat mentis habere & virium, ut acciret armigerum ſuum, quò amoliretur à ſe probrum necis illatæ ſibi à fœmina; novum pariter diſcernere illum valuiſſe, quo potiſſimum authore recepiſſet vulnus, an viri, vel fœminæ. Caſus huic non abſimilis ſuſtulit Regem Pyrrhum, quem oppreſſit fortè projecta è culmine manu fœminæ tegula; ſed ille ignoravit cujus manu periret; & quando etiam id reſciſſet, non tamen propterea curaſſet plurimùm, ſi valetudinis obtinendæ ſpes ulla ſupereſſet. (Quid enim; nonne virorum fortiſſimorum ab imbecillioribus occiſorum exempla ſunt quotidiana?)

TURTUR, avis pura, cujus ſæpè mentio in Sacra Scriptura, & uſus quandoque in ſacrificiis. Pro columbarum enim pullis permiſſa turturum oblatio in ſacrificiis pro tenuioribus, quibus ad majores victimas impar cenſus. Ante Legem Abraham Deo in holocauſto obtulit vaccam, capram, & arietem trimulos, quibus geminas aves, columbam nempè, & turturem adjecit, *Gen.* 15. 9. Diviſis autem exteris victimis, integræ aves relictæ ſunt. Cautum erat in Lege, *Levit.* 12. 6. ut quæ fœmina poſt puerperium ad Tabernaculum primo ſe contuliſſet, ſacrificio pro peccato, & altero in holocauſtum luſtraretur; gemini agni ad id deſtinati ſunt; tenuioribus tamen permiſſum, ut ſivè duas turtures, ſive duos pullos columbarum ſubſtituerent. Hanc Legis permiſſionem SS. Virgo die Purificationis ſervavit, *Luc.* 2. 24.

Si quis Nazaræus *Num.* 6. 10. conſecrationis ſuæ tempore invitus mortui præſentia contaminaretur, injunctum illi, ut geminas turtures, ſivè duos pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocauſtum in veſtibulo tabernaculi offerret. In luſtratione leproſi, *Levit.* 14. 22. cujus parcior eſſet cenſus, quàm ut majoribus victimis ſufficeret, præſcriptum erat ſacrificium, duæ turtures, vel duo

pulli

pulli columbarum, alter pro peccato, alter in holocauſtum. Gonorrhææ fluxu laborans vir, atque fluxu ſanguinis affecta fœmina duas turtures, ſive duos pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocauſtum, octava poſt receptam valetudinem die, offerebant. Homo, qui imprudens immundum aliquod animal contigiſſet, ſive inconſultò jusjurandum aliquod emiſiſſet, aut obſtrinxiſſet ſe promiſſione, cùm primùm in facti cognitionem veniſſet, neque majoribus ſacrificiis offerendis par eſſet, conſueta duo turturum, & columbarum paria, eodem quo ſupra ritu, in ſacrificium mactabat. Is turturum in ſacrificiis uſus.

De turture hæc *Jer.* 8. 7. *Turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui;* tres quidem illæ peregrinæ ſunt aves. Sponſus in Canticis ad Sponſam 1. 9. *Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis;* Hebræus tamen habet: *Pulchræ ſunt genæ tuæ in monilibus*. Planè earum regionum fœminæ faciem monilibus exornant (a).

TYCHICUS, diſcipulus S. Pauli, atque ejus in deferendis Epiſtolis ad Eccleſias tabellarius. Aſiæ Provinciam patriam habuit, atque in itinere Corintho Jeroſolymam, Apoſtolum comitatus eſt. *Act.* 20. 4. Delatæ ab illo Epiſtolæ, ad Coloſſenſes ſcripta an. 61. ad Epheſios ſcripta an. 65. prima ad Timotheum ſcripta an. 64. mittebatur autem non tantùm ad deferendas literas, ſed & ad inviſendum ſtatum Eccleſiarum, de quo eundem Apoſtolum certiorem faciebat. Hinc ab eodem Apoſtolo elogium meruit cariſſimi fratris, fidelis miniſtri Domini, & ſocii in Dei ſervitiis: *Epheſ.* 6. 21. 22. *Coloſſ.* 4. 7. 8. deſtinabat etiam eundem virum in Cretam, rebus ejuſdem Eccleſiæ, Tito abſente, curandis. *Tit.* 3. 12. Ferunt tandem (b), cùm Epiſtolam Apoſtoli ad Epheſios detuliſſet, eò veniſſe, ut Timothei ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, Romæ tunc verſantis, vicibus fungeretur. Tychici ex ſeptuaginta Diſcipulis, & Epiſcopi Colophonis in provincia Aſiæ Feſtum ad 8. ſive 9. Decembris Græci recolunt. Uſuardus, Ado, atque cætera Martyrologia Feſtum illius Paphi in Cypro ad diem 19. Aprilis celebrant. Uſuardus Diaconum fuiſſe prodit.

TYMPANUM, Muſicum inſtrumentum, cujus ſæpè uſus in ſacra Scriptura. Hebræi *Thophe* appellant, quo nomine omnia æquè tympana cujuſvis generis deſignata cenſeo. Tympanis uſos Hebræos in bello nuſquam apparet, ſed tantùm in ſuis ſolemnitatibus: plerumque autem fœminarum erat inſtrumentum. Tranſitum maris Rubri celebratura Maria ſoror Moyſis, tympano inſonans, choreas cum aliis fœminis nectebat. *Exod.* 15. 20. Filia Jephte patri cum tympanis, cæteriſque muſicis inſtrumentis occurrit. *Judic.* 11. 34. Genus fuiſſe cymbalorum videntur, ſive tympanorum, quæ Cybeli matri Deorum appinguntur. *Tympana habet Cybele: ſunt & mihi tympana cribri.* (Cybeles in vetuſtis marmoribus exhibetur plerumque tympanum manu tenens. Eodem pariter inſtrumento ludebatur in Feſtis Liberi Patris. Figura eſt non ſemper uniformi; interdum enim cymbala noſtratum refert cum crepitaculis vel tintionabulis (c); non ſemel æneum eſt aliquid concavum, additis pariter crepitaculis, quod bacillo pulſabatur; nullam tamen pellem tegentem os ejus animadvertit: tandem inſtrumentum illud referunt duo veluti pileoli ænei, quorum alter contrà alterum qua patet uterque, aguntur.

Tympanum cùm ſupplicii nomen eſt occurrit in Græco S. Pauli ad Hebræos 11. 35. (d).

In aſſignanda vocis hujus interpretatione veteres ac recentiores Interpretes committuntur inter ſe. De eculeo, ſupplicio tam apud Veteres noto, quàm nobis incognito, quidam interpretantur. S. Chryſoſtomus, & cæteri Græci Interpretes, qui ducem illum ſequuntur, & quos meliùs inſtructos de ſignificatione Græcæ hujus vocis præ Latinis reputare par eſt, arbitrantur Apoſtolum illum, ubi *tympani* meminit, habuiſſe præ oculis ſupplicium S. Joannis Baptiſtæ & S. Jacobi, qui ambo capite truncati ſunt. Heſychius, Suidas, & Oecumenius tenent verbum *Tympanizein* innuere è vivo homine detrahere corium. Recentiores alii (e) generali magis ſenſu verbum illud accipientes, exprimere credunt ſuppliciorum & mortis violentæ quodcumque genus; nec ſanè inficiandum eſt Græcum id verbum poſtremam hanc ſignificationem interdum præferre.

Perſuaſum tamen habemus Apoſtolum expreſſiſſe ſupplicium fuſtium vel flagrorum, & dum hæc ſcriberet habuiſſe præ oculis ſupplicium S. Senis Eleazari, & ſeptem fratrum Macchabæorum. In ſecundo Macchabæorum 6. 29. ubi ſermo eſt de martyrio Eleazari narratur: *His dictis, confeſtim ad ſupplicium* (Græc. ad Tympanum) *trahebatur. Sed cùm plagis perimeretur* (Græc. in Tympano) *dixit: Domine manifeſtè tu ſcis, quia cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores*; nempe flagrorum ictus. Id utique præ oculis habuiſſe Apoſtolum vel oculis ipſis ſpectamus, dum hæc ſcriberet: *Alii diſtenti ſunt* (tympanum ſubierunt) *ut meliorem invenirent reſurrectionem*. Eodem ſupplicii genere cruciati fuerunt ſeptem fratres Macchabæi: *Flagris & taureis cruciatos*. 2. *Macchab.* 71. 1. Scholiaſtes Ariſtophanis in Plutum, agens de ſupplicio *tympani*, notat appelari tympana aſſeres illos, ſuper quos diſtenti rei fuſtibus cædebantur de Judicis ſententia. Obtinet id hodie pariter in Oriente. Vide v. *Supplicia*.

TYPHON Ægyptiorum Numen. Principia apud gentes illas ſtatuebantur duo, boni ſcilicet & mali (f); è bono illo generatio, è malo rerum omnium corruptio. Bonum ſuperiora in alterum æmulum ſuum obtinebat, ita tamen ut nec deſtruere illud valeret, nec ab agendo impedire. Iſis, Oſiris, & Orus principia boni cenſebantur; Typhon mali; id erat in mundo Oſiris, quod in homine ratio; paſſionum, rationi repugnantium, vicibus fungebatur Typhon. In corpore hominum bona temperies ab Oſiride; morbi & malæ habitudines à Typhone; cui etiam poſtremo authori imputabantur procellæ, inundationes, terræmotus, eclypſes ſolis & lunæ, ac tandem quæcumque omnia quietum naturæ curſum interverterent. Hujus erat emblema aſinus & crocodilus. Aras habebat conſecratas in Papremi Ægypti regione.

Erat Typhon frater Oſiridis (g) juſto & æquo imperio regentis Ægyptum. Porro Typhon ille vir erat ingenio violento & efferato, qui fratrem ſuum occidiſſe non contentus, miſerum ejus corpus in 26. fruſtula diſcerpſit, cujus ſingulis portionibus donavit ſocios conjurationis, ut ſcilicet illos ſceleris communione magis magiſque haberet devinctos, cogeretque ut partum ſibi Regnum æquali omnium ſcelere, æquali niſu defenderent. Iſis uxor & ſoror Oſiridis, ac communis utriuſque filius Orus, ultionem proſecuti ſunt, meritam necem inferentes in Typhonem & in conſcios defectionis. Merſus eſt Typhon in Oronte.

Sepulturæ mandatus fertur in Inſula Siciliæ, adduntque vix tantùm terræ habuiſſe ſolum illud, ut tegeret immaniſſimum corpus.

Nullus fuiſſet utique in noſtro hoc Opere Typhonis locus, niſi Criticis quibuſdam ſuccurriſſet, Typhonem cum Sem filio Noe confundere, & vitæ ac mortis ipſius plura lineamenta ſimilitudinis præferre

cum

(a) Vide Voyage de M. D'Arvieux au Camp. du Grand Emir.
(b) Vide Eſt. in Epheſ. (c) Vide Supplem. Antiquit. explicat. t. 3. p. 197. 198.
(d) Vulgata *Diſtenti ſunt*. Græc. *Etympaniſteſan*.
(e) Camerar. Caſtal. Grot. Gataker &c.
(f) Vide Plutarch. de Iſide & Oſiride.
(g) Diod. Sic. l. 1. pag. 18.

cum Rege Baſan. Typhon apud *Ægyptios* nomen obtinet *Beth* (a), vel *Smi*, quod ad Sem accedit propius. Reputat Marshamus can. Ægypt. ſæcul. 8. Urbem Phithon, in Exodo 1. 11. expreſſam, nomen ſuum ducere ea Typhone, quam tamen appellationem Hebræi de induſtria corruperint, quod appellare nomine Deos alienos vetarentur. Semon, viro à Noe benedicto, appinxerunt Ægyptii (b) nomen odioſum mali principii & uſurpatoris, quod tamen meliùs cohæreret cum Chamo originis ſuæ authore.

Fama eſt Typhonem periiſſe demerſum in amne Oronte vel in lacu Sirbone non procul ab Ægypto (c); Conviciorum plauſtra in Numen illud ſuum effundunt Ægyptii certis recurrentibus per annum feſtis (d); incolæ Cophtæ præcipitem agebant aſinum in odium Typhonis Numinis rufi & coloris aſinini; pingitur autem plerumque inter medios ſerpentes. Refert Homerus, *Iliad.* 2. lectum Typhonis ſervari in *Arymes* vel *Arama* i. e. in Syria. Eodem Homero teſte Typhon occiſus eſt Ydes regione quercubus implantata in medio populi pinguiſſimi. Quadrant hæc cum Rege Og enormiſſimæ corporaturæ Gigante. Enormitatem etiam præferebat Typhon adeo immanem, ut via toto Siciliæ ſolo contineretur tegereturque. Præceps actus fuit in lacum Sirbonem; apud Jobum veteres Gigantes ſub aquis ejulant. Og perſecutus eſt odio & armis Hebræos; obiit in Syria in regione *Aram* transjordana, in regione opima & fertili Batanitidia. Ydes Homeri commodè deſignaret Judæam. Nomen *Hevæi* deſignat ſerpentes. Og unus erat è Gigantibus Hevæorum & Amorrhæorum. Fatemur tamen hæc omnia nimis longè deducta eſſe, & ad illuſtrandam hiſtoriam ſacram perinde valere, ac nihil.)

TYRANNUS, vox vernaculo quidem ſermone in deteriorem ſenſum uſurpata, deſignando ſcilicet Principi authoritate ſua ad ſubditos, ſive finitimos opprimendos abutente. In Græco tamen, & Latino huic voci æquior eſt ſignificatio; & apud Veteres nihil inter Regem, & tyrannum intererat (e). Succeſſu temporis nomen tyranni in urbibus potiſſimùm liberis inviſum eſſe cœpit.

Regi, ſive Principi deſignando interdum tyrannus apud authores Sacros adhibetur. Ita *Eſth.* 6. 9. *Primus de Regiis Principibus, ac tyrannis.* Hebræus legit *Parthumim*, quæ vox Græcæ *Paraſimios*, vir illuſtris, reſpondere videtur. Eadem vox *Parthumim Dan.* 1. 3. occurrens, reddita eſt *Tyrannus*. Pariter *Dan.* 3. 2. 3. ubi in Hebræo eſt *Gedabrai*, in Græco, & Latino habetur *Tyrannus*. *Job.* 34. 19. *Tyrannus* reſpondet Hebræo *Sar*, ideſt Princeps, & *c.* 35. 9. Hebræo *Rabbim*, ideſt *Potentiſſimi*. Ubi *Ezech.* 23. 23. Hebræus legit *Schuah*, ſubſtitutum eſt *Tyrannus*; quemadmodum & Abacuc 1. 10. *Tyrannus* eſt pro Hebræo *Raſen*, quod ſonat Satrapa, Præfectus, & facilè cum *Saren*, ſive *Suren*, nempe vir ampliſſimus, convenit. Prætereo Libros Græcè ſcriptos, uti Sapientiam, Eccleſiaſticum, & Machabæos, in quibus nomen *Tyrannus* in utramque ſignificationem, uti ſæpè apud authores Græcos, uſurpatur.

TYRANNUS. Legimus in Actis Apoſtolorum (f), Apoſtolum, cùm Epheſi eſſet, atque reſiſtentes prædicationi Judæos offendiſſet, ab illis ſegregatum, rejecta Synagoga, inſtituendos populos in ſchola *cujuſdam Tiranni* ſuſcepiſſe. Hinc inter Interpretes de hoc Tyranno diſceptationes; alii enim Principem, ſive Optimatem aliquem deſignatum credunt, qui domum ſuam in eum uſum conceſſerit. Plerique tamen conſentiunt, nomen eſſe Pagani cujuſdam inter amicos Apoſtoli; potuit enim ſive homini certo, ſive Principi alicui ſummo deſignando, illud adjunctum addi, *apud Tyrannum quemdam*. Cæterùm ea ætate Tyranni nomen inviſum adeò habebatur, ut de amiciſſimo viro, cujus nonniſi merita celebranda erant, via ſine adjecto aliquo, quod odium leniret, uſurparetur. Mſſ. quædam pro *Tyrannos*, legunt *Tyrannios*, & in nonnullis exemplaribus docuiſſe Apoſtolus notatur à quinta uſque ad decimam horam. Plures in hiſtoria occurrunt viri, quorum nomen *Tyrannus*.

TYRATABA, vicus ad montem Garizim (g), quò Samaritani quamplurimi ſub ſignis convenerunt, eò fraudibus cujuſdam impoſtoris deducti. Porrò hic fidem ſuam obligaverat, revelaturum ſe vaſa ſacra, ibidem à Moyſe abſcondita. Interim tamen Pilatus ductis contra illos copiis, inito prælio plures occidit, plures captivos adduxit, è quibus ſeditionis fautores ſupplicio damnavit A. Chr. ſive Ær. 36.

TYRUS, urbs florentiſſima Phœniciæ, cujus nomen Hebraicum *Zor*, ſive *Tzor*, (h), ſcilicet petra. Vetus urbi nomen *Sarram* fuiſſe Gellius eſt Author *l.* 14. *c.* 6. Plautus *Saram* appellat: *Purpuram tibi ex Sara attuli* (i): hinc apud Silium Italicum *l.* 15. *Sarranus murex* pro *Tyrius*. *Sarrano murice fulgens*. Quamvis in ſortem Aſer *Joſue* 19. 29. cum cæteris maritimis ejus Provinciæ urbibus ceſſerit, nunquam tamen ab illa ejectos Chananæos credimus. Non deſunt etiam eruditiſſimi viri, qui contendant, eandem urbem ætate Joſue recentiorem fuiſſe; quare urbs *Mibzar-zor*, quam Vulgata reddit, *urbem munitiſſimam Tyrum*, alia eſt ab urbe Tyro. Sidon apud Iſaiam 23. 12. nomen obtinet *filia Tyri*, nempè *Colonia Tyri*. Noſquam de Tyro apud Homerum, ſed tantùm de Sidone. Joſephus etiam tradit, urbem Tyri nonniſi 240. annis ante Templum Salomonis conditam fuiſſe (k); quod cum an. M. 2760. & 200. poſt Joſue convenit. Ex traditione Sacerdotum Tyri refert Herodotus, Templum Herculis ejuſdem urbis, parem cum illa natalem ſortitum, ante 2300. annos (l); qua ſupputatione Tyrus ſtetiſſet an. M. 1206. & 656. annis ante diluvium, quod ſanè fabulam ſubolet.

Facilè tamen hæc annorum diſcrepantia conciliatur, ſi duo ejuſdem nominis urbes inducantur; vetus altera, antiquis ſub nomine *Palætyros* cognita; alia verò recentior, nomine *Zor*, ſive *Tyrus*. Prima in continenti ſita, Herculis Templo clarebat, cujus Numinis Sacerdotes vetuſtatem ſuam plus nimio Herodoto exaggerarunt. De hoc Templo hæc leguntur apud Hiſtoricos (m). *Tyrum ſe ire velle* (Alexander) *ad vota Herculi reddenda dixit. Legati* (Tyriorum) *reſponderunt, eſſe Templum Herculis extra urbem in ea ſede, quam Palætyron, ſive veterem Tyrum ipſi vocant, ibique in antiquiore Templo rectiùs id eum eſſe facturum &c.* Altera Tyrus, Inſula è regione veteris urbis condita, nonniſi anguſto freto interjecto ab illa diſtabat. Inſula 700. paſſuum intervallo à continenti diviſam Plinius *l.* 5. *c.* 19. teſtatur. Addit autem, Alexandri Magni opera continenti tandem fuiſſe junctam: *Tyrus, quondam Inſula, prealto mari ſeptingentis paſſibus diviſa; nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens.*

De veteri igitur urbe ſermo eſt apud Joſue; neque enim nova vel ipſa Salomonis ætate condita erat. In tota Inſula nonniſi unicum Templum Jovi Olympico ſacrum ſpectabatur. Dius & Menander Epheſius Phœniciæ hiſtoriæ Scriptores narrant (n), Hiramum amicum Salomonis, aggere in mari conſtructo, urbem, & Tem-

(a) Patriarch. de Iſide & Oſiride. (b) Dikinſon. Delphi Phœniciſſantes c. 1. 2. Faſcic. 1. Creniſ.
(c) Herodot. l. 3. c. 5. (d) Plutarch. de Iſide.
(e) Serv. in Æneid. l. 4. (f) Act. 19. 9. A. Ch. 54. 55.
(g) Antiq. l. 18. c. 5. (h) Theodoret. in Ezech. 26.
(i) Plaut. in Trucul. act. 2. ſcen. 6. 3. 19. 29. (k) Antiq. l. 8. c. 2.
(l) Scribebat Herodotus an 3596. Vide Uſſer. ad an. M. 3596.
(m) Q. Curt. l. 4. c. 5. Juſtin. l. 11. c. 1.
(n) Apud Joſeph. l. 1. & 8. contra Appion.

Digitized by Google

& Templum Herculi unicum in tota Inſula junxiſſe. In literis quidem ab eodem Rege ad Salomonem datis, frumentum ſibi Rex ille poſtulat; quippe qui in Inſula urbem poſſideret. Sed hæc facile à Joſepho ipſo adjecta ſunt (a), cùm easdem epiſtolas Eupolemus apud Euſeb. l. 10. c. 33. 34. referat, ſatis ab epiſtolarum Joſephi ſtylo abhorrentes, in quibus ſanè de hac re ne minimum quidem. Manent etiam noſtra ætate veteris Tyri veſtigia quædam, uti aquæductuum rudera, è continenti in Inſulam aquas deducentium. Inſulæ circuitus, 22. ſtadia, ſive 3190. paſſus: veteris Tyri, 19. m. paſſuum.

Menandro Epheſino authore ſcimus, Salmanaſarem Aſſyriæ Regem Phœniciam univerſam ditioni ſuæ adjeciſſe (b). Cùm enim Sidonis, & Aces, atque quarumdam ejus regionis urbium incolæ à fœdere Tyriorum recedentes, Salmanaſari ſe dedidiſſent, Rex expeditionem in Tyrios, jugum ipſius renuentes, ſuſcipiens, claſſem 60. navium, & 800. nautarum comparavit. Tyrii ſtatim manum 12. navium oppoſuerunt; commiſſaque cum Rege pugna, adeò proſpero eventu pugnarunt, ut regia claſſe fuſa, ac diſſipata, 500. captivos abducerent. Fuſus igitur Salmanaſar Ninivem quidem ſe recepit; interim tamen copiis ſuis Tyrum obſedit. Ea occaſione cùm aggreſſores fluminis, & aquæductus aquæ occupaſſent, Tyrii, obſidionem ad quinquennium tolerantes, fodere ſibi in urbe puteos coacti ſunt (c).

Alteram Tyri, obſidionem (d) per Nabuchodonoſorem Ezechiel fuſiùs deſcribit. Vetuſne an nova Tyrus premeretur, in utramque partem Eruditi diſputarunt. S. Hieronymus *in Ezech* 26. *&* 28. *&* *in Amos* 1. novam urbem inſinuari credit, cùm Nabuchodonoſor Inſulam continenti junxiſse, conſtructo ex lapidibus, & lignis aggere, perhibeatur. Marshamus, & Perizonius, aliique nonnulli (e) de veteri cenſent. In utramque partem ſuæ ſunt apud Ezechielem conjecturæ; quare nos in re dubia neutri hæremus. Illud planè conſtat, Nabuchodonoſorem urbem Tyri evertiſse, quam nunquam deinde reſtitutam Prophetæ apertiſſimis verbia inſinuant (f): quod ſanè argumento eſse poſset, teſtimonium Ezechielis de veteri Tyro intelligendum, cùm novam poſt Nabuchodonoſorem floruiſse, & poſt Alexandrum iterum caput erexiſse conſtet.

Hæc Iſaias de Tyro *c.* 23. 15. 17. *In oblivione eris ſeptuaginta annis, & poſt... viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes ſuas; & rurſum fornicabitur cum univerſis Regnis terræ. Et erunt negotiationes ejus, & mercedes ejus ſanctificatæ Domino, ut manducent, qui habitant coram Domino* (nempe Sacerdotes) *in ſaturitate*. Certam hujus periodi 70. annorum oblivionis Tyri Epocham conſtituere via poſsumus: ſi enim ad captam ſub Nabuchodonoſore, ſive Alexandro Magno, urbem conſignemus, tunc nomen oblivionis per exaggerationem dictum fateamur oportet; ſcimus enim Nabuchodonoſorem Ithobalem Regem Tyri reliquiſse (g); ſicuti & Alexandrum idem Regnum tradidiſse Abdalonymo, ſive Ballonymo, ſive Stratoni: hæc enim diverſa nomina apud Authores occurrunt (h). Scimus etiam, Reges illos continuata ſucceſsione diutiùs manſiſse; neque unquam legimus, ante Chriſti tempora Tyrios Dei religionis, & cultus ſtudioſiores fuiſse. Ut igitur Prophetiæ inter ſe conſtent, fateamur oportet, oracula de everſione perpetua Tyri in veteri Tyro nunquam ſanè reſtitura impleta fuiſse: quæ verò urbis reſtitutionem prænunciant, ea de nova urbe intelligenda ſunt, quæ ſæpiùs oppreſsa, ſemper tamen caput extulit; ac tandem ad Chriſtianorum Sacra tranſiens, laborum, & negotiationum ſuarum proventus Domino conſecravit. Jam inde ab Apoſtoli ætate non infrequentes Tyri Fideles occurrebant; eademque demum Eccleſia florentiſſima, & Martyrum numero, & Epiſcoporum celeberrimorum gloria, ac tandem habitis in ea Conciliis facta eſt.

V A

VACCA RUFA. Hæc Dominus de illa ad Moyſem: *Num.* 19. 2. *Præcipe filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum; tradetiſque Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra caſtra immolabit in conſpectu omnium. Et tingens digitum ſanguine ejus, aſperget contra fores Tabernaculi ſeptem vicibus; comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle, & carnibus ejus, quàm ſanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum, & hyſſopum coccumque bis tinctam Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum lotis veſtibus, & corpore ſuo, ingredietur in caſtra, commaculatuſque erit ad veſperum.*

Sed & ille, qui combuſſerit eam, lavabit veſtimenta ſua, & corpus, & immundus erit uſque ad veſperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, ut ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis, quia pro peccato vacca combuſta eſt. Cùmque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, veſtimenta ſua, immundus erit uſque ad veſperum. Habebunt hoc filii Iſrael, & advenæ, qui habitant inter eos, Sanctum jure perpetuo. Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus; aſpergetur ex hac aqua die tertio, & ſeptimo; & ſic mundabitur. Si die tertio aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari (ſed tantùm decimo, ſive undecimo). Omnis, qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aſperſus hac commixtione non fuerit (eo ſe conferens), polluet Tabernaculum Domini, & peribit ex Iſrael. Qui aqua expiationis non eſt aſperſus, immundus erit, & manebit ſpurcitia ejus ſuper eum.

Hæc Moyſis Lex de vacca rufa, in quam hæc Commentatores obſervant. Latam illam, ut mos ſuperſtitionibus Ægyptiorum planè adverſus ſanciretur, Spencerus de Leg. Hebr. rit. l. 2. c. 15. autumavit; Ægyptiis enim vaccas immolare nefas; Hebræis verò nihil frequentius. Illi rufos pilos, omneſque ejuſdem coloris animantes horrebant; Hebræi nunquam, niſi hic tantùm, victimarum colorem obſervarunt. Annuum ſacrificium illud fuiſse S. Hieronymus Epiſt. 27. aliique plures ſuſpicati ſunt; cùm cineres per omnes urbes, & vicos Iſraelitarum diſtribuerentur. Nonnulli verò Rabbinorum contendunt, nonniſi unicam a Moyſe uſque ad Eſdram immolatam, repetitumque ſemel tantum, ſeu ut plurimùm novies, ſacrificium ab Eſdra uſque ad everſionem Templi per Romanos. Ejus cæremoniæ locus, authore S. Hieronymo, mons olivarum conſtitutus erat, è regione Templi, poſtquam certa Arcæ ſedes Jeroſolymis aſſignata fuit: immolabatur autem poſt Templi conſtructionem à Summo Sacerdote, uti Judæi contendunt.

Vacca rufa extra caſtra immolata, figuram exhibebat Jeſu Chriſti, cujus ſanguis a criminum labe ſpiritum mentemque detergit: *Hebr.* 9. 13. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* V. Interp. in Num. 19.

(Scri-

(a) Antiq. l. 8. c. 2. (b) Antiq. l. 9. c. ult.
(c) Ea expeditio ad an. M. 3287. Ezechia Rege Juda, ante Ch. 713. ante Ær. 717. ab Uſſerio conſignatur.
(d) A. M. 3419. ante Ch. 581. ante Ær. 585.
(e) Marsham. Canon. Chron. ſæc. 18. Perizon. orig. Babylon.
(f) Iſai. 23. Jerem. 27. 3. & 47. 4. Ezech. 26. & 27. & 27.
(g) Joſeph. l. 1. contra Appion. (h) Diodor. Sicul. Juſt. &c.

(Scriptoribus nonnullis ſuccurrit ſacrificium vaccæ rufæ inter ea adſcribere, quæ nomine totius populi offerebantur. Seligenda erat vacca non maculoſa, nec vitiata, *Num.* 19. 2. quod etiam de victimis aliorum ſacrificiorum præſcriptum eſt; ex ejus cruore aſpergebatur ſepties contra aditum Tabernaculi, *Ibid.* ℣. 4. tuta abſumebatur igne; & qui reſtabant ex ea cineres valebant ad eluendas maculas contractas in adſiſtendo funeribus, removenteſque homines à Sanctuario & à rebus ſacris, *Ibid.* ℣. Vacca rufa, ait Abarbanel, ſacrificium erat pro peccato univerſi populi Iſrael. Ipſe quidem reputarem haberi utique poſſe ceu ſacrificium pro peccato, oblationem verò appellari non poſſe; neque eo nomine donantur in Scriptura, niſi quæ ſolemni ritu ſiſtuntur Deo in Altari holocauſtorum. Idem pariter judicandum arbitror de altera illa vacca, quæ obtruncabatur pro expiatione interfecti hominis ab ignoto ſicario, *Deut.* 21. 1. 9. Sacrificium erat illud, non oblatio, cùm in Altari holocauſtorum non offerretur; ſacrificium verò ideo dicimus, quod reipſa expiaret crimen homicidii.

VACCÆ, quemadmodum boves & tauri, emblemate ſuo exprimunt viros potentes & locupletes, qui felicitate ſua occupati de Deo nec cogitant quidem, & pauperes contemnunt; ita pariter, & data proportione, vaccarum nomen accipitur pro fœminis locupletibus, delicatis & voluptuoſis, quarum eſt unicum Numen voluptas. Ita illas affatur Amos 4. 1. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis & confringitis pauperes, quæ dicitis Dominis* (maritis) *veſtris: Afferte, & bibemus.* Oſee 4. 16. *Sicut vacca laſciviens declinavit Iſrael, num paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine.*

Vitulos aureos Jeroboami ſæpe traduxerunt Prophetæ nomine vaccarum ſeu vitulorum. Oſee 10. 5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.* Septuaginta, & poſt illos Joſephus cum Græcis Patribus appellant vitulas aureas. Hebræum *Hegel* ad literæ rigorem ſonat vitulum; ſed exprimere in ea revoluiſſe Hebræos cultum à Judæis impenſum bovi Apis, ne ambigimus quidem.

Urbes Segor & Oronaim epitheto vaccarum ſeu vitularum trimularum donantur apud Iſaiam 15. 5. & Jeremiam 48. 34. *Segor vel Oronaim vitulam conternantem.* Id autem referunt quidam ad vividos & indociles Urbis utriuſque incolas, nec edomari faciles, nec jugi patientes; malunt alii deſignari robur Segor & Oronaim, quarum tanta eſſet validitas, ut ſubmitti imperio non poſſent. Nobis autem perſuadentur Hebraicæ illæ voces *Agela* & *Saliſſa*, vitula trimula, geminas deſignare Urbes *Bethaglan*, & *Baal Saliſſum*. Jacebat prior illa ad Mare mortuum. Vide Joſue 15. 5. & 18. 19. 21. Alterius mentio eſt 1. *Reg.* 19. 4. & 4. *Reg.* 4. 42.

Prophetarum ſtilo gentes comparatæ ſunt interdum vitulæ. *Vitula elegans atque formoſa Ægyptus; ſtimulator ab Aquilone veniet ei*, *Jerem.* 46. Deſignantur hiſce Chaldæi, à quibus ſub jugum inducenda eſſet Ægyptus. Oſee 10. 11. ſermonem habens de Regno decem Tribuum: *Ephraim*, ait, *vitula docta diligere trituram*, vivere ſcilicet in rerum ubertate, ſed ego illam edomabo, cogamque ad jugum.

Samſon in Libro Judicum 14. 18. accuſat nuptiales juvenes eo nomine, quòd abuſi uxoris ſuæ facilitate arcanum illi commiſſum detexiſſent: *Si non araſsetis in vitula mea, non inveniſsetis propoſitionem meam.* Statuit Moyſes, *Deut.* 21. 3. ut ſi forte occiſi hominis cadaver reperiatur in adjacentibus Urbis aut vici, nihilque de ſicario reſciatur, Seniores & Judices ejus loci ſeligant vitulam indomitam, eamque deductam in vallem ad id uſque incultam obtruncent; tum & ſeniores illi lavent manus ſuper caput vitulæ illius, proteſtenturque nullam habere ſe in eo crimine partem, nec oculatos ſe ejus teſtes fuiſſe; rogare proinde Dominum, ut ejus culpam omnem tum à ſe, cum à populo Iſrael removeat. Vide v. *Homicida.*)

VAFRES, ſive *Vaphres*. Vide *Ephree*.

VAGAO, cubicularius Holofernis, qui Judìtham in tentorium hero violandam introduxit. Nomen *Vageus*, ſeu potiùs *Bagous*, de omnis generis eunuchis uſurpatur (a).

Quem penes eſt dominam ſervandi cura Bagoe (b).
in Hebræo Eſther Eunuchus *Bagatu* appellatur; in Græco verò, *Bagajus*.

VALERIUS GRATUS, Præfectus Judææ. Vide *Gratus*.

VALLIS. Plures occurrunt in ſacra Scriptura valles. *Vallis Benedictionis* in Tribu Juda ad occidentem maris Mortui. Vide 2. *Par.* 20. & 26.

Vallis Sylveſtris, *Geneſ.* 14. 3. 8. 20. in Hebræo vallis *Haſſidim*; quod alii reddunt agrorum; alii calcis; Septuaginta, vallis ſalſa. In ea valle ſitæ quondam urbe Sodoma, & Gomorrha, deinde in Lacum Aſphaltidem, ſive mare Mortuum verſæ.

Vallis Save, alio nomine *vallis Regis* (c). *Save* urbs erat in Valle Regis, è regione Jeroſolymæ, Euſebio authore. Ad id autem loci Melchiſedech Abrahamo è victoria quinque Regum reduci, occurrit. Non deſunt tamen, qui ad radices Montis Thabor rem contigiſſe affirment (d).

Vallis Salinarum, 2. *Reg.* 8. 13. & 4. *Reg.* 14. 7. quam vulgò collocant in Idumæa meridionali, ad meridiem maris Mortui; eodemque in loco bis prælio victos Idumæos ferunt, ſemel à Davide, ſive à Joabo, iterum verò ab Amaſia filio Joas Rege Juda. Nos verò eam Vallem in Idumæa orientali inter Thadmar, & Buſram conſtituimus. Vide *Saline*.

Vallis Raphaim, ſeu *vallis Gigantum*. 2. *Reg.* 5. 18. & 23. 13. Vide *Raphaim*.

Vallis Botri. *Num.* 32. 9. Vide *Nehel Eſcbol*.

Vallis Jezrael, eadem ac *Vallis Eſdrelon*, ſive *Magnus Campus*; ex oriente in occidentem, à Scythopoli uſque ad radices Montis Carmeli porrecta.

Vallis Mambre, ad Hebronem. Vide *Mambre*.

Vallis More, alio nomine *Vallis Illuſtris*, *Gen.* 12. 6. ad Sichem. Vide *Moru*.

Vallis Achor, *Joſue* 7. 24. 26. *Iſa.* 65. 10. *Oſee* 2. 15. ad ſeptentrionem Jerichuntis, juxta S. Hieronymum, ſupplicio de Achan ibidem ſumpto celebratur. Vide *Achor*.

Vallis Ajalon, Vide *Ajalon*. Ex urbe nomen valli inditum.

Vallis Arundinis, *Joſue* 16. 8. & 17. 9. in Hebræo, vallis, ſive *torrens Kanna*, non longe a mari Mortuo, & à Taphua.

Vallis Joſaphat, quam vulgò explicant de valle, per quam torrens Cedron fluit, ad orientem, & meridiem Jeroſolymæ. Vide *Joſaphat*. Vide & *Joel.* 3. 12.

Vallis Ennon, ſeu *Vallis filiorum Ennon*; Hebraice, *Ge-hennon*, ſive *Gebene-hennon*, unde nomen *Gehenna* ad orientem & meridiem Jeroſolymæ pertinebat. Vide *Hennon*, ſive *Ennon*, vel *Tophet*.

Vallis Regis. V. *Vallis Save*, vel tantùm *Save*.

Vallis Artificum; Hebraicè Ge-haraſim, quam ad Jordanem in ſorte Benjamin collocant. Vide 1. *Par.* 4. 14. & 2. *Eſdr.* 11. 35.

Vallis Caſis, *Joſue* 18. 21. in Tribu Benjamin, ignoti tamen ſitus. Sunt, qui Hebræum reddant *Vallis inciſionis*; ſuſpicantur autem, nomen loco inditum, quòd facilè plantarum balſami, quæ incidebantur, ferax eſſet. Verùm Joſue ætate balſamum

(a) Plin. l. 13. c. 4. (b) Ovid. Amor. l. 2.
(c) Gen. 14. 17. & 2. Reg. 18. 18.
(d) Vide Vitam Melchiſedech. t. 3. Oper. S. Athanaſ. & Brocard. Deſcript. Terræ S.

Digitized by Google

ne ibidem curabatur? Non facilè crediderim.

Vallis Jephtael, *Joſue* 19. 14. 17. ad urbem facilè cognominem in finibus Zabulonis, incertum tamen quo ſitu.

Vallis Sorec, *Judic.* 16. 4. in qua urbs Sorec Danitica. An eadem ac *Vallis Botri*? Vide *Sorec*.

Vallis Seboim. 1. *Reg.* 13. 18. Seboim orbs erat ex quatuor igne Cœlitus dilapſo abſumptis; *Gen.* 10. *&* 18. *&* 19. quare vallis Seboim ad mare Mortuum, incertum tamen quo ſitu, jacebat. Facile tamen Seboim eodem ſitu, quo Sodoma, ſucceſſu temporis reſtituta eſt. Vide 2. *Eſdr.* 11. 34. Sunt, qui *Seboim*, ſive *Tzeboim*, *ſerpentes*, *baſiliſcos*, ſive *hyenas* deſignaſſe credant (a).

Vallis Gad. 2. *Reg.* 24. 5. in Transjordanica, in ſorte Gad, & facilè ſecundùm Arnon.

Vallis Lacrymarum, *Pſ.* 83. 7. eadem facilè ac *vallis flentium*, ſive *bochim*, vel *ploratuum*. Vide *Judic* 2. 1. *&* 2. *Reg* 5. 23. Vide *Bochim*, ſive *Clauthmon*. Ejus vallis ſitus erat ad meridiem Jeroſolymæ.

Vallis Viſionis, *Iſa* 22. 1..... 5. Prophetico, & figurato ſtylo Jeroſolymam ſignificat; *vallem* quidem per antiphraſim dictam; quippe quæ monti inſideret; *viſionis* verò, ſive quòd oraculorum Iſaiæ argumentum eſſet, ſive quòd Templum Jeroſolymæ in monte Moria, nempè *monte viſionis*, *Gen.* 22. 14. ſpectaretur.

Vallis Pinguium, vallis eſt ad radicem, & circum Samariam. Regio erat pinguis, & opima; quare de Samaria in monte huic valli imminenti conſtituta ferebatur: *In vertice vallis pinguiſſimæ*.

Vallis Interfectionis; *Jerem.* 7. 32. quo nomine *vallis Ennon* ſive *Topheth* apud Jeremiam appellata eſt. Vide *Topheth* & *Jerem.* ibid. & 19. 6. & 31. 40. Apud Joelem verò 3. 14. dicitur *vallis conciſionis*; & in eodem capite *vallis Joſaphat*, ſive *Judicii Dei*.

Vallis Cadaverum, *Jerem.* 31. 40. eadem ac *Topheth*, locus Jeroſolymæ cloaca.

Vallis Viatorum ad orientem maris. *Ezech.* 39. 11. quo nomine nos deſignatam credimus regiam viam ad radices montis Carmeli ex Judæa in Ægyptum, & ea regione Philiſthæorum in Phœniciam, & viceverſa ducentem. Porrò via illa ad orientem Mediterranei ſpectabat.

Vallis Multitudinis Gog, *Ezech.* 39. 11. 15. ſive *Sepulchra exercitus Gog*, quo nomine facilè *vallis Jezrael* deſignatur, ubi exercitum Cambyſis poſt ejus mortem fuſum, fugatumque credimus. Vide *Cambyſes*, & *Gog*. Vide etiam Comm. in Ezech. 39.

Vallis Montium, *Zach.* 14. 5. quo nomine apud Zachariam valles Jeroſolymæ circumjacentes deſignantur, in quas Judæi obſeſſa à Romanis urbe, ut ſe à præſentiſſimo periculo eriperent, confugerunt.

Vallis Illuſtris, alio nomine *vallis More*, ad Sichem. Hebræus legit, *Gen.* 12. 6. *Elon-more*, quercus, ſive quercetum *More*.

Vallis Cedron, 4. *Reg.* 23. 4. 6. ad orientem Jeroſolymæ inter urbem & montem Olivarum.

Vallis Gihon, 2. *Par.* 33. 14. ad occidentem ejuſdem urbis, unde fluunt aquæ fontis Gehon, qui ex occidente ad meridiem labens, in torrentem Cedron influit. Hinc valli nomen.

Convallis Tabernaculorum, *Pſal.* 59. 6. *&* 107. 8. in Hebræo *vallis Socoth*, in transjordanicis, & urbi ejuſdem nominis ſubjecta, quanquam apud Pſalmiſtam *vallis Socoth* nomine, transjordanica deſignetur.

Vallis Sennim, ſedes olim *Haber*, ſive *Heber Cinæi*, *Judic.* 4. 11. locus erat in Galilæa, ad Senaam, & Cades Nephtali.

Vallis Terebinthi (b), ubi conſtitutis caſtris Iſraelitarum ſub Saule Goliath inſultavit. Sita erat ad meridiem Jeroſolymæ, Soco, & Azecam verſùs. Vallis etiam Terebinthi appellari meritò poterat alia vallis Mambre, ubi tres Angeli hoſpitio ab Abrahamo ſub terebintho excepti ſunt. Vide *Terebinthus*.

Vallis Saphata, 2. *Par.* 14. 9. 10. ubi Aſa Rex Juda ingentem Æthiopum, ſive *Chuſchim* exercitum fudit. Sita erat Mareſam, & Eleutheropolim verſus.

VANIA, vir Iſraelita, qui ductam alienigenam fœminam, non ſecus ac cæteri, poſt regreſſum è captivitate Babylonica dimiſit. 1. *Eſdr.* 10. 36.

VANITAS. Hebræum *ſchave*, & *habel* Interpretes plerumque reddunt *vanitas*, ſeu *vanum*; quamquam prioris vocis ſignificatio *mendacium* potiùs ſonat, ſecundum verò, *inutilitatem*. Hinc nomen *vanitas* variè apud Authores ſacros uſurpatur.

I. *Vanitas* eſt inanis gloria, tumor, ſive jactantiæ vitium. Ità illud: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. *Pſal.* 118. 37. *Superba vanitatis loquentes*; 2. *Petr.* 2. 18. nempe verba tumida, & vana.

II. *Vanitas* eſt mendacium. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pſ. 4. 3. *Locuti ſunt vanitates* (mendacia), *& dolos tota die meditabantur*. Pſ. 37. 13. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*; *Exod.* 20. 7. ideſt ad aſſerendum jurejurando mendacium. Viſiones, & verba vanitatis, mendaces ſermones, & verba deſignant.

III. *Vanitas*, tantumdem ac nihil. Ita illud: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. *Eccli.* 1. 2. *Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus ..... Univerſa vanitas omnis homo vivens*, ideſt homo tanquam nihil habetur. *Homo vanitati ſimilis factus eſt; dies ejus ſicut umbra prætereunt*. *Pſal.* 143. 4.

IV. *Vanitas* ſunt Idola: *Irritaverunt Dominum in vanitatibus ſuis*, *Deut.* 32. 21. nempe in Idolis, ac rebus nihili. *Secuti ſunt vanitates*. 4. *Reg.* 17. 15. *Numquid Dominus non eſt in Sion? quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in ſculptilibus ſuis, & in vanitatibus alienis?* Jerem. 8. 19. *Secuti vanitates*, 4. Reg. 17. 15. & Jerem. 2. 5. *& vanè egerunt*; Hebr. *& vani facti ſunt*.

(VANUS. Vide in Dictionario v. *Vanitas*. Vanus eſt etiam ſæpè fictus. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, *Exod.* 20. 7. Non jurabis falſa (§): non fruſtra, ſeu neceſſitate non cogente nomen Dei tui produces in teſtimonium ad aſſerendam dictorum tuorum veritatem. Hebræum *Scave*, quod hìc redditur *vanum*, uſurpatur pro falſum in Scriptura ſæpè, uti Deut. 5. 20. Exod. 20. 16. Levit 19. 12. Pſalm. 4. 3. & 37. 13. & 61. 10. Ezech. 12. 24. & 13. 6. Oſee 10. 4. & 12. 11. Jonas 2. 9. Zachariæ 10. 2. Matth. 5. 33. Tertullianus (c) cum vetuſtis Patribus nonnullis autumavit vetari hoc præcepto homines ne Dei nomen addant Idolis & Paganorum Numinibus. Conſtat quidem *vana* poni interdum pro Diis falſis; ſed literalis hujus Textus ſenſus aliò ſpectat.

Vanus opponitur vero ac reali. *Cor eorum vanum eſt*; *Pſalm.* 5. 10. vanitate plenum & mendacio. Pſ. 11. 3. *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum*; vanis, mendacibus, ac deceptoriis verbis impoſuerunt proximo ſuo. Pſeudo Prophetæ *vident vana, & divinant mendacium*; *Ezech.* 13. 6. ſomnia & viſiones vident inanes; oracula pronunciant ficta & vana. Vide etiam Iſai. 56. 10. *Speculatores ejus cæci ... Videntes vana, dormientes & amantes ſomnia*; planum & circulatorem agunt.

Vana perinde valent interdum ac Idola: *Nolite declinare poſt vana*; 1. *Reg.* 12. at poſt Deos nihili, à quibus nulla ſperanda eſt tutela; perinde enim ſunt ac nihil. Vide Actuum 14. 14. *Annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum*.

Accipere in vanum animam ſuam, *Pſalm.* 24. 4. i. e. per vitam ſuam falſa & vana jurare Pſalmus 62.

10. *In*

(a) Ita Chald. Hebr. Vatab.
(b) 1. Reg. 17. 2. Hebr. *Vallis Ela*, ſive *Quercus*.
(§) Ita plerique Interpretes. Pro falſo ſumitur Deut. 5. 20. Exod. 20. 16. &c.
(c) Tertull. de Idololatr. c. 20. Cyrill. Clem. Alex.

to. *In vanum quæſierunt animam meam*; necem meam fruſtra moliti ſunt, à laqueis enim illorum Deus pedem meum liberavit, ſeu potiùs vanæ & fictas emendicantes in me calumnias conati ſunt adigere me in mortem.

Homines vani non homines tantùm ſunt vano tutgentes faſtu, ſed etiam homines nihili, nullius Religionis, & nullum rationis ſeu morum ductum ſequentes: *Viri vaniſſimi filii Belial*. 2. *Par*. 13. 7. Hebræus *Homines vacui* ſenſu, getrones, egeni, pueri ſine jugo vel pueri nihil. *Rekim*, quod Vulgata reddidit *vaniſſimi*, idem eſt ac *Raka* Evangelii, Matth. 5. 22. *Qui dixerit fratri ſuo Racha*, i. e. vaniſſime. Septuaginta habent: *Homines peſtilentes & pernicioſi*.

Qui congerit theſauros lingua mendacii vanus & excors eſt, *Proverb*. 21. 6. Hebræus: *Opus theſaurorum in lingua falſitatis, vanitas expulſa*; ſtipula eſt, ventorum ludibrium. Proverbiorum 12. 8. *Qui vanus eſt & excors patebit contemptui*; Hebræus: *Perverſus corde, & corruptus &c*. Sapientiæ 13. 1. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*; ſcientiæ reliquæ omnes ſcientia Sanctorum deſtitutæ perinde ſunt ac nihil. Græcus legit: *Vani ſunt natura ſua omnes homines*, natura ſua nihil ſunt homines, & ad nihilum tendunt.

VAPHRES ipſe eſt Pharao Ephræus vel Ophra, cujus actum eſt alibi. Vide *Ephræus*, & Jeremiæ 44. 30. Vulgata eſt Græca quædam Epiſtola Salomonis ad Vaphtæum Regem Ægypti, qua Salomon ipſe Regem facit certiorem de adito à ſe Regno, poſtulatque ab illo Opifices ad ſubſtructionem Templi idoneos. Vaphres reſcribens ad Salomonem, gratulari ſe de obtento Principatu ſignificat; ſimul autem certiorem facit mittere 80000. Opifices ad opera, quæ poſtulaſſet, idoneos; ſimul autem indicat nomina Provinciarum, ex quibus Opifices illos deduxit. Sed utrumque hoc ſcriptum ſubleſtæ eſt fidei, deductum licèt ab Eupolemo, ea quo Euſebius transferendum cenſuit in ſuam Præparationem Evangelicam *lib*. 9. *cap*. 31.)

VARUS. Vide *Quintilius Varus*.

VASSENI, filius natu major Samuelis juxta 1. *Par*. 6. 28. *Filii Samuel primogenitus Vaſſeni, & Abia*. Nonnulla exemplaria Latina legunt: *Vaſſeni, Joel, & Abia*; ſed hunc Textum corruptum apertiſſimè conſtat; Vaſſeni enim non viri nomen eſt, ſed Hebræa vox ſonans, *& ſecundus*: quare ſententia ita reddenda eſt: *Filii Samuel primogenitus Joel, & ſecundus Abia*. Vide 1. *Par*. 6. 33.

VASTHI, uxor Regis Aſſueri. *Eſth*. 1. 9. Cùm Rex ille ſolemni convivio Regni ſui primores, atque univerſum populum exciperet; eodem etiam apparatu Regina Vaſthi in ædibus ſuis fœminas detinebat. Septima convivii die, Rex largiori vino hilarior factus, Principes aulæ ad deducendam Reginam Vaſthi regio cultu, & corona ornatam miſit; quo ſcilicet auguſtiſſimæ formæ ſuæ ſpectaculo convivas recrearet; ſed illa regiis juſſionibus ſpretis, venire recuſavit. Aſſuerus ea injutia offenſus, quid eſſet pœnæ in Reginam decernendum, cum viris ſibi à conſiliis deliberavit. Tunc aſſurgens Mamucan, totius conſeſſus Princeps, dixit, meritò quidem in Vaſthi iraſci Regem, cùm ejus fœminæ crimen pravo cæteris fœminis viros contemnendi exemplo fieri potuiſſet; conſulere proindè ſe, ut illa à Regio thoro repulſa, eademque à Regno amota, altera in locum illius ſubſtitueretur. Juxta ejus conſilium Vaſthi exanctorata, Eſther ad Regnum evecta eſt A. M 3486. ante Ch. 514. ante Ær. 518. V. *Eſther*.

Quænàm vero hæc Vaſthi Regina? Alii ipſiſſimam eredunt Athoſſam filiam Cyri, qui fratri ſuo Cambyſi primò nupta, dein cum Pſeudo-Smerdi matrimonio conjuncta, tandem ad Darii filii Hyſtaſpis, quem eumdem cum Aſſuero credimus, nuptias tranſiit. Fœmina erat venuſtate inſignis, ex qua, Herodoto teſte l. 7. c. 3. quatuor filios Darius genuit, eamdemque negotiorum Regni diutiùs participem habuit. Altera igitur fuit à Vaſthi, tertio Regni anno ab Aſſuero repudiata. Alii credunt, Vaſthi patrem habuiſſe & conjugem Aſſuerum; neque enim ab iis conjugiis, quemadmodum; & à polygamia Perſæ abſtinent. Nihil tamen in hiſtoria, quod huic conjecturæ faveat. Altera occurrit apud Herodotum, Darii uxor Ariſtone, quam facilè cum Eſther confundendam credimus.

Cur Vaſthi regiis juſſionibus morem non geſſerit, in cauſa fuiſſe tradunt Hebræi, quod nuda convivia exhibere ſeſe juberetur.

UBIL, Iſmaelita, Præfectus camelorum Davidis. 1. *Par*. 26. 30. Ubil Arabicè Camelarium ſonat. Iſmaelitæ camelorum curam tradidit David, quod ea gens omnium optimè qua ratione alerentur, ducerenturve, cognoſceret.

(VECTES ad literæ rigorem deſignat ligna illa januis quà privatatum domorum, quà urbium oppoſita, quibus clauſæ continentur; ſæpè autem valent pro munimentis, & rebus ad defenſionem appoſitis quibuſcumque. Ita Deus *Jobi* 38. 10. oppoſuiſſe ſe mari dicit vectes & portas, quibus prohiberetur ne latè diffunderetur ſuper terram. Ezechielis 30. 18. *Contrivero*, ait, *ſceptra* (vectes) *Ægypti*, nempe ejus arces & munimenta. Spem facit Cyro præceſſurum ſe ante illum & contriturum portas æreas & vectes ferreos, i. e. ſubmiſſurum illi Urbes validiſſimas. In Amos 1. 5. *Conteram*, ait, *vectem Damaſci*. Deſcribens Jonas ſtatum ſuum in ventre ceti, ait: *Vectes terræ concluſerunt me*; i. e. undique circumcludebant me abyſſi continebantque veluti in carcere, & intra ſat validos cancellos.)

VECTIS, piſcis, de quo Iſaias 27. 1. *Super Leviathan ſerpentem Vectem*. Hunc piſcem ipſiſſimum credunt ac *Zygænam* apud Authores Græcos. Vide *Leviathan*.

(VELA fœminarum Judaicarum. Vide *Theriſtrum*.

VELA TABERNACULI. Vide *Tabernaculum*.

VENATIO. Eſt venatio ceu rudimentum quoddam & imitatio belli. De Nemrod ſcriptum eſt: *Erat robuſtus venator coram Domino*, *Gen*. 10. 9. vir nempe bellicoſus, domitor, tyrannus, qui liberos homines cogebat ad ſervitutem, ac recuſantes ſubire jugum trucidabat. Bellum venationis nomine exprimunt non rarò Prophetæ. *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum*, *Jerem*. 16. 16. Sermo eſt hic de Chaldæis vel Perſis, qui Judææ ſeſe ſuperefundentes, ditioni ſuæ illam adjecerunt. Perſuadentur nonnulli venatores hoſce, de quibus Jeremias, deſignare Perſas in libertatem reſtituentes Hebræos, & elatiori ſenſu Apoſtolos, qui venatorum more prædam hominum prædicationibus ſuis captabant. Sub venatorum nomine exprimuntur pariter apud Ezechielem 32. 30. Reges Judæorum perſecutores; *Principes aquilonis omnes & univerſi venatores*. Illos verò omnes collocat in Infernis cum Regibus incircumciſis.

Grates Deo agit Pſalmiſta eo nomine, quòd liberatus ſit ab illo è *laqueo venantium*, *Pſ*. 90. 3. Quæritur Michæas 7. 2. omnes quotquot in regione id ſtuduiſſe, ut pararent laqueos in fratres: *Vir fratrem ſuum ad mortem venatur*. Invehitur Ezechiel 13. 20. in Pſeudo-Prophetas parantes pulvinaria ſub cubitis peccatorum, & laqueos ad venandum illos. Lugens Jeremias, *Thren*. 3. 52. exhibet ſibi Jeruſalem dolentem, quod tanquam avis venatoriis retibus implicata ſit ab hoſtibus ſuis.

Ad venationem per canes quod attinet videſis V. *Canes*.

VENDERE. Libertatem cuique ſuam vendere integrum erat Hebræis; jus etiam Patribus vendere filios: *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum*, *Levit*. 25. 39. ſeu tanquam mancipium aliis vendes, manebit tibi, velut diurnus mercenarius. Docet Maimonides vetitum eſſe Hebræis vendere libertatem ſuam niſi extrema cogente neceſſitate. Exod. 21. 7. *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueverunt*; non dimittet illam herus, uti ſolet famu-

famulas anno Sabbatico. Accipiet illam ſive ipſe in uxorem, ſive elocabit filio ſuo; ſi utrumque recuſaverit, manumittet.

Debitores etiam ſolvendo impares, ſicut & filii eorum, cogebantur ſervire, quemadmodum & ex Evangelio *Matth.* 18. 25. & ex 4. Reg. 4. 1. conſtat. Interdum ingenui homines in ſervos vendebantur, uti cum Joſepho à fratribus factum eſt; id autem criminis appellabatur *Plagium*, atque inter capitalia ponitur à Lege: *Exod.* 21. 16. *Deut.* 24. *Qui furatus fuerit hominem & vendiderit eum, convictus, noxa morte morietur*; quod de homine gentis ſuæ tantùm ſancitum volunt Judæi. Jus primoris natu vendidit Eſau, cujus rei gratia, uti creditur, prophanum audit apud Apoſtolum, *Hebr.* 12. 16. Scriptum eſt in Prophetis *Iſai.* 50. 1. & 52. 3. *Joel.* 3. 8. *Baruc.* 4. 6. Dominum vendidiſſe populum ſuum hoſtibus illorum, tamquam herus, qui ſervum petulantem in pœnam infidelitatis ſuæ vendit alteri.

Venumdari ut faciat malum, dictum eſt de Achabo: 3. *Reg.* 21. 20. 25. *Qui venundatus eſt ut faceret malum in conſpectu Domini.* Ita pariter & impii illi Iſraelitæ, de quibus in Macchabæis 1. 16. *Venundati ut facerent malum*; i. e. mancipia ſe vendiderunt peccato, ut paſſionibus ſuis agendos deducendoſque ſe traderent, tanquam famuli heris. Familiares ſunt loquendi phraſes iſtæ Hebræis. Vide Judith 7. 13.

De ſe, vel potius hominum generatim omnium perſonam ſuſtinens affirmat Apoſtolus, Rom. 7. 14. *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*; concupiſcentiæ ſcilicet & peccati natura mea ſervus, ſed à ſervitute illa manumiſſus per Baptiſmum, armatuſque in concupiſcentiam per gratiam Jeſu Chriſti.

VENTER. Fructus ventris ſunt filii: *Privavit te Deus fructu ventris tui Geneſ.* 30. 2. & Pſalmus 126. 3. *Merces Domini fructus ventris*; filii ſunt benedictiones connubii. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam Pſal.* 131. 11. i. e. de filiis tuis datum habebis ſucceſſorem. Pſal. 21. 11. *De ventre matris meæ Deus meus es tu.*

Venter ponitur ſæpè loco gulæ. *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*; *Tit.* 1. 12. & ad Philippen. 3. 9. *Quorum Deus venter eſt.* Ad Romanos 16. 18. *Hujuſcemodi Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri.*

Venter eſt etiam cor, imus animæ fundus. Proverb. 18. 8. *Verba bilinguis* (hominis non ſinceri) *quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris*; vulnera alta imprimunt aduſque intima animæ. Proverb. 20. 27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris*; penetrat ad intima animæ. Proverbiorum 22. 18. monet Sapiens, ut doctrinam ſapientiæ conſervemus: *Cùm ſervaveris eam in ventre tuo*, ait, *redundabit in labiis.*

Venter inferi, eſt ſepulcrum, vel diſcrimen mortis imminens. Liberatum ſe dicit Eccleſiaſticus 51. 7. *de altitudine ventris inferi*; & Jonas clamat ad Dominum *de ventre inferi*, *Jon.* 2. 3. de imo fundo maris, & de ventre piſcis.)

VENTRILOQUUS; Græcè *engaſtri-miſthos*, nempe qui ex imo ventre loquitur. Eo nomine Divinator, ſive Divinatrix deſignatur, quos familiaris Spiritus, ſive fictus, ſive verus ex imo ventre alloquebatur. Vide *Pithon.*

(VENTUS appellatur ſæpè *ſpiritus*, & in nonnullis quidem Textibus quæſtio eſt anceps, num ventum ſignificet vel Spiritum Sanctum, ut in illo Geneſis 1. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; quod alii dictum volunt de Spiritu Sancto, alii de vento valido. Ita eſt pariter de illo Iſaiæ 40. 7. *Exſiccatum eſt fœnum, quia ſpiritus Domini ſufflavit in eo.* Plerumque tamen contextus ſermonis ſatis determinat, num illud *ſpiritus* vel de Spiritu Sancto, vel de vento, vel de anima accipiendum ſit.

Agnoſcebant Hebræi olim, uti nos pariter, quatuor cardinales ventos, *Ezech.* 42. 16. 17. Orientalem, Hebr. *Kadim*; ſeptemtrionalem, *Tzaphon*; meridionalem, *Daron*; occidentalem vel maris mediterranei *Rovah-bajam.*

Familiare eſt S. Hieronymo ut ventum Kadim, nempe orientalem, reddat (a) *ventus oriens*, vel *ventus urens*; in Septuaginta eſt *ventus meridionalis.* Eſt quidem in Ægypto meridionalis æquè ac orientalis ventus calidiſſimus.

VENTUS SEPTEMTRIONALIS frigidus erat, teſte Eccleſiaſtico 43. 22. *Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit cryſtallus.* Ab eo pariter diſſipari nubes & pluvias affirmat Salomon in Proverbiis 25. 23. ſed Interpretes alii vertunt: *Producit pluviam.* Ventus Typhonicus, de quo in Actis 17. 14. ventus eſt inter Orientem & Septentrionem *Euro Aquilo*, vel *Euro clydon.* Eſt autem typho turbine furens ventus, qui ſubitò incidens in naves torquet illas in vorticem, nec rarò confringit. Vide Plinium l. 2. c. 48.

VENUS, Dea impudicitiæ apud Paganos, Divinis honoribus par. Sunt qui credant Deæ illius nomen accerſendum eſſe ex Hebræo *Sochos-Benoth* 4. *Reg.* 17. 30. ſeu *Venos* juxta aliam pronunciationem. Videque quæ ad eas voces animadvertimus. Vario ſub nomine colebatur; erat enim Ægyptiis Nephtis; Aſſyriis Militta; Arabibus Alitta; Perſis Mitra. Tanais nomine innotuerat Babyloniis; Erycinæ Siculis, Aphroditis Græcis; Iſraelitis verò conſecratam credo ſub nomine Aſtartis, vel Aſtaroth, vel Aſeræ, vel Deæ nemorum. Confunditur ſæpè cum Luna; nec alia eſt Venus Cæleſtis apud Paganos, & Regina Cœli, vel Dea Meni apud Hebræos. Deus Dagon ipſe pariter cum Dea Venere facilè confundendus erat. Columba animal erat Veneri ſacrum.

Tribus leucis à Carthagine (b) conſecratum erat Templum ſub titulo *Sicca Veneria*, quod eò maximè accedit ad *Socoth Benoth* Scripturæ, quod puellæ ſacrificabant virginitatem ſuam Veneri, ibique dotem lucrabantur pro nuptiis. *Sicca enim fanum eſt Veneris, in quod ſe Matronæ conferebant, atque inde procedentes ad quæſtum, dotes corporis injuria contrahebant: Honeſta nimirùm tam inhoneſto vinculo conjugia junctura.*)

I. VERBUM Græcè *Rhema*, ſive *Logos*, Heb. *Dabar*, quæ vox in Sacra Scriptura non rarò pro re quapiam uſurpatur: *Cras Dominus faciet verbum iſtud*, *Exod.* 19. 5. 6. nempe rem iſtam. *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* 1. Reg. 3. 11. *Reliquum verborum Salomonis* (nempe res ab eo geſtæ), *univerſa ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Salomonis.* 3. *Reg.* 11. 41.

Non rarò in Scriptura verbo Dei mira quædam tribuuntur; quemadmodum & verbum ipſum inducitur, tanquam res quædam ſpiritu, & intelligentia potens. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.* *Pſal.* 106. 20. Author Sapientiæ verbo Dei tribuit & necem primorum natu Ægyptiorum, *Sap.* 18. 15. & viſa in manna prodigia, *Sap.* 16. 26. & mundi è nihilo eductionem; *Sap.* 9. 1. ac tandem reſtitutam intuitu ænei ſerpentis valetudinem, *Sap.* 16. 12. Centurio ad Chriſtum ait: *Tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* *Matth.* 8. 8. Jeſus Chriſtus ita Diabolum allocutus eſt: *Matth.* 4. 4. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.*

II. VERBUM nomen eſt unici Filii Patris, Sapientiæ increatæ, & ſecundæ in Trinitate Perſonæ, cui una cum Patre ſubſtantia, & dignitas æqualis. De hoc Verbi Dei myſterio digniùs præ cæteris S. Joannes locutus eſt illis verbis 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.*

(VERBUM Domini uſurpatur ſive de intima locutione Dei ad Prophetas per ſecretam inſpirationem, ſive de exteriori per verba in aures inſonantia; uti dum conſuetudinem habebat cum Moyſe facie ad faciem, & tanquam amicus cum amico loquens, *Exod.* 33. 11. vel tandem accipitur de verbis, quæ Miniſtri Dei, Sacerdotes, Apoſtoli, ejuſque famuli habebant palam à Deo juſſi, & Dei ipſius nomine. Aod Judex Iſraelis inſinuans ſe in conclave intimum Eglonis,

(a) Gen. 41. 27. & Exod. 10. 13. Septuag. not. 65. (b) Valer. Max. l. 2. c. 6.

Digitized by Google

tis Regis Moab ſignificavit habere ſe aliquid ex Deo, quæ tenunciaret. *Judic.* 3. 19. 20. Princeps in obſequium tanti nuncii ſurgens è Throno recedere omnes mandavit. Tandem verbum Dei eſt etiam quidquid ſcriptis mandatum eſt in Libris Sacris utriuſque Teſtamenti; ac præterea verbum eſt aliud Dei ad nos uſque deductum per canale nunquam interruptæ traditionis. De traditionibus Judæorum egimus v. *Cabala*, & *Bath-Col*, ſeu filia vocis, & de traditionibus Chriſtianorum dictum eſt v. *Traditiones*.

Verbum exprimit etiam Dei imperium: *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos*; *Pſalm.* 106. 20. ad unum imperantis verbum præſtò fuit ſanitas. Pſalm. 147. 18. *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea*; ſermo eſt de aqua in glaciem vel in grandinem concretam. Ita pariter Jeſu intimos animi ſui ſenſus pandebat bonus ille Centurio, *Luc.* 7. 7. *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

Verba delictorum meorum, verba mendacii, iniquitatis, cantionum; verba ſcientiæ, intelligentiæ, diſciplinæ, vel directionis, ſatis per ſe ſignificationem ſuam exponunt. Reddi autem poſſent ſeu de peccatis, mendacio, atque ipſa eadem ſcientia, vel de ſermonibus illarum rerum omnium appendicibus.

Verbum Regis, Regis juſſiones; *verbum malum*; maledicta; *loquar verbis meis*; quæ pro me faciunt. *Verbis tuis facito ſtateram*; nunquam loquaris niſi verbis antea ponderatis. *Dedit confeſſionem excelſo in verbo gloriæ*, *Eccli.* 47. 9. *laudavit Altiſſimum David verbis carminis ſui*; Pſalmis ſcilicet in ejus gloriam digeſtis. *Verbum promiſſionum, verbum fidei, verbum Crucis, veritatis Evangelicæ, verbum ſanum & irreprehenſibile*, phraſes ſunt Apoſtolo familiares, quarum vis ſentitur. Interdum *verbum* ſuperfluit in ſermone, uti in illo: *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum*; i. e. ceu depoſitum quoddam in illis conſtituit patrandorum prodigiorum virtutem; ita pariter *verba promiſſionis* ſunt tantùm promiſſiones. *Verbum Crucis* eſt prædicatio Jeſum Chriſtum crucifixum annuncians; *verbum gaudii*, vox eſt annuncians futuram vitam, & vitam animæ conferens; *verbum ſuum* opponitur ſermocinationibus vanis, doloſis, pernicioſis, mendacibus impiorum & hæreticorum.

VERBUM prout deſignat æternum Verbum, ſecundam SS. Trinitatis Perſonam. Jam alibi adnotatum eſt dum ageremus de *Memra*, vocem hanc, quæ *Verbum* ſignificat, tunc ſemper reponere Paraphraſtes Chaldæos, omnium quotquot ſuperſint Judaicorum Scriptorum vetuſtiſſimos, ubi recurrit apud Moyſem nomen *Jehovah*, ita e. g. *Memra*, ſeu Verbo creatum Mundum vindicant, idemque per viſum apparuiſſe ſcribunt Moyſi in Sinai, & Legem rogaſſe, colloquia cum Moyſe miſcuiſſe familiaria, Iſraelem deduxiſſe ex Ægypto, ducem itineris fuiſſe populo, iiſque claruiſſe prodigiis, de quibus in Exodo. Ipſum idem Verbum obtulit ſeſe Abrahamo in convalle Mambre, tum & Jacob in Bethel, cui pariter Jacob nuncupavit vota ſua, hunc in Deum ſuum recognovit; *Geneſ. Si fuerit Deus mecum* (Verbum), *& cuſtodierit me, reverſuſque fuero proſperè in domum Patris mei, erit mihi Dominus in Deum.*

Autbor Sapientiæ, Jeſu Chriſti ætati anterior, paria fermè uſurpat; docet enim capit. 9. 1. *Qui feciſti omnia Verbo tuo*. Addit capit. 16. 26. *Quoniam non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos, qui in te crediderunt, conſervat*. Idem Verbum pavit Iſraelitas in deſerto; idem Verbum ſanitati reſtituit è morſu ſerpentis: *Neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus, Domine, Sermo, qui ſanat omnia.* Ipſum idem Verbum potentia ſua exterminavit majores natu Ægypti (a): *Omnipotens Sermo tuus de Cœlo à Regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſiluit &c.* Tandem nemo alius fecit, ut Aaron ſævientem in caſtris ignem, latè minitantem excidium Iſraeli, coerceret: *Non in virtute corporis, ſed Verbo illum, qui ſe vexabat ſubjecit. Sap.* 18. 12. *Exod.* 29. 30

Philo, Judæus inclytus, Jeſu Chriſti ætate coævus, & in ſtudio Platonis exercitatiſſimus, loquendi phraſes illas habet familiares, per Verbum eſt illi creatus à Deo Mundus (b); intelligibilis alter mundus ipſum eſt Dei Verbum, Mundi creator; ac tandem eſt Verbum inviſibile imago ipſa Dei. Rerum omnium Creator deſignatur interdum apud Platonicos voce *Logos*; quam etiam ad exprimendum Verbum æternum adhibet S. Joannes. Verbum etiam urgebant Stoici in Epicuræos omnia caſu authore ſtultiſſe effutientes; cùm viciſſim Platonici ac Stoici omnia authori *Logos* vel rationi, & Sapientiæ Divinæ tribui oportere docerent. Sed non immeritò ambigitur, num Platonicorum, Stoicorum, & Philonis Verbum illud ipſum ſit Dei Verbum, natura Deus, quod ſanctum eſt apud nos dogma.

Utcumque res habeat ſeſe, S. Joannes in ſuo Evangelio, in priori Epiſtola, & in Apocalypſi de Verbi Divini natura planè nos inſtruait. Rationem loquendi Eccleſiæ in hoc utique magni momenti dogmate determinaverunt Concilia: & ipſa pariter Eccleſia repreſſit audaciam Hæreticorum, qui blaſphemo ore proſciderunt ejus doctrinam de conſubſtantialitate, natura, ſingularitate, & Divinitate Perſonæ Verbi Divini.

VEREDARIUS. Deſignamus eo nomine certos quoſdam homines per data temporum intervalla ferentes, referenteſque miſſitias literas ſeu Principum, ſeu Privatorum. Ludovicus Hornigk de hoc argumento Commentarium ſcripſit. Porrò ille quatuor tabellariorum genera diſtinguit; vel enim ferebantur equis, vel lintribus, vel curru, vel ibant pedites. Porro huc non incongruè referretur ars nunciandi quæcumque acciderent nova, ſive incenſis ignibus, ſive indiciis per intervalla montium diſpoſitis, quod poſtremum ea Scriptura pariter notum eſt. Prænunciat Iſaias 5. 26. & cr. 10. 12. elevandum à Deo ſignum inter gentes, ut cogat fugitivos Iſrael, congregetque in Regionem ſuam è quatuor angulis terræ. Et capite 13. 2. elevanda ſigna dicit ad congregandas copias in exercitum Darii Medii. Tum in capite 18. 13. legas: *Omnes habitatores Orbis, cùm elevatum fuerit ſignum in montibus, & clangorem buccinæ audietis*. Emicabant pariter hæc inſignia commiſſa malis, vel antennis in editis locis: *Donec relinquamini quaſi malus navis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem Iſai.* 30. 2. & capite 33. 23. *Sic erit malus tuus, ut dare ſignum non queas*. Vide pariter Iſaiæ 49. 22. & 62. 10. Jerem. 4. 6. & 50. 2. & 51. 12. 27.

Mos iſte è Perſis primò acceptus creditur; notat enim de Principibus illis Diodorus l. 19. &c. Quo tenebantur deſiderio noſcendi quidquid novi per totum latè Imperium ſuccederet, diſpoſuiſſe vigiles per data intervalla in editis montium cacuminibus, ubi modici faſtigii turris ædificata erat. Porrò vigiles illi alta & reſonanti voce annunciabant aliis, quæ ſcitu digna videbantur, atque ita veluti per manus tradita nuncia brevi deferebantur ad Regem.

Sed hæc utique non valebant niſi referendis rebus generalibus, & quas reſcire omnibus datum eſſet. Cyrus, teſte Xenophonte (c), conſtituit curſores publicos atque diverſoria ad omnia itinera, regiaſque vias per data ſpatiorum intervalla; atque ita factum eſt, ut curſores illi miſſitias literas ex uno ceu diverſorio ad aliud deferrent, ubi alii excipiebant & curſores & equi, qui viciſſim ad proximè ſuccedens diverſorium epiſtolas transferebant. Succedebant hæc ſibi invicem ſerie non in-

(a) Sap. 18. 12. Vide Exod. 12. 29. (b) Philo de Mundi opific. pag. 5 & de Som. pag. 578. (c) Xenophon. Cyropæd. l. 8. c. 232.

interrupta, quam nec dierum noctiumve ſeu pluviarum vices interciperent, tantaque celeritate epiſtolæ referebantur, ut minus veloces, virorum complutium judicio, volarent grues. Hæc Xenophon.

Fatetur Herodotus *lib.* 8. *c.* 98. nihil celeriùs unquam ſuccurriſſe ad itinera terreſtria conficienda. Xerſes, in celebri illa expeditione adversùs Græcos, Tabellarios ſeu curſores per totum illum tractum diſpoſuerat ab Ægeo uſque ad Suſas, quò de eventu exercitus ſui nuncii referentur expediti. Porrò intervalla illa diſtabant inter ſe tanto ſpatio, quantum ſagittæ jactus emetitetur.

Porrò curſores illi ſeu veredarii non obſcurè ſe produnt in Libro Eſther. Legimus enim ibi *cap.* 3. 13. ſub Aſſueri, alio nomine Darii Hyſtaſpis Regis Perſarum patentes literas de nece Judæorum Perſidis miſſas fuiſſe *percurſores Reges ad univerſas Provincias*. Cum verò edictis contrariis iſthæc omnia abolenda fuerant, miſſæ ſunt literæ *per veredarios, qui per omnes provincias diſcurrerent Eſther.* 8. 10.

Veredariorum inventum illud, quo promptè nuncia rerum geſtarum tranſmitterentur, primo authori tribuitur Darab Regi Perſidis, coævo Philippi Regis Macedoniæ; quod ea Orientalium fide damus (a). Darius Condomanus Regno exutus ab Alexandro Magno, ex curſore ſeu veredario in Regem tranſiverat (b).

E' Perſis adſciverunt Græci, apud quos curſores nomine *Augari* diſtincti ſunt. Eò ſpectat Jeſus Chriſtus Matth. 5. 41. verbis illis ſuis: *Si quis te angariaverit milliarium, vade & duo*; cogebantur enim Civitates ſingulæ ſufficere equos vel curſores ad miſſitias literas deferendas.

Qui apud Romanos certa id lege diſponeret primus fuit Auguſtus. Primò id muneris impoſitum ſelectis quibuſdam juvenibus ad curſum expeditiſſimis; qui manu ferentes epiſtolas, alter alteri conſignarint; tum ſubſtituta vehicula & equi ad compendium itineris (c). *Juvenes primo modicis intervallis, deinde vehicula diſpoſuit*. Conſtituta hæc perfecit noviſque legibus reddidit commodiora Adrianus, qui ſimul & exoneravit populos è penſo ſufficiendi equos & vehicula.

Affirmat Procopius id curaſſe Imperatores, ut ad Regias vias ſui eſſent diſpoſiti Tabellarii, quo ſcilicet promptè atque opportunè de omnibus, quæ latè per ditionem ſuam contingerent, admoneretur. Quæ via diei curſu conficeretur, quatuor ad minus referebat curſores & interdum octo, in ſingulis diverſoriis præſto erant 40. equi cum agaſonibus ſuis & curſoribus, quot res poſceret. Ex illis plures removit Juſtinianus, & eos maximè qui reſpondebant viæ è Calcedonia Diacibizam (vetus eſt Libiſſa ad ſinum Nicomedienſem, ſepulcro Annibalis inclyta). Viciſſim autem idem Imperator conſtituit tabellarios aſinos adequitantes pluribus in locis per Orientem.

Concidit id moris unà cum Imperio; cui relevando adniſus eſt aliquantò Carolus Magnus circa annum 807. ſed ejus conſilia omnia neglectu ſucceſſorum jacuerunt. Primus omnium creditur Ludovicus XI. (d) conſtituiſſe veredariorum curſitationes, ſuis diſpoſitis curſoribus latè per totum Regnum in ſingulas binas leucas. Suis impenſis primus id præſtitit in Germania comes de Taxis, cujus inſignis operis præmium obtinuit ab Imperatore Matthia anno 1616. jure perpetuo ſibi ſuiſque poſteris præfecturam in Tabellarios (e).

Curſores publici conſtituti erant plures per Imperium Mahometanorum nono jam ſeculo (f); quorum alii pedites ibant, alii utebantur equis, omnes mira celeritate juſſiones Regias latè per Imperium referentes. Idem & apud Sinas obtinebat; ſed deſtinabantur tantùm ad deferendas Regis ac Præfectorum juſſiones, uno verbo in uſus publicos & maximi momenti.

VERITAS. Non una eſt veritatis ſignificatio in Scriptura. Primo quidquid opponitur mendacio, errori ac deceptioni veritas eſt. Vetat Deus: *Ne quæras à mortuis veritatem*, *Deut* 18. 11. Pſal. 5. 5. *Non eſt in ore eorum veritas*. S. Paulus 9. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior*.

2. *Veritas* eſt etiam fidelitas, ſinceritas & fides in promiſſis. Eo ſenſu accepta veritas jungitur plerumque miſericordiæ. Gen. 24. 27. Eliezer famulus Abraham Deo agit gratias eo nomine, quod *miſericordiam & veritatem* egerit erga Abraham herum ſuum: *Benedictus Dominus, qui non abſtulit miſericordiam & veritatem ſuam à Domino meo*; bonis ſcilicet illum cumulavit, & in reddendis promiſſis nihil ſibi defuit. *Miſericordia & veritas* deſignare poſſunt conſtantem, ſtabilem, & permanentem miſericordiam. Benedictus ſit Dominus, qui largitionibus non interruptis favit domino atque hero meo Abraham.

Loquendi phraſes illæ recurrunt frequentiſſimè in Scriptura Gen. 24. 49. *Si facitis miſericordiam & veritatem cum Domino meo, indicate mihi* Gen. 47. 29. Jacob ad Joſeph filium ſuum: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo facies mihi miſericordiam & veritatem, ut ſepelias me in Ægypto*: hanc mecum gratiam inibis, ut ſpondeas, & reipſa exequaris quod promiſiſti. In Joſue 24. 14. exploratores Iſraelitæ fidem ſuam obligant Rahab, ſacturos ſe in illam *miſericordiam & veritatem*; datam fidem religioſiſſimè exſoluturos. In 2. Reg. 2. 6. David renunciari mandat civibus Jabes Galaad, ſperarent ſibi à Deo *miſericordiam & veritatem* de officio ſepulturæ impenſo Sauli, qua de re benevolum ſe Davidem ipſum experturos, ſcirent. Iſtæ tandem loquendi phraſes paſſim per Scripturam occurrentes exprimere poſſunt, pro meo captu, Deum gratiis ſuis & largitionibus cumulaturum illos, quibus pollicetur *miſericordiam ſuam & veritatem*; cumulaturum autem favore conſtanti & perpetuo.

Sunt quibus Deus aliqua ſpondeat, ſed promiſſiones haſce ſuas conditionibus quibuſdam adſtringit; aliis beneficum ſe præſtat, ſed munere veluti temporario; præveniuntur alii largitionibus Dei, ſed perſeverantia finali deſtituuntur. Larga Deus promiſit Iſraelitis; ſed ea conditione, puta ſi dictu maneant fideles. Præmium contulit in Saulem, ſed non perpetuum & ſtabile; in Salomonem plura cumulavit; quæ tamen num coronaverit dono perſeverantiæ, incertum.

His omnibus Deus impendit miſericordiam, ſed non veritatem. Viciſſim autem magnifica largitione utraque Meſſiam donavit. De ſe ipſo David Pſ. 39. 12. *Miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.* Pſ. 56. 4 *Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam; eripuit animam meam de medio catulorum leonum.* De Meſſia Pſ. 88. 34. *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea &c*

A' Septuaginta vertitur plerumque *juſtitia* Hebræum *Cheſed*, quod in Vulgata eſt *miſericordia*. Benedictus ſit Dominus, qui non amovit juſtitiam ſuam & miſericordiam ſuam à Domino meo; ſed hic & alibi non ſemel miſericordia & juſtitia etjam in Hebræo ſynonyma ſunt.

Rogat Dominum Iſaias 4. *Reg.* 20. 19. *Iſai.* 39. 8. *Sit pax & veritas in diebus meis*; vel juxta Hebræum: *Erit pax & veritas in vita mea?* Spondere mihi poſſum tandiu retenturum Deum flagellum, quandiu vixero? Pax & veritas exprimunt pacem conſtantem ac perſeverantem. Gemina fermè legas Jeremiæ 33. 6. *Revelabo illis deprecationem pacis & veritatis*; pacem ſcilicet validam ad impetrandam pacem & veritatem, ſeu pacem fixam & ſtabilem; vel aliter: Id tandem concedam ut fruantur ſolida illa voluptate, ad quam ſuſpirant. *Deprecatione pacis*; i.e. *pacem quam enixè precantur* Zacharias 8. 19. pacem quam anxiè precantur; referuntur hæc ad dicta ſup. ℣. 16. *Veritatem & judicium pacis judicate*; vitam agite pacificam & erga fratres veſtros æquam. Judices & Magiſtratus jus dicant inferioribus in veritate & equitate,

(a) D'Herbelot Bibliot. Orient. p. 287. col. 1. (b) Plutarch. lib. de fortun. Alex.
(c) Sueton. in Auguſt. (d) ~~Bergier. Hiſt. Viar. Regiar. Tract. de Orig. Veredor. D. de la Neville Pariſiis 1708.~~ Bergier Hiſt. des grands chemins de l'Empire, & Traité de l'origine des Poſtes par Me. de la Neville, à Paris. 1708.
(e) Ludovicus Hornik, Tract. de origine Veredarior. (f) Renaudot, notæ in Iter duorum Arabum ad Sinas p. 193.

te, quietos illos teneant; vel potiùs *judicium veritatis & pacis* erit judicium quo procuratur populis pax & conſtans felicitas. Vel tandem judicium *veritatis & pacis* poſitum eſt pro *judicium verum & perfectum*. Hebræum *Schalom*, quod eſt *pax*, deſignat etiam perfectionem.

Jeſus Chriſtus de ſe: *Ego ſum via, veritas & vita* Joan. 14. 6. & in 1. S. Joannis 5. 6. *Quoniam Chriſtus eſt veritas*. Ipſe eſt verbum *plenum gratiæ & veritatis* Joan. 1. 14. Eo largiture *gratia & veritas facta eſt. Ibid.* 17. Ipſe demiſit ad Apoſtolos *Spiritum veritatis, qui à patre procedit* Joan. 15. 26.

Verbum veritatis, via veritatis, ſcientia veritatis, ambulare in veritate, loqui in veritate, teſtimonium reddere veritati, apud Authures ſacrus novi Teſtamenti deſignant veritatem Evangelii & Dogmatum religionis Chriſtianæ.

Docet Pſalmiſta miſericordiam Domini ad Cælos uſque protendi, & veritatem uſque ad nubes *Pſal.* 35. 6. & 56. 31. nempe longè lateque per univerſas creaturas extendi atque diffundi. In Pſ. 84. 11 12. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculata ſunt; veritas de terra orta eſt, & juſtitia de Cælo proſpexit*. Deſcribit hic Pſalmiſta prono quidem ſenſu florentem regionis Judææ ſtatum; ſublimiori verò felicitatem Eccleſiæ poſt adventum Meſſiæ. Hic autem miſericordia & juſtitia, pax & veritas perinde haberi poſſunt ac ſynonima. Offeret ſe in Juda regnantem miſericordia & veritas, juſtitia & pax, conſtans & ſtabilis miſericordia, omnibus abſoluta numeris juſtitia. Conſtat utique juſtitiam poni interdum loco clementiæ, benignitatis, miſericordiæ.

In Pſ. 88. relevat David non uno conceptu fidelitatem Dei in præſtandis promiſſis, nempe ejus veritatem; eſt autem carmen euchariſticum pro largitionibus Dei in domum David. Fœcunda ideis mens Prophetæ viginti varios conceptus illi ſuppeditat relevandi miſericordiam Dei & promiſſionum ipſius efficaciam. ℣. 1. *Miſericordias Domini in æternum cantabo, & veritatem tuam in generationem & generationem*. ℣. 3. *Ejus miſericordia ædificabitur in Cælis*, ubi locavit *veritatem ſuam*. ℣. 6. *Veritatem ejus* narrabit *Eccleſia Sanctorum*. ℣. 9. *Potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo*; undique ambiris miſericordia ℣. 14. Juſtitia & æquitas firma ſunt baſis ejus throni. ℣. 16. Miſericordia & veritas præcedunt faciem ejus. ℣. 24. *Ejus veritas & miſericordia* nunquam à latere Davidis recedent. Variis hiſce phraſibus unum illud tantùm inculcatur; nempe miſericordia præveniens & ſpondens, ac veritas implens.)

VERONICA. Vulgari traditione receptum eſt, Jeſu Chriſto Calvarium ſubeunti fœminam nomine Veronicam, ſeu fortè Berenicem occurriſſe, quæ linteum afferens, vultus ſudorem detergebat; in linteo vero Salvaturis imago prodigio ſtatim expreſſa eſt. Hæc Jeſu Chriſti eſt imago, quæ vulgò *Sancti Vultus*, ſeu *Veronicæ* nomine celebratur. Romæ, Jeroſolymæ, & Giennæ, in Hiſpania haſce ſibi imagines vindicant; facilè tamen omnes ex uno, eodemque exemplari pictæ ſunt. Recentiores aliqui in Catalogo Sanctorum Veronicam recenſent ad 4. Februarii; ejus tamen nomen, quamvis Romæ diem obiiſſe feratur, ubi ejus corpus adhuc colitur, in Martyrologio Romano nuſpiam apparet. Plura ad eam rem ex Methodio quodam refert Marianus Scotus, qui exeunte undecimo ſæculo ſcribebat. Hunc Methodium alii cum Epiſcopo Tyri viro Sancto confundunt; alii verò recentiorem credunt. Illud tamen conſtat, plures in ea hiſtoria fabulas narrari; atque nomen Sanctæ Veronicæ tota antiquitate uſque ad decimum ſæculum latuit. Non deſunt, qui ex nomine *Veraicon*, Veronicam fœminam creaturam fuiſſe ſuſpicentur. Vide Bulland. ad 4. Febr. Tillem. not. 33. ſur. J. C.

(VERSIONES Scripturæ. Veteris Teſtamenti Libri ſerò nimis in extraneas tranſlati linguas vulgati ſunt. Nihil antiquius habuerunt ſemper Hebræi, quam ut quæ erant genti decora atque nullis aliis commune privilegium ſoli conſervarent, depoſitum nempe Oraculorum Propheticorum ac rerum Divinarum ſibi retinerent ſoli, nec communicarent aliis; ultrò etiam continebant ſe intra fines regionis ſuæ, quam omnium eximiam arbitrabantur, & quanto minus poterant, ab ea longiùs referebant pedem; ac tandem contenti rebus ſuis, ſermone, legibus, contemnebant commercia cum exteris & ſtudia reliqua ſcientiarum prophanarum. Quod poſtremum Joſepho Hiſtorico docente ſcimus (a).

Ut Libros ſuos Græcis literis traderent, nonniſi ſerò poſt Regnum ſucceſſorum Alexandri Magni operam dare cœperunt. Ante hac enim diſpergerentur licèt per Mediam, Aſſyriam, Chaldæam, nunquam tamen id cogitarunt, ut ſacros Libros alienis mandarent literis; quæ erat regionum propinquitas, quæ affinitas inter linguas illas cum Hebraica, ſeu potiùs quæ cura fuit ſervandi patrium ſermonem in medio exterarum gentium, id effecit, ut non ſentirent neceſſitatem verſionis Librorum Hebraicorum. Satis habitum eſt ſi viva voce exponerentur iis, qui ab Hebræo deſueverant; qua uſus eſt cautione Eſdras poſt ſolutam captivitatem ejuſque viri exemplum retinuerunt ſucceſſores illius in munere legendi atque interpretandi Legem populo. Ex his paraphraſibus vel interpretationibus Chaldaicis nullæ ſcriptis mandatæ ſunt, niſi circa ætatem Jeſu Chriſti, cùm ſcilicet Onkelos & Jonathan *Targum* uterque ſuum digeſſerunt. Videſis eorum titulos.

Sed poſt victorias Alexandri Magni, cùm Judæi per totum latè vaſtum ejus Imperium diffuſi eſſent, & vernaculus Græcorum ſermo, qui ſuperiora per univerſas illas Provincias ita obtinuit ut vulgaris undique redderetur, nihil referret ſimilitudinis cum Hebraico, Judæorum plures eam ſibi neceſſitatem impoſitam ſenſerunt, ut quandoquidem à patrio ſermone deſueviſſent, Græcam ſacrorum Librorum verſionem procurarent. Ea de cauſa procuſa eſt Verſio, quam vocant, Septuaginta, cujus & criticam & hiſtoriam dedimus V. *Septuaginta Interpretes*. Priorem illam conſecutæ ſunt Verſiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, de quibus ſingulis in ſuis articulis.

Verſiones cæteras Scripturæ, qua veteris qua novi Teſtamenti, Latinas, Syriacas, Arabicas & vernaculis per Europam, Aſiam, Africam literis traditas, habemus plerumque opera Chriſtianorum adornatas. Porrò illi alio planè quàm Judæi, ſpiritu nihil ſtuduerunt magis, quàm ut veritates ſalutis omnibus per urbem hominibus adprobarent, atque id efficerent, ut Legis & Evangelii lumen affulgeret omnibus. Ne de variis Scripturæ Verſionibus peculiarius hic agamus, id jubet quòd argumenti genus illud jam occupaverimus v. *Biblia*.)

VERSUS. Non deſunt, qui Hebræorum carmina ſuis numeris adſtricta fuiſſe, quemadmodum & Græcorum, & Latinorum, crediderint. Alii tamen ryrhmicam Poeſim numeris adſtrictam, alii ſolutam, & vagantem Poeſim habuiſſe malunt; totam autem carminum elegantiam in eo ſitam fuiſſe credunt, ſi audacioribus quibuſdam ideis, & phraſibus, certa quadam harmonia deſinentibus uterentur (b). Vide *Poeſis*.

VESPASIANUS, cui in Judæos expeditio à Nerone commiſſa eſt (c). Ille tunc temporis cum Imperatore in Achaja verſabatur; ſtatimque copias ad tantum bellum ſuſcipiendum idoneas comparare aggreſſus eſt. Tandem in Provinciam an. 67. veniens, in Galilæam primùm copias duxit; brevique Gadaram,

(a) Joſeph. contra Appion. l. 2. p. 1038. 1039.
(b) Vide noſt. Diſſert. de Poeſ. Hebr. ante comment. in Exod.
(c) A. Ær. 66. Suet. in Veſp. c. 4. Tacit. hiſt. l. 5. Joſeph. de Bello l. 3. c. 1.

Digitized by Google

ſam, & nequicquam à Joſepho propugnatam Jotapatam cepit. Regreſſus deinde Prolemaidem, ac demum Cæſaream, exercitum ibidem uſque ad opportunum tempus detinuit. Reſumpto igitur opportunè bello, poſt captam Tiberiadem, Tarichæam, & Gamalam, totam tandem Galilæam ſubegit. Sequenti anno Ch. 68. obſidionem Jerololymæ moliens, opportuna circum loca occupare ſibi ſtatuit.

Inter hæc an. 68. Nerone obeunte, Galba ad Imperium evectus eſt; quod tamen, altero anno ſublatus, ſtatim dimiſit. Aſſumptus deinde Vitellius, qui Coloniæ verſabatur; aſſumptus & Otho Romæ degens; ſed Othone Bebriacenſi pugna victo, atque rei deſperatione nece ſibi illata, die 15. Aprilis, A. 69. ſoli Vitellio octo menſium Imperium manſit. Inter hæc, ab exercitu Alexandriæ detento Veſpaſianus Imperator ſalutatus eſt die 1. Julii ejuſdem anni, quorum exemplum tertia die menſis ipſius exercitus Cæſareæ ſecutus eſt. Statim igitur toto Oriente ad Veſpaſianum redacto, brevi Occidens ferè univerſus pares illi honores detulit. Quare arduis Imperii rebus in Italiam accitus Veſpaſianus, totum ejus belli pondus in Titum filium ſuum tranſtulit; à quo tandem urbs expugnata eſt, an. Ær. 70. Chr. 73. Vitellius igitur Romam cum exercitu circa medium Julii A. 69 venit; atque legiones Illyrici Veſpaſiani partibus faventes, ſub Antonio Primo duce, commiſſa cum exercitu Vitelii pugna, duplici victoria ad Cremonam illum fregerunt. Vitellius die 20. Decembris occiſus eſt, & Veſpaſianus poſt aliquod temporis Romam rediit. Poſt domitam Judæam, everſamque Jeroſolymam, Titus ad patrem an. 71. Romam ſe conferens, unà cum illo de Judæis triumphavit (a). Imperator omnem devictam regionem vendidit (b); Coloniam miſit ad Emmaus, quam deinde Nicopolim appellavit; ſic tandem Judæos tributo medii ſicli, quod antea Templo ſolverant, Capitolio pendendo viritim ſubdidit (c). Tandem viros omnes è genere Davidis ſedulò conquiſitos, ad ſe produci juſſit, ut exterminarentur (d). Quamquam autem ejus juſſionibus diligentiſſimè pareretur, illuſtre tamen genus, eo etiam invito, manſit. Hæc de geſtis ejus Principis, quæ ad inſtitutum noſtrum conducerent, referenda erant. Obiit 69 annis 7. menſibus, & totidem diebus natus, poſt exactos in regno 10. annos, ſex diebus minus. Succeſſorem habuit Titum.

VESPERTILLIO, avis impura, ad avem & murem accedens; corpore enim mus, alis autem avis eſt; nec alas pennis inſtructas, ſed pelle quadam obductas gerit. Vox Hebræa *hatalaph*, quam plerumque Interpretes veſpertillionem reddunt, de *hirundine* Rabbini explicant. Genus eſt veſpertilliooum in Oriente, quod ſale conditum ad cibum ſervatur.

(Veſpertilio avis eſt nulla opera cicuranda, alitur autem muſcis, inſectis, rebuſque pinguibus, uti candelis, oleo, adipe. Noctu tantùm prodit, nec nocte etiam niſi ſerena & tepenti. Africani atque Æthiopes caudam referunt oblongam muricæ perſimilem, porrectam ultra alas & membranam. E veſpertilionibus quidam aures gerunt quatuor, quidam binas tantùm. Nunquam nidificant, ſed pullos ſuos pariunt in ſorulis ſive in hiatu tecti vel ſolarii ſuperioris domorum. Nigri ſunt quidam, albi, flavi, cinerei. Pullos alit fœmella porrectis uberibus, & cùm eot deſerere cogitur, ut cibum ſibi quærat, ex ubere amotos ſuſpenſos illos relinquit parieti, cui inhærentes perſeverant. Fama eſt veſpertiliones Sinarum magnitudine æquare pullos gallinaceos, quibus nec delicato ſapore concedunt. Braſilienſes, Madagaſcarii, & Maldivarum magnitudine æquant corvos, & rictu ſunt perſimili lacertis: ſuſpendunt ſe arboribus inhærentes ungulis, quibus armantur ad nodos alarum, atque conſopitorum hominum per noctem exſurgunt ſanguinem è primo, cui fortè inciderint, nudo ejus membro.)

VESTES. Omnes Hebræorum veſtes tunica erant, eorum lingua *chetonet*, & pallium, nempe *mehil*. Tunica pro ſubucula utebantur, cui pallium impoſitum. Hoc veſtium par Scriptura nuncupat *mutatorias veſtes*, ſive *mutatoria veſtium*, quæ ſcilicet veſtes à Naamano Syro munus ad Eliſeum Prophetam delatæ ſunt. 4. *Reg.* 5. 15. Tunica plerumque linea, pallio verò panneo induebantur. Cùm autem rude oblongumque panni fruſtum, ne ſciſſione quidem reformatum, pallium conſtitueret, aliud idcirco pretioſius, atque diligenti cuſtodia ſervatum apud illos erat; nec rarò muneris loco amicis dabatur. Veſtium ritus idem ſemper, quantùm ſcimus, apud Hebræos manſit; quamquam in ea re morem regionis, ubi verſabantur, ſervabant. Albus, ſive purpureus color, cœteris apud illos præſtabant: quare commodis ſuis ſtudentes hortatur Salomon: *Eccls.* 9. 8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Nec niſi candidas veſtes eumdem Regem, omnium ſine controverſia magnificentiſſimum, adhibuiſſe Joſephus eſt author. *Antiq. l.* 8. *c.* 2. Is etiam veſtium color Angelis familiaris fuit, candentique nive veſtes Jeſu Chriſti in transfiguratione micabant. Albæ tandem Sacerdotibus tunicæ à Moyſe præſcriptæ ſunt.

Joſeph in Scriptura amictus inducitur *tunica paſſim*. *Gen.* 37. 3. quemadmodum & de Thamar filia Davidis ibidem memoriæ proditum eſt 2. *Reg.* 13. 18. quid autem eo nomine deſignetur, non ſatis inter Interpretes convenit. Alii enim dictum explicant de veſte ſtragulata; alii de polymita; alii de manicata. Arabes planè tunica utuntur, manicis prolixis inſtructa, initio quidem ad humerum ſtrictioribus, ad extremitatem verò ita hiantibus, ut quandoque ad terram uſque pertingant. Domi ſe continentes, ſtragulatam tunicam fluere ſinunt; domo tamen exeuntes, ne longior veſtis impedimento ſit, ſive fluentem reducunt, ſive cingulo adſtrictam coercent.

De peplo, ſive pallio, quo fœminæ palam procedentes, vultum obducebant, egimus v. *Theriſthrum*. Cæterum Iſaias 3. 16. *&c.* uſque ad 25. cultum muliebrem omnem fuſiùs proſequitur; quem tamen ſingillatim exponendum non duximus, cùm nomina Hebræa, quibus Propheta utitur, plerumque Interpretes lateant. Vide *Interpp. in hoc caput*.

Interdum tunicæ inconſutiles erant, textrino opere elaboratæ, unico tantùm in ſuperioribus hiatu capiti inſerendo patentes. Hiſce Sacerdotes in Templo uſos credimus; *Exod.* 28. 32. nec alio facilè artificio contexta erat tunica Chriſti, *Jo:* 19. 23. quam integram milites ſortitò inter ſe compararunt. S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Theophanes autumarunt, duas ejus tunicæ partes ex lana ſeorſim ſingulas contextas, ac deinde, ſimilis materiæ filo ſimul junctas fuiſſe, eodem planè, quo chirotecæ apud nos, artificio. Alii tandem reticulato, ac perpetuo opere acu textam malunt. Vide tamen noſtrum Comment. in *Jo:* 19. 23. (e), ubi textrino opere elaboratas oſtendimus; cujus generis etiam hodie in Oriente obtinent.

Ex Veteri traditione ferunt, SS. Virginem filii tunicam manu ſua elaboraſſe. Vide *Euthym. in Jo:* 19. Solebant enim fœminæ olim veſtimenta ſua, ſibi, filiis, & conjugi intexere, uti ex elogio Salomonis de muliere forti, *Prov.* 31. 13. & exemplo Reginæ Pene-

(a) Joſeph. de Bello l. 7. c. 16.
(b) De Bello l. 7. c. 27.
(c) Dio. l. 66. Vide Orig. ad Afric.
(d) Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 12. ex Hegeſippo.
(e) Vide etiam Braun. de Veſtitu Sacerd. Hebr. l. 2. c. 16.

Penelopes, uxoris Ulyſſis, conſtat. Alexander Magnus, Auguſtus, & Carolus Magnus veſtes materna, uxoria, ſive filiarum manu contextas gerebant. Vulgari autem traditione ferunt, ipſiſſima manu Virginis intextam tunicam, quæ puero olim facta, una cum illo creſcens nunquam uſu deterebatur; ipſiſſimam, inquam, militibus ſortitò obtigiſſe. Sed huic traditioni nulla antiquitas ſuffragatur. Tunica Domini in Eccleſia Metropolitana Trevirenſi hodie religioſo cultu ſervari fertur; quæ in Prioratu Argentolii prope Pariſios non tunica eſt, ſed pallium purpureum.

Moyſis teſtimonio intelligimus, Judæorum veſtes, dum in deſerto erant, nunquam uſu detritas fuiſſe: *Deut.* 8. 4. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, & quadrageſimus annus eſt.* Verba illa ad literam intelligentes S. Juſtinus Dialog. cum Tryphone, & Interpretes nonnulli (a), cum Rabbinis autumant, non veſtibus tantùm intactis iter feciſſe Iſraelitas; ſed, quod mirum eſt, puerorum veſtes, ætate augebantur. Quin & majora prodit S. Hieronymus ep. 38. nov. Edit. *Fruſtra tonſores, & artificia didicerunt, ſcientes Iſraelitarum populum per quadraginta annos, nec unguium, nec capillorum incrementa ſenſiſſe.* Alii tamen aliter conſultò ſentientes Moyſis verba ita interpretantur, quaſi ſcilicet Deus Judæorum neceſſitatibus ita providerit, ut nunquam populo veſtimenta deeſſent (b).

Iſraelitis à cæteris gentibus diſtinguendis, juſſerat Deus, ad quatuor palliorum angulos vittas quaſdam hiacynthinas adjungere, uti & in veſtium laciniis fimbriam. Has fimbrias neque Jeſum Chriſtum reſpuiſſe ex Hemoroiſſa diſcimus; intrà ſe enim ita reputabat: *Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.* *Matth.* 9. 21. Proliſioribus autem utebantur Phariſæi, quippe qui religionem ſuprà cæteros oſtentabant: *Magnificant fimbrias.* *Matth.* 23. 5. Quin & in argumentum auſterioris diſciplinæ, ſpinis quibuſdam inter fimbrias inſertis, earum aculeo inter procedendum pedes offenſi, jugem Divinæ Legis memoriam excitabant (c). Noſtræ ætatis Judæi, quò Divinæ Legis juſſionibus deferant, quibus cavetur, ne veſte lana ſimul, & lino texta induantur (d), ab ejus generis veſtibus religioſiſſimè abſtinent. Veſtes etiam inter ſe viros, & mulieres commutare apud illos nefas, Lege præcipiente: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea.* *Deut.* 22. 5. Ab anſulis verò, & fimbriis, quarum religio ad viros tantùm pertinebat, ne ludibrium ſibi apud cæteras gentes creent, exteriùs quidem abſtinent; latenter tamen ſub veſtibus quadrati cujuſdam panni fruſtum recondunt, à quo quatuor anſulæ, ſive *zizit*, pendent. Porrò anſulæ illæ octo lanæ ſtaminibus data opera ad colum ductis conſtant: ſingulis autem quinque nodi anſæ medietatem decurtantes adjecti; quod autem reliquum eſt, ſolutis ſtaminibus fluens, anſam perficit. Orationi vero in Synagoga inſtantes, velo laneo, nomine *thaled*, ſuis anſulis ad quatuor angulos inſtructo utuntur. Vide *Taled*.

(Vetat Moyſes Deut. 22. 5. ne Hebræi larvati veſtibus prodeant; ne ſcilicet vir muliebriter veletur, ne fœmina viriliter. Qua cautione præmonire illos voluit Legiſlator Hebræus adversùs abuſus è larvata illa veſtium geſtatione ſubrepentes. Mulier viriliter induta non ſatis in officio continebitur pudore, qui peculiare eſt ſexus illius frænum, nec pariter vir muliebriter indutus metu aliquo probri retinebitur, ne inſinuet ſeſe in loca unde pudore & metu arceretur. Quæ legum neceſſitas ſimul & ſapientia magis magiſque commendatur è moribus Orientalium, apud quos obtinet ut fœminæ nunquam ea aſſignata ſibi ædium parte pedem efferant, eo verò ingredi extraneis quibuſdam nefas eſt. Scitum eſt inter omnes quantam ſibi invidiam conflaverit Clodius apud Romanos, qui muliebriter velatus eſt, ut inſinuaret ſeſe inter Matronas Romanas celebrantes Feſtum Bonæ Deæ.

Interpretes nonnulli reputarunt Moyſem eo edicto vetaſſe potiſſimùm Hebræis ſuperſtitioſas illas cæremonias, quibus feſta quædam Numinum Paganorum celebrantur. In ſolemniis Bacchi e. g. viri muliebriter velabantur (e), qui pariter ritus erat Feſtorum Veneris & Martis; in Veneris enim feſtis illis pallas muliebres aſſumebant viri; in altero verò mulieres virilia induebant (f). Moris erat apud Orientales ut viri muliebri indumento Lunæ ſacra operarentur; ſicut & mulieres viciſſim virorum: hoc autem ideo, quòd aſtrum illud ſub nomine Dei ac Deæ, utroque in unum conciliato ſexu, coleretur. Eadem pariter diſciplina obtinebat in ſacris Veneris Cypriæ teſte Servio Æneid. 2.

Malunt alii (g) vetari tantùm à Moyſe fœminis quidem armorum uſum, viris fœminarum munia; quaſi ſcilicet inſinuaret nolle ut inter Hebræos occurrerent fœminæ illæ bellicolæ, ut Amazones, & Semiramides; nolle inſuper ut inter milites gliſcerent & fœminæ militares, quibuscum pariter & abuſus plures & ſcelera irreperent in exercitum. Favet huic opinioni Hebræus Textus, & adſtipulatores habet doctos plures Interpretes. Ita enim Hebræus ad literam: *Non erit vas viri ſuper mulierem, neque induet vir veſtimentum muliebre, quia abominatio Domini Dei tui omnis faciens hæc.*

Albericus Gentilis, vir legum conſultiſſimus, reputavit Moyſem ſub iſtis verborum ambagibus velaſſe probrum infame, quod ſi nomine ſuo indicaret, metuebat ne plus nimio in ejus cognitionem hominem induceret. Porrò crimen iſtud regnabat per eam ætatem latè, maximè in Chanaanitide. Quod autem perſuadet Moyſem plus aliquid vetaſſe, quam meram veſtium immutationem, illud eſt nimirum addere illum in Lege hæc præſcrente: *Abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc.*

Immutare veſtes & lavare veſtes ſuas, cæremoniæ erant familiares, ut diſponeret ſe quiſque ad ſanctum aliquid quod puritatem exigeret ſingularem. Jacob aliquantò poſt reditum ſuum è Meſopotamia denunciavit familiaribus ſuis *Geneſ.* 35. 2. ut quos habebant penes ſe Deos alienos, abigerent, immutatiſque veſtibus una ſecum venirent ad ſacrificandum in Bethel. Jubet Moyſes *Exod.* 19. 19. populo ut diſponat ſe recipiendæ Legi Domini ſanctificatione & lotione veſtium: *Sanctifica illos hodie & cras, laventque veſtimenta ſua.* Recurrit id ſæpè in Scriptura.

Scindere veſtes in luctibus mos eſt ſæpiùs in Libris Sacris recurrens. Certior factus Jacob de obitu filii ſui Joſeph à bellua diſcerpti, ſcidit veſtes ſuas, induit cilicium, ac doloris ſui omne reſpuit longioris temporis lenimen *Geneſ.* 37. 34 Vir ille qui ad Heli Summum Sacerdotem in Silo verſantem retulit nuncium de capta Arca Fœderis 1. *Reg* 4 12. venit in conſpectum diſciſſus veſtibus atque capite inſperſus pulvere. Vide *Luctus* vel *Funera* Hebræorum.

Veſtis textu lana & lino Legis ſanctione interdicebatur, *Levit.* 19. 19. *Veſte quæ ex duobus texta eſt non indueris.* Servatur id religiosè hodie pariter à Judæis, caventque pariter ne veſtem laneam ſuant filo lineo, vel lineam laneo (h).

Veſtis

(a) Vide Grot. Bouſrer. Janſen. &c.
(b) Abenezera, Coſm. Monach. l. 5. Vide Eſt. Jun. Druſ. Jo. Cleric. (c) Hieron. in Matth.
(d) Levit. 19. 19. Deut. 22. 11. Vide Leo Moden de' riti Ebr. p. 1. c. 5.
(e) Lucian. (f) Maimonid. Jul. Firmic. c. 4.
(g) Joſeph. Antiq. l. 4. c. 8. Auguſt. quæſt. 32. Chald. Lyran. Vat. Fag. &c. (h) Leo Modena cærem. Judæor. 1. p. c. 5.

Veſtis nuptialis Matth. 22. 11. Apud gentes æquè omnes poſitia aliqua excultas obtinet, ut quibus diebus nuptiæ vel ſimile aliquod celebrandum eſt, ſplendidioribus veſtibus utantur, ſicuti viciſſim lugubribus induantur in luctibus. Cicero in Vatinium eo nomine virum illum accuſat, quòd lugubri veſte ſeſe obtulerit, dum lætum convivium vel tripudium ageret Q. Arius; cum interim Arius ipſe & cæteri convivæ adeſſent albati. Eſſenii apud Hebræos pura eluti atque albati veſtibus ſimul conveniebant ad capiendos cibos (a). Morali ſenſu veſtis nuptialis eſt charitas, vel bona opera, ſive per gratiam & dona Spiritus Sancti agens.

Veſtis peregrina, de qua Sophonias 1. 8. *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina*; deſignare poteſt ſeu veſtes ſingulares, quas affectabant Hebræi ad imitationem exterorum, quippè qui peregrinos veſtiendi mores adoptarent; non contenti pannis, telis, coloribus, quas regio ſufficeret, aliunde ea ſibi procurarent à Babylonia, Chaldæa, Ægypto, Tyro &c. Reputarunt nonnulli Hebræos, cùm non ſatis haberent transformare ſe in cultus & ſuperſtitiones Idololatrorum, id pariter affectaſſe, ut veſtes illorum adſciſcerent in cæremoniis impiis & ſacrilegis. Malunt alii veſtes haſce peregrinas eas deſignare, quas retinebant apud ſe locupletes, pignus traditum ab egenis, quas veſtes iniquè & contra expreſſam Legis ſanctionem ſibi vindicabant; jubet enim Lex, *Exodi* 26. 27. reddi egenis veſtem ſtatim ac nox ſubierit.

Veſtis ſtragulata, quam ſibi paravit mulier fortis, in Hebræo *mabardim Proverb.* 22. 26. deſignat potiùs lectorum ſtragula & culcitras, vel tapete quoddam ad utrumque angulum elevatum ne diffluat.

Veſtis poderis, de qua Sapientiæ 18. 24. Eccleſiaſticus 27. 9. & Apocalypſis 1. 13. eſt ad literam veſtis ad imos uſque pedes prolixa, ut diffluat in terram, veſtis ſolemnis. In Sapientia exprimit pallium Summi Sacerdotis Hebraice appellatum Mehil, contextum è lino cæruleo diluto, cujus infimam oram ornabant alterno ordine tintinnabula aurea & malo granata ex lana hyacinthina, purpura & cocco. In Apocalypſi eſt veſtis prolixa, quam adſtringebat zona aurea, veſtis, inquam, Jeſu Chriſti ſpectandum per viſum ſeſe exhibentis S. Joanni. In Eccleſiaſtico *poderis honoris*, eſt veſtis ſolemnis & ſplendida viris ampliſſimis deſtinata.

In moribus poſitum erat apud Veteres ut veſtes plurimas haberent paratas; cùm enim nulla ſciſſione aptarentur veſtes, valebant illæ indiſcriminatim omnibus. Refertas veſtibus cellas habebant Reges Hebræi 3. *Reg.* 10. 75. 4. *Reg.* 22. 14. & 10. 22.; nec ſemel munera veſtium largiebantur, quòd etiam latè per Orientem & maximè apud Arabes hodie pariter obtinet.

De veſtibus Hebræorum fuſiùs egimus in peculiari Diſſertatione & in Dictionario V. *Veſtes*, quibus hic addimus nonnulla è Leone Modena part. 1. c. 5. Judæi hodie continent ſe è veſtibus intextis ſeu conſutis è duplici ſtamine; ducunt ſibi pariter interdicta veſtium ludibria illa, de quibus nos ſupra. Quin & muliebria omnia aliena reputant à ſe, tanquam in Lege vetita, fucos, inſtrumenta ad evellendos pilos, quemadmodum pariter & mulieres quæ virilia ſunt id generis rejiciunt. Perſuaſum habuiſſe videtur Scriptor ille, Moſaico præcepto *Levit.* 19. 27. interdictum eſſe viris ne barbam radant, metu ſcilicet, ne imberbi vultu muliebre aliquid præferant.

Ad rationem veſtium quod attinet, non ultrò illi quidem conformant ſe moribus cæterorum, ſed coacti, ne deridiculò traducantur; attondere vel in coronam parare comam veritum ſibi ducunt, nec permiſſum pariter floccum crinium gerere more Turcarum; ſed ubique amant veſtes prolixas vel tunicas. Fœminæ ritus veſtiendi admittunt familiares in regione, excepta nuptiarum die qua tegunt comam fictitio quodam capillamento imitante naturales crines in eum tamen conformatum ritum, qui in loco regnat; ſed curam ſuam in eo ponunt omnem ne comam ſuam exteriùs revelent.

Viri apud Judæos illiberale putant capite eſſe intecto, qua in re officio ſe deeſſe credunt, adeoque nec in Synagogis ſuis id admittunt. E Dorico more id retinetur apud illos. Nihilo tamen ſeciùs cùm apud Chriſtianos ſiquis inter eundum inciderit in principem aliquem virum detecto capite illi obſequium exhibere ſoleat, id pariter admittunt & Judæi.

Quacumque induantur veſte in illa aſſignandi ſunt quatuor anguli, ſingulis autem addendus funiculus vel floccus, quem appellant *Zizith*. Vide *Zizith* in Dictionario. Valent hæc pro viris, nihil enim de muliebri veſte injunxit Moyſes; ideò fortè quòd fœminas exteriùs prodire nollet. Modò verò ipſi pariter viri, ne ludibrio hominum exponantur, ferunt ſub veſtibus latens fruſtulum panni quadrati, unde pendent quatuor illi flocci, de quibus ſuprà. At in Synagogis dum precantur tegunt ſe velo laneo quadrato, ad cujus quatuor latera totidem dependent flocci. Id veſtis appellant *Taled*. Vide *Taled*.

Res quidem poſceret, ut viri nunquam non præferrent in fronte illa, quæ Scriptura appellat, *Totaphoth*, de quibus nos V. *Frontalia*; metu verò ne maximè ſacrum, uti reputant, ornamentum cachinnis vulgi traducatur, ſatis habent id aſſumere, dum precando inſtant.

Reputant inſuper viri eſſe ingenui, ut veſtes adſtringantur cingulo, vel ſaltem aliquid ferant, quo à portione veſtium inferiori ſuperior diſtinguatur.

VESTES luctuoſæ apud Hebræos erant ſaccus & cilicium, color ater, fuſcus, & ſubniger. Cùm Prophetæ eam vitæ profeſſionem elegiſſent, quæ pœnitudinem præferret, ideò inter veſtes luctuoſas ſelegerant; nec viduæ pariter data proportione alias aſſumebant. Judith nullam non diem habebat eſurialem, exceptis feſtis & Sabbato, ac renes accingebat cilicio Judith. 8. 6. Prophetæ, Elias 4. *Reg.* 1. 7. 8. & S. Joannes Baptiſta *Matth.* 3. 4. pellibus, ſeu pannoſis veſtibus induebantur addita ad renes Zona coriacea. *Melotibus* nempè ovinis, vel caprarum velleribus veſtitos Prophetas exhibet Apoſtolus, *Hebr.* 11. 37. Luctuoſas haſce pœnitudinis veſtes affectabant Pſeudo-Prophetæ, ut imponerent incautis: *Non operientur pallio ſaccino, ut mentiantur*, ait Zacharias 13. 4. Noſtra ætate Judæi, teſte Leone Modena *par.* 5. *cap.* 9. in luctibus morem regionis ſequuntur, ſpontè tamen & nullo Legis imperio jubente.

An Veteres Hebræi duplicarent veſtes ſuas, ambigitur. Meminit Scriptura non ſemel veſtium duplicium. Oblata eſt Michæ decem monetarum argenti quotannis, & *veſtis duplicis merces Judic.* 17. 10. Giezi poſtulat à Naaman talentum argenteum, & *veſtes mutatorias duplices* 4. *Reg.* 5. 22. Mulieris fortis domeſtici omnes *veſtiti ſunt duplicibus*, *Prov.* 31. 21. Sed phraſibus hiſce inſinuari poſſent veſtes mutatoriæ, ſeu par veſtium tunicæ & pallia duo, vel tantùm una tunica cum pallio, veſtis completa; vel etiam fortè ampla adeò veſtis ut replicaretur. Agnoſcamus tamen oportet illud *duplex*, cum de veſtibus agitur, uſurpari interdum pro veſte reipſa vel duplicata. Parari jubet Moyſes rationale vel pectorale Summi-Sacerdotis *quadrangulum & duplex*. *Exod.* 28. 16. & 29. 9.

Nihil familiarius occurrit in Oriente, quàm induſia abſoluta & completa, manicis etiam ſuis non deſtituta ad textrinam elaborata. Fama eſt in Inſulis Maldivis (b) textrinam exercentes artifices eò induſtriæ deveniſſe, ut ſtupa Cocos conficiant induſia integra, qualia jam innuimus; & alicubi etiam

ſpectare

(a) Joſeph. l. 16. de bello Jud. c. 12.
(b) Iter duorum Arab. ad Sin. nono ſæculo, Pariſiis anno 1718. in 8. pag. 2.

Digitized by Google

ſpectare licet veſtes è goſſypio artificii planè ſingularis, ut nullibi ſimiles (a). Sunt autem plerumque rotundæ & exquiſiti adeò operis, ut ne aciculam admittens ſorulum patiantur.

S. Tunica, quæ Treviris aſſervatur, inconſutili opere fabricata, longa eſt 5. pedibus ſemidigito minus (b); dimetitur ab una manicarum ora ad extremam alteram 5. pedes, digitos quatuor; è manicis ſingulæ porriguntur ſemipede; ſunt autem pede latæ. Cùm autem veſtis illa arctior ſit infra manicas, tum inferiùs ſenſim dilatetur; infra manicas illas latitudinis habet tantùm duos pedes cum tribus pollicibus. Hæ veſtis illius menſuræ.

VETUS. Vetus Teſtamentum ideò dicimus, ut à novo diſtinguamus. Moyſes egit Miniſtrum Veteris Teſtamenti & vetuſtatis literæ; *Hebr.* 9. 19. 20. Jeſus Chriſtus viciſſim mediator eſt Novi Teſtamenti, ſeu novi Fœderis non litera ſed in ſpiritu conſenti.

VETUS HOMO. *Vetus Adam Rom.* 6. 6. eſt morali ſenſu quidquid in nobis gerimus naturæ corruptæ cruci ſuffigendum cum Jeſu Chriſto: *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati.* Coloſſ. 3. 9. Monet Apoſtolus alibi ut exuamus veterem hominem cum actibus ſuis, induamuſque novum, qui per cognitionem innovetur in imaginem ejus qui illum creavit. Ad Epheſ. 4. 22. hortatur pariter, ut deponamus veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.

Vetus fermentum eſt concupiſcentia & propenſio ad exequenda literalia mandata & cæremonias Legis. Injungit Apoſtolus 1. *Cor.* 5. 8. ne celebremus Paſcha *in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Eo pariter ſpectavit Jeſus Chriſtus *Luc.* 5. 37. cùm diceret neminem vinum novum imponere in utris vetuſtis, ne ſerveſcens vinum illud utres diſrumpat.

Anna mater Samuelis 1. *Reg.* 2. 3. canit: *Recedant vetera de ore veſtro.* Vetera illa ſterilitatis probra, quæ impingebatis mihi.

Poma nova, & vetera ſibi invicem è veſtigio ſuccedentia, de quibus in Cantico 7. 13. & in Levitico 25. 2. & 26. 10. uberem fructuum copiam exprimunt; tot vobis ſufficient arva, ut recondendis novis abiicere cogamini vetera.)

VIA. Hæc vox ſenſu morali uſurpata 1. vitæ rationem deſignat. Ita illud: *Dirigite vias veſtras:* Viæ impiorum perverſæ ſunt: Cognovit Dominus viam juſtorum &c. 2. *Via* eſt Lex Domini. Sequi viam Domini: derelinquere viam Domini; Domine deduc me in via tua &c. 3. *Via* ſunt mores, & actiones: *Omnis caro corruperat viam ſuam;* Via omnis carnis; *Gen.* 19. 31. nempe hominum mores; Viæ filiorum Adam. *Jerem.* 32. 4. *Via* Domini, eſt ejus in deducendis hominibus providentia. *Sicut exaltatur Cælum à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris. Iſa.* 55. 9. *Dominus poſſedit me (Sapientiam) in initio viarum ſuarum. Prov.* 8. 22. Quis vias ejus novit? Omnes viæ Domini miſericordia, & veritas &c. *Pſal.* 24. 10. Paſſim etiam ſimiles loquendi formulæ in Sacra Scriptura occurrunt, via pacis juſtitiæ, iniquitatis, veritatis, & tenebrarum. *Ingredi viam univerſæ carnis,* eſt mori, & ſepeliri. *Joſue* 23. 14.

(*Via dura* deſignat ſæpè agendi rationem impiorum, viam iniquitatis. *Non dimiſerunt viam duriſſimam, per quam ambulare conſueverant. Judic.* 2. 19. Queruntur impii Sapien. 5. 7. *Ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus;* & Eccli. 32. 25. *Ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* Contrario etiam ſenſu viæ Dei, & viæ pietatis duræ & ipſæ pariter interdum, anguſtæ & difficiles, quà inventu, quà decurrendo appellantur. Pſal. 16. 4. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras;* eam ſervavi cautionem tanquam hominis gradientis inter præcipitia. Jeſus Chriſtus *Matth.* 7. 14. *Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.*

Via vitæ. Pſal. 15. 11. *Notas mihi feciſti vias vitæ;* voluntates tuas, præcepta tua, *quæ faciens homo vivet in eis; Levit.* 18. 15. quæ nempè morigero homini dant vitam; vita ſcilicet diuturnior promiſſa eſt obſervantibus Legem. Jeſus Chriſtus in Reſurrectione ſua aperuit nobis viam vitæ ad id uſque ignotam mortalibus. Eodem ſenſu Sapiens, *Provv.* 6. 23. *Mandatum lucerna eſt, & Lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ:* increpatio viri ſapientis ſunt via vitæ, ad vitam ſcilicet deducunt diuturnam, & felicem vitam conferunt. Magnificis hiſce promiſſionibus utraque Veteris Teſtamenti pagina referta eſt; ſed viri Sancti, mentis oculos majori lumine illuſtratos defigunt ad intimiorem aliam vitam. Vide etiam Provv. 10. 17. *Via vitæ cuſtodienti diſciplinam.*

Via eſt etiam ratio, qua aliquid præſtatur, & ad nos uſque deducitur. Job 38. 19. 24. 25. *Indica, ſi noſti, in qua via lux habitet, & intelligas ſemitas domus ejus. Per quam viam ſpargitur lux; quis dedit viam ſonantis tonitrui?* Fatetur Sapiens *Provv.* 30. 19. 20. tria maximè ardua ſibi occurrere in terra, & quartum penitùs ignorare: *Viam aquilæ in Cælo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia;* ſive ut Hebræus in adoleſcentula. Eccleſiaſticus 11. 5. *Ignoras quæ ſit via ſpiritus;* id eſt *Venti.*

Non ſemel in Scriptura occurrit avertere nos Deum de viis ſuis: *Errare nos feciſti, Domine, de viis tuis, induraſti cor noſtrum ne timeremus te Iſai* 63. 17. Pſal. 43. 17. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Hæc autem eò tendunt, Deum ſcilicet permittere deteriores hominum mores, quos utique prohibere valuiſſet, ſi id poſcerent juſtitiæ ſuæ & miſericordiæ leges; & niſi pariter homines iniquitate ſua & pervicacia in malum reſiſterent gratiis & miſericordiæ ad eis opitulandum accurrentibus. Nunquam Deus obdurat impium inſpirandum illi iniquitatem, ſed denegata illi tantùm miſericordia.

Phariſæi ſubmiſſis Diſcipulis ſuis ita Jeſum Chriſtum affantur *Matth.* 22. 16. *Magiſter, ſcimus quia viam Dei in veritate doces;* i. e. ſanam Religionis doctrinam exponis, ut nihil homines cures. *Parate viam Domino; Marc.* 1. 3. mentes & ſpiritus veſtros diſponite ad excipiendum Jeſum Chriſtum ejuſque doctrinam. Eſſe ſe dicit Jeſus Chriſtus, *Joan.* 14. 6. *viam, veritatem, & vitam;* indicat enim Cæli viam, atque ipſum ſe tradit abſolutiſſimum perfectionis exemplar; veritas eſt eſſentialis, & omnis veritatis fons & origo; vita tandem eſt animæ. S. Paulus Jeruſalem egreſſus eſt, id intendens, *ut ſi quos inveniſſet hujus viæ* (profeſſionis Chriſtianæ) *viros ac mulieres vinctos perduceret in Jeruſalem. Act.* 9. 2. *S. Petrus Epiſt.* 2. 2. *Per quos* (per Hæreticos) *via veritatis blaſphemabitur;* i. e. Chriſtianæ Religionis veritas corrumpetur ab iniquis illis Doctoribus. S. Judas ℣. 11. *In via Cain abierunt;* virum illum pravum imitati ſunt.)

VICIA, herba per terram reptans, pluribus implexa ramulculis, foliis longiuſculis, anguſtis tamen, & lenticulæ minoribus veſtita. Flore eſt minuto, & ſubrubro, interdum albenti. Folliculis ad cicer accedit, quamvis minoribus, & gracilioribus; quibus granum rotundum condit, & ſubnigrum, quo columbæ facilè pingueſcunt.

De vicia ſermo eſt *Iſa.* 28. 25. *Viciam in finibus ſuis;* Hebr. *cuſmeth,* quod alii reddunt *ſpeltam,* alii *Zeam,* frumenti genus. Eadem vox *Ezech.* 4. 9. recurrens, à Septuaginta vertitur *olyra,* quod frumenti genus eſt. Nihil planè obſcurius eſſe in Scripturis, quàm plantarum nomina, tùm alibi ſæpiùs etiam, tum hic animadvertimus.

VI-

(a) Ibid. pag. 21.
(b) Mazen. addit. ad Annal. Brouver. to. 2. pag. 563.

(VICTIMA. Vide *Hoſtia*, *Sacrificia*.

VICTIMÆ HUMANÆ. Vide *Sacrificia*.

VIDENS vel Propheta. Vide *Propheta*.

VIDERE. Non de viſu tantùm oculorum, quo inter res ante nos poſitas diſcernimus, uſurpatur; ſed valet etiam pro intima rerum diſcretione, pro agnitione rerum ſpiritalium, ſicut etiam pro revelatione ſupernaturali rei cujuſdam occultæ, prophetia, viſione, extaſi; quare olim *Videntes* appellabantur, qui deinde *Nabi* vel Prophetæ nuncupati ſunt; ſicut & *prophetia* viſionum nomen obtinent non ſemel: *Viſio Amos*, *Viſio Abdia &c.*

Ad hæc, verbum *videre* ſenſibus omnibus accommodatur; ita *vidiſſe* legimus in Exod 20.18. Iſraelitas voces, tonitrua, & ſonitum buccinæ, & lampadas montemque fumantem; adnotatque S. Auguſtinus Epiſt. 167. nov. Edit. cap. 1. pag. 476. verbum videre ſingulis quinque ſenſibus eſſe commune; *Non enim tantùm dicimus: Vide quid lucet; ſed etiam: Vide quid ſonat, vide quid oleat; vide quid ſapiat; vide quid caleat.*

Videre bonum vel *bona* eſt experimento illa probare: *Credo videre bona Domini in terra viventium Pſ.* 26. 13. ſpero me revocandum à Deo in avitam Judææ regionem, ut vitam degam in proſperitate tranquillam. Job. 7. 7. *Non revertetur oculus meus, ut videat bona*; oculos meos claudam, nec ultra aperiam, nunquam poſthac fruar bonis hujus mundi. Pſal. 4. 6. *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* An ſpes remanet fruendi bonorum aliquid in vita.

Videre faciem Regis; inter domeſticos ejus & familiares admitti. Solemne erat Regibus Perſarum ad majeſtatem ſuſtinendam, difficilem ſubditis ad ſe aditum exhibere, qui & rariùs prodibant in publicum; ſoli inter domeſticos familiariſſimi ad illos admittebantur: *Erant primi & proximi, qui videbant faciem Regis*, ait Eſther 1. 10. 14. Hunc morem ſæpiùs præ oculis habent Sacri Scriptores, cùm ſermo eſt de ſeptem principibus Angelis honoris gratia admiſſis ante conſpectum Domini ut faciem ejus intueantur. Vide Tob. 12. 15. *Ego ſum Raphael Angelus, unus de ſeptem, qui adſtamus ante Dominum.* Vide Apocalypſim 1. 4.)

VIDUA. Viduas, & orphanos ut curent, Deus etiam atque etiam Judæos hortatur (a). Viduas, quæ verè viduæ ſunt, & deſolatæ, ſummo in honore haberi jubet Apoſtolus; 1. *Timoth.* 5. 3. quod tantundem eſt, ac ſi diceret, viduis ſumma cura ab Epiſcopo providendum; hoc enim verbum *honorare* in Scriptura ſæpè deſignat. Viduam repudiatam ducere Summo Sacerdoti in Lege vetitum eſt. *Lev.* 21. 14. Solebant olim in Eccleſia Chriſtiana viduæ, rei familiaris penuria laborantes, Fidelium ſumptibus detineri, quarum propterea catalogum Eccleſiæ ſervabant.

Certæ etiam erant viduæ ſuo munere in Eccleſia fungentes, nempè ægrotantes mulieres inviſendi; cùm Baptiſmo tingendæ eſſent, miniſtrandi; ac tandem quædam, Epiſcopo tamen annuente, præſtandi, quæ viros non decebant. Has viduas ſexaginta annis minores elegendas Apoſtolus non facilè permittit; 1. *Timoth.* 5. 9. addens inſuper univiras eligendas eſſe, atque religioſæ vitæ fama probatas: quæ familiæ ſuæ curam geſſerint, hoſpitalitati ſtuduerint, pedes laverint Sanctorum, ac tandem afflictis fuerint ſolatio. Juvenculas verò viduas à munere abſtinendas monet; quippe quæ, ait, poſt actam delicatiorem in miniſterio Jeſu Chriſti vitam, tandem ad nuptias iterum, quod impium, & criminoſum eſt, ſe convertunt.

Probatiſſimarum tum religionis, tum ſolitudinis tum humilitatis operibus Viduarum exempla plura in Sacra Scriptura exhibentur; uti in Judith, Tabitha, Anna filia Phanuelis, in Matre ſeptem filiorum Machabæorum, & in vidua Sareptana, recepto Elia celebri. Jeſus Chriſtus vitio Phariſæis vertit, quòd viduarum domos exederent *Matth.* 23. 14. *Luc.* 20. 47. quippe qui fœminis credulis, & ſimplicioribus abuterentur, ut vitia ſua & vanas ſuperſtitiones alerent.

(Apud Hebræos vel ante rogatam Legem, Viduæ, quarum nulli erant è defuncto marito liberi, jubebantur nuptas accedere ad fratrem viri illius ſuperſtitem, quò ſcilicet defuncto illi ſuſcitarent filios bonorum hæredes, qui & patrium nomen apud poſteros perennarent. Legis hujus ſervatæ exemplum habemus in Thamar, quæ nupſit primò quidem Her, tum & Onan filiis Juda; *Gen.* 38. 6. &c. quo utroque decedente jungenda erat Selæ tertio Patriarchæ hujus filio.

Lex connubia illa præcipiens in hæc verba concepta eſt, *Deut.* 25. 7. *Quando habitaverint fratres ſimul; & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei Lege debetur, perget mulier ad portam Civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael, nec me in conjugem ſumere. Statimque accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit: Nolo eam uxorem accipere: accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui: Et vocabitur nomen illius in Iſrael, Domus diſcalceati.*

Hujus ferendæ Legis duplex fuit ratio; prima ut in familia avita hæreditas conſervaretur; 2. ut nomen cujuſque viri perennaretur in Iſrael. Porrò inter extrema mala illud habebatur non infimum, ſi quis decederet ſine hæredibus, ut relicta ex illo hæreditas in aliam familiam tranſiret. Quæ minor erat in nuptiis iſtis honeſtas, ut ſcilicet quæ antea fuerat fratris uxor, ad fratrem alterum pertranſiret, hæc penitus negligebatur; quanquam tamen in aliis rerum eventibus, uno hoc excepto, interdictum fuit à Lege *Levit.* 18. 16. Connubium illud nullo ferax fructu perinde fortè habebatur, ceu non conſummatum. Neque ejus Legis ſanctioni ſubdebantur tantùm fratres defuncti, ſed & propinquus quiſque etiam gradu remotior; quod ſatis demonſtrat exemplum Ruth nubentis Booz, recuſatis antea iiſdem nuptiis ab altero propinquiori neceſſario.

Hujus connubii cum leviro argumentum jam exceſſimus verbo *Leviratus*. Porrò omni amota ſolemnitate virtute tantùm Legis præcipientis matrimonium illud celebrabatur. Mos tamen obtinuerat, ut id fieret ſaltem coram duobus teſtibus, & ſponſus moneta aliqua argentea donaret ſponſam, addita; eſt & benedictio nuptialis atque inſtrumentum pro aſſerenda dote mulieris. Judæi poſt captivitatem Babylonicam, juxta Faginm, vel tantùm poſt vaſtationem ſecundi Templi, juxta alios, legem hanc ideò abrogarunt, quòd inter familias & hæreditatea confuſa eſſent omnia.

Viduitas perinde ac ſterilitas probro erant & opprobrio apud Iſraelitas. Iſaias 54. 4. *Confuſionis adoleſcentiæ tuæ* (in ſterilitate & cælibatu exactæ) *oblivisceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.* Reputabatur enim mulier proba atque integri nominis nunquam deſtituenda eſſe marito, quem ſibi adſciſceret, ſive è familia prioris viri defuncti, ſi abſque liberis deceſſiſſet, ſive aliunde, ſi liberos è priori connubio retuliſſet. Æquè tamen verum eſt laudes obtinuiſſe ſuas Viduam, quæ ducta prioris viri amore, ſecundis nuptiis recuſatis, eligebat in luctu

(a) Exod. 22. 22. Deut. 10. 18. & 14. 29. & paſſim.

luctu & viduitate dies agere, ut de Judith memoriæ proditum eſt.

Inter extrema etiam mala, quæ homini acciderent, illud reputabatur, ſi funus haberet ſiccum à lacrymis viduæ uxoris; i. e. ſi privaretur honore ſolemnis ſepulturæ, cujus portio erant non infima viduæ uxoris ploratus, & laudes. Impius ejuſque filii decedent, ait Jobus 27. 15., *Et viduæ illius non plorabunt*. Agens Pſalmus 87. 64. de interitu Ophni & Phinees, inter mala illud maximum recenſet, funus illorum non ploraſſe viduas uxores: *Viduæ eorum non plorabantur*; ſeu potiùs juxta Hebræum: *Non plorabant*.

Relictæ è defunctis Regibus uxores nunquam deponebant viduitatem. Adonias capitis ſupplicio luit delictum poſtulatæ in uxorem Abiſag Sunamitis Davidi antea nuptæ, quamquam connubio non conſummato 3. *Reg.* 2. 13. 14. 15.. Recludebantur in Aula ad obitum uſque retinendæ concubinæ Regis David, quibus Abſalom abuſus fuerat 2. *Reg.* 20. 3.

VIGILES. Id nominis non ſemel Angelis tributum eſt: *Vigil & Sanctus de Cælo deſcendit*, ait Daniel 4. 10. & infra ℣. 14. *In ſententia Vigilum decretum eſt*. Chaldæum *Hir*, vel *Ir*, quod redditum eſt *Vigilet* non immeritò reputaretur, ait S. Hieronymus in Danielem, originem dediſſe ſuam nomini *Iris*, quo Deorum nuncii appellati ſunt. Vigiles hoſce vel Angelos concipiebant Chaldæi ceu Judicum conſeſſum aliquem de ſorte hominum decidentem. Hæc eorum opinio ſe prodit ex verbis illis ℣. 14. *In ſententia Vigilum decretum eſt*, *& ſermo Sanctorum & petitio*, Sancti & Vigiles hîc unum idemque ſunt. Septuaginta in Theodot. *cap.* 4. 14. legerunt *Hirim*, *Vigiles*, pro *Hiverim*, cæci, quæ hodie lectio eſt in noſtris Exemplaribus. Agit non ſemel de *Egregoris*, ſeu Vigilibus Liber apocryphus Enoch; agnoſcuntque Syri claſſem aliquam Angelorum Egregorum in Cælo. Ab Egregoris aſcitæ ſunt in torum filiæ hominum, cujus connubii fructus prodierunt Gigantes Antediluviani.)

VINDICTA. Majoribus criminibus evitandis, vindicta aliquando in V. T. permittebatur. Ita illud. *Exod.* 21. 24. *Dentem pro dente*, *oculum pro oculo*. Permiſſum etiam, vel potiùs toleratum, ut propinqui viri occiſi de homicida ulciſcerentur: *Num.* 35. 56. *Propinquus occiſi*, *ſtatim ut invenerit eum*, *jugulabit*. Si quis autem ſciens prudenſque hominem peremiſſet, ille ad urbes aſyli fortè confugiens, inde per vim abſtractus, propinquis occiſi tradebatur: *Mittent Seniores civitatis illius*, *& arripient eum de loco effugii*, *tradentque in manu proximi*, *cujus ſanguis effuſus eſt*, *& morietur*. *Deut.* 19. 12. Porrò neceſſarios necem viri ſibi neceſſitate conjuncti non ulciſci probroſum ſibi, atque criminoſum ducebant: hi autem necis ultores, *Goel*, ſive *Redemptores* apud Judæos appellabantur.

Porrò hæc Judæis permiſſa ſunt ad duritiam cordis eorum, ut Jeſus Chriſtus occaſione divortii ſatis expreſſit. Deus enim ſibi vindictam omnem reſervari altè edixerat: *Mea eſt ultio*, *& ego retribuam*. *Deut.* 32. 35. Omne etiam in adverſarios odium ea lata juſſione præcidit: *Levit.* 19. 17. 18. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo* ... *non quæras ultionem*, *nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Quare cum talionis legem indicit, non ultioni fomitem præſtat, ait S. Auguſtinus cont. Fauſt. l. 19. c. 25. ſed limitem furoris præſcribit. *Non ut id quod ſopitum erat hinc accenderetur*; *ſed ne id quod ardebat*, *ultra extenderetur*.

Dies Ultionis, interdum eſt dies judicii, cùm Dominus de hoſtibus ſuis exiget ultionem; interdum verò eſt ultio ipſa, cui Dominus adverſarios ſuos, cùm ad ſummum iniquitatis pervenerint, ſubjicit. Vide *Exod.* 32. 34. *Iſa.* 34. 8. *&* 61. 2. *&* 63. 4. *Luc.* 21. 22.

Vindicta plerumque Hebræo nomine, quòd ſolamen ſonat, exprimitur; quod S. Hieronymus aliquando quidem nomine ultionis reddit; aliquando verò nomen ſolatii, & conſolationis ad vindictam exprimendam in Textu relinquit. Ita illud: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis*: *Iſa.* 1. 24. *Deus conſolabitur in nobis*, *quemadmodum in proteſtatione Cantici*, *declaravit Moyſes*: *Et in ſervis ſuis conſolabitur*. 2. *Mach.* 7. 6. *Vias ejus vidi*... *& reddidi conſolationes ipſi*. *Iſa.* 57. 18. Sed frequentiora in Hebræo exempla occurrunt.

VINDEX, ſive *ultor ſanguinis*, quo nomine apud Judæos ille deſignatur, penès quem exigendæ de nece proximi ſui ultionis jus eſt. Si quis imprudens hominem peremerit, ait Lex, in urbem aſyli confugiens, *liberabitur de ultoris manu*. *Num.* 35. 25. 27. *Cumque ultor Sanguinis eum fuerit perſecutus*; *non tradent in manu ejus*.

Rex Ultor, ſive *defenſor*, apud Oſee 5. 13. & 10. 6. eſt, uti facilè credimus, Phul Rex Aſſyriæ, qui Manahem Regi Iſraelis ſuppetias tulit. 4. *Reg.* 15. 19.

VINEÆ, *vites*. Frequentes erant & inſtructiſſimæ in Palæſtina vineæ, inter quas vineæ Sorec, Sebama, Jazer, Abel, in Scriptura celebrantur. Vinum etiam Gazæ, Sareptæ, Libani, Saronis, Aſcalonis, & Tyri apud prophanos Scriptores laudatiſſima ſunt. Coripp. l. 3.

... Dulcia Bacchi

Munera, *quæ Sarepta ferax*, *quæ Gaza crearat*.

Jacob in benedictione Judæ oraculo pronunciavit futurum, ut aſinam ſuam vineæ, & pullum ſepi ejuſdem vineæ alligaret *Gen.* 49. 11. Sponſa in Canticis Dilectum ſuum comparat botro Cypri in vineis Engaddi. *Cant.* 1. 13. Porrò Cyprus arbuſcula eſt, odoris racemis celebratiſſima; potiſſimùm quæ in Engaddi provenit. V. *Copher*, & *Cyprus*; quare vineæ Engaddi non vitibus florent, ſed arbuſculis Cypri. Ibidem etiam arbuſculæ balſami coluntur, quæ inter vitium ordines recenſeri meritò poſſunt.

Noe ſtatim poſt diluvium, vineas ipſe & ſevit, & coluit. *Gen.* 9. 20. Sunt qui vinum Patriarchas ante diluvium non latuiſſe credant; & poſt inductam ſibi ebrietatem Noemum, non ſecus ac antea vineas coluiſſe; verùm plerique PP. credunt, vim illam hujus liquoris prorſus ignoraſſe, cùm vini bibendi uſus nuſpiam ante illum cœpiſſet (a). Noe enim primus liquorem ex uvis exprimens, in vinum redegit; cùm antea uvis nonniſi in cibum, quemadmodum cæteris fructibus, Patriarchæ uſi fuiſſent.

Populum ſuum Deus non rarò vineæ comparat, quam ex Ægypti ſolo in Palæſtina, cultiſſima regione, ſevit: fruſtra tamen, cùm pro dulcibus uvis, racemos amaros & agreſtia protuliſſet (b). Hanc vineam Jeſus Chriſtus vinitoribus locavit, ut de fructu ſingulis annis reſponderent; qui tamen non fructus modò denegarunt, ſed & miſſos ad urgendam ſolutionem famulos, atque tandem filium ipſum, illos malè excepere, hunc occiderunt. Alibi verò ipſe Chriſtus in ſermone ad diſcipulos, ait: *Jo.* 15. 1. *Ego ſum vitis vera*, *& Pater meus agricola eſt*. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum*, *purgabit eum*, *ut fructum plus afferat*, *&c.*

Vinearum poſſeſſoribus Moſaica Lege interdictum erat, ne ante quintum annum a ſata primùm vinea, fructus comederent. *Deut.* 20. 6. *Lev.* 19. 24. 25. Septimo quoque anno pariter à vineis abſtinendum, atque ſponte provenientes uvæ, pauperum, orphanorum, & advenarum uſibus cedebant. *Lev.* 25. 3. Uvas è vineis ſecùs viam ſatis, colligere in cibum tranſeuntes permittebantur, dummodo tamen extra eum locum collectos racemos non detuliſſent. *Deut.* 23. 14. Lege etiam illud cautum fuit: *Non ſeres vineam tuam altero ſemine*. *Deut.* 22. 9.

(VINEA, *vitis*. *Vinea Sylveſtris*, de qua 4. Reg. 4. 39. ſarmentum eſt ferens colocynthidem. Vide *Colocynthis*.

(a) Hieron. l. 1. cont. Jovin. Chryſoſt. hom. 29. in Geneſ. Theodoret. q. 56. Baſil. de Jejun. hom. 1. Ambr. de Noe, & Arca c. 29. (b) Pſal. 79. Iſa. 5. 1. &c. Jerem. 2. 21. Ezech. 17. Joel. 1. 7. Mach. 20. 1.

VINEÆ SODOMORUM, de quibus Moyſes, *Deut.* 32. 32. Vinea eſt è Sodomitica quadam planta conſita, ferax uvis tantùm amaris & nullius uſus, cujus eſt vinum perindè noxium ac fel draconum, & amari adeo botri ac fel: *Fel draconum vinum eorum.... Uva eorum uva fellis & botri amariſſimi.* Fructus omnes provenientes in ſolo juxta Mare mortuum ſub externa fructus ſpecie recondunt intùs faniem & pulverem (a). *Cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra, & inania velut in cinerem vaneſcunt.*

VINEA NABOT abiit in proverbium, deſignans hæreditatem, quam vir aliquis potens ita invadit, ut defendere rem ſuam miſer & imbecillior herus non valeat. Videſis ejus rei hiſtoriam 3. Reg. 21. 1. &c.

Ut felis rerum ſtatus, & profundæ pacis tranquillum exprimatur, hæc interdum phraſis adhibita eſt, *Habitabat quiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua*, 3. *Reg.* 4. 25. Id autem beatæ quietis otium commendavit Regnum Salomonis: *Habitabat Juda, & Iſrael abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan uſque Berſabee.* Michæas 4. 4. *Concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones; non ſumet gens adverſus gentes gladium, & non diſcent ultra belligerare, & ſedebit vir ſubtus vitem ſuam & ſubtus ficum ſuam.* In primo Macchabæorum 14. 8. &c. ita depingitur tranquillitas Imperii ſub Simeone Summo Pontifice: *Unuſquiſque colebat terram ſuam cum pace, & terra Judæ dabat fructus ſuos, & ligna camporum fructum ſuum. Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant; & juvenes induebant ſe gloriam & ſtolas belli. Fecit pacem ſuper terram, & lætatus eſt Iſrael lætitia magna, & ſedit unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua, & non erat qui eos terreret.*

VINDEMIA. De vindemiis Hebræorum diſtulimus huculque ſermonem. Porrò vindemiarum dies agebantur læti conviviis, & tripudiis. Iſaiæ 25. 6. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc* (monte Sion) *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Hebræus ad literam: *Faciet Dominus convivium pinguium, convivium fæcium, pinguium medullarum, fæcium colatarum.* Idem capite 16. 10. *Auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit, neque jubilabit.* (Hebræum *Carmelus* ſonat *vineam eximiam*). *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare conſueverat, vocem calcantium abſtuli.* Jeremias 48. 33. *Ablata eſt lætitia & exultatio de Carmelo* (de vineis) *& de terra Moab* (vineis conſita), *& vinum de torcularibus ſubſtuli; nequaquam calcator uvæ ſolitum celeuma cantabit.* Hebræus ad literam: *Nequaquam calcabitur uva & qui clamat Hedad non clamabit ultra Hedad, Hedad.* Voces ſunt iſtæ ſeu clamores vindemiantium, ex quo formatum eſt *Heth* & *de Heth*, quæ loquendi phraſis perinde valet ac alacriter.

Per tropum & figuram *vindemiare* eſt vaſtare ſolum, internecino bello ſævire; quæ phraſis eſt familiaris Prophetis ad exprimendam ultionem Domini in adverſarios. Pſalmus 79. 13. Plantaſti, Domine populum tuum ceu vineam; & hodie *Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Jeruſalem luget apud Jeremiam, *Thren.* 1. 12. *Vindemiavit me, ſicut locutus eſt Dominus, in die furoris ſui.* Tum addit: *Vindemia eos, Domine, ſicut vindemiaſti me propter omnes iniquitates meas.* Agens Iſaias 63. 2. de Triumphatore quodam, redeuntem ab expeditione ſua veſtes adhuc cruore hoſtium reſperſas ferentem ita depingit: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Bozra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.* Vide etiam Jerem. Thren. 1. 15. Apoc. 14. 20. & 15.)

VINUM. Veterum pleriſque ea fuit ſententia, ut ignotum ante diluvium vinum Noe primus & invenerit, & vulgaverit. Si enim, inquiunt, vinum ante diluvium innotuiſſet, Abel planè libamina obtuliſſet Domino; & Noe ab immodica potatione caviſſet. Aliis tamen contraria ſedet opinio; neque enim jucundiſſimi, & utiliſſimi liquoris uſum Adamum latuiſſe ſibi unquam perſuadent. Jeſus Chriſtus tradit, primos homines *edentes*, & *bibentes* diluvium corripuiſſe; *Matth.* 24. 38. bibere autem nonniſi de vini potatione uſurpatur. Nec tamen proinde ebrietas vitio Noemo verteretur; quamvis enim meri vim non ignoraſſet, non tamen ſe adeò largiùs vinum ingurgitaſſe crediderat, ut in ebrietatem adduceretur.

Vineas eſſe in Palæſtina excultiſſimas ſuprà v. *Vinea* animadvertimus; quas adeò frequentes in ſorte Juda futuras Jacob Patriarcha prævidit, ut in ejus benedictione, hæc adderet: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Gen.* 49. Vinnius toto miniſterii in Tabernaculo, & in Altari tempore, Sacerdotibus interdicebatur. *Lev.* 10. 9. Interdicebatur & Nazaræis; *Num.* 6. 3. illiſque omnibus, ſicuti & cæteris, quibus à vino cavendum erat, omnes pariter meracei liquores ſub nomine *ſiceræ* in Vulgata expreſſi, inhibebantur. Rechabitæ *Jerem.* 35. 2. toto vitæ ſuæ tempore, juxta traditas ſibi à Rechab ſectæ authore regulas, à vino continebantur.

In luctu, & in mœrore agentibus vinum aſſundebatur; *Prov.* 31. 4. *Noli Regibus dare vinum; quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo. Bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ.* Ultimo ſupplicio damnatis vinum, cæterique meracei liquores miſcebantur, quò pœnarum horror, & ſenſus hebetaretur, juxta Rabbinorum doctrinam (b). Piæ enim quædam fœminæ, inquiunt, Jeroſolymis erant, quæ conditum aliquod aromatibus vinum miſcebant, ut retundendi doloris vis liquori augeretur. Hebræus legit: *Date ſiceram pereuntibus.* Porrò conditum illud vinum oblatum fuiſſe Chriſto mox in crucem agendo creditur: *Marc.* 15. 23. *Dederunt ei bibere myrrhatum vinum.* Illud autem quod felle mixtum ad ipſum delatum eſt, alterum fuiſſe, nec niſi poſtquam in ſupplicio pependerit, oblatum ferunt: *Matth.* 27. 24. *Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.* Hæc duo vina unum, idemque fuiſſe alii ſuſpicantur; cùm autem, inquiunt, S. Matthæus Syriaca voce *marrah*, quæ ſonat *amarorem*, ſive *fel*, aut *myrrham*, uſus fuerit, Græcus Interpres facilè fel vertit: S. tamen Marcus ejuſdem vocis vagam ſignificationem ad *myrrham* determinavit. Vide Interpp. in Matth. 27. 24 De vino myrrha condito laudatiſſimo, & ſuaviſſimo prophanos Authores legas (c); quamquam ego liquorem Jeſu Chriſto exhibitum alterum planè ab iſto ſuaviſſimo crediderim; cùm oraculum implendum eſſet: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Pſal.* 68. 26.

Nulla erant Domino oblata ſacrificia, quibus certæ libationes vini non adjungerentur. *Exod.* 29. 40. *Deut.* 15. 5. 7. Deferebantur autem apud Hebræos vina in utribus, ſive pelliceis culeis inſutis. Recepto apud ſacros Authores ſtylo, vinum, ſive calix eſt ſæpe ira, ſive furor Dei: *Potaſti nos vino compunctionis*; *Pſal.* 69. 3. ad literam, *vino facit*, ſeu *vino horroris*, nempe doloris. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto; & bibent omnes peccatores terræ; Pſ.* 74. 9.

Domi

(a) Tacit. Hiſt. l. 5. Vide Juſeph. de Bell. l. 5. Solin. c. 44.
(b) Tract. Sanhedrin. (c) Vide Plin. l. 14. c. 13. Columell. l. 12. c. 38.

Dominus ad Jeremiam 25. 15. *Sume*, ait, *calicem vini furoris hujus de manu mea; & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te*.

Delicatiſſimi vini genus ad nundinas Tyrias delatum Ezechiel 27. 18. commemorat; quod in Vulgata nomine *vini pinguis*, in Hebræo, *vini chelbon* exprimitur. *Porrò chalibonium vinum* apud Veteres celebratiſſimum eſt, quod in agro Damaſceno conſitæ in eam rem à Perſis vites ferebant, ait Poſſidius apud Athenæum (a). Nullum aliud vinum Reges Perſarum bibiſſe ea eodem authore intelligimus.

De vino Libani ſermo eſt *Oſee* 14. 8. *Memoriale ejus ſicut vinum Libani*: Olim quidem vina Libani in montis dorſo ſoli expoſito plurimùm celebrabantur. Laudatur & vinum Biblium. Neque hodie uſque vina Libani minimi fieri Gabriel Sionita teſtatur. Verùm aliqui vinum Libani ibidem tantundem ſonare credunt, ac *vinum odoram* (b); nempe vinum, thure, & aromatibus conditum, pro more inter Hebræos receptiſſimo. Hinc in Canticis 8. 2. *vinum conditum* legitur; & apud Authorem Sapientiæ 2. 7. *Impleamus nos vino pretioſo* (nempe aromatibus condito, uti facilè credimus) *& unguentis*. Nectar etiam vini conditi genus erat; cùm *nectar* Hebraicè ſonet, ſuavi odore perfundi.

Cùm Palæſtinæ vina generoſiſſima eſſent, ideò more receptum fuit, ut aqua diluerentur: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Prov.* 9. 5. *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. Pſal.* 64. 9. Sacerdotes Belis ad Regem Babyloniæ dicebant: *Tu, Rex, pone eſcas, & vinum miſce*. Dan. 14. 10. *In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum. Apoc.* 18. 6. Fulgentius *Mythol. l.* 2. tradit, Sarepianum vinum adeò generoſum fuiſſe, ut inſignes etiam potatores integro mente vix ſextario hauriendo pares fuiſſent: porrò ſextarius pintam Pariſienſem circiter referebat (c). Convivas autem ſingulos in cœna duobus ſextariis hauriendis commodè pares fuiſſe apud Veteres receptum erat.

(De vino admixto felle, ac myrrhato aliquid attigimus in Dictionario. Sed rei dignitas poſtulat, ut hoc argumenti genus commodiùs hic tractetur. Vexavit illud Thomas Bartholinus, congeſtiſque ab illo addemus aliqua. Legimus in Evangeliſtis tria diſtincta pocula oblata Jeſu Chriſto in Paſſione ſua. S. Matthæus 27. 33. narrat Chriſtum cùm veniſſet ad Calvariam poculum habuiſſe ſibi oblatum vini cum felle mixti, & *cùm guſtaſſet noluit bibere*. Eadem referens S. Marcus 15. 23. oblatum illi dicit *vinum myrrhatum*, oblatumque recuſaſſe. Idem S. Matthæus 27. 48. refert, pariter, Jeſum Chriſtum Cruci jam ſuffixum, poſtquam ad Deum clamaſſet, voce illa ſua excitaſſe militem, qui ſtatim *accurrens ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere*. De poſtremo hoc poculo actum eſt v. *Acetum*, convenitque inter omnes aliam eſſe utique potionem à prioribus illis. Totus igitur diſputationis cardo in eo verſatur, an vinum illud felle mixtum, ac vinum, de quo S. Matthæus, idem ſit ac vinum myrrhatum, de quo S. Marcus.

Textus S. Matthæi in Græcis nonnullis exemplaribus præfert oblatum fuiſſe Chriſto *acetum cum felle mixtum* (d). Sed plures optimi manuſcripti Codices cum Vulgata legunt *vinum*, quemadmodum & recurrit in S. Marco, & apud veteres plures quà Græcos, quà Latinos. Certò autem conſtat acetum ex vino parari, & vinum itidem & acetum in eandem claſſem referri. Vide Barthol. de vino myrrhat. § 2.

Ad conciliandum utrumque Evangeliſtam reputatus eſt (e) S. Matthæus ſcripſiſſe oblatum fuiſſe Jeſu Chriſto vinum cum felle, quem fellis amarum ſaporem expreſſiſſe S. Marcum verbo *Myrrha*, quæ inter amara omnia eſt amariſſima. Maluerunt alii ſcriptum Hebraicè Evangelium à S. Matthæo prætuliſſe vocem *Roſch*, quod eſt venenum, amarities; amaritudinis autem cauſam aſſignaſſe S. Marcum myrrha expreſſa: verùm Græcum S. Matthæi Interpretem ratum vocem originalis ſonare fel, Græcis vocibus fel ipſum expreſſiſſe.

Perſuadentur nonnulli duas haſce potiones alio, & alio tempore oblatas fuiſſe; religioſas enim fœminas, quæ comitem illum ſecutæ ſunt, myrrhæ poculum illi paraſſe, ut ſenſum doloris hebetarent; fel verò poculo illi addidiſſe milites (f). Hæc per conjecturam tantùm dicta ſunt. Quod probabiliſſimum reputamus illud eſt, fel S. Matthæi, & myrrham S. Marci unum idemque deſignare, nempe amariſſimum aliquod medicamen. Vide Thomam Bartholinum de vino myrrhato §. 5.

Quod attinet ad vinum myrrhatum S. Marci, notum fuiſſe conſtat apud Veteres vinum, quod appellabant *murinum*, dulcem admodum & delicatum liquorem: *Murina genus potionis, quæ Græcè dicitur Nectar. Hoc mulieres vocabant muriolum, quidam murratum vinum*, ait Feſtus. Sed alius utique erat liquor Jeſu Chriſto oblatus, cum S. Matthæus ſeu alius vetus Interpres dictum ejus exponat de vino amaro cum fellis mixtura. Vinum myrrhinum eſt illud, cui infundebatur myrrha, quod aromatis genus vino addebant Veteres, ſeu ut validiùs redderent, ſeu ut à corruptione ſervarent diutiùs (g), ſeu tandem ut celerius ad mortem urgerent ſontes, quibus vinum illud affundebatur, ſi quæ fides Maimonidi, Kimchi, & Fagio.

Malunt alii id præſtitiſſe vino myrrham (h), quòd mero illi thos, ſtuporem enim quemdam induebat membris ceu ebrietatem, è ſtatu mentis avertebat; atque ita doloris ſenſus hebetabatur. Conſtat utique potione vini affuſo thure ebrietatem olim induci conſueviſſe elephantibus & ſtuporem, ut aſpectum ſanguinis tolerarent immoti, cujus rei exempla ſuppetunt in tertio Macchabæorum. Vir quidam in Apuleio *Metamorphoſeon* l. 8. *Seſe multimodis conculcat ictibus, myrrha contra præſuntione munitar*. Item Metamorphoſeon l. 10. *Sed obfirmatur myrrha præſuntione nullis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubait igni*. Eo fortè conſilio oblatum eſt vinum myrrhatum Domino, quæ genuina eſt fortè mens SS. Matthæi & Marci. Vide etiam quæ contulimus v. *Fel*.

VINUM COMPUNCTIONIS, de quo in Pſalmo 59. 5. deſignare poteſt calicem iræ Dei, quo impii omnes inebriantur; vel juxta Hebræum calicem vini turbidi, & non defœcati. Minitatur Deus coactūrum ſe viros ſceleſtos, ut exhauriant calicem ſuum uſque ad fæces, uſque ad extremam guttam; *Pſ.* 74. 9. 10. reddi etiam poteſt Hebræus *vinum tremoris*, vinum inferens mortem, quod veneno inficit, hebetat. Septuaginta: *vini vellicantis ſeu pungentis intime*, quod torquet & cruciat viſcera. Aquila vinum *ſtuporis*; Symmachus *vinum agitationis*.

VINUM PALMARUM quod *ſiceram* appellat Vulgata *Deut.* 14. 26. & paſſim, exprimiturque e palmarum ſucco, familiare eſt in Oriente.

VINUM LIBAMINUM *Deut.* 32. 38. *Eſth.* 14. 17. merum eſt exquiſitiſſimum, quod ſuper victimas Templi Domini affundebatur: ſeu potiùs vinum merum; neque enim ad libamina aptum erat vinum dilutum.

Comedunt impii *panem impietatis, & vinum iniquitatis* bibunt *Prov.* 4. 17.; i. e. aluntur rebus malè partis, vel abutuntur donis ac largitionibus Dei, quem offendunt pravo uſu rerum ad vitam neceſſariarum.

(a) Athen. Dipnoſoph. l. 1. Vide & Strab. l. 15. & Plut. de fortuna Alex.
(b) Vide Hieron. & Sanct. in Oſee 14.　(c) Vide Budæ. de Aſſe l. c. 5.
(d) Matth. 27. 33. Ita Syr. Orig. Hieron.　(e) Vide S. Aug. l. 3. de Conſenſ. Evang. c. 2.
(f) Vide Bed. Strabum in Matth. 27.　(g) Act. Tet. 4. ſerm. 41. c. 123.
(h) S. Hieron. in Matth. 27. R. Ichaſin. 114. 2. in tit. Sanhedr.

Vinum rectum, de quo in Cantico Canticorum 1. 3. & 7. 9. & Prov. 33. 31. vinum eſt exquiſitum & optimum. S. Hieronymus reddidit Hebræum *Prov.* 23. 31. *Vinum quod ingreditur blandè*, pro eo quod habet Textus *vinum rectitudinum*. Scitè id expreſſit Horatius l. 1. ep. 13.

.... *Generoſum & lene requiro,*
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animumque meum ....

VINUM THURIS, cujus meminit Oſee 14. 8. ſub nomine vini Libani; Hebræum enim *Lebanon* ſonat æquè Libanum & thus; eſt vinum unguentatum, ſeu vinum affuſis aromatibus gratum ſpirans. Id autem affundebatur ſontibus, ut doloris ſenſus omnis in illis hebetaretur; eodem pariter inebriati ſunt elephantes Ptolemæi Philopatoris, quò audaciùs pedibus ſuis proculcarent Judæos Ægypti.

Convivium vini illud eſt, in quo vina largiùs ſuppetunt. Vide Eccli. 31. 14. & 32. 7. & 49. 2. Vel etiam deſignat convivium ſolemne cum invitatis; neque enim vinum in domeſticis conviviis erat familiare. Vide etiam Iſaiæ 22. 13. *Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*. Capite 24. 9. 11. *Cum Cantico non bibent vinum ...... clamor erit ſuper vino in plateis &c.*

Oſee 9. 2. *Vinum mentietur eis*; vinum deerit; neque enim ſufficietur à vineis.

Vinum damnatorum bibent, Amos 2. 8. Accipiendum eſt id de vino quod affundebatur reis morti damnatis, de quo nos ſupra, & de quo pariter in Proverbiis 31. 6. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo*. Meminit Diodorus Siculus *lib.* 1. vini cujuſdam Dioſpoli in Ægypto inventi, quo & triſtitia animorum depellebatur, ac compeſcebatur furor. Artem parandi *nepenthe*, quo malorum omnium inducebatur oblivio, in Ægypto didiciſſe Helenam teſtis eſt Homerus *Odyſſ. D.* Sed commodè Textus ille Amos: *Vinum damnatorum bibent*, hoc alio ſenſu exponeretur; largiori ingurgitantur vino, impenſis eorum, quos injuſte damnarunt. Septuaginta: *Vinum de calumniis bibebant*. Chaldæus: *Vinum rapina*.

VINUM GERMINANS VIRGINES. Hebræus: *Vinum dans eloquentiam virginibus Zach.* 9. 17.; quod eloquium illis ſeu fœcunditatem indit. Audaciam illis inſpirat, facundiam, enthuſiaſmo quodam ſancto replet ut prorumpant in carmina laudum. Dictum id exponitur de donis Spiritus Sancti in Fideles collatis die Pentecoſtes, vel de effectibus SS. Euchariſtiæ.

VINUM NOVUM, quod in utres veteres nunquam immitti notat Evangelium *Matth.* 2. 17. *Mar.* 2. 22. *Luc.* 5. 37., nihil innuit aliud, quàm Spiritum Sanctum, quo redundaturi erant Apoſtoli poſt Domini Aſcenſionem.

Dolia lignea pro more noſtratum nulla adhuc norant veteres Judæi; quare vina ſervabant in lacubus, data opera effoſſis ac probe cæmentatis, tamquam ciſternis, unde liquor educebatur, committendus amplioribus quibuſdam lagenis ſeu fictilibus, ſeu luteis ſandracatis; cùm vero aliò vinum transferendum eſset, oppletos illos utres imponebant jumentis, vel levabant in humeros hominum, abſque eo quòd confringi vaſa illa & effundi liquorem metuerent. Egimus de hoc argumento fusè in Commentario ad Jeremiam 49. 11. Sunt autem in Scriptura dicendi phraſes plures, quas ægre aſſequeremur, niſi probe inſtructi de moribus illis Veterum.)

VIPERA, anguis nomen, ac ſi diceretur *vivipara*, quippe quæ non ex ovo generet. Brevior eſſe ſolet, nec pollicem craſſitudine excedens, capite compreſſo, & roſtro nonnihil elevato, inſtar ſuis. Mas gemino dente inſtructus eſt; fœmella nigricanti colore diſtinguitur. Ferunt, pullos diſsecto matris utero in lucem prodire; quod tamen experientiæ refragatur. Naſcuntur enim viperæ fœtus pelle quadam obvoluti, quæ ſecunda à partu die ſcinditur. Viperæ venenum pernicioſiſſimum eſt; pluribus autem morbis carnes occurrunt.

De vipera non ſemel in Scriptura: *Occidet eum lingua viperæ* (a). Hebræum tamen *peten* aſpidem potiùs, quàm viperam, ſonare ferunt. In Iſaia etiam viperæ nomen occurrit (b); in Hebræo *ephee*, quod genuinum eſſe viperæ nomen creditur (c) S. Hieronymus *in Iſa.* 59. 5. *ephee* reddit *Baſiliſcum*, regulum. Eadem apud LXX. legas.

VIRGA, quo nomine interdum arborum rami deſignantur, ut in illo: *Tollens Jacob virgas populeas: Gen.* 30. 37. interdum ſcipionem denotat; *Virgam hanc ſume in manu tua*; *Exod.* 4. 17. ſive virgam paſtoritiam; *Levit.* 27. 32. ſive etiam virgam ultionis Dei in homines: *Arguam illum in virga virorum*. 2. Reg. 7. 14. *Auferet à me virgam ſuam*. Job. 9. 34. *Væ Aſſur, Virga furoris mei*. Virga eſt etiam ſceptrum Regale. Aſſuerus ad Eſther *auream virgam tetendit*: Eſth. 4. 11. *Virga æquitatis, virga Regni tui*. *Pſal.* 44. 7. & *Hebr.* 1. 8. Meſſiæ Imperium, ejuſque potentiam, & virtutem deſignat nomen *virga ferrea* juxta illud: *Reges eos in virga ferrea* (d). Virga pariter eſt germen, quod Meſſiæ ortum ex Virgine prodigio Divino fœta portendit: *Conſurget virga de Iſrael, Num.* 24. 17. nempe ſidus ex Jacob, & filius de virgine *Egredietur virga de radice Jeſſe*. *Iſa.* 11. 1. Tandem virga eſt Tribus, ſive populus. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ*. Pſal. 73. 2. *Iſrael virga hæreditatis tuæ*. *Jerem.* 10. 16. Jeremias 1. 11. vidiſſe ſe profitetur *virgam vigilantem*, nempe, juxta Hebræum, ramum, ſeu virgam *amygdalinam*. Porro arbor iſta ſatis præcoces flores emittens, imminentem Judææ Nabuchodonoſoris bellum deſignabat.

(VIRGA Moyſis ipſa eſt virga à Deo manibus ejus commiſſa, ſeu potiùs virga eſt, qua Moyſes utebatur ad dirigendos greges ſuos, eademque pariter uti illum voluit Deus ceu inſtrumento ad prodigia in Ægypto coram Pharaone & populo univerſo patranda. *Quid eſt quod tenes in manu tua?* ait Dominus ad Moyſem, *Exod.* 4. 2. *Reſpondit* (Moyſes): *Virga*. *Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit verſaque eſt in virgam*. Virgam hanc prodigioſam, quæ nec a miraculis per totam vitam ejus Legiſlatoris ceſſavit, ſibi retinuit uſque ad obitum Moyſes; poſthac quid de illa factum ſit, nihil docet Scriptura. Non incongruè, quanquam nullo documento inſtruente reputaremus, unà cum Principatu tranſiſſe pariter & virgam illam ad Joſue. Depoſitam in Arcam tenent Munſulmani, Aaronicam virgam cum Moſaica confundentes.

Virgæ hujus prodigia plura plenis buccis prædicant Rabbini. Hanc Deus primò in uſum Adami creavit, tum hæreditate tranſmiſſa eſt ad Abraham, ex quo ad Patriarcham Joſeph; ab illo verò gratum pro acceptis beneficiis munus habuerunt Reges Ægypti; ſed his furto abſtulit Jethro, dum contuliſſet ſe in Ægypto, ac retulit ad propria. Veniens in patriam implantavit illam in horto ſuo, quæ altè adeò radices miſit, ut nullo conatu avelleretur. Jethro, de virtute illius probè inſtructus, nuptias filiæ ſuæ illi promiſit, qui tantùm robore valeret, ut virgam avelleret. Tentarunt id plures, ſed fruſtrà omnes; uni id Moyſi ſucceſſit, nec difficili conatu, ſtatimque Sephoræ nuptiis potitus eſt. Porrò totum virgæ hujus meritum & virtus ex adſcripto in illa Dei nomine petebatur.

VIRGA vel Caducæus Mercurii ſpiris geminorum anguium obſitus, & quæ de illo mira narrantur, imita-

(a) Job 20. 17. Septuag. γλῶσσα ὄφεως. (b) Iſa. 30. 6. Septuag. Ἀσπίδες.
(c) Vide Bochart. de anim. ſacr. p. 2. l. 3. c. 1. (d) Pſal. 2. 9. Vide & Apoc. 2. 27. & 12. 1. & 19. 15.

Digitized by Google

imitamentum ſunt eorum, quæ de virga Moyſis in anguem translata, ac de prodigiis Deo authore per illam factis prodita ſunt.

VIRGA Aaron baculus eſt, quo Summus Sacerdos uti ſolebat. In ſeditione Core, Dathan, & Abiron turbas cientium in Moyſem & Aaronem juſſus eſt à Deo Moyſes (a) è ſingulis Principibus Tribuum ſingulas virgas accipere, duodecim ſcilicet, cui tertiam decimam adderet virgam Aaronis; virgis autem illis omnibus inſcribenda voluit nomina Principum Tribuum, ſuum ſingulis, ſignificans pariter Deus prodigio ſe in virgis illis demonſtraturum, quam ſibi ad munus Sacerdotii Tribuum ſeligeret. His executioni mandatis, collectarum virgarum faſciculus illatus eſt in Tabernaculum cœtus, ubi Dominus familiariter agere conſueverat cum Moyſe; mane autem alterius diei virgis illis inſpectis ſola inter omnes virga Aaron caliculis, floribus & fructibus amygdalinis veſtitam ſe obtulit.

Omnis doli ſuſpicio ab eo prodigio aberat, ſingulæ enim virgæ ſua habebant adſcripta nomina, familiarem autem Aaronis virgam probè norant omnes; nonniſi prodigio divino fieri poterat, ut brevi unius noctis ſpatio ea rerum tranſmutatio contingeret. Itaque eo prodigio Sacerdotium aſſertum eſt Aaroni & poſteris ejus; cujus rei ut extaret memoria, imperavit Deus Moyſi inferret virgam in Tabernaculum teſtimonii vel cœtus, documentum poſteris æternum.

Reputarunt nonnulli folia ſua & fructus tandiu retinuiſſe illam, quandiu retenta eſt in loco Sancto; nec aliud ſanè expoſcere videbatur conſilium Dei, id ſcilicet intendens, ut rei geſtæ memoria perennaretur, & documentum extaret poſteritati.

Sed nunquid in Arcam fœderis illata eſt, vel tantùm juxta illam depoſita? Jubet Deus tantùm Moyſi ut inferatur ſervanda in Tabernaculum: *Num.* 17. 20. ſed affirmat Apoſtolus, *Hebr.* 9. 4. intus in Arca reconditam fuiſſe unà cum vaſe mannæ & tabulis Legis. Aliis tamen ſuccurrit jacuiſſe illam non intus, ſed ad latus Arcæ, fidem opinioni ſuæ adſtruentes ex 3. Reg. 8. 9. ubi aſſeritur nihil recondi in Arca niſi Tabulas Legis. Sed alii literam Apoſtoli retineri jubent; nihilque prohibet admitti in Arca Aaronicam illam virgam, erat enim Arca 5. pedibus longa, plus ſcilicet quàm opus eſſet ad illam continendam. Habebatur inſuper virga illa è geſto prodigio tanquam ſacrum aliquod. Cùm vero Scriptura perhibet nihil contineri in Arca niſi Tabulas Legis, dictum illud exceptionæ hac admitteretur; olim quidem ab origine nihil aliud continuiſſe & ad hoc unicè deſtinatam fuiſſe Arcam illam, ut reconderet Tabulas; nec tamen hiſce prohibetur, quin ſucceſſu temporis aliquid aliud in illam allatum eſſe reputemus.

Artapanus apud Euſebium, *Præpar. l.* 9. *pag.* 435. tradit virgam Moyſis, qua uſus eſt Aaron tanquam inſtrumento ad prodigia coram Pharaone in Ægypto, tractu dein ſæculorum cultum ſibi conciliaſſe apud Ægyptios, quibus authoribus conſtituta in Templo Iſidis aras habebat & obſequia. Fama eſt hodie pariter inter ſacras reliquias ſervari Romæ in Templo S. Joannis Laterani.

Viris quibuſdam doctis (b) *Thyrſus* ille, quem geſtat Bacchus & Bacchantes, pingiturque in figuram lanceæ vel jaculi obſitæ pampino & foliis vitis, imitamentum eſt virgæ Aaronicæ florentis. Refert Euripides fœminam quandam gerentem Sacerdotium Bacchi thyrſo ſuo perculſiſſe ſilicem montis Cythæronis, ſtatimque reſpondiſſe percutienti divitem aquarum fontem, quod alterum eſt imitamentum prodigii ad Horeb, ubi ſcilicet Moyſes & Aaron eduxerunt è ſilice percuſſo virga illa prodigioſa aquam.

VIRGA S. JOSEPH ſponſi SS. Virginis. In Pſeudo-Evangelio Nativitatis SS. Virginis apud Fabric. apocryph. N. T. pag. 30. 31. traditum eſt Mariam, cùm nubilem ætatem jam attigiſſet, remittendaque eſſet jam, pro more, ad parentes ut elocaretur, repoſuiſſe imparem eſſe ſe conjugio, quippe quæ virginitatis voto eſſet obſtricta. Novum id videbatur, quare Summus Sacerdos conſulendum Dominum cenſuit, quem conceptis & claris, itaut ab omnibus exaudirentur, vocibus reſpondentem audit, oportere virum aliquem virgini huic provideri, qui cuſtos virginitatis illius adderetur; cogendos proinde ea in re viros omnes è ſtirpe David adhuc uxore ſolutos, cogendos, inquam, ante Aram; ſingulis autem virgam manu tenentibus, cujus virga germen emitteret & flores, atque Spiritum Domini in figuram columbæ requieſcentem ſuper ſe haberet, illa pariter indicatura eſſet virum cuſtodem & ſponſum Virginis juxta illud Iſaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe & flos de radice ejus aſcendet, et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.*

Condicti igitur viri omnes virgam præferentes ſuam conveniunt in Templum; nec abfuit Joſephus, at ſine virga. Tum Summus Sacerdos ſingulorum virgas illas inſpiciens, nihilque prodigii nactus, contulit ſe ad Dominum, reſponditque oraculum, illum, qui deſtitutus erat virga, virum eſſe à Deo ſelectum. Dictis ſua fides; ſtatim allata eſt virga Joſeph, advolans è Cœlo columba illi inſedit, eoque indicio palam omnibus factus eſt Sponſus Mariæ deſtinatus.

In ea referenda hiſtoria variat nonnihil Protevangelium S. Jacobi apud Fabric. apocryph. n. 8. pag. 87. 88. Cùm Virgo decem annorum attigiſſet ætatem, monuerunt Sacerdotes Summum Pontificem Zachariam cogitandum eſſe de nuptiis puellæ, nequid offenſæ contraheret ſanctitas ſacri illius loci. Conſultus à Zacharia Dominus, reſpondit per Angelum, cogendos eſſe in unum omnes viduos Iſrael, juſſos pariter referre ſingulos virgam ſuam; cujus autem virga prodigio aliquo diſtingueretur, ſponſum Mariæ hæc indicatura eſſet. Longè latèque buccinæ clangore res illa divulgata eſt; confluxerunt ad Templum plures nuptiarum illarum candidati; venit & Joſeph, relicta officina ſua fabri lignarii.

Summus Sacerdos è ſingulis ingredientibus in Templum excepit virgas; via autem ſuam tradidit Joſephus evolans ex illa columba viri capiti inſedit. Tum Summus Sacerdos pronunciavit edicere Numen, ut Joſeph Sponſam haberet Mariam. Eas nuptias fruſtrà deprecatus eſt à ſe Joſeph, obtendens ætatis eſſe jam affectæ, nec carere liberis; puellam verò teneram ſibi proponi; metuere proinde ne in fabulam totius Iſrael verteretur. Admonuit illum Summus Sacerdos metueret Dominum, revocaretque in mentem quid contigeret ſiniſtri Core, Dathan, & Abiron, ne reſiſteret voluntati divinæ prodigio manifeſtatæ. Acquievit Joſephus, & conjunxit ſe Mariæ; ſed dimiſſam illam in domo ſua dereliquit, conferens ſe ad exercitium profeſſionis.

Ea fide veterum horum Evangeliorum & traditionis Orientalium repetitur mos pictorum, exhibendi imaginem S. Joſeph cum baculo floribus ornato. Cùm verò fons iſte ſit turbidus & nullius authoritatis in Eccleſia: cùm malè compactis circumſtantiis tota ea narratio veſtiatur; cùm tandem nulla cogat neceſſitas, ut miraculum admittatur, non immeritò hæc omnia ad fabellas amandaremus.)

VIRGO. Græcè *parthenos*, Hebraicè *almah*, quibus vocibus puella exprimitur conjugio ſoluta, atque integro virginitatis flore; quamquam interdum abuſione quadam, de puella quacumque, ſive integra, ſive corrupta, uſurpatur; quare non rarò in Scriptura incorruptæ puellæ deſignandæ voci

(a) Num. 17. 1. &c.
(b) Voſſ. de Idololat. c. 12. pag. 86. Bochar. Phaleg. l. 1. q. 2. c. 16. pag. 431.

puellæ, ſive *Virgini*, adjungitur: *Incognita viro*, *Gen.* 24. 16. *Num.* 31. 17. ſive quid ſimile. Interdum virgo eſt puella. *Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ. Joel.* 1. 8. Salomon *Prov.* 30. 19. fatetur, indicia virginitatis ambigua eſſe, nec ſatis certa: *Quartum penitus ignoro.... viam viri in adoleſcentia.* Hebr. *in adoleſcentula.* Hebræum *almah* ſonat latentem; latere enim conſueverant, atque à frequentia hominum innuptæ puellæ continebantur. Si quando autem in publicum prodirent, velato ſemper ore exhibebantur, nec niſi arctiſſimo cognationis vinculo propinquis ſibi viris reducto velo, ſeſe exhibebant. Amnon filios Davidis perditiſſimè ſororem ſuam Thamar deperiens, ne ſolamen quidem ſibi petere ejus aſpectu permittebatur. 2. *Reg.* 13. 2. *Quia cam eſſet virgo, difficile ei videbatur, ut quidquam inhoneſti ageret cum ea.* Cùm Heliodorus Jeroſolymam veniſſet, expilandis ſacris Templi theſauris, virgines, quæ domi continebantur, prodeuntes, aliæ in via, aliæ ad feneſtras domus, aliæ ſupra mœnia procurrerunt: 2. *Mach.* 3. 19. *Virgines, quæ concluſæ erant, procedebant ad Oniam.*

Virgo non rarò in Scriptura eſt populus, urbs, gens. *Virgo filia Babylonis: Virgo filia Sion: Virgo filia Iſrael: Virgo filia Ægypti: Virgo filia Sidonis &c.* quæ omnes dicendi phraſes deſignant regionem, & populum Babylonis, Ægypti, &c.

Virgo per excellentiam uſurpatur de Virgine Maria, Matre Jeſu Chriſti, Virgine ante partum, poſt partum, & in partu, de qua oraculum Iſaiæ: *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Iſa.* 7. 14. *Matth.* 1. 23.

In Veteri Teſtamento nullus fuit virgineæ conditioni honor. Filia Jephte à patre jam ſacrificii immolationi deſtinata, *Judic.* 11. 37. 38. quòd nondum nuptam mors occuparet, ideò defendæ virginitatis ſuæ in montibus facultatem ſibi poſtulavit. Nec minori erat probro in Iſraele ſterilitas. Iſaias 4. 1. raro eſſe habitatore colendam Iſraelia ditionem oraculo prædicturus, dicit futurum, ut ſeptem fœminæ ultrò nuptias ſuas viris offerentes venirent, nihil ſibi poſtulantes; quin & veſtes, & alimenta ſibi ſuffecturas, id tantummodo volentes, ut à ſterilitatis opprobrio liberarentur; *Aufer opprobrium noſtrum.* Idem Propheta 54. 4. Jeroſolymam ita ſolatur: *Confuſionis adoleſcentiæ tuæ oblivíſceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.*

In Novo autem Teſtamento Jeſus Chriſtus virginitatem etiam atque etiam commendavit illis verbis: *Matth.* 19. 12. *Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum. Qui poteſt capere capiat.* Quæ quidem Præceptoris verba luculento Commentario exponit Apoſtulus. 1. *Cor.* 7. 25. *De Virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem...Volo autem, vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt.*

VIRTUS, ambigua eſt maxime vox: valet enim 1. pro virtute Deo nos & hominibus commendante, reſpondetque Græco *Arete*. Eſt etiam ſtrenuitas & robur; Græcè *Dynamis*; 3. Prodigium vel ſupernaturalis quædam eſt virtus; 4. Nomen eſt Virtutum, vel Cæleſtium quarundam poteſtatum. Singula hæc propoſitis exemplis illuſtranda ſunt.

1. Virtus, ut moralem virtutem deſignat, rarò occurrit in Scriptura. Nulla mihi Hebræa vox comperta eſt in hanc ſignificationem reſpondens; quin & Græcum *Arete*, qua voce Græci exprimunt virtutem moralem, in Novo Teſtamento non raro poſitum eſt ad deſignandam potentiam; 1. Petr. 2. 9. *Ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit;* Græcum *Aretas*, deſignat hic non obſcurè potentiam, quemadmodum & in 2. Petr. 1. 3. *Qui vocavit nos propria gloria & virtute.* Sed intra ℣. 5. Virtus uſurpatur reipſa pro virtute: *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam.*

2. Nihil familiarius eſt in utroque Teſtamento, quàm virtutis nomen ad exprimendam potentiam, ſtrenuitatem, robur, exercitum; reſpondetque Hebræis vocibus *Oz*, *Ail*, *Gebourah*, *Chail*, & *Coach*, & Græco *Dynamis*, & *Arete*. Ruth. 3. 11. *Scit omnis populus mulierem te eſſe virtutis;* animoſam; & 2. Par. 9. 5. *In manu tua virtus, & potentia;* robur ſcilicet, & potentia. Judith. 2. 7. *Virtus Aſſyriorum*; Aſſyrius exercitus; 1. Macch. 1. 4. *Congregavit virtutem;* validum nempè exercitum.

3. *Virtus* eſt etiam miracula. Matth. 7. 22. *Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* & cap. 13. 58. *Non fecit ibi virtutes multas.* Act. 19. 11. *Virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli.*

4. *Virtutes* ut nomen eſt Cæleſtium Poteſtatum legitur in Apoſtolo, *Rom.* 8. 38. *Certus ſum quia neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura...... neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* S. Petrus *Ep.* 1. *cap.* 3. 22. docet Jeſum Cælum conſcendentem ſubmiſiſſe majeſtati ſuæ *Poteſtates & Virtutes.*

VISCERA, ſunt miſerationis & tenerorum affectuum ſedes. Geneſ. 43. 30. *Commota ſunt viſcera Joſeph* ad aſpectum Benjamin fratris ſui; emotus eſt amoris ſenſu animo. Quæ genuina erat Mater infantis illius, quem diſſecari juſſerat Salomon, viſceribus commota noluit grave illud inferri in filium ſuum, ſed conſenſit dari æmulæ 3. *Reg.* 3. 26. emota eſt compaſſione. *Dominus viſitavit nos per viſcera miſericordiæ ſuæ;* Meſſiam largitus *Luc.* 1. 78. Commendat Apoſtolus Fidelibus, ut in fratres gerant viſcera miſericordiæ. 1. *Coloſſ.* 3. 12. Laudat Philemonem, quod requiem dedit *viſceribus Sanctorum Philemon.* v. 7. rogatque illum, ut recipiat Oneſimum tanquam viſcera ſua, Pauli ſcilicet: *Viſcera mea ſuſcipe. Ibidem* v. 12.

Hominem locupletem, durum, qui pietate non tangitur, exhibet Jobus 21. 24. tanquam gerentem obſita adipe viſcera; & Salomon in Proverbiis 12. 10. gerere impios dicit viſcera crudelia. S. Paulus 2. Cor. 6. 12. queritur modeſtè & amicè de Corinthiis verbis illis: *Non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.*

Sapientiam etiam interdum in viſceribus locabant Hebræi. Jobus 38. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam?* Pſalmus 50. 12. *Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Iſaias 19. 3. prænunciat futurum, ut diſrumpatur *Spiritus Ægypti in viſceribus ejus;* & *ego*, ait, *conſilium ejus præcipitabo;* emovebo illos mente, conturbabo, & ponam ſuſpenſos ac incertos. Jeremias 31. 33. *Dabo Legem meam in viſceribus eorum.* Habacuc 2. 19. *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus* (Idoli); deſtituitur ſpiritu, anima, & mente.

Deteſtatur Sapientia 12. 5. Chananæos *comeſtores viſcerum hominum;* qui humanas carnes vorabant. Vide *Caro*. Olim in Sacris Bacchi in Inſula Chio mactabatur, ſeu potiùs vivus diſcerpebatur homo (a). Eadem erat religio Inſulæ Tenedos; & nono etiam ſæculo humanæ carnes apud Sinas venum exponebantur in foro (b). Idem quoque mos, vorandi ſcilicet carnes, & viſcera animalium viventium familiare erat in Bacchanaliis (c).

VISIO uſurpatur de varia illa manifeſtandi ratione, qua Deus communicavit ſe Patriarchis, Prophetis, ac Sanctis cæteris. Miſit ad illos Angelos prophetantes; per quietem noctis illis ſpectandum ſe præbuit, colluſtravit ſua luce mentem eorum; voce concepta inſonuit in arboribus; rapuit in extaſim; id effecit; ut in-

(a) Porphyr. de abſtinentia l. 3. (b) Vide Iter duor. Arab. ad Sinaſ. p. 55.
(c) Arnob. l. 5. contra Gentes, Lucian. Pharſalia, Clem. Alex. Protreptic. p. 19.

Digitized by Google

ut intelligerent res, quas oculus nunquam vidit, auris non audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Moyſi in ſpecu ſe continenti ſpectandum ſe præbet Dominus & alloquitur; manifeſtat ſe Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis in transfiguratione ad Thabor, nec ſemel aliàs poſt Reſurrectionem. Vidit Abraham trium itinerantium ſpeciem referentem, vidit Iſaias, & Ezechiel in plena Majeſtatis gloria; hæc omnia ſtilo Scripturæ appellantur *viſio*.

Dominus *manifeſtavit ſe Abraham per viſionem, dicens: Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua Geneſ.* 15. 1. 2. 5.. Noctu hæc contigiſſe ex eo conſtat, quia ..... *Eduxit eum foras*, & ait illi: *Suſpice Cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Sic erit ſemen tuum.* Per quietem noctis etiam ſtatuit ſe Dominus ante Jacob: *Audivit eum per viſionem noctis vocantem ſe &c.* admonuitque, ut ſecurus deſcenderet in Ægyptum *Geneſ.* 46. 2. Intelligens Moyſes, *Exod.* 3. 2. rubum ita ardere, ut non abſumeretur, reputavit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Aaron & Maria obmurmurarunt in Moyſem; tunc Dominus *Num.* 12. 6. 7. 8.: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium. At non talis ſervus meus Moyſes; ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Balaam, impius ille Propheta, vir licèt corruptiſſimus de ſe tamen affirmat *Numer.* 24. 14. 16: *Qui viſionem Altiſſimi intuitus eſt.* Reipſa quidem Deus ad illum miſit Angelum ſuum, qui iter ejus interciperet, tùm & inſinuaret eximia quædam oracula de adventu Meſſiæ. Sub Eli Summo Sacerdote. *Sermo Domini erat pretioſus, non erat viſio manifeſta.* Satis hæc arbitror eſſe ad inducendam juſtam notionem vocis *viſio*.

Viſio ſunt etiam oracula ſcripta Prophetarum: *Viſiones Abdiæ; liber viſionis Nahum; viſio Iſaiæ filii Amos. Scriptum eſt in viſione Addo videntis &c.*

Viſio uſurpatur etiam de inſtitutionibus, vel præceptis Sapientiæ traditis in capitibus 30. 31. Proverbiorum prius illud tribuitur *Agur*; ſecundum *Lamueli*. *Verba congregantis* (Hebr. *Agur*) *filii vomentis; viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus.* Cap. 31. 1. *Verba Lamuelis Regis viſio, qua erudivit eum mater ſua.*

Viſio eſt etiam non rarò quidquid oculis videndum offertur. Iſaias 11. 3. *Non ſecundùm viſionem oculorum judicabis.* Thronum Dei deſcribens Ezechiel 1. 23. impoſitum eſſe dicit rotis, quarum *opus quaſi viſio maris*, i. e. mari ſimile, Et cap. 8. 2. oblatam ſibi per viſum narrat Majeſtatem Dei à renibus ad imum uſque exhibentem *quaſi viſionem electri*, ceu igneum quoddam metallum. S. Joannes in Apocalypſi 4. 3. ſpectatus Dominus ceu Iris coloris ſmaragdini, *ſimilis viſioni ſmaragdinæ*.

Viſio ponitur etiam pro vanis Pſeudo-Prophetarum ſpectris. Porrò illi, ait Jeremias 23. 16. *Viſionem mendacem loquuntur.* Michæas 3. 7. *Confundentur qui vident viſiones falſas & inanes.*

Viſio eſt etiam interdum idem ac ſpectra & phantaſmata ad terrorem impiorum. Id generis phantaſmata tetra & horrenda horrorem tenebrarum auxiſſe Ægyptiis innuere videtur Moyſes Deut. 4. 34. *Horribiles viſiones juxta omnia, quæ fecit Dominus in Ægypto.* Diſertius ea de re Sapientia 17. 9. 10. & 18. 19. *Viſiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inſcii quare male patiebantur, perirent.* Eliphaz apud Jobum 4. 13. deſcribit horrorem, quo correptus eſt, cùm loquentem ſibi noctu Spiritum audivit: *In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pavor tenuit me & tremor, & cum ſpiritus, præſente me, tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Vide etiam Job 17. 14.

VISITARE in utramque partem uſurpatur. Deus Saræ miſertus illam viſitavit filium concedens *Geneſ.* 21. 1. Viſitavit Iſraelitas in Ægypto Liberatorem ad illos mittens *Exod.* 3. 16. Viſitat Annam matrem Samuelis 1. *Reg.* 2. 21.; tandem viſitat & redimit populum ſuum *Luc.* 1. 48.

Viſitat etiam ad exercendum furorem ſuum & ultionem. *Viſitat iniquitatem patrum in filios, in tertium & quartam generationem Exod.* 20. 5. Minitatur viſitaturum ſe iniquitatem cultorum vituli aurei *Exod.* 32. 34 die ultionis ſuæ. Denunciat viſitaturum Chanaanitidem, cujus crimina ad Cœlum uſque creverant. Tandem nihil eſt familiarius apud Prophetas, quam verbum viſitare poſitum pro punire, ultionem exigere.

Viſitare ponitur etiam pro cenſum agere vel pro luſtrationes gregis. Ezechiel 34. 11. 12. *Ego requiram oves meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum*, Zacharias 10. 3. *Super paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper hircos viſitabo* (utpote quia primi ſunt in grege). *Viſitabit Dominus exercituum gregem ſuum, domum Juda.*

Nomen *viſitare* ſingulari ſenſu uſurpavit Eccleſiaſticus 49. 18. agens enim de Patriarcha Joſeph, ſcribit: *Oſſa ipſius viſitata ſunt; & poſt mortem prophetaverunt.* In Græco deeſt illud: *Poſt mortem prophetaverunt.* Prænunciaverat Joſeph fratribus ſuis futurum, ut poſt mortem ſuam viſitarentur à Domino, rogavitque ut unà ſecum deferrent lypſana ſua in Chanaanitidem, nec permitterent ut requieſcerent ultrà in Ægypto. Id autem impletum fuit ſub Moyſe. Tunc oſſa ipſius *viſitata ſunt*, e tumulo deducta; *& prophetaverunt*, atteſta veritate oraculi Joſeph.

Viſitans ſpeciem tuam non peccabis, ait Job. 5. 24. Dictum hoc aliqui expoſuerunt de uſu legitimo connubii. Sed Hebræus deſignat: *Viſitabis*, cuncta diſpicies, gubernabis *domum tuam*, *& non peccabis*; agit hic Eliphaz de inſtituta probè vitæ ratione ab homine ſapiente & prudente.

Viſitare deſignat etiam officii genus illud & amicitiæ, quo inviſentes amicos reviſimus. Iſai miſit David filium ſuum ad inviſendos fratres; an recta cum illis omnia agerentur in exercitu intellecturus 1. *Reg.* 17. 18. David inviſurus Amnonem filium ſuum ægrotantem venit 2. *Reg.* 13. 6.; ejuſdem officii gratia Ochozias Rex Juda contulit ſe ad Joram Regem Iſrael 4. *Reg.* 9. 26. SS. Paulus & Barnabas diſcurrerunt inviſuri Eccleſias, quas fundaverant *Act* 15. 36.

Viſitatio perinde ac viſitare uſurpatur interdum pro viſitatione Dei miſerentis; ſæpius tamen pro viſitatione Dei ulciſcentis. *Dies viſitationis, annus viſitationis, tempus viſitationis*, vel tantùm *viſitatio*, exprimit plerunque tempus ultionis Dei.

VITA FUTURA, VITA ÆTERNA, ſeu VITA ſine addito deſignat ſtatum felicem Juſtorum & prædeſtinatorum poſt mortem in Cœlo. *Via quæ ducit ad vitam arcta eſt*, ait Jeſus *Matth.* 7. 14. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata Matth.* 19. 17. *Magiſter, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam Matth.* 19. 16.?

Jeſus Chriſtus appellatur interdum *vita*. *Ego ſum via, veritas & vita Joan.* 14. 16. Joannis 1. 4. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* S. Joannes *Epiſt.* 1. c. 5. 12. *Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet.* Jeſus Chriſtus vita eſt animæ, quam illuminat, ſolatur, gratiæ influxibus alit, deducit ad vitam æternam: ipſe eſt ejus vita, alimentum, lux, felicitas.

Liber vitæ eſt liber prædeſtinationis adſcripta ferens nomina cuncta electorum, *quorum nomina ſunt in libro vitæ*; *Philipp.* 4. 3 *Non delebo nomen ejus de libro vitæ, Apocalypſ.* 3. 5. Vide etiam Apoc. 13. 8. & 21. 27. & 22. 19. Moyſes, *Exodi* 32. 23. *Si non facis, dele me de libro tuo.* Vide ſupra *Liber*.

Arbor vitæ plantata in Paradiſo terreſtri ad vitam Adami, ſi dicto fidelis manſiſſe, conſervandam. Vide *Arbor*.

In veteri Teſtamento Deus appromittit ſæpè iis, qui legibus ſuis paruiſſent, vitæ diuturnitatem; ac vitæ felicem ſtatum: quæ omnia typus erant & emblema vitæ æternæ & futurorum bonorum, quæ Deus clarioribus verbis promiſit in veteri Teſtamento.

Judæi

Judæi carnales ſpes ſuas omnes definiebant intra limites fluxorum illorum bonorum; at SS. Patriarchæ & Prophetæ, cum viri inter Hebræos ſanctiſſimis, longiùs penetrabant obtutu ſuo, promovebantque vota. Moyſes ad Iſraelitas Deut. 30. 15. 16. 20. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum; & è contrario mortem & malum.... Propoſui vobis vitam & mortem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas et ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum ....Ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum tuorum*. Hinc Baruch 3. 9. Legem Dei appellat mandata vitæ: *Audi Iſrael, mandata vitæ*; & Pſalmus 15. 11. *Vias vitæ*.

Scientia veritatum, ſalutis agnitio, vitæ ad ſapientiam & normam exactæ regimen appellantur etiam *via vitæ*, *arbor vitæ*, *fons vitæ*, & *vita* ſine addito. Cùm inter bona corporis primas teneat vita; ita pariter & inter animæ bona potiſſima eſt ſapientia, qua procurante vitam agimus in hoc mundo felicem, & fons eſt bonorum in æternitate. Potiſſima autem ſapientia & maximè ſeriam Hebræorum ſtudium in eo verſabatur, ut inſtruerent ſe graviter in Lege. Quare S. Spiritus tribuit Legi quemadmodum & Sapientiæ nomen vitæ, & fontis vitæ, quod utraque fons ſit bonorum in tempore & in æternitate.

Vita eſt etiam interdum id quo homo ſubſiſtit. Eccli. 29. 26. *Initium vitæ hominis aqua & panis*; & cap. 34. 25. *Panis egentium vita pauperum eſt*. Eſt in his *vita* vox ſynonima *victus*. Legimus in Evangelio pauperculam quandam viduam dediſſe *duo minuta* in gazophylacium Templi; plus autem illam, quam cæteros modica hæc ſtipe contuliſſe, qua ſcilicet dedit *omnem victum ſuum*, neceſſaria ad vitam.

Figurato & hyperbolico ſenſu Deus reſtituere ſe ad vitam dicit, quos è præſentiſſimo & grandi diſcrimine liberat. Frequentiſſimè hæc recurrunt in Pſalmis: *Poſuit animam meam ad vitam: Tu converſus vivificaſti me. Vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos: Vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus*. Exhibetur in his captivitas ceu mors, & libertas tanquam vita.

Vita eſt etiam agendi ratio. Sapientiæ 5. 4. *Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam*; & cap. 2. 15. *Diſſimilis eſt aliis vita illius*. Ad Coloſſ. 3. 3. *Vita veſtra abſcondita eſt in Deo*. Phraſis eſt quædam in Deut. 28. 66. & Job. 24. 22. quæ interpretationem aliquam expoſcit: *Erit vita tua quaſi pendens ante te; timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ*. Patres quidam (a) dictum acceperunt de Jeſu Chriſto in crucem elato coram Judæis incredulis renuentibus credere in illum, qui author eſt vitæ & ſalutis eorum. Sed literalem ſenſum hunc damus. Vitam ages ſemper pavidam & inquietam, ut nunquam ſecurus ſis de vita. In hunc pariter ſenſum exponenda ſunt illa Jobi: *Cùm ſteterit, non credet vitæ ſuæ*. Cùm impius ſecurior videbitur, nunquam tamen erit de vita ſatis certus; vel juxta Hebræum: *Cum ſurget inter medios cuſtodes non credet vitæ ſuæ*.)

L. VITELLIUS, Cenſor, & pater A. Vitellii Imperatoris, qui Conſulatu an. Aer. 35 functus, Syriæ præfecturam adminiſtravit; eique etiam turbatæ Orientis res ab Imperatore Tiberio commiſſæ ſunt. Eodem anno, vel ſaltem altero ſuccedente, occaſione Feſti Paſchalis, Jeroſolymam ſe conferens, ſolemni pompa exceptus eſt. Ut autem populi ſtudio pares gratias referret, urbem à tribus fructuum, qui vendebantur, levavit. *Joſeph Ant. l. 18. c. 6.* Cuſtodiam etiam veſtium, atque ornamentorum Pontificalium, quam ſibi ad id uſque Herodes, & Romani in Arce Antonia reſervaverant, populo remiſit. Amoto tandem Joſepho Caipha à Summo Sacerdotio, Jonatham filium Anani ſubſtituit. Poſt hæc, Antiochiam regreſſus eſt.

Juſſus ab Imperatore Tiberio expeditionem in Arabes ſuſcipere, exercitum Ptolemaidem uſque deduxit, eo conſilio, ut per Judæorum regionem recta Petram contenderet an. Ær. 77. (b). Cùm autem Judæorum Optimates ad illum ſe conferentes, rogarent, ut quandoquidem patriis regionis Legibus in ditionem Iſraelis inferre Deos exteros, & figuras, quas Romanorum Inſignia præferebant, vetitum eſſet, iter mutare dignaretur; ille rogantibus acquieſcens, deflectere exercitum jubens, ſolus interim cum amicis, & Herode Tetrarcha Jeroſolymam ſe contulit. Ibi ſacrificiis oblatis, Jonatham, biennio ante à ſe aſſumptum, a Sacerdotio removit: ejuſque loco Theophilum fratrem Jonathæ iiſdem Sacris præfecit. Nondum ab urbe diſceſſerat, cùm audita Tiberii morte, ſtatim Judæos in Caligulæ obedientiam jurare coegit. Oblata etiam pro novo Imperatore ſolemnia Domino ſacrificia (c).

Anno ante hæc geſta, Chr. 36. Pilatum Judææ Præſidem Romam miſerat, ut ſe de irrogata Samaritanis injuria purgaret, cùm in Thirataba nullo ſeditionis conſilio coeuntes trucidavit (d). Hæc ferè de L. Vitellio Præſide Syriæ memoriæ prodita ſunt, qui quantam prudentiæ laudem in adminiſtratione Provinciæ meruerat, tantum Romæ demeruit, quòd Cajum, & Claudium indignis ingenuo homine aſſentationibus proſecutus fuerit (e).

VITRUM Arenæ vitrariæ certæ erant in Palæſtina fodinæ; nec deſunt, qui Græcum *hyalos*, nempe vitrum, ex Hebræo *chol*, nempe ex arena derivent. Eas fodinas facilè ſpectaſſe creditur Moyſes cùm Zabulonem ita allocutus eſt: *Deut. 33. 19. Inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum*. Sortem hujus Tribus parvus amnis Belus vel perluebat, vel ſaltem alluebat; ex eo autem vitreæ arenæ effodiebantur (f). Vide *Belus* ſive *Beleus*.

(Vitrum res eſt hodie ita familiaris, ut à nemine ignoretur. De ejus origine, ſeu de primo ejus inventore non ſat convenit inter omnes. Narrat Plinius l. 36. *cap.* 26. Mercatores quoſdam cùm appuliſſent Ptolemaidem, parandiſque cibis ignem excitaſſent in navi, ſuppoſuiſſe pro tunc glebas nitri, quas habebant apud ſe, ſubſtitueruntque loco communium lapidum, quorum nulli apti ſuppetebant ad uſum in litore. Excitata igitur flamma ecce tibi ſubitò, non ſine intuentium admiratione, colliquari arenas, ac diffluere in liquorem pellucidum, qui concrevit in vitrum. Rude hoc brevi arte & induſtria perfectum eſt, atque Phœnicum opera, quorum erat ſolers & laborioſum ingenium, longè lateque, quo illi negociationibus ſuis pertingerent (i. e. ſecundùm latera, & in Inſulas omnes Mediterranei) vitri uſus invaluit. Quando hæc contigerit ſilet Plinius, qui nec hiſtoriam hanc tantum ut certam tradit. Sed conſtare illud arbitramur, in Palæſtina, & circa Ptolemaidem ac Sidonem vitri parandi artem cœpiſſe.

Vitri commercium ingens & ditiſſimum in iis locis, quos jam innuimus, præ oculis habuiſſe videtur Moyſes, Deut. 33. 19. cùm poſtremam benedictionem quam impartiens Zabulon earum regionem incolæ cælitus deſtinato, effatus eſt: *Inundationem* (divitias) *maris, quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum*. Divitiæ illæ maris & theſauri abſconditi arenarum ipſi ſunt, juxta Paraphraſtem, Jonathan, & R. Salomonem, aliosque Interpretes nonnullos, purpura, qua imbuebantur lanæ apud Tyrios, & arenæ ad vitrum, quibus feraces erant regiones illæ. Agit Joſephus, *de Bello l. 2. cap.* 17. ſepulcri Memnonis juxta Ptolemaidem & amnis Beli arenas ad vitrum ſufficientis. Eſt, ait ille locus valli perſimilis

centum

(a) Iren. l. 4. Tertull. contra Jud. c. 11. Cyprian. de Idolor. vanit. Lact. l. 4. c. 18. Cyrill. Jeroſol. Cathec. 13. Athanaſ. de Incarnat. l. 1. Aug. l. 16. c. 22. contra Fauſtum.
(b) Antiq. l. 18. c. 7. (c) Philo Legat.
(d) Antiq. l. 18. c. 7. (e) Tacit. Annal. l. 6 c. 31.
(f) Plin. l. 5. c. 19. & l. 36. c. 26. Fuſius Joſeph. de Bel. l. 2. c. 19.

centum cubitia circiter patens, quò vis ingens arenæ vitreæ colligitur, diviti adeo fodina, ut naves implens, adhuc tamen damna, nova reparatione jacturam ſarciens, non ſentiat. Meminit etiam Plinius, *l.* 36. *c.* 26. amnis Beli devolventis ſe in mare prope Ptolemaidem; hujus autem *quingentorum eſt paſſuum non amplius litoris ſpatium; idque tantùm multa per ſæcula gignendo fuit vitro*. Affirmat tamen Strabo, *l.* 16. arenam omnem maris ſitus tenentem à Ptolemaidem adusque Tyrum valere in eum uſum. Utcunque res habeat ſeſe, Hebræum *Chol*, vel *Hol*, vel *Hul*, quod eſt arena, etymon eſt facile Græci *Hyalos*, quæ vitri eſt appellatio.

Vitri meminit Job 28. 17. ſub nomine *Sechochit* c *Non adæquabitur ei* (ſapientiæ) *aurum vel vitrum*. vox *Sechochit* deducitur è radice ſonante nitere, purum aliquid & pellucidum referre, quod maxime congruit vitro aut cryſtallo. Erant autem hæc olim multò rariora, & majori in pretio, quàm hodie apud nos. Gemini iſti Moyſis & Jobi Textus antiquitatem vitri ſatis demoſtrant.

Recurrit frequentiſſimè in Scriptura vox *cryſtallus*; ſed multò frequentiùs valet glacies vel grando. Pſ. 147. 17. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas*; immittit glaciem vel grandinem tanquam panis fruſtula. Hebræus *Mittit glaciem ſicut buccellas*; eſt grando ceu glacies vel aqua in glaciem concreta & in fruſtula comminuta. Cryſtallus ſeu potiùs glacies eſt etiam in Eccleſiaſtico 43. 22. *Gelavit cryſtallus ab aqua*; & in Ezech. 1. 22. *Quaſi aſpectus cryſtalli*. Super verticem animalium expandebatur Cœlum cryſtallinum, vel glaciei juxta Hebræum. S. Joannes *Apoc*. 4. 6. deſcribit *mare vitreum ſimile cryſtallo*. Cùm autem in Græco *cryſtallus* ſonet & glacies & cryſtallus, quid in his Textibus deſignetur, incertum eſt.)

VITULUS. Cùm in Sacrificiis vituli frequentiſſime adhiberentur, ideò non rara illorum in Sacra Scriptura mentio. Eo tamen nomine interdum juniores boves deſignantur. *Vitulus de armento* alius planè eſſe videtur à vitulo adhuc ſub vaccæ ubere lactente. Interdum etiam vitulus eſt bos validus. *Circumdederunt me vituli multi*. Pſal. 21. 13. *Vitulus ſaginatus*, *Luc*. 15. 23. *Prov*. 15. 18. *Jer*. 46. 21. eſt victima opima in uſum nuptialis, ſive religioſi convivii.

VITULUS AUREUS, quem Iſraelitæ ad montem Sinai ad cultum ſibi ſtatuerunt (a). *Videns Populus, quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatuſque adverſus Aaron, dixit: Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim, huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus; & afferte ad me. Fecitque Populus, quæ juſſerat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cum vidiſſet Aaron, ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit, dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt. Surgenteſque mane, obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

Populi crimen Deus Moyſi renuncians, deſcendere quantocyùs illum juſſit, atque ludentem adhuc populum ante Idolum nactus, iratus valde, *projecit de manu ſua tabulas* (Legis), *& confregit eas ad radices montis. Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael*. Poſt caſtigatum autem acrioribus verbis Aaronem, qui populi ſuperſtitioni indulſiſſet, ſtans deinde in porta caſtrorum, ait. *Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi; qui ſtricto enſe, per caſtra iterum atque iterum recurrentes, obvios quoſcumque paſſim cædebant. Ceciderunt autem in die illa quaſi viginti tria millia hominum*. Sed Hebræus, Samaritanus Chaldæus, Septuaginta, & PP. plerique Græci, & Latini pro 23000. legunt 3000.

Eo ſibi Numine propoſito, cultum Dei Apidis in Ægypto familiarem imitari Hebræos voluiſſe nullus dubito (b). Porrò Deum illum colentes Ægyptii, taurum vivum, vegetemque, non ejus ſimulachrum, primò efferebant: tandem ſub hominis aſpectu, cui taurinum caput, Idolum ſibi effinxerunt. Patres autem bene multi, de hoc vitulo agentes, caput tantùm bovis ab Iſraelitis conflatum aſſeruiſſe viſi ſunt (c): *Aureum caput bovis*, ait Lactantius; *bubulum caput*, ait Tertullianus; *& conflatum eſt bubulum caput* (d). Quidquid tamen ſit, Iſraelitas ſuperſtitioſum quoddam ſimulachrum effinxiſſe, cui divinos honores decreverant, ex illorum verbis ſatis conſtat: *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægipti*.

Monceus in ſuo Libro, inſcripto: *Aaron Purgatus*, contendit, hanc vituli ſimilitudinem ad effingendum Cherubim ab Aarone expreſſam fuiſſe, quibus ſcilicet Cherubim Dominus inſidebat, cùm Moyſi in monte Sinai ſpectandum ſe præbuit. Porrò Cherubim illi, ſi Authori fides, boves exhibebant alatos, ad quorum ſimilitudinem Moyſes deinde Cherubim Propitiatorii efformavit. Aaronis autem crimen, ait, illud potiſſimum habendum eſt, non quod Cherubim in obſequium Domini manentes expreſſiſſet; ſed quòd ea occaſione ſuperſtitionis, & idololatriæ populo fuiſſet offendiculo. Poterat autem, addit ille, populus coram Cherubim, ſive aureo vitulo Deum verum adorare; ſed cultum Dei veri in creaturam, & in ſimulachrum oculis ſubjectum transferens, ideo religio in crimen verſa eſt. Ad hæc, in ea eſt perſuaſione, vitulos aureos à Jeroboamo poſt diviſionem decem Tribuum elatos, veros fuiſſe Cherubim; quare, ait, neque Jeroboamus, neque decem Tribus cultum ſimulachro impendentes, idololatriæ crimine tenebantur. Solius igitur ſchiſmatis, atque ſeparationis à fratribus rei illi fuerunt; à fratribus, inquam, qui Deum Jeroſolymæ colebant, Cherubim aſſidentem, quem plane Deum etiam cæteræ Tribus veluti inſidentem aureis vitulis in Dan, & Bethel venerabantur. Singularis prorſus opinio, quæ meritò Authores plurimos adverſarios habuit, & cenſores.

Efferendi vituli ſolemnitatem Aaron palam indicens, proclamavit: *Cras ſolemnitas Domini eſt*. Diluendo pro viribus tanto Summi Sacerdotis crimini, Interpretes nonnulli obſervant, uſum illum ea occaſione voce *Jehovah* (e); quaſi ſcilicet, propoſito vitulo, veluti ſimulachro vero Deo dicato, ad cultum ejuſdem Dei populos inducere voluiſſet. Sed populus in præſcriptis ſibi limitibus minùs ſe continens, cultum vitulo impendit. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile, & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. *Pſal*. 105. 19. Fruſtra tamen Aaronem excuſaremus à crimine, cujus ipſe ſe reum fatetur; & in Deuteronomio legimus, Deum commiſſo ab illo crimine offenſum, mortem illi decreviſſe, niſi Moyſes pro fratre interceſſiſſet. Ex Rabbinis nonnulli (f) tradunt, pulverem comminuti vituli in torrentem Horeb Moyſem projeciſſe; quas deinde aquas quicunque

ret

(a) Exod. 32. 1. &c. A. M. 2513. ante Chr. 1487. ante Ær. 1491. quarto menſe Anni Sancti.
(b) Philo putat, Hebræos cultum intendiſſe Typhonis numinis Ægyptiorum, quod ipſe cum Oſiride confundere ſolet. Vide de vita Moſ. l. 3. (c) Ambroſ. cap. 66. ad Roman. nov. Edit. Hieron. in Oſee 4. Aug. l. 22. c. 93. contra Fauſt.
(d) Lact. l. 4. c. 10. Tertull. adverſ. Jud. c. 1. Aug. in Iſai. 41. Optat. l. 3.
(e) Var. Eſt. Lyr. Boch. Cleric. (f) Apud Monc. in Aarone purgato l. 2. c. 8.

rei commiſſi criminis bibiſſent, ea in ſe expertos fuiſſe, quæ fœminæ adulterii reæ ex hauſtis aquis zelotypiæ. Ulceribus enim fœdis ſcatentes, eo indicio rei à Moyſe agniti, ſeveriſſimo ſupplicio ſubjecti ſunt. Alii vero perhibent, reos commiſſi criminis poſt epotas aquas, ſtatim ſubito prodigio verſam in aureum colorem barbam ſenſiſſe (a): quod, ajunt, etiam ad filios eorum ſucceſſione tranſivit (b).

Nam rutilans auro monſtrabat barba nocentes,
Dum patulo latices flumine ore bibunt.

Vituli aurei Jeroboami filii Nabat. Rex ille vix ad thronum decem Tribuum Iſraelis evectus, cùm nihil antiquius haberet, quam ut ſubjectos ſibi populos à domo Davidis alienaret, efficiendum ſibi potiſſimùm cenſuit, ut novis propoſitis Numinibus, populum ab adeundo Jeroſolymitano Templo ad cultum Domino impendendum averteret (c). Ita enim ſecum reputabat: *Nunc convertetur Regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte, ut faciat ſacrificia in domo Domini in Jeruſalem; & convertetur cor populi hujus ad Dominum ſuum Roboam Regem Juda, & interficient me.* Quapropter inito conſilio, duobus conflatis vitulis, quorum alterum in Bethel, alterum in Dan, in finibus nempe Regni, conſtituit populo edixit: *Ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Opinionem de his vitulis ſingularem Monæi ſupra retulimus; qui nempe duos vitulos duo eſſe Cherubim ſimulacra autumavit, inſtar illorum, quæ Moyſes ſuper Arcam Fœderis impoſuerat, quique veluti Dei thronus habebantur; quare, ſi Authori fides, ſchiſmatis potiùs, quàm idololatriæ reus Jeroboamus accuſandus eſt. Et quidem fateamur oportet, adoptato vitulorum cultu, non continuo tamen populum illum veterem Domini religionem abjeciſſe. Quin & Dominus non omnem exuit illorum Providentiam, cum Prophetas quandoque mitteret, atque ex iis plures ſtudioſos ſibi viros tacitè ſalvandos reſervaſſet. Cùm vero Jezabel ſub Achabo cultum Baal, Aſtaroth, atque Deorum Chananæorum invexiſſet, ſtatim Elias apud Dominum conqueſtus eſt, ſe unum, omnibus recedentibus, in veteri religione manſiſſe: 3. *Reg.* 19. 10. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael; altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio; derelictus ſum ego ſolus.* Sua igitur in Regno Iſraelis fuerant vero Deo Altaria; & cùm Elias coacto ad Carmelum populo, de religione deliberari voluiſſet, hæc propoſuit: *Quouſque claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* 3. *Reg.* 18. 21. Hæc pro cultu decem Tribuum monumenta ſuperſunt.

Verùm S. Hieronymus in Oſee 4. 15. & 5. & Interpretes plerique ad normam Apidis Numinis Ægyptii (cujus Jeroboam religionem in Ægypto verſatus, labentis regni Salomonis tempore, 3. *Reg.* 11. 40. didicerat) vitulos aureos dedicatos fuiſſe autumarunt. Crimen ſanè ejus viri non obſcuris verbis in Scriptura proditur: *Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Iſrael.* Et ſi quando in eadem Scriptura mali alicujus Principis mores pinguntur, ſtatim ille eodem, quo Jeroboam, crimine teneri dicitur. Additur inſuper de Jeroboamo: *Separavit Jeroboam Iſrael à Domino; & peccare eos fecit peccatum magnum.* 4. *Reg.* 17. 21. Quid inſuper Ahias Propheta ad ejus Regis uxorem? 3. *Reg.* 14. 9 *Feciſti tibi Deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares; me autem projeciſti poſt corpus tuum.* Quoties etiam Prophetæ in vitulorum cultum invecti ſunt? *Vaccas Bethaven*, ait Dei nomine Oſeas, *coluerunt habitatores Samariæ ... & diſperdeantur excelſa Idoli, peccatum Iſrael.* *Oſee* 10. 5. Vide & 13. 3.

Non defuiſſe quidem fateor in eo Regno viros religioſos quamplures & Prophetas, de quorum ſalute jure ſperamus; ſed illos alieno ſemper non à ſchiſmate tantùm, ſed etiam à cultu vitulorum animo fuiſſe credo; cultum verò Domino impendiſſe, ſive clam ad Templum Jeroſolymitanum ſe conferentes, uti de Tobia traditum eſt, *Tob.* 1. 5. ſive domi ſub Prophetarum diſciplina adorantes, uti de Sunamitide legimus. 4. *Reg.* 4. 23.

Septuaginta & PP. Græci plerumque pro vitulis aureis legunt, vaccas aureas; quin & capitis tantùm vituli, ſeu vaccæ aliqui meminerunt. Fertur Manahem Iſraelis Rex alterum ex his aureis ſimulachris ad Phul Regem Aſſyriæ tranſmiſiſſe, (*Oſee* 10. 5. Vide & 5. 6.) ſuppetias præſentiſſimo periculo impetraturus. 4. *Reg.* 8. 19. 20. Narrant Rabbini (b), Oſee Regem Iſraelis, quò imperatas ſibi a Salmanaſare Rege Aſſyriæ pecunias penderet, alterum ex illis ſimulachris ad illum tranſmitti juſſiſſe; fraude tamen Sacerdotum ejuſdem Numinis factum eſſe, ut æneum alterum pro aureo ſub velamentorum obvolucro traderetur. Luctum igitur agente populo fraudis ignaro, addunt Rabbini, pro ſubducto aureo Numine, Sacerdotes nunquam dolum ſuum producendum ſperantes, clam ſibi plaudebant, juxta illud Oſee 10. 5. *Luxit ſuper eum populus ejus, & Æditui ejus ſuper eum exultaverunt.* Revolutis tamen integumentis, fraudem deprehendens Salmanaſar, injuria offenſus, copias in Samariam duxit, eaque direpta, vitulos aureos una cum populo univerſo ſecum tranſtulit.

Alteram etiam Judæorum traditionem de vitulis aureis S. Hieronymi relatione in Oſee 5. 2. diſcimus. Quamdiù inter Reges & populum Iſraelis de cultu vitulorum aureorum convenit, Deus ſuſpenſo flagello ultionem moratus eſt; prompta enim populo excuſatio in obedientia Regi præſtanda ſuppetebat. Sed rerum potitus Oſee, atque avitas ſuperſtitiones minùs curans, lato edicto liberam omnibus eundi Jeroſolymam facultatem permiſit. Hanc libertatem populus iniquiùs tulit; graveſque cum Rege ſimultates exercuit, juxta illud: *Diviſum eſt cor eorum.* Tunc Divinum in populos flagellum excuſſum eſt; quare loquitur Propheta: *Nunc interibunt.*

Quid rei acciderit, cùm Jeroboamus Altare vituli aurei in Bethel dedicavit, narravimus v. *Jeroboam*. Vir enim Dei ab ipſo Deo è ditione Juda miſſus, ſubitò prodiens, in altare illud oraculo pronunciavit futurum, ut à viro quodam è domo David, Joſia nomine, immolatis ſuper illud Sacerdotibus prophanorum Deorum, eorumque oſſibus igni ibidem traditis, pollueretur; addens inſuper, reſcindendum tandem, ut cineres in terram effunderentur. Rex protendens in loquentem Prophetam manum, ſubito rigentem ſenſit: orante tamen Propheta, promptè convaluit. Vide 3. *Reg.* 13. 1. Templum vituli aurei ad Dan, non ad Daphnem, ut malè in Exemplaribus, ad ripam parvi Jordanis, ſua adhuc ætate extitiſſe Joſephus *de Bello l.* 4. *c.* 1. eſt author.

(Cùm unica eſſet Iſraelis gloria Deus, lata ab illo Lex, & Arca fœderis; ita pariter & vitulorum aureorum cultores totam in illis gloriam ſuam conſtituebant. *Æditui ejus exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo*, *Oſee* 1. 5. Numen illud planè abſurdum non probro ſibi, ſed honori potiùs ducebant. Quarè Prophetæ, tanquam inſultantes, illos compellabant: *Immolate homines vitulos adorantes* *Oſee* 13. 2.; an dementia eſt ulla, quæ dementiam hanc vincat? Veſtra ſunt numina vituli, veſtra ſunt ſacrificia homines Moloch & Saturno immolati. Septuaginta: *Dicunt: Sacrificate homines; defecerunt enim vituli*; in locum vitulorum, quorum nulli ultra ſuppetunt immolandi, ſubſtituantur homines. Aliter etiam redderetur Hebræus: *Immolaturi veniant*

ad

(a) Rabb. Rup. Comeſt. Naucher. Lyr. (b) Petrus de Riga in Aarone.
(c) 3. Reg. 12. 26. &c. A. M. 3030. ante Chr. 970. ante Ær. 974.
(d) Seder Olam, & Hieron.

ad oſculandum vel adorandum *vitulos*, qua invitatione Jeroboam accibat Iſraelitas decem Tribuum.

Deſtructionem & captivitatem vitulorum Samariæ ita denonciat Oſee 8. 5. 6. *Projectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos.... ex Iſrael ipſe eſt, in aranearum telas erit vitulus Samaria.* Occupantes Samariam Aſsyrii rapuerunt ſibi vitulos aureos; quæ vana Numinum majeſtas Samaritanis deſendendis perinde valuit ac aranearum telæ; neque enim ſuo illa numine è diſcrimine eripere homines valuerunt. Textus ille Hebræus redditus telæ aranearum inter ignotos ignotiſſimus eſt. Septuaginta reddiderunt: Vitulus Samariæ *decipiens eſt*, vel *aberrat*; Symmachus: *inconſtans eſt*; quinta Editio *divagatur*; varia hæc in idem recidunt. Rabbinis eſt: *Tanquam pulvis*, vel *lignorum tuſura*.

De vitulo hoc aureo ab Aarone conflato in deſerto plura quærunt Scriptores. Rabbinorum quibuſdam nullius criminis reus eſt Aaron; neque enim eo authore, quin potiùs invito & renuente, Idolum illud propoſitum fuit ad cultum, opera Magorum quorundam Ægyptiorum, quibus acceſserunt è Proſelytis nonnulli intimam in corde ad avitam ſuperſtitionem retinentes propenſionem. Totam hanc hiſtoriam omittit Joſephus. Stylo cælaſse imaginem ejus vituli Aaronem ipſum habent Septuaginta *Exod.* 32. 4.; populum verò ad moduli illius normam conflaſse ſimulacrum. Judæis nonnullis ea ſedit perſuaſio, primò quidem vitulum illum ligneum expreſsum fuiſse, tum ſuperinductas ligno aureas laminas. Reputavit Seldenos de *Diis Syris Syntagmat.* 1. c. 4. ſcalpello cælatas fuiſse in vitulo aureo notas diſtinguentes taurum Apim, i. e. ad latera cornua Lunæ, in fronte verò albentem quandam maculam quadratam.

Sunt qui credant ideo fuſorium opus elegiſse Aaronem, quo ſcilicet diutius rem totam protraheret, & quò pariter idolum hoc è fuſorio illo vaſe eductum nihil præferret ſatis limatum ac ſciti operis elegans. Viciſſim tamen alii cenſent nihil omiſiſse Aaronem, quò perficeret pro viribus opus, qua de cauſa, inquiunt, uti maluit ſcalpello: *Formavit opere fuſorio*. Hebræus: *Formavit* (vitulum) *& fecit illum ſtilo*. Sed ab utraque verſione recedit plurimùm Paraphraſtes Chaldæus; præfert enim: *Accepit* (Aaron) *de manibus eorum inaures, & ligavit ſudario, & fecit ipſum vitulum conflatilem aureum*. Verſionem hanc omnium optimam eſse defendit Bochartus de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 34.; Hebræum enim *Cheret*, ſonat *ſacculum* vel *ſtilum*.

De vitulo hoc aureo ſingularis obtinet apud Mahometanos traditio, fert enim; Simulacrum illud corpus exhibuiſse deſtitutum anima, mugitum tamen edidiſse bovinum; ita verò rem totam componunt. Iſraelitæ commodato impetraverant ab Ægyptiis, antequam pedem referrent ea eorum regione, vaſa plurima aurea & argentea; collegerunt inſuper opima ſpolia Ægyptiorum, quos vortices maris abſorbuerant; quare & negociationi prædam hanc totam expoſuerunt. Sameri, vir princeps apud Hebræos, rem totam detulit ad Aaronem, qui clavum populi, abſente fratre, moderabatur, admonuitque pariter Sacerdotem, illegitimum indicare ſe commercium illud populi. Statim Aaron mandatis oneravit Sameri ut iſthæc omnia colligens depoſita retineret apud ſe, quoaduſque Moyſes è monte Sinai deſcenderet.

Sameri, fuſor metallorum peritiſſimus, è re eſse cenſuit, ſi in unam maſsam redigeret precioſa illa, quò ſcilicet parata haberet Moyſes ad opus, quod maxime judicaret. Dum igitur in fuſorio vaſe liquaſset metalla illa, continuò, caſu rem totam dirigente, factum eſt, ut vituli ſpecies quædam conflaretur. Ad aſpectum ſimulacri caſu producti Iſraelitæ, veteri in Ægypto habitudine ad Idololatriam

propenſi, vitulum illum non ſine religioſo quodam obſequio ſuſpexerunt. His fovendis Idololatriæ ſeminibus, Sameri pulverem accipiens intra fauces vituli iniecit, ſtatimque mugiit animal; & Hebræi ingenua coram numen & in cultum. Sed unde prodigioſus ille pulvis venit in manus Sameri? Acceperat, inquiunt illi, è pulvere quem triverat pedibus equus Archangeli Gabrielis, qui in fronte Hebræorum incedebat in deſerto.

VITULUS SAGINATUS, de quo alicubi in Scriptura, uti Proverb. 15. 18. & 1. Reg. 28. 24. Luc. 15. 25. Jerem. 26. 21. vitulus erat ideo ſaginatus, ut in Feſtis quibuſdam ſolemnibus valeret ſeu ad ſacrificia ſeu ad convivia. Obtinebat id pariter apud Paganos. Horatius, *lib.* 1. *Epiſt.* 3

Paſcitur in veſtram reditum votiva juvenca.

VITULUS LIBANI, de quo in Pſalm. 38. 6. *Comminuet eos tanquam vitulum Libani*; eſt vitulus vel juvencus, qui paſcit in Libano. *Vox Dei*; tonitru nempe & procella; *confringet cedros Libani*, tam promptè ac facilè quomodo comminuet *vitulum Libani*. Hebræus ita pariter reddi poſſet: Vox Domini deſilire faciet cedros Libani, quemadmodum vitulus deſultat in pratis: Agitabit montes Libani & Sirion, quemadmodum pullus Rhinocerotis.

VITULI LABIORUM, de quibus Oſee (a); ſunt ſacrificia laudum precesque à captivis Babyloniæ oblata Domino, cùm ſacrificia ejus in Templo offerre prohiberentur. Septuaginta legerunt *fructus labiorum noſtrorum*, pro *vitulos*, *vel tauros labiorum noſtrorum*, quam etiam lectionem retinet Syriacus, & Apoſtolus *Hebr.* 13. 15.

Singularem quandam cæremoniam innuit Jeremias 34. 18. 19. cujus nulla eſt mentio in Libris hiſtoricis Scripturæ. *Ait Dominus: Dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones vituli*. Quando fœdus illud, & qua de cauſa compoſitum eſset, ignoratur. Nec tamen res ea fuiſse videtur ætatis vetuſtæ, cùm viverent adhuc homines, qui fœdus juraverant. Mos diſsecandi victimas, & ſectas portiones imponendi ſuper duas Aras, tum & medios traducendi homines, qui fœdus juraverant, notus eſt in Scriptura æquè & apud Prophanos. Vide Geneſis 15. 9. 10. 17

VIVERE, *vita*. Geminæ iſtæ voces quemadmodum *mori* & *mors*, de quibus nos aliàs, ambiguæ ſunt maximè; æquè enim valent literali ac typico ſenſu, æquè etiam de vita corporis ac de vita animæ, de vita fidei, gratiæ, & innocentiæ, de vita temporali atque æterna. *Anima vivens* eſt vivens anima, vivens aliquis homo: *Ut vivat anima mea ob gratiam tui Geneſ.* 12. 13.; ut ſcilicet vita mihi quidem conſervetur tui gratia. Exodi 33. 20. *Non videbit me homo & vivet*; i. e. ſi cui ſe Deus viſu quodam ſupernaturali revelaverit, ille diſcrimen vitæ incurret; nemo hominum fulgorem majeſtatis ejus ſuſtinebit. 1. Reg. 20. 3. *Vivit Dominus, & vivit anima tua*; juro per vitam Dei, & per vitam tuam. Jurat Deus per vitam ſuam, Deut. 32. 40. *Levabo ad Cælum manum meum, & dicam: Vivo ego in æternum*.

Aquæ viventes Levit. 14. 5. & 15. 17. aquæ ſunt puri laticis, aquæ fontanæ, aquæ fluentes. Immolabatur paſser ſuper aquas vivas in vaſe fictili contentas, quæ luſtratio erat leproſorum. Filii Summi Sacerdotis Heli carnes coctas ab iis, qui conveniebant in Templum recipere non contenti, exigebant *carnem vivam* 1. *Reg.* 2. 15., i. e. crudam, ut pararent ad guſtum: *Non enim accipiam a te carnem coctam, ſed crudam*. Hebræus *carnem vivam*.

Dominus appellatur *Deus vivens* alius profectò à Diis gentium, qui è mortuis hominibus vel aſtris vel animantibus, accepta tantùm ab alio & temporali

(a) Oſee 14. 3. Septuag. *Carpon ton cheilon emon*; *fructum labiorum noſtrorum*. Legerunt illi, *peri*, pro *parim*.

Digitized by Google

porali vita viventibus conſecrabantur in Numina. Non ita profectò Deus vivens, ipſe & immortalis & vitæ omnis author, atque origo, *in quo vivimus, movemur, & ſumus Act.* 17. 28.

Juſtus ex fide vivit, ait Apoſtolus, *Rom.* 1. 17. fides vivificat animam, ſed fides, quam animat charitas *Galat.* 5. 6 nec in præſtandis bonis operibus eſt iners; quæ enim non præſtat opera illa *fides mortua eſt*, *Jacob.* 2. 20. Quicunque pariter mortui ſunt interitu peccati ad novam revocantur vitam, ſi in Chriſtum crediderint; & quos animat fides viva & actuoſa morientur nunquam, ſeu potiùs poſt mortem vita donabuntur æterna: *Joan.* 11. 25. 26. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Vidua, quæ in deliciis* agit vitam, *vivens mortua eſt* 1 *Timot.* 5. 6. Perhibet de ſe Apoſtolus, *Philipp.* 1. 21. *Mihi vivere Chriſtus eſt*; nihil ſpiro niſi gloriam Dei; illi tantùm & non alteri vivo: felicem, ſi id aſſequar, ut pro illo moriar: *Et mori lucrum.*

VIVIFICARE, eſt vitæ reddere ad literæ rigorem. 1. Reg. 2. 6. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad Inferos, & reducit.* Oſee 6. 3. *Ipſe percutiet & curabit nos; vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos*; eſſuſcitabit poſt duos dies, ut tertia tandem die luminis auras ſuſpiciamus. Eliſeus *vivificaverat filium* viduæ Sunamitidis 4. *Reg.* 8. 5.

Vivificare eſt etiam conſervare; captos in terra hoſtili *virum & mulierem non vivificabat David*; nemini conſervabat vitam 1. *Reg.* 27. 11. Edicto præcepit Pharao Iſraelitis *Act.* 7. 19. *Ut exponerent infantes ſuos, ne vivificarentur.* Cùm impius reſipuerit, & faciet juſtitiam *ipſe animam ſuam vivificabit Ezechiel.* 17. 27. *Dominus conſervet eum, & vivificet eum* 1 *Pſal.* 40. 3. valetudinem illi & vitam felicem largiatur.

Vivificare typicè eſt ex ingenti diſcrimine, captivitate, è morbo, ex ingruenti malo liberare. Captivi Babyloniæ verſantes exorabant identidem Deum in Pſalmis *ut vivificarentur Pſal.* 76. 19 & 11. 8. 17. 25. 107. 159. ut ſcilicet è mortis ſtatu, dolore, & gemitu evocarentur: *Vivifica me per miſericordiam tuam; vivifica me ſecundum verbum tuum.*

Vivificare ponitur interdum in Hebræo ad deſignandam reſtitutionem Urbis, ædium, mœnium. 2. *Eſdr.* 4. 2. *Num vivificare poterunt lapides iſtos cæmentatos?* 2. *Eſdr.* 4. 2. ut farciant mœnia Jeruſalem? David Urbem Jeruſalem ædificavit à Mello in gyrum 1. *Par.* 11. 8. Joab vero *reliqua urbis vivificavit*, extruxit. Habacuc 3. 2. *In medio annorum, Domine, vivifica illud*; vetera ſcilicet prodigia revoca. S. Paulus 1. *Cor.* 15 37. *Quod ſeminas non vivificatur* (non germinat), *niſi priùs moriatur.*

In Apoſtolorum Scriptis *vivificare* uſurpatur frequentiùs pro revocanda vita animæ, quæ vita eſt in fide, charitate, gratia, morum innocentia. Qui ſervare voluerit vitam ſuam diſpendio veritatis, perdet animam ſuam; qui vero ad defendendam veritatem & fidem perdiderit vitam ſuam, *vivificabit* animam ſuam *Luc.* 17. 33. *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat* 1. *Cor.* 3. 6. *Lex vivificare non poteſt Galat.* 3. 21. i. e. dare juſtitiam, ſine fide charitati ſociata.)

ULAI, Euleus amnis, qui prope Suſas in Perſidem fluit. *Ad portam ejuſdem fluminis*, nempè ad portam urbis amnem reſpicientem, Daniel celeberrimam viſionem intuitus eſt (a).

I. ULAM, filius Machir ex Maacha, & pater Balam, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 7. 16.

II. ULAM, filius Eſec ex eadem Tribu 1. *Par.* 8. 39.

ULAM, loci nomen. Vicus *Ulamma*, ſitus eſt 12. m. paſſibus à Diocæſarea, Orientem verſus, authore Euſebio *in Oulamous*.

ULAMAIS. Vetus urbis Dan nomen *Ulamais* legitur in Septuaginta; Hebræus tamen habet *Ulam-Lais*; *Judic.* 18. 29. quod verti poteſt: *Olim Lais*; vetus autem ejuſdem urbis nomen Lais fuiſſe ſatis conſtat. Vide *Judic.* 18. 7. 14.

ULAM-US, ſive *Ulam-Luz*, vetus nomen urbis Bethel apud Septuaginta; ſed Hebræus habet *Ulam-Luz*, quod ſonat: *Olim Luz*; *Gen.* 18. 19. nempè quæ priùs Luz, dein Bethel appellata eſt (b).

ULATHA, urbs inter Galilæam, & Trachonitidem. *Antiq. l.* 15. *c.* 13.

(ULTIO. Ultio, ut dolor eſt animi ſauciati ab irrogata nobis injuria, aliena eſt à Deo. Nemo hominum tantùm valet, ut tranquillum pacis ejus conturbet, dolorem in ejus cor inſinuans & angorem. *Ultio, doloris confeſſio eſt*, ait Seneca de *Ira l.* 3. *cap.* 5. Ideò tantùm ultionem urget homo, quòd ſenſu doloris ab accepto ex injuria vulnere tactus, lenimen quærit. Cùm igitur ulciſci ſe Deum habet Scriptura, phraſi utitur impropria & populari. Ulciſcitur ille injurias Majeſtati ſuæ, atque inductæ in mundum œconomiæ irrogatas; ſed tranquilla ſunt apud illum & pacifica omnia. Ideò quæ patiuntur iniqua amici ſui, & familiares ultione corrigit, quia ſic exigit æquitas, ſic poſcit rerum ordo & juſtitia, Ultionem verò ideo urget homo, quòd imbecillis eſt & ſauciatus, ac nimio amore ſui agitur. Temnere injurias magnanimi eſt hominis; anima lumine fidei illuſtrata ultionem & judicium in Deum unicè remittit.

ULTIO eſt interdum in Scriptura pruritus aliquis inferendi injuriam alteri, ſeu injuria ipſa illata, quæ honeſto juſtæ ultionis titulo velatur. Jurat per thronum ſuum Nabuchodonoſor ultionem exacturum ſe de gentibus illis, quæ jugum detrectaſſent; quaſi ſcilicet jure ipſis imponeretur. *Judith* 1. 12. & 2. 1. Idem reputes de ultione illa Idumæorum in populum Juda, de qua Ezechiel 25. 12. *Pro eo quod fecerit Idumæa ultionem, ut ſe vindicaret de filiis Juda*, *Ezechiel.* 25. 12.

Cùm datam alicui à Deo ultionem legimus, ut in Pſalmo 17. 48. *Deus, qui das vindictas mihi*; deſignari hiſce reputandus eſt Deus manibus alicujus permittere hoſtes ſuos, ad exigendam ultionem, vel etiam ipſum per ſe homines in ſervos ſuos injurios punire.)

ULULA, corvus nocturnus, quæ ſæpe avis cum altera ejuſdem generis *Lucifuga*, nempe noctua, confunditur. Inter impura animantia à Moyſe rejecta *Levit.* 11. 17. *Deut.* 14. 17. Iſaias 13. 22. Babylonem in ſolitudinem redactam deſcribens, ululas in illa cantilenas alternaturas prædicit. Tandem Pſalmiſta in luctu ſuo ululæ ſub tecto ſe comparat. *Pſal.* 101. 7. Sed de ſignificatione vocum Hebræarum, quibus reſpondet *bubo, ulula, nycticorax, noctua*, non ſatis inter Commentatores convenit. Illos adi. Vide & *Bubo, noctua.*

UMMA, ſive *Amma* urbs Tribus Aſer *Joſ.* 19. 30.

UNCTIO. Nihil apud Hebræos unctionibus frequentius. Valetudinis, & munditiæ gratia ungebantur. Suæ erant unctiones comæ, capitis, & barbæ. *Pſal.* 132. 2. In conviviis, & in publicis ſolemnitatibus totum corpus, ſive tantùm caput, & pedes ungebant. *Jo.* 12. 3. *Luc.* 7. 36. 48. *Matth.* 6. 17. Servandis autem à corruptione, & ſanie cadaveribus, ſuæ etiam unctiones adhibebantur. *Marc.* 14. 8. & 16. 1. *Luc.* 23. 56. Unctione inaugurati Reges, & Summi Sacerdotes (c); uncta & vaſa Sacra Tabernaculi, & Templi; qua cæremonia Domini obſequiis conſecrabantur, *Exod.* 30. 26. &c.

In Lege Gratiæ unctionem ſpiritualem Jeſu Chriſti agnoſcimus; ipſe enim à Patre vere Unctus *Luc.* 4. 18. *Act.* 4. 27. 10. 18. nos unctione Gratiæ ſuæ initiavit, 2. *Cor.* 1. 21. ſigillo ſuo obſignavit, atque pignus conceſſit Sancti Spiritus in nobis jugiter inhabitantis. Nec deſunt in eadem Lege naturales unctiones. Apoſtoli enim prædicando Evangelio à Jeſu Chriſto

per

(a) Dan. 8. 2. 16. A. M. 3447. ante Ch. 553. ante Ær. 557. an. 3. Balthaſaris Regis Perſarum.
(b) Vide Hieron. in Bethel. (c) Exod. 29. 29. Levit. 4. 5. Judic. 9. 8. & 1. Reg. 9. 16. & 3. Reg. 19. 15. 16.

Digitized by Google

per Judæam dimiſſi, *Marc.* 6. 13. longè lateque prodigiis clarebant, atque inunctis oleo ægrotis, in nomine Domini valetudinem reſtituebant. Si quis Fidelium, ait S. Jacobus 5. 14 ægritudine decumbat, adhibitis Presbyteris Eccleſiæ, orationes pro ſe fundendas curet; acceptaque ab ipſis olei unctione in nomine Domini, ita fiet, ait, *ut oratio fidei infirmum allevet; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. Inde repetenda eſt Catholicæ Eccleſiæ Doctrina, Extremam Unctionem inter Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta recenſentis; inter Sacramenta, inquam, quibus Gratiæ ſanctificantis donum adjungitur (a).

(UNCTIO. Exprimit ea vox peculiarem quamcumque ſanctificationem, vel deſtinationem ad cultum Dei & ad opus aliquod ſacrum. Pergens in Meſopotamiam Jacob inunxit oleo lapidem, in quo recubaverat, dum inter dormiendum viſione quadam Dei donatus eſt, *Geneſ.* 28. 18. Unctione autem illa dedicatus eſt quodammodo lapis in Aram Domino. Poſt aliquot evolutos annos eò ſe conferens, novo chriſmate lapidem illum delibuit, *Geneſ.* 35. 14. Deo revelante didicit Moyſes, *Exod.* 30. 23. *&c.* qua parandum eſſet arte oleum vel onguentum, ad ungendos Sacerdotes, & vaſa Templi. In eum uſum adhibenda erant exquiſitiſſima omnia, oleum, aromata: *Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur è populo ſuo.* Abuſum ejus unguenti in uſus profanos vitio populo ſuo vertit Ezechiel 23. 41. *Thymiama meum & unguentum meum poſuiſti ſuper eam* (menſam tuam).

Qua initiabantur homines Deo ſacri, ornamenta ſacra, utenſilia Templi vel Tabernaculi, Aræ vaſa, unctio è profanis illa & communi uſu deducta conſecrabat elevabatque ad novam quandam dignitatem, qua reddebantur Sancta, ſacra & inviolabilia. Unctio Aaronis & filiorum in totum latè genus derivata eſt, conſtituitque illud in familiam Dei ſpeciali cultui & obſequio ſacram. Hiſce autem cæremoniis tota conſecratio Aaronis peracta eſt, *Levit.* 8. 1. 2. 3. 8. 9. 10. 11. *&c.* Conſtituti ſunt à Moyſe omnes præ foribus Tabernaculi coram frequenti populo, ac loti priùs, oblati ſunt Domino, tanquam ab illo probandi. Tùm indutus eſt à Moyſe Aaron Pontificiis omnibus ornamentis, affuſumque latè ſuper caput oleum ſacrum (b); perfuſa & oleo eſt coma, defluente inde liquore in barbam & tunicam, *Pſalm.* 132. 2. Unctæ ſunt pariter & veſtes; tenent autem Rabbini unctionem olei in capite deſcripſiſſe figuram X, vel Crucis S. Andreæ; vel juxta alios figuram *Caph*, quæ literula eſt Hebraica. Vulgarium Sacerdotum unctionem peractam fuiſſe tantùm in manibus tenent plures (c). Nulla fuit in Levitis initiandis unctio.

Cæremoniæ iſtæ quotidie per ſeptem ſuccedentes dies innovatæ ſunt; docentque Rabbini (d), quoadusque oleum illud vel unguentum à Moyſe compoſitum perſeveravit unctione initiatos fuiſſe, iterato ſeptem dierum ritu Summos Sacerdotes, qui ſuo ſinguli ordine ſucceſſerunt. Ex quo verò unguentum omne diſſipatum eſt, tunc ritus inaugurationis Summorum Sacerdotum abſolutus eſt indutis per ſeptem ſuccedentes dies initiandis dignitatis ſuæ Pontificiæ inſignibus. Porrò Summi Sacerdotes primævo illo ritu conſecrati appellabantur: *Sacerdos unctus*, *Levit.* 4. 3. *&* 5. 16. qui vero Sacram dignitatem adibant aſſumptis tantùm ſacris veſtibus, diſtinguebantur nomine: *Initiatus per veſtes*. Tradunt inſuper nunquam reparatum fuiſſe priſtinum illud oleum à Moyſe confectum, ex quo uſu inſumptum eſt: id autem perſeveraſſe credunt uſque ad captivitatem Babylonicam. Sed Patribus Eccleſiæ perſuadetur (e) ritus ille ungendi Summos Sacerdotes prorogatus fuiſſe adusque adventum veri Uncti Meſſiæ, i. e. Jeſu Chriſti. Nec Moyſes unquam vetat inſtaurari novum unguentum, quin & ejus parandi artem ideò potiſſimùm deſcribendam curaſſe videtur, ut poſthac diſcerent Judæi quid facto opus eſſet, cùm res poſceret.

Regum unctio nunquam præcipitur à Moyſe, ſed inſinuatur non uno exemplo in Hiſtoria Sacra. Unctus eſt Saul a Samuele 1. *Reg.* 10. 1. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in Principem*. Eadem unctionis inauguratio iterum innovata eſt aliquanto poſt in Galgalis (f), cùm Saul ab anguſtia copiarum Naas Regis Ammonitarum Urbem Jabes Galaad relevavit. Idem pariter Samuel, juſſus à Domino, *tulit cornu olei, & unxit eum* (David) *in medio fratrum ejus* 1. *Reg.* 16. 13. Cùm verò Regnum diu habuerit David ille anceps, quòd æmulos haberet Principes è genere Saul, innovata eſt ea unctio poſt priorem illam iterum, atque iterum; namque conſecratus fuit in Hebron agente Tribu Juda poſt obitum Saulis 2. *Reg.* 2. 4. tum iterum in Hebron poſt obitum Abner ab univerſo Iſraele 2. *Reg.* 5. 1. 2. 3. 4. Abſalom excuſſo jugo Regis patris ſui adſcivit ſibi cum titulo & Regiam pariter unctionem 2. *Reg.* 19. 10. & Salomon, cùm æmulum habuiſſet in ſucceſſione Regni fratrem ſuum Adoniam, inauguratus fuit unctione à Sadoc Summo Sacerdote & Nathan Propheta 3. *Reg.* 3. 34. 38.

An Reges Iſrael morem illum ſatis familiariter adoptaſſent, nullo teſtimonio diſcimus. Juſſus eſt Elias à Deo ungere in Regem Syriæ Hazaelem, & Regem Iſrael Jehu filium Namſi 3. *Reg.* 19. 15. 16. Hæc ſibi impoſita mandata per ſe quidem nunquam exequutus eſt Elias, ſed ejus nomine ac loco poſt aliquot annos Eliſeus ejus diſcipulus Jehu conſecravit. Unus eſt hic inter Reges Iſrael, cujus ſatis expreſſa legatur unctio in Textu Sacro. Regum verò Juda unctio pluribus exemplis adſtruitur ad everſionem uſque Regni; id autem tum potiſſimùm licet ſpectare, cùm ſucceſſio in Principatu non ſatis aſſerta eſſet, nec explorata jure hæreditario, uti e. g. ſub Joas & Joachas filio Joſiæ 4. *Reg.* 11. 12. inter liberos ejus Principis natu non majori. Poſt ſolutam captivitatem deſiit ritus ungendi quoad Reges 4. *Reg.* 23. 30. & quoad Sacerdotes pariter tenent Judæi.

Tandem Prophetarum unctio adſtruitur quidem in Scriptura; ſed ejus ritus nullus deſcribitur; quin & ambigitur num reipſa Prophetæ inungerentur. Elias miſſus eſt à Deo hoc oneratus mandato. *Eliſeum filium Saphat unges Prophetam pro te* 3. *Reg.* 19. 16. Sed in exequutione ejus præcepti id tantùm præſtitiſſe Elias in Eliſeum legitur: *Miſit pallium ſuum ſuper illum*. Nec mora, Eliſeus vomere, bubus, cæteriſque omnibus abjectis, contulit ſe in ſocietatem Eliæ. Vero igitur propius reputaremus, vocem *unctionis* hic poſitam eſſe pro mera deſtinatione ad munus Prophetæ.

Unctio Chriſti Meſſiæ, uncti Domini honoris prerogativa quadam, ceu typo exprimebatur ab unctionibus illis, de quibus huc uſque diſſeruimus. Prædicta eſt illa in Pſ. 44. 8. *Dilexiſti juſtitiam, et odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo juſtitiæ præ conſortibus ſuis*. Iſai. 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me* Danielis 9. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſummetur*

(a) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. 2. 3. 4. de Sacram. Extremæ Unctionis.
(b) Vide Exod. 29. 7. (c) Toſt. Junſ. Menoch.
(d) Selden. de ſucceſſion. in Pontif. l. 2. c. 9. & Cunæus de Repub. Hebræor.
(e) Vide Euſeb. l. 4. Demonſt. c. 4. Chryſoſt. orat. 2. contra Judæos Cyrill. Jeroſolym. cathech. myſtag. 3. contra Judæos, Athan. de Incarnat. Verbi &c.
(f) 1. Reg. 11. 15. Vulg. & Hebr. *Fecerunt ibi Regem Saul*. Septuag. & Joſeph: *Unxit ibi Samuel Saulem in Regem*.

metur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.)

UNGUENTUM. Unguentorum uſus Hebræis, cæteriſque Orientalibus, priuſquam Romanis, & Græcia, familiariſſimus fuit. Primum unguentorum inventorem ignorari, & in Trojæ obſidione ignota fuiſſe unguenta, Plinius *l.* 13. *c.* 1. teſtatur. Baccho eam gloriam tribuit Ovidus *Faſt. l.* 3. Arnobius *l.* 7. *cont. Gent.* heroicis temporibus unguenta ignota fuiſse contendit. Moyſis tamen ætate nota fuiſse neceſse eſt, cùm hic unguentarii meminerit *Exod.* 30. 25. duoque unguentorum genera tradat, quorum unum Domino in aureo Altari offerendum eſset, *Exod.* 30. 34. &c. alterum ad Aaronem filioſque, Tabernaculum, vaſaque ipſius ſervitio deſtinata, ungenda, confectum eſset. *Exod.* 30. 23.

Horum unguentorum primum, ſtacte, onyche, vel ungue odorato, galbano, & thure, omnibus æquo pondere, conficiebatur. Hoc verò ſacrum erat, ac inviolabile, cunctiſque illud in ſuos uſus convertere ſub mortis pœna interdicebatur. Singulis diebus manè & veſpere illud Altari aureo, in Sancto collocato, imponebatur; quod hebdomadarii Sacerdotis munus erat. Hoc munere Zacharias pater S. Jo. Baptiſtæ fungebatur, cùm illi Angelus viſus, Præcurſoris ortum prænunciavit. Aliud unguenti genus, liquidum illud, ungendis Sacerdotibus, Tabernaculo ſacriſque vaſis, myrrha pretioſiſſima, 500. ſiclorum pondere; cinnamomo, 200. ſiclorum; calamo aromatico, eodem pondere; caſia aromatica, 500. ſiclorum; & oleo olivæ, hin menſura. Hæc mixta unguentum pretioſiſſimum conflabant, quo Aaron, filii, omniaque ad Tabernaculum pertinentia abluta ſunt. Aaronis tamen ſucceſsores nunquam ea unctione initiari creduntur, cùm enim eorum dignitas è patre in filium deſcenderet, ea unctio neceſsaria non videbatur. Hoc unguentum Deus ſervitio ſuo reſervavit; quippe illud ob ſuos uſus confeciſset, è populo delebatur. De Altari Thymiamatis, ſatis diximus *v. Ara Thymiamatis*.

Unguenta etiam Hebræis erant, quibus cadavera condiebantur, quorum compoſitio ignoratur. Vulgò tamen myrrham, aloem, *Jo.* 19. 30. aliaque adſtringentia, quæ fœtorem, & corruptionem averterent, alia idcirco, acuta, & adſtringenda, ad id adhibita novimus. Qua ratione Ægyptii corpora condirent, deſcribit Herodotus *l.* 2. *c.* 86. 87. 88. eamdemque ab Ægyptiis Hebræi didiciſse videntur.

UNICORNIS, Hebraicè *reem*, *Num.* 23. 22. *Deut.* 33. 17. *Iob.* 30. 9. & 29. 6. 11. *Iſai.* 34. 7. Græcè *monoceros*, ſive *rhinoceros*; bellua apud ſacros æquè ac prophanos Scriptores notiſſima. Quamquam portentoſas adcò ejus monſtri deſcriptiones tradiderunt, ut verumne animal, an fictum aliquid ingeſserint, ambigatur. Noſtræ etiam ætatis Itinerantes non ſatis inter ſe ea in re conveniunt. Biennem equum exhibere teſtatur Marmolius, hircina barba deformem, cui in ipſo frontis centro cornu protuberat trium pedum magnitudine, læve, albens, flaventibus veluti radiis variatum. Arvocharis bellua eſt in Æthiopia, ait P. Hieronymus Lobo, perniciſſima, & cornu inſtar damæ inſtructa. Joannes Gabriel Luſitanus vidiſse ſe narrat in Regno Damor unicornem, cui in fronte cornu pedis ac dimidii elegans albumque eminebat. Setis erat in collo, & in cauda nigricantibus, & brevioribus, magnitudine verò & forma ad equum badium accedens. Ludovicus de Bartheme ſcribit, apud Sultanum Meccæ in Arabia oſtendiſse ſe geminos unicornes, quos Rex Æthiopiæ ad Principem miſerat. Porrò, ait, ambo equos 30. menſium ætatis referebant, colore ſubnigro, & capite ad cervum accedente; cornu tres ulnas æquabat; ſeti erant raris, tibiis gracilioribus, bifidis pedibus, & caprinis ungulis. Ferunt etiam, duos eſſe mari unicornes, quorum unus ad litora Inſulæ Teſtudinis, non longè ab Inſula Sancti Dominici, an. 1644. depulſus fuerit. Vide Diction. Artium & Scient.

Ex his planè, quæ hus uſque narrata ſunt, ſatis intelligimus, ea, quæ de Unicornibus in Itinerariis narrantur, vel fabellas eſſe meras, vel plura ac varia belluarum genera unum idemque reputari. Conſtat enim, plura eſſe in Æthiopia & India animantium genera, quæ unico cornu vel in naſo, vel in fronte, vel ſupra caput protuberante inſtructa ſunt. Porrò vaccæ, tauri, equi, aſini, damæ, capræ, aliaque plura animantia, aliquandò unicornia ſunt. Septem unicornium claſſes Dalecampius in Plin. *l.* 8. *c.* 21. & *l.* 11. 56. diſtinguit. Aſinos, oryges, tauros unicornes apud Plinium legas. Coſmas Monachus Ægyptius, *T.* 2. *nov. Collect. SS. PP.* ita rhinocerotem deſcribit, quaſi notiſſima eſſet in Æthiopia bellua. Quin & PP. Jeſuitæ Luſitani & vidiſse ſe & aluiſse in Æthiopia unicornes teſtantur. Idem monſtrum in Perſia ſpectaſse ſe refert Chardinus; eique, ait, cornu ſupra nares protuberabat, forma & magnitudine tamquam panis ſacchari duarum librarum (*a*). Addit autem, belluæ illius cornu fuſco colore, quemadmodum & pellis ſupra nares nigricabat. Roſtratum erat monſtrum, roſtro rotundo, & incurvo, inſtar aquilæ. Os quatuor tantùm dentibus inſtructum, duobus inferioribus. Oculi ferè è regione labiorum depreſſi; cauda tenuis, atque 9. decemque nodis interciſa. Reliquum corpus, excepto dorſo & capite, parvi quidam nodi, ſive calli, veluti teſtudinis ſquammæ, protegebant. Pedibus utebatur brevibus, & compactis, tribus fuſcinis, ſive corneis ungulis in anteriora, ſquammis verò in poſteriora conſtantibus.

Narrant apud Abyſſinos cicurum rhinocerotum eumdem eſse ac elephantum uſum. Unicornium Rhinocerotum cornua frequentiſſimè apud nos in Cimeliis exhibentur; ſed neque magnitudine, neque colore, ac figura conveniunt. Porro genuinum Unicornis cornu album eſse, & 5. palmis porrectum fertur. Maritimæ belluæ eadem prorſus eſt forma, quamquam longitudine ſuperat. Rhinocerotis tandem cornu ab unicorni ideò diſtinguitur, quod ſolidum ſit, ſubnigreſcens, recurvum nonnihil, & illo paulò brevius. Plura ego & magnitudine, & craſſitudine varia contuli, quæ ſanè non unius eſse belluæ mihi perſuadeo.

Cæterum Hebræum *rheem* unicornem, ſive rhinocerotem ſignificare inter Interpretes non ſatis convenit; alii enim de *Vro*, (genus eſt bovis ſylveſtris) dictum interpretantur; alii de dama, vel oryge, quod genus eſt pinguiſſimæ damæ in Arabia, vellere albentis, & amplioribus cornibus inſtructæ. Orygem unico cornu inſtruit Ariſtoteles, duplici Arabes, qui brutum illud *rim* appellant. Porrò *reem* monſtrum fuiſse immite ex eo intelligimus, quòd, *Job.* 39. 9. 10. Deus Jobum interrogat, num ipſe de ſe tantum præſumat, ut cicurare rehem, atque ſub jugum mittere valeat. *Deut.* 33. 17. Moyſes robur Joſephi exaggerans, ejus arma rehem comparat; & Pſalmiſta Deum rogat, ut ſibi effugium præſtet à dentibus leonis, & à cornibus rehem (*b*).

(Album præferre cornu animal illud affirmat P. Lobo; nigrum Paulus Lucas. Minus eſt autem Elephante, ſed robore eximio (*c*). A' collo inferiùs accedit ad bubalum. Ungula armatur non fiſsa ſed integra. Ad ejus aſpectum fugit Elephas. Mugitu fermè refert bovem, ſed & de ſtridore cameli tenet aliquid. Frequentiſſimi ſunt unicornes in paludibus Indiarum. In Tabulario domus Lotaringicæ legiſse mihi ſuccurrit, cadente ſæculo decimo ſexto ſub Magno Duce Carolo emptum fuiſse Unicornem pretio 60000. florenorum: *Soixante mille florins donnez pour l'achat d'une Licorne.*)

VOCA-

(a) Voyage de Perſe t. 3. pag. 45. (b) Pſ. 21. 22. Vide Boch. de anim. ſac. p. 1. l. 3. c. 27.
(c) Adnot. D. Abbatis Renaudot in Iter duor. Arab. ad Sin. Pariſiis. anno 1718. Gallicè.

VOCATIO. Eo nomine Gratiam vocationis ad Fidem, & ad Chriſtianam religionem deſignamus ; quæ ſcilicet vocatio Deo tantum largienti debenda eſt ; ſiquidem juxta Apoſtolum, 2. *Timoth.* 1. 8. 9. *vocavit nos vocatione ſua ſancta , non ſecundùm opera noſtra , ſed ſecundùm propoſitum ſuum , & gratiam , quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu , ante tempora ſæcularia .* Gratia prædeſtinationis vocationem, hæc verò juſtificationem præcedit ; per eam autem, gratiarum veluti inſtratam viam, ad ſalutem deducimur ; *Quos enim prædeſtinavit , hos & vocavit ; & quos vocavit , hos & juſtificavit ; quos autem juſtificavit , illos & glorificavit* , *Rom.* 8. 30. Hanc tamen vocationem etiam atque etiam aſſerere proborum operum , non ſine Dei auxilio, exercitio, ad nos pertinet, 1. *Petr.* 1. 20. ut ſcilicet vitam inſtituamus dignam ea ſpe , ad quam erigimur, 2. *Theſſal.* 1. 11. ſiquidem , ait Chriſtus, *multi ſunt vocati , pauci vero electi* , *Matth.* 22. 14.

VOLUCRIS. Ex terrane, an ex aquis ortum duxerint aves, & an in numero piſcium , quos diebus ab Eccleſia vetitis licet comedere, cooptari poſſint, an denique non diſſimilia à quadrupedibus cibus ſint , diſceptatur . Alii alia . Moyſes de avium creatione loquens, *Geneſ.* 1. 20. ait : *Producant aquæ reptile animæ viventis , & volatile ſuper terram , ſub firmamento Cæli.* Hebraica litera hæc ſonat. *Producant aquæ reptile vivens , & aves volitent ſuper terram .* Qui Textus aves ex aqua productos, ut piſces, minimè probat. Caput 2. 19. Geneſis, aves è terra productas innuere videtur : *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ , & cunctis volatilibus Cæli &c.* Quod autem ex hoc inferri volunt , avium comeſtionem vetitis diebus, non ſecùs ac piſcium , licitam eſſe, manifeſtè abuſivum apparet ; avium enim caro quadrupedum carne delicatior, nec ſucco minor, nec minùs abſtinentiæ, & ſenſuum depreſſioni , ab jejunio intentis, contraria videtur : *Nec ideo te carne veſci non putes* , ait S. Hieronymus *Ep.* 9. *ad Salvinam , ſi ſuum agreſtium , leporum , atque cervorum , & quadrupedum animantium eſculentias reprobes ; non enim hæc pedum numero , ſed ſuavitate , & guſtu comprobantur.*

Qui aves ex aqua , ut piſces, eductas volunt, Scriptura nituntur , & SS. Patribus , favente Moyſis Textu , qui eodem loco & piſcium & avium creationem enarrat ; nec ſexta die , qua de quadrupedum formatione agit, *Gen.* 1. 24. 25. aves nominat , & cap. 1. 21. opera quintæ diei in compendium revocans, expreſsè à Deo creatos piſces, marina monſtra , & aves juxta genus ſuum teſtatur : Deum denique ipſis benedicentem , piſcibus quidem dixiſſe : *Multiplicamini , & replete maria* ; avibus verò : *Replete terras* . Hunc Moyſis Textui plerique Patres, & Interpretes (a) ſenſum dedere. Aves enim & piſces eadem die , & propagine ortos exiſtimant.

Eſus etiam volatilium diebus vetitis, hanc veterum opinionem fuiſſe comprobat, ortas nempe aves ex aquis. Qui uſus apud Socratem Hiſtoricum *l.* 5. *hiſt. c.* 21. & Nicephorum *hiſt. l.* 12. *c.* 34. conſtat , qui in uſu quibuſdam fuiſſe teſtantur avium & piſcium eſum, quòd ex aquis utrique educti fuiſſent. Plurium etiam Sanctorum Virorum exempla ſuperſunt , qui avibus veſcebantur , licèt abſtinentiam profiterentur . S. Epiphanius avem S. Hilarioni comedendam exhibuit ; quam tamen Sanctus Anachoreta reſpuit, ſuam ab omni eo, quod vitam habuiſſet, abſtinentiam cauſatus (b). Sanctus utique Epiphanius vitæ Monaſticæ inſtitutum minimè ignorabat ; & S. Hilarionem ſollicitare, ut id violaret, caviſſet . S. Hieronymus in ſua ad Salvinam epiſtola , volatilium uſum aliquibus fuiſſe diebus vetitis innuit ; quamvis quorumdam abuſum reprobaret, qui hac permiſſione ad ſenſuum licentiam abutebantur. Author eſt Beda *in vita S. Cutberti n.* 10. S. Cutbertum Monachis nonnullis, qui ipſum venerant ſalutatum, anatem comedendam exhibuiſſe . Quamquam S. Benedictus *Reg. c.* 39. Monachos ſuos carne quadrupedum interdicit , avium tamen non meminit ; pluribuſque conſtat exemplis , quibuſdam anni temporibus, communem in ejus Religione tutò avium comeſtionem in uſu fuiſse (c), uti quatuor vel octo ante Domini Natalitium , & Pentecoſten diebus ; idque dum adhuc Inſtituti rigor vigebat . Videantur de hac re Interpretes in Geneſim cap. 1. 20. 21. 22. & qui Regulam S. Benedicti cap. 39. explicarunt. Vide præcipuè P. Hæftenum in Diſquiſitionibus Monaſticis, & P. Martenne in ſuis Commentariis in Regulam S. Benedicti.

Voluere nonnulli Interpretes (d), aves è terra formatas, ut quadrupedes ; alii (e) ex aere , quòd aer cum aqua nonnihil conveniat, illudque animalia elementum incolant , ex quo ortum duxerint : ſic animalia è terra producta , terram ; piſces ex aqua nati , aquam frequentant. Magnum igitur , inquiunt, aves ex aere natas eſse argumentum eſt , illas in aere vivere . Videantur Interpretes .

De puris , vel immundis avibus conſulendi ſunt Leviticus, & Deuteronomium, *Levit.* 11. 13. . . . . 24. *Deut.* 14. 11. &c. Nos de quibuſcumque ſingillatim ſuis locis in Dictionario diſſeruimus.

VOLUCRUM SACRIFICIA. Vide *Sacrificia.*

(**VOLUNTARIUS** poni ſolet pro eo, qui ſpontè aliquid offert , vel aliquid ſuſcipit præſtandum in gloriam Dei , pii cordis affectu & non præcepto inductus : *Omnis voluntarius , & prono animo offerat primitias Domino Exod.* 35. 5. , Pſalmus 118. 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine* ; vota ſcilicet mea vel laudes ſpontaneas . Amos 4. 5. *Vocate voluntarias oblationes* ; i. e. ad ſonum tubæ invitate ad ſacrificia pacifica , Domino ſpontè offerenda . S. Paulus 2. Cor. 8. 3. de Eccleſiis Macedoniæ *Supra virtutem voluntarii fuere* ; i. e. liberales.

Pſalmus 67. 10. *Pluviam voluntariam* (liberalem , abundantem) *ſegregabis , Deus , hæreditati tuæ* . Dictum hoc commodè acciperetur de manna , quam diviti imbre ſuffecit Deus populo ſuo in deſerto . Pſal. 53. 8. *Voluntariè ſacrificabo tibi* ; offeram ſcilicet ſacrificium euchariſticum & pacificum . Vide Levit. 3. 1. 2. 3. &c. Apoſtolus ad Hebræos 10. 26. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis , jam non relinquitur pro peccatis hoſtia* . Olim in Lege ſacrificia ad expiationem delictorum commiſſorum in ritus legales tandiu reiterabantur, quandiu poſcerent peccata iterum atque iterum commiſſa ; ſed in nova Lege, qui ſponte lapſi ſunt in crimen aliquod grave, illis utique ſpes remanet nulla ut Chriſtus iterum veniat ad mortem pro ipſis obeundam ; ſemel enim occubuit , nunquam poſthac interiturus . Qui ingenti quodam crimine reos ſe damnationis conſtituunt , illis eſt utique ſpes reliqua veniæ , ſi admiſerint pœnitentiam ; ſed via hæc & remedium ardua ſunt maximè ; neque enim commoda ſunt adeò ac Baptiſmus , qui ſemel tantùm datur . Sunt qui *voluntaria* hæc *peccata* apud Apoſtolum accipiant de finali impœnitentia , obfirmato in malum animo , deſperatione vel peccato in Spiritum Sanctum . Videſis Commentariorum Scriptores.)

VOLUNTAS. Præter animæ facultatem , qua ſcilicet aliquid volumus, amamus, optamus, *voluntas* etiam plura deſignat : 1. Voluntatem Dei , cui omnia obſequuntur : *Voluntati ejus quis reſiſtit* (f) ?

(a) Vide Ambroſ. l. 5. c. 314. in Hexaemer. & hymno fer. 4. ad veſp. Cyrill. l. 1. in Geneſ. Chryſoſt. homil. 7. in Geneſ. Damaſc. de fide Orthod. l. 2. c. 9. Baſil. hom. 9. in Hexaemer. Hieronym. Ep. ad Oceanum. Vide Perer. & alios Interpretes ad Gen. 1. 20. 21. 22. (b) Monument. Eccl. Græc. t. 1. p. 418.
(c) Vide Theodemar. Ep. ad Carol. Auguſt. & Martenne Comm. in Reg. S. Bened. c. 39. p. 525. 526.
(d) Caietan. Cathar. Lipom. Vielmiaer Zurich, &c. (e) Aug. l. 3. de Geneſ. ad lit. c. 3. Rupert. l. 1. c. 50. de Trinit.
(f) Vide Rom. 9. 15. Gen. 50. 19. Iſai. 46. 10.

Digitized by Google

a. Voluntas eſt votum quoddam. Ita Jeſus Chriſtus optare ſe dixit, ut Paſſionis ſuæ calix à ſe removeretur, ſi tamen Dei voluntas ita diſpoſuiſſet, *Matt.* 26. 39. Eadem voluntate Deus impios perdere nollet, a. *Ezech.* 18. 13. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii?* Vult enim, ut reſipiſcentes vivant, cui tamen, ſi obſiſtentes illi contradixerint, Deus illos à præcipitio retrahere nulla adigitur neceſſitate. 3. *Voluntas* idem ſæpè deſignat, ac *voluntatem ſigni*. Deus e. g. amari ſe, atque morem ſibi geri ab hominibus jubens, hunc velle amorem atque obſervantiam convincitur; interim tamen rari ſunt, qui hæc in Deum officia impleant. Non deſunt etiam Theologi, qui nullam conferri à Deo gratiam ſive Infidelibus, ad quos nulla facta eſt Evangelii prædicatio, ſive impiis in crimine obduratis, contendant. Fateamur igitur oportet, eam, qua Deus viros illos proſequitur, voluntatem, ut ſcilicet amore, & obſequio colatur, juxta illorum Theologorum doctrinam, voluntatem eſſe tantummodo ſigni, alteri Divinæ Voluntati, quam beneplaciti appellant, planè oppoſitam (a). Tandem 4. altera eſt apud Theologos voluntas Dei antecedens, qua ſcilicet res, omnibus nudatas circumſtantiis, puras putaſque reſpicit; alia verò voluntas conſequens, qua circumſtantias omnes proſpiciens, illud decernit, quod inpræſentiarum conducit. Deum voluntate antecedente ſalutem omnium hominum velle conſtat; conſequente verò Electis tantummodò patere Regnum Cœlorum vult.

5. *Voluntas* eſt amor, comprobatio, & voluptas: *Non eſt mihi voluntas in vobis*, *Malach.* 1. 10. nempe amor, & voluptas. *Non vocaberis ultra derelicta, & deſolata, ſed vocaberis voluntas mea*, *Iſa.* 62. 4. 6. *Voluntas* tantumdem ſonat, ac propria hominis voluntas. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* *Iſa.* 58. 3. Et Jeſus filius Sirach: *A' voluntate tua avertere*, *Eccli.* 18. 30. *Simon, & Levi in voluntate ſua ſuffoderunt murum*, *Gen.* 49. 6. 7. *Voluntatem Dei facere*, eſt Dei juſſionibus morigerum ſe præbere. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; ſed qui faciet voluntatem Patris mei*, *Matt.* 7. 21. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in Cœlis, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt* *Matt.* 12. 50.

VOTUM, promiſſio facta Deo de meliore bono. Nil frequentius in tota Scriptura, quàm vota. Jacob in Meſopotamiam proficiſcens, decimam bonorum ſuorum omnium, *Gen.* 28. 22. in Bethel Deo offerendam, vovit. Leges quamplurimas, quibus vota, eorumque executio dirigerentur, Moyſes tulit. Se filioſque Domino vovere cuique licebat. Jephte filiam devovit, quin, & uti creditur, immolavit *Judic.* 11. 30. 31. Samuel Deo dicatus eſt, 1. *Reg.* 1. 21. &c. ut Tabernaculo inſerviret. Siquis ſeipſum Domino devovebat, vel ipſe juxta voti ſui conditiones, famulari, vel redimi debebat. Vir major viginti annis, & quinquagenis minor 50. argenteis ſiclis; mulier, 30. redimebatur, *Levit.* 27. 3. A' quinto ad vigeſimum annum, viginti ſicli pro maribus, decem pro fœminis ſufficiebant. Pro puero uſque ad quintum annum, quinque ſicli; pro puella, tres ſolvebantur. Sexagenarii, & his majores viri, quindecim ſiclis; fœminæ, decem liberabantur. Si devotus huic pecuniæ ſolvendæ ob egeſtatem impar fuiſſet, Sacerdos ejus bona perpendens, aliquid ſolvendum imponebat.

Si purum animal voto conſecrabatur, vel redimi vel commutari non poterat, ſed in ſacrificium cedebat. Impurum verò, quod ſacrificio par non eſſet, à domino tantidem redimebatur, quanti illud Sacerdos æſtimabat; cui quinta alia pars addebatur. Idem cum domibus, vel agris devotis ſervabatur. Primogeniti non vovebantur, cùm de ſe ad Dominum pertinerent. Anathemati ſubjecta, nunquam, quæcumque ea forent, redimenda; ſed animalibus interfectis, cætera in perpetuum Domini erant. Naſaræorum conſecratio peculiare quoddam voti genus erat, de quo fuſiùs v. *Nazaræus*. Vide & noſt. Comment in Num. 6.

Filiorum familias vota irrita erant, niſi tacito, vel expreſſo parentum conſenſu firmarentur. *Num.* 30. 1. &c. Eadem dicito de uxoribus. Viduæ tamen & repudiatæ voto tenebantur, *Deut.* 23. 21. 22. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum &c.* Vide *Eccle.* 5. 3. &c.

In N. T. votorum etiam conſuetudo cernitur. Deipara virginitatem voto promiſerat, cùm Angelo reſponderit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* S. Paulus Naſaræatus voto ſe obſtrinxerat, cùm Cenchris, Jeroſolymam petiturus, ſolvit, *Act.* 18. 18. Jeroſolymam veniens, *Act.* 21. 18. Jacobo Apoſtolo, cæteriſque fratribus authoribus, quatuor Chriſtianis Judaizantibus, eodem voto adſtrictis, additus, ſe Templo ſiſtens, eos pecuniis, in eorum purificatione ſolvendis, partim ſua impenſa levavit. Idem, 1. *Timoth.* 5. 11. Timotheum hortatur, ut juvenes viduas evitet; eæ enim, inquit, *cum luxuriatæ fuerint in Chriſto* (molliter Eccleſiæ impenſis vixerint) *nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Omnibus denique ſæculis innumeri propè Fideles ſolemnibus privatiſve promiſſionibus ad Evangelica conſilia, caſtitatis præcipuè, ſervanda ſeſe obſtrinxere.

(Quæ Judæi nuncupabant vota, quæque tacitè ſaltem inferebant dira in voventes ſi voto deeſſent; vota, inquam, illa promebantur plerunque verbis apertis, & perſpicuis. Sed quam inferebant, pœna nonniſi vocibus ſuſpenſis & conditionibus adſtrictis exprimebatur: e.g. Pſal. 94. 11. *Semel juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*; juravi ſcilicet præcludendum fore illis aditum in terram promiſſionis; & ſi promiſſis meis non ſtetero mendax ſim, vel quid aliud, quod non exprimunt verba. Votum nuncupans David de ædificando Templo Domini, ita mentem ſuam aperuit, *Pſal.* 131. 2. 3. 4. 5 *Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, donec inveniam locum Domino*. Nulla hìc exprimitur pœna, cui ſe devovet, ſi dicto non ſteterit; veluti ſcilicet imprecaretur ſibi: Deus toto juſtitiæ ſuæ rigore me puniat, ſi requiem ante admiſero, quàm ut aptum ſcopo locum conſtituam.

Interdum pœnam quidem exprimebant, ſed huic devovebant hoſtes vel beſtias. 1. Reg. 25. 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero &c. mingentem ad parietem*. Non illud imprecatur: Deus me ulciſcatur de perjurio; ſed hæc faciat inimicis David. Solemne eſt Scripturæ dira exprimere verborum compendio illo: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat &c.* nulla addita expreſſa pœna, ſive quòd vovens vel jurans nullam reipſa expreſſerit, ſive quòd cautione quadam nullam exprimi voluerit. Vide v. *Anathema*, & *Imprecationes*.

Ætate Jeſu Chriſti Phariſæi, inanibus cavillis ſuis, & male ſanis interpretationibus leges de votis & ſacramentis fœdè corruperant. Vide quæ contulimus v. *Corban*.

Hæc autem de moribus Judæorum noſtræ ætatis ad vota quod attinet, tradit Leo Modena, *par.* 2. *c.* 4. *Vota non ſatis probant, at ſi qua nuncupata ſint, religioſè implenda eſſe teneat. Jus eſt tamen marito voti ream uxorem ſolvere ea licet invita; voti ſcilicet cui ſe obſtrinxit de abſtinentia quacunque; dummodo tamen hoc præſtet maritus intra 24. horas, ex quo primùm de voto reſcivit. Fas eſt etiam patri tollere votum filia innupta, uti ex Numeris* 30. 4.

Traditione receptum tenent, virum ſeu fœminam, qui voto vel ſacramento obſtrinxerunt ſeſe, exſolvi etiam

ab ea

(a) Theologi tamen omnes voluntatem ſigni appellant effectum aliquem Divinæ voluntatis, uti eſt præceptum, conſilium, permiſſio. Ita S. Th. in qq. diſput. q. 23. de volunt. Dei art. 3.

Google

ab ea religione poſſe, modò citrà alterius diſpendium, & modò etiam juſta ſuppetat cauſa deprecandi à ſe votum; exſolvi, inquam, poſſe ſive à gravi aliquo Rabbino, ſive à privatis tribus viris. Voti igitur reus coram Rabbino ſiſtens ſeſe, cauſationes ſuas, ut à voto liberetur exponit, quæ ſi probaverit Rabbinus, vel tres illi homines, pronunciant ter: Exſolvaris &c. atque ita religio omnis tollitur.

VOX, *Filia vocis*, Hebraicè *Bath-kol*, per quam Deus ſecreta conſilia ſua detexit Judæis, poſtquam ceſſavit prophetia. Vide *Bath-kol*.

Vox. Dictum hoc accipitur non de ſono tantùm hominis vel bruti, ſed & de clamore ac ſono quocunque; quin & non raro tonitru appellatum eſt *vox Dei*. Scribit Moyſes *Exod*. 2. 18. populum univerſum vidiſſe vel audiſſe *voces*, quæ reboabant in Sinai; i. e. ſtrepitus & tonitrua. Samuel ad Iſraelitas verba faciens, 1. Reg. 12. 17. *Nunquid non meſſis eſt tritici hodie*, ait, *invocabo Dominum: dabit voces & pluvias*; tonitrua & imbres. Job. 37. 4. *Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ* (Dominus) *& non inveſtigabitur cùm audita fuerit vox ejus*. Pſal. 28. 3. *Vox Domini ſuper aquas; Deus majeſtatis intonuit; vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia; vox Domini confringentis cedros; vox Domini intercidentis flammam ignis; vox Domini concutientis deſertum; vox Domini præparantis cervos &c.*

Audire vocem alicujus, eſt parere illi. Pſal. 80. 14. 15. *Si populus meus audiſſet me, inimicos eorum humiliaſſem*, Exodi 15. 26. *Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod receptum eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus, cunctum languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te*. Viciſſim autem Exod. 15. 26. *Deut*. 28. 15. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias, & facias omnia mandata ejus, venient ſuper te omnes maledictiones viæ*.

Mater ſeptem fratrum Macchabæorum 2. *Macch*. 7. 8. 21. &c. allocuta eſt filios *patria voce*; i. e. Hebraicè vel Syriacè: cum enim Antiochiæ, ubi vernaculum erat Græcum, res tota ageretur, Græcè pariter Martyres illi interrogabantur. Locuta eſt cum illis mater Hebraicè, vernaculo ſcilicet eorum ſermone, ne dicta aſſequerentur adſtantes.

Docet Apoſtolus, 1. Cor. 13. 7. 8. 10. *nihil ſine voce eſſe in mundo. Quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara .... ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?*

Vox ſanguinis Abel clamat ad Dominum de terra *Geneſ*. 4. 10. Rogat Dominum Judas Macchabæus, ut miſereatur Urbis ſanctæ *& vocem ſanguinis ad ſe clamantis* (poſcentis ultionem) *audiat* 2. *Macchab*. 5. 3.)

UPUPA, avis impura, *Levit*. 11. 19. magnitudine turdi, roſtro oblongo, nigro, tenui, & nonnihil incurvo; tibiis verò brevioribus, & ſubnigris. In capite plumea criſta variis coloribus diſtincta aſſurgit, quam pro libito tollit, deprimitque. Collo, & ſtomacho ſubrubro colore, alis & cauda nigris, albentibus tamen faſciis diſtinctis. Nomen Hebræum hujus avis *aukipha*. quod Septuaginta, & S. Hieronymus æquè vertunt *upupam*.

(Upupa, avis eſt pulcherrima, ſed cantu deſtituta, raucè tantùm, & validè ſtridens. Alis inſtruitur non acutis ad extremum, ſed rotundis, ex quibus volatus lentiſſimus. *Trimeſtrem avem* appellat Plinius, quod tribus tantum menſibus ſe prodat. Facilè maturè latis recipit ſe in tepidiores regiones. Aſſidet raro vitamque agit plerumque in ruderibus vel juxta vias. Fertur ali vermibus & humanis excrementis, iiſque pariter etiam nidum ſuum compingere. At Ariſtoteles docet nidum parare nullum; recipere enim ſe in cavos truncos arborum, ibique nullo ſolemni apparatu deponere ova ſua; tria plerumque parit ovis perdicum perquam ſimillima. Narrat Albertus Magnus upupam ſeneſcentem agere cum pullis ſuis, qui avem, dum pennis ſuis præ ſenio exuitur, nutriunt, & caligantes ejus oculos reſtituunt in priſtinum, collyrio herbæ cujus ipſi virtutem norunt. Mas coronam refert prominentiorem & ditiorem quàm fœmellas, ſicut & plumas gerit viridiores & nitidiores. Nullas nutrit Anglia, plures Germania.)

UR, Chaldææ urbs, patria Thare, & Abrahami, unde juſſu Dei Abraham egreſſus, in Chananitidem ideò miſſus eſt, ut hæreditatis ſibi, ſuiſque poſteris deſtinatæ poſſeſſionem caperet. Cùm autem Abraham unà cum Thare patre ſuo, & Loth nepote ſuo ad Haran urbem Meſopotamiæ perveniſſet, Thare ægritudine correptus, fato conceſſit. Poſt perſoluta ſuprema patri officia, Abraham iter proſecutus, in Chananitidem pervenit. Vocatus eſt Abraham A. M. 2082. ante Ch. 1918. ante Ær. 1922.

Porrò Ur in Chaldæa, uti ex Scriptura conſtat, jacet; incertum tamen quo ſitu. Aliqui confundendum cenſent cum *Camarina* in Babylonia (a); alii cum *Orche*, ſive *Orchoe*, urbe Chaldææ, juxta Ptolemæum, & Strabonem; alii cum *Ura*, ſive *Sura* in Syria ad Euphratem. Bochartus, & Grotius ipſiſſimam eſſe Uram in Meſopotamia bidui itinere à Niſibi (b) autumant. Non raro Chaldæam, & Meſopotamiam indiſcriminatim acceptas, alteriuſque urbes alteri tribui obſervatum eſt.

Nomen Hebræum *Ur* ignem ſonat; nec deſunt, qui deductum à Deo Abrahamum de Ur Chaldæorum, ita interpretentur, ac ſi virum illum ex igne liberaſſet, quod ille ſupplicium idololatriæ contemptu in ſe à Chaldæis creaverat. Vide, quæ diximus v. *Abraham* & *Thare*. Eo S. Hieronymus ſpectavit, dum illud 2. *Eſdr*. 9. 7. reddidit: *Eduxiſti eum* (Abrahamum) *de igne* (Hebr. *Ur*) *Chaldæorum*. Hanc tamen de liberatione Abrahami ab igne Chaldæorum alibi idem Sanctus fabellam rejicit (c).

(Nomine Ur deſignari ignem quidam volunt, qui ſanè ignis cùm in ea Urbe coleretur, ideo nomen illi ſuum dederit. Erat ignis Solis emblema; Solis autem religio per totum late Orientem obtinebat. Alebatur ignis ſacer & perpetuus in ejus honorem, in Templis vel murorum ſeptis, quæ patebant ſub dio. De his alibi nos v. *Chamanamim Pyræia*, ſicut & actum eſt alibi de ritu, quo veteres Perſæ alebant ignes illos, operabanturque Soli ſacrificia.

Narrat Rufinus (d) Chaldæos olim circumtuliſse ignem, ſacrum ſibi Numen, per omnea late Provincias, ut certamen offerrent cæteris omnibus Numinibus; cujus verò partes, in eo certamine eſſent potiores, illud haberi volebant ceu verum Numen. Porro Numina ænea, aurea, argentea, lignea, lapidea facilè cedebant igni; cujus proinde religio obtinebant ubique ſuperiora. Id intelligens Sacerdos quidam Canopæus in Ægypto, conſilium hoc callidè excogitavit: Familiaria ſunt Ægyptiis fictilia quædam vaſa, undique perforata ad filtrandas Nili aquas. Vas illud opplevit, aquas foraminibus priùs omnibus cera probè obſtructis; tunc impoſuit capiti Menelai, quem erexit in Numen. Statim Chaldæi daturi experimentum de potentia Dei ſui in Canopæum, excitarunt ignem circa illum, quaſi ſcilicet inſtituto inter utroſque illos Deos certamine; ſed igne liquata cera aperta ſunt lagenæ foramina, ac latè decidens aquæ imber reſtinxit ignem, victoriamque aſſeruit Canopæo.)

Ur, Rex urbis Madian, cum aliis Madianitis Regibus occiſus in prælio, quod Phinees juſſu Domini cum Madianitis inivit A. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451. *Num*. 31. 8. 9.

(a) Eupol. apud Euſeb. Præp. l. 9. c. 17. (b) Ammian. l. 25. c. 26.
(c) Hieron. qq. Hebr. in Gen. Vide etiam Interpr. in Gen. 11. 31.
(d) Rufin. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 26. Vide etiam Suidam v. Canopus.

URAI, filius Belæ, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 7. 7.

URBANUS, de quo ita S. Paulus: *Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto Jeſu*, *Rom.* 19. 9. Hunc virum, quem Macedoniæ Epiſcopum à S. Andrea initiatum tradunt, inter SS. recolunt Græci die 31. Octobris; præcedenti vero, Latini. De ejus geſtis nihil memoriæ proditum, niſi quod inter ſeptuaginta Diſcipulos à Græcis recenſeatur.

URI, pater Beſeleelis, viri clariſſimi è Tribu Juda, *Exod.* 31. 2.

I. URIAS, vir adverſæ fortunæ caſibus celebris, Hethæus origine, & vir Bethſabeæ. Cùm ejus uxor commiſſo cum Davide crimine, ex eo concepiſſe ſe intellexiſſet, ſtatim eumdem Davidem certiorem fecit, ut ſcilicet honoris ipſius ſervandi rationem iniret An. M. 2969. ante Ch. 1031. ante Ær. 1035. 2. *Reg.* 11. 5 5. David datis ad Joabum literis, mitti ad ſe Uriam Hethæum quantocyus juſſit. Cùm veniſſet, Rex plura cum illo de rebus ad bellum ſpectantibus collocutus eſt; deinde ut domum ſuam peteret, lotiſque pedibus ab itineris labore ſevaretur, imperavit. Euntem verò, è Regia menſa cibus proſecutus eſt. Verùm Urias è Palatio egreſſus, non domi ſuæ quidem, ſed cum Præfectis Regiæ cuſtodiæ noctem tranſegit. Cùm Rex ea de re certior factus, quæſiviſset, cur è bello redux domum ſuam non reviſiſſet, reſpondit ille, noluiſse ſe domus ſuæ, atque uxoris voluptatibus frui, cùm interim Arca Dei Iſraeï, & Juda ſub papilionibus detineretur; & Joab, cæterique exercitus Præfecti durè cubarent. Præcepit igitur David, ut tota ea die manens, altera ad exercitum rediret. Regia interim menſa alebatur; atque largiore potatione hilarior factus, ſubeunte veſpera, cum Præfectis Regiæ cuſtodiæ, uti prius, cubavit.

Mane alterius diei ad caſtra remiſsus, has Regis literas ad Ducem retulit: Uriam hunc, ubi prælii vis eſt, conſtituitem, ſolum deinde derelinquite, ut hoſtium gladiis pereat. His acceptis à Rege juſſionibus, Joab oblata occaſione, ut incolæ Rabbath ex urbe erumpentes in Hebræos ruere, virum impetum facientibus hoſtibus oppoſuit; quibus ingruentibus, oppreſsus eſt. Illicò ea de re David à Duce certior factus, reſcripſit, nihil eſse quominùs bellicoſi viri caſu animo deſponderet; obſidioni proinde conſtans inſtaret. Pro viri nece Bethſabee luctum de more egit; eoque tandem depoſito, ad Regias nuptias tranſivit. Rabbini purgare Davidem, & Bethſabee conantur, quod Lege cautum eſse inter Iſraelitas dicant, ut proficiſcens ad bellum vir libellum repudii uxori relinqueret, quo illi aliarum nuptiarum poteſtatem faceret; qua proinde facultate, inquiunt, Bethſabee uſa, cum Davide concubuit. Sed fruſtra crimen excuſetur, quod Scriptura ſæpè damnat, & David ipſe effuſis lachrymis deflevit.

II. URIAS, Summus Pontifex Judæorum ſub Achaz. Cùm Rex ille Damaſcum uſque Teglatphalaſaro Regi Aſsyriæ ſuppetias ſibi ferenti obviam proceſſiſset, ſpectati in ea urbe prophani altaris modum ad Uriam Pontificem tranſmiſit, ut ſimile alterum in Templo Jeroſolymitano conſtrueretur. Urias Regiis juſſionibus plus nimio paruit: quare regreſsus Damaſco Rex (a) novum Altare non probavit tantùm, ſed & oblatis ſuper illud victimis & libationibus conſecravit. Quin & Pontifici imperavit, ut amoto altari æneo, in novo illo ſacrificium matutinum, & veſpertinum, necnon conſueta pro Rege & populo offerret; quid deinde de veteri altari facto opus eſset, ſe poſtea diſpoſiturum edicens. Pontifex omnia executioni mandavit. Urias inter Sadoc II. & Sellum ſactis præfuit.

III. URIAS, Propheta Domini, filius Semei de Chariatbjarim, Jeremiæ ſuppar, qui in Jeruſalem univerſamque regionem eadem pariter ac idem Jeremias, oracula fundebat. Cùm Joachim Rex Juda, atque aulæ Præfecti ejus necem decreviſsent, Propheta opportunè monitus, in Ægyptum ſeceſſit. Fruſtra tamen ille, nam certis viris à Rege ſubmiſſis, ex Ægypto ad eumdem Regem deductus eſt; qui gladio illum occidi, atque vulgari ſepulturæ tradi mandavit (b).

I. URIEL, vox Hebræa, ſonans, *lux mea Deus*: & Angeli cujuſdam nomen, quem alii bonum credunt, his rationum monumentis adducti. Ejus nomen legitur in libro apocrypho Judæorum inſcripto: *Oratio Joſephi*, in quo Jacob cum Uriele, & Raphaele ſermonem miſcens inducitur. Idem nomen tamquam boni Angeli occurrit in Eſdra (c); occurrit & apud S. Ambroſium *de Fide l.* 3. *c.* 3. *Non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. Suriel* ſive *Uriel* tamquam bonus Angelus invocatione colitur in Liturgiis orientalibus, & in Euchologiis Græcorum: *Honoremus Surielem quartum inter Angelos*; quæ ſunt verba Euchologii Copbtorum. In Editione N. T. Æthiopica, Angelus Uriel appingitur, hac adjecta inſcriptione: *S. Uriel, qui fuit cum Adam, & Eva, cùm è Paradiſo egrederentur*. Nec deſideratur in veteribus Litaniis, iis potiſſimùm, quas P. Mabillon publici juris fecit, *Analect.* t. 2. atque *Carolinas*, quod Caroli Magni ætatem referant, appellavit. Inventum Romæ an. 1544. ſepulchrum Mariæ Imperatricis, Honorii uxoris, refert Surius, in quo lamina aurea, inſculpta Græco charactere hæc nomina præferebat: *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel* (d).

Cl. Thiers in ſua Epiſtola Dedicatoria ad P. Lucam Dacheryum, Libro ſuo *de retinenda voce Paraclitus*, præmiſsa (e), nomen *Uriel* malum Angelum deſignare contendit. Fatetur autem, in Rituali Chartuſianorum invocari; quod tamen ſe nunquam ſine ſcandalo legiſſe affirmat. Probat autem, in Conciliis, & PP. nonniſi tres bonos Angelos commemorari; ſcilicet Gabrielem, Raphaelem, & Michaelem; Concilium autem Romanum II. (f) cenſura oratiunculam Adalberti cujuſdam inurit, in qua invocati SS. Angeli Uriel, Raguel, Tubue, Michael, Iniar&c. Poſt illam autem damnationem Concilii PP. hæc addunt (g): *Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaelis, ſed nomina Dæmonum ſunt*; Eccleſia autem, inquiunt PP. illi, nonniſi trium Angelorum nomina agnoſcit; ſcilicet Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis. Hæc in Actis ejuſdem Concilii. Illud tamen ſedulo animadvertiſſe juvat, Concilium illud unicè ſpectaſſe, ut inſueta, & nova Angelorum nomina à viro illo inducta rejiceret. Sed nomen Uriel certè vetuſtiſſimum eſt, atque jam à veteri ætate etiam apud Latinos obtinens, ut colligere licet ex Guillelmo Durando Epiſcopo Mimatenſi *l.* 4. *c.* 33. *n.* 20. authore decimitertii ſæculi, qui obiit an. 1296.

(Librorum quorundam apocryphorum (h) fide ſcimus ab exordio Mundi ad uſque annum 160. ætatis Henoch ſupputari conſueviſſe tempora non per annos, ſed per hebdomadas; ab Archangelo verò Uriele primùm didiciſſe Henoch quæ ratio eſſet menſium atque anni, tùm & anni temporum vel aſtrorum.)

II. URIEL, filius Thahat, & pater Oziæ, Levita, & Princeps Caathitarum ſub Davide (i).

III. URIEL de Gabaa, pater Machajæ, uxoris Roboami, & matris Abiæ, 2. *Par.* 13. 2. qui patri in Regno ſucceſſit A. M. 3046. ante Ch. 954. ante Ær. 958.

URIM,

(a) 4. Reg. 16. 10. &c. An. M. 3264. ante Chr. 736. ante Ær. 740.
(b) Vide Jerem. 26. 20. &c. An. M. 3395. ante Chr. 605. ante Ær. 609.
(c) 4. Eſdr. 5. 20. *Sicut mandavit mihi Uriel Angelus* & 4. Eſdr. 4. 36. legitur *Jeremiel Archangelus*.
(d) Vide Baluz. Not. in capitul. & Renaudot. in Liturg. Orient. t. 2. & Glyc. Annal. p. 2.
(e) Lugduni prodiit 1669. (f) Habitum eſt an. 745. art. 3. (g) Tom. 6. Concil. Lab. p. 1561.
(h) Vide Salmaſ. lib. de annis climactericis. (i) 1. Par. 6. 24. & 15. 5. 11.

Digitized by Google

URIM, & *Thummim*, quæ duæ voces Hebrææ, *Exod.* 28. 30. ad literam ſonant *luces*, *& perfectionem*, ſive *fulgentes*, & *perfectos*. S. Hieronymus vertit: *Doctrinam*, *& veritatem*; Septuaginta, *declarationem*, *& veritatem*, ſive *manifeſtationem*, *& veritatem*. Sunt, qui duo eſſe epitheta gemmarum rationalis autumaverint, ut ſit ſenſus: Collocabis in rationali gemmas puras, & fulgentes. Alii verò Ægyptiam potiùs, quàm Hebraicam vocem ſuſpicantur, cujus genuinam ſignificationem Septuaginta attigerint, reddentes declarationem, & veritatem. Author Eccleſiaſtici 45. 12. ita de *manifeſtatione*, *ac veritate* agit, quaſi duæ eſſent dotes Summi Sacerdotis ephod induti: *Viri Sapientis judicio*, *& veritate præditi*. Paria clariùs legas apud 1. Eſdram 2. 63. *Donec ſurgeret Sacerdos doctus atque perfectus*; Hebraicè: *Donec ſurgeret Sacerdos cum Urim*, & *Thummim*.

Joſephus tamen *Antiq. l.* 3. *c.* 8. aliique plures tum veteres tum recentiores contendunt, *Urim*, & *Thummim* ipſiſſimas eſſe gemmas rationalis Summi Sacerdotis, quæ inſueti fulgoris irradiatione rerum eventus, de quibus Deus conſulebatur, docebant. Si quando verò rogatus Deus, nulla in rationali immiſſa luce reſponderet, eo indicio rem illam minùs probaſſe demonſtrabat. Prodigium illud ducentia annis antequam hiſtoriam ſuam ſcriberet, deſiviſſe, Joſephus teſtatur: quare 110. ſivè 112. annis ante ortum Chriſtum obſoleverat.

Credunt alii, *urim*, & *thummim*, rem olim rationali adjectam deſignare; quamvis in ea re determinanda non ſatis inter illos conveniat. Quin nec Moyſes ipſe, ſive alius quicumque Author Canonicus, quicquam ea de re (quod mirari ſubit) unquam prodidit. Singularem quemdam adamantem gemmis rationalis adjectum tradunt S. Epiphanius *tract. de* 12. *gemmis*, & Suidas in *Ephod*, cujus fulgore Deus ſuper rebus, de quibus conſulebatur, reſpondebat. Duas gemmas extra cæterarum numerum adjiciunt in eam rem Procopius, Arias Montanus, aliique nonnulli. Sed eam gemmarum adjectionem quemadmodum & prodigioſum gemmarum nitorem, ſilente prorſus Scriptura, S. Auguſtinus *q.* 117. *in Exod.* rejiciendum cenſet.

Eadem verba *manifeſtationem & veritatem* binis in gemmis, ſive in aurea lamina cœlata fuiſſe S. Cyrillus *Expoſit. Symboli* inſinuare videtur; quod cum illo pariter pluribus & Veterum, & recentiorum viſum eſt. Alii has duas voces opere phrygio ſcriptas inter gemmarum ordines, vel in ſuperiori, & inferiori rationalis ora maluerunt. Rabbi Salomon, & cum illo Eugubinus, quod in Scriptura Urim, & Thummim appellatur, ipſiſſimum eſſe nomen Jehovah contendunt. Spencerus *Diſſert. de Urim*, *& Thummim*, geminas eſſe aureas parvulaſque figuras ſuſpicatur, à quibus in rationali ad crumenæ formam complicato latentibus, oracula humana voce redderentur. Laudat ille in ſuam ſententiam S. Hieronymum, & Cedrenum apud Veteres; apud recentiores verò, præter Rabbinos nonnullos, Cornelium à Lapide, & Ludovicum de Dieu. Eadem ſenſiſſe Philo videtur (a); ait enim geminas eſſe opere phrygio expreſſas in rationali figuras, quarum una eſſet ſingularis; altera verò, ait, veritatem, altera manifeſtationem referebat. Clericus pro Urim, & Thummim intelligit gemmas, quæ in monilis modum è collo Summi Sacerdotis ad pectus uſque deſcendebant; quem, ait, Judæi morem ex Ægyptiis derivare potuere, apud quos juris dicundi Princeps, imaginem veritatis in gemmis cælatam, & ab aurea catena in monilis modum pendentem deferebat (b). Petrus *della valle Epiſt.* 11. *è Cairo*, ſe vidiſſe teſtatur in Ægypto Mummiam, uti vocant, quam ſimplum ſanè monile ad pectus uſque deſcendens ornabat; e monili verò lamina aurea avis figura inſculpta pendebat.

An Hebræi morem ex Ægypto derivaverint, ſeu Ægyptii ex Hebræis, non ita facilè definiremus. Sed fieri potuiſſe credimus, ut imago veritatis apud Ægyptios, ad *Urim & Thummim* Hebræorum accederet. Non facilè tamen crediderim, Moyſem, ſivè cælatorio, ſivè phrygio opere imaginem aliquam hominum, ſivè animantium expreſſiſſe; faciliùs figuram quamdam hieroglyphicam, veluti Cherubim, exhibere potuit.

(De ratione conſulendi Deum per Urim & Thummim diſſidium eſt ſententiarum maximum (c). Convenit inter omnes, 1. Id conſulendi genus in rebus tantùm majoris momenti obtinuiſſe; 2. Non alterius miniſterio, quàm Summi Sacerdotis, quem in eam rem oportebat Pontificiis omnibus inſignibus veſtiri, ac maximè Pectorali vel Rationali, cui affixum erat Urim & Thummim; 3. Nefas eſſe ſolemnem hanc conſultationem impendere in gratiam hominis privati (d), ſed tantum pro Rege, pro Principe Sanhedrin, pro Duce Supremo armorum Iſrael, vel aliis id generis Magiſtratibus; quin nec pro illis in gratiam rei privatæ (e), ſed cùm publica aliqua res, vel politiæ ſcilicet ſacræ, vel civilis id expoſceret; uno verbo in commodum duodecim Tribuum, quarum adſcripta in Pectorali nomina gerebat Summus Sacerdos.

Cùm igitur conſulendum erat Urim & Thummim, Summus Sacerdos ſolemnibus indutus veſtibus ſiſtebat ſe non Sanctuario, quò pedem inferre ſemel tantùm in anno licebat, ſed Sancto (f) ante velum, quod medium pendebat inter Sanctum & Sanctuarium. Ibi verò ſtans converſo vultu ad Arcam Fœderis, cui Deus inſidebat, rem, de qua Oraculum conſulendum erat, proponebat. Retrò poſt illum in eamdem quidem lineam, ſed aliquantò diſtantes, & extrà Sanctum, continebant ſe illi, quorum gratia res tota præſtabatur, humili corporis habitu expectantes à Domino reſponſa. Autumant Rabbini (g), Summum Sacerdotem oculos tunc habuiſſe defixos in gemmas Rationalis, quas præferebat in pectore, ibique legiſſe oracula; quæ enim literæ extra aliarum ordinem prominentes aſſurgebant, nitebantque inſolito fulgore, illæ ſimul compoſitæ ad propoſitas quæſtiones dabant reſponſa. Ita cum David conſuluit Oraculum, num ſibi aſcendendum eſſet in unam ex urbibus Juda (h), ſtatim tres illæ literæ Ain, Lamech, He, velut è ſcamno ſuo aſſurgentes formarunt ſententiam, quæ Latinè redditur, *Aſcende*.

Hujus opinionis vetuſtas eſt probata apud Hebræos; ita enim rem totam expoſuerunt Joſephus, *Antiquit. l.* 3. *cap.* 9 & Philo, *de Monarch. l.* 2. è quibus adſciverunt plures veteres Patres (t) in hanc ſententiam euntes. Sed hæc habet ardua; 1. Non omnes elementi Hebraici literæ adſcriptæ erant in Pectorali, deerant enim quatuor, *Heth*, *Thet*, *Zade*, *Kaph*. His ſupplendis contendunt Rabbini addita in Pectorali fuiſſe nomina Abraham, Iſaac, & Jacob; & cùm adhuc una deſideretur literula *Thet*, ſanctè affirmant acceſſiſſe his omnibus titulum, in hæc verba: *Col elle ſchibte Iſrael*. Hæ omnes Tribus Iſrael. Sed hæc temerè aſſerta ſunt, & nullam veri præbent ſpeciem.

Alterum,

(a) Philo de vita Moſ. l. 3 de Monarc. l. 2. (b) Diod. Sicul. l. 2. c. 3. Bibliotn. Ælian. vari. hiſt. l. 14 c. 34.
(c) Vide Spencer. de Urim & Thummim c. 6 ſect. 1. 2. 3. &c.
(d) Miſna in Joma c. 7. § 5. Maimonides in Cœle Hammikdaſch. c. 10.
(e) Abarbanel. in Exod. 28. & in Deut. 33. Rab. Levi Ben. Gerſon, & Maimon.
(f) Maimon. ibid. Jalkuth fol. 284. (g) Maimon. in Cele Hammikdaſch. c. 10. Zochar in Exod. Jalkuth. ex Libro Siphre, R. Bechai in Deut. 33. 8. Ramban. Alii. (h) 2. Reg. 2. 1. Aſcende.
(t) Vide Chryſ. homil. 57. in Judæos Aug. l. 2. quæſt. in Exod. Alii plures

Alterum, quod in eo ſyſtemate reprehenditur, illud eſt, nimirum iis etiam admiſſis, quæ ſola Hebræorum fide traduntur, adhuc etiam arduum occurrere; i. e. qua ratione Summus Sacerdos omnes haſce literas componeret inter ſe; neque enim ſerunt literas haſce ſponte in ſuum locum ſe contuliſſe, ſed in priſtino loco potius velut aſſurrexiſſe, & inſueta luce micaſſe. Statuamus igitur ſex aſſurrexiſſe reipſa literas & micaſſe ſimul omnes; quam ex illis priorem, quam ſecundam ordinaret Sacerdos? Reponunt in his rerum eventibus afflatum fuiſſe Pontificem Spiritu prophetiæ: quid igitur opus erat Urim & Thummim? quid miracula, nulla jubente neceſſitate cumularentur? Satis ad intentum fuiſset, ſi ſolus loqueretur Summus Sacerdos. Nec facilè aliud inſerebat Urim & Thummim, quàm ut hominem totum colluſtraret ſupernaturali quodam lumine, ut par eſſet rebus futuris diſcernendis, & penetrandis arcanis Divinorum conſiliorum, ut aptum quærentibus daretur reſponſum.

Reputant alii, non ſine magna veri ſpecie, Deum ex imo fundo Sanctuarii, vel e medio Cherubim tegentium Arcam & Propitiatorium, quod frequentiſſimè in Scriptura appellatur *Oraculum*, conceptas dediſse voces. Cùm Iſraelitæ ſtrinxerunt fœdus cum Gabaonitis eo nomine reprehenduntur, quòd *os Domini non conſuluiſſent*; hæc ſatis inſinuant morem audiendi vocem loquentis, dum Oraculum conſuleretur.

Id autem facilè ſervabatur in exercitu & in caſtris Iſraelitarum, quemadmodum & in Tabernaculo ac in Templo. Inter ſummas curas hæc habebatur potiſſima, ut Arca transferretur, dum ad militares expeditiones procedendum eſset; ibi vero intra præparatum Tentorium illata conſulebatur perindè ac in Tabernaculo. Conſtat utique in caſtris tunc adfuiſse una cum geminis filiis Heli Summi Sacerdotis Arcam, cùm venit in poteſtatem Philiſtæorum; adfuiſse etiam, cùm armis Joab urgebatur Urbs Rabbath, quod è verbis illis Uriæ intelligimus: *Arca Dei Iſrael & Juda habitat in papilionibus; & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam &c* 2. Reg. 11. 11. Præſto erat pariter Arca Fœderis Sauli, cùm Rex ille præcepit Ahiæ: *Applica Arcam Dei; erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filiis Iſrael* 1. *Reg*. 14. 18.

Sed aliter de re tota ſentiunt Rabbini, defendentes nunquam extra Sanctuarium elatam fuiſse Arcam, & cùm tunc priùs factum eſset, ut id præſtaretur, fatale hoc accidiſse Iſraelitis: in Philiſtæorum enim manus venit ſacrum illud depoſitum. Hæc, inquam, ſemel tantùm; cùm autem ſæpè aliàs ſcriptum eſt Arcam præſto fuiſse in exercitu, dictum hoc accipi oportere de Arca recondente Ephod & Pectorale Summi Sacerdotis, quæ duo tunc educebantur, cùm de conſulendo oraculo per Urim & Thummim res eſset. Ita cùm Moyſes ad bellum in Madianitas miſit Phinees, dedit illi *vaſa Sancta* (Hebr. *Sanctuarii*) *& tubas ad clangendum Num*. 31. 6. i. e. ait Jonathas filius Uziel, tradidit illi Urim, & Thummim ad conſulendum Dominum, quoties res poſceret. Cùm David injunxit Abiathar: *Applica Ephod*. 1. *Reg*. 23. 9. mandavit illi utique, ut ex Arca eductum Ephod veſtiret. Verba pariter Uriæ de Arca Domini ſub papilionibus non aliter interpretantur, quàm de arca ſacrarum veſtium.

Addunt, in his rerum eventibus, qui ſe conferret ad caſtra conſuleretque Dominum, non Summum Sacerdotem, ſed minorem alium Sacerdotem fuiſse, qui ad tantum munus comparandus initiabatur eadem unctione ſacra, qua Summus Sacerdos (a), appellabaturque: *Unctus ad bellum*. Hæc Hebræi Doctores.

Sed horum omnium fides eſt ſuſpecta; neque enim veſtigium ullum deprehenditur in Scriptura hujus arcæ miſsæ in caſtra, & continentis ornamenta Summi Sacerdotis; nullibi pariter legas Sacerdotem illum *unctum ad bellum*; nullibi cautionem, ne deferatur Arca Fœderis in bellum. Præter duo illa exempla ſupra producta, primum ſcilicet cùm Arca venit in poteſtatem hoſtium; ſecundum cùm Joab ſtringebat obſidione Rabbath; aderat etiam Arca in Galgalis, cùm Saul operatus eſt ſacrificia 1. *Reg*. 13. 9. & 14. 18. 19., injunxitque Ahiæ, ut conſuleret Dominum coram Arca; nam tunc, ait diſertè Sacer Hiſtoricus: *Erat ibi Arca Dei cum filiis Iſrael*. Cùm David filium Abſalomum fugitans egreſsus eſt Jeruſalem, Sadoc Summus Sacerdos convenit illum cum Arca; at venientem remiſit Princeps 2 *Reg*. 15 24. Ætate Joſue Regis Sacerdotes de loco in locum transferebant Arcam 2. *Par*. 35. 2.; quod ne ultra fieret, ſed in Sanctuario retineretur, Princeps ille mandavit.

Neque id contendimus, neceſsariò adfuiſse oportere Arcam ad conſulendum Dominum per Urim & Thummim; ſcimus enim Davidem fugitantem Saulem conſuluiſse Dominum in variis rerum eventibus ter 1. *Reg*. 23. 2. & 4. & 30. 8 quamquam præſentem non habebat Arcam; bis enim interrogavit Oraculum in Ceilat, ſemel in Siceleg. Nec pariter Arcam Domini præſto illi fuiſse credo, cùm poſt obitum Saul quarto conſuluit Oraculum, num ſibi transmigrandum eſset in unam ex Urbibus Juda. Quæſtio eſt, quomodo in rerum hiſce eventibus conſuleretur Dominus per Urim & Thummim.

Feſtinatò id præſtitum fuiſse interdum docet Scriptura. Cernens Saul tota emoveri Philiſtæorum caſtra, ignoranſque quid egiſset Jonathan filius ſuus, juſſit Summo Sacerdoti: *Applica Arcam Dei* 1. *Reg*. 14. 18. 19. 20 Et cùm manum (facilè ad orandum) extenderet Summus Sacerdos, ſtatim Saul: *Contrahe manum tuam*; nec reſponſum expectans conclamavit ad arma, & procurrit in hoſtes. Feſtinationem hìc intelligimus & cæremoniarum apparatum ferè nullum, quamquam præſente Arca. Sed cùm illa abeſset, conſulebatur facilè Oraculum in privato ſacello Regis, vel in penetrali Regii Tabernaculi, reſpondebatque ad interrogata Dominus, ſive conceptis vocibus, ſive intima illuſtratione docente intùs in corde Sacerdotem de iis, quæ apta eſſent ad intentum.

Reliquum eſt, inquiramus, quandiu mos obtinuerit conſulendi Deum per Urim & Thummim. Sub Tabernaculo valuiſſe tantùm dennuat Rabbini. Dogma eſt enim ſanctum apud illos: *Spiritus Sanctus tandiu collocatus eſt cum Iſraele per Urim & Thummim, quandiù perſeveravit Tabernaculum; ſub priori Templo*, (i. e. Salomonico) *per Prophetas effatus eſt; ſub ſecundo Templo* (poſt Captivitatem) *per Bathkol*, i. e. per filiam vocis, quo nomine deſignant vocem miſſam cælitùs, cujuſmodi reſonavit in Baptiſmo *Matth*. 3. 7. & Transfiguratione Jeſu Chriſti *Matth*. 17. 7.

Spencerus de Urim & Thummim c. 2. §. 2. ſententiam hanc adoptavit, & duplici hoc argumento fulcivit. 1. Urim & Thummim appendix erat regiminis divini vel Theocratiæ Hebraicæ. Quandiù per ſe Dominus gubernavit populum, res utique poſcebat, ut conſulendi illum in omnibus rerum eventibus ratio eſſet aliqua parata. 2. Ea porrò ratio conſtituta erat ad conſulendum Deum pro rebus communibus totius gentis. Cùm igitur Theocratia, ait ille, tunc ceſſaverit, cùm hæreditarium Regnum factum eſt ſub Salomone; & commoda totius ſimul gentis, tunc communia eſſe deſierint, cùm ſciſſio duorum Regnorum inducta eſt ſub Jeroboamo, par erat utique, ut ceſſaret quidquid in rem communem conſtitutum erat. Tandem quod conjecturis eſt omnibus multò validius, nullum in hiſtoria ſacra exhibetur veſtigium conſultationis per Urim & Thummim à conſtructione Templi Salomonici ad uſque ejus everſionem; eoque ſemel everſo intercidiſſe

penitus

(a) Maimonid. in Cele Hammikdaſch. c. 1. § 7. & in Melachim. c. 7.

penitus Oraculum illud conſtat inter omnes.)

URSUS, Græcè *arctos*, Hebraicè *dob*, animal in Palæſtina frequentiſſimum; cum quibus, & cum leonibus ſæpiùs ſe decertaſſe David profeſſus eſt, 1. *Reg.* 17. 34. 36. Inſultantes Eliſeo prophetæ pueros Bethel, acciti è proximo luco, Prophetæ in pueros diris, gemini urſi, actutum uſque ad 32. diſcerpſerunt. 4. *Reg.* 2. 14. Inſanientis furore hominis Authores Sacri imaginem expreſſuri, ſimilitudinem exhibent urſi ob raptos catulos ſævientis, 2. *Reg.* 17. 8. *Prov.* 17. 12. *Oſee* 13 8.

(Urſus, in Hebræo *Dod*, quòd ſcilicet denſum eſt ſetis, ſetiſque toto latè corpore veſtitur animal. Ungulis eſt maximè aduncis, quarum ope celſiſſimas ſcandit arbores. Alitur fructibus, melle, apibus, carnibus. Albos urſos offerunt ſeptemtrionales regiones; & abundat maximè in Polonia, Moſcovia, Lituania & vaſtiſſimi ſaltus Germaniæ. Creditus eſt Urſus parare catulos informes, quos dein lingendo perficiat, unde Scriptores quidam derivant *Urſus* è Latino ordiri, ac ſi diceretur *orſus*, i. e. cœptus, non abſolutus; ſed popularis eſt error. Ariſtoteles & Plinius *lib.* 8. *c.* 36. tradunt naſci urſos non majores mure, creſcere verò totis membris, ut primò nihil pareat cæterùs, non oculi, non ſetæ, ſed ungulæ tantùm. *Pariunt trigeſimo die, ut plurimum quinos. Hi ſunt candida informiſque caro, paulò muribus major, ſine oculis, ſine pilo, ungues tantùm prominent. Hanc lambendo paulatim figurant.*

Manent occulti ac ſopiti hyeme; quem ſtatum retinent mares 40. diebus; fœmellæ quatuor menſibus; altè adeò ſoporantur quatuordecim prioribus diebus, ut ne validiùs quidem icti evigilent. Fama eſt totis quidem quadraginta illis diebus ali tantùm non cibo, ſed lingendo pedes ſuos. Conſtat utique abſtinere ab alimentis toto eo temporis ſpatio; evigilant tamen mares ſagina pinguiſſimi. Urſi carnes maximi æſtimabant Veteres, & hodie pariter Urſi pedes ſaliti & fumo exſiccati cupediæ ſunt menſæ Principum digniſſimæ. Rude hoc & ſtupidum animal adhuc tamen diſciplinæ capax eſt adeò, ut choreas ducere, & ludere ad numerum inſonante buccina diſcat, quin & amoris in fœminas admittere aliquid fertur.

Felicitatem Regni Meſſiæ deſcribens Iſaias 11. 7. perhibet, tunc boves & urſos ſimul jungendos ad paſcua, & utriuſque catulos unà accubituros. Eſt urſus Gentilis populus, bos Judæus: utraque autem gens in unam coaleſcens Eccleſiam unum formabit gregem. In deſcriptione Danielis quatuor magna Imperia ita exhibentur, ut Chaldaicum depingatur ſub emblemate Leonis; Perſicum Urſi; Græcorum Leopardi; ſucceſſorum Alexandri Magni terribilis cujuſdam belluæ. Urſus ille apud Prophetam tribus molarium ordinibus armatus deſignabat potiſſimùm Cyrum.

In Apocalypſi 13. 2. S. Joannes depingit Eccleſiæ perſecutores ſub imagine ſepticipitis beſtiæ, decem diadematibus adſcripta ferentibus nomina blaſphema. Ejus corpus referebat Leopardum, pedes Urſum, fauces Leonem. Porrò hiſce deſignari creduntur ſeptem Imperatores Romani Eccleſiam perſequentes poſt S. Joannem Evangeliſtam, videlicet Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Severus, Maxentius, & Licinius. Totam in ſe collegerant ſævitiam, robur, voracitatem, & pravum illud ingenium Leopardi, Urſi, Leonis.

Monet Eccleſiaſticus 25 27. *Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcat vultum ſuum tanquam Urſus, & quaſi ſaccum oſtendit* (liventem illum vultum). Furens Urſus latè incutit terrorem; aſpectu quidem ſemper diſplicet, ſed furens terret.

Comparat Iſaias 49. 11. deſperationem impiorum urſo rugienti. *Rugiemus quaſi urſi omnes*; ſtridor urſi furentis vel impavidos concutit terrore.)

US, *Gen.* 10. 23 filius natu major Aram, & nepos Sem, qui frequentaſſe Trachonitidem, Provinciam tranſjordanicam, inter Arabiam deſertam ad Orientem, & Batanæam ad occidentem, vulgò poſt Joſephum, & S. Hieronymum, creditur. Urbem Damaſci ea veterum fide condidit. Hinc regioni Damaſcenæ nomen Us ab Hebræis traditur; Arabes verò Gaut, ſivè Gauta appellant. Commodè etiam Us ad fontes Tigris ſtatueretur, ubi populi Uxii, ſivè Oaii, apud Diodorum Siculum, Strabonem, & Plinium, innoteſcunt. Vide *Has*, ſivè *Huz*.

USURA, ſivè *fœnus*. Uſuræ rei dicimur, cùm præter rem traditam aliquid jure collati mutui exigimus. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor, nec uſuris opprimes*, *Exod.* 22. 25. 26 Et *Levit.* 25. 35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo nec amplius quam dediſti .... pecuniam tuam, non dabis eum ad uſuram, & frugum ſuper abundantiam non exiges.* Textus Hebræus ita verti poteſt: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manuum, ſuſceperis eum; & advena, & peregrinus vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo, non ampliùs quàm dediſti.* Ex qua verſione duo reſultant præcepta: alterum, affectos egeſtate fratres relevandi; alterum, ut idem beneficium in advenas conferatur, quemadmodum & ab uſuris cum illis abſtineatur.

In Deuteronomio verò 23. 19. hæc leguntur: *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno. Fratri autem tuo abſque uſura id, quo indiget, commodabis ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra.* His planè verbis Deus in externos fœnus permittit, nempè in Chananæos, aliaſque finitimas gentes, anathemati devotas: in alias verò, quibuſcum neque Hebræis bellum erat, neque Deus quidquam in illos ſtatuerat, nihil conceſſum. Porrò fœnus exigere, ait S. Ambroſius *de Tob. cap.* 15. hoſtilis injuriæ genus eſt; ac veluti militare ſtratagemma, quo hoſtes in ultimam perniciem adducuntur: *Cui jure inferuntur arma, huic licitè indicantur uſuræ.. Ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere.* Quin neque in hoſtes ipſos, quamvis juſto cum illis bello pugnemus, uſuram permittunt; ſed tantùm ut illorum facultates, quibus in nos adjumentis utuntur, uſurpemus, liberam permittunt facultatem: quare toleraſſe potiùs Deus, quàm probaſſe uſuras, etiam in Chananæos, credimus. Ne inclinatæ in pravum mentes in deteriora ruerent, aliquid conſulto indulgendum eſſe, viſum eſt.

Hanc tamen veteris Legis indulgentiam omnem Jeſus Chriſtus in Evangelio ſubducens, apertè edixit. *Luc.* 6 30. *Omni petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas ... Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatoribus peccatores fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes.* Hæc poſtrema verba: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, triplici ratione explicari poſſunt: 1. Mutuum date egeno, nihil inde ſperantes, ut collatum mutuum reſtituat. 2. Date, nulla ſpe ſimile beneficium impoſterum recipiendi inducti. 3. Date, nec id committite, ut proximus veſter ad ultimam deſperationem adigatur; ſivè ne vos vanus indigentiæ timor ab eo beneficio conferendo retrahat. Nos verò hanc explicationem cæteris præferimus: date indigenti, quamvis ab illo poſtea quod veſtium eſt, recepturos deſperetis. S. Auguſtinus ancipitem hæſiſſe ſe profitetur, an quæ ex fœnore proveniſſent, reſtituere teneremur: *Quid dicam*, ait, *de uſuris, quas etiam leges, & judices reddi jubent? ..... Hæc, atque ejuſmodi utique poſſideantur, & vellem reſtituerentur: ſed non eſt, quo judice repetantur:* forte quia uſuræ illæ clam interceſſerunt. Judæos, è captivitate reductos, Nehemias, reſtituere uſuras fratribus, lato edicto coegit: *Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas ſuas, & oliveta ſua, & domus ſuas: quin potiùs & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini & olei, quam exigere ſoletis, date pro illis*,

Hebræus,

Hebræus, *reddite illis*. Sed fruſtra de uſurâ, omnibus legibus, quà naturalibus, quà Divinis, quà humanis damnata, diſſereremus. Vide Caſuiſt. & Interpp. in Exod. 22. 25.

(UTRES, genus quoddam ſacci è corio hirci, piloſi, cujus ſpiſſa eſt ſutura & pice linita, ut aptus ſit continendo oleo & liquoribus. Hujus ſacci os eſt quà parte reſpondent pedes animalis illius, è cujus corio ſaccus conficitur. De utribus ſermo eſt quidem in Scriptura frequens; & cùm res ea ſit non omnibus nota, immorari hic tantillum juvat. Dimittens Agarem Abrahamus tradidit illi ac ſibi panem & contentam in utre aquam ad itineris commeatum *Gen.* 21. 14. 15. Gabaonitæ, ut falſa ſpecie deciperent Joſue ac Seniores, diſruptos utres præ ſenio exhibuerunt, obtendentes accepiſſe ſe novos, cum è domibus exiiſſent, adeò longam decurteraot viam *Joſue* 9. 4. 13. Jahel uxor Heber Cinæi ex utre pleno lactis potum obtulit Siſaræ *Judic.* 4. 19.

Quò potentiam Dei grandiori aliqua imagine relevet Pſalmiſta, *Pſal.* 32. 7. continere illum dicit aquas maris tanquam in utre; agenſque de traoſtretatione Erythræi continere pariter dicit aquas tanquam in utre *Pſal.* 77. 13., cohibet illas, reſtringit, alligat. Pſalmus 118. 83. *Factus ſum ſicut uter in pruina*, vel expoſitus fumo: tamquam uter arens, nigreſcens, rugoſus. Jeſus Chriſtus orat, *Matthæi* 9. 17. nunquam committi, ut indocatur vinum novum in utres veteres, alioquin, ait, rumpuntor utres, & vinom effunditur. Utres erant veteres Apoſtoli ante illapſum Spiritus S. inepti vel in ſe continere vel attingere totam illam vitæ ſanctitatem, quam Jeſus Chriſtus docturus homines venerat.)

VULGATA. Eo nomine Textum Latinum Bibliorum intelligimus, quem Concilium Tridentinum lato decreto authenticum aſſeruit, *Seſſ.* 4. c. 2. Hæc Concilii verba, *Sacraſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, expoſitionibus Theologicis, pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.* Porrò S. Concilium Vulgatam cum Originalibus non contulit; neque enim tunc ea de re agebatur; ſed aliis tantùm Latinis Verſionibus tunc temporis obtinentibus, atque hæretico ut plurimùm, ſivè ignoto authore ſuſpectis, præferendam declarat. Inconſultò igitur vitio Patribus illis vertitur ab Eccleſiæ adverſariis quaſi Vulgatam Originalibus prætulerint. Salmero, qui Concilio interfuit *Proleg.* 3. & Pallavicinus, qui ejus hiſtoriam intexit, eam fuiſſe Concilio mentem teſtantur, ut Vulgatam ſolam inter Verſiones Latinas probaret, atque authenticam declararet, utpotè quæ nihil fidei, & moribus abſonum contineret.

Neque de primo Latinæ Verſionis Authore, neque de tempore ſatis conſtat; quamvis receptum ſit, nonniſi poſt invectam Chriſtianam Fidem Scripturas è Græco in Latinum verti cœpiſſe. Neque enim ullos fuiſſe ſcimus Judæos, qui hanc ſibi provinciam, vertendi in Latinum Sacros Libros ſuſciperet; quamvis alioqui frequentiſſimi eſſent Romæ, & in univerſa Italia Judæi. Chriſtiani vero, pro eo, quo tenebantur, in religionem ſtudio, diluculo ſatis vertendi Sacros Libros, atque cognitionem veritatis ea ratione in cæteros diffundendi, laborem aggreſſi ſunt. Neque infrequentes in eam rem ſtudium contulerunt: *Qui Scripturas ex Hebræa lingua*, ait S. Auguſtinus *de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 11. n. 16. in Græcam verterunt, numerari poſſunt: Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.*

Ea verſionum autem copia confuſio, ut ferè fit, & diſſenſus inter Verſiones invectus eſt. *Cùm apud Latinos*, ait S. Hieronymus *Præfat. in Joſue, tot ſint exemplaria ferè, quot Codices, & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt &c.* Inter eas tamen una erat cæteris magis probata, atque recepta, nomine *Italica*, *Communis*, & *Vulgata* appellata, cui poſt adornatam novam ex Hebræo Verſionem a S. Hieronymo nomen *Veteris* manſit. Hæc autem vetus Editio, ex Græco adornata, eo privilegio cæteris præferebatur, quòd *verborum tenacior eſſet, cum perſpicuitate ſententiæ* (a).

Quamvis autem Eruditiſſimi quique ſatis noſcerent neceſſitatem Verſionis fideliſſimæ, & exactæ, quæ cæterarum omnium loco obtineret; res tamen uſque ad exitum quarti ſæculi, & ad quintum iniens in votis manſit. Tandem S. Hieronymus manum operi admovens, ſpecimen Latinæ Verſionis ex Hebræo publicavit. Via ea in publicum prodiit, mirum eſt quanta undique invidia in virum ſanctum exarſerit ab iis etiam, qui de re benè ſentientes, verebantur tamen, ne de authoritate Septuaginta aliquid decederet; quos ſcilicet Interpretes Divino Spiritu afflatos plures credebant. Metus etiam accedebat, ne populi, qui antiquæ Verſioni aſſueverant, nova, nec planè cum illa congruenti, invecta, ſcandalo aliquo afficerentur. Conatus eſt quidem S. Doctor primum Verſiones quaſdam ex Græco adornatas reformare; atque bis recenſito Pſalterio circa an. 382. & 389. dein ad alios quamplures Libros Bibliorum manum admovit (b); ſed impari eventu ſuccedente, conſuetudo vetus manſit. Tandem precibus amicorum flexus, integram Verſionem Latinam, ex Hebræo adornandam aggreſſus eſt (c).

Prodierunt omnium primi, Paula, & Euſtochio rogantibus, quatuor Libri Regum. 2. Ut Marcellæ Matronæ Romanæ acquieſceret, Librum Jobi Latinum reddidit. 3. Ad Prophetas Majores, & Minores, & poſt aliquod temporis, ad Librum Eſdræ ſtylum vertit. 4. Pſalmi ex Hebræo redditi, quos Sophronio in Græcum vertendos dedit. 5. Urgentibus Heliodoro, & Chromatio, tres Libros Salomonis, nempè Proverbia, Eccleſiaſtem, & Cantica Canticorum elaboravit. 6. Precibus Deſiderii amici ſui Pentateuchum conceſſit; & prolixum opus, quamvis intermiſſo ſæpiùs labore, abſolvit. 7. In gratiam Euſtochii, Joſue, Judices, Ruth, & Eſther; quemadmodum & rogante Chromatio, tandem Paralipomena in Latinum tranſtulit.

Certum ſingulorum operum tempus definire fruſtra laboraremus: illud tamen conſtat, an. 392. quatuor Libros Regum, Job, Prophetas omnes, Pſalmos, & Libros Salomonis in publicum jam prodiiſſe. Eſdras, & Liber Geneſis Latinè redditi ſunt ſpatio intermedio inter an. 392. & 394. Reliquum Pentateuchi, nempe Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium, ante 404. ſivè 405. poſt mortem nempè S. Paulæ abſolvere non potuit (d). Verſio Joſue, Judicum, Ruth eo anno recentiores ſunt. Paralipomenis ſupremam manum impoſuit an. 396. Ita ex Epiſtolis, & Præfationibus S Hieronymi colligimus. Libros V. T. quorum Græca tantùm ſuperſunt Archetypa, intactos reliquit; quare Libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici, gemini Machabæorum, Prophetia Baruch, Epiſtola Jeremiæ, Additiones ad calcem Eſther, & duo poſtrema Danielis capita ex

veteri

(a) Greg. Magn. Præfat. in Moral. in Job.
(b) Proverbia, Eccleſiaſtem, Cantica Canticorum, Job. & Paralipomena. Vide ſecundum Prolegomenum novæ editionis S. Hieronymi.
(c) Hieron. Præf. in Paral. in Job. in Eſdr. in Joſue. (d) Vide Præfat. S. Hieron. in Joſue, & Prolegomena in novam Editionem S. Hieron. Obiit S. Paula an. 404.

Digitized by Google

veteri Vulgata ; ex qua etiam totum fermè deſcriptum eſt Pſalterium, noſtra ætate obtinent ; Verſio enim S. Hieronymi ex Hebræo, ſeorſim à noſtris Bibliis excuſa eſt. Quod tamen in Vulgata legitur Pſalterium, ita ex veteri Italica deſumptum eſt, ut correctiones tamen S. Hieronymi ex Græco præſeferat.

Novam etiam ex Græco N. T. verſionem inſtante S. Damaſo Papa, S. Hieronymus adornavit (a). Cùm enim Latina Exemplaria parum inter ſe congruere viderentur, ac *tot* eſſent *Exemplaria, quot Codices*, novæ Verſioni animum addicere viſum eſt; in qua tamen, ne vocum novitate populus ſcandalo aliquo afficeretur, *ita calamo temperavimus*, ait idem S. Doctor, *ut his tantùm, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua pateremur manere, ut fuerant*. Hinc facilis inita eſt ratio, ut ſenſim nova Verſio per univerſam Latinam Eccleſiam ita obtineret, ut vetus Italica non ignoraretur tantùm, ſed prorſus interiret ; eòm nulla noſtra ætate ejus Exemplaria, quantùm ſcimus ſuperſint ; nec niſi fragmenta quædam, ſivè in veteribus MSſ. ſivè apud PP. S. Hieronymo vetuſtiores, ſuperſint.

His verò S. Doctoris laboribus ſecundus adeò eventus ſucceſſit ; ut vix publico aliquis Liber permiſſus, ſtatim per Urbes & Provincias diffundebatur. Eam rem ſanctiſſimo Viro Ruffinus, perpetuus ejus nominis oſor, in crimen vertit (b). Lucinius Hiſpanus, Sacrarum Literarum ſtudioſiſſimus, miſſis in Bethleem an. 394. ſex notariis, ſeu compendiariis Scriptoribus, Hieronymianas omnes Verſiones, atque ejus opera univerſa tranſcribenda ſibi curavit. Vide Epiſt. S. Hieron. Lucio Bætio, olim 28. nunc 52. novæ Edit. S. Auguſtinus, qui primò parum verſionibus hiſce favere videbatur, dein adeò probavit, ut ex illis Speculum ſuum, in quo plures ex S. Scriptura ſententiæ, ad uſum vulgaris populi colliguntur, adornaverit. Philippus Presbyter, S. Hieronymo ſuppar, in Commentario ſuo ad Jobum, eamdem verſionem ſecutus eſt. Nec ferè alteram præſefert S. Gregorius Magnus in moralibus ſuper Job, quamvis utramque, veterem nempè Italicam, & Verſionem S. Hieronymi indiſcriminatim adhibuiſſe Romanam Eccleſiam perhibeat. S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui circa an. 630. florebat, de Verſione S. Hieronymi hæc tradit *de Officiis Eccleſ. l. 1.: Cujus Editione omnes Eccleſiæ uſquequaque utuntur*. Tandem Hugo Victorinus *de Scriptur. Sacr. c. 9.* teſtatur, Eccleſiæ Latinæ decreto ſancitum eſſe, ut nulla alia Verſio in poſterum obtineret. Hoc quidem decretum prorſus nos latet ; atque fieri potuiſſe credimus, ut nunquam ederetur ; quamquam mos, & Eccleſiæ univerſæ conſuetudo, pro lato quocumque decreto meritò haberi poteſt.

Vetus Vulgata, quamvis aureis Linguæ Latinæ ſæculis adornata, barbaro tamen, incultoque ſtylo, quemadmodum ex fragmentis noſtra ætate ſervatis diſcimus, horrebat. Primi enim Interpretes minùs ſermonis puritati, & elegantiæ ſtudebant, quàm accommodandis ad captum vulgaris populi rebus, atque incorrupta fidelitate verbis ex Græco in Latinum exhibendis. S. Hieronymi comptior eſt, ſed non affectata dictio, quamvis ille ſenſus perſpicuitati potiùs, quàm ſtyli elegantiæ, ſtuduerit. Quod ad rem attinet, fateamur oportet, verſionem illius opus eſſe eximium, quamvis à mendis non prorſus immune. Proteſtantes eruditiſſimi Vulgatam non laudarunt tantùm, ſed & cæteris præferendam non refragabantur. Ludovicus de Dieu *not. ad Evang.* Authorem Veteris Latinæ Verſionis virum eſſe eruditiſſimum ultrò fatetur. Quamvis enim illi neque vitia ſua, neque barbariſmi defuerint, ait ille, virum tamen eſſe fateor ingenuitate, atque judicio, ibi etiam ubi barbarus eſt, commendandum. Grotius Vulgatam ſuis annotationibus illuſtrandam aſſumens, hujus electionis hanc potiſſimùm rationem exhibet : *Vulgatum Interpretem ſemper plurimi feci, non modò quòd nulla dogmata inſalubria contineat, ſed etiam quòd multum habet in ſe eruditionis*. Quicumque hanc celeberrimam Verſionem invido dente dilacerarunt, illos tamquam impudentes, atque ſemiſapientes Fagius traducit, *Præfat. ad Collat. Tranſlat. V. T.*

Cùm autem Tridentinum Concilium *Seſſ.* 4. lato decreto ſtatuiſſet, ut ipſa vetus, & Vulgata Editio *quàm emendatiſſimè imprimeretur* ; Siſtus V. Papa omnem vertit curam, ut quàm emendatiſſima Vulgatæ Editio, ad cujus normam cæteræ excuderentur, prodiret. Sapientiſſimis igitur Theologis in eam rem adhibitis, eorum ſedulitate, & diligentia factum eſt, ut an. 1589. emendata Verſio typis exhiberetur, quæ tandem ſequenti anno in lucem prodiit. Cùm verò Opus longe adhuc à perfectione abeſſe videretur Pontifex Clemens VIII. novam aliam editionem procudendam curavit anno 1592. Ad ejus normam cæteræ deinde adornatæ ſunt, utpote quam ipſe Pontifex Clemens VIII. in ſua Bulla decrevit, tamquam authenticam, juxta Concilii Tridentini declarationem, habendam eſſe. Porrò Cardinalis Bellarminus, qui una cum aliis Theologis huic correctioni allaboravit, in ſua ad Lucam Burgenſem Epiſtola hæc ſcripſit: *Scias velim, Biblia Vulgata non eſſe a nobis accuratiſſimè caſtigata ; multa enim de induſtria juſtis de cauſis pertranſivimus*.

VULPES, Græcè *alopex*, Hebraicè *ſual*, animal notiſſimum, & verſutiis celeberrimum ; cujus non ſemel in Scriptura fit mentio. Samſon 300. ſimul vulpes venatus, binas & binas cauda jungens, faces trahentes, accenſas, in meſſem Philiſthæorum immiſit, quæ ſtatim flammis abſumpta eſt *Judic.* 15. 4. Inde iis in oliveta diſcurrentibus, ignis vis paſſim ſæviit. Ingentem adeò vulpium copiam Samſonem jungere potuiſſe plures mirantur ; ex quo tamen alii jure colligunt, frequentiſſimam eſſe vulpibus Palæſtinam : quod ſanè pluribus Scripturæ teſtimoniis, & Itinerantium conſenſu probatur (c). Vulpes parvulas vineas, demolientes Salomon in Canticis 2. 15. commemorat. Eaſdem feras tutò per montem Sion deſertum jam diſcurrere Jeremias *Thren* 3. 18. deplorat. Quædam etiam locorum nomina idem animal præſeferunt, ut *Terra Sual* 1. *Reg.* 13. 17. ; *Hazer Sual Joſue* 15. 28. & 19. 3., nempè commemoratio vulpis, quod nomen urbis Juda, vel Simeonis eſt : *Saalabim Joſue* 19. 42., urbs, facilè Tribus Dan, patria Samſonis.

Belonius apud Bochart. loc. cit. teſtatur, occurrere in Palæſtina, ac potiſſimùm in circumjacenti Cæſareæ regione, animal ad lupum, & vulpem accedens ; adeò autem frequens regionem inundat, ut quandoque agmine facto, 200. vel 300. ſimul diſcurrant. Morizonius, qui eamdem regionem peragravit, ebullire terram vulpibus, maximè in ruinis, & ſepibus, teſtatur (d). Potuit etiam Samſon plurium opera iis capiendis nec unicum ſanè diem impendere. Porrò igni in meſſes inferendo jugatæ vulpes, aptiſſimo fuerunt inſtrumento : nam breviori corpore animal curſu citiſſimum eſt ; nec via recta, ſed ſerpendo huc, illucque diſcurrit ; quare in diverſa jugatæ vulpes ſe ſe mutuo trahentes, univerſam latè Philiſthæorum meſſem corruperunt. Neque facilè ſylvas, ſive ſpecus ſubire potuere, ubi ſanè extincto igne, Samſonis conſilium feſelliſſent (e).

Vulpes ſane vineas fœtas demoliuntur (f) ; uti etiam teſtimonio Sponſi in Canticis intelligimus. In cibum à venatoribus adhiberi autumni tempore ; cùm uvis paſtæ pingueſcunt, Galenus *de alim. facult. l.* 3. *c.* 2. obſervat : hinc notiſſima de racemo & Vulpe fabella. Omnium rerum, qua laborabat, indigentiam

deſignans

(a) Hieron. Præf. in 4. Evang. (b) Ruffin. invectivæ in Hieron. l. 2.
(c) Bochart. de anim. Sacr. p. 1. l. 3. c. 13. (d) Voyage l. 2. c. 31. (e) Vide Comment. in Judic. 15.
(f) Vide Nicandr. in Alexipharm. v. 185. Theocrit. Idyll. 5. Varr. de re ruſt. l. 1. c. 8.

deſignans Chriſtus in Evangelio, ait *Matth.* 8.2. *Luc.* 9. 58. *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Caveas profectò ſuas vulpes in terris effodiunt, pluribus oſtiis patentes, ut ſi fortè laqueos aliqua ex parte venatores tendant, in diverſa abeant (a).

De Pſeudo-Prophetis ita Ezechiel 13. 4.: *Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui erant;* hypocritæ nempe, & verſuti, qui ſub ovilla pelle lupum celant, vel ſaltem qui Jeroſolymæ excidium, cùm illam defendere debuiſſent, moliuntur, mœnia, ut ità dicam, ſuffodientes, atque fundamenta ſubruentes. Herodes Tetrarcha Galilææ, verſutus, & politicis myſteriis imbutus vir, vulpes à Jeſu Chriſto appellatur *Luc.* 13. 32. Tobias Ammonites Hebræos reſtituendis mænibus Jeruſalem laborantes deridens, *Ædificent*, ait, *Si aſcenderit vulpes, transſiliet murum eorum lapideum* 2. *Eſdr.* 4. 3., ſeu demolietur, effodiet.

VULTUR, avis eſt rapax, & impura *Levit.* 11. 14. *Deut* 14. 13. Carnivora eſſe fertur; quare inter mali omnia volucres apud antiquos adſcripta eſt. Alia tamen de illa apud Romanos opinio. Indi, Perſæ, & Hiſpani, mortuorum corpora ſub dio relinquebant, ut ſcilicet vultures advolantes illorum oculos raperent, atque vorarent. Silius Ital. l. 13.

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumat corpora vultur.

In hieroglyphicis miſericordiam, & lynceum intuitum deſignare ferunt. Junoni Sacra habebatur.

Vox Hebræa *daah*, ſivè *daia*, quæ vulturi reſpondet, non æquè ab omnibus Interpretibus de vulture explicatur. Bochartus diſtinguendum cenſet *aia* à *daia*, atque primum Niſum reddens, alterum de vulture ſivè corvo intelligit. *Daah* redditur *Aquila* apud Jeremiam 48. 40. & 49. 22. *Daia* verò eſt *Milvus Iſa.* 34. 15. Septuaginta verò, & S. Hieronymus *Job.* 28. 7. explicant vulturem, quod Hebræus habet *bait*, quæ vox avem utcumque potiùs deſignat.

UZAL, Sextus filius Jectan *Gen.* 10. 27., cujus poſteri in Arabia Felici collocantur. In Libro Juchaſin occurrit urbs Uzal, Metropolis Regni Alieman, vel Sabæ. Latini pro Uzal reddentes *Auzar*, myrrham quamdam ejus regionis *Auzaritim* appellarunt (b).

UZI, Summus Sacerdos. Vide *Ozi*.

X A

XALOTH, vicus in Magnò Campo & terminus meridionalis Galilææ inferioris (c).

XERSES filius Darii filii Hyſtaſpis, qui patris in Regno Perſarum ſucceſſit, A. M. 3519. ante Ch. 481. ante Ær. 485. ab ipſo patre paulò ante obitum ſuum Rex ſalutatus. Matrem habuit Atoſſam filiam Cyri. Huic Regi Danielis Oraculum *Dan.* 11. 2. tribuitur: *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide* (Cyrus nempè, Cambiſes, & Darius Hyſtaſpis) *& quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes, & cum invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adversùm Regnum Græciæ.* Porrò Xerſes ditioni ſuæ adjecit Ægyptios, Phœnices, Inſulam Cypri, Ciliciam, Pamphiliam, Piſidiam, Lyciam, Cariam, Myſiam, Troadem, Helleſpontum, Bythiniam, & Pontum. Poſt domitas ſpatio trium, vel quatuor annorum gentes illas, miſſis in Græciam Legatis, terram, & aquam in ſignum ſubjectionis, & obedientiæ exegit (d). Imperata facere renuentibus Græcis, ille mari, terraque ingenti, atque nunquam antea viſo exercitu, & claſſe expeditionem in Græciam ſuſcepit. Tanto Regis molimini infauſtus eventus reſpondit, uti omnibus ſatis ſuperque compertum eſt. Suſas dein regreſſus, inde Ecbatanas ſe reſtituit, ubi nece ſublatus, Artaxerſi Longimano Regnum reliquit, An. M. 3531. ante Chr. 469. ante Ær. 473. Duodecim tantùm annis regnavit.

(Docet Joſephus (e) Principem hunc rata voluiſſe Judæis privilegia omnia, quæ primus conceſſerat Darius Hyſtaſpis ejus Pater, atque illud potiſſimùm, quo dabantur populo tributa Samariæ ad impenſas victimarum offerendarum in Templo Jeruſalem.

Altero Regni anno profectus eſt in expeditionem Ægypti (f), devictaſque gentes illas graviori ſervitutis jugo oppreſſit. Regendas eas commiſit Achemenidi fratri ſuo, rediitque anno cadente Suſas.

Proſpero eo ſucceſſu tumens, decrevit, inſtigante Mardonio filio Gobriæ, qui unam è ſororibus illius duxerat, victricia arma inferre in Græciam (g). Cenſet Joſephus, *contra Appionem lib.* 1. Judæos pariter mandatos fuiſſe, arma in eam expeditionem capere, accommodatque illis, quæ Poeta Chœrilus narrat de gentibus illis, quibus Xerſis exercitus componebatur.

Extu miranda ſpecie gens caſtra ſequuta eſt
Phœnicum, ignoto quæ voces ederet ore.
Hac Solymos habitans montes, ſtagnum prope vaſtum
Circumtonſa comis.

Hanc Joſephi ſententiam tuetur Salmaſius (h). Et quidem ſi inter ſubjectas Xerſi gentes Judæi pariter accenſebantur, cur uni inter omnes eximerentur ab armis pro illo ferendis? Nihilo tamen ſeciùs Scaliger, Bochartus, Annæus, & plerique hodie inter doctos tuentur Chœrilo ſermonem eſſe de Solymis Piſidiæ. Vide ſupra *Solymi*.

E' celebri illa & fatali expeditione redux Princeps mandavit demoliri Templa omnia Græcarum Urbium in Aſia, quod executioni ſtatim mandatum eſt (i). Solum inter omnes manſit Templum Dianæ Epheſium, quod illi privilegium ſtructuræ magnificentia facilè contulit. Eandem vaſtationem intulit Xerſes per omnia loca, per quæ redeundo tranſiret, toto expeditionis illius curſu evertens Fana omnia Idolorum, quæ in via eunti occurrerent. Neque id conſilium ſuggeſſit ſive odium in populos, ſive genius aliquis peculiaris Principi: zelo id tantùm factum eſt, zelo, inquam, in religione Magorum, quam didicerat authore Zoroaſtro, & ex qua pariter hauſerat altum in Idola & ſimulacra horrorem. Ita pariter dum rediret pertranſiretque Babylonem corrupit Idololatriam & Idola (k), eodem conſilio, quo pariter & adverſarium ſe præbuerat Templis Græcorum. Conſtitit his ſua fides oraculis Jeremiæ 50. 2. *Confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach; confuſa ſunt ſculptilia ejus, ſuperata ſunt Idola eorum.* Cap. 51. 44 *Viſitabo ſuper Bel in Babylone, & ejiciam quod abſorbuerat de ore ejus:* & infra ℣. 47. *Viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis*, Vide & ℣ 52.)

XYLOPHORIA, Feſtum Hebræorum, quo ſolemni ritu ligna in uſum Altaris Holocauſtorum ad Templum deferunt. Nulla quidem ejus Solemnitatis in Sacra Scriptura, ſed tantùm in Joſepho, *de Bello l.* 2. *c.* 17. eſt mentio. Ad menſem *Ab*, Julio reſpondentem Feſtum illud Seldenus conſignat: cæteri ad *Elul* Auguſto reſpondentem. Porrò ligna illa ſolerti cura præparanda fuiſſe docent Rabbini; cavendumque diligenter, ut neque impoſita, neque putrida, neque corrupta, neque vermibus ſulcata compararentur.

XYSUTHRUS. Vide *Siſuthrus*.

YADES.

(a) Appian. Cyneget. Lactant. in ira Dei c. 7. (b) Plin. l. 12. c. 6. (c) Joſeph. de Bello l. 3. c. 2.
(d) Herodot. l. 7. c. 25. &c. A. M. 3523. ante Chr. 477. ante Ær. 481.
(e) Antiquit. l. 11. c. 5. Circa A. M. 3520. Ante J. C. 480. Ante Æram vulgarem 484.
(f) Herodot. l. 7. A. M. 3521. (g) Herod. l. 7. (h) Salmaſ. Offileg. linguæ Helleniſticæ
(i) Strabo l. 14. Cicer. de Legibus l. 2. Æſchyl. in Perſis, Herodot. l. 8.
(k) Strabo l. 16. Herodot. l. 1. Diodor. l. 2. Arrian. de Expedit. Alex. l. 7.

Y

YADES. Vide *Hiades*.

YCANTROPIA morbi genus eſt, quo affectus homo turbatæ phantaſiæ vitio tranſiiſſe ſe reputat in bovem, lupum, canem, felem &c. adoptatque ſibi animalium illorum mores & indolem. Vulgo creditur Nabuchodonoſor (a), agente Numine in maniam hanc incidiſſe. Altè perſuaſus Rex ille evaſiſſe ſe bovem, gradi cœpit incurvus, mandere herbas, petulcis veluti cornibus inſultare, pererrare in agros, fugitare homines, negligere barbam & ungulas ferino more. Attoniti ad prodigium familiares apprehenderunt hominem, alligaruntque juxta illud Danielis (b): *Alligetur vinculo æreo & ferreo*, ac perinde habendum cenſuerunt ut mania affectum, caveruntque ſe ab illo, metu nequid violentum inferret, neve præcipitem ſe ageret. Sed effugit tandem egitque vitam in agro more brutorum. Porro morbos hoſce norunt Medici, vixque de Medicina ſcriptum Librum aliquid tale non præferentem, legas.)

Z A

ZABAD, Nathan filius, & Ophal pater, è ſtirpe Juda, 1 *Par*. 2. 36. 37.

II. ZABAD, filius Tahat, & pater Sutbalæ, ex Tribu Ephraim. 1. *Par*. 7. 20.

III. ZABAD, filius Semmaar fœminæ Ammanitidis, & Jozabad filius Semarith fœminæ Moabitidis, Regem Juda Joas interfecere, A. M. 3165. ante Ær. 838. 2. *Par*. 24. 26.

IV. ZABAD, ex iis qui ductas contra Legem uxores reliquere. 11. *Eſdr*. 10. 17.

ZABADÆI, Arabes orientales, montium Galaad partes incolentes, quos Jonathas Machabæus fudit, A. 3860. 1. *Mach*. 12. 31. Fortaſſe tamen pro *Zabadæi* nomine ignoto, *Nabathæi* cum Joſepho legendum eſt, qui cognoſcuntur.

I. ZABADIA, Bariæ filius. 1. *Par*. 8. 15. 16.

II. ZABADIA, filius Elphaal. 1. *Par*. 7. 16. 17.

III. ZABADIA, filius Jeroham, ex urbe Gedor, ſecutus eſt Davidem, Saulis perſecutionem fugientem. 1. *Par*. 8. 7.

IV. ZABADIA, Levites, Meſelemiæ filius, Templi oſtiarius. 1. *Par*. 26. 2.

ZABBAI, filius Bebai, ex iis. qui ductas contra Legem uxores repudiarunt. 1. *Eſd*. 10. 28.

ZABDI, filius Zare, avus Achan. *Joſue* 7. 1.

ZABDIAS, Præfectus cellis vinariis David. 1. *Par*. 27. 27.

ZABDIEL, filius Jesbaam quatuor & viginti hominum millibus Præfecti, qui primo menſe Davidis Regis præſidio inſerviebant, 1. *Par*. 27. 2.

ZABDIEL, Arabiæ Rex, Alexandrum Balam Syriæ Regem, qui ad ſe confugerat, interfecit, illiuſque caput Ptolemæo Philometori Ægypti Regi (c), in Syria tum commoranti, & Alexandrum perſequenti miſit. Huic Zabdieli Diodorus Siculus l. 32 Dioclis nomen adſcribit. Abſimili parùm ratione prophani Hiſtorici rem deſcribunt (d). Duces enim exercitus Alexandri Balæ ſibi & ſuis conſulentes, abſcedente in Ciliciam Alexandro, cum Demetrio Nicatore egiſſe ajunt, ipſumque dolo interfeciſſe; cujus caput deinde Zabdiel, de quo loquimur, Ptolemæo Philometori, Demetrii Socero, miſerit.

ZABII. Hi veteres Chaldæi, aſtrologiæ, & Syderum cultui dediti, & in taliſmanis ſub diverſis aſtrorum figuris conficiendis, occupati creduntur. An verò hi Zabii populus quidam ſingularis, an aliqua Philoſophorum ſecta eſſent; ipſumque nomen, Religionem ne, an Patriam, an ſitum deſignet, ignoratur. Quinque vel ſex de hoc ſententiæ circumferuntur (e). Credunt alii *Zabiorum* nomen derivari à *Zaba*, vel *Saba*, filio Chus; aut à *Zaba*, ſcilicet exercitu, quòd exercitum Cœli colerent; aut ab Arabico *Tzabin*, quod Orientalem ventum ſignificat; cùm hi, utpotè Chaldæi, Orientalium nomine appellarentur. Spencerus, loco cit. diù hac re perpenſa, in etymologiam Scaligeri *Epiſt. l.* 1. *Epiſt.* 62. concedit, qui *Zabiim* Orientales, ſeu Chaldæos ſignificare opinatur: ſolis tamen Chaldæis nomen hoc minimè reſtringendum, ſed aliis etiam finitimis populis, eorum principia ſectantibus, ut Ægyptiis, Nabathæis, Chananæis, Syria, aliiſque communicandum putat: quare *Zabiorum* nomen ſectam quamdam in Oriente ſatis receptam, exprimeret.

Quæ verò Zabiorum Religio, & Philoſophia? Nonnulli antiquiſſimam omnium Religionem fuiſſe exiſtimant. Sunt qui natam volunt temporibus Seth filii Adam; alii ſub Noe, alii ſub Nachor patre Thare, & Abrahami avo (f). Maimonides (g) Zabiorum Religionem, & principia ab Abrahamo repetit, priuſquam è Chaldæa egrederetur. Præcipua hujus Religionis lex, cultus erat aſtrorum, & magiæ genus quoddam; quod Spencero Idololatras fuiſſe perſuaſit, ipſorumque Religionem, qualem Judæi & Arabes Scriptores, qui de hac agunt, agnovere, Judaiſmo declinante efformatam; pluraque à veteribus Chaldæis, Judæis, Platonicis, & Gnoſticis mutuatos; hiſque omnibus commiſtis, ſuam Religionem effinxiſſe. *Zabiorum* etiam nomen, non ſecùs ac Religionem, ut nunc eſt, maximè recens eſſe addit, nec Mahumeti tempora ſupergredi, cùm nec eorum nomen, aut Religio in ullo Scriptore veteri Græco, vel Latino, aut opere quopiam ante Alcoranum exarato legantur.

D. Hyde in ſua de Perſarum Religione hiſtoria totus eſt in adſcripta Zabiis idololatria refutanda. Hujus authores ponit Sem, & Elam; aliquibus verò ſuperſtitionibus ſucceſſu temporis corruptam, ab Abrahamo reſtauratam fuiſſe, quem & illius reformationem adversùs Nemrod, illam perſecutum, ſuſtinuiſſe aſſerit. Zoroaſtrum deinde, promulgatam ab Abrahamo veri Dei adorationem, confirmaſſe. Verum quidem eſt, Zabios, aut veteres Perſas ſempiternum in Altaribus, & Templis ſuis ignem conſervaſſe; huc tamen & in Altari Templi Jeroſolymitani videbatur, ubi æternum ignem enutriendi Sacerdotibus cura erat. Solem Zabii adorare videbantur; at ſubalterno cultu & veri Dei adorationi ſubdito, hoc feciſſe dicuntur. Veterum Perſarum reliquiæ, quæ adhuc ſuperſunt, petentibus quo cultu ſolem venerentur, civili, reſpondent, & ab eo, qui Regibus, & eorum Miniſtris præſtatur, non abſimili.

Zabiorum nomen in Scripturis non legitur: noſque de iis ſermonem idcircò inſtituimus, quod frequenter à Rabbinis, & Interpretibus de ipſis agitur, & Moyſem in pluribus cæremonialibus inſtitutis animum ad ipſos advertiſſe intelligimus, ut illis adverſaretur, ſive, ut Zabiorum uſus, & cæremonias rectificaret. Videatur Spencerus in ſuo Libro ſecundo *de Legibus Hebræorum Ritualibus*.

(a) Hieronym. Theodoret. Maldonat. Perer. Cornel. Sanct. hic. Franc. Valeſ. de Sacra Philoſophia c. 80. Mercurial. l. 6. Var. Lect. c. 20. D. Thomas de Regimine Principum l. 2. c. ult. Rapert. de Trinit. l. 6. & de Victoria Verbi c. 29. Delrio l. 2. Diſquiſit. Magic. c. 18. Bartbullin. de morbis Biblic. Vives & Leonard. Coquæus ad Auguſt. l. 18. de Civit. & alii &c.

(b) Dan. 4. 12. Hieron. in Dan. 4. p. 1089. Cum perſpicuum ſit omnes furioſos, ne ſe præcipitent, & alios ferro invadant catenis ligari. (c) 1. Mach. 11. 17. A. M. 3869. ante Ch. 141. ante Ær. 145. (d) Polyb. Diodor. apud Uſſer. ad an. M. 3859. (e) Vide Spencer. de Legib. Hebr. Ritual. l. 2. c. 1. de Zabiis. (f) Seider Batricid. (g) Maimonid. More Nevoch. l. 3. p. 411.

Digitized by Google

(Zabiorum religio vetuſtiſſima reputatur omnium quotquot in Mundo, ſi unam excipias Adamicam & Patriarcharum, quæ unica pariter erat ſincera & genuina. Unius ſingularis Numinis dogma, ſicut & de neceſſitate Mediatoris opinio omnium latè hominum primævorum mentem tenebat (a). Dei unitas ſolo naturæ lumine ſpectatur, cujus à natura inditæ ideæ appendix eſt altera de neceſſitate Mediatoris, quo inſinuante acceſſus pateat ad ſupremum illum rerum Monarcham. Sed cùm de dotibus hujus Mediatoris vel nihil reſciiſſent homines, vel excidiſſent è mente, quæ de illis divinitus inſtructus docuerat Adam, ipſi ſibi ſelegerunt Mediatores, quorum ope acceſſus daretur ad Numen illud ſupremum. Is primus ad Idololatriam gradus fuit. Cùm nihil offerret ſe intuentibus ſeu pulchrius ſeu perfectius præ aſtris, queis ineſſe credebantur tanquam præſides, vel animæ inſidentes mentes aliquæ, reputarunt pariter nihil propius facturos ſeſe, quàm ut ad illa conferrent munus mediatoris Deum inter & homines. Planetæ aſtrorum omnium & corporum cæleſtium magis proximè accedebant ad terram, ſuiſque in illam influxibus optimè de ſublunaribus meruerant; quare & planetis inter Mediatores omnes primæ datæ ſunt; nec diu ſtetit, quin in Deos conſecrarentur.

Hæc Idololatriæ origo, Idololatriæ, inquam, omnis latè ſe per Orbem diffundentis. Primò omnium erecta ſunt Tabernacula vel ædiculæ Mentibus hiſce; dein factus eſt gradus ad ſtatuas vel imagines. Porro imagines illæ olim ab exordio ſuſpiciebantur veluti ſacella vel ædes, quas mentes illæ incolerent, ut proinde colerentur obſequio tantùm obliquo terminante ad Planetam illum, cui erant addictæ. Succurrit poſt hæc erigere ſtatuas, in quibus accedente conſecratione ita reputabantur adeſſe influxibus ſuis Numina illa, ut erant in Planetis; ut perinde eſſet ad impetrandum ſive preces offerrentur coram ſtatua, ſive coram Planeta. Hæc prima eſt origo cultus in ſtatuas vel ſimulacra.

Secundùm hæc e re eſſe cenſuerunt homines ſi ſtatuis darent nomina Planetarum, quos referebant; nomina, inquam, qualia hodie uſque retenta ſunt. Ita primas tenere ſcimus in cultu Veterum Saturnum, Jovem, Martem, Apollinem, Mercurium, Venerem, Dianam, quæ majora erant & auguſta apud illos Numina. Quæ tandem opinio ſuberat mentibus proborum virorum animas e corpore ſecretas valere ad munus Mediatoris, & ad conciliandum Deum hominibus, hæc pariter perſuaſit ut conſecrarentur in Aris, ceu Numina, homines, quorum merita tanto honori reputabantur paria; ex quo factum ut Deorum numerus invaleſceret in mundo.

Cœpit Religio iſta à Chaldæis, obſtetricante illa, quam callebant, Aſtronomiæ ſcientia. His coactus Abraham deſeruit Chaldæam. È Chaldæis malum totum late Orientem invaſit; tum ſerpſit in Ægyptum lues, poſt hæc in Græciam, & è Græcia Occidentales omnes infecit. Superſtitionis hujus authores primi innotuerant in Oriente ſub nomine *Sabæorum* vel Zabiorum (b). Manent hodie uſque in Oriente ſectæ hujus reliquiæ ſub nomine Sabbæorum, originem ſuam referentes è Sabio filio Seth; ſacrumque retinent volumen dogmata ſua omnia complectens, quod Seth Authori tribuunt.

Sectæ huic Sabbæorum è diametro opponebantur Magi horrori habentes imagines & Idola, quorum erat Religio Deum unicè per ignem colere. Nati illi in Perſide, pomeria ſua dilatarunt apud Indos, ubi nec hodie defecerunt. Principia agnoſcunt duo, boni ſcilicet, & mali. Vide v. *Magi*.

Ut ad Zabios regrediamur, cùm ſyſtema illud totum de origine & progreſſu hujus ſectæ nullis fulciatur ſeu documentis veterum Hiſtoricorum, ſeu facto aliquo, ſeu veteri monumento, noſtrum eſſe cenſemus admonere Lectores, ut nihil ea in re concipiant, niſi ideam aliquam mentis re ipſa quidem probabilem, ſed incertam maximè. En certius aliquid deductum ex Scriptoribus Orientalibus, quo inſtruimur de ſecta Zabiorum, & de ſectæ illius dogmatibus.

Nomen Sabbæi (c), vel Zabii non gentis cujuſdam eſt peculiare, ſed Religionis in Oriente notæ, tum & hominum illam profitentium. Quid potiſſimùm ſit Zabiorum Religio non ſatis inſtruimur. Nec enim inter Orientales ipſos ea de re convenit; conſtat tamen unam eſſe è tribus, cui patrocinium ſuum permittit Mahometus, quin & probare utcunque viſus eſt in Alcorano. Tres illæ ſunt Religio Judæorum, Chriſtianorum & Zabiorum, quippe quæ ſingulæ vel tenent vel tenere ſe jactitant Libros ſcriptos à Patriarchis & Prophetis, quos Mahometus & Muſulmani ſuſpiciunt.

Si fides eſt Houſſain Vaez in ſua Paraphraſi Perſica Alcorani, Zabii plura ſervant è Judaiſmo, Chriſtianiſmo, & Mahometiſmo deducta. Angelos colunt, legunt Pſalmos David, rogant converſi nunc ad meridiem, modò ad Septemtrionem. Sunt qui credant tenere illos dogmata Saducæorum.

Eſt etiam illis, ſi fides ſit D. d' Herbelot, Liber quidam Adamo Authori tributus, eumque ita ſuſpiciunt ac nos Biblia, inſcribitur autem ſingularibus planè characteribus, ſermone ferè prorsùs Chaldaico. S. Joannem Baptiſtam religioſiſſimè venerantur, ſeque Diſcipulos viri Sancti prædicant. Baptiſmi genus quoddam norunt, ex quo Sectæ nomen conciliatum eſt ab Itinerantibus quibuſdam noſtratibus, *Chriſtiani S. Joannis*. Vide quæ in hunc articulum diſcuſſimus. Sermone utuntur cum Syriaco vel Chaldæo penè eodem.

Ben Schunah Scriptor Perſa exactiùs aliquid tradit de Zabiis, quos *Sirianos* vel *Syros* appellat. Sunt autem, ſi Scriptorem audias, è vetuſtiſſima totius orbis gente propago, retinentque hodie pariter, ſaltem in Libris ſuis, primævum Adami & filiorum ejus ſermonem; quorum & religio & leges Seth atque Enoch authoribus formata eſt; ſicut & eorundem Scriptorum retinentur ab illis hodie uſque Libri, refertiſſimi moralibus inſtitutionibus ad reformandum vitium formandamque virtutem. Deum precantur quotidie ſepties tam ſeria animi occupatione, ut nihil quidquam actionis inter orandum præſtent. Jejunant integro curſu unius Lunæ ab exortu ſolis uſque ad ejus occaſum, nihil interim ſive cibi ſive potùs admittentes. Abſolvitur autem ſemper jejunium illud ad æquinoctium vernum.

Habent in honore Templum Mechæ; nec minori obſequio tenentur erga pyramides Ægypti, quarum tertiam ſepulcrum eſſe credunt Sabi filii Edon vel Enoch. Sed peregrinationum ſuarum potiſſimam inſtituunt ad locum propè Haran, quæ vetus eſt Charre in Meſopotamia. Hunc autem ipſiſſimum eſſe locum tenent quidam exorti Abraham; nec ſanè ambigendum eſt, quin ex eo loco moverit, ut una cùm tota familia veniret in Chanaanæidem. Sunt qui religionis Zabiorum erga eum locum potiſſimam cauſam aſſignent *Sabi filium Mari* Abrahami ætate florentem, ex quo multò faciliùs & originem ſuam & forte etiam Religionem referebant, potiùs quàm ex Sabi filio Enoch, homine diluvio ſuperiori.

Ben-Azen ſcribit Zabiorum religionem non primam eſſe tantùm & vetuſtiſſimam; ſed generalem pariter & unicam obtinuiſſe in mundo uſque ad Abrahamum, ex quo reliquæ omnes Religiones effuſæ ſunt. In omnibus Arabicis Hiſtoriis uno conſenſu traditur veteres Perſas, Chaldæos, Aſſyrios, Græcos, Ægyptios, Indos Zabiiſmum antea profeſſos fuiſſe, quàm

(a) Vide Prideaux Hiſt. Judæur. Prima parte l. 3. p. 219. Authoreſque, quos laudat.
(b) Maimonid More. Nebochim, Pocok Specimen hiſtur. Arab. Thom. Hyd. hiſt. Relig. veter. Perſarum.
(c) D' Herbelot. Bibli. Orient. p. 725. Sabii.

quàm ut tranſirent ad Judæos, Chriſtianos, vel Mahometanos. Orientales Chriſtiani aſſerendum ſibi ducunt Conſtantinum Magnum è Religione Zabiorum tranſiſſe ad Chriſtianos.

Confundunt quidam Zabios cum Magis vel Guebris, vel Gauris cultoribus ignis in Perſide, ſed ab exactiſſimis ſedolò diſtinguuntur.

ZABINA, ex illis unus, qui alienigenas fœminas in captivitate duxerant, ductaſque remittere coacti ſunt, dum remeaſſent ad propria; 1. Eſdræ 10. 43.)

ZABUD, Nathani filius, & Salomonis familiaris 3. *Reg.* 4. 5.

ZABULON, ſextus Jacobi ex Lia filius *Gen.* 30. 20. natus in Meſopotamia, circa 2256. ante Ch. 1744. ante Ær. 1748. Filios genuit Sared, Elon & Jahelel. *Gen.* 46. 14. Singulare nihil de Zabulone Moyſes reliquit: Jacob tamen moriturus, filiis ſuis benedicens Zabuloni ait: *Gen.* 49. 13. *Zabulon in litore maris habitabit, & in ſtatione navium, pertingens uſque ad Sidonem.* Quod apertè innuebat, partem Zabulonis, ad Mediterraneum (uti contigit) extendendam, adeòut uno latere Mediterraneum, altero Tiberiadis Mare jungeret (a). Moyſes in poſtrema ad Tribus Iſraelis concione, Zabulonem, & Iſſachar jungit: *Deut.* 33. 18. *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in Tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas juſtitiæ; divitias maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.* Quibus duas haſce Tribus, quæ longinquiores erant ex parte ſeptentrionis, ſimul ad Templum Jeroſolymitanum venturas, ad montem ſanctum, & alias ſecum Tribus, quas obvias haberent, ducturas; cùmque ad mare Mediterraneum domicilium forent habituræ, negotio metallorum, & vitri opificio, his vocibus, *theſauros abſconditos arenarum*, deſignatis, operam daturas prænunciabat. Belus fluvius arena vitro conficiendo aptiſſima erat, Zabulonis Tribum irrigabat.

Tribus hæc Ægypto egrediens, ducem habuit Eliab (b), filium Helon, & 57400. militum enumerabat. Rursùs poſt 39. annos (c) hæc Tribus recenſita, 60500. virorum armis aptorum continebat. Zabulonis, & Nephtali Tribus in bello adversùs Siſaram ducem copiarum Jabin (d), à Barac, & Debora geſto, excelluere. Eædem Tribus trans Euphratem à Phul, Teglatphalaſſar Aſſyriorum Rege in captivitatem ductæ creduntur. 1. *Par.* 5. 26. Chriſtum tamen frequentiùs ac diutiùs, quam aliæ Tribus, audiendi, videndique ſorte donatæ (e). Hæc de Zabulonis Tribu in Scriptura.

Duodecim Patriarcharum Teſtamentum, vetus, ſed apocryphus Liber, ſæpè à nobis citatum, ait, Zabulonem moriturum, 114. annos natum, poſt Joſephi mortem anno trigeſimo ſecundo, filiis ſuis convocatis fuiſſe teſtatum, ſe à fratrum ſuorum crimine, divenditi ſcilicet Joſephi, immunem eſſe, totiſque ſe viribus niſum, ut eos à tali conſilio revocaret; ſeque rei veritatem patri Jacobo referendi diù cupidum, fratrum timore id non egiſſe. Tum commorante familia ſua in Terra Chanaan, navi à ſe conſtructa, & gubernaculo, malo, & velis ornata, piſcatum felici adeò ſorte exercuiſſe, ut toti patris ſui domui, & extraneis per æſtatem provideret; per hyemem verò, cum fratribus ſuis paternorum gregum cuſtodiæ operam dediſſe, addidit.

Subdit: *Novi in Scriptura Patrum meorum, quoniam in ultimis diebus recedetis à Domino, & diviſi eritis in Iſrael, duos Reges ſequemini; & omnem abominationem facietis, & omne idolum adorabitis; captivos ducent vos inimici veſtri, & ſedebitis in nationibus in omnibus infirmitatibus, tribulationibus, & doloribus animæ. Et poſt hoc recordabimini Domini, & pœnitebitis, & convertet vos, quoniam miſerator, & miſericors. Et poſt hæc orietur vobis ipſe Deus lumen juſtitiæ, & ſanitas, & miſericordia in pennis ejus* (f). *Ipſe redimet omnem captivitatem filiorum hominum à Belial; & omnis ſpiritus erroris conculcabitur, & convertet omnes gentes, & videbitis Deum in forma hominis, quoniam elegit Deus Jeruſalem, nomen Deus et, & rurſus ad iracundiam provocabitis eum, & ipſe vos rejiciet uſque ad tempus conſummationis.* In his peccata Tribus Zabulonis, ſchiſma decem Tribuum, ipſarum captivitas, & redditus, Meſſiæ adventus, hominum ſalus, Judæorumque incredulitas, & reprobatio ſatis apparent.

ZABULON, urbs Tribus Aſer, *Joſue* 19. 27. Zabulonis Tribui poſtea fortaſſe accedens, nomen ab illa adoptavit: Ptolemaidi proxima, cùm Joſephus *de Bello l.* 3. *c.* 2. inferioris Galilææ longitudinem à Tiberiade ad Ptolemaidem metiatur. Cognomen illi addebatur *Zabulon andron*, nempè hominum (g), quod fortè incolis frequentiſſima eſſet. Ceſtius hanc ingreſſus, militum licentiæ conceſſit, tum incendio abſumſit, licet illius pulchritudinem miraretur; cùm ædificia ad inſtar Tyri, Sidonis, & Berythi conſtructa haberet. Elon Iſraelis Judex, patriam habuit Zabulonem, & in eadem urbe ſepultus eſt. *Judic.* 12. 12.

ZABULUS, vel *Zabolus*, pro *Diabolo*, in Dorica Dialecto, quæ *Tzeta* pro *Delta* pronunciat: *Tzaballein*, pro *Diaballein*, calumniari.

ZACHAI. Hujus Poſteri, numero 760. Babylone rediere. 1. *Par.* 7. 14.

I. ZACHARIAS, è Tribu Ruben, & certæ hujus Tribus familiæ Princeps, 1. *Par.* 5. 7.

II. ZACHARIAS, Iſraelis Rex, 4. *Reg.* 14. 29. Jeroboamo II. patri ſuo ſucceſſit, An. M. 3220. antè Chr. 780. ante Ær. 784. Sex tantùm menſibus regnavit, & mala coram Domino operatus eſt. Sellum filius Jabes, conjuratione facta, ipſum invadens, palam occidit, vacuumque Regnum occupavit. Ita ſua fides Domini ad Jehu Regem oraculis manſit. *Filii ſui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.*

III. ZACHARIAS, Moſollamiæ filius, Tabernaculi janitor, è ſtirpe Core. 1. *Reg.* 9. 21.

IV. ZACHARIAS, Levites, & Legis Doctor, ex iis, quos Joſaphat Rex ad populos inſtruendos per urbes Juda diſcurrere præcepit (h).

V. ZACHARIAS, Jojadæ filius, Judæorum Pontifex, idem fortaſſe ac Azarias, 1. *Par.* 6. 10. 11. Joas Regis juſſu interfectus (i). Hæc de illo Scriptura 2. *Par.* 24. 27. *Relicto à populis Juda Domino, Spiritus Dei induit Zachariam filium Jojadæ Sacerdotem, & ſtetit in conſpectu populi, & dixit eis; Hæc dicit Dominus Deus: Quare tranſgredimini præceptum Domini? quod vobis non proderit: & dereliquiſtis Deum, ut derelinqueret vos? Qui congregati adversùs eum, miſerunt lapides, juxta Regis imperium, in atrio Domus Domini. Et non eſt recordatus Joas Rex miſericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius ſecum, ſed interfecit filium ejus. Qui cùm moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat.* Anno ſequenti miſit Dominus in Judam Syrorum exercitum, qui Jeroſolymam ingreſſus, interfectiſque populi primoribus, ingentem Regi Damaſci prædam in hac expeditione comparatam miſit.

S. Hieronymus *in Matth.* 23. & Interpretum cum illo turba, arbitrantur, Zachariam Jojadæ filium

(a) Vide Joſue 19. 10 & ſeq.
(b) Num. 1. 8. & 30. A. M. 2514. ante Chr. 1486. ante Ær. 1490.
(c) Num. 26. 26. 27. A. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451.
(d) Judic. 4. 5. 6. 10. & 5. 4. 18. A. M. 2719. ante Chr. 1281. ante Ær. 1285.
(e) Iſai. 9. 1. Matth. 4. 13. 15. Vide Hieron. & alios, in Iſai. 9. (f) Vide Malach. 4. 2.
(g) Joſeph de bello l.2.c.22. (h) 2. Par. 17. 7. A. M. 3092. ante Chr. 908. ante Ær. 912.
(i) A. M. 3164. ante Chr. 836. ante Ær. 840.

filium eum eſſe, de quo Chriſtus Jeſus in Evangelio loquitur, *Matth.* 23. 35. *Ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis .... ut veniat ſuper vos omnis ſanguis effuſus à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum, & Altare.* Diverſum patris Zachariæ filii Jojadæ nomen, & Zachariæ filii Barachiæ, nec Hieronymum, nec Sectatores abſterret. Primò enim advertunt, in Hebraico S. Matthæi Evangelio, quo Nazaræi utebantur, Jojadam pro Barachia fuiſse: 2. commune apud Judæos fuiſse duobus nominibus nuncupari: quorum exempla in Scripturis paſſim occurrunt; quare eumdem virum Barachiæ, & Jojadæ nomina obtinere potuiſse aſſerunt.

Tria tamen huic ſententiæ opponuntur. 1. Zacharias Barachiæ filius à Chriſto, ut Juſtorum poſtremus à Judæis interfectus innui videtur, ut Abel primus eſt Sanctorum, violenta morte ſublatus. 2. Zacharias Jojadæ filius lapidibus obrutus eſt *in atrio Domus Domini*; Zacharias verò Barachiæ filius inter *Templum & Altare* interfectus. 3. Quamquam verum eſt moris fuiſse apud Hebræos duobus nominibus nuncupari, veriſimile non videtur, Chriſtum pro Jojada, nomine ſatis cognito, Barachiæ nomen minimè notum ſubſtituere voluiſse. Quapropter à Domino deſignatum credimus Zachariam filium Baruch, cujus à nobis inferiùs, & à Joſepho mentio fit de Bello l. 4. c. 19. in Græco; ſeù l. 5. c. 1. in Latino.

Authore Sozomeno *l. 9. c. 17. Hiſt. Eccleſ.* ſub Valentiniano propè Caphar-Zachariam, pagum Eleutheropoli Palæſtinæ civitati ſubditum, Prophetæ, vel potiùs Pontificis Zachariæ corpus inventum eſt. Hic per quietem Calemero cuidam Procuratori Domini ejuſdem loci ſe exhibens, quemdam illi locum in agro deſignavit, ubi defodi humum juſſit; fore enim ut ibi duo feretra, ligneum alterum, & alterum plumbeum, inveniret; ligneum tamen in plumbeo incluſum, & propè feretrum vas aqua plenum, duoſque mediocris magnitudinis angues, innoxios tamen, & cicures. Calemerus illuc proficiſcens, invento feretro, Zachariam candida veſte, velut Sacerdotem, indutum nactus eſt. Ad cujus pedes puer extrà feretrum aureo diademate caput ornatus, aureis calceamentis, & pretioſo indumento veſtitus jacebat. Cumque regionis illius eruditi, quis puer ille eſſet, ignorarent, Zacharias Gerarenſis Monaſterii Abbas aſſeruit, ſe in Hebraico veteri quodam volumine, non tamen Canonico, legiſſe, occiſo à Joas Rege Juda, ut narratum eſt, Zacharia Pontifice poſt ſeptem dies filium illi percharum immatura morte præreptum; quem ad Pontificis pedes, veluti illatam injuriam expiaturus, juſſit ſepeliri.

VI. ZACHARIAS, minorum Prophetarum undecimus, Barachiæ filius, & Addo nepos. Babylone rediit cum Zorobabele, & anno ſecundo regni Darii Hyſtaſpis vaticinari cœpit, *A. M.* 3484. *ante Chr.* 516. *ante Ær.* 520. octavo anni Sancti menſe; & duobus menſibus poſt initum ab Aggæo Prophetæ munus, vaticinia exorſus eſt. Duo hi prophetæ intermiſſum ante aliquot annos Templi opus populum perſequi hortabantur, 1. *Eſdr.* 5. 1. Quo loco aut tempore natus ſit Zacharias, ignoratur. Alii Babylone captivitatis tempore; alii Hieroſolymis ante translationem Tribuum Juda, & Benjamin natum aſſerunt. Sacerdotem nonnulli faciunt, & ea, quæ præcedenti articulo de Pontificis Zachariæ inventione diximus, illi adſcribunt; quod alii negant. Plures filium, non nepotem Addo fuiſſe volunt (a): alii potiori jure Barachiæ filium, & Addo nepotem ſtatuunt.

Eumdem etiam nonnulli cum Zacharia quodam filio Barachiæ Iſaiæ ætate, & cum Zacharia S. Joannis Baptiſtæ patre dixerunt: quod tam longè à vero abeſt, ut nihil ultra. Denique ſunt, qui ipſiſſimum eſſe Barachiæ filium, quem Chriſtus Dominus in Evangelio inter Templum & Altare occiſum memorat. Noſtris adhuc temporibus ad radices montis Oliveti ſepulchrum oſtenditur, quod Zachariæ Prophetæ dicitur. Dorotheus Zachariam in loco quodam Betharia, 150. ſtadiis à Hieroſolymis, ſepultum tradit. Nonnullas illi Prophetias Babylone pronunciatas tribuit S. Epiphanius; quibus Jeſus filius Joſedech, & Zorobabel Salathielis filius orituri, Cyri de Crœſo, & Aſtyage victoria, & publicum Religionis exercitium Hieroſolymis ab hoc Rege reſtituendum prædicebantur. Hæc tamen, cum in Scriptura non legantur, minimè curamus.

Vaticinia ſua Zacharias exorditur Populum hortans, ut convertatur, neve patrum ſuorum perfidiam imitetur. Poſt tres menſes Angelum equo inſidentem in medio myrtheti ad fluvii cujuſdam ripas vidit; cui plures Angeli omnem circà regionem pace frui, & ab incolis frequentatam nunciarunt. Ex quo ille Dominum rogandi occaſionem cepit, ut civitatum Juda miſereretur: cui Dominus pacato ſermone reſpondens, poſtulata conceſſit. Tum Prophetæ quatuor cornua apparuerunt, & homines quatuor ea malleorum ictibus confracturi; iiſque cornibus Principes, qui populum Iſraelis oppreſserant, nunc tamen ipſos opprimendos, intellexit. Hæc primi capitis vaticinia.

Capite ſecundo, Deus Prophetæ virum Jeroſolymam funiculo dimetientem oſtendit; eiſque reſponſum eſt, Jeroſolymam frequentandam adeò impoſterum fore, ut incolas continere non poſſit. Tertio deinde capite Jeſum filium Joſedech, ſtantem ante Angelum Domini, & à Satan inſimulatum; abſolutum poſtremò, & honoribus cumulatum ſibi viſum narrat. Tum addit, injunctum illi à Domino, ut ſuſcitaret *Orientem*, ſeù *Germen*, Meſſiam ſcilicet Dei ſervum, qui veluti lapis pretioſus, ſeptem oculis præditus habendus eſset.

Candelabrum inde aureum ſepticeps vidit inter duas olivas conſtitutum, ex quibus oleum in candelabri lampades infundebatur. Volantem in quinto capite Librum vidit, in quo totius terræ Judicium deſcriptum erat, & vas fœminam continens, ſuper quam maſsa plumbi decidens, vaſis orificium claudebat. Tum duæ alatæ mulieres, quæ vas illud inter Cœlum, & terram ſuſpenderunt. Mulier autem in vaſe incluſa, Babylonis iniquitatem: plumbum, Domini ultionem; & duæ alatæ mulieres, Medos & Perſas Imperium Babylonis deſtructuros ſignificabant.

Sexto capite quatuor currus vidit è medio duorum æreorum montium egredientes, qui Perſas, Græcos, Ægyptios, & Syros in meridionales, & ſeptentrionales plagas ſuis quoique temporibus Dominicam ultionem delaturos deſignabant. Tum Zacharias ab Holdao, Tobia, & Idaia quamdam auri ſummam accepit, quo duas coronas, alteram Pontifici Jeſu, aliam *Orienti* ſeù *Germini*, Zorobabeli nempe, ut Meſſiam figura exhibenti, compoſuit.

Anno quarto Darii, *M.* 3486. *ante Chr.* 514. *ante Ær.* 518. quarta noni menſis die, Zacharias à Saraſar, Togommelec, & nonnullis aliis conſultus, an jejunium ad quinquageſimum diem protrahendum eſset, uti poſt Templi excidium fieri conſueverat, reſpondit, jejunia ſponte ab illis electa fuiſse, quæ verò à Domino exiguntur, pietatem eſſe & juſtitiam; luctus denique, & jejunii dies in feſtos convertendos. Hæc capitibus ſeptimo & octavo continentur.

Nonum caput minas in regionem Adrac, Syriam, & Philiſthæos intentat. Tum apertè ſatis Servatoris Chriſti, pauperis, inſidentis aſinæ & ejus pullo, adventum prænunciat. Decimò Meſſiæ Regnum, & ultio Domini in Iſraelis perſecutores allata.

(a) 1. Eſdr. 5. 1.

illata. Capite demùm undecimo, de Romanorum in Judæos bello; de fracto inter Deum, & populum ſuum fœdere; de triginta argenteis Paſtori in mercedem datis; de tribus denique Paſtoribus uno menſe interfectis diſſerit.

Duodecimum inde caput Antiochi Epiphanis in Judæos bellum, Machabæorum victorias, luctumque ob Judæ Machabæi mortem enarrat. Decimotertio florentem Judæorum ætatem ab Antiochi Epiphanis ad Meſſiæ mortem deſcribit. Verſu 7. & duobus ſequentibus, infortunia Judæis ſuperventura poſt Chriſti necem: quod & ſequenti capite proſequitur. Tum Jeroſolymam à Romanis obſeſſam, Chriſtianæ Eccleſiæ magnitudinem, Gentium converſionem, vexationes, quibus Fidèles exercebuntur, & animadverſionem in perſecutores à Deo faciendam prædicit.

Zacharias minorum Prophetarum prolixiſſimus eſt & obſcuriſſimus (a). Conciſum & præcipitem ſtylum habet. De Meſſia clariùs & diſtinctiùs cæteris Prophetis vaticinatus eſt. Recentiores nonnulli Critici, uti Medus *l.* 4. *Epiſt.* 31. & Hammondus *in Matth.* Prophetæ hujus 9. & 10. & 11. capita Jeremiæ adſcribunt, quòd Matthæi 27. 9. 10. verſus 12. capitis 11. Zachariæ ſub Jeremiæ nomine legatur; cùmque capita 9. & 10. & 11. eadem ſint orationis ſeries, omnia Jeremiæ tribuunt. Veriſimilius tamen Jeremiæ nomen fortuitò pro Zacharia in Textu S. Matthæi irrepſit.

(Zacharias Propheta oraculo planè luculento & expreſſo prædicit obſidionem Babylonis à Dario filio Hyſtaſpis. Rebellem hanc urbem Princeps ille infeſtis armis aggreſſus eſt, ineunte Regni ſui anno quinto (b), redegitque tandem in poteſtatem poſt 20. menſium obſidionem. Quod illi imminebat malum diu ante prænunciarunt Prophetæ Iſaias & Jeremias, admonueruntque Judæos in illis verſantes, ut cùm inſtare hæc intelligerent, ſubducerent ſe è diſcrimine. Iſaias 48. 20. *Egredimini è Babilone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate, auditum facite hoc, & efferte illud uſque ad extrema terræ.* Jeremias 50. 8. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini &c.* Idem Capite 51. 69. 45. *Fugite de medio Babylonis & ſalvet unuſquiſque animam ſuam; nolite tacere ſuper iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis eſt à Domino, quoniam pervenit uſque ad Cælum judicium ejus.* Tandem Zacharias 2. 6. 7. 9. paulò ante ejus lapſum ſcribit ad Judæos, adhuc ibi ſubſiſtentes: *Fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos Cæli diſperſi vos, dicit Dominus. O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis; quia hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego levo manum meam ſuper eos, & erunt præda his, qui ſerviebunt ſibi, & cognoſcetis quia Dominus exercituum miſit me.* Vero propiùs affirmaremus, Judæos ſurdas non præbuiſſe monenti aures; ſed recepiſſe ſe è Babylone, vel in regionem ſuam, vel in locum aliquem tutum uſque ad captam Urbem. Neque enim ſive in hiſtoria, ſive apud Prophetas quidquam legimus grave ab illis in ea obſidione toleratum, ſive invidiam in ſe provocaſſe Darii filii Hyſtaſpis, quaſi ſcilicet illos habuerit conſcios defectionis Babylonicæ; ex quo argumentum capere licet, nihil ſe hiſce immiſcuiſſe.

Confundunt Mahometani in unum Prophetam Zachariam cum Zacharia patre S. Joannis Baptiſtæ (c); ſepetunt enim quidam Zachariam è familia David; alii è propagine Levi. Ipſi etiam, abſurdiori adhuc anachroniſmo, confundunt Mariam matrem Jeſu Chriſti, cum Maria ſorore Moyſis, quod ex ipſo Alcorano deductum eſt. Author Tarik Montheckeb narrat, Jeſu Chriſto nato è Maria Virgine, nun-

quam in mentem inducere ſibi potuiſſe Zachariam Prophetam, gigni poſſe filium ſine opere patris, quem, opinionem ſuam in hac re prodentem, Judæos habuiſſe ſuſpectum, & coegiſſe ut fuga ſe ſubduceret. Recepit ſe igitur intra foramen quercus, quam diſſecuerunt Judæi. Tam alta offunditur mentibus Muſulmanorum ignoratio veteris novique Teſtamenti!)

VII. ZACHARIAS, Barachiæ filius, cujus Iſaias 7. 2. meminit, ſivè juxtà S. Hieronymi ſenſum *in Iſa.* 8. Propheta eſt, de quo in Paralipomenis regnante Ezechia, ſeù potiùs Azaria, vel Ozia ſermo eſt, 2. *Par.* 26. 8. *Exquiſivit Ozias Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum.* Vixit uſque ad regnum Achaz, anno 3262. quo Dominus Iſaiæ dixit: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis: Velociter ſpolia detrahe, citò prædare.* Addit Iſaias: *Adhibui mihi teſtes fideles; Uriam Sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ.* Hi teſtari potuere, Iſaiam quondam prædixiſſe, filium ſibi oriturum, duoſque Judæ inimicos Raſin & Phacee, antequam infans ille patris ſui & matris nomina proferre noſſet, fore deſtruendos.

VIII. ZACHARIAS, pater Abi matris Ezechiæ 4. *Reg.* 18. 2. & 2. *Par.* 29. 1.

IX. ZACHARIAS, Levita, è ſtirpe Aſaph, 1. *Par.* 29. 13.

X. ZACHARIAS, Joſephi pater, Machabæorum ætate, 1. *Mach.* 5. 15. 56.

XI. ZACHARIAS, Sacerdos ex Abiæ familia, S. Joannis Baptiſtæ pater *Luc.* 1. 5. 12. *&c.* & S. Eliſabeth vir. Hæc ab Evangelio de eo didicimus. Zacharias, & Eliſabeth *juſti coram Deo irreprehenſam vitam agebant; nec illis filius erat, cùm Eliſabeth ſterilis, & ambo ſenes eſſent.* Anno igitur M. 3999. quindecim circiter menſibus ante Chriſti ortum, cùm Zacharias per eam hebdomadam Sacerdotio in Templo fungeretur, *in ordine familiæ ſuæ, forte exiit, ut incenſum poneret ingreſſus in Templum Domini* in aureo Altari, intra Sanctuarium ſito. Apparuit autem ei Angelus, ſtans à dextris Altaris incenſi. Zacharias eo viſo turbatus eſt, cui Angelus, ipſum confirmans, filium illi ex Eliſabeth pollicitus eſt, quem Joannem nuncuparet. Zacharias, ſuam & uxoris ſenectutem cauſatus, ſignum promiſſi poſtulavit. Cui Angelus, ſe Gabrielem eſſe, & à Deo miſſum, ut ad illum nuncium rei afferret, declarans, loquelæ uſum ipſi ademptum fore, quouſque promiſſa non complerentur, prædixit, quòd ſuis verbis, ſuo tempore implendis, fidem non præſtitiſſet.

Omnis interim populus Zachariæ reditum è loco ſancto præſtolans, diuturnam moram mirabatur. Demum egreſſus, cùm ſubitò, linguæ impedimento correptus, nutibus aliquid indicaret, populus viſum ipſi portentum in Templo renuit. Is viri ſtatus manſit; cùm interim impletis miniſterii ſui diebus, hebdomada ſcilicet, domum rediit; ipſiuſque uxor Eliſabeth conceptum filium poſt novem menſes in lucem edidit. Habitis autem vicinorum, cognatorumque gratulationibus, octava demum die ad pueri circumciſionem ventum eſt; cùmque illi Zachariæ nomen inderent, Eliſabeth illius mater; Minimè vero, ait: Joannem nuncupari volo. Patrem etiam nutibus poſtularunt, quid nominis filio dari juberet; qui pugillari ſumpto, ſcripſit: *Joannes eſt nomen ejus*: Quo univerſi obſtupere.

Statim autem ſolutis linguæ vinculis loquutus eſt, Deo benedicens. Vicinia verò tota terrore, & admiratione perculſa eſt: Zacharias interim Spiritu Sancto commotus, vaticinatus eſt, dicens: Benedictus Iſraelis Deus, quòd viſitans populum ſuum, forti excitato in Davidis familia Salvatore, juxtà Prophetarum promiſſa, redemptionem operatus ſit. Tum

 ad

(a) Hieronym. Præfat. in l. 1. Zach.
(b) Herod. l. 3. Juſt. l. 1. c. 10. Polyæn. l. 7.
(c) D'Herbelot. Biblio. Orient. pag. 922.

ad infantem Joannem verſus, Prophetam eum, Meſſiæque præcurſorem, qui vias præpararet, populumque ſuum viam ſalutis edoceret, futurum prænunciavit. Hæc de Zacharia in Scriptura.

S. Ambroſius (a), S. Auguſtinus *in Joan. homil.* 49. Chryſoſtomus, aliique Zachariam Pontificem fuiſſe putarunt, quòd falſo crederent, thuris in Sancto oblationem, Pontifici fuiſſe reſervatam. Cæterum ex S. Luca conſtat, ſimplicem Sacerdotem fuiſſe, ex Abiæ familia: conſtat autem ſimplices Sacerdotes in Sanctum quotidie ingredi conſueviſſe. S. Jacobi Protevangelium, falſumque de Virginis ortu Evangelium, Zachariam Pontificem fuiſse tradunt: hæc tamen ſubleſtæ ſunt fidei.

Tradit idem Protevangelium S. Jacobi *n.* 23. Herodem, cùm infantem Baptiſtam quæreret, ut pari eum cæteris Bethleemiticis ſorte interficeret, nec inveniſset, quippe ab Eliſabeth in ſylvis occultatum, Zachariam, tum temporis Altari ex ſuo munere inſervientem, interrogatum miſiſse, ubinam ipſius filius lateret. Zacharia verò ſe neſcire reſpondente, Herodem rurſus militibus miſſis, ni filium prodidiſſet, interfici juſſiſse. Zachariam verò ſe penitus ignorare ſacramento confirmantem in Altaris veſtibulo, & in loco, qui circa Altare Holocauſtorum eſt, interfectum. Necem ipſius à Sacerdotibus, & Laicis ignoratam; Sacerdotem verò quemdam, cùm illum diutiùs cunctari cerneret, Templum ingreſsum, ipſum enectum, atque in concreto ſanguine humi jacentem inveniſse. Statimque vocem quamdam verbis hiſce inſonuiſse: Jugulatus eſt Zacharias, ejuſque ſanguis, quouſque ultor adveniat, non delebitur.

Hoc niſi fundamento Veterum plerique (b), Zachariam Baptiſtæ patrem, eumdem ac Zachariam Barachiæ filium à Chriſto laudatum, cujus ſanguis inter Templum & Altare fuſus eſt, crediderunt. Tertullianus *Scorpiac. c.* 8. veſtigia ſanguinis Zachariæ Templi pavimento impreſſa commemorat. Quamquam autem S. Hieronymi ætate (c) ea veſtigia in Templo monſtrarentur, ille tamen nullam iis fidem adhibebat, ut ſatis apertè in ſuis Commentariis in Matthæum teſtatur. Euſtathius Antiochenus, S. Baſilius, & S. Gregorius Nyſſenus, ſuperiùs à nobis relati (d), Gynecæum quoddam inter Templum & Altare Virginibus ſervandis fuiſse; Sacratiſſimamque Virginem, cùm poſt Chriſti puerperium in eo rurſus, uti antea fecerat, convivere optaret, à Sacerdotibus pulſam fuiſse opinantur. Cùm autem, addunt, Zacharias Puellæ illius virginitatem propugnaret, commota in illum populi ſeditio, virum inter Templum & Altare lapidibus confecit. Volunt alii (e) Zachariam, quòd Meſſiæ adventum in ſuo Cantico annunciavit, interfectum.

Zachariam Græci quinta Septembris die, uti Sacerdotem, Prophetam, & Martyrem colunt. Uſuardus, Ado, & alii Latini die Novembris quinta, uti Prophetam venerantur. Martyrologium Romanum ipſi S. Eliſabetham jungit. Caput ipſius Romæ in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis ſervari, & nonnunquam ex eo ſanguinem emanaſſe, ſcribit Baronius.

XII. ZACHARIAS, filius Baruch (f), iniquitatis, & injuſtitiæ hoſtis, & patriæ Libertatis propugnator acerrimus. Zelatores, morte ipſius, veluti ſibi infenſiſſimi, ditiſſimique, & maximè pollentis, deliberata, quamdam tamen judicii ſpeciem ad ejus damnationem ſervare voluerunt. Lectis igitur ſeptuaginta Judicibus, veluti quadam Synedrii, & Senatus imagine, Zachariam in Judicium vocatum conjurationis in Patriam, per ipſum Romanis prodendam, inſimularunt: cujus tamen delationis nec argumenta, nec indicia ulla producta ſunt.

Zacharias conſpirantes ad ſui necem hoſtes, nec ullum ſibi ab eorum manibus effugium ſupereſse cognoſcens, minimè periculo territus, novoque ſpiritu confirmatus, brevi oratione calumniis refutatis, hoſtium ſuorum crimina, & turbas gravibus verbis proſecutus. Zelatores interim, licèt eo furore abriperentur, ut difficile ſe continerent, tamen ut aliquam huic judicio juſtitiæ ſpeciem darent, ſeptuaginta Judicibus ſententiam ferre conceſſerunt. Qui Zachariam objecti criminis inſontem communi ſuffragio declararunt.

Hoc audito, Zelatores furibundo clamore ſublato, ſicarios duos miſere, qui in ipſum irruentes, medio in Templo interfecerunt, mortuo adhoc his verbis inſultantes: Hanc nunc habe abſolutionem priore certiorem. Tum illius cadaver in vallem, cui Templum imminebat, projecerunt (g). Plurium eruditorum Interpretum ſententia eſt (h), Zachariam hunc filium Baruch, ſeu Barachiæ, eum fuiſſe Zachariam à Chriſto in Evangelio commemoratum, cùm Judæos redarguebat, miſſos à ſe Prophetas, Sapientes, & Scribas ab ipſis occidendos .... ut ſuper ipſos omnium Juſtorum ſanguis, ab Abel juſto ad Zachariam filium Barachiæ, ab ipſis inter Templum, & Altare interfectum, deveniret. Chriſtus præteritum pro futuro uſurpans, Prophetica phraſi loquebatur. Syſtema eſt omnium probabiliſſimum, uti nobis videtur, ex iis, quæ in hunc locum ſtruuntur (i).

(Opponitur in ſententiam illorum, qui reputant ſermonem eſse de illo apud S. Matthæum 23. 35. *Uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare*; opponitur, inquam; 1. Jeſum Chriſtum prænunciaſse Judæis futurum, ut ferrent pœnam mortis latæ in homines juſtos; nunquam autem Deus punit pro malo, quod nondum inductum eſt. Judæi, quibuſcum loquebatur, Zachariam hunc æquè ignorabant ſicut & futuram ejus necem; fruſtra igitur intentabantur de hoc argumento minæ. In Textu illo S. Matthæi ſermo non erat niſi de exactis criminibus Judæorum, ac de iis, quæ ante adventum Jeſu Chriſti commiſsa fuerant. 2. Zacharias filius Baruch, à Zelotibus neci traditus Judæus erat, & Judæus, niſi veri ſpecies non fallit, incredulus. Ad Chriſtianorum ſacta tranſiſse ne innuit quidem Joſephus, ſicut nec talem agnoſcunt unquam veteres Scriptores Eccleſiaſtici. Necem illi inferentes Zelotes invidiam aliam planè homini creatam, quàm de religione; divitias enim illius tantùm habuerunt præ oculis, metuebantque ne authoritas viri ſibi eſset diſcriminis; accuſarunt hominem conſpirationis cum Romanis. Novi illi Chriſtiani Jeroſolymæ tanti non habebantur utique, ut gravea ſentirentur à Seditioſis: nihil enim poterant in Urbe divitiis, authoritate deſtituti: ac bellè ſibi accidiſse rebantur ſi nulla perſecutione afflictas res ſuas haberent; 3. Chriſtiani Jeruſalem receperant ſe ex ea Urbe aliquandiu ante cœptam obſidionem; effugerantque Pellam urbem ultra Jordanem uti creditur, anno Æræ 66. Si unus aliquis ex illis fuiſset Zacha-

(a) Ambroſ. l. 1. in Luc. Ita Beda, Theoph. Strab. Brug. in Luc.
(b) Orig. in Matth. 26. Petr. Alex. c. 13. Baſil. t. 1. homil. 25. Nyſſen. t. 3. homil. de Natal. Chriſti. Epiphanius de vita & morte Prophet. Theophylact, &c. (c) Hieronym. in Matth. 23. 35 Vide, ſi placet, & Arbaneſium t. 2. p. 697. (d) Vide Barun. an. 1. §. 53. Menæa 5. Septemb. p. 81. *Tillem. Not. 5. ſupr. Joan. Baptiſtam.*
(e) Apud Hieronym. in Matth. 23. (f) Joſeph. de Bello l. 4. c. 19. in Græco, ſeu l. 5. c. 1. in Lat. p. 883.
(g) A. Ær. 67. ante everſionem urbis & Templi 7. (h) Grotius, Hammondus, Ludovicus de Dieu, Conſtantin. l'Emper. Janſen. in S. Matth. 23. Tillemont. t. 1. de Imperat. Ruine des Juifs, art. 54. p. 525. Vide etiam Fabric. Not. in Protevang. Jacobi p. 121. apocryph. N. T.
(i) Vide noſt. Comment. in Matth. 23. 35. & Supplem. ibid.

Zacharias vix remoratus fuiſſet in Urbe integro poſt hæc anno, i. e. Æræ 77. quo Zelotum gladio trucidatus eſt.

Hæc tamen momenta tanta non ſunt, ut contrariis aliis non æquilibrentur; ſicut nec viciſſim validiora ſunt ea, quæ perduxerunt Viros doctos, laudatos à nobis in Dictionario, ut crederent Zachariam illum, de quo Jeſus Chriſtus in Evangelio, ipſiſſimum eſſe virum de quo nos modò. Damus utique pro conſueto more Deum ultionem non exigere de crimine adhuc non commiſſo; ſed ſpectare licet in Prophetis non rarò, ut prænuncietur exſus Urbis, deſolatio alicujus gentis, mors Principis, quaſi ſcilicet eorum crimina ex tunc attigiſſent ſceleris culmen. Cùm tamen re ipſa menſuram ſcelerum ſuorum non adhuc illi totam expleſſent, & pœna, cui deſtinati erant, diutiùs adhue differenda eſſet. Fatemur quidem nec Joſephum, nec veterem alium Scriptorem Zachariam accenſuiſſe inter Chriſtianos; ſed nec contrarium quidquam aſſeruit. De Sancto Jacobo Minore, Anani ſcelere necato, ita agit Joſephus, tanquam de viro Judæo: perinde tunc habebantur Chriſtiani ceu Secta quædam ex Judæis. Quanquam Chriſtiani nec divitiis nec potentia, nec authoritate præſtare ſolerent; ex iis tamen quidam, agente adhuc in vivis Jeſu Chriſto, divitiis affluebant plurimis, & munera exercebant ampliſſima, uti Joſephus ab Arimathæa, Nicodemus, Gamaliel. Tandem licèt Chriſtiani migrare cœpiſſent Pellam ab anno 66. Jeſu Chriſti ante obſidionem Urbis quadriennio; adhuc tamen commodum illis fuerat ſeceſſionem illam protrahere uſque ad annum 67. ante urbem petitam armis hoſtium biennio. Quare nihil hæc prohibent, quin Zachariam filium Baruch Chriſtianiſmum profeſſum fuiſſe teneamus, eumdemque virum deſignaſſe reputemus Chriſtum, tanquam inter Juſtos necatos Jeroſolymæ poſtremum, quod ſcelus ſupremam manum iniquitati Judæorum impoſuerit.

In valle Joſaphat è regione Jeruſalem ſpectare licet monumentum, quod Zachariæ ſepulcrum dicitur. Excíſum eſt in petra, quatuor ad utrumque latus columnæ cum ſuis epiſtyliis ſuſtentant tectum, quod erigitur in conum ſpeciem referens pyramidis. Ædificium eſt quadratum 80. pedum ambitu; retro aperitur parva quædam feneſtra, è qua ſpectandi ſe offerunt intus lapides quidam alter ſuper alterum poſitus.)

I. ZACHÆUS. Cum Juda Machabæus Simonem, Joſephum, & Zachæum reliquiſſet, ut filios Bean, in duas turres receptos oppugnarent (a), Simeonis milites pecunia corrupti, quibuſdam ea iis effugium permiſerunt: hos tamen proditores Judas Machabæus morte damnavit. An verò Simon, Joſeph, & Zachæus proditionis complices eſſent, ignoratur.

II. ZACHÆUS, Publicanorum Princeps. Cùm Chriſtus Hierichuntem perambularet (b), Zachæus illius videndi cupiditate detentus, cùmque præ ſtaturæ brevitate in turba non poſſet, præcucurrit, & ſycomorum aſcendit, cum illac Chriſtus tranſiret. Jeſus autem illuc perveniens; Zachæe, inquit, feſtinanter deſcende: hodie enim mihi domi tuæ commorandum. Qui ſtatim deſcendens, lætus excepit. Qui autem hæc viderant, Chriſto obloquebantur, quod ad impii domum divertiſſet. Interim Zachæus Chriſto dixit: Bonorum meorum dimidium pauperibus elargiar; & ſi cui per fraudem quid abſtuli, quadruplum reſtituam (Romanæ enim Leges (c) Publicanos fraudis reos, quadruplo multant.)

Tum Chriſtus, Hodie, ait, domus hæc ſalutem recepit, cùm & iſte factus ſit filius Abrahami; Filius enim hominis ad ſalvanda venit, & quærenda, quæ perierant. Hæc de Zachæo Publicano in Scriptura. Crediderant nonnulli (d), ipſum, antequam converteretur, paganum fuiſſe; Interpretes tamen Judæum eſſe ſentiunt: Plures enim tunc Judæi munus illud obibant. Teſtatur Sanctus Clemens Alexandrinus *l. 4. Strom.* Zachæum cum S. Matthia à nonnullis conſulum fuiſſe, volentibus ad Apoſtolatus dignitatem poſt Judæ mortem evectum fuiſſe. Dixerunt alii (e), à S. Petro Epiſcopum Cæſareæ in Palæſtina conſtitutum; at fortaſſe hunc à Zachæo quodam hujus urbis Epiſcopo ſecundi ſeculi (f) non diſtinxerunt.

(III. ZACHÆUS. Pſeudoevangelium Infantiæ J. C. tribuit eidem Servatori noſtro Magiſtrum Zachæum quemdam (g), cujus etiam meminit S. Irenæus (h) hæc de illo narrans. Docuit diſcipulum ſuum *A*; & Jeſus actutum *A* reſpondit. Continuò Magiſter monſtravit illi B; tum alter: Doce me priùs quid ſignificet A, & ego viciſſim exponam quid indicet B; inſinuans hiſce, ait Sanctus Iræneus, unum ſe noſcere myſterium latens ſub litera *A*. Evangelium Infantiæ Græcum fert, Zachæo docenti diſcipulum ſuum *Aleph*, actutum reſpondiſſe Jeſum *Beth*, *Ghimel*, & reliqua elementa omnia, nihil hæſitando; viciſſim autem expoſuiſſe Magiſtro ſuo ſcripta Prophetarum, & ita expoſuiſſe, ut raperet hominem in admirationem. Evangelium Infantiæ Latinè impreſſum paria fermè, ſed fuſiùs refert. Magiſtrum hunc pariter Zachæum appellat.)

I. ZACHUR, Hamuelis filius, & pater Semei. 1. *Par.* 4. 26.

II. ZACHUR, Levites, ex familia Merari. 1. *Par.* 24. 27.

III. ZACHUR, Levites, & Cantor, filius Aſaph. 1. *Par.* 25. 2.

IV. ZACHUR, filius Amri, è Babylonica captivitate cum fratre Utai, & ſeptuagenis ex ſua familia, redit. 1. *Eſdr.* 8. 14. & 2. *Eſdr.* 3. 2.

I. ZAMBRI, filius Salu, Simeonis Tribus Princeps, ingreſſus coram populo in tentorium Madianitidis cujuſdam, Cozbi nomine, à Phinees Eleazari Pontificis filio, inter infames amplexus cum Cozbi ſimul eodem ictu interfectus eſt An. M. 2553. ante Chr. 1447. ante Ær. 1451. *Num.* 25 14.

II. ZAMBRI, Præfectus partis equitatus Elæ Regis Iſraelis, A. M. 3075. ante Chr. 925. ante Ær. 929. 3. *Reg.* 16. 9. 10. in Regem conjuravit; cùmque ille in urbe Therſa biberet, in eum irruens, occidit, ejuſque Regnum occupavit; totamque Regis familiam, amicos, conſanguineoſque interfecit, ut implerentur, quæ per Prophetam Jehu, Regi Baaſæ Patri Elæ, fuerat Dominus comminatus. Zambri ſeptem tantùm diebus regnavit; Iſraelis enim exercitus, Gebbethon tunc temporis urbem Philiſthinorum obſidens, Amri duce ſuo in Regem electo, ipſum Zambri in urbe Therſa morantem oppugnandum ſuſcepit. In ultimas anguſtias jam conſtitutus Zambri, ſeipſum cum domo, & divitiis ſuis incendit. Malum coram Domino operatus eſt, & in impietate ſua obiit. Reliqua facinorum Zambri, ejus conjuratio, & crudelitas in Annalibus Iſraelis Regum legebantur.

ZAMIRA, filius Bechor, ex Tribu Benjamin. 1. *Par.* 7. 8.

ZAMRAM, Abrahami ex Cetura primogenitus, Arabiam cum fratribus ſuis incoluit. *Gen.* 25. 2.

ZAMRI, filius Zare, & Judæ, & Thamar nepos. 1. *Par.* 2. 6.

ZA-

(a) 2. Mach. 10. 19. 1. Mach. 5. 4. 5. A. M. 3840. ante Chr. 160. ante Ær. 164.
(b) Luc. 19. 1. 2. 3. & 77. A. Chr. 37. Ær. Vulg 33 Paullò ante Servatoris necem. (c) L. hoc Edicto in fine digeſti de Publican. (d) Cyprian. l. 2. ep. 3. & lib. de opere, & eleemoſyna, & Tertull. l. 4. cont. Marcion. Chryſoſt. homil. de Zachæo, Ambroſ. in Luc. Beda in Luc. 19. (e) Conſtit. Clement. l. 7. c. 46. Recognit. l. 2. c. 65. 74. Rufin. Præfat. Recognit. Vide & Chryſolog. homil. de Zachæo. (f) Prædeſtinat. Sirm. c. 11. 13. p. 15. (g) Gen. 28. 28. 29. Circa A. M. 2277. ante Chr. 1723. ante Ær. 1727. (h) 2. Par. 14. 9. 10. &c. A. M. 3063. ante Chr. 937. ante Ær. 941.
(g) Apocryph. N. T. à Fabric. edit. pag. 167. & 207. (h) Iren. l. 1. c. 17. adv. hæreſ. & apud S. Epiph. hæreſ. 34.

ZANOE, Icuthielis filius: urbem tamen fuiſſe ſtabilior, ab Icuthiele, & poſteris vel exſtructam, vel frequentatam. 1. *Par.* 4. 18.

I. ZANOE, urbs Tribus Juda, *Joſ.* 15. 16. & 2. *Eſd.* 3. 13. Vide præcedenti articulo. Hujus ſitus ignoratur.

II. ZANOE, urbs Juda, in planitie. *Joſue* 15. 34.

I. ZARA, de Bezra, Rahuelis filius, Eſau nepos, & Jobabi pater. Vide *Gen.* 36. 13. 17. 33.

II. ZARA, Judæ & Thamar filius. Cùm illius mater pareret, in ipſa partûs effuſione, Zara manum protulit, quam obſtetris coccino ligavit, dicens: Iſte egredietur prior. Hoc vero manum retrahente, ipſius frater prodiit, & dictus eſt Phares (a). Zara quinque genuit filios; Ethan, Zamri, Eman, Malchal, & Dara. 1. *Par.* 2. 6

III. Zara, Simeonis filius, & Jacobi nepos, Zaraitarum pater. *Num.* 26. 13.

IV. ZARA, Æthiopiæ, ſeù potiùs regionis Chus in Arabia Petræa Rex, ad Erythræum, & Ægypti fines (b). Hic in Aſam Rege Juda 1000000. hominum, & 300. bellicorum curruum exercitum duxit. Cumque jam ad urbem Maresam perveniſſet, Aſa adversùs illum profectus, copiis ſuis in valle Sephata, prope Maresam compoſitis, Dominum invocavit; qui Æthiopes adeò perterruit, ut omnes in fugam verterentur, Fugientes autem Aſa cum exercitu Geraras uſque perſequutus, omnibus illorum urbibus captis, ingentem prædam tulit.

(Zara Rex Æthiopiæ vel Cuſch, victus ab Aſa Rege Juda. Hujus victoriæ hiſtoriam dedimus in Dictionario Biblico v. *Aſa*; modo quædam ſuppetunt novæ conjecturæ in regionem Zaræ, & in cauſas belli adeo formidabilis, promptè, & brevi adeo tempore abſoluti.

* Eximium quoddam bellicæ providentiæ documentum exhibet Aſa in verſiculis 7. & 8. cap. 14. Paralipomenon. Reparari Urbes noviſque munitionibus firmari curat, ſcribit exercitum 300000. ſelectiſſimorum; & hæc omnia tunc parat, cùm quieta ſunt omnia in Regno; habent hic tum quod diſcant Reges, cùm etiam cæteri, qui ad Reipublicæ clavum admovent manus.

Quanquam Scriptura nunquam ſilet varias cauſas belli populi Dei in adverſarios; ſilet tamen Scriptor Sacer cauſam expeditionis Zaræ Regis Æthiopiæ in Aſam Regem Juda; neque ſive in exordio, ſive in ſucceſſu prælii aliquid innuitur, quo ſubodoremus ordinem & diſciplinam agminis utriuſque. Virga opus eſt hic divinatoria Nabuchodonoſoris, quam non ſæpè adeo invidet mihi Scriptor, ut juſtè de illo conquerar; quemadmodum ſatis intelligent Lectores ex datis huculque animadverſionibus meis in celebriora prælia Scripturæ. Hoc rei geſtæ monumentum multo recentius Trojæ everſione unicè ſtatuitur fide ſacri Scriptoris. Sed quis Scriptor iſte? Veritas ipſa per ſe. Probant autem hæc invictiſſimè Hiſtoricos Græcos parum admodum noſſe de bellis Aſiaticorum, quanquam finitimæ eſſent illis gentes, & quamquam Græci ipſi in Aſiam plures tranſmiſiſſent Colonias, quas multo vetuſtiores credo, Regno Salomonis atque ætate Homeri, nati anno 168. poſt captam Trojam juxta Periodum Julianam.

Mirari ſubit cur Herodotus, Scriptor Commentariorum de bellis Græciæ & Aſiæ, argumentum ſuum tam parùm norit. Si quis Scriptorem illum diſſerentem audiat, reputaret totam Aſiam excurriſſe, & ex Hiſtoriis ejus regionis prætermiſiſſe nullam; reipſa tamen Hiſtoricorum nemo alius pro argumenti vaſtitate minus diſcurrit regionum, minus voravit hiſtoriarum. Ita de Ægypto tractat, ut exhibeat Scriptorem utique non otioſum; attamen maritimo itinere eo venit, nec aliam ſelegit viam redeundo ad propria. Judæos nunquam novit, non eorum hiſtorias, non finitimarum illis gentium, non ſermonem populorum illorum; quin nec cæterarum per Aſiam gentium, ſed nec pariter Ægyptiorum. Non eſt igitur cur monſtri ducamus loco, ſi unicæ authoritati ſacrorum Librorum innituntur grandia Hebræorum geſta. Profectò ſi gentis illius ſermonem noſſet, non utique neglexiſſet tradere poſteris aliqua de bellis illorum, vel ſaltem de geſtis ejus populi illuſtrioribus. Inter hæc autem nullus dubito futurum ut primas teneret apud Scriptorem, inſignem æquè & gravem, prælium Sephata ad Mareſam. Ex hoc autem evincitur Hiſtoricos res Aſiæ ignoraſſe, quamquam orbis portio iſta, uti jam ſupra innuimus, teneretur pluribus Græcorum coloniis, quà ſecundùm maris latera, qua intimiùs in ſinu ejus. Porro excurſus iſte noſter neceſſarius mihi viſus eſt, ut conſtaret veritas hiſtoriæ populi Judaici, cui teſtimonio eſt ſuus ipſius contextus, & religio eorum, qui ſcriptis illas mandarunt, ut ſcitiſſime obſervat celebris quidam Scriptor (c).

Quamquam latent nos cauſæ belli à Zara in Aſam moti, conjecturas ego meas promam, cùm nullas dare auſi ſint Scriptores Commentariorum. Arma illa in ſe provocare potuit Aſa duplici ex cauſa, utraque, ut ego quidem arbitror, probabili & conveniente. Innuit autem illas Scriptor ipſe Sacer, 2 Par. 13. 2..... *Fecit Aſa quod bonum & placitum erat in conſpectu Dei ſui, & ſubvertit Altaria peregrini cultus & excelſa, & confregit ſtatuas lucoſque ſuccidit ..... & abſtulit de cunctis urbibus Juda Aras & Fana* (Idolis dicata) *& regnavit in pace* decennio. Nonne occaſio eſt illa belli data finitimis gentibus, cum quibus fœderis genus quoddam erat obſtrictum; nonne, inquam, occaſio erat belli, ſi gentes illæ ſacrorum ſibi Numinum Templa viderent in finitima & fœderata regione dejici atque ſubverti? Eſt hoc axioma non planè novum; olim enim, ſicut & nunc pariter, bellorum ejuſmodi injuſtitia nulla agnoſcebatur. Crebrò Deus jubet expeditiones in populos abſurdorum illorum Numinum cultores, quorum impia Religio latè adeò regnabat in mundo, ut ſupremum Deum non niſi breviſſimus terræ angulus noſceret & adoraret; ſupremum, inquam, Deum, qui tot prodigiis devictum ſibi populum ſuum, toties tamen recedentem ex fide ad Idololatriam viderat & toleraverat. Quis ergo miretur ſi tanti criminis reum populum adeò crebris ſævisque ultionis ſuæ flagellis ſubmiſerit?

Altera ratio movendi belli merè politica ſuccurrit, quam hodie pariter militares noſtri Juriſconſulti legitimam, uti eſt reipſa, definiunt: documentum eſt autem Principibus, ut cauti ſint & opportunè utantur tempore, quo ſe ponant in tuto à molimine adverſariorum, præparentque bellum, dum in pace quieta ſunt omnia.

Dixit autem, proſequitur ſacer Scriptor ℣. 7. *Judæ: Ædificemus civitates iſtas, & vallemus muris, & roboremus turribus & portis & ſeris, donec à bellis quieta ſunt omnia, eò quod quæſierimus Dominum Deum Patrum noſtrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Ædificaverunt igitur, & nullum in extruendo impedimentum fuit.*

Novit utique Aſa ex ea Templorum atque Altarium prophanorum ſubverſione, offendendos eſſe finitimorum ſuorum, Idololatriam profitentium, animos: & cùm id moliminis, ſuſcipitur, rebus ſuis diligenter præcavendum eſt, parandaque omnia ad ſuſtinendum bellum. Quare ille neceſſaria occupavit, promptum ſe ad omnem eventum comparans; vallaverat Urbes munitionibus, ut primos hoſtium impetus ſuſtineret, quò commodum ſibi tempus, ſi id poſtularet neceſſitas, daretur cogendi validos exercitus, hoſtiles profectus impediturus, eorumque molimina inſigni aliquo prælio ſubverſurus.

D. Calmet notat diſſidium eſſe Interpretum in aſſignanda regione hujus Principis, quem Scriptura appellat *Regem Æthiopiæ*; nec ego quidem id vehemen-
ter

(a) Gene. 38. 28. 29. Circa A.M 2277. ante Chr. 1723. ante Ær. 1727. (b) 2. Par. 14. 9. 10. &c. A. M. 3053. ante Chr. 937. ante Ær. 941. * Animadverſiones in prælium ad Sepharam juxta Mareſam. 2. *Par.* 14. Vide Præfationem &c.
(c) D. *Boſſuet Exercit. in hiſt. univerſ.* Diſcours ſur l'hiſt. univ.

Digitized by Google

ter admirer. Mirari tamen ſuccurrit non defuiſſe quoſdam, qui validum hunc exercitum per Ægyptum veniſſe credant; niſi fortè reputemus, Zaram expeditionum ſuarum primam confeciſſe in occupata Ægypto, cujus tamen nullum extat veſtigium in hiſtoria prophana, quanquam ea ætate multo ſuperiori Regno Aſa narrationis ſuæ ſeriem ducat: quare Eruditorum nemo id affirmandum ſuſcepit.

Nomen Æthiopiæ minus eſt fortè ambiguum quàm pro opinione. Imperium illud adeo formidabile & vaſtum commodè utrique prorogari potuiſſet uſque ad Arabiam, ex quo non incongruè moviſſe reputaretur Zara in expeditione adverſus Judam procedens. Probabilem hanc conjecturam cenſeo: At enim quomodo immanis millenorum milliam exercitua per media deſerta Arabiæ, quæ deſtituta eſt pabulationibus, aquis, & arboribus, uno verbo arenis tantùm pretioſa regio, deduci potuiſſet in Judæam? Sed & ego viciſſim meo jure quæro, quomodo Alexandec Magnus traducere potuit copiis per tranſverſa immenſa illa deſerta, quæ alicubi ſeparant Perſaa ab Indis? Vera tu quidem dicis, reponent alii, ſed quid? nonne copiarum Alexandri ad rationem copiarum Regis hujus Æthiopiæ cenſum inſtituenti, multum è poſtremo hoc exercitu demendum eſſet tibi, ut ſumma ex æquo conſtaret? Nihil eſt hoc tamen; cùm more Caravaoarum quiſque per ſe poſſet providere ſibi commeatus, aquam &c. quantum opus eſſet ad iter per illa deſerta. Ad ætatem noſtram accedamus propiùs; exercitus Timurbec vel Tamerlani vix concedebat quidquam agmini huic, de quo Scriptura, attamen incredibili celeritate iter confecit per tranſverſa deſerta Segiſtan & alia plura vaſto ultra 20. dierum itineris ſpatio ſeſe diffundentia.

Aſa per otium pacis præparaverat ſe ad bellum; quare improviſum hoſtis non occupavit; quin & ipſe priùs proceſſit in occurſum venientis: adeo eſt audax & impavidus Princeps, qui ſemper eſt cautus, & nunquam imparatus ad arma. Porro Aſa, ait Scriptor ℣. 10. *Perrexit obviam ei, et inſtruxit aciem ad bellum in Sephata, qua eſt juxta Mareſa, habens in exercitu ſua portantium ſcuta & haſtas de Juda trecenta millia; de Benjamin verò ſcutariorum & ſagittariorum ducenta octoginta millia. Omnes iſti viri fortiſſimi*. Habes hic copias armatas probè, animataſque ad bellum, quas ducit Rex animoſus & rei militaris peritiſſimus, ut ſatis agnoſcimus ex ſitu quem occupat. Metuens enim ne medius exciperetur ab hoſtium multitudine, inſtruxit agmen ſuum in valle, alarum ſuarum utrumque latus tegens montibus; effecitque ſcita ea diſpoſitione ne hoſtis explicata latiùs quam pro fronte Judæorum fronte ſua certaret: perinde eſt autem hoc veluti ſi nimium copiarum numerum ineptum reddidiſſet ad certamen.

Cùm ſolemne eſſet Aſiaticis phalange certare, phalange autem confertiſſima; in diſponendo utroque agmine illo via fallerer: eandem methodum utrumque tenuiſſe perſuadeor.

Inſtruebatur Zara 300. militaribus curribus, quos in fronte lineæ conſtitui uſus obtinebat; ſed nunquam mihi momenti aliquid attuliſſe in præliis adjumenta illa occurrit; quin etiam nec de illis ſollicitudine aliqua detentos Hebræos uſpiam legimus; norant illos evitandi artem. De equitibus nihil hic Scriptura; ſed alibi non ſilet. 2. *Par.* 16. 8. Robur tamen potiſſimum exercitus Aſiatici in peditibus conſtitutum erat; in iſto exercitu 60000. ſuppetebat equitum 6000. Nec inſtructiores erant equitibus exercitus Græcorum & Romanorum, tantorum in arte bellica virorum. Equitum grandem illum apparatum invexerunt barbara ſæcula: eſt autem armorum genus perniciosiſſimum Reipublicæ, & raro de eventu prælii decernit. Inſtructioribus judicium relinquo.)

ZARAIAS, Ozi Pontificis filius, & pater Merajoth. Vide 1. *Par.* 6. 6.

ZARED, torrens trans Jordanem, & Moabitarum limes; in mare Mortuum influit. Vide *Num.* 21. 12. *Deut.* 2. 13. 14.

ZARES, Amani uxor, quæ Mardochæi necem marito perſuaſit. A. M. 3495. ante Chr. 505. ante Ær. 509. *Eſth.* 5. 10. 14.

(ZATHAN filius Ledan, ex Præfectis Sacri Ærarii unus. 1. *Par.* 26. 22.)

ZEB, ex Madianitarum proceribus, ab Ephraimitis in torculari inventus, & interemptus A. M. 2759. ante Chr. 1247. ante Ær. 1251. *Judic.* 7. 25. Ejus caput trans Jordanem ad Gedeonem, inimicos perſequentem, delatum eſt.

I. ZEBEDÆUS, filius Aſaph, & Michæ pater, 2. *Eſdr.* 11. 17. peritiſſimus Templi cantor.

II. ZEBEDÆUS, Apoſtolorum Jacobi, & Joannis Evangeliſtæ pater. Nulla ipſius certa memoria extat, niſi cum a filiis, ut Chriſtum ſequerentur, relictum, piſcatoriam exercuiſſe, & illius uxorem Salome nomen obtinuiſſe. Vide *Matth.* 4. 21.

ZEBEDIA, Michaelis filius, Babylone cum viris octoginta reverſus. 1. *Eſdr.* 8. 8.

ZEBEE, ex Madianitarum Principibus, propria Gedeonis manu interfectus, A. M. 2759. ante Ær. 1241. *Judic.* 8. 5. 21. *Pſ.* 82. 8. Gedeon captos Zebee, & Salmanam fugientes, quales fuiſſent viri, quos in Thabor monte occiderant, interrogavit. Quibus reſpondentibus, ipſi Gedeoni ſimiles fuiſſe, & inter cæteros quemdam veluti Regis filium, ille ait: Fratres mei, & filii matris meæ erant, vivit Dominus: ſi ab illis abſtinuiſſetis, ego etiam à nece vobis inferenda temperaſſem. Tunc ad primogenitum ſuum Jether verſus, Irrue, inquit, in eos, & jugula. Eo autem interficere formidante, quod puer eſſet, Zebee, & Salmana, Tu, inquiunt, nos interfice. Quin & interemit.

ZEBIDA, Joachimi Regis Juda mater, Phadaiæ ex urbe Ruma filia. 4. *Reg.* 23. 37.

ZEBOIM. Vide *Seboim*.

ZEBUL, urbis Sichem ab Abimelech Gedeonis filio Præfectus conſtitutus, A. M. 2771. ante Ch. 1229. ante Ær. 1233. *Judic.* 9. 28. Excitatis ad conjurationem à Gaal filio Obed Sichemitis, Zabul certiorem fecit Abimelech, qui tota nocte iter proſequens, primo mane Sichimam venit. Gaal urbe egreſſus, & in porta cum Zebul ſtans, ait: Populum video è montibus deſcendentem. Cui Zebul: Umbræ ſunt montium, capita hominum tibi exhibentes. Appropinquante autem Abimelech exercitu, Zebul ipſi Gaal exercitum adeſſe minimè dubitanti, Quò, inquit, frons tua, qua clamabas: quis eſt Abimelech, ut ei ſerviamus? An non hi ſunt, quos deſpiciebas? Egredere igitur, & in ipſos præliare. Gaal itaque Sichemitas in Abimelech ducens, facili ab illo clade affectus eſt.

I. ZECHRI, filius Iſaar, & Caath nepos: *Exod.* 6. 21.

II. ZECHRI, è Tribu Ephraim, vir ſtrenuus & potens, Maaſiam filium Regis Achaz, Ezricam Regiæ domus Procuratorem, & Elcanam à Rege ſecundum interfecit, 2. *Par.* 28. 7.

ZECHUR, pater Sammuæ, è Tribu Ruben. *Num.* 13. 5.

(ZEDEKIEL, Angelus primi ordinis, cujus nomen ſignificat *Juſtitia Dei*. Hunc autem præceptorem Abraham aſſignant Judæi. Vide Fabricium *to.* 1. *pag.* 4. *Apocryph. V. T.*)

ZELA. Vide *Sela*.

ZELATORES. Hoc nomine Judæorum quædam factio circa annum *Ær.* 66. & quatuor, vel quinque ante Hieroſolymam à Romanis captam annis, appellabatur. *Zelatorum* nomen à zelo quodam ſeu furore patriæ libertatis derivarunt. Circa eadem tempora *Sicariorum* etiam & Latronum nomen ipſis inditum, ob frequeotes cædes, quas *ſica* perpetrabant. Eoſdem ac Herodianos, in Evangelio memoratos *Matth.* 22. 16. *Marc.* 3. 6. eſſe opinamur. Vide vv. *Herodiani*, & *Galilæi*. Præceptorem ſequsbantur Judam Gali-

Digitized by Google

Galilæum (a), quartæ cujuſdam inter Judæos hæreſis authorem, à Phariſæorum, Saducæorum, & Eſſæorum ſectis diverſæ. His infortunia in Judæam ſub Procuratore Floro illapſa, & ultimum Romanis armis illius excidium, Joſephus *Antiq. l.* 18. *c.* 1. *p.* 616. 617 adſcribit. V. *Judas Galilæus* (b). V. interiùs *Zelus*, & *Judicium Zeli*.

ZELOTES, *Simon Zelotes*. Vide *Simon*.

ZELOTYPIA. Aquæ Zelotypiæ, quæ mulieri adulterii ſuſpectæ propinabantur. *Num.* 5. 17. 18. &c. Satis de his verbo *Adulterium*. Nullum in Veterum Judæorum hiſtoria aquarum zelotypiæ experimentum legimus; cùm divortium, Judæis ſatis licitum, commodius, & brevius remedium eſſet. Frequenter in Scriptura legitur, Deus populum ſuum zelotypo amore proſequi, & ſibi perfidum ea animadverſione mulctare, qua amore, & zelotypia furens vir, uxorem infidelem punit. Idololatria populis Deum poſcentibus adulterii quoddam genus eſt.

ZELUS, Hebraicè *Kanah*, 1. ardorem quemdam ſignificat, quem pro aliquo ſentimus. 3. *Reg.* 19. 10. 14. *Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum: Zelo exarſi pro Domino*. Phinees commendatur, quòd in impios Dominicam Legem violantes, exarſerit, *Num.* 25. 13. *Quia zelatus eſt pro Deo ſuo*. Aſſerit Judith, Simeonem cum fratribus ſuis zelo Domini excanduiſſe, ut injuriam ſorori illatam ulciſceretur, *Judith.* 9. 3. *Zelaverunt zelum tuum.*

II. *Zelus* pro ira uſurpatur: *Zelus* (ſcilicet ira) *Domini exercituum faciet hoc*, 4. *Reg.* 19. 31. *Uſquequo accendetur velut ignis zelus* (furor nempè) *tuus? Pſal.* 78. 5. *In igne zeli* (furoris) *mei devorabitur omnis terra Sophon.* 1. 18. & 11. 8.

III. *Zelus* zelotypiam deſignat. *Prov.* 6. 34. *Zelus* (zelotypia) *& furor viri non parcet. Zelatus* (amavi) *ſum Jeruſalem, & Sion zelo* (amore zelotypo) *magno*. *Zach.* 1. 14. & 8. 2.

IV. *Zelus* pro invidia: *Noli æmulari* (invidere) *in malignantibus, neque zelaveris* (invideas) *facientes iniquitatem*, *Pſalm.* 36. 1. *Cùm enim ſint inter vos zelus* (invidia), *& contentio, nonne carnales eſtis?* 1. *Cor.* 3. 3. Vide & *Jacobi* III. 6. *Zelus amaritudinis*, *Jacob.* 3. 14. contrarius eſt zelo charitatis, qui minimè irritatur, 1. *Cor.* 13. 4. 5. *Non irritatur .... non æmulatur*. Falſus verò zelus, & amaritudinis acrimonia, & audacia plenus eſt.

ZELUS. *Judicium zeli*. Hoc nomine nuncupabatur Iſraelitæ facinus, qui Judicum ſententia, aut Juſtitiæ conſueto ritu non attentis, zelo percitus, Judæum manifeſtè, & exemplo malo magni momenti Leges violantem, aut blaſphemias in Deum, vel in Templum, ſivè in populum ſuum proferentem, aut vulnerabat, aut etiam interficiebat. His enim de cauſis mortem inferre licebat. Templi etiam Sacerdotes, ſi miniſterii conſortem impurum munus ſuum obeuntem vidiſſent, ipſi è Loco Sancto catia arctum rapto, fuſte caput elidere ex illius authoritate poterant (c). Ut verò iſtud liceret, ſcelus coram decem Iſraelitis perpetrari, & reum, etiam admonitum, & invalum minimè ceſſare oportebat; ſi enim deſiſtebat, ipſum occidere fas non erat, donec Judicio damnaretur.

Traditione quadam tale jus nititur, à Moyſe, uti ferunt, accepta, & Phinees exemplo, qui zelo percitus uno ictu Zamri Principem Tribus Simeonis, & Coabi Madianitarum cujuſdam Principis filiam transfodit *Num.* 25. 7. 8. Juris ejuſdem vi Mattathias, Machabæorum pater, 1. *Mach.* 2. 24. Apellem occidit, quem Syriæ Rex in Modin miſerat, ut Judæos ad ſacrificandum impelleret. Ad idem revocatur ultio, quam Judæi Ægypti, 3. *Mac. cap. ultimo* in trecentos fratres, infames Religionis deſertores, exercuerunt. Eodem denique zelo Servator noſter egiſſe dici poteſt, cùm negotiatores, & columbarum, animaliumque ob ſacrificia venditores è Templo ejecit. *Matth.* 21. 12. *Jo.* 2. 14. 15. Notat Evangeliſta, Apoſtolos illius Scripturæ loci tunc meminiſſe: *Zelus domus tuæ comedit me* (d).

(*Idolum Zeli* apud Ezechielem 8. 3. 5. ipſiſſimus creditur Deus Adonis, *Idolum Zelotypiæ* ideo expreſsè appellatus, quòd deperiretur à Venere; quare offenſus Mars immiſit aprum in puerum, qui voraci dente illum occidit. Ad hæc, ſeries Textus Ezechielis demonſtrat idem ſimulacrum quod ℣. 5. appellatum eſt *Idolum zeli*; ipſum ℣. 14. nuncupari *Thammuz* quem religioſis lamentationibus lugebant fœminæ, uti pariter & in Feſtis Adonidis ſervatum olim ſcimus. Scriptores Commentariorum plures, poſt S. Hieronymum (e), tenent *Idolum zeli* ipſum eſſe Deum Baal, qui à Manaſſe conſtitutus in Templo Domini, amotus inde fuit tandem à Joſia. Reputant alii ſub nomine *Idoli zeli* vel *quod excitat zelum* deſignare voluiſſe Prophetam Idolorum quodcumque genus, Dei indignationem provocans armanſque ejus in impios cultores ultionem.

Auris zeli audit omnia. Deus eſt ceu vir zelotes, qui ad omnia arreptus eſt, & captat verba omnia impiorum, quos coercebit & ſubmittet ultioni.

Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ; ne tam ſultitè quæratis veſtram mortem & perniciem. Aliter: *Ne accuſetis mortem*, onerantes illam invidia exitus veſtri. Verbum *zelare* ponitur interdum pro ulciſci. Num. 25. 11. *Phinees zelo commotus eſt contra prævaricatores*; gladium in eorum necem ſtrinxit. Præpoſtero zelo Saul ſævit in Gabaonitas ultionem exacturus de fraude, qua deceperant Iſraelitas. *Voluit Saul percutere eos zelo, quaſi pro filiis Iſrael & Juda* 2. *Reg.* 21. 2.. Author Sapientiæ 5. 8. exhibet Dominum tanquam armantem ſe zelo in adverſarios ſuos i. e. accingentem ſe ad exigendam de nequitia illorum ultionem. Iſaias 11. 13. *Auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Juda peribunt; Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim*. Poſiti ſunt hic *zelari* & *æmulari* tanquam ſynonimi illis, *hoſtis* & *pugnare*. Futurum dicit Ezechiel 39. 25. ut Dominus ultionem aſſumat pro injuriis illatis nomini ſuo: *Aſſumam zelum pro nomine ſancto meo*.

In Deuteronomio 32. 21. queritur Deus de Iſraelitis ingratis & infidelibus, à quibus ceu zeli ſtimulis exagitatus eſt, cùm darent ſe cultores Idolorum, qui nihil habebant in ſe minus quam Numen; & ego viciſſim, ait Dominus, affligam eos ſtimulis zeli, amorem convertens meum ad alium, qui non eſt populus; exagitabo eos ſtimulis probrolæ illis æmulationis, quippe qui in eorum loco ſubſtituam gentem ſtultam: perinde me exhibeo ac conjux iracundia & zelotypia agitatus in ſponſam infidelem, quæ ſe proſtituit indignis amatoribus, neglecto marito, amore & obſequio digniſſimo. Offenſus maritus ille minitatur fœminæ de repudio, denuncians futurum ut in ſocietatem ſuam adſciſcat populum alterum, qui nec populi nomen meretur, qua ſcilicet indigna comparatione contabeſcat magis tædio & deſperatione affecta. Impleta ſunt hæc plene in reprobatione populi Judaici, & vocatione Gentilium ad Chriſtianam Religionem.)

ZELPHA, Liæ ancilla, Jacobi Patriarchæ concubina, Gad, & Aſer mater. *Geneſ.* 30. 9. & 46. 18.

ZEMMA, Levita, pater Joab, ex ſtirpe Gerſom, 2. *Par.* 29. 12.

ZENAS,

(a) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 1. c. 2. De Bello l. 2. c. 12. Antiq. lib. 18. c. 2. & de Bello l. 2. c. 32. & l. 7. c. 30. E.
(b) Vide etiam Joſeph. Antiq. l. 14. & toto opere de Bello.
(c) Miſna tit. Sanhedr. c. 9. Gemarr. Babylon. & Jeroſolymit. ibidem.
(d) Pſal. 68. 10. Vide Grot. de Jur. Bel. & Pac. l. 2. c. 10 §. 8. Selden. de Jur. Nat. & Gent. l. 4. c. 4. 5.
(e) Hieronym. in Ezech. 8. Ita Cornel. Menoch. Grot. Jun.

ZENAS, Legiſperitus (a), & S. Pauli diſcipulus. Nulla illius memoria ſupereſt, niſi Apoſtolicum virum, Judæorum Legis ſatis peritum, & à S. Paulo in honore habitum fuiſſe. S. Paulus Tito imperavit, ut hunc cum Apolline ad ſe Nicopolim mitteret, curaretque ne quid illis in itinere deficeret. Diodorus Tyri Epiſcopus, hunc Dioſpolis in Palæſtina Epiſcopum ſcribit.

ZEPHRONIA, urbs ad ſeptemtrionem Terræ promiſſionis ſita *Num.* 34. 9. nunc ignoratur. S. Hieronymus in Ezech. 47. Zephyrium in Cilicia eſſe conjicit.

ZERETH, Hebraica menſura, medium cubitum, ſeù pollices decem & $\frac{aa}{89}$ metiebatur. A' S. Hieronymo *palmus* redditur, 1. *Reg.* 17. 5. Pontificis Rationale *zereth*, *ibid.* ſeù medium cubitum ex quatuor lateribus habebat, *Exod.* 28. 16. & 39. Iſaias dicere videtur, Cœlos Deo nil amplius *zereth* extendi: *Et Cœlos palmo ponderavit*; Hebraicè, *in zereth direxit*; *Iſa.* 40. 12. Hoc tamen loco *Zereth* manùs extenſionem potiùs ſignificat.

I. ZETHAN, filius Balan, filii Jadihel, è Tribu Benjamin. 1. *Par.* 7. 10.

II. ZETHAN, filius Leedan, è Tribu Levi, & familia Gerſom. 1. *Par.* 23. 8.

ZETHAR, ex ſeptem Eunuchis, ſeù ex præcipuis Aſſueri Miniſtris. *Eſth.* 1. 10.

ZETHU, ex iis, qui Babylone reduces, fœdus cum Domino innovarunt (b).

ZETHUA, è captivitate Babylonica rediit, cum 940. familiæ ſuæ hominibus, 1. *Eſdr.* 2. 8. Idem fortaſſe ac *Zethu*.

ZIA, urbs trans Jordanem, quinque à Philadelphia paſſuum millibus diſtans, ad occidentem. *Euſeb. in Zem.*

ZIE, filius Abigail, ex Tribu Gad. 1. *Par.* 5. 13.

ZIN, deſertum Zin. Vide *Sin*.

ZIO, ſecundus anni Sancti Hebræorum menſis, idem ac *Jiar* poſteà, Aprilis Lunationi reſpondens. *Zio*, ſeu *Ziv*, in 3. Regum 6. 1. tantùm legitur.

I. ZIPH, ſeù *Zipha*, filius Jaleleelis, ex Tribu Juda, & familia Caleb, 1. *Par.* 4. 16. Urbi Ziph in Tribu Juda fortaſſe nomen fecit.

II. ZIPH, urbs Tribus Juda, *Joſue* 15. 24. Teſtis eſt S. Hieronymus, ſua ætate vicum Ziph, octo paſſuum millibus ab Hebrone diſtantem ad orientem ſuperfuiſſe. David in ſolitudine Ziph aliquandiù latuit. 1. *Reg.* 23. 14. 15.

III. ZIPH. Alia urbs Ziph circà Maon, & Carmelum, facilè in Tribu Juda. Vide *Joſ.* 15. 54.

I. ZIZA, filius Jonathan, è ſtirpe Jerameel, filii Heſron, è Tribu Juda. 1. *Par.* 2. 33.

II. ZIZA, filius Sephei. 1. *Par.* 4. 37.

III. ZIZA, filius Semei, Levita, 1. *Par.* 23. 10.

IV. ZIZA, filius Roboami Regis Juda & Maachæ filiæ, ſeù nepotis Abſalom, ſeù Abeſſalom, 2. *Par.* 11. 20.

ZIZANIA. Vide *Lolium*. (Vox zizania in vernaculum Gallorum ſermonem propria ſignificatione ſua nunquam venit; per allegoriam tamen adhibetur frequentiſſimè. Serere in domo zizania, eſt injicere diſcordiæ ſemina. Inimicus ſevit zizania in agrum Eccleſiæ, hæreticus errores ſuos propalavit; Dæmon fideles in ſe ipſos commiſit.

ZIZITH. Hoc nomine Judæi floccos nominant, quos ad quatuor palliorum angulos appendunt, *Num.* 15. 38. & *Deut.* 22. 12. quos tamen noſtra ætate ſub veſtibus panniculo cuidam quadrato, vetus pallium, quo ante diſperſionem induebantur, exprimenti, adſutos gerunt. Recentiorum Judæorum *zizith*, floccus eſt octo filis conſtans, ex lana, quam ad hoc nent, quorum unumquodque quinque nodis diſtinctum eſt, qui mediam filorum longitudinem occupant. Quod nodis caret, cùm minimè tortum ſit, flocci genus quoddam componit. (c) Vide ſuperiùs *Veſtes*, & *Taled*.

ZOARA, eadem ac *Segor*, ſeu *Bala*. V. *Segor*.

ZOHELETH. Lapis Zoheleth prope fontem Rogel ſitus erat, 3. *Reg.* 1. 9. prope Hieroſolymæ mœnia. Scribunt Rabbini, lapidem hunc Juvenibus deſerviſſe, cùm vires ſuas, hunc projiciendo, vel elevando, tentabant. Putant alii, Fullonibus uſui fuiſſe, cùm lota lintea, vel ſerica, ſuper illum quatiebant.

ZOHETH, filius Jeſi, ex Simeonis Tribu, 1. *Par.* 4. 20.

(ZOLEIKA Filia Pharaonis & uxor Putipharis. Fœminæ hujus quo flagrabat amor in Joſephum ſatis ex Libris ſacris omnibus innoteſcit. Scriptores Munſulmani, & vulgò Orientales utuntur non raro exemplo utriuſque hujus amantis ad exprimendos amoris ſenſus non naturales tantùm & humanos, ſed etiam ſupernaturales & divinos; ita fermè quemadmodum apud Chriſtianos dulcia amoris colloquia inter ſponſum & ſponſam in Cantico Salomonis valent ad erigendam animam in Deum, teneroſque in illum amoris ſenſus inſpirandos hominibus. Vide quæ de hac fœmina narravimus v. *Joſeph.*)

ZONZOMIM, veteres Gigantes, qui regiones poſt Ammonitas à ſe occupatas trans Jordanem incolebant. *Deut.* 2. 20.

ZOOM, filius Roboam ex Abihail, filia Eliab. 2. *Par.* 11. 19.

ZORA, ſeù *Zor*. Vide *Tyrus*.

(ZOROASTRES. Nullus eſſet hic Zoroaſtris locus, niſi cum Abrahamo confunderetur, & niſi pariter in Scriptura ſermo eſſet de *Chamanim* vel Templis conſecratis igni, qui potiſſimus eſt ſcopus & argumentum cultus Diſcipulorum Zoroaſtris.

In ætatem Zoroaſtris diſſidium eſt maximum. Orientalium primùm hic ſententias proponemus, tandem deveniemus ad Græcos & Latinos. Hunc virum appellant plerumque Orientales *Zerdaſcht* vel *Zaradaſcht*, vel *Zerdouſth*. Liber inſcriptus: *Liber Philoſophiæ Giamasb* (d) tradit, annis à diluvio 1300. innoteſcere cœpiſſe hominibus Zoroaſtrem latè docentem cultum & religionem ignis. Addit, poſt ejus obitum Kiſtab filium Lohorasb Regem tunc Perſidis ejus religione initiandum ſe præbuiſſe, cui & tenaciſſimè inhæſiſſe. Eo rerum potiente agebat in vivis ſummus Philoſophus Giamasb, cognomento Magus, qui in ſuo Opere magnarum conjunctionum tradit ſub magna conjunctione Planetarum, quæ incidit in annum 1300. poſt diluvium, menſe Schebat, regnante Perſis Feridoum Rege prioris Dynaſtiæ, Deum miſiſſe Prophetam Zeredaſch vel Zoroaſtrem.

Paulò inferiùs proſequitur, poſt Zoroaſtrem & poſt conſtructionem Pyrejorum, vel Templorum ignis recurriſſe conjunctionem alteram, quam maximam appellat, & tunc è montibus tertii climatis in dias auras veniſſe virum cognomento *Principem virgæ* (Moyſem deſignat) religionis, alterius planè à Zoroaſtris illa, authorem. Hæc vetuſtiſſima ſunt omnium de Zoroaſtre. Liber Giamasb, Opus eſt planè non fictum, ſicut & alter eidem Zoroaſtri Authori tributus, inſcriptus nomine Keſab al-Keranath. Porro hujus operis Author, ſicut & prior ille tradit Principem virgæ, vel Moyſem prodiiſſe in altera magna conjunctione Planetarum; quæ pariter & opinio eſt veterum Perſarum tenentium Zoroaſtrem ipſo Moyſe eſſe vetuſtiorem.

Quibus ita conſtitutis Zoroaſtres veniſſe oportuit in mun-

(a) Tit. 3. 13. Ζηνᾶν τὸν νομικόν. Vulg. Zenam legis peritum. Hic tamen Legiſperitus idem eſt ac Scriba, ſeu Legis Doctor. Vide Matth. 22. 35. & Luc. 7. 30. Item 10. 27. & 11. 45. &c.
(b) 2. Eſdr. 10. 14. A.M. 3551. ante Ch. 449. ante Ær. 453. (c) Leon Modena Cerimonie de Giudei p. 1. c. 5.
(d) D' Herbelot Biblioth. Orient. pag. 931.

in mundum 1300. annis poſt diluvium, i. e. juxta noſtram Chronologiam A. M. 2956. ante Chr. 1044. ante Ær. 1048. adeoque diu ante Moyſem, cujus ex Ægypto egredientis annus componitur cum A. M. 2513. ante Chr. 1487. ante Ær 1491. Quare Chronologia Perſarum ferens Zoroaſtrum reipſa quidem multo vetuſtiorem eſſe Moyſe, eumque tamen adſcribens ad annum 1300. poſt diluvium manca eſt; reputandumque virum illum non prodiiſſe niſi ad exordium Regni à Davide initi in univerſum Iſraelem poſt ſublatum Iſboleth.

Magi Perſarum (a) quo doctrinæ ſuæ authoritatem concilient majorem, defendunt Principem ſuum Zoroaſtrem ipſiſſimum eſſe Abrahamum Patriarcham, qui conjectus in ſuccenſam fornacem juſſu Nembrodi, in eundem virum Idololatriam ſibi exprobrantem offenſi, divino prodigio ſervatus exiit intactus ab igne. Prodigii illius vis perſuaſit ſaniora pluribus, traxitque in partes Abrahami, quem illi appellant *Ibrahim Zerdaſcht*, ac ſi diceretur, *Abraham amicus ignis*; traxit, inquam, in partes ejus turbam hominum immenſam, qui non difficili opera ab eo in religionem ignis adducti ſunt. Atque ita demum factum eſt, ut in Meſopotamiam primùm & Chaldæam ſurgerent Pyreja, dicata igni Templa. Sed hæc opinio multò etiam quàm prior illa revincitur falſi, non uno argumento. Primum ſuppeditat Chronologia. Nemrod natus eſt brevi poſt diluvium, cùm Scriptura, ſtatim poſt narratam conſtructionem Turris Babelicæ, virum hunc exhibeat tanquam conditorem Urbium, & maximi Imperii authorem. Itaque ſi natus ille conſtituatur ſub A. M. 1660. quadriennio, vel quinquennio poſt diluvium, ætatis egiſſe annos 423. opus fuiſſet, cum Abraham Urbe Ur dimiſſa contulit ſe in Chananitidem A. M. 2083. ante Chr. 1917. ante Ær. 1921. Raros autem profecto homines poſt diluvium natos vitam ad id ætatis prorogantes.

Sed eſto, demus Nemrod & noviſſe Abraham, & afflixiſſe perſecutione. Quis certò probet ſive conjeciſſe virum illum ſanctum in ignem, vel conjectum evaſiſſe illæſum? Fatemur utique tradi hæc à Judæis & Orientalibus; ſed qua fide illi? An forté quia ſcriptum eſt exiiſſe illum ex Ur; cùm autem *Ur* ſonet ignis, idcircò è fornace ſuccenſa ſubduxiſſe ſe reputandus erit? Num Moyſes adeò paucis rem tanti momenti innuiſſet potiùs quam retuliſſet? Quia rem totam proſequitur phraſis nonne planiùs demonſtrat Ur nomen eſſe Urbis, *Mortuus eſt Aram ante Thare patrem ſuum in terra nativitatis ſuæ, in Ur Chaldæorum* Geneſ. 11. 28. 31. Et infra: *Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, & Lot filium Aram filium filii ſui, & Sarai nurum ſuam, uxorem Abram filii ſui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum*. Tandem Geneſ. 15. 7 *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum*. Hæc ſimul omnia nonne ad ſenſum demonſtrant, Ur nomen eſſe Urbis? qui enim dicet unquam Thare, Abraham, Lot, & Sarai Chaldæorum ignem ſuſtinuiſſe? Fatemur quidem S. Hieronymum ita vertiſſe illud 2. Eſdræ 9. 7. *Eduxiſti Abram de igne Chaldæorum*. Ideò verò ille ita reddendum textum cenſuit, quòd commodum judicaret referre literalem ſignificationem nominis Ur. Sed in ſuis quæſtionibus Hebraicis fabellarum nota traducit quæcumque narrant Judæi de igne, unde Abraham illæſus evaſit.

Injurioſum eſt autem maximè religioni & pietati tanti Viri, ſi conſtituatur primus author cultus ignis in Oriente. In genuina ejus hiſtoria, relata à Moyſe, ne ullo quidem indicio ſubodorari licet exhibuiſſe illum cultum religioſum & peculiarem huic elemento, ſive in ea Religione formaſſe filios ſuos. Veteres Iſraelitæ, probè illi quidem inſtructi in doctrina patris ſui, cultum illum æquè ac religionem omnem ad creaturas terminantem execrati ſunt. Nec mihi quidem vacat curioſius inquirere, num ſectatores Zoroaſtris olim & nunc etiam, cultum impenderint ſecta terminantem in ignem, vel obliquè tantùm; ſatis enim habeo in præſentia demonſtraſſe, nihil tale docuiſſe unquam Abrahamum, adeòque virum eſſe à Zoroaſtre planè diverſum.

Cæteris Orientalibus Scriptoribus (b) Zoroaſtres multo poſterior eſt Abrahamo. Kondemir in vita Kiſchtab filii Lohoraſb, narrat Zoroaſtrem, cùm arcano Aſtrologiæ intellexiſſet futurum, ut magnus aliquis Propheta naſceretur, deſtinaſſe in animo hunc ipſum Prophetam ingerere ſeſe mortalibus. Eo conſilio invocaſſe ſæpiùs Dæmonem, qui viro ſeſe præbebat ſpectandum in medio ignis, tum & ejus corpori imprimebat miram quandam & nitentem lucem. Fulgor ille, quo identidem coruſcabat, & confidentia, qua affirmabat ſe miſſum à Deo, pluribus impoſuit. Scripſit Librum præſcriptum nomine *Zend* complectentem doctrinam ejus & quidquid à Diabolo Angeli lucis ſpeciem præferente, atque in medio ignis per viſum apparente, didicerat. Idem Author affirmat, eos, quibus Zoroaſtres vir eſt ætate non adeo vetuſtus, didiciſſe illum ex Hebraicis Libris futurum ut veniret poſt Moyſem magnus alius Propheta, deſignatus à Balaamo ſub emblemate aſtri & luminis; quare deſtinaſſe animo ut ingereret ſe hominibus, tanquam implens illius omen.

Tarik Montbekeb Zoroaſtrum diſcipulum aſſignat Prophetis Eliæ, Eliſeo & Rechabitis, quibus ducibus penetraſſe affirmat arcana Oraculorum Judaicorum, quæ cùm inſerta fabellis ſuis corrupiſſet, ſcripſiſſe *Librum vitæ ſuæ*. Primus eſt autem, ait idem Scriptor, qui invexerit doctrinam gemini principii, boni ſcilicet & mali, nomen autem Megiouſch vel *Magi*, quo ſectatores ejus innotuere, derivatur è Perſico corrupto *Meikouſch*, quod eſt & acer dulci mixtus; ideò ſcilicet, quòd principia invexerit duo, bonum & malum.

Juxta geminos hoſce Perſas Scriptores Zoroaſtres coævus vixit Kiſchtaſb filio Lohoraſb quinto Perſarum Regi è Dynaſtia Caianienſium; idemque Princeps impoſturam ebibit, approbavitque ſubjectis ſibi gentibus, tum & effecit ut per totam Perſidem excitarentur *Pyræa*. Cùm igitur Rex Kiſchtaſb ipſiſſimus ſit Hyſtaſpis, vel Darius filius Hyſtaſpis Græcorum, Zoroaſtrem componamus oportet cum ætate poſt captivitatem Babylonicam. Jeremiæ, Danieli & Eſdræ ſupparem alii conſtituunt, vindicantque filium Lohoraſb coævo Nabuchodonoſori & Balthaſſari. Revocant hæc omnia Zoroaſtrem multò ſeriùs poſt Abrahamum.

Chriſtianis Orientalibus (c) eſt Zoroaſtres vir Cambyſis ætati æqualis. Oriundum alii conſtituunt è Media, alii ex Aſſyria, alii diſcipulum vindicant Eliæ, ideo facilè quòd igneo curru Propheta ille raptus fuerit 4. *Reg.* 2. 11. deduxitque ignem tum in eos, qui ad ſe capiendum venerant 4. *Reg.* 1. 10. cùm & in victimas quas in vertice Carmeli obtulit Domino 4. *Reg.* 18. 38. Addit Abulpharages, Zoroaſtrem prænunciaſſe Sectatoribus ſuis adventum Meſſiæ, ac futurum prædixiſſe ut in ejus exortu novum niteret ſydus; naſciturum illum e Virgine parente; ſe verò, ſcirent, primum ejus rei nuncium recepturos, quare non deeſſent officio, accurrendi ſcilicet, ut muneribus illum agnoſcerent. Paruerunt reipſa monenti Magi illi, qui Jeſum Chriſtum adoraturi contulerunt ſe Bethlehem. Anachroniſmum utique in eo ſentimus, quòd Zoroaſtres componitur cum Cambyſe & Elia, quorum alterius ab altero ætatis eſt interſtitium diuturnum; emortualis enim Cambyſis annus componitur cum anno Mundi 3483. raptus eſt autem Elias e mundo circa annum 3108.

Ebn-Batrik, alio nomine Eutychius, Patriarcha Alexandrinus componit Zoroaſtrem cum *Smerdi* ſucceſſore Cambyſis, & deceſſore Darii Hyſtaſpis: traditque floruiſſe illum ſub Thamurath Rege Perſidis prioris Dynaſtiæ Piſchdanienſium. Author Tarik Montekeb tenuiſſe videtur Zoroaſtrem ipſum eſſe *Smerdim*, Principem Sectæ Guebrorum, quem Magi obtru-

(a) D' Herbelot pag. 931. (b) D' Herbelot Bibliot. Orient. pag. 931.
(c) Apud Abulpharag. c. Dynaſt.

Digitized by Google

obtruſerunt in Regem: etenim Mi-Khouſch Perſicè compendium nominis *Miekgouſcb*, quadrat optimè cum Smerdi, præciſis auribus Principe.

Ben-Schunæ eſt Zoroaſtres diſcipulus Eſdræ, quem diris devovit vir ille Propheta, utpotè defendentem oppoſita Judaiſmo dogmata. Scelera ejus ulturus Deus, ait, lepra virum percuſſit, ut olim Giezi; quare è Jeruſalem depulſus recepit ſe in Perſidem, ubi authorem ſe novæ dedit Religionis. Zabiiſmum tunc profitebantur Perſæ, formatique ab illo didicerunt cultum ignis, eodemque magiſtro religio è Zabiiſmo & Magiſmo mixta compoſita eſt; unde ſuccurrit pluribus Zabios cum Magis confundere.

Perſæ alii Scriptores affirmant Zoroaſtrem unum fuiſſe è pluribus, qui conſtruendæ turri Babelicæ admoverunt manus. Confundunt alii hominem cum Dohac, uno è Regibus Perſidis prioris Dynaſtiæ Piſchdadienſium; alii deducunt ejus originem e Maougeher Rege Perſidis ejuſdem Dynaſtiæ: adcò malè cohærent Perſæ in aſſignanda famoſi hujus Impoſtoris ætate.

Scriptores ſanè multi, quà veteres, quà recentiores apud Orientales perſuadentur Zoroaſtrem non authorem eſſe, ſed reformatorem Magiſmi. Legimus reipſa quidem in Hiſtoriis vetuſtiſſimorum Regum Perſidis religionem ignis cœpiſſe jam inde ab ætate Cajumarrath primo authore vaſti illius Imperii Perſarum juxta Orientales, vel potiùs Aſſyriorum juxta Græcos & Latinos. Hanc autem narrant hiſtoriam originis ejus cultus. Filium ſuum Siamck, à ſicariis neci traditum, amiſerat Cajumarrath, rogumque excitavit grandem in loco, qui carum ſibi caput recondebat. Ejus exemplum certatim imitati ſunt Perſæ, ſtatimque paſſim per totum latè Imperium incenſæ ardentes pyræ amiſſi Principis deſiderio teneri omnes demonſtrarunt. Ignes illi ſenſim tranſierunt in Numen, peculiarem ſibi & religionem & cultum adſciſcentes.

Modò ad authores Græcos de Zoroaſtre agentes. Eudoxus apud Plinium l. 30. c. 1. obitu Platonis 6000. antiquiorem illum conſtituit; cui & ſocius accedit Ariſtoteles. Hermodorus apud Diogen. Laert. in prooœm. Hermippus apud Plin. l. 30. c. 1. & Plutarchus *de Iſid. & Oſyr.* 5000. annis Trojano bello anteriorem volunt. Verùm Xanthus Lydius apud Laert. in proœm. & Scriptor alius anonymus, quem ducem ſequitur Suidas v. *Zoroaſtres*, revocant hominem ad annum 500. ante bellum Trojanum; eſt aliis 600. annis ſuperior expeditione Xerſis in Græciam. Poſteriorem hanc ſententiam fulcit Xanthus Lydius, quem Suidas adſcribit ad Regnum Darii filii Hyſtaſpis; multò potius autem viri illius teſtimonium reputaretur, ſi conſtaret veritas Operum ejus nomine inſcriptorum. Sed Athenæus *l.* 22. docet ſub ejus nomine obtruſos Libros ſcripſiſſe Dionyſium Scythobrachion, hominem Græcum, Julii Cæſaris ætati paulò ſuperiorem.

Zoroaſtres eſt Juſtino *l.* 1. *c.* 1. Rex Bactrianæ, Nino Aſſyriæ Regi coævus, magicæ artis invectæ primus author, in Aſtronomia verſatiſſimus, nec minus callens ſcientiam Antiquitatis. Bello illum afflixit Ninus, devicit, & vita privavit. Gemini ſunt Zoroaſtres, ſi Plinio *l.* 30. *c.* 1. ſtemus, quorum vetuſtiſſimus eſt unus pluribus annorum myriadibus ſuperior conſtituta ſecta magiæ à Moyſe, Jamne, & Jotapa. Perſa erat genere atque omnium vetuſtiſſimus habitus eſt Magiæ author. Zoroaſtrem alterum dedit Proconeſus, florentem paulò ante tempora Oſtanis, qui comes acceſſit Xerſi in expeditione adverſus Græcos. Conſtat utique conciliari non poſſe Orientales Authores inter ſe; ſicut nec inter ſe pariter neque cum Orientalibus Græcos Latinoſque Scriptores.

Joannes Caſſianus, Petrus Comeſtor, Pſeudo-Beroſus, P. Kircherus, P. Scipio Sgambatus, aliique nonnulli (a) autumarunt *Cham* eundem eſſe virum cum Zoroaſtre Magiæ authore. Pſeudo-Clemens in Recognitionibus lib. 4. c. 27. reputat confundi cum *Mizraim*, filio Cham, quod etiam probatur Authori Chronici Paſchalis. Gregorius Turonenſis componit hominem cum filio Cham nempe *Chus*: qui ſcripta illa ſuppoſititia S. Clementis vulgavit, Zoroaſtrem reducit ad *Nemrod*; Franciſco Patricio eſt *Japhet*; Evangelio Infantiæ Jeſu Chriſti (b) Magi illi, qui cunas Jeſu adoraturi venerunt, ortum illius didicerant ex Zoroaſtre præceptore ſuo; & Georgius Hornius contendit Zoroaſtrem ipſiſſimum eſſe Balaamum Moyſis. Fateamur utique oportet inter varias haſce ſententias arduè planè definiri quid tenendum ſit, & quæ media via ſeligatur. Fruſtra etiam concilianda hæc omnia ſuſciperentur; tandem in re hiſtorica fidei incertæ maximum eſt argumentum ſententiarum diſcrimen, quod ſanè hic intercedit adeò maximum, quantum aliàs nunquam.

Si novam tentemus nobis viam ad inveſtigandum Zoroaſtrem, indagantes originem cultus ignis, ſalebræ novæ item & inſuperabiles occurrent. Etenim Moyſes, virorum doctorum plurium judicio, meminit Pyræorum vel Templorum ignis in Levitico 26. 30. ſub nomine *Chamanim*. Minitatur Deus Iſraelia contra juſſiones ſuas pervicacibus: *Deſtruam excelſa veſtra, & ſimulacra* (Chamanim) *confringam; cadeſis in ruinas Idolorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea.* Recurrit pariter vox *Chamanim* in Iſaiæ 27. 9. ubi minæ iterum in Judæos. *Non ſtabunt luci & delubra* (Chamanim.)

Sunt qui credant *Chamanim*, de quibus 4. Reg. 23. 5. Oſee 10. 5. Sophoniæ 1. 4. nihil deſignare aliud, quàm Sacerdotes vel Magos ignem ſacrum curantes in Pyreis. Vox *Chamanim* ſonat *nigrefactus*, qua forte nota de ridiculo traducti ſunt Sacerdotes illi, quaſi dicerentur Carbonarii; erant enim perpetuò addicti alendo curandoque igni. Rex Joſias 2. *Par.* 34. 4. ſubvertit aras Baal, dejecit Chamanim, qui in editis locis Aris illis imminebant, ſuccidítque lucos Numinum. Demonſtrant hæc omnia ſuperſtitionis hujus vetuſtatem.

Suſpicantur quidam, ignem illum perpetuum, quem Moyſes ali præcepit in Altari Domini *Levit.* 6 9. 12. imitamentum eſſe ignis Magorum, & indulgentiam quandam Moyſis in Hebræos, qui longa habitudine aſſueverant ignibus illis in Paganorum Templis conſecratis. Teophraſtus apud Euſebium *Præparationis l.* 1. *c.* 9. morem illum alendi ignem perpetuum in Templis inter vetuſtiſſimos Religionis accenſet, docetque Ammianus Marcellinus *l.* 23. ſanctè affirmare Magos ignem illum Templorum ſuorum è cælo primitus dilapſum fuiſſe. Nunquam non præcedebat ignis ante Reges Perſidis. Neque reputandum eſt Zoroaſtrem, Magoſque ex Judæis morem hunc ſuum adoptaſſe; meminit enim Moyſes ipſe *Chamanim*, quæ nec deſierant in Iſraele ætate Iſaiæ, & poſt ipſum etiam ſub Joſia Rege Juda.

Igitur ſi Zoroaſtres primus author ſtatuatur cultus ignis, continuò fateamur oportet, vetuſtiorem eſſe Moyſe; ſi verò reformator eſt tantùm ejus Religionis, commodè revocaretur ad ætatem aliquantò poſteriorem Cyro; & ſi plures invehantur Zoroaſtrea, ex hac data via adhuc plures etiam inveherentur conjecturæ ac diſcrepantes de illo ſententiæ. Nobis igitur nihil ſuccurrit, quo fixum aliquid ſtatuamus de certa ætate hujus viri. Sed pro noſtra opinione Zoroaſtres ille, qui floruit in Aſia paulò poſt Cyrum, formavitque Religionem Magorum, purus putus erat homo Paganus, impium cultum reddebat aſtris & igni, tum & geminis principiis quorum alterum ſubmittebat alteri; & vetus ea Religio longè diſtabat à Religione Guebrorum, vel Gaurorum

(a) Vide Apocr. V. T. Fabr. pag. 200.
(b) Apud Fabric. Apocryph. N. T.

 Z O

noſtræ ætatis, qui ſe diſcipulos venditant Zoroaſtris, & ignem adorant. Hi etenim veterem Religionem Præceptoris ſui inſerſerunt dogmatibus ſanè pluribus è Judæis & Chriſtianis acceptis. De priſcis Magis & religioſis illorum dogmatibus egimus V. *Magi*. Quædam hic libanda ſunt de Guebris, vel cultoribus ignis apud Indos, & Perſas.

D. Hyde, qui in ſcientia veteris Religionis Perſarum gnaviter ſeſe inſtruxit, contendit Zoroaſtrem inter Impoſtores, qui mundo impoſuerunt, tenere primas, ſi unum excipias Mahometum. Poſterior iſte literarum erat rudis adeò, ut nec legere quidquam nec ſcribere norit; cùm viciſſim Zoroaſtres calleret omnes ſcientias Orientales, tum & potiſſimùm myſteria noſceret Religionis Judaicæ, legiſſet & libros Veteris Teſtamenti; ex quo non levis ſuſpicio Judæam retuliſſe originem, & oriundum eſſe è terra Sancta. Conjectura etiam deducit, audiviſſe illum Prophetam Danielem; & cùm Præceptorem ſuum ſpectaſſet ad ſummam dignitatem elevatum, ſtatuiſſe apud ſe Prophetam agere in populo, ut parem ſibi fortunam procuraret. Religionem ille non ea integro novam conſtituit, ſed veterem Magorum, ſpatio plurium ſæculorum dominantem inter Medos & Perſas, reformandam ſuſcepit.

Fortè tamen D. Hyde præveniri ſe nimium permiſit in gratiam diſcipulorum Zoroaſtris, nec ſatis diſtinxit inter dogmata veterum Magorum, & Guebrorum vel Gaurorum noſtræ ætatis. Tuetur ille veteres Perſas recta ſenſiſſe de Numine, nec niſi unicum admiſiſſe: adſtruxiſſe quidem illos duo principia, ſed creatum unum, alterum tantùm increatum; cultum impendiſſe ſoli, & igni civilem, non religioſum. Sed veteres Scriptores, qui de Religione Perſarum egerunt, uno aſſenſu teſtantur coluiſſe illos Solem & Ignem utrumque ſub nomine Mithræ. Si quam aliam habere ſe ideam affirment novi cultores ignis, hanc illi hauſerunt è Religione Judæorum, Mahometanorum, vel Chriſtianorum; nec referenda ſunt hæc ad Zoroaſtrem ſectæ illius præceptorem.

Tenent e. g. Guebres ſummum dari Numen, deſpoticum, & per ſe ſtans jam inde ab æternitate; ab illo veluti ſecundarios eſſe geminos Angelos, alium quidem luminis, authorem boni; alterum tenebrarum, unde malum: geminos hoſce Angelos ea una confuſa luminis & tenebrarum maſſa formaſſe omnia. Olim Magi excitabant Templa ſub dio patentia, igni conſecrata, in cacuminibus montium, editiſque aliis locis, ſed cùm imbrium & procellarum injuria non ſemel ignis ſacer extingueretur, circa Altaria illa fabricata ſunt Templa, quo & ignis ſacer poneretur in tuto, & Religionis exercitium meliùs præſtaretur. Ante poſitos illos ignes Religio tota abſolvebatur. Affirmant uno aſſenſu veteres impenſum ab illis fuiſſe cultum ſupremum igni; ſed noſtrates Magi negant conſtanter colere ſe ignem, ſed tantùm ſub emblemate ignis venerari Deum; ad ignes illos ſemper accedunt è latere Occidentali, ut faciem ſemper habeant converſam ad ignem & ſolem exorientem.

Magorum hoſce errores de gemino principio præ oculis habere videtur Iſaias 45. 5. 6. 7. *Ego Dominus, & non eſt ampliùs, extra me non eſt Deus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc*. Ita loquitur Deus Iſrael ad Cyrum Regem Perſidis. Ezechiel 8. 16. de Idololatris affirmat vidiſſe ſe illos proſtratos *inter veſtibulum & Altare, dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem; & adorabant ad ortum ſolis*. Monſtrant hæc ad ſenſum cultum Magorum diſcipulorum Zoroaſtris.

Inſignis ille Impoſtor jactitat decerpſiſſe ſe è Cælo particulam ignis ſacram, quam depoſuit in Altari primi illius Templi à ſe conditi in Urbe Xis Mediæ, ea quo ignem Sacrum deduxerunt reliqua alia Templa, quæ juxta Magorum ritum dedicata ſunt. Erga ignem illum ſacrum tanta erat Sacerdotum religio, ut excubias illi agerent diu noctuque non intermiſſas, in illum nec ore, nec follibus inſufflabant, metu ne rem ſacram temerarent; capitale enim id eſſe decernebant. Adeo verò longiùs in hanc ſuperſtitionem excurrerant, ut Sacerdotes accedere ad ignem ſacrum propiùs non auderent, niſi admoto ori lineo panniculo, metu ne quid halitus flammam ſacram attingeret. Hinc pariter obtinuit mos, ut in præſtandis cæremoniis ſuis obmurmurarent potiùs inter dentes, quam pronunciarent conceptis vocibus formulas precum.

E Media Zoroaſtres conferens ſe in Bactrianam, ſedem elegit ſuam in Urbe Balch; venit poſt hæc ad Indos, regnanteſque ibi ſcientias omnes pervaſit, ea quo famam ſuo nomini comparavit magnam. Tum reſtituit ſe Balch ſitæ ad amnem Oxum in finibus Perſidis, Indorum, & Covvareſman, ibique Templorum ſuorum maximum erexit, & peregrinationem religioſiſſimam illam ſectatoribus ſuis indixit. Sed poſt direptam a Mahometanis Perſidem ſæculo ſeptimo, Archimagus ſedem tranſtulit Kerman, cujus loci Templo non minor eſt, quàm olim Balch, ſanctitas & religio.

Retinent hodie uſque Magi Librum ſcriptum, ſi qua illis fides, à Zoroaſtre. Digeſſit autem illum latens in ſpecu, quò ſe receperat, eratque primò deſcriptus in duodecim volumina, quorum ſingula conſtabant è centum pellibus redactis in membranam. Appellatur Liber iſte *Zendaveſta*, & compendii gratia *Zend*, quod ſonat ad literam *incendens ignem*, uti apud nos igniaria. Prima pars Operis continet Liturgiam hodie uſque in Templis Sectæ illius obtinentem; quod reliquum eſt impenditur in aliis argumentis Religionis. Porrò ita ſuſpiciunt Librum hunc Magi, uti nos Biblia; deſcriptus eſt vetuſtis Perſicis vel Chaldaicis characteribus, & veteri ſermone. D. Hyde fidem ſuam obligavit publico daturum ſe typis idem Opus cum verſione Latina, dummodo ad impenſas Editionis ſubſidiariam operam præſtare quis voluerit. Ne verò fidem ſuam liberaret fecit delectus conferentium manus auxiliatrices.

In toto hoc Libro plura occurrunt derivata è Veteri Teſtamento, quorum major portio petitur ea Pſalmis David. Adam & Eva ſunt Zoroaſtri humani generis Authores primi; hiſtoriam creati mundi eandem fermè ac Moyſes narrat, uno hoc tantùm diſcrimine, quòd à Moyſe creatus à Deo mundus intra ſex dies ſcribatur; Zoroaſtri verò probatur conditus intra ſex diverſorum temporum ſpatia è certo dierum numero conſtantia ſingula, quæ collecta ſimul omnia conficiunt dies 365. i. e. annum integrum. Agit etiam, ut in Scriptura tractatum eſt, de Abrahamo, Joſeph, Moyſe, & Salomone. Librum ſuum appellat librum Abraham, & Religionem ſuam Abrahami Religionem. Eaſdem conſtituit Leges ac Moyſes de mundorum & immundorum animalium diſcrimine, de ſolvendis decimis Sacerdotibus, de cautione evitandi ſordium quodcunque genus interiorum ſcilicet & exterorum, de ritu illas eluendi, de ſervando Sacerdotio in una certa Tribu, de ritu inaugurandi Summum Pontificem. Reliqua hujus Libri continent hiſtoriam rerum geſtarum & oraculorum Authoris; tum & ad virtutem monita. Moralis eſt autem pura quidem, ſi tamen inceſtus excipias, quod perinde habetur ac res in medio poſita.

Hæc ſimul omnia probant invictè Zoroaſtrem poſteriorem eſſe Moyſe, ſicut & alia quædam à Guebris narrata de Authore ſectæ ſuæ, deductaque ex hiſtoria Jeſu Chriſti demonſtrant, veteres ſuperſtitiones inteſuiſſe illos additis nonnullis veritatibus & diſciplinis Chriſtianorum à ſe tamen etiam atque etiam corruptis. Docent e. g. matrem Prophetæ ſui ſubitò fœtam concepiſſe, poſtquam inviſentem Angelum excepit; Aſtrologos verò artis ſuæ virtute intellexiſſe filium ab ea gignendum Prophetam, & novæ ſectæ Authorem futurum. Cettiorem de re tota fecerunt Nemrod tunc rerum potentem; ſtatimque

ille

Digitized by Google

ille edixit mulieres omnes ditionis ſuæ tunc fœtas trucidari. Exequutioni mandata ſunt omnia. Sed mater Prophetæ nullum fœturæ ſuæ dedit argumentum; quare erepta eſt è diſcrimine, eductuſque felici partu infans appellatus fuit *Ebrahim-Zer-Arcuchi*. Effuſum in dias auras puerum intelligens Rex, afferri ſibi illum juſſit, ſtrictoque acinace trucidaſſet manu ſua, niſi manus extenſa inaruiſſet. Tunc Rex in ingentem excitatum rogum projici puerum juſſit, ſed inter flammas poſitus, veluti inter roſas blandè cubavit. Poſt alia id generis prodigia evanuit Propheta, raptus juxta nonnullos corpore ſimul & anima in Cælum, vel potiùs juxta alios in ferreo ſponte per ſe collocatum feretro extulerunt Angeli.

Poſtquam Ebraim Zer-Arcuſcht intrò in Paradiſum exceptus eſt, accepit à Deo ferendos ad diſcipulos ſuos ſeptem Libros docentes genuinam Religionem; tum & ſeptem alios explicantes inſomnia; & alios ſeptem medicinæ. Alexander, redacto in poteſtatem Oriente igni tradidit ſeptem priora illa volumina, quòd ſermonis eſſent planè hominibus ignoti; quatuordecim alios in ſuum uſum reſervavit. Poſt ejus obitum Gaures, quantum ſuggerente memoria permittebantur, reſtituerunt ſeptem libros igni traditos, impleruntque ingentis molis volumen, quod hodie uſque manet apud illos; ſed & linguam & ſermonem ejus penitus ignorant, ſicut & characteres diverſos planè ab Arabicis, Perſicis, & Indis. Hæc venditant recentiores quidam Itinerantes minus illi quidem inſtructi, quàm Authores ſupra à nobis laudati de charactere atque idiomate Lucubrationum Zoroaſtris.

Ignem ſuſpiciunt hodie pariter Guebres, vel Gaures, curant ſedulò & per ſingulos menſes novum diſtribuunt ſectæ ſuæ hominibus; vocant *ignem Cæleſtem*; jurant per ignem, ſed non colunt; unum enim tantùm & unicum Numen agnoſcunt, Cæli terræque Conditorem. Lavant filios ſuos vix natos repenti aqua, recitante interim Mago, vel Giazi formulam aliquam precum. Connubia ineuntibus adeſt Giazi tingens frontem utriuſque ſponſi parata quadam aqua, ſuper quam precem aliquam obmurmuravit Giazi. Credunt reſurrectionem univerſalem tum potiſſimum futuram, cùm gentes omnes in unicam Religionem Prophetæ ſui converint. Hæc omnia è Chriſtiania in ſuum ſectum tranſtulerunt. Singulis Gauris datum eſt uxores ducere ad quinque, inter quas una præeſt cæteris; hæc Judaiſmo accepta referuntur.

Qui de Pythagora ſcripſerunt plerique tenent Præceptorem audiviſſe Zoroaſtrem Babylonis, ex quo ſcientiam hauſiſſe ſanè multam, unde latè per Orientem nominis ſui famam diffunderet. Ita Apulejus, *Florid.* 2. Jamblicus, *in vit. Pythag.* Porphyrius *in vit. ejuſd.* & Clemens Alexandrinus, *Strom.* 1. Nec alium eſſe à Pythagora credas *Zabratum* vel *Zaratum* Porphyrii, & *Naratum* S. Clementis Alexandrini. Cambyſes, domita Ægypto, in Pythagoram eam Regionem diſcurrentem incidens, belli captivum hominem detinuit, tranſmiſitque Babylonem. Novit ibi Zoroaſtrem, vel Zabratum tum fortè in ea Regione verſantem(*), a quo è maculis præcedentis vitæ elutus, imbutus eſt iis rebus, quibus initiari hominem probum par eſt: didicit ſecreta naturæ, & univerſi principia. In hæc omnia diligentiùs inveſtigare hic nolumus; plùs enim nimio fortè quàm par ſit ſcribenti Dictionarium Biblicum ſermonem noſtrum produximus. Videſis V. *Ezechiel* eorum opinionem, qui Pythagoram eundem Prophetam noſſe, nec alium deſignaſſe Veteres ſub nomine *Nazaratus* vel *Zaratus* contendunt. }

ZOROBABEL, filius Salathiel è Regia Davidis ſtirpe. Salathieli patrem S. Matthæus 1. 12. & 1. Paralip. 3. 16. Jechoniam Regem Judæ tribuunt; in patre verò Zorobabelis diſſidens. Paralipomena Phadajam; S. verò Matthæus, S. Lucas, Eſdras, & Aggæus patrem Salathielem aſſerunt. Filii ergo nomen pro nepote intelligendum, dicendumque videtur, Salathielem, quòd Zorobabelis adoleſcentiam curaverit, ab ipſo patris ideo impoſterum habitum fuiſſe. Volunt aliqui Zorobabel nomen etiam *Saſſabaſar* obtinuiſſe, eoque apud 1. Eſdram 1. 8. deſignari. Vide ſuperius *Saſſabaſar*. Joſephus *Antiq. l.* 11. *c.* 4. & tertius Eſdræ liber Zorobabel ex tribus celeberrimis Darii Hyſtaſpis cuſtodibus fuiſſe; eaque in quæſtione, quid fortius? an Rex, an fœmina, an vinum, an veritas, ipſum pro veritate diſputantem, Regis, & Miniſtrorum judicio præmium tuliſſe ſcribunt. Hæc tamen apocrypha ſunt; Zorobabel enim longè ante Darii Hyſtaſpis Regnum Jeroſolymam rediit; initio ſcilicet Regni Cyri A.M. 3468. ante Ch. 532., ante Ær. 536. quindecim ante Darium annis. De Zorobabele Scriptura hæc tradit. Sacra Templi vaſa Cyrus ipſi reſtituit, quæ Jeroſolymam remittebat (a). Primus ubique, uti reducum Judæorum Princeps, nominatur 1. *Eſdr.* 2. 2. 3. 8. & 5. 2. Templi fundamenta jecit 1. *Eſdr.* 3. 8. 9. *Zach.* 4. 9. *&c.* & Domini cultum, & conſueta ſacrificia reſtituit. Samaritanis operam ſuam ad Templi ædificationem exhibentibus, Zorobabel, & Principes Juda renuerunt, quod ſibi tantùm conceſſum à Cyro honorem, alienis communicare non poſſent 1. *Eſdr.* 4. 2. 3.

Diutius eo opere intermiſſo, Aggæus, & Zacharias Prophetæ, à Deo moti (b) Zorobabelem, & Judæos ad opus perficiendum excitarunt; quod anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, M. 3485. ante Chr. 515. ante Æram 519. geſtum eſt. Zachariæ à Domino duobus olivis circà aureum candelabrum ſepticeps oſtenſis (c), Angelus ad explicandam Prophetæ viſionem miſſus, ait, duobus olivis oleum candelabro ſuppeditantibus Principem Zorobabelem, & Jeſum filium Joſedech Pontificem ſignificari. Mors Zorobabelis à Scriptura non traditur; docent tamen 1. Paralip. 3. 19. ſeptem ab eo filios, & filiam unam genitos, ſcilicet, Moſollam, Hananiam, & Salomith eorum ſororem, & Haſaban, Ohol, Barachiam, Haſadiam, & Joſabheſed. Filium etiam S. Matthæus 1. 13. illi attribuit *Abiud*; S. Lucas 3. 27. *Reſam*. Aliquos igitur ex ſeptem, quos nominavimus, filiis, duobus nominibus nuncupatos fuiſſe neceſſe eſt.

Alterum nonnulli Zorobabelem, filium Phadajæ diſtinxerunt, de quo in 1. *Par.* 3. 19. ſermo eſt: inutilis tamen labor; omnia enim rectè conſtant, ſi Zorobabeli patrem Phadajam, & avum Salathielem tribuamus; qui ſanè Zorobabel, ideo fortè Salathielis filius dictus eſt, quòd eum virum clariſſimum inter progenitores ſuos, & fortè etiam curatorem adoleſcentiæ ſuæ habuerit.

Alii, ut tertium Eſdræ Librum cum S. Hiſtoria concilient, Zorobabelem poſt decem & ſeptem annorum moram Jeroſolymis, à primo Cyri, ad ſecundum Darii Hyſtaſpis annum, Babylonem rediiſſe, ibique Regii corporis cuſtodem egiſſe conjiciunt. Majores tamen ſunt falſitatis characteres, qui in hiſtoria trium Darii cuſtodum elucent, quàm ut fidem mereatur.

ZUZIM, gigantea quidam, trans Jordanem incolentes, à Codorlahomor, & fœderatis victi A.M. 2079. ante Ch. 1921. ante Ær. 1925. *Gen.* 14. 5. Teſtatur S. Hieronymus Hebraica volumina habuiſſe, victos in *Hem*: recens tamen Hebræum legit *in Cham*. An fuerit urbs iſta, & quo loco, ignoratur. Vulgata & ſeptuaginta ſcribunt *Zuzim* profligatos cum Raphaim in Aſtaroth-Carnaim. Chaldæus & Septuaginta nomen hoc pro appellativo habent, ut homines fortes, & potentes ſignificet. Nos eoſdem eſſe ac Zomzomim arbitramur, *Deut.* 2. 20. *Zuzumorum* Epiſcopus quidam Severus invenitur, ſub Boſtrorum Metropoli, inter eos, qui I. Concilio Nicæno ſubſcripſere (d).

(*) Porphyr. vit. Pyth. c. 185. edit. Cantabrig. (a) 1. Eſdr. 1. 11. An. M. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536.
(b) Agg. 1. 1. 2. 3. Zacch. 4. 6. 7. & 1. Eſdr. 5. 1. 2. 3. (c) Zacch. 4. 6. 7. 8. (d) Arab. Canon. Concil. Nicæni.

FINIS.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA GENERALIS HISTORIÆ BIBLICÆ.

Anno Mundi I. Periodi Julianæ710.		Anno ante Chriſtum 4000. ante Æram vulgarem 4004.
	MAteria, ſivè Chaos creatur.	
	I. Dies: Lux creatus.	
	II. Dies: Creatio Firmamenti:	
	III. Dies: Creatio maris, aquarum, plantarum, & arborum.	
	IV. Dies: Sol, Luna, & Aſtra creantur.	
	V. Dies: Creatio Piſcium, & Avium.	
	VI. Dies: Creatio Animalium terreſtrium, & Hominis. Bruta omnia coram Adamo à Deo producuntur, quibus Adam nomina imponit. Dein è latere hominis mulier à Deo creata, eidem Adamo in uxorem traditur. Introducti ambo in Paradiſum terreſtrem.	
	VII. Dies: Deus poſt abſolutum creationis opus quieſcens, requiem Sabbathi ſanctificat.	
	X. Dies: Dæmon ſub ſerpentis exuviis Evam tentat. Eva Dei præceptum tranſgreſſa, criminis ſui conſortem Adamum efficit. Ambo à Deo è Paradiſo ejiciuntur, paucis poſt creationem diebus, & facilè decima die.	
2	Oritur Cain filius Adami, & Evæ.	3999
3	Oritur Abel.	3998
129	Cain fratrem ſuum Abelem occidit.	3871
130	Seth filius Adami, & Evæ naſcitur.	3870
235	Enos, filius Seth, naſcitur.	3765
325	Cainan, filius Enos, naſcitur.	3675
395	Malaleel, filius Cainan, naſcitur.	3605
460	Jared, filius Malaleel, naſcitur.	3540
622	Enoch, filius Jared, naſcitur.	3378
687	Mathuſala, filius Enoch, naſcitur.	3313
874	Lamech, filius Mathuſalæ, naſcitur.	3126
930	Adam, 930. annis natus, obiit.	3070
987	Enoch, poſt exactos 365. vitæ annos, transfertur.	3013
1042	Seth, filius Adam, annis natus 912. moritur.	2958
1056	Noe, filius Lamech, naſcitur.	2944
1140	Enos, annis natus 905. moritur.	2860
1235	Cainan, ætate grandævus 910. annorum, moritur.	2765
1290	Malaleel, annis natus 895. moritur.	2710
1422	Jared, annis natus 962. moritur.	2578
1536	Deus Noemum admonens de futuro diluvio, ire jubet ad annunciandam hominibus pœnitentiam, 120. annis antequam ipſum diluvium mittat. 1. *Pet.* 3.20. & 2. *Pet.* 2. 5. *Gen.* 6. 3.	2464
1556	Japhet, filios Noe, natu major, oritur. *Gen.* 5. 31. & 10. 21.	2444
1558	Sem, alter filius Noe, naſcitur.	2442
1651	Lamech, pater Noe, annis natus 777. moritur.	2349
1656	Mathuſala poſt productam diutiùs, quàm cæteri quique homines, vitam, annis natus 969. obiit. *Gen.* 5. 27.	2344
	Deus Noemum monet, ut ad ingrediendum in Arcam ſe diſponat, ad diem 10. ſecundi menſis, Novembri, & Decembri reſpondentis.	
	Die 17. ejuſdem menſis, Noe una cum uxore, & filiis, atque tribus uxoribus trium filiorum, in Arcam ingreditur.	
	Pluviæ perpetuæ ſuper terram ruunt 40. diebus & 40. noctibus. Aquæ 150. diebus terræ ſuperficiem operiunt.	
	Die 17. ſeptimi menſis Arca in monte Ararat conſidet. Die prima decimi menſis cacumina montium apparent. *Gen.* 8. 3. 4.	
	Poſt 40. dies Noe corvum dimittit. *Gen.* 8. 6. 7.	
	Poſt 7. dies columba ex Arca à Noe dimiſſa, ſtatim regreditur.	
	Poſt 7. alios dies iterum dimiſſa, ad veſperam regreditur, virentem olivæ ramum in roſtro tenens. Poſt alios ſeptem dies evolans, iterum ampliùs non redit. *Gen.* 2. 12.	
1657	Noe, ætatis anno 601. prima die primi menſis, tectum Arcæ reducit.	2343
	Die 27. ſecundi menſis Noe ex Arca egreſſus, Sacrificium Euchariſticum immolat. Carnes in eſcam hominibus à Deo permittuntur. Deus nunquam ſe ultra diluvium univerſale immiſſurum, data in pignus fidei ſuæ Iride, pollicetur. *Gen.* 8. 9.	
1658	Arphaxad, filius Sem, naſcitur.	2342
1663	Septem annis circiter poſt diluvium, Noe plantâta vinea, & largiùs epoto vino, inhoneſto corporis habitu in ſomnum reſolutus, ſub tentorio jacet. Cham patrem irridet; & Noemus è ſomno experrectus, in Chanaan filium Cham, 6. ſivè 7. annorum facilè puerum, maledictum pronunciat.	2337
1693	Sale, filius Arphaxad, naſcitur.	2307
1723	Heber, filius Sale, naſcitur.	2277
1757	Phaleg, filius Heber, naſcitur.	2243
1770	Circa illud tempus, homines ædificium turris Babelis aggreſſi ſunt; ſed Deus, linguis eorum confuſis, abſtinere, atque in varias mundi partes ſe ſe dividere coegit.	2230

Hic

A M		A.Chr.
1771	Hic etiam exordium ſtatui poteſt Monarchiæ Aſſyriorum per Nemrod *Gen.* 10. 9. 10. Poſt eum annum uſque ad captam ab Alexandro Magno Babylonem, 1903. anni numerantur: quæ annorum ſumma cum obſervationibus Chaldæorum à Calliſthene ſupputata congruit. *Porphyr. apud Simplic. l. 3. de Cœlo.*	2229
	Imperium Ægyptium circa idem tempus authore Cham patre Mezraim cœpit. Duravit autem 1663. annis, uſque ad captam Ægyptum per Cambyſem. *Conſtant. Manaſſ. in Annal.*	
1787	Rehu, filius Phaleg, naſcitur.	2213
1819	Sarug, filius Rehu, naſcitur.	2118
1849	Nachor, filius Sarug, naſcitur.	2151
1878	Thare, filius Nachor, naſcitur.	2122
1948	Aran, filius Thare, naſcitur.	2052
2006	Noe, annis natus 950. moritur.	1994
2008	Abram, filius Thare, naſcitur.	1992
2018	Sarai, uxor Abrami naſcitur.	1982
2083	Abram, in Ur Chaldæorum vocatur, quaſe in Charras, ſive Haram Meſopotamiæ ſe confert. Ibi Thare pater ipſius, annis natus 205. moritur. *Gen.* 31. 31. 32.	1917
	Abram in urbe Haran ſecundò vocatus, in Terram Promiſſionis una cum Sarai uxore ſua, & Loth nepote ſuo, ſe conferens, in Sichem ſedem conſtituit.	
2084	Abram in Ægyptum deſcendit. Pharao uxorem ipſius rapit: deinde viro reſtituit. Abram ex Ægypto egrediens, à Loth nepote ſuo dividitur.	1916
2091	Reges Sodomæ, & Gomorrhæ à Codorlahomor deſciſcunt.	1909
2092	Codorlahomor, una cum aliis ſibi fœderatis, in deſciſcentes à ſe Reges Sodomæ, Gomorrhæ, aliosque bellum infert. Rebellibus prælio victis, Sodoma diripitur. Loth captivus ab hoſtibus deducitur: Abram illos inſecutus fundit, ac recepta præda Loth reducit, Melchiſedech victori Abramo benedicit.	1908
	Dominus, inito cum Abramo fœdere, florentem illi poſteritatem pollicetur. *Gen.* 15.	
2093	Sarai, famulam ſuam Agar in thorum viri introducit.	1907
2094	Iſmael filius Abram, & Agar, naſcitur.	1906
2107	Novum fœdus Dei cum Abram & nova longæ poſteritatis promiſſio. *Gen.* 17. Deus nomen Abram, in Abraham, & Sarai in Saram mutat.	1893
	Abraham tres Angelos ſub itinerantium figura hoſpitio recipit, à quibus orituri Iſaaci ſpes ipſi facta eſt.	
	Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, dilapſis Cœlitus flammis abſumuntur. Loth præſervatur. In Segor ſeſe recipit. Inceſtum cum geminis puellis filiabus ſuis committit.	
2108	Abraham, è valle Mambre digreſſus, in Berſabee venit.	1892
	Iſaac, filius Abrahami, & Saræ naſcitur. *Gen.* 17.	
2115	Sara viſo Iſmaele cum Iſaac ludente, ad pellendam è domo Agar, & Iſmaelem virum cogit. Agar Ægyptiam fœminam cum Iſmaele conjugio copulat, ea qua Iſmael plures genuit filios.	1885
2133	Fœdus Abrahami cum Abimelecho Rege Geraræ. *Gen.* 2.	1867
	Abraham filium ſuum Iſaac in holocauſtum Deo offerre parat. *Gen.* 22.	
2145	Sara, Uxor Abrahami, annis nata 127. moritur. *Gen.* 23. 1. 2.	1855
2146	Abraham Oeconomum ſuum Eliezer, ad poſtulandam filio ſuo Iſaaco uxorem, in Meſopotamiam mittit. Eliezer Rebeccam adducit. *Gen.* 24. & 25.	1854
2150	Nuptiæ Abrahami cum Cethura, ea qua plures filios genuit.	1840
2158	Sem, filius Noe, moritur, 500. annis poſt natum Arphaxad.	1842
2167	Rebecca, poſt longam 19. annorum ſterilitatem, tandem, deprecante Iſaacò, concipit.	1833
2168	Jacob, & Eſau naſcuntur.	1832
2184	Abraham, annis natus 175. moritur.	1817
2187	Heber annis natus 464. moritur.	1813
2200	Iſaac Geraram concedit. Deus factas Abrahamo patri illius promiſſiones cum ipſo innovat. Iſaac fœdus init cum Abimelecho Rege Geraræ.	1800
2208	Nuptiæ Eſau cùm fœminis Chananæis.	1792
	Diluvium Ogygis in Attica 1020. annis ante primam Olympiadem.	
2231	Iſmael, filius Abrahami natu major, annis natus 137. moritur.	1769
2245	Iſaac imprudens Jacobo pro Eſau benedicit.	1755
	Jacob in Meſopotamiam ad avunculum ſuum Labanum concedens, Liam primùm, deinde Rachelem, ducit.	
2246	Ruben, filius Jacobi, & Liæ naſcitur.	1754
2247	Simeon, filius Liæ naſcitur.	1753
2248	Levi, filius Liæ, naſcitur.	1752
2249	Juda, filius Liæ, naſcitur.	1751
2259	Joſeph, filius Rachelis, & Jacobi naſcitur.	1741
2265	Jacob reditum ad parentes ſuos in Chanaanitidem ſtatuit. Abeuntem Laban proſecutus, in montibus Galaad aſſequitur. Eſau obviam venienti progreſſus, amiciſſimè illum recipit, Jacob in Sichem pervenit.	1735
2273	Dina, filia Jacobi, ſolemnitates Chananæorum ſpectans à Sichem filio Hemor rapitur. Acceptam injuriam fratres Dinæ nece Sichemitarum ulti ſunt.	1727
	Benjamin, filius Rachelis naſcitur.	
2276	Joſeph, annis natus 17. fratrum crimina ad patrem denunciat; quare invidia in ſe fratrum concitata, pretio ab illis divenditus, in Ægyptum adductus eſt, ubi mancipii loco à Putiphare emitur.	1724
	Circa ea tempora Juda ducit filiam Sue Chananæi, ex qua Her, Onam & Selam genuit.	
2286	Joſeph ab uxore domini ſui Putipharis ad crimen ſollicitatus, reſiſtens, in carcerem detruditur.	1714
2287	Somnia duobus Præfectis Regis Pharaonis Joſeph interpretatur.	1713
2288	Iſaac, annis natus 180. moritur.	1712
2289	Joſeph ſomnia Pharaonis interpretatus, è carcere liberatur, & totius Ægypti præfectura donatur. Exordium ſeptem annorum ubertatis prædictæ à Joſepho.	1711
2290	Manaſſe, filius Joſephi, naſcitur.	1710

A. M.		A.Chr.
2295	Ephraim, alter filius Joſephi, naſcitur.	1709
2296	Exordium ſeptem annorum ſterilitatis prædictæ à Joſepho.	1704
2297	Decem fratres Joſephi ad frumentum comparandum in Ægyptum veniunt. Joſeph, retento in cuſtodiam Simeone, cæteros ea conditione dimittit, ut fratrem ſuum Benjamin, natu minorem ad ſe adducant.	1703
2298	Fratres Joſephi In Ægyptum regreſſi, Benjamin adducunt.	1702
	Joſeph ſe tandem fratribus prodens, in Ægyptum migrare illos unà cum patre cogit. Jacob eò cum tota familia ſe confert.	
2300	Joſeph pecuniam ex univerſa Ægypto collectam, in Regia Ærarſa infert.	1700
2301	Joſeph, omnes Ægypti greges, quos Ægyptii, ut eſcas ſibi compararent, divendere coacti ſunt, Regi emit.	1699
2302	Ægyptii agros ſuos omnes, ſuamque libertatem pro recipiendis eſcis Pharaoni vendunt.	1698
	Finis ſeptem annorum ſterilitatis. Joſeph greges, & agros Ægyptiis reſtituit, ea conditione, ut quintam omnium proventuum partem Regi pendant.	
2305	Jacob extremo morbo decumbens, benedictionem ſuper Ephraim & Manaſſe pronuncians, amborum eventus prædicit. Annis natus 147. moritur.	1695
2369	Joſeph, annis natus 110. moritur; antea tamen egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto prædicto rogat, ut oſſa ſua in Chanaanitidem transferantur.	1631
2385	Levi, annorum 137. grandævus, moritur.	1615
2427	Novus in Ægypto Rex, beneficiorum Joſephi in totam regionem immemor, Iſraelitas perſequitur.	1573
	Circa ea tempora Job florebat, vir ſapientiæ, virtutis, & invictæ patientiæ laude inſignis.	
2430	Aaron, filius Amram, & Jocabed, naſcitur.	1570
2433	Moyſes frater Aaronis in Nilo expoſitus, à filia Pharaonis invenitur, atque in filium Regiæ fœminæ adoptatus, Jocabedæ nutriendus traditur.	1567
2473	Moyſes fratres ſuos inviſens, Ægyptium, qui Hebræum opprimebat, occidit. Pharaonis metu, quem crimen comperiſſe norat, in Madianitidem ſecedens, Sephoram filiam Jetro ducit, ea qua duos filios Gerſam, & Eliezer generat.	1527
2513	Deus in rubo ardenti Moyſi greges ſoceri ſui in deſerto paſcenti apparens, ire jubet in Ægyptum, liberandis ab oppreſſione adverſariorum Iſraelitis.	1487
	Ille in Ægyptum regrediens, Aaronem fratrem ſuum obvium uſque ad montem Oreb venientem habet. Ambo fratres Pharaoni ſe ſiſtentes Dei mandata exponunt. Pharao non recuſat tantùm, ſed & Iſraelitas novis oneribus opprimit. Moyſes varia coram illo prodigia exhibet.	
	Prima Ægypti plaga. Aquæ in ſanguinem tranſmutantur, die 18. ſexti menſis circiter.	
	II. plaga. Ranæ totam terræ faciem infeſtantes, ædes univerſas invadunt, die 15. ejuſdem menſis circiter.	
	III. Cyniphes, ſive culices, vel ſaltem pediculi, 27. ejuſdem menſis.	
	IV. Muſcæ omnis generis, circa 28. & 29. ejuſdem menſis.	
	V. Peſtis hominum, & brutorum, circa primam diem ſeptimi menſis, qui deinde primus fuit anni ſancti.	
	VI. Ulcera, circa diem 3. ejuſdem menſis.	
	VII. Grando, tonitrua, & ignes è Cœlo, die 4. ejuſdem menſis.	
	VIII. Locuſtæ Ægyptios agros vaſtantes, 7. ejuſdem menſis.	
	IX. Tenebræ palpabiles, 10. ejuſdem menſis. Eadem die Moyſes ipſum menſem primum anni Sancti conſtituit; Paſchatis celebritatem inſtituit, atque ſegregari jubet agnum Paſchalem, quatuor poſt dies immolandum.	
	X. Mors primorum natu, nocte inter 14. & 15. menſis Abiud. Eadem nocte primum Paſcha ab Iſraelitis celebratur; & Pharao faceſſere ex Ægypto populum cogit.	
	E' Rameſſe muventes prima die venerunt in Sochoth; inde in Etham. Deflexo poſtea ad meridiem itinere, caſtrametati ſunt in Pi-hahiroth, inter Magdolum, & Mare, è regione Bel-ſephon.	
	Pharao, cùm ſe dimiſiſſe populum pœnituiſſet, abeuntes cum exercitu perſecutus, ad Pi-hahiroth aſſequitur. Deus nubis columnam Hebræis aſſignat & in defenſionem, & in ducem itineris. Moyſes percuſſum prodigioſa virga mare diffidens, viam per medium ejus ſinum Hebræis aperit. Ægyptii eundem tranſitum tentantes, omnes naufragio perierunt, die 20. primi menſis.	
	Moyſes in adverſam maris ripam ſuccedens, in deſerto Etham iter facit, atque tridui itinere tandem Maram pervenit, ubi injecto quodam ligno, ingratus aquarum ſapor corrigitur.	
	E' Mara moventes, veniunt in Elim, locum 12. fontibus irriguum, & 70. palmis amœnum. Poſt hæc, ad Mare Rubrum primùm, dein in deſerto Sin caſtrametantur: ubi Deus manna pluit. Poſt hæc ventum in Daphcam, Alus, Raphidim, ubi deductæ à Moyſe è petra aquæ.	
	Circa eundem locum Amalecitæ Iſraelitas aggrediuntur, & infirmos, qui reliqui exercitus iter perſequi non poterant, occidunt. Moyſes miſſo contra illos Joſue, ipſe interim in montis cacumine manus ad Cœlum protendebat.	
	Die 3. tertii menſis poſt egreſſum ex Ægypto, Iſraelitæ ad radices Sinai caſtra habent, ubi integro anno manſerunt.	
	Moyſi, conſcenſo monte, Deus ſignificat, ineundo cum Iſraelitis fœderi præſto ſe eſſe; ea conditione ut populus in obſequio maneret. Moyſes populum conveniens, Dei conditiones exponit, atque populum ad fœdus ineundum paratum nanciſcitur.	
	Montem repetens, populi voluntatem Deo renunciat. Deus deſcendere ad populum jubet, atque indicere, ut biduo ad recipiendam Legem ſe diſponat, ſe interim tertia die ad eamdem Legem ferendam in Montem aſcenſurum. Caveat tamen populus, ne uſque ad tertiam diem ad montem accedat: in tranſgreſſores verò capitali ſupplicio animadvertatur.	
	Die tertia gloria Dei montis vertici inſidet, omnibus interim tubis, & tonitribus roboantibus. Moyſes ad radices Sinai populum deducit, velut ad exhibendum Deo obſequium. Ipſe montis verticem ſcandit: ſed mox à Deo deſcendere jubetur, ac monere populum, ne montem conſcendere audeat, mortis diſcrimen alioquin ſubiturus. Moyſes, his executioni mandatis, Deum iterum conveniens, Decalogum recipit.	
	Deſcendens iterum, receptas à Deo Leges, cum præſcriptis ab eo conditionibus proponit; atque rebus ab illo propoſitis omnibus, populus acquieſcit.	

Regreſſo

Regreſſo in montem Moyſi, Deus judiciaria præcepta, quæ potiſſimùm ad politiam pertinent, proponit. Iſſe verò his acceptis, excitatis ad radicem montis 12. altaribus, victimas fœderi confirmando mactari jubet; ſanguine poſteà è victimis defluente, librum Fœderis aſpergendum præcipit, eodemque &, populum in Fœdus conſentientem aſpergit.

Hinc Moyſes, Aaron, Nadab, Abiu, & ſeptuaginta Seniores Iſraelis, conſcenſo monte gloriam Domini conſpiciunt; ſtatimque eadem die aliis deſcendentibus, Moyſes, & Joſue ſervus ipſius, adhuc ſex diebus, manent. Septima die, Dominus accerſito ad ſe Moyſi, ideam omnem Tabernaculi, ritus ſacrificiorum, & nova quædam alia, ſpatio 40. dierum, exponit.

His evolutis, Deus poſt traditum Moyſi Decalogum, duabus lapideis tabulis inſcriptum deſcendere actutum ad populum jubet, quem reum commiſſæ in vitulum aureum idololatriæ denunciat.

Moyſes viſo ſuis oculis populo coram vitulo ludente, excandeſcens ſubita ira, projectas tabulas lapideas frangit.

In caſtra demum advolans, dejectum vitulum comminuit, ac Levitarum gladio in populum Idololatram ſæviens, 23000. trucidat.

Mane alterius diei, ſuccedens ad montem, veniam commiſſi à populo criminis à Deo impetrat. Juſſus autem à Deo novas parare Legis tabulas, finem ab eo nunquam deſerendi Iſraelem obtinet.

Præparatis tabulis, Moyſes iterum mane alterius diei montem repetens, gloriæ Dei viſione recreatur. Cùm manſiſſet autem in monte 40. diebus, & totidem noctibus ſcriptas à Deo tabulas Legis, quas antea paraverat, recipit.

Ea dierum periodo evoluta deſcendens è monte, radiantem intuitu Dei faciem ſe referre ignorat. Obducta velo facie, ad populum loquitur, cui Tabernaculi ædificio propoſito, ad ſpontaneas oblationes invitat.

Injunctum præterea medii ſicli tributum in ſingulos Iſraelitas, inſtituto in eam rem cenſu atq; 603550. hominibus enumeratis. Beſeleel, & Ooliab operibus Tabernaculi dirigendis præficiuntur.

2514 Tabernaculum, & ſingulæ ejus partes eriguntur, die prima primi menſis, anni 2. ab egreſſu ex Ægypto. 1486

Secundus cenſus populi, primà die ſecundi menſis.

Conſecratio Tabernaculi, Altarium, Sacerdotum die 5. ſecundi menſis.

Cenſus ſingularis Levitarum, qui omnes, loco primorum natu Iſraelis, obſequiis Tabernaculi dedicantur.

Die octava à conſecratione Tabernaculi, ſive dedicationis, Principes Tribuum, ſtata quilibet die, munera Tabernaculo offerunt.

Jethro in caſtra venit, paucis diebus antequam Iſrael è Sinai moveret.

Die 20. ſecundi menſis Majo, & Junio reſpondentis, Iſraelitæ moventes, veniunt Tabeeram, ſive Incenſionem: inde tridui itinere à caſtrametatione Sinai, ad Kiberoth-Avah, ſive ad Sepulchra Concupiſcentiæ perveniunt.

Eldad, & Medab, in caſtris prophetant. *Num.* 11. 26. 27.

Deus coturnices ad populum demittit. *Num.* 11. 31. 32.

In Aſeroth venientibus, Aaron, & Maria querelam in Moyſem pro Sephora uxore ipſius excitant. Maria ſeptem diebus extra caſtra manet, Succedentes, in deſertum Pharan, Rethmæ caſtra habent; deinde in Cades-barne, unde 12. ſelecti è ſingulis Tribubus viri, ad explorandam Chanaanitidem mittuntur.

Poſt 40. dies exploratores ad caſtra reverſi, in populo ſeditionem excitarunt, vulgantes, regionem illam incolas ſuos vorare. Caleb & Joſue fruſtra rumorem compeſcere conantur: quare Deus interpoſito jurejurando, neminem ſe murmuris illius reum in Chanaanitidem deducturum profitetur: quin & detenturum illos in deſerto ſolidis 40. annis, donec genus illud univerſum deleatur. Præcepit igitur ut verſo itinere, mare Rubrum petant. Populus obſiſtens, Chanaanitidem petit, ſed ab Amalecitis, & Chananæis in fugam acti, inſtantes à tergo hoſtes Hormam uſque habent.

2515 Populus moram in Cadesbarne diutiùs trahit: inde verſo itinere mare Rubrum repetit. 1485

Hæc nomina ſtationum, de quibus apud Moyſem ſermo.

1. Rameſſe, *prima ſtatio*.
2. Socoth.
3. Etham.
4. Beelſephon.
5. In deſerto Etam.
6. Mara.
7. Elim.
8. Ad Mare rubrum.
9. In deſerto Sin.
10. Daphca.
11. Alus.
12. Raphidim.
13. Sinai.
14. Tabeera, ſive Incenſio.
15. *Statio* ad Sepulchra Concupiſcentiæ.
16. *Statio* ad Hazeroth.
17. *Statio* ad Rethman.
18. Remnon-Phares.
19. Lebna.
20. Reſſa.
21. Ceelatha.
22. Mons Sephet.
23. Arada.
24. Maceloth.
25. Tahath.
26. Thare.
27. Methca.
28. Heſmon.
29. Moſeroth.
30. Bene-Jaean.
31. Gadgad.
32. Jethebata.
33. Hebrona.
34. Aſion-gaber.
35. *Statio* ad Mozeroth.
36. Cades, ſive *Aqua contradictionis*.
37. Mons Hor.
38. Selmona.
39. Phunon.
40. Oboth.
41. Jie abarim.
42. Torrens Zared.
43. Bamot.
44. Puteus.
45. Mathana.
46. Nathaniel.
47. Dibon-gad.
48. Helmon-Deblataim.
49. Mons Phaſga.
50. Kedemoth.
51. Sethim, ſive Abel-Satim.

In ca-

A. M.		A.Ch.
	In caſtris ad Cadeſ-barne ſcilè ſeditio Core, Dathan, & Abiron excitata eſt.	
2552	Poſt iter 37. ferè annorum in deſertis Arabiæ Petrææ, & Idumææ, tandem Mozeroth ad Cadeſ-barne perveniunt, anno 39. ab egreſſu ex Ægypto.	2444
	Moyſes iter per Idumæam, miſſia ad Regem Legatia, poſcit: ille tamen acquieſcere recuſat.	
	Iſraelitæ in Cades perveniunt, ubi Maria 130. annis nata, moritur.	
	Iſraelitæ penuria aquarum murmurant. Moyſes aquas è ſilice educit; ſed cùm ille ſimul & Aaron diffidere nonnihil de Deo viderentur, ambo ante ingreſſum in terram Promiſſionis ad interitum deſtinati ſunt.	
	Poſt Cadea, altera ſtatio ad montem Hor habetur; ubi Aaron 123. annis natus, prima die menſis quinti moritur.	
	Rex Arad Iſraelitas aggreſſus, plures captivos abducit.	
	E monte Hor Selmonam veniunt, ubi erecto æneo Serpente, Iſraelitis veneno anguium alatorum correptis Moyſes medetur. Hæc tamen alii in Statione Phunon contigiſſe credunt.	
	Succedentes ſtationes ordine ſunt: Phunon, Oboth, Jie-abarim, Torrens Zared, Mathana, Nahaiel, Bamoth-Arnon, Dibon-gad, ultra Torrentem Arnon, Helmon-dablathaim, mons Phalga, juxta urbem Kedemmoth.	
2553	Sehon Rex Amorrhæorum, tranſitum per regionem ſuam Hebræis negat. Moyſes illum aggreſſus totam regionem ſubigit.	1447
	Og Rex Baſan prælio cum Hebræis inito, vincitur.	
	Iſraelitæ caſtra habent in agro Moabitico.	
	Balac Rex Moab, Balaamum ad imprecanda in Iſraelitas mala acceſſit.	
	Iſraelitæ in fornicationis, & Idololatriæ Beelphegor crimen incidunt.	
	Bellum Madianiticum.	
	Diviſio regionis Sehon, & Og in Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Tribum Manaſse.	
	Moyſes fœdus Iſraelitarum cum Domino innovat.	
	Moyſes annis natus 120. menſe decimo anni Sancti moritur.	
	Huic Joſue ſuccedit, qui exploratores Jerichuntem mittit, primo menſe, Martio, & Aprili reſpondente.	
	Populus Jordanis vada die 10. primi menſis trajicit.	
	Manè Joſue ritum circumciſionis innovat.	
	Manna pluere ceſſat.	
	Primum Paſcha poſt tranſitum Jordanis die 15. primi menſis.	
	Jericho capitur.	
	Iſraelitæ in monte Hebal altare erigunt, juxta Moyſis præceptum. *Joſue* 8.30.35. *Deut*.27.2.12. *&c.*	
	Gabaonitæ fœdus ineunt cum Joſue.	
	Bellum fœderatorum Regum in Gabaonitas, quos Joſue prælio vincit, precibus ejus ſole, & luna immotis manentibus.	
2554	Bellum Joſue in Reges Chanaan; quibus bellis integrum ſexennium impendit.	
2559	Devictam regionem Joſue inter Tribum Juda, Ephraim, & dimidiam Tribum Manaſse dividit.	1446
	Promiſſam a Domino portionem Calebo concedit, atque hoſtibus ab ea depellendis opem præſtat.	1441
2560	Arca Domini, & Tabernaculum in Silo urbe Tribus Ephraim ſtatuitur.	
	Joſue regionis portionem aſſignat Tribubus Benjamin, Simeonis, Zabulonis, Iſſachar, Aſſer, Neptali, & Dan. Ipſe Joſue ſortem determinat Thamnat-Sara in monte Gaas.	1440
	Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſse regionem ſuam transjordaneam repetunt.	
2561	Joſue fœdus inter Dominum & Iſraelitas innovat.	
	Joſue moritur, ac vacuam populi adminiſtrationem Seniores, ſpatio triginta annorum, habent: quo tempore bellum Tribus Juda in Adonibeſech contigit.	1439
	His Anarchia ſuccedit, cujus temporis ſpatio Danitæ urbem Laia occupant.	
	Eodem temporis intervallo hiſtoria Michæ, atque data ab ipſius Ephod Idololatriæ cauſa incidit.	
	Bellum etiam duodecim Tribuum in Tribum Benjamin; in ultionem illatæ in uxorem Levitæ cujuſdam injuriæ.	
	Deus ſubmiſſis Prophetis aberrantes à recto Hebræos reducere conatur; fruſtra tamen. Quare ſub jugum hoſtium illos agi permittit.	
2599	Prima captivitas Iſraelitarum ſub Chuſan Raſathaim Rege Meſopotamiæ. Othonielem, prælio victo Chuſam, populum à ſervitute liberat, 40. annis poſt obitum Joſue.	1401
2661	II. Captivitas ſub Eglone Rege Moab, 62. annis poſt reſtitutum ab Othoniele populum.	1339
2679	Aod oppreſſos relevat, 80. annis circiter poſt victoriam Othonielis.	1321
incerto	III. Captivitas Iſraelitarum ſub Philiſthæis, Samgar populum liberat.	
2719	IV. Captivitas ſub Jabin Rege Azor. Deſiit poſt 20. annos, authoribus Debora, & Barach. Duravit ab anno 2699. uſque ad 2719.	1281
2752	V. Captivitas ſub Madianitis.	1248
2759	Populo liberando Gedeon a Domino ſuſcitatur.	1241
	Gedeon Iſraeli jura dedit 11. annis; ab a. 2759. uſque ad 2768.	
2768	Abimelech, filius Gedeonis, Regnum ſibi in Sichem procurat.	1232
2771	Triennio poſt occiditur.	1229
2772	Thola Iſraelem poſt Abimelech judicat 23. annis.	1228
2795	Jair Tholæ in Transjordanis potiſſimùm ſuccedit; atque 22. annis rerum potitus eſt.	1205
2799	VI. Captivitas ſub Philiſthæis, & Amonitis.	1201
2817	Iſraelitas Transjordanos Jephte in libertatem revocat.	1183
2820	Urbs Trojæ capitur, 400. annis ante primam Olympiadem.	1180
2823	Jephte moritur, cui Abeſan ſuccedit.	1177
2830	Abeſan moritur, atque Elon rerum potitur.	1170
2840	Obitus Elonis. Abdon præficitur.	1160
2848	Obitus Abdonis, poſt quem Eli Summus Sacerdos Iſraelem judicat.	1152
2849	Samuel naſcitur.	1151
	Sub eo judice, Deus Samſonem ſuſcitavit. Natus eſt Samſon An. M. 2849.	
2861	Samuel cum Domino agere incipit.	1139

Samſon

A. M.		A.Ch.
2867	Samſon cum fœmina Thannatæa conjugio jnugitur ; unde cœpia occaſio muneris ſui, defenſoria nempè Iſraelis, exerendi.	1133
2868	Meſſes Philiſthæorum immiſſis 300. vulpibus faces trahentibus abſumit.	1132
2887	In poteſtatem Phitiſthæorum, agente Dalila, veniens, ipſe ſibi, concuſſo Templo Dagon, mortem, pereunte ſimul iogenti Philiſthæorum turba, necem conſciſcit. Iſraelem defendit ſpatio 20. annorum ab ann. 2867. uſque ad 2887.	1113
2888	Bellum inter Philiſthæoa, & Iſraelitas. Arca Domini à Philiſthæis capitur. Eli Summus Sacerdos, poſt judicatum Iſraelem 4. annia, moritur.	1112
	Philiſthæi Arcam unà cum muneribus remittunr; quæ in Cariat-jarim deponitur.	
	Samuel in Ducem, & Judicem Iſraelia eligitur.	
	Iſraelitæ Philiſthæos vincunt.	
	Regem à Samuele poſtulant.	
2908	Sauli Regnum ſortito obtingit, & in cœtu populi Maſphæ conſecratur.	1092
2909	Urbem Jabes Galaad ab obſidione Ammonitarum Saul liberat.	1091
	Philiſthæos è Machmas depellit.	
2911	Bellum Philiſthæorum in Saulem. Iſraelis copiæ in Galgalis coactæ viſis hoſtibua terrentur.	1089
	Saul, reus trangreſſi mandati Samuelis, à Deo rejicitur.	
	Jonathas prodigio Philiſthæos vincit.	
2919	David filius Iſai naſcitur.	1081
2930	Bellum Saulis in Amalecitas. Amalecitæ vincuntur ; ſed Saul, quòd Dei juſſionibus morigerum ſe non præbuerit, ab ipſo rejicitur.	1070
2941	Samuel mittitur à Deo in Bethleem, ut Davidem in Regem Iſraelis inungat.	1059
2942	Bellum Philiſthæorum in Iſraelitas. David ſingulari prælio Goliat occidit.	1058
2943	Saul gloriæ Davidis invidens ejus necem molitur.	1057
2944	David ad Achis Regem Geth confugiens, ibi tamen agnitus, in Moabitidem ſecedit.	1056
	Abimelech, cæterique Sacerdotes à Saule occiduntur; Abiathar ad Davidem tranſit.	
	Keila obſidione à Philiſthæis preſſa, a Davide liberatur.	
2945	David in deſertum Ziph confugit. Saul copias in illum ducens, accepto ſubitæ Philiſthæorum irruptionis nuncio, abſtinere ab eo perſequendo cogitur.	1055
2946	David in vicinits En-gaddi ſe recipiens, Regem ſolitarium in obſcuro antro, ubi ipſe cum ſuia latebat, nactus, illæſum relinquit.	1054
2947	Samuel, 98. annis natus, moritur. Iſraelem ante Regnum Saulis judicaverat 21. annia; poſt Saulem verò ad 38. ulteriores annos vixit.	1053
	David in deſertum Pharan ſecedit. Nabalis hiſtoria. David Abigailem ducit ; dein ad deſertum Ziph tranſiens, in taberoaculum Saulis noctu ſeſe inſinuans, lanceam, & vas aquæ, ibidem nactus, ſubripit. Tandem ad Achis Regem Geth aufugiens, Siceleg in ſedem ſibi ſuiſque obtinet : ibique anno & 4 menſibus moratur.	
2949	Bellum Philiſthæorum in Saulem. Saul evocari ſibi animam Samuelis poſtulat. Prælio victus necem ſibi infert.	1051
	Amalecitæ, abſente Davide, Siceleg diripiunt; ſed mox David abeuntes obſequutua, & prædam omnem, & captivoa recipit.	
	Isboſeth, filius Saulia agente Abnero rex ſalutatus, in Mahanaim urbe transjordana ſedem conſtituit.	
	Davidi à Tribu Juda regnum confertur, qui ſecundò in Regem inungitur. Hebrone regnat.	
2951	Bellum inter Isboſeth & Davidem, quod 4. vel 5. annis duravit.	1049
2956	Abner relicto Isboſeth, cum Davide convenit; ſed à Joabo proditione interficitur.	1044
	Isboſeth in ſuo lecto occiditur.	
	Univerſi Iſraelis Regnum Davidi confertur, qui proinde tertiò in Regem Hebrone ungitur.	
2957	Jeruſalem, pulſis Jebuſæis, à Davide capta, in ſedem Regni conſtituitur.	1043
2958	Bellum Philiſthæorum in Davidem, Philiſthæi prælio victi ad Baal-Pharaſim.	1042
2959	Arcam Domini à Cariat-jarim in Jeruſalem David ducendam ſtatuit ; ſed in ædibus Abinadabi deponitur. Poſt tres menſes tandem in Regiam Davidis domum transfertur.	1041
2960	David Templi Domini fabricam molitur, ſed à Propheta Nathan monitus, conſilium deponit.	1040
	Bellum ſexennale Davidis in Philiſthæos, in Adarezer, in Damaſcum, & Idumæos.	
2967	Bellum Davidis in Reges Ammonitarum, ob ejus Legatia à Rege illarum gentium inflictam injuriam.	1033
2968	Bellum Davidia in Syros, qui copiis Ammonitas juveraot.	1032
2969	Joab obſidione premit Rabbath Metropolim Ammonitarum. David & in thorum Uriæ & in ejus vitam reus. Rabbath expugnatur.	1031
2970	Poſt natum ex adulterio Davidis cum Beth-ſabee filium, Nathan commiſſum crimen Davidi exprobrat. David peccatum ſuum deflet.	1030
2971	Salomon naſcitur.	1029
2972	Amnon filius Davidis Thamar ex patre ſororem violat.	1028
2974	Abſalom, ſororis Thamar injuriæ ulciſcendæ, Amnonem interficit.	1026
2977	Rogante Joab Abſalom ab exilio revocatur.	1023
2979	Abſalom in aula & coram Davide admittitur.	1021
2981	Abſalom à patre deſciſcit.	1019
	Abſalom prælio victus à Joabo occiditur.	
	Seditio Sebæ filii Bochri opera Joabi extinguitur.	
2983	Ab hoc anno repetitur fames in ultionem injuſtæ necis Gabaonitarum per Saulem, à Deo immiſſa Ceſſavit an. 2987.	1017
2987	David populi cenſum indicit ; cui ambitioni puniendæ Deus tribus illi propoſitia plagis, onam ſeligere jubet.	1013
2988	Omnia ad Templi ædificium neceſſaria à Davide parantur, quòd in monte Sion, in area Ornan, excitandum Divinitùs intelligit.	1012
	Roboam, filius Salomonis naſcitur.	
2989	Abiſag Sunamitis ad fovendum Regem ſenectute frigeſcentem introducitur.	1011
	Adonias Regnum affectat; ſed juſſu Davidis Salomon in Regem ſalutatur. Adonias ad aſylum Altaria confugit. Salomoni Regnum & ab Iſraele univerſo, & ab optimatibus aſſeritur.	
2990	David anniagatus 70. moritur, poſt exactos in regno ſeptem annos cum dimidio Hebrone uni Tribui	1010

A. M.		A. Ch.
	Tribui Juda imperans, & 33. annos Jeroſolymæ, in univerſum Iſraelem ditione ſua prorogata.	
	Salomon poſt adminiſtratum ſex menſibus, unà cum patre, Regnum, ſolus regnat.	
	Adonium, poſtulantem ſibi Abiſag in uxorem, occidit.	
	Abiatharem à Sacerdotio emovens, liberam ſacræ dignitatis adminiſtrationem uni Sadoc, ſoli deindè Pontifici, relinquit.	
2991	Joab, nequidquam in aſylo Templi ſe continens, occiditur.	1009
	Nuptiæ Salomonis cum filia Regis Ægypti.	
	Salomon offerendis ſacrificiis & præcibus Domino Gabaonem ſe confert: Sapientiam à Deo precario obtinet; ſimulque divitias, ne roganti quidem, Deus concedit.	
	Salomon de controverſia oppreſſi infantis inter duas fœminas, ſe invicem accuſantes, ita judicat, ut inſignis prudentiæ ſibi famam conciliet.	
2992	Hiram Rex Tyri cum Salomone de inito Regno per Legatos gratulatur. Salomon ea occaſione, ligna, & artifices ad ædificium Templi poſtulat.	1008
	Templi fundamenta die ſecunda ſecundi menſis, Majo, & Junio reſpondentis, à Salomone jaciuntur.	
3000	Templi moles ſpatio ſeptem annorum cum dimidio abſolvitur; cujus tamen dedicatio, facilè quòd Jubilæo ſolemnis eſſet, ad inſequentem annum differtur.	1000
3001	Dedicatio Templi Jeroſolymitani.	999
3002	Regalium Ædium & filiæ Pharaonis, Salomonis uxoris, ædificium abſolvitur.	998
3029	Obitus Salomonis.	971
	Roboamus in Regno ſuccedit; ſtatimque abalienatis à ſe Iſraelitarum animis decem Tribuum defectionem cauſat. Jeroboam filius Nabat ſuper decem Tribus Rex.	

A. M.	Ante Chr.	*REGES JUDA.*	*REGES ISRAEL.*	A. M.	Ante Chr.
3029	971	Roboam bellum in decem Tribus parans, Prophetæ monitu abſtinet.			
3030	970	Sacerdotes, & Iſraelitæ, quibus avita Religio cordi eſt, deſerto Regno Iſraelis, in ditionem Juda migrant.	Jeroboam, filius Nabat, Rex Iſraelis, cultu Dei abrogato, Aureos Vitulos dedicat.	3030	970
3032 3033	968 967	Roboamus fræna laxat vitiis. Seſac Ægypti Rex Jeruſalem vi ingreſſus, Sacros, Regioſque Theſauros diripit.			
3046	954	Roboamo fato cōcedente, Abias ſuccedit.			
3047	953	Abiæ de Jeroboamo victoria.	Jeroboamus commiſſo cum Abia prælio, 500000. militibus amiſſis, victus recedit.	3047	953
3049	951	Abias moritur. Aſa ſuccedit.			
3053	947	Aſa invectam in Judam Idololatriam depellit.	Jeroboam moritur: Nabad ſuccedit.	3050	950
3055	945	Joſaphat filius Aſæ naſcitur.			
3063	937	Victoria Aſæ ex Zara Rege Æthiopiæ, ſivè regionis Chus ad Ægyptum.			
3064	936	Aſa Rex Juda arma Benadab Regis Syriæ in Regnum Iſraelis concitat, ut Baaſam Regem Iſraelis ab ædificatione Ramæ avertat.	Baaſa urbem Ramam ædificandam ſuſcipit, ut tranſitum Iſraelitarum in Jeruſalem impediat.	3064	936
			Benadad Rex Damaſci in Iſraeliticam ditionem ingreditur.		
			Baaſa defuncto, Ela rerum potitur.	3074	926
			Zamri, occiſo Ela, Regnum invadit; quod tamen ſeptem diebus tantùm tenet.		
			Amri, obſeſſum eundem Regem Therſæ, incendio ſe in ipſa Regia tradere cogit.		
			Thebni in Amri inſurgens, prælio ab eodem vincitur.		
			Amri Regnum ſolus init, anno 31. Aſæ Regis Juda & Mundi 3079.		
			Amri conditam Samariam ſedem Regni conſtituit.	3079 3080	921 920
3080	920	Joram filius Joſaphat naſcitur.	Amri moritur, eique Achab ſuccedit.	3086	914
3087	913	Aſa morbo, facilè podagroſo, laborans, in Medicorum potiùs, quàm Dei ope confidit.			
		Aſa poſt 41. Regni annos moritur.			
3090	910	Joſaphat in ſucceſſorem eligitur, qui ſtatim ab inito Regno extraneos omnes cultus lege prohibuit.	Hoc temporis intervallo Elias Propheta ditionem Iſraelis frequentabat.		
		Ochozias, filius Joram, & Athaliæ, nepos Joſaphat naſcitur.	Elias coram Achabo ſe ſiſtens, Prophetas omnes Baal interficiendi author eſt.	3096	904
			Elias Eliſeum in Prophetam inungit.		
			Benadad Rex Syriæ Samariam obſidens, non ſine cæde ſuorum, re infecta, recedit,	3103	897

Joſa-

Digitized by Google

A. M.	Ante Chr.	*REGES JUDA.*	*REGES ISRAEL.*	A. M.	Ante Chr.
			Inſequenti anno, tem iterum tentaturus, veniens, commiſſo ad Aphek prælio, vincitur.	3104	896
3106	894	Joſaphat in Regni ſucceſſorem filium ſuum Joram deſignans, Proregem conſtituit.	Achab vineam Naboth ſibi per injuriam vindicat.	3105	895
			Achab Regium nomen, & authoritatem filio ſuo Ochoziæ communicat.	3106	894
3107	893	Joſaphat, unà cum Achabo, expeditionem in Ramoth Galaad ſuſcipiens, de vita periclitatur.	Inito ad Ramoth Galaad prælio, ſub ementitis ſpoliis latens, ab hoſtibus occiditur.	3107	893
3108	892	Claſſem inſtruere mittendam in Ophir molitur. Sed in expeditionis ſocietatem Ochozia Rege Iſraelis admiſſo, Deus totam claſſem naufragio diſperdit.	Regnum ad Ochoziam devolvitur.		
			Sed ille è tecto Regiæ Domus in ſubjectum cœnaculum decidens, gravi contracto vulnere, occumbit.	3108	892
			Joram ejus frater in Regno ſuccedit.		
		Circa ea tempora Joſaphat expeditione in Ammonitas & Moabitas ſuſcepta, utroſque populos prodigio vincit.	Bello Moabitas aggreditur.		
			Eliſeus victoriam Regi prænunciat; atque ſiti laborantibus copiis largas aquarum venas aperit.	3109	891
3112	888	Elias igneo curru in Cœlum rapitur.			
		Joſaphat filium ſuum Joram in Regni ſocietatem adſciſcit.			
3115	885	Joſaphat moritur.			
		Joram in Regno ſuccedit.			
		Idumæi, jugo Regum Juda excuſſo, in libertatem aſſeruntur.			
3116	884	Joram, uxore ſua Athalia inſtigante, cultum Baal in Regnum Juda introducit.			
3117	883	Joram inſanabili viſcerum morbo à Deo percutitur.			
3118	882	Filio ſuo Ochoziæ Regni adminiſtrationem committit.			
3119	881	Joram moritur.			
3120	880	Ochozias in Regno ſuccedit: Jotam naſcitur.			
		Ochozias una cum Joram Rege Iſrael obſidionem Ramoth Galaad ſuſcipit.	Benadad Rex Syriæ Samariam obſidet; ſed ſubito terrore in Regem, & in exercitum incuſſo, in fugam per quietem noctis effuſi ſunt.	3119	881
		Ochozias à Jeſu occiditur.			
		Athalia tota Regis familia neci tradita, Regnum invadit. Sed puer Joas è communi fratrum ſuorum fato ſublatus, in penetralibus Templi enutritur.	Eliſeus Damaſcum ſe conferens, & mortem Benadado, & Regnum Hazaeli prænunciat. Joram ad obſidionem Ramoth Galaad Ochoziam comitatus, gravi accepto vulnere, in Jezrael delatus eſt.	3120	880
3126 3140	874 860	Jojada Summus Sacerdos Joas in Regem ſalutari, atque neci tradi Athaliam curat.			
3147	853	Amaſias filius Joas naſcitur.	Jehu in Joram deſcendens, illum interficit.		
3164	836	Joas ſarta tecta Templi inſtaurari procurat.	Jehu moritur.		
		Zacharias Summus Sacerdos, filius Jojadæ, mandante Joas, in Templo occiditur.	Joachaz ejus filius rerum potitur.	3148	852
3165	815	Bellum Hazaelis in Joas 4. *Reg.* 12. 17.	Bellum Hazaelis Regis Syriæ in Joas.	3164	836
		Altero anno Hazael, reparato in Joas bello, ingentem pecuniæ ſummam ab illo extorquet. 2. *Par.* 24. 23. *&c.*	Joachaz filius Jehu moritur, cui Joas ſuccedit.	3165	845
			Eliſeus circa ea tempora è vita migravit.		
3177	823	Joas Rex Juda moritur. Amaſias ad Regnum evehitur.	Hazael Rex Syriæ moritur, cui Benadad ſuffectus eſt.	3168	832
3178	822	Expeditio Amaſiæ in Idumæos.	Bellum Joas in Benadad.		
3194	806	Bellum in Joas Regem Iſrael indicit, in quo tamen ipſe prælio vincitur.	Joas inſigni victoria Amaſiam Regem Judæ proſtrat.	3178	822
		Ozias, ſivè Azarias, filius Amaſiæ, naſcitur.	Joas Rex Iſrael moritur. Jeroboam II. in Regno ſuccedit.	3181	819
3221	779	Ozias, ſivè Azarias rerum potitur.	Sub eo Rege Prophetæ Jonas, Oſee, & Amos clarent.	3222	778
		Sub eo Rege in ditione Juda Prophetæ Iſaias, & Amos clarent.	Jeroboam moritur.		
		Joathan, filius Oziæ, naſcitur.	Zacharias II. ejus filius, Regno potitur.		
			Chronologicus ordo hic turbatur; nam 4. Reg. 15. 8. 12. mors Zachariæ ad annum 38. Oziæ, poſt exactos in Regno ſex tantum menſes, conſignatur. Si verò totum reliquum tempus, uſque ad exitum Regni Iſraelis ſupputetur, ſivè conſtituamus oportet interregnum 9. vel 11. annorum inter Jeroboamum II. & Zachariam, cum Uſſerio; vel Jeroboamum II. 51. Regni annos tribuamus; vel ſaltem initium regni ejus ad annum 3191. & exitum ad annum 3232. determinemus; qui ſcilicet annus Zachariæ etiam emortualis eſt.		

Ozias

A. M.	Ante Chr.	*REGES JUDA.*	*REGES ISRAEL.*	A. M.	Ante Chr.
			Zacharias, poſt eaactos ſex menſes in Regno à Sellum occiditur.	3232	768
			Sellum unius menſis Regnum habet.		
3246	754	Ozias moritur.	A' Manahem occiditur	3233	767
		Joathan in Regno ſuccedit.	Phul, Aſſyriæ Rex, Iſraelitarum ditionem ingreſſus, Manahem tributarium reddit.		
		Iſaias gloriam Domini conſpicatur. *Iſai. 6.*			
		Sub Rege Joathan Iſaias, & Oſee prophetarunt.	Obitus Manahem, & Regnum Phaceiæ.	3243	757
3252	748	Eacchias, filins Joathan Regis Juda naſcitur.	Phacee filius Romeliæ, ſublato Phaceia, regnum uſurpat.	3245	755
			Arbaces Satrapa Medorum, & Beleſus Babylonins in Sardanapalum Regem Aſſyriæ ſimul conſpirantes, Babylone clauſum illum obſident.	3254	746
3261	739	Raſin Rea Syriæ, & Phacee Rex Iſrael Regnum Juda aggredi incipiunt.	Poſt triennalem obſidionem Sardanapalus injecto in Domus regias igne, ipſe cum omnibus Regis theſauris arſit. Arbaces ad Regnum evectus, Medos in libertatem aſſerit.	3257	743
3262	738	Joathan moritur, cui Achaa ſuccedit. Raſin Rea Syriæ, & Phacee Rex Iſrael Regem Juda etiam atque etiam affligunt. Iſaias Meſſiæ nativitatem Achaz prædicit, ſimulque proximæ ab hoſtibus liberationis ſpem facit. Nec ſanè duo Reges hoc anno quidquam in Achaa moliti ſunt.	Beleſus, alio nomine Baladan, ſivè Nabonaſſar Babylonicum Imperium conſtituit. Hinc repetenda epocha celebratiſſima Nabonaſſaris, incidens in annum ante Chr. 743. ante Ær. 747. Ninus junior, in Scriptura Teglatphalaſſar, Imperium, in anguſtiores tamen fines contractum, proſequitur; annis 19. regnavit.		
3263	737	Verum inſequenti anno Regionem iterum adorti, totam excurrunt.			
3264	736	Idumæi, & Philiſtæi eandem Provinciam infeſtant. Achaa tributarium Regnum Teglatphalaſſar Regi Aſſyriæ ſubmittit, ea conditione, ut oppreſſum regnum ab hoſtibus liberet.	Teglatphalaſſar illatis in Raſin Damaſci Regem armis, illum occidit. Dein ditionem Iſraelis invadens, pluribus captis urbibus, captivorum turbam ac potiſſimùm Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Tribum Manaſſe abducit. Hæc prima Judæorum captivitas.	3264	736
3277	723	Achaz in Regni ſocietatem Ezechiam filium ſuum adſciſcit.	Oſee, filius Ela, ſublato Phacee filio Romeliæ Rege Iſrael, Regnum uſurpat.	3265	735
3278	722	Achaz Rea Juda moritur.	Quietam autem ditionem ſuam habuit ab anno 12 Achaa. 4. *Reg.* 17. 1.	3274	726
		Ezechias Regnum ſolus obtinens cultum Domini, ſub Achaz penè abrogatum, reſtituit.	Salmanaſar poſt Teglatphalaſſar ad Regnum Ninive evehitur.	3276	724
			Oſee Rex Iſrael inito cum Sue Rege Ægypti fœdere, à Salmanaſſare deficit.	3279	721
3279	721	Decimæ, & primitiæ ad ſubſtentationem Miniſtrorum Templi colligi cœptæ ſunt.	Salmanaſſar Samariam obſidet, ac poſt trienniumea expugnata,	3280	720
			reliquas Tribus, quas Teglatphalaſſar reliquerat, trans Euphratem traducit.	3283	717
			Is Regni Iſraelitici poſt 354. annorum ſpatium exitus.		

3279 Tobias ex Tribu Nephtali unà cum cæteris captivis in Tranſeuphratæa à Salmanaſſare deductus eſt. 721

3290 Eacchias, eacuſſo Aſſyriorum jugo, fœdere in Sennacheribum jungitur cum Ægypto, & Rege Chus. 710

3291 Sennacherib exercitum in Ezechiam ducens, plures in ditione Juda Urbes occupat.

Ezechias laborat, cui Iſaias valetudinem pollicitus, in oraculi ſui fidem umbram ſolis in horologio Achaa retrogradam, prodigio exhibet. 709

Sennacherib Lachim obſidet.

Ezechias omni in fœderatos Reges ſpe deſtitutus oblatis Sennacherib pecuniis, Aſſyriorum arma à ſe avertere tentat; ſed inſtans in bellum Sennacherib Rabſacem ad obſidendam Jeruſalem mittit; ipſe interim in Taracham Regem Chus, ſivè Arabiæ copiarum partem ducens. In Judæam tamen exercitum reducente illo, ſubito Angeli Dei incurſu 185000. Aſſyriorum interfecta ſunt. Quare Sennacherib Ninivem regreditur, ubi à duobus filiis ſuis neci traditus eſt.

3292 Aſſaradon pro Sennacheribo regnat. 708

Sub id facilè tempus Baladan, ſivè Merodach-Baradan Rex Babyloniæ de recuperata ab Eacchia valetudine per Legatos gratulans, ſimulque de prodigio umbræ Solis retrogradæ inſtrui poſtulat.

Michæas Moraſthites, & Nahum ſub Ezechia oracula fundunt.

3293 Tartan, ab Aſſaradone miſſus, in Philiſthæos, Idumæos, & Ægyptios venit. 707

3294 Aſſaradon Sacerdotem Iſraeliticum mittit, inſtituendis Chutæis Sichem incolentibus. 706

Eacchias moritur.

3306 Manaſſe regnat. 694

3323 Aſſaradon, Babylone capta, duo Imperia, Aſſyrium, & Chaldæum in ſe conciliat. 677

3329 Manaſſes à Chaldæis captivus Babylonem traducitur. 661

3347 Holophernes variis gentibus bellum inferens, tandem in Judæa à Judith interficitur. 653

Ma-

A. M.		Ant. C.
3361	Manaſſes moritur, poſtquam diù ante (incertum tamen quo anno) è captivitate liberatus, in Judæam rediiſſet.	639
	Amon pro Manaſſe regnat, ſceleſtiſſimus Princeps.	
3363	Amon moritur, eique Joſias ſuccedit.	637
	Sophonias, ineunte Joſiæ Regno, munus Prophetæ auſpicatur.	
3370	Joſias corrigendis populi moribus depravatis laborans, Domini cultum reſtituit.	630
3376	Jeremias, ab anno 13. Joſiæ Prophetam agit.	624
3380	Liber Legis in Ærario Templi ab Helcia Summo Sacerdote invenitur.	620
	Pecuniæ ad Templi reparationem colliguntur.	
	Holda Prophetis imminentia in Regnum Juda mala prædicit.	
3381	Solemnitas Paſchalis à Joſia una cum univerſo populo celebratur.	619
	Joel claret.	
3394	Nechao Rege Ægypti, copias ad expeditionem in Carchamim ducenti, Joſias reſiſtens, lethali in prælio contracto vulnere, Jeroſolymam translatus occumbit.	606
	Joachaz populi favore ad Regnum evehitur; ſed mox ab expeditione ſua regreſſus, à Nechao amotus, Eliacimo fratri ſuo, & filio Joſiæ Regnum relinquere coactus eſt.	
3395	Sub eo Rege Abacuc prophetiæ dono claret.	605
3398	Nabuchodonoſor ſub Chaldæorum jugo redacta Charchami, rebus deindè in Palæſtinam veniens, Jeroſolymam obſidet. Ea expugnata, Joakimum ingenti tributo multatum regnare ſinit. Daniel & ſocii Babylonem captivi adducuntur. 4. *Reg.* 23. 36. & 2. *Par.* 35. 5. 6. *Jer.* 26. 1. & 46. 2.	602
3399	Jeremias oracula ſua ſcriptis mandare incipit.	601
3401	Suſannæ hiſtoria Babylone.	599
	Joakim à Nabuchodonoſore deſciſcit.	
	Nabuchodonoſor immiſſis in ditionem Juda copiis Chaldæis, Syris, & Moabitis, univerſa vaſtata regione 3023. Judæos captivos Babylonem adducit, anno Joakimi ſeptimo. Vide 4. *Reg.* 24. 2. *Jerem.* 52. 28.	
3402	Nabuchodonoſor ingentem coloſſum per quietem videt; ejuſque ſomnium Daniel interpretatur.	598
3405	Cyrus Cambyſis ex Mandane filius naſcitur.	595
	Joakim jugum iterum excutiens, in poteſtatem Nabuchodonoſoris veniens, occiditur; ejuſque cadaver ferarum injuriis relinquitur. Annis 11. regnavit.	
3406	Joacim ſivè Conias, vel Jeconias pro Joakimo regnat.	594
	Nabuchodonoſor, illatis in Jeruſalem armis, trium menſium, & decem dierum obſidione Urbem capit. E toto verò populo partem captivam Babylonem traducit.	
	Sedecias avus Jechoniæ Rex à Nabuchodonoſore renunciatur.	
	Legati à Sedecia Babylonem mittuntur; qua occaſione Jeremias ad Judæos captivos epiſtolam ſcribit.	
3409	Saraias, & Baruch Babylonem a Sedecia mittuntur.	591
3410	Ezechiel Prophetæ munus in Chaldæa auſpicatur.	590
	Jeroſolymam ab hoſtibus capiendam, atque Judæos diſpergendos prædicit. *Ezech.* 4. & 5. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12.	
3411	Sedecias cum Rege Ægypti clam agens, defectionem molitur.	589
3414	Tandem in apertam defectionem erumpit. Quare Nabuchodonoſor, illatis in Jeruſalem armis obſidione illam premit. Audiens tamen Ægypti Regem auxiliares copias ad Sedeciam ducere, obſidione intermiſſa in Ægyptios movet. Poſt hæc iterum urbem ſtringit.	586
	Toto hujus obſidionis tempore, triennii circiter ſpatio, Hieremias ab oraculis fundendis nunquam deſtitit.	
	Ezechiel in Chaldæa verſans, obſidionem hanc deſcribit. *Ezech.* 11. & 12.	
	Urbs capitur anno 11. Sedeciæ, die 9. menſis quarti, Julio, & Auguſto reſpondentis.	
3416	Sedecias noctis favore dilabitur, ſed tandem in hoſtium manus incidens, Reblatam ad Nabuchodonoſorem deducitur. Ejus juſſu cæcitate multatus, Babylonem deductus eſt. Ita Prophetiæ conciliantur, quarum aliquæ nunquam illum Babylonem viſurum, quamvis ibi diem clauſurus eſſet, prænunciarunt. *Ezech.* 12. 13.; aliæ verò viſurum illum ſuis oculis Regem Babylonis, eamque Urbem ingreſſurum, aſſerebant. *Jerem.* 32. 4. & 34. 3.	584
	Jeruſalem, & Templum die 7. quarti menſis incendio abſumuntur.	
	Judæi Jeroſolymitani, atque ex univerſo Regno captivi in Transeuphratæam traducuntur.	
	Is exitus Regni Juda poſt 468. annorum ſpatium, quot ab initio Davidis regno numerantur; ſeu 388. à diviſione Regni Juda, & Regni Jeruſalem.	
	Initium 70. annorum captivitatis, juxta Jeremiæ oraculum. *Jerem.* 25. 11. & 29. 10.	
	Godolias reliquiis populi præficitur.	
	Jeremias, poſt Godoliæ obitum, in Ægyptum à Judæis invitus ducitur. In Ægypto prophetiæ dono claret. *Jerem.* 44.	
3417	Ezechiel in Chaldæa contra captivos Juda prophetat. *Ezech.* 33.	583
	Tyrus à Nabuchodonoſore obſidetur, ejuſque obſidionis ſpatio (tredecim enim annis duravit) Nabuchodonoſor arma in Idumæos, Ammonitas, & Moabitas infert. *Antiq. l.* 10. *c.* 11.	
3419	Abdias in Idumæam prophetat.	581
	Tyrus à Nabuchodonoſore capitur.	
3432	Bellum Nabuchodonoſoris in Ægyptios.	568
	Poſt plura bella abſoluta, Babylonem regreditur.	
3433	Ingentem arborem per quietem videt.	567
3434	In bovem tranſmutatur.	566
3435	In priſtinum reſtituitur.	565
3443	Aureo ſimulacro, à ſe erecto, cultum impendi præcipit.	557
3444	Tres ſocii Danielis in ſuccenſam fornacem injiciuntur.	556
	Nabuchodonoſor moritur, poſt exactos in Regno 43. annos, ab obitu Nabonaſſari patris ſui, qui deceſſit anno 3399.	
	Evilmerodach, ejus filius, unius tantùm anni ſpatio regnat.	
	Huic filius Balthaſſar ſuccedit.	
3445	Viſio Danielis quatuor myſticorum animalium. *Dan.* 7.	555

A. M.		A. Ch.
3446	Cyrus, jugo ſervitutis excuſſo, aſſertis in libertatem Perſis, Regis titulum aſſumit.	554
3448	Sacrilegum Balthaſaris convivium. Occiditur.	552
	Darius Medus regnat pro Baltbaſare.	
3449	Prophetia Danielis de ſeptuaginta hebdomadibus. *Dan. 9. & 10.*	551
3450	Darius, lato edicto, neminem, præter ſe unum, Deum coli præcipit. Daniel in foveam leonum immittitor.	550
	Cyrus evertendam Monarchiam Medorum aggreſſus, primò eum Medis congreditur, atque devicto Aſtyagi Regi Medorum, avo ſuo ex matre, Præfecturam Hyrcaniæ concedit.	
3455	Poſt hæc in Darium Medum avunculum ſuum movit; antea tamen Darii fœderatos, ac potiſſimùm Crœſum Lydiæ Regem ſub jugum mittendum ſuſcipit.	545
3456	Babylonem obſidione premens, tandem capit.	544
3457	Judæos omnes manumittit, liberamque facit poteſtatem in Provinciam ſuam regrediendi, eodem anno, quo ipſe in univerſum Orientem Imperium protogaverat.	543
3458	Hiſtoria Bel, & Draconis à Daniele occiſi.	542
3475	Judæi è captivitate regreſſi, ſacrificia in Templo Domini reſtituunt.	525
	Cyrus 70. annorum ætate ſenex moritur.	
3478	Cambyſes regnat, à quo Cuthæi & Samaritani edictum, pro inhibendo Judæis Templi ædificio, extorquet.	522
	Cambyſes expeditionem in Ægyptum ſuſcipit, quod bellum quinquennale fuit. Fratrem ſuum Smerdim interficit A. M. 3480.	
3482	Cambyſes moritur.	518
3483	Septem Magi Imperium uſurpant. Artaxata ex illis unus Judæis Templi ædificationem interdicit.	517
	Septem Perſarum Optimates inita in Magos conſpiratione, illos occidunt.	
3484	Darius, filius Hyſtaſpis, alio nomine Aſſuerus, in Regem Perſarum eligitur. Uxorem habuit Athoſſam filiam Cyri.	516
3485	Aggæus prophetiæ munus exorſus, Judæos, quòd in ædificatione Templi ſegniores eſſent, reprehendit.	515
	Judæi opus Templi reſumunt.	
3486	Circa idem tempus Zacharias prophetam agere incipit.	514
	Darius lato pro Judæis edicto, ædificationi favet.	
	Hoc anno ſeptuaginta anni captivitatis, à Jeremia prædicti, clauduntur, initio facto ab A. M. 3416.	
3487	Convivium Darii, ſivè Aſſueri, in quo Regina Vaſthi repudio abjicitur.	513
3488	Eſther ad Regias nuptias ſeligitur.	512
3489	Dedicatio Templi Jeroſolymitani, curante Zorobabele conditi.	511
3495	Aman Regis favore pollere incipit.	505
3496	Exeidium Judæorum juramento ſtatuens, edictum Aſſueri ad eam rem impetrat.	504
	Eſther abrogari illud à Rege impetrat.	
3519	Aman in eamdem crucem agitur, quam Mardochæo paraverat.	481
3531	Judæi de hoſtibus ſuis Suſis, atque in toto latè Imperio Perſarum ulciſcuntur.	469
3537	Darius ſivè Aſſuerus moritur, Xerſes regnat.	463
3538	Xerſe vita functo, Artaxerſes ſuccedit.	462
	Eſdras, unà cum pluribus Sacerdotibus, & Levitis gentis ſuæ, ab Artaxerſe Jeroſolymam mittitur.	
3550	Eſdras tollendis, qui in populum irrepſerant, abuſibus operam impendens, alienigenas potiſſimùm uxores dimittendas urget.	450
	Nehemias, facta ſibi ab Artaxerſe permiſſione, Jeroſolymam, ad mœnia, & januas ædificandas, ſe confert.	
	Dedicatio mœnium Jeroſolymæ.	
3551	Plures familiæ ex agro in Urbem tranſmigrant, agente Nehemia.	
	Iſraelitæ tandem ab alienigenis oxoribus recedunt.	449
3563	Fœdus Iſraelis cum Domino, Nehemia conciliante.	
3565	Nehemias ad Artaxerſem regreditur.	437
	Poſt hæc iterùm in Judæam ſe reſtituit, ubi variis tollendis abuſibus laborat.	435
	Zacharias, & Malachias, quem aliqui cum Eſdra confundunt, ſub Nehemia prophetant.	
3580	Nehemias moritur.	
	Eliaſib Summo Sacerdoti ſub Nehemia, Iojada, ſivè Juda ſufficitur; Judam Joathan excipit; quo in Templo à Jeſu fratre ſuo ſublato, dignitas ad Jaddum, ſivè Jeddoam tranſit. Certum obitus horum Sacerdotum tempus ignoratur. Videſis Iſterculum Summorum Sacerdotum in Dictionario v. *Sacerdos*.	420 *Ante Ær. vulg.*
3654	Artaxerſes Ochus plures in Ægypto captos Judæos captivos in Hyrcaniam tranſmittit.	424
3671	Alexander Magnus in Aſiam tranſit.	346
3672	Tyrum obſidione premens, à Jaddo Summo Sacerdote eadem ſibi præſtari, quæ Judæi antea Perſis conſueverant, poſtulat. Jaddus recuſat.	329 328
	Alexander, Jeroſolymam veniens, Summum Sacerdotem obſervat; Judæis favet, eoſque ſingulis annis Sabbathicis à tributis eximit.	
3673	Samaritani erigendi Templi in monte Garizim facultatem ab Alexandro impetrant.	
	Alexander, poſt ſubactam Ægyptum, cùm per Phœniciam regrederetur, ſimilem ac Judæis à tributis ſeptimo quoque anno exemptionem Samaritanis concedit.	327
3674	Darius Condomanus Regum Perſarum ultimus moritur.	
3681	Alexander Magnus, primus Monarchiæ Græcorum in Oriente author, moritur.	326
	Judæa primùm Regibus Syriæ cedit.	319
3684	Dein Ptolemæus Lagus jure armorum ſibi illam vindicans, maximam Judæorum copiam in Ægyptum traducit.	316
3690	Antigonus, pulſo Ptolemæo Lago, eamdem Provinciam recipit.	
3692	Ptolemæus Lagus, Demetrio filio Antigoni ad Gazam devicto, iterum Judam obtinet.	310
	Poſt hæc priſtinus Judææ ſtatus ſub Regibus Syriæ redit; quibus aliquo temporis ſpatio Judæi tributa perſolvunt. Regibus tamen Ægypti ſub Ptolemæo Philadelpho parent, ſi Hiſtoriæ Verſionis Septuaginta fides, ſaltem aliqua, conſtet.	308

Verſio

A. M.		A.Chr.
3727	Verſio Septuaginta circa A. M. 3727. adornata fertur.	273
3743	Antiochus Deus, qui Syriæ Regnum inivit A. M. 3743. jus Civitatis in univerſa ditione ſua Judæis concedit; quemadmodum & Græci eidem Regi ſubjecti obtinebant.	257
	Jaddo Summo Sacerdoti vita functo A. 3682. ſuccedit Onias I., cui A. 3702. Simeon Juſtus ſubſtituitur. Ille decedens A. 3711. Oniam II. adhuc ætate imbecillem reliquit, quare Eleazar, patruus ipſius, Sacerdotalibus muneribus præſtandis ejus loco deſtinatur. Eleazar 30. annorum ſpatio Sacris præfuit; eoque Pontifice Verſio Septuaginta adornata fertur.	
3744	Poſt obitum Eleazari A. 3744. Summum Sacerdotium ad Manaſſem defertur, fratrem avi Oniæ, & germanum Jaddi.	256
3758	Ptolomæus Evergetes Syriam, & Judæam occupat.	242
3771	Manaſſe vita functo A. 3771. ad Oniam II. poſtliminii dignitas redit.	229
Anno incerto	Onias non ſoluto 20. talentorum tributo, Ægypti Regem in ſe concitat, Joſephus ejus nepos gratiam Regis iniens, omnia Cæleſyriæ, Phœniciæ, ac Samatiæ, & Judææ tributa conducit.	
3783	Ptolemæo Evergete Ægypti rege vita functo, Ptolomæum Philopator ſuccedit.	217
3785	Onias II. Summus Sacerdos moritur. Simon II. Sacerdotium init.	215
3786	Bellum Antiochi Magni in Ptolomæum Philopatorem.	214
	Victoriæ Ptolomæi in Antiochum.	
	Ptolemæus Philopator vi in Templum Jeroſolymitanum ingredi tentans, a Sacerdotibus impeditur.	
	In Ægyptum regreſſus, lato in Judæos edicto, vel avitam Religionem deſerere, vel ſub elephantum pedibus proculcatos vita cedere cogit. Deus tamen à præſentiſſimo periculo fidelem ſibi populum prodigio liberat. Vide tertium librum Machabæorum.	
3788	Ægyptiis in Philopatorem deſciſcentibus, Judæi Regem tuentur.	212
3800	Ptolomæus Philopator occumbit. Ptolomæus Epiphanes 3. vel 4. annorum puer rebus præficitur.	200
3802	Antiochus Magnus ditioni ſuæ Phœniciam, & Judæam adjicit.	198
3805	Simon II. Summus Sacerdos moritur. Onias III. ſacris præficitur.	195
3806	Scopas Dux exercitus Ptolomæi Epiphanis, captas ab Antiocho Provincias recuperat.	194
3807	Antiochus Magnus, poſt relatam de Scopa victoriam, a Judæis Jeroſolymæ excipitur.	193
Anno incerto	Arius Lacedæmoniæ Rex, datis ad Oniam III. literis, mutuo cognationis vinculo, Judæos, & Lacedæmonios adſtrictos agnoſcit.	
3811	Antiochus Magnus datæ in conjugem Ptolomæo Epiphani Regi Ægypti Cleopatræ filiæ ſuæ Cœleſyriam, Phœniciam, Judæam, & Samariam in dotem aſſignat.	188
3815	Antiochus, ſuſcepto cum Romanis bello, prælio victus, maxima Regni ſui portione exſpoliatur, Syriam tamen & Judæam ſervat.	185
3817	Fato cedens Seleucum Philopatorem ſucceſſorem relinquit.	183
	Antiochus, deinde Epiphanes dictus, alter ejus filius obſes Romæ detinebatur.	
3828	Heliodorus, à Seleuco miſſus, in Judæam venit, diripiendo Ærario Templi Jeroſolymitani. Sed ab Angelo flagris cæſus, ab incœpto deſiſtere cogitur.	172
	Onias III. Antiochiam ire compellitur, quò ſe à calumniis ſparſis purgaret.	
	Seleucus filium ſuum Demetrium Romam mittit, ut obſes teneatur pro Antiocho fratre ſuo, qui 14. annorum ſpatio ibidem manſerat.	
	Antiocho in Syriam reduce, Seleucus in inſidias Heliodori, regnum affectantis, incidens, occiditur.	
	Antiochus, vix in Provinciam veniens, tanquam numen aliquod à Syris excipitur: inde viro nomem *Epiphanes*.	
3829	Jaſon filius Simonis II. & frater Oniæ III. Pontificum ejus ætatis, ſupremam Dignitatem pecunia ab Antiocho Epiphane obtinet.	171
	Judæorum plures, avita religione deſerta, ad Græcorum ſacra tranſeunt.	
3831	Antiochus Epiphanes expeditionem in Ptolomæum Philometorem Regem Ægypti parans, ſummo honore Jeroſolymam veniens excipitur.	169
3834	Menelaus pretio à Jaſone oblato 300. argenti talenta adjiciens, ſupremam Sacerdotii dignitatem ſibi ab Epiphane comparat. Sed huic pecuniæ ſolvendæ impar, à Sacerdotio removetur, & Lyſimachus ejus frater ſubſtituitur.	166
	Menelaus in ſuas partes pertracto Andronico, qui, abſente Antiocho, Antiochiæ Præfectum agebat, Oniam III. Summum Sacerdotem occidendum procurat.	
	Lyſimachus Ærarium Templi Jeroſolymitani diripiens, in eodem Templo interficitur.	
	Eodem anno, Antiocho bellum in Ægyptum parante, prodigia quàmplura in aere ſupra Jeruſalem viſa ſunt.	
	Sparſo de obitu Antiochi in Ægypto rumore, Jaſon coram mœnibus Jeruſalem ſe ſiſtit; ſed non ſine cæde ſuorum pedem referre cogitur.	
	Antiochus audiens, Judæos ſparſum de obitu ſuo inanem rumorem non invitis auribus excepiſſe, Jeruſalem petens, urbem diripit, atque ultra 80000. virorum trucidat.	
3836	Apollonius in Judæam ab Antiocho Epiphane miſſus, mœnibus Jeroſolymæ everſis, in populum ſævit. Arcem verò in monte, ubi Civitas David conſtituta erat, juxta Templum excitat.	164
	Judas Machabæus, unà cum aliis novem in deſertum aufugit.	
3837	Lato ab Antiocho Epiphane edicto, omnes ejus ditioni ſubjecti populi ad religionem Græcorum profitendam adiguntur.	163
	Sacrificia in Templo intermittuntur; & ſimulacrum Jovis Olympici in Altari Holocauſtorum erigitur, Eleazari ſenis & ſeptem fratrum Machabæorum, unà cum matre martyrium Antiochiæ conſummatur.	
	Matthatias ſeptemque ipſius filii ad montes confugiunt, quibus & Aſſidæi junguntur.	
	Circa idem tempus Jeſus filius Sirach author Eccleſiaſtici florebat.	
3838	Matthatias moritur, cui Judas Machabæus ſuccedit. Judas prælio Apollonium vincit; deinde & Seronem Præfectum Cœleſyriæ.	162
3839	Antiochus Epiphanes exhauſto ærario, ſolvendiſque Romanorum copiis impar, in Perſidem contendit, Nicanor, & Gorgias, ſubinde & Ptolomæus filius Dorymenis, in Judæam cum exercitu ingrediuntur.	161
	Judas Machabæus in Nicanorem movens, ejus exercitum in fugam vertit. Gorgias manum conſerere non audet.	

A. M.		A.Chr.
3840	Lyſias in Judæam cum exercitu veniens, prælio victus, Antiochiam recedere cogitur.	160
	Judas Templum luſtrat, quod triennio ante Gentes violaverant.	
	Timotheus, & Bacchides, Duces copiarum Syriæ prælio à Juda vincuntur.	
	Antiochus Epiphanes in Perſide occumbit. Antiochus Eupator ejus filius novennis puer, ſub adminiſtratione Lyſiæ, regnum init.	
	Judas in hoſtes gentis ſuæ, in Idumæam, & in Transjordanas gentes bellum infert.	
3841	Timotheus iterum caſtris à Juda exuitur.	159
	Gentes Transjordanæ, atque Galilæi in Judæos conſpirantes, à Juda, ejuſque fratribus in ordinem rediguntur.	
	Lyſias in Judæam veniens, fœdus cum Juda inire, atque Antiochiam regredi cogitur.	
	Literæ Antiochi Eupatoris pro Judæis.	
	Romanorum Legati, datis ad Judæos literis, favorem ſuum pro illis apud Syriæ Reges pollicentur.	
	Illatam à civibus Joppe, & Samariæ injuriam Judas condigna ultione reparat.	
	Judas bellum in gentes Transjordanas infert. Timotheum alterum ab eo de quo ſupra, copiarum Syrarum ductorem frangit.	
	Dein in Idumæam adverſus Gorgiam movet, relataque de illo victoria, ſub Judæorum, qui in prælio ceciderant veſtibus, aurum latens invenit, quod in Fano Idolorum Jamniæ ſubripuerant; quare Sacrificia pro illis Jeroſolymæ indicit.	
	Antiochus Eupator ipſe per ſe exercitum in Judæam ducens, Bethſuram obſidet, atque poſt leves aliquas cum hoſtibus pugnas, tandem capit. Dein Jeruſalem obſidet.	
	Hoc temporis ſpatio, cùm Philippus, cui Antiochus Epiphanes Regni adminiſtrationem commiſerat, Antiochiam veniſſet, Lyſias ad ineundam cum Judæis pacem, atque iter Antiochiam quantocitiùs maturandum, Regi author fuit.	
3842	Antequam Antiochus regrederetur, Jeruſalem ingreſſus, murum illum dejecit, quem Judas, ne quid incommodi Templum ab Arce pateretur, ſtruxerat.	158
	Menelaus Summus Sacerdos moritur. Alcimus ſacris præeſt.	
	Onias IV. filius Oniæ III. ad quem jure hæreditario Summum Sacerdotium pertinebat, in Ægyptum ſecedens, ibi paulò poſt Templum Onion, ad inſtar Jeroſolymitani, excitat.	
	Demetrius filius Seleuci, obſes Romæ detentus, fuga ſeſe ſubducens, in Syriam venit, ibique ſublato priùs Eupatore nepote ſuo, & Lyſia Regni adminiſtratore, Regnum occupat.	
3843	Alcimus dignitatem Summi Sacerdotii, quam ab Eupatore acceperat, à Demetrio ratam haberi poſtulat.	157
	Alcimus in Judæam, unà cum Bacchide, rediens, Jeruſalem ingreditur.	
	Indè pulſus, ad Demetrium iterum ſe confert, à quo miſſus Nicanor in Judæam cum copiis, ut virum deduceret. Nicanor cum Juda fœdus init, quocum aliquandiù convenit.	
	Alcimus Nicanorem apud Regem de proditis ejus rebus accuſat, quarè Demetrius, datis ad Nicanorem literis, ad ſe Judam deduci imperat. Judas rem ſubodoratus, ſecedens, collecta ſuorum manu Nicanorem aggreditur: qua in pugna Nicanor 5000. virorum amiſſis vincitur.	
	Razias inclitus ſenex, ne in manus Nicanoris vivus incidat, necem ſibi infert.	
	Alterum prælium Judæ cum Nicanore, in quo Nicanore occiſo, plena victoria pro Juda ſtetit.	
	Bacchides, & Alcimus iterum in Judæam.	
	Judas, pleriſque ſuorum fuga dilapſis, manus cum hoſte conſerens, ſtrenuè pugnans in cæſorum à ſe hoſtium ſtrue ipſe tandem exanimis concidit.	
	Jonathas Machabæus in Ducem populi, & in Summum Sacerdotem eligitur.	
	Legati ad ineundum cum Romanis fœdus à Juda miſſi, in Judæam regrediuntur.	
	Bacchides Jonatham inſequitur; qui tamen poſt aliquas cum hoſte velitationes, Jordanis alveum in hoſtium conſpectu natatu transgreditur.	
3844	Alcimus moritur.	156
3846	Jonathas, & Simon Machabæi obſidione in Beth-Beſſen, ſivè Beth-agla clauduntur. Jonathas tamen ex urbe dilapſus, coacta militum manu plures hoſtium copias fundit.	154
	Simon, ejus frater, in hoſtes frequenter erumpens, res Bacchidis turbat.	
	Jonathas pacis propoſitiones proponit, quas hoſtes acceptant.	
	Jonathas in Machmas ſedem figit, ibique populo jura dicit.	
3851	Alexander Bala, filius ſpurius Antiochi Epiphanis, in Syriam ad Regnum capeſſendum venit.	149
3852	Demetrius Soter Rex Syriæ, datis ad Jonatham literis, auxiliares copias in Alexandrum poſtulat. Alexander etiam paribus ad Jonatham literis, amicitiam, atque Summi Sacerdotis dignitatem offert.	148
	Jonathas Alexandri conditiones acceptat, purpura induitur, atque Jeroſolymæ munera Summi Sacerdotis primùm exercet; ibique ſedem figit. Demetrius Soter novis literis Jonatham invitat; ſed Jonathas de ejus promiſſionibus diffidit.	
3854	Demetrius Soter moritur. Alexander Bala in Syria regnat.	146
	Onias IV. filius Oniæ III. Templum Onion in Ægypto ad inſtar Jeroſolymitani ædificat.	
	Diſſidium Judæorum & Samaritanorum Alexandriæ cauſa Templorum utriuſque gentis. Samaritani à Rege Ægypti damnantur; & Templum Jeroſolymitanum Templo Garizim præfert.	
	Ariſtobolus Judæus Peripateticus in Ægypto ſub Ptolomæo Philometore.	
3855	Demetrius Nicanor filius natu major Demetrii Soteris, in Ciliciam ad recuperandum Regnum patris ſui venit. Apollonius, cui Alexander Bala rerum adminiſtrationem commiſerat, Demetrii partibus contra Balam favet.	145
XIV. *Primum Purim*, ſive *minus feſtum fortium*. *Eſt.* 9. 21. Cùm Judæi Provinciarum ab occidendis hoſtibus ſuis die 14. Niſan ceſſaſſent, eam diem ſolemnem habuerunt. Judæi tamen Suſis degentes, totam eam diem in cæde tranſegerunt, nec niſi ſubſequente ceſſarunt eſt. Quare Mardochæus feſtum fortium die 14. & 15. inſtituit.

XV. *Majus feſtum Purim*, ſive *fortium*, ſive *ſecundum Purim*. Tres iſti dies, nempe 13. 14. 15. vulgò *dies Mardochæi* appellantur, quamquam feſtum pro obitu Nicanoris nihil habet cum Eſther, & Mardochæo commune. Exactores hemiſicli, qui à ſingulis Iſraelitis tributum Domino ſolvebatur (*Exod.* 30. 13.), die 15. Adar in urbibus exigebant, die verò 25. in Templo. *Thalmud. Tract. Schekalim.*

XVII. *Liberatio Sapientum Iſraelis*, qui nempè perſecutionem Alexandri Jannæi Regis Judæorum declinantes, in urbem *Koliick* Arabiæ confugerunt. Cùm autem à Paganis loci incolis ſibi necem imminere cognoſcerent, noctis favore dilapſi ſunt. Memoria hujus fugæ conſtituto feſto celebratur. *Megillath Taanith.*

XX. Feſtum in memoriam pluviæ, quam *Onias Hammagel* à Deo in magna ſiccitate impetravit, ſub Alexandro Jannæo. *Megill. Taanith.*

XXIII. *Dedicatio Templi Zorobabelis*. 1. *Eſdr.* 6. 16. Dies tamen ejus feſti incerta; nonnulli ad 16. Calendarium Sigonii ad 23. conſignat.

XXVIII. Feſtum in memoriam abrogati edicti, à Regibus Græcorum lati, quo & circumciſio Infantum, & obſervantia Sabbathi, & fuga à cultu extraneorum Numinum interdicebatur, *Megill & Gemar. ad Tit. Thaanith. c.* 2.

XXIX. Prima Neomenia menſis Niſan.

Cùm annus 13. menſibus Lunaribus conſtat, alter menſis Adar intercalaris ſuccedit.

NISAN, ſivè ABIB *Exod.* 13. 4.

Septimus menſis anni civilis, & primus anni Sancti.

30. *dierum, & Lunationi Martii reſpondens.*

Prima dies. N *Eomenia.*

Jejunium pro morte filiorum Aaronis. *Levit.* 10. 1. 2.

X. Jejunium pro obitu Mariæ ſororis Moyſis. *Num.* 20. 1. & in memoriam penuriæ aquarum, qua Iſraelitæ poſt ejus obitum in deſerto Cades laborarunt. *Num.* 20. 2. *&c.*

Ea die quiſque ſibi agnum, ſive hædum comparabat pro imminenti Paſchate.

XIV. Ad veſperam diei 14. Agnus Paſchalis immolabatur, azyma incipiebant, indictis inſuper feriis.

XV. *Solemnitas Paſchæ*, cum octava; prima dies azymorum; dies feriata. Azyma tantùm tota ea octava adhibebantur.

Poſt occaſum ſolis meſſes hordei collectæ ad Templum deferebantur. *Cod. Menachot.* 6. 3.

XVI. Secunda dies feſti, qua hordeum die præcedenti meſſum, tamquam primitiæ meſſis, offerebatur; dein meſſis omnibus permiſſa.

Initium Meſſis.

Ex ea die 50. dies uſque ad Pentecoſten ſupputabantur.

XXI. Octava Feſti Paſchæ Azymorum terminus. Dies eſt præ cæteris octavis ſolemniſſima, quamquam non feriata.

XXVI. Jejunium pro obitu Joſue. *Joſ.* 24. 29.

XXIX. Pluviæ veris poſtulabantur. *Genebrard.*

XXX. Prima Neomenia menſis Jiar.

Liber *Megillat* nullum peculiare feſtum menſis Niſan aſſignat.

JIAR.

J I A R.

Octavus Menſis anni civilis, & ſecundus Eccleſiaſtici.

29. dierum, & Lunationi Aprilis reſpondens.

Prima dies. N*Eomenia.*
VI. Tridui Jejunium pro erroribus tempore Paſchali commiſſis; nempè die Lunæ, Jovis, & altera recurrente die Lunæ. *Calendaria Bartoloc.*

VII. Dedicatio Jeruſalem poſt Græcorum perſecutiones ab Aſmonæis reſtitutæ. *Megill. Taanith. c.* 2.

X. Jejunium pro obitu Heli Summi Sacerdotis, & Arcæ captivitate.

XIV. *Secundum Paſcha* pro iis, qui alterum Paſcha die 14. Niſan celebrare non potuerunt.

XXIII. Feſtum pro capta a Simeone Machabæo Urbe Gaza. *Calendaria Scalig.* Vide 1. *Mach.* 13. 43. 44.
Sive pro capta & luſtrata Arce Jeruſalem à Machabæis, juxta Calendarium Sigonii ss. *Mach.* 13. 49. 53. & 14. 7. 36.

Feſtum pro pulſis ab urbe per Aſmonæos ſive Machabæos Caraitis. *Megill. Taanith.*

XXVII. *Feſtum pro expulſione Gelilæorum* ſive *Coronatorum*, qui nempè poſtes Templorum, & Domorum coronis ornabant, eodemque cultu boum, & aſinorum capita redimientes, hymnos in honorem Deorum ſuorum decantabant. Machabæi, his pulſis è ditione Juda, & Jeruſalem, in rei geſtæ memoriam Feſtum conſtituerunt. *Megill. Taanith.*

XXVIII. Jejunium pro obitu Samuelis Prophetæ. 1. *Reg.* 25. 1.

XXIX. Prima Neumenia menſis Sivan.

S I V A N.

Nonus menſis civilis, & tertius Eccleſiaſtici.

30. dierum, Lunationi Maii reſpondens.

Prima dies. N*Eomenia.*
VI. *Pentecoſtes*, quinquageſimus à Paſchate dies; cui poſt evolutas 7. à Paſchate hebdomadas recurrenti, inditum etiam nomen *Feſtum hebdomadarum*. Nulla huic Feſto aſſignata Octava legitur.

XV. XVI. Feſtum ob victorias Machabæorum in Bethſanitas 1. *Mach.* 5. 52. & 12. 40. 41. Vide *Megill. Taanith.*

XVII. Feſtum pro capta ab Aſmonæis Cæſarea, pulſiſque ab ea Gentilibus, atque Judæis conſtitutis. *Megill. Taanith.*

XXIII. Jejunium in memoriam edicti à Jeroboamo filio Nabath lati, quo ſcilicet cautum eſt, ne ſubjecti ſibi populi primitias Jeroſolymam deferrent 3. *Reg.* 1. 27.

XXV. Jejunium pro morte RR. Simeonis filii Gamalielis, Iſmaelis filii Eliſei, & Chaninæ Sacerdotis ſecundi.

Feſtum in memoriam latæ ab Alexandro Magno pro Judæis in Iſmaelitas ſententiæ. Cùm enim populi illi jus patris ſui, qui major natu fuiſſet, aſſerentes, Chanaanitidis poſſeſſionem ſibi deberi contenderent; eamque Chananæi ipſi ſibi jure poſtliminii poſcerent, ac tandem Ægyptii reddi ſibi vaſa Hebræis in egreſſu ab Ægypto commodata poſtularent, Alexander Judæis cauſam adjudicavit. Vide *Megill. Taanith.* In Gemara Babylonica *Tit. Sanhed.* tamen ejus judicii dies 24. Niſan conſignatur.

XXVII. Jejunium pro tradito igni Libro Legis à R. Chanina filio Thardionis.

XXX. Prima Neomenia menſis Thamuz.

T H A M U Z, ſive T A M M U Z.

Decimus menſis anni civilis, & quartus anni Sancti.

29. dierum, Lunationi Junii reſpondens.

Prima dies. N*Eomenia.*
XIV. Feſtum pro abrogato libro pernicioſo Saducæorum, & Butuſienorum, quo illi Oralem Legem omnem, & Traditiones evertere conati ſunt. *Megill. Taanith.*

XVII. Jejunium pro Tabulis Legis à Moyſe confractis. *Exod* 32. 19.
Eadem die Urbs Jeruſalem capta eſt; veſpertinum, & matutinum ſacrificium, premente Urbem obſidione ſub Tito, intermiſſum. Epiſtemon librum Legis dilaceravit, atque Idolum in Templo conſtituit; an ſub Nabuchodonoſore, vel ſub Antiocho Epiphane, aut ſub Romanis?

XXIX. Prima Neomenia menſis Ab.

Digitized by Google

A B.

Undecimus menſis anni civilis, & quintus Eccleſiaſtici.

30. *dierum, Lunationi Julii reſpondens.*

Prima dies. N*Eomenia.* Jejunium pro obitu Aaronis Summi Sacerdotis.

V. Memoria filiorum Jethuel è genere Juda, qui poſt captivitatem ligna in uſum Templi ſuffecerunt, *Megill Taanith.*

IX. Jejunium quinti menſis, quòd Deus ea die Moyſi declaravit, neminem ex Hebræis obmurmuratoribus in terram Promiſſionis ingreſſurum. *Num.* 14. 29. 31.

Eadem die Templum captum combuſtum fuit à Chaldæis primùm, deinde à Romanis.

XVIII. Jejunium ob extinctam Lucernam veſpertinam ſub Achaz.

XXI. *Xylophoria.* Feſtum, in quo ligna omnia Templi uſibus neceſſaria eò deferebantur. *Selden.* Vide *Joſeph. de Bello l.* 2. *c.* 17. Hoc Feſtum Scaliger ad diem 22. ſequentis menſis conſignat.

XXIV. ‡ Feſtum in memoriam abolitæ ab Aſmonæis, ſive Machabæis Legis Saducæorum, qua nempe illi diſpoſuerant, ut mares æquè ac fœminæ patria hæreditate æquo jure fruerentur. *Megill. Taanith.*

XXX. Prima Neomenia menſis Elul.

E L U L.

Decimus menſis anni civilis, & ſeptimus Eccleſiaſtici.

29. *dierum, Lunationi Auguſti reſpondens.*

Prima dies. N*Eomenia.* VII. *Dedicatio mœnium Jeruſalem per Nehemiam* 2. *Eſdr.* 12. 27. Legimus quidem 2. *Eſdr.* 6. 25. operi illi ſupremam manum impoſitam fuiſſe die 25. menſis Elul; cùm tamen plura adhuc fortè deeſſent, ideò facilè ejus dedicatio ad diem 7. Elul inſequentis anni differri potuit. *Megill. Selden.*

XVII. Jejunium pro nece exploratorum, qui de terra Promiſſionis ſiniſtra ſparſerant. *Num.* 14. 36. 37.

Feſtum pro expulſis Romanis (ſeu potius Græcis), qui Hebræis coniugia interdicere conabantur, filiaſque Iſraelis probro afficiebant. Cùm autem vitium inferre in Judith filiam unicam Matthatiæ voluiſſent, ille filiis ſuis ſtipatus fortiſſimè reſiſtens, jugum excuſſit. Manet in memoriam rei geſtæ Solemnitas.

XXI. *Xylophoria.* Feſtum, quo ligna in uſum Altaris holocauſtorum neceſſaria ad Templum comportabantur. In Calendario Scaligeriano ad 22. hujus menſis conſignatur. Vide diem 21. ſuperioris menſis.

XXII. Feſtum in memoriam repreſſæ audaciæ impiiſſimorum Iſraelitarum, in quos nece animadverſum eſt; tunc enim Judæa à Gentilibus occupabatur. Tridui ſpatium viris illis, quò ad officia redirent, conceſſum eſt; cùm autem in deterioribus perſiſterent, ideò morte omnes damnati ſunt. *Megill. Thaanith.*

XXIX. Prima Neomenia menſis Tizri.

Finis Calendarii Judaici.

Digitized by Google

Nonnulla Judæorum Numiſmata, è melioris notæ Auctoribus excerpta, & explicata.

Siclus argenteus, quatuor drachmarum Atticarum pondere .. In ea parte, qua ſcyphum exhibet, ſeù menſuram, gomor appellatam, ad illam referendam, quæ manna referta in Tabernaculo fuerat ſervata, & impoſitam ſcypho litteram Aleph, notam forte loci, ubi nummus fuit obſignatus, ſeu Monetarii Siglam, charactere Samaritano hæc legenda præfert, *ScheKel Iſrael*, *Siclus Iſraelis*. In altera parte, ubi florentis amygdali ramus eſt, Aaronicæ virgæ monumentum, *Jeruſalem Kadoſcha*, *Jeruſalem Sancta*.

II. Alter argenteus Siclus, ejuſdem ponderis, & ut alii plerique, ejuſdem typi, in hoc tamen à priori differt, quod loco litteræ Aleph hujus ſcypho imminent litteræ Schin, & Tau. Ejus epigraphen, nonnullas litteras vel ſupplendo, vel mutando explicant alii, *Siclus David*, alii, *Salomon Rex*, veluti ſeu Davide, ſeu Salomone regnante fuerit cuſus.

III. & IV. Alii argentei Sicli, in altera parte fumantem acerram, ad eam, ut videtur, repræſentandam, quam ſuper aram thymiamatum in Tabernaculo ſummus Sacerdos quotidie deponebat, & hanc epigraphen exhibentes: *Siclus Iſraelis*; in altera verò Aaronis virgam, ſeu Olivæ ramum cum hac epigraphe: *Jeruſalem Sancta*.

V. Siclus æreus, ædificii tetraſtyli proſpectum, & epigraphen, *Simeon*, in antica exhibens parte; in poſtica verò circumligatum manipulum, ex eoque emicantis ſpicæ, ſeu folii ſpeciem, ad latus erecto acumine racemum, ſeu vitis folium, & Epigraphen, *ob liberatam Jeruſalem*. Nummus iſte Simonis eſt, Judæ Machabæi fratris. Ædificium ſignat magnificum mauſoleum, quod ille in patris ſui, ſuorumque fratrum honorem in urbe Modin conſtruendum curavit. Poſticæ Epigraphe docet ab eo erectum illud monumentum, ut à Domino eorum opera vindicatæ ab hoſtibus ſuis Jeruſalem mnemoſynon eſſet.

VI. & VII. Sicli ærei ejuſdem Simonis, præferentes hinc palmam cum ſuis fructibus, & epigraphen in priori nummo, *Simeon*, in altero duæ poſtremæ litteræ deficiunt: inde vitis folium, & Epigraphen in priori numiſmate *Jeruſalem*, reliquis detritis; in altero hæ litteræ leguntur שבלח ישאל, quæ ſi compendiariæ notæ cenſeantur, hæc redderent explicatæ: *Anno ſecundo liberationis Iſrael*.

VIII. Semiſiclus, duarum drachmarum pondere, eundem ectypon, & epigraphen, ac primus ſupra relatus ſiclus, exhibens.

IX. Alter Semiſiclus, in eo ſolùm à ſuperiori diſſimilis, quod epigraphe, cujus aliquot litteræ exeſæ ſunt, ſignificat: *Semiſiclus Iſrael*.

X. Alius Semiſiclus à priori differt, quod loco Daleth ſupra ſcyphum ſcalpta eſt littera beth.

XI. Semiſiclus æreus, in cujus prima ſuperficie cuſi ſunt duo erecti cum emicanti ſpica manipuli, quos inter medium extat vitis folium, ſeù botrus: & hæc epigraphe: *Dimidium Sicli*: ſecunda vox eſt propè deleta. In altera viſitur palma cum ſuis fructibus, ad cujus latera bini modii fruge referti, ſeù binæ turres pinnatæ, & Epigraphe: *ob liberandum*: reliqua nequeunt legi. Manipulis & ſpicis Judaici ſoli fertilitas, racemo Terræ promiſſæ botri fortè deſignantur. Poſticæ palma Judææ ſymbolum eſt. Si duæ turres ſunt, quæ ad palmæ latera exiſtunt, dici poteſt hunc nummum fuiſſe cuſum in honorem Judæ Machabæi, qui duas Hieroſolymæ turres, in quibus ſe muniverant Idumæi, cepit.

XII. Tertia Sicli pars; hic eſt cenſus, quem populo indixit Nehemias, *Nehem.* 10. 32. Eumdem habet, ac Siclus, typum. E parte ſcyphi, ſupra quem adeſt ghimel tertiam partem deſignans, legitur: *Triens ſicli Iſrael*: ex altera: *Jeruſalem Sancta*.


XIII. Quarta Sicli pars, cujus meminit Iſaias 9. 8. In una parte litteram Daleth, ſcypho ſuperpoſitam exhibet cum epigraphe: *Quadrans Sicli Iſrael*.

XIV. Altera quarta Sicli pars ærea. In una parte vas habet, ſeu antiquum urceum, & palmam cum epigrapha; *ob liberatam Jeruſalem*. In altera intra coronam lauream, & supernè unionum circulo adnexam extat epigraphe, *Simeon*; at ultima ſyllaba eſt malè ſcalpta. Ut ritè explicetur iſte nummus, legenda ſunt capita 13. & 15. primi Machabæorum libri. In decimoquinto perhibetur Antiochus Demetrii filius Simoni Judæ Machabæi fratri tum ſummo Pontifici, & Judæorum Principi ſcripſiſſe, eique jus cudendi æris dediſſe: *Permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua*. Et capite XIII. verſ. 36. Demetrius ſibi miſſam auream coronam, & aureum palmæ ramum (id erat ſolvi à Judæis ſolitum tributum) refert. Demetrii animum adeò devinxit Simonis munus, ut cum Judæis pacem inierit, illiſque non ſolum coronam auream ſibi quotannis debitam, ſed etiam aliud quodcumque tributum remiſerit. Hinc Simon, qui Summus Sacerdos, Dux, & princeps Judæorum erat, hos nummos feriundos curavit, proprium

nomen

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google




NUMISMATA ROMANA.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI


Digitized by Google



NUMMI IUDAICI.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO E... NAPOLI
Digitized by Google




NUMMI IUDAICI.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google

1



NUMMI IUDAICI.

nomen coronâ circumdatum in una ſuperficie præferentes, in altera palmam, & vas, tum Sicli vulgarem typum, & ſymbolum Sacerdorii.

XV. Alia quarta pars Sicli ærea, hine exhibens vas cum epigraphe: *anno ſecundo*: inde vitis folinm, & epigraphen: *liberationis Job*.

XVI. Alia in una parte erectum inter duos racemos manipulum exhibet cum epigraphe: *anno quarto*; in altera ſcyphum, & epigraphen: *redemptionis Job*. Hi duo pariter habendi ſunt Machabæorum nummi. Vox *Jab* allegorica, qua à Deo, qni Jobum è ſuis malis eripuerar, ſe quoque ab iis, quibus ab inſectante Antiocho, aliiſque Syriæ regibus agitandi erant, ereptos docerent; videnturque, adepta nuperrimè libertate, involutè loqui, & nomine Jobi uti maluiſſe, quàm in ſuis nummis voces ſcalpere laceſſendis idoneas principibus, quorum jugum excuſſerant, quique apud finitimas gentes horum nummorum uſum inhibere potuiſſent.

XVII. Alia quarta pars Sicli argentei, hinc lyram habet cum epigraphe: *ob liberatam Jeruſalem*; inde racemum, & epigraphis primam, duaſque poſtremas nominis *Simonis* litteras, ſecunda tertiaque exeſis. Hic quoque nummus Simonis eſt, cujus argumentum in primo Machabæorum libro cap. 13. 51. deſcribitur. Ibi perhibetur Simon, capta arce Templo proximam, hoſtem expuliſſe, & in eam palmæ ramos manutenens, tympanis fidibuſque perſonantibus, fuiſſe ingreſſus. Poſticæ botrus racemos è vitibus aureis Templi portam adornantibus pendentes facilè deſignat; vel ſi mavis, racemos à Joſue, & Caleb è Terra promiſſa delatos, & in pluribus Judæorum numiſmatibus cnſos. Hinc fortè Pagani, Judæorum hiſtoriæ, ac myſteriorum ignari eos tanquam Bacchi cultores traducebant.

XVIII. Alia quarta pars Sicli argentei Simonis ejuſdem, in una parte duas columnas exhibens, & epigraphen: *ob liberatam Jeruſalem*; in altera racemum, & in ambitu tres poſtremas nominis Simonis litteras. Hæ duæ columnæ fortè indicant columnas univerſo Iſraelis jubente conventu in monte Sion erectas, in quibus præcipua fuerunt in tabulis æreis exarata beneficia, queis tum Simon, tum ejus pater ac fratres populum devinxerant. Ea ut rependerent Judæi, ſummum Nationis Pontificem, ac Principem renunciarunt Simonem, ejuſque ſucceſſores in perpetuum. *Conſenſerunt eum eſſe Ducem, & Summum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis*. 1. Mach. 14. 41.

XIX. Nummus æreus caſſidem habens in ſuperficie antica equinis crinibus more vetuſto criſtatam, & epigraphen: ΕΘΝΑΡ. 8. in poſtica racemum pampino adhærentem, & epigraphen: ΗΡΩΔΟΥ. Hic nummus eſt Herodis Aſcalonitæ, vel Herodis ejus filii, cognomento Antipæ. Opinari licet illum noluiſſe ad liniendos Judæorum animos regis titulum uſurpare, ſed tantummodò Principis Nationis, qui & magis popularis, & Judæis acceptior, ac ab ipſis, ut ſupra innuimus, jam antea Simoni tributus.

XX. Alius nummus æreus, hinc tabernaculi, ſeu tentorii ſpeciem præferens, & epigraphen, ΒΑΣΙΛΕΩϹ ΑΓΡΙΠΠΑ, inde tres arboris ramos cum ſuis foliis, ſeu tres ſpicas, inter litteras L. ϛ. Hic nummus eſt Agrippæ. Tentorium Tabernaculorum feſtum apud Judæos adeò celebre deſignat; quod etiam comprobant tres poſticæ rami cum ſuis foliis. Has tamen tres ſpicas eſſe cenſeo ad feſtum Paſchatis indicandum, quo ſpicæ, & terræ fructuum primitiæ Domino offerebantur.

XXI. Alius, galeam equinis crinibus more antiquo criſtatam habens, & litteras, Α, & Σ. in area averſa tripodis ſpeciem, ſeu implicitarum litterarum notam. Ob galeam, hic quoque nummus Agrippæ poſſet adjudicari, litteræque ſignificarent ΑΓΡΙΠΠΑ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Agrippa Auguſtus*. At ego potius Antiocho tribuendum cenſeo; & tunc averſæ partis nota tripodem potiùs, quàm aliud quidvis ſignificaret.

XXII. Nummus argenteus, quem ex illis eſſe credunt, qui Judæ in Domini noſtri pretium ſoluti fuerunt. Solis, ſeu Coloſſi Rhodii caput in una parte impreſſum, in altera roſa cum epigraphe: ΡΟΔΙΟΝ, hunc eſſe vetuſtum Rhodiorum nummum, in Romano imperio facilè obtinentem, demonſtrant. Vide Dictionarium art. Rhodium tom. 2. pag. 222.

XXIII. XXIV. XXV. Hi nummi poſt captam à Romanis Judæam ſunt conflati, ut ex eornm epigraphe licet intueri: JUDÆA CAPTA. JUDÆA DEVICTA.

Licet autem hos nummos incidendos curaverimus, an omnis ſint vera Judæorum numiſmata, cum eruditis hæremus. Eos ex optimis Auctoribus, qui de hoc argumento diſſeruerunt, excerpſimus, & veluti certiores Lectoris curioſitati facturi ſatis exhibemus. Et re vera ſi ea tantum, quæ criticæ artis leges approbant, de Judæorum monetis afferre placuiſſet, omnia propè fuiſſent omittenda. Melioris notæ Scriptores in horum numiſmatum explicatione parùm tutas conjecturas alter ab altero deſumpſerunt.

PRÆ.

PRÆFATIO
IN VERSIONEM NOMINUM
Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, & Græcorum in Sacra Scriptura occurrentium.

PRO ſingulari, quâ Fideles omnes, ipſa inſpirante Religione in Sacros Libros tenentur, obſervantia, receptaque apud ipſos conſtantique perſuaſione, nihil in illis myſterio & inſtructione vacans occurrere, ſactum eſt, ut ſollicito ſtudio ſignificationem literalem, & grammaticalem Nominum propriorum indagarent, quæ Interpretes ex ipſa originali lingua intacta in Verſionibus ſervarunt. Ex ipſo enim Jeſu Chriſti oraculo inſtruebantur, *Matth.* 5. 18. ne minimum quidem jota in S. Scriptura prætereundum, cui certa ex eventu fides deſideretur. Norant etiam plura ex iis nominibus, vel ipſo S. Spiritu dictante à Prophetis annunciata, vel ab ipſo Deo rebus impoſita fuiſſe; norant omnia in Lingua Sancta nomina, ne plantarum quidem & brutorum exceptis, certâ ſignificatione ſonare; atque rerum ipſarum, quibus imponuntur, ingenio, & dotibus congruere. Eo ſpiritu ducti Patres non rarò morales bene multas inſtitutiones promovendæ Fidelium pietati aptiſſimas, quemadmodum & argumenta Fidei & Religioni aſſerendæ congrua, ex his fontibus hauſerunt.

Quamquam autem alia planè ſit noſtræ ætatis ea in re ac Veterum indoles; ſi quis tamen intrà præſcriptos juſtæ moderationis limites ſe continens, non omnia æquè ad moralem & allegoricum ſenſum detorqueret nomina; at ſelecta quadam diſcretione uſus, nec ineptè quidem, nec fruſtra, ad Fidelium ædificationem interpretationem propriorum nominum in Scriptura occurrentium adhiberet.

Autumarunt nonnulli (a), Henoch, jam indè antè diluvium, myſteria in ſignificatione nominum Hebræorum latentia ſcripto Libro explicaſſe; quæ tamen opinio ex pravè intellecto Origenis ſenſu (b) inolevit. Origenes igitur poſt laudatum illud *Pſal.* 146. 4. *Deus ſcit numerum ſtellarum, & omnibus illis nomina vocat;* ſubdit deinde; *De quibus quidem nominibus plura in libellis, qui appellantur Henoch*. Quibus ſanè verbis non ſcriptus ab Henoch Liber nominum Hebræorum aſſeritur, ſed inſcriptus ejus viri nomine Liber apocryphus laudatur, in quo myſtica quædam aſtrorum nomina referantur. Immane quantùm hæc duo diſcrepant!

Philo, eloquentiſſimus Judæorum (c), Dictionarium quoddam opus adornavit, nominum Hebræorum V. T. adjecta ad latera Græca eorum ſignificatione atque etymologia. Huic Operi manum admovens Origenes, tum ut magis Chriſtianis Eccleſiis ſerviret, cùm etiam ut cœptum jam à viro doctiſſimo ædificium omnibus numeris abſolveretur, nomina Hebræa in N. T. occurrentia, Græcè reddita, adjecit.

Ambo hæc Scripta longè latèque per Orbem ſparſa in omnibus undique Bibliothecis ſpectabantur, cùm S. Hieronymus, duobus religioſis fratribus Lupuliano & Valeriano rogantibus, è Græco in Latinum vertendi Operis conſilium inivit. Adeò autem eorumdem nominum catalogum turbatum offendit, adeò inter ſe parum conſtantia ejuſdem Dictionarii Exemplaria, ut non de verſione tantùm, ſed veluti de novo Opere cogitare coactus, Scriptura ad eam rem evoluta, & novum veteribus ordinem, & novis ſuam ſedem tribuit: *Singula per ordinem Scripturarum Volumina percurri, & vetus ædificium nova cura inſtaurans, feciſſe me reor, quòd à Græcis quoque appetendum ſit.*

Hanc verò ille ſibi methodum ſervandam præſcribit: alphabetico ordine Nomina propria Hebræa, & Græca in ſingulis Scripturæ Libris occurrentia, recenſet, adjecta ſingulis Latina Interpretatione: quare ſuum ſingulis Libris, ab aliis diſcretum, reſpondet Dictionarium. Ità verò nominum claſſes diſponit, ut ſub A omnia redigat, quæ juxta noſtram pronunciandi rationem ab ea litera exordiantur, ſivè in Hebræo eamdem habeant in capite literam, ſive aliam. Exactiorem tamen ordinem, quem in noſtris Dictionariis ſervamus, omninò negligens, an alia aliis nomina præponantur, nihil moratur. Ita e. g. *Azia* antè *Acam*, *Aram* antè *Adad* legitur &c.

Pronunciationem quin etiam Septuaginta, ea ætate unicè obtinentem, & plerumque à noſtra Vulgata diſcrepantem, ſequitur. Tandem accidit non rarò, ut interpretationes Philonis, & Origenis, potiùs quàm ſuas, exhibeat; munere in ea re Interpretis potiùs, quàm Authoris functus. Cùm autem interpretationes illæ nec ſatis correctæ, felices, & exa-

---

(a) Vide Præfat. in Explic. nomin. Hebr. in ultima Edit. Bibl. in fol. D. de Sacy. (b) Orig. hom. 28. in Num.
(c) Vide Hiero. Prol. in lib. de Interp. nom. Hebraic.

exactæ, quin & omnes ex Hebræo deductæ etiam ſi Græca ſint nomina, depræhendantur; ideò præpoſtero ſatis argumento quidam ſuſpicati ſunt, Philonem, Origenem, & S. Hieronymum Hebraicæ linguæ ſcientia imperitiores fuiſſe; quippè qui in ea non ſemel errarint. S. Hieronymum ea in re, contra Clerici objectiones, acriter vindicare agreſſus P. Jo: Martianay, ſubjecto Libro de Nominibus Hebraicis, de quo agimus, Commentario egregiè rem conficit Quoad Philonem tamen, & Origenem (a), cauſam deſerit, exempla Huetii, & quorumdam aliorum Criticorum ſecutus, qui Philonem, Joſephum, & Origenem levi tantùm in linguæ Hebraicæ cognitione aſperſos produnt. Quacumque tamen ratione res habeat ſeſe, illud fateamur oportet, ex tantorum Virorum labore non eam hodie provenire utilitatem, quam ſperare par eſſet; cum illud certiſſimè conſtet, in iis, quæ à Philone, & Origene ſcriptis mandata ſunt, atque ad noſtram ætatem tranſmiſſa, verſioni vocum Hebræarum non rarò fidem ſuam deſiderari; ſicut etiam in Origenis collectione voces ipſæ Græcæ ex Hebræa radice inepta ſatis, & puerili interpretatione derivantur. Pronunciationem etiam Septuaginta ſibi jugiter proponunt, quæ ſanè à noſtrâ Vulgata diſcrepat; ne quid dicamus de ordine alphabetico, cujus leges malè obſervantur. Quare noſtra ætate incommodum eſſet opus, cùm verſio Latina S. Hieronymi, & Concordantiæ Latinæ ex ea deductæ obtinuerint.

Quoad opus S. Hieronymi, immaniter licèt laboraverit P. Martianay, ut priſtinæ fidei reſtitueretur, adeout interdum in una tantum vocula 15. integris diebus hæſerit (b), ac tertiò uſque libros Levitici, & Numerorum evolverit, ut certum quoddam nomen in Septuaginta ſcrutaretur; cùm tamen plerumque S. Doctor nullum ſibi alium præſtituerit ſcopum, quàm ut Philonem, & Origenem verteret, ideò in ejus opere eadem ferè, quæ illis Authoribus, obiiciuntur, eadem ordinis turbatio, tùm in verborum collocatione, tùm in methodo, ac in nominum pronunciatione, & quod caput eſt, in illo etiam Græca nomina N. T. ex Hebræo deducuntur.

Veteres Editiones Latinas Bibliorum plerumque interpretatio nominum Hebræorum ordine alphabetico digeſta terminat. Scripta tamen illa plurimùm ab Opere Hieronymiano, & ordine, & diſpoſitione, & ſenſu ipſo diſcrepant. Extant apud nos Biblia impreſſa Venetiis 1478. ſuo inſtructa ad Calcem Nominum catalogo, & interpretatione; idem legas in Bibliis per Simonem Voſtrum 1512. & in Latinis Sebaſtiani Munſteri.

Robertus Stephanus in Editione à ſe adornata in fol. 1528. catalogum nominum Hebræorum originali lingua deſcriptum dedit; adjecta ſimul explicatione, atque certis Scripturæ locis, undè nomina deducta ſunt, indicatis. Hæc omnia vero Stephanus ex Complutenſi Editione, quamquam novum ſe Opus adornaſſe jactitat, derivaſſe videtur. Plantinus eaſdem Interpretationes propriorum nominum Hebræorum, Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum, quas antea in Polyglottis ediderat, ſeorſim excuſo in 12. libello 1565. dedit; omnia verò ſe ex Complutenſi Editione 1520. deſumpſiſſe ultrò fatetur.

Veteres haſce nominum interpretationes multò auctiores vulgavit Marius de Calaſio in ſuis Concordantiis Hebraicis, Romæ 1621. impreſſis, eiſdemque interpretationibus productis radicibus. Textus originalis fidem aſſeruit; quod quidem in præcedentibus catalogis deſiderari videbatur. Exindè quicumque in idem argumentum laborandum ſibi aſſumpſerunt, omnes ex præcedentium Catalogorum fontibus ſuos deduxerunt. Nec ſanè multa ſunt, quæ illis addas, ſed planè multa, quæ demas; quot enim frivolæ, ineptæque interpretationes commodiſſimè ſubducerentur? Eo conſilio, quantùm coniicio, multò deindè contractiores catalogi editi ſunt; ut jam indè ab integro ſæculo 600. circiter Hebræa nomina exhibeat, pro 3000. quæ in veteribus Bibliis recenſebantur.

Quamquam & in his noſtræ ætatis catalogis, & melior in ſeligendis nominibus diſcretio, & exactior, atque ſolidior explicatio deſideraretur. Ubi enim locorum e.g. *Ægyptus* ſonat *anguſtiæ tribulationes; Artaxerſes, lumen, maledictio; Aſſuerus, Princeps, caput; Carmelus, cognitio circumciſionis*, ſive *agnus circumciſus; Coloſſenſes, ſupplicio affecti; Cleophas, gloria omnis; Damaſcus, ſimilitudo incendii &c.* Sed nominum ſignificationes plures cumulare viſum eſt in gratiam eorum, qui allegoriarum ſtudio delectantur; non rarò enim minus ſolida nominis interpretatio, quòd allegoriarum & ſenſuum moralium feracior ſit, avidiùs quæritur, & tenetur.

Ut autem conſilium noſtrum aperiamus; in ipſo ſtatim limine ultrò profitemur, ex hiſce, quas recenſemus explicationes, plurimas dubias, incertas, & æquivocas, atque modicæ prorſus utilitatis habendas eſſe oportere. Perſuaſum etiam tenemus, nihilo poſſe meliores afferri de nominibus benè multis in Scriptura occurrentibus; quibus fortuito caſu incerta radix & aſſignata eſt hucuſque, & nunquam certior aſſignâbitur; ut vocibus *Ægyptii*, *Perſæ*, *Aſſyrii*; ſicut & pleriſque nominibus animalium, plantarum, gemmarum, Urbium, & Vicorum.

Græcarum & Perſicarum vocum nihilò ſaniori conſilio etymologiæ in Hebræis fontibus

quæ-

(a) Vide tom. 2. Hieron. nov. edit. (b) Proleg. 1. in tom. 2. oper. S. Hieron.

quærerentur (quod tamen factum ſcimus), quàm ſi Hebræarum in Græcis & Perſis ſcrutarentur. At enim omnium quorumcunque nominum extraneorum in Scriptura occurrentium interpretationem Publicum expoſcit. Sed nunquam id ſanè fiet, niſi quis & temeritatis notam incurrere, atque incommoda illa omnia ultrò ſubire voluerit.

Propriis nominibus apud Hebræos, quemadmodum & apud alias gentes, imponendis, non unus rei eventus in cauſa erat. Caſus, arbitrium, ſuperſtitio, amor; quemadmodum pietas, religio, & ſpiritus Propheticus in eam rem omnes valuerunt. Nec deſunt deridiculo affixa nomina, aliquibus ſivè ſpiritus, ſivè corporis vitiis ſuggillandis; uti *Nabal*, inſenſatus; *Edom*, ruſus; *Laban*, albus; *Seroa*, leproſus; *Hemor*, aſinus; *Caleb*, canis; *Nabas*, anguis; *Core*, corvus; *Saphan*, cuniculus; *Aja*, vultur; *Hagab*, locuſta; *Zeb*, lupus; *Caath*, pellicanus; *Pharos*, muſcula; *Elon*, cervus; *Hazi*, porcus; *Suzi*, equus, vel hirundo; *Thacar*, taxus.

Fœminarum nomina non ratò ex animalibus deducuntur; *Sephora*, gallina; *Debora*, apes; *Rachel*, ovis; *Nobeſta*, anguis; *Holda*, muſtela; *Tabita*, caprea; *Egla*, vacca; *Sebia*, gaza. Corporis habitus, & dotes alii nomina indiderunt; uti *Thamar*, palma; *Oolibama*, tabernaculum meum excelſum; *Axa*, culta, *Ediſſa*, myrtus; *Sara* Princeps; *Jocabed*, glorioſa; *Anna*, gratioſa.

Dei nomen frequenter nominibus propriis benè multis jungitur; interdum religionis, & grati animi ex acceptis beneficiis gratia; ita Deo datus, a Deo poſtulatus, Amicus Dei, Deus auxilium meum, Deus eſt robur meus, Deus conſilium meum, Deus ſalus mea, Deus petra mea, Deus celtitudo mea, pater meus timor, gloria, & laus mea. Quandoque augendis, minuendiſve rebus adiicitur; ita ardor Dei, dos Dei, robur, ſedes, elevatio, contubernium, elevatio, conſilium Dei; quo ſane Dei epitheto eximium aliquid exprimitur.

Sequioribus Reipublicæ Hebræorum annis, & poſt Græcorum in Syria & in Ægypto Regnum, Judæorum plerique gemina ſibi nomina, aliud Hebræum, vel Syriacum, Græcum alterum adſciſcebant. Ita *Alexandra* Regina Græco huic nomini alterum adjunctum habebat Hebræum *Salome*. *Onias* appellabatur & *Menelaus*; *Levi*, etiam *Matthæus* dictus eſt; *Simon* alterum erat *S. Petri* nomen; *Saul* idem vir erat ac *Paulus*; *Silas* ac *Silvanus*, quin & aliud facilè addebat *Tertius*; *Lucas*, ac *Lucius*, ſivè *Lucanus*. Interdum Hebræa nomina græciſſabant, iiſque Græcam illam terminationem adjungebant, quæ Græcè paria ferè ac in Hebræo ſonaret. Ita *Jeſum*, quod Servatorem ſonat, reformantes reddebant *Jaſon*, quod valetudinem reſtituens ſignificat. *Jaachim*, ſivè *Jacim* ad *Alcimum*, nempè fortem, redactum eſt. *Cleophas* ad *Alpheum* &c.

Abſtracta nomina pro concretis aliquandò apud Hebræos obtinent; ex quo ſanè etymologiæ non parum obſcuræ, & a noſtris moribus abhorrentes redduntur. Ita *ſagitta elevationis* pro ſagitta elevata, ſeu in excelſum aera emiſſa; *vir gratiarum*, *miſericordiæ*, *deſiderii*, pro vir gratioſus, amabilis, miſericors; *mulier pulchritudinis*, *petra roboris*, *gladius occiſionis*, *vaſa Canticorum*, *homo perditionis*, *confuſionis*, *peccati*, *urbs iniquitatis*, *filius luminis*, *iniquitatis*, &c. Quandoque etiam futurum loco participii ponitur. Ita odio habebit, ſervabit, faciet, certabit, regnabit, pro odio habens, Servator, Creator, Certans, Rex, &c.

At enim, quid nos ſeorſim explicationes haſce, & non in dictionario dedimus? Hujus rei geminam rationem accipe. Cùm primùm Dictionario manus admota eſt, ab eo labore, quem inutilem fermè reputabamus, prorſus abſtinendum nobis propoſitum erat: Opus etiam externarum Linguarum admixtione infarcire ab re ſatis videbatur. Quòd autem conſilio deindè mutato, opus aggrederemur, fecit ampliſſimorum virorum, quos plurimùm ſuſpicimus, authoritas.

Hic autem nuda tantùm interpretatio nominum allata eſt, nihil ſivè de locorum ſitu, ſive de ſingulorum geſtis addentes; quæ ſanè provincia in Dictionario jam præoccupata eſt. Ab explicandis etiam Grammaticis vocibus, literarum nominibus, quemadmodum & à tempore, numeroque verborum, cæteriſque Grammaticis obſervationibus, ne Lectori faſtidium, nec ſanè ingentis utilitatis uſura, ingeneraretur, abſtinuimus.

Neque ſingulas quaſcumque nominis ſignificationes in medium adduxiſſe viſum eſt; ſed ſolidiores tantùm; quamquam & plus nimiò fortè relatæ ſunt. Ita *ſaal* redditur *poſcere*; nos autem ſub eo nomine reduximus *poſcens*, ac ſi pro *ſaal* legeretur *ſoel*; item *poſtulatus* ac ſi eſſet *Saul*, item *infernus*, ac ſi ſcriberetur *ſoel*. Ad *ſamer* notavimus cuſtos nempè *ſamer*; adamas *ſamir*; ligamina *ſamerim*; ſpinæ *ſemir* vel *ſemer*. Ita *ſchaar* ſonat januam, *ſaar* capilli; *ſeir* villoſus ad inſtar hirci; *ſeirim* Dæmones.

Hæc omnia ad idem nomen revocavimus, quod veterem, & genuinam vocis hujus pronunciationem ignorantes, communem tamen variis illis ſignificationibus radicem tribus literis conſtantem comperimus. Hebraicam Linguam ignorantes vix hæc in animum inducent; cæteris verò non facilè ſignificationes ad unam eamdemque vocem indiſcriminatim redactæ, minùs probentur. Sed majorem in ea re perſpicuitatem, & brevior hujus Dictionarii modus non patitur, atque inſuetas Lectorum aures congeſtæ Grammaticæ voces offenderent.

VER-

VERSIO LITERALIS NOMINUM HEBRÆORUM,
CHALDÆORUM, SYRORUM, & GRÆCORUM
IN
S. SCRIPTURA OCCURRENTIUM.

A

A, A *Domine Deus*, ah, ah, Domine Deus meus?

Aaron filius Amrami. *Exod.* 4. 14. & 1. *Par.* 6. 12. montanus, ſive montuoſus, ex har, mons. S. Hieronymus reddit, mons fortis.

Aasbai filius Machati. 2. *Reg.* 23. & 5. 24. confidens in me, ea haſa, fiducia; frater circumdans, ea ach, proximus, neceſſarius, & ex ſabab, circumdare.

Abba, Pater. *Marc.* 14. 36. vox Syriaca. Hebræus eſt ab, pater.

Abacuc. Vide *Habacuc*.

Abadon, ſive Abaddon, abyſſus. *Apoc.* 9. 11. exterminans, vel perditio. *Job.* 28. 22. *Prov.* 15. 11.

Abana fluvius in regione Damaſcena. 4. *Reg.* 5. 11. lapideus, ſive ædificium, ex aben, lapis, ſive ea bana, ædificare.

Abarim montes Moabitarum. *Num.* 33. 48. tranſitus, ſive tranſeuntes; ea aba, ſive avar, tranſire; furores, ea abara, ſive havara, furor.

Abaron cognomen Eleazari filii Mattathiæ, & fratris Judæ Machabæi. 1. *Mach.* 2. 5. tranſiens, abreptus, fureſcens, furor, ex Hebræo habar, tranſire, fureſcere. Appellatus eſt etiam filius Sauræ. 2. *Mach.* 6. 43. nempe filius lacertæ, vel ſalamandræ.

Abda pater Adoniram. 3. *Reg.* 4. 6. ſervus, ac ſervitus, ex habad, ſive avad.

Abadai, ſive Abdi pater Cis Levitæ. 2. *Par.* 29. 12. nubes, ſeu abundans ſervitus, vel meus ſervus.

Abdeel pater Selemiæ. *Jerem.* 36. 26. ſervus Dei ea ebed, & El, Deus; nubes abundantiæ Dei.

Abde-melech Eunuchus Æthiops. *Jerem.* 38. 8. ſervus Regis, ex ebed, ſervus, & Melech, Rex.

Abdenago, idem ac Azarias ſodalis Danielis. *Dan.* 1. 7. ſervus lucis, ea ebed, ſervus, & naga, lucere, clareſcere; ſervus Nago, quod Babyloniorum Numen deſignare creditur.

Abdi filius Maloch filii Azabiæ. 1. *Par.* 6. 44. Vide Abdai. Servus meus, ex ebed, ſervus, & pronomine i, meus.

Abdias Oeconomus Achabi, 3. *Reg.* 18. 3. ſervus Domini, ea Abed, & Jah, Dominus. Nomen eſt etiam Abdiæ inter duodecim minores Prophetas.

Abdiel filius Guni Gadites, 1. *Par.* 5. 15. ſervus Dei. Vide *Abdeel*.

Abdon filius Michai, ſive Michæ. 2. *Par.* 34. 20. quem alii cum Achobos, 4. *Reg.* 22. 12. confundunt. Item Urbs in Tribu Aſer. *Joſue* 21. 30. Item unus inter Judices. *Judic.* 12. 13. ſervus, ſive nubes judicii, ex abed, ſervus, ſive abda, nubus, & dun, judicium.

Abed filius Jonathan, 1. *Eſdr.* 7. 6. ſervus; vel operatius.

Abel cum litera aleph, urbs. 1. *Par.* 6. 18. luctus; vallis, ſive planities juxta Pagninum; ita Abel-Maim, vallis aquarum.

Abel per literam he, ſecundus filius Adam. *Gen.* 4. 2. vanitas, ſive afflatus, ſive vapor.

Abela urbs. 2. *Reg.* 20. 15. luctus.

Abel-Maim urbs. 2. *Par.* 16. 4. luctus aquarum, ſive vallis aquarum.

Abel-Mehula. *Judic.* 7. 13. locus, luctus infirmitatis, ſive ægritudinis, ex chala; luctus Chori, ſive Muſicorum, ſive ludentium, ea machol; ſive tympani, ſive tibiæ, ex chalil.

Abel-Satim locus ad Jordanem in deſerto. *Num.* 33. 49. idem ac Abel-Setim, vel Sittim, luctus ſpinarum; prævaricationes, ex ſata, declinare.

Abel-Boem locus. *Joſu.* 18. 18. lapis pollicis, ſive roboris; nomen etiam eſt unius ex filiis Ruben. *Joſue* 18. 17.

Abel-Ezer, lapis adjutorii, ea hazar, adjutorium, & aben, ſive eben, lapis.

Abes urbs. *Joſu.* 19. 20. ovum, ex bits; cœnoſus; ex bots; byſſus, ex buts. In Chaldæo, & Syriaco, labor laborioſus.

Abeſan Judex Iſraelis. *Judic.* 12. 8. pater ſcuti, aut patris ſcutum, ex ab, pater, & tſan, ſcutum.

Abeſſalom, ſive Abeſchalom, pater Maachæ matris Abiæ. 3. *Reg.* 15. 2. pater pacis, ſive pax patris, ex ſchalom, pax, & ab, pater; ſive complementum, ſive retributio patris.

Abgatha vox Meda, ſive Perſica, Eunuchus Aſſueri Regis Perſarum. *Eſth.* 1. 10. in Hebræo ſonare poteſt, pater torcularis, ſive torcular patris, ex gath, torcular, & ab, pater.

Abi mater Ezechiæ Regis Juda. 4. *Reg.* 18. 2. alibi *Abia* appellata. 2. *Par.* 29. 1. pater meus, ex ab, pater, & pronomine jod, meus. Abia vero ſonat: Deus eſt pater meus.

Abiah, eadem ac Abi. 2. *Par.* 29. 1. item filius Samuelis. 1. *Reg.* 8. 2. pater Domini, ſive Dominus eſt pater meus, ex Jah, Dominus. Derivari etiam poteſt ea aba, ſive ebe, voluntas; Dominus eſt voluntas mea, ſive voluntas Domini.

Abi-Albon vir. 2. *Reg.* 23. 31. dictus etiam Abiel. 1. *Par.* 11. 32. pater intelligentiſſimus, ex præpoſitione, al, ſuper, & bun intelligens; ſive pater eſt ſuper ædificium, ex banah, ædificare; ſive pater injuriæ, quæ ſignificatio ea radice Hebraica, & Syriaca derivatur.

Abiam Rex Juda, filius Roboami. 3. *Reg.* 14. 31. pater maris, ea jam, mare. Vide ſupra *Abia*.

Abi-Aſaph, ſive *Abiſaph*, filius Core. *Exod.* 6. 24. & 1. *Par.* 6. 37. ſive filius Elcanæ. 1. *Paralip.* 6. 23. pater congregans, ſeu pater meus qui adjecit, ea alaph.

Abiathar filius Sacerdotis Achimelech, ſive juxta alios, idem ipſe Achimelech. *Marc.* 2. 26. pater excellens, ſive pater illius, qui ſuperviait.

Abida filius Madian, filii Abrahami. *Gen.* 25. 4. pater ſcientiæ, ſive ſcientia patris, ex jada, ſcire.

Abidam filius Gedeonis. *Num.* 1. 11. pater judicii, ſive pater meus judex eſt, ex duo; ſive juxta Syriacum, & Hebræum: ille eſt pater meus.

Abiel filius Seror. 1. *Reg.* 9. 1. pater Ner. *Ibid.* 14. 51. dictus etiam Abi-albon. 2. *Reg.* 23. 31. Deus pater meus, ſive meus Deus pater, ex abi, meus pater, & El, Deus.

Abiezer filius Manaſſe. *Joſue* 17. 2. item vir fortiſſimus in exercitu Davidis. 2. *Reg.* 23. 27. item alius vir. *Judic.* 6. 34. pater auxilii, ſive auxilium patris, vel pater meus eſt auxilium meum, ex hazar, adjuvare.

Abi-Gabaon, vir Maachæ. 1. *Par.* 8. 29. pater collis, ex ghibba: pater ſcyphi, calicis, ea gabah; pater dorſi peccatoris, ex gab, dorſum, & havon, peccatum; pater Gabaonis, vel author Iſraelitarum, qui incoluerunt Gabaonem.

Abigail, ſive Abigal uxor Nabalis. 1. *Reg.* 25. 3. deinde Davidis. 1. *Par.* 2. 16. item filia Naas ſoror Sarviæ matris Joabi. 1. *Paral.* 2. 16. pater gaudii, ſive gaudium patris, ex gul, ſive gil, gaudere.

Abihail, ſive Abibaiel, ſive Abichail, cùm litera heth in penultima, pater Surielis Principis Moabitarum *Num.* 3. 35. item uxor Roboami filii Salomonis. *Paral.* 11. 18. pater fortitudinis, ex hail, ſive chail, fortitudo, divitiæ, munitio, eaercitus, vallum; ſive pater dolorum, ex hil, ſive Kil.

Abihail cum litera he in penultima, uxor Abiſur filii Semei. 1. *Paral.* 2. 29. pater luminis, vel laudis, ex hillul fulgere, & hill laudare.

Abilina. *Luc.* 3. 1. Provincia inter Libanum, & Antilibanum, pater manſionis, ſive murmuris, ex abela (ut creditur), luctus, gemitus.

Abimael, ſive Abimeel filius Jectan. *Gen.* 10. 25. pater a Deo miſſus, ſive meus pater a Deo venit, ex præpoſitione mem, a, & El, Deus.

Abimelech Rex Geraræ. *Gen.* 20. 3. filius Gedeonis. *Judic.* 8. 31. item filius Jerobeſeth, ſive Jerobaal. 2. *Reg.* 11. 21. pater Regis ex melech; meus pater Rex, ſumpto jod pro articulo primæ perſonæ.

Abinadab frater Davidis, & filius Iſai. 1. *Reg.* 16. 8. alter eſt item filius Saulis. 1. *Par.* 8. 33. pater ſpontaneus, ex nadab, ſive meus pater eſt Princeps.

Abinoem pater Barac Dux exercitus Judæorum. *Judic.* 4. 6. pater pulchritudinis, ſive jucunditatis, vel pater meus eſt pulcher, ex naham, pulcher, jucundus.

Abiram filius natu major Hielis, qui Jerichuntem reſtituit. 3. *Reg.* 16. 34. pater elevationis, ex ram; fraudis, ex ramah, fraudare, decipere.

Abiron, ſive juxta Hebræum, Abiram, filius Eliabi. *Num.* 16. 1. pater elevationis.

Abiſag Sunamitis puella, quæ Davidi ſub exitum vitæ ipſius oupſit. 3. *Reg.* 1. 3. ignorantia patris, ex ſchagag, meus pater apprehendit, comprehendit, attigit, ex naſchag, attingere, comprehendere.

Abiſai filius Sarviæ ſororis Abigail, frater Joabi. 1. *Reg.* 26. 6. munus patris mei, ſive pater muneris, ex ſchai: pater Sacrificii, ſive Sacrificium patris mei.

Abiſue filius Phinees, filii Eleazari, filii Aaronis. 1. *Par.* 6. 4. item filius Belæ, ſive Balæ. 1. *Par.* 8. 4. pater ſalutis ſive magnificentiæ, vel ſalus patris mei, ex ſchuah, clamans, ſive clamor, pater clamoris.

Abiſur filius Semei. 1. *Par.* 2. 29. pater muri, ſive tauri, ex ſchur, ſive ſur; vel rectum eſſe, pater rectitudinis, ſive pater meus rectus eſt, ex jaſchar.

Abital mater Saphatiæ, filii Davidis. 2. *Reg.* 3. 4 pater roris, ex tel, juxta Hebræum; ſive pater umbræ, juxta Syriacum, quod plerumque literam teth in tſade immutat.

Abitob filius Mehuſim. 1. *Par.* 8. 11. pater bonitatis, ſive pater meus bonus eſt, ex tob, bonus, eaimius.

Abiu, filius Aaronis. *Exod.* 6. 23. ille eſt pater meus, ſive pater ipſius, ex pronomine hu; pater Domini, compendioſe pro ab Jehovah.

Abiud filius Belæ, ſive Bale. 1. *Par.* 8. 3. pater laudis, ſive gloria patris mei, ex radice hod, gloria.

Abner ex Ducibus Saulis. 1. *Reg.* 14. 50. pater luminis, ſive lampas patris, aut filius patris, ex nur, ſive ner, lampas, lumen, filius.

Abobi vir. 1. *Mach.* 16. 15. pater incaotationis, vel abſconſionis.

Abra, vox Græca, famula, ſive pediſſequa. *Judith.* 8. 32. & 13. 11.

Abram filius Thare. *Gen.* 17. 5. pater elevationis, ex ram, & ab.

Abraham filius Thare. *Gen.* 17. 5. pater immenſæ multitudinis, plurium gentium, ex his Hebræis vocibus in compendium deductis: ab, rab, hamon, pater magnæ multitudinis.

Abran, ſivè Abron Urbs. *Joſue* 19. 28. ex habar, ſive havar, vel heber, tranſire, ſive tranſitus; tranſfluvialis, ſive qui raptus eſt; juxta alios, nubes cantici.

Abſalom filius Davidis ex Maacha. 2. *Reg.* 3. 3. pater pacis, ſive pax patris, ſive conſummationis, vel retributionis. V. *Abeſſalom.*

Abſolomi vir. 1. *Mach.* 13. 11. Vide *Abſalom.*

Acan filius Eſer, filii Seir Horrhæi. *Gen.* 36. 27. tumultus, ſtridor, ſive fremitus dentium, vallum, antemurale.

Acar filius Ram, filii Jeramelis natu majoris. 1. *Par.* 2. 27. ſterilis; evellens, ſive evulſus, abſciſſus.

Accain urbs. *Joſue* 15. 57. poſſeſſio ex cana, ſive micna, emptio, ſive fruitio; nidus, ex Kinen.

Accaron urbs. *Joſue* 15. 3. V. *Acar.*

Acces pater Haræ. 2. *Reg.* 23. 26. impius, corruptus, perverſus, pernicioſus.

Accho urbs. *Judic.* 1. 31. dein Ptolemais, compreſſus, clauſus, contractus, ex huc, comprimere, ſive ex haca, claudere.

Accos ex filiis Jojaſib. 1. *Par.* 24. 10. ſpina vel æſtas, ex cots, mœror, vigilia; finis, ſive extremitas, ex Kets, ſive Ketſa.

Accub filius Elioenai, filii Naariæ. 1. *Par.* 3. 23. veſtigium, talus; ſupplantator, fraudator, ex akab.

Aceldama. V. *Haceldama.*

Achab filius Amri Regis Iſraelis. 3. *Reg.* 16. 29. patruus ſive pater fratris, ex acha, frater, ſive cognatus, ex ab, pater.

Achad urbs Metropolis Nemrod. *Gen.* 10. 10. amphora, lagena, cadus, ex cad; aliter ſcintilla, ex Kidod.

Achaja regio. *Rom.* 15. 26. vox Græca, luctus, ſive triſtitia; ex quo Achaicus, viri nomen. 1. *Cor.* 16. 15. Achaja oriundus.

Achan, filius Charmi, nepos Judæ. *Joſue* 7. 1. turbans conterens, ex achar, anguis.

Achar, idem ac *Achan.* 1. *Par.* 2. 7. Vide *Achor.*

Acharis, inſuavis.

Achates, gemma,

Achaz, filius Joatham, Rex Juda. 4. *Reg.* 16. 1. capiens, poſſidens, videns; nam vox Hebræa non raro ſonat poſſidere, frui. Porrò Achaz iſte alter eſt ab illo, de quo S. Lucas 3. 9. in Genealogia.

Achazib, urbs. *Judic.* 1. 31. dicta etiam Achaziba *Joſue* 19. 29. mendax, mendacium, ex caſab, mentiri; fluens, ex zub: ceſſaos.

Achia, Achias, filius Achitob, e Tribu Levi, frater Domini, ex acha, frater, & Jah, Dominus.

Achimaas, pater Achinoam, uxoris Saulis. 1. *Reg.* 14. 50. item filius Sadoc Sacerdotis. 2. *Reg.* 15. 36. frater conſilii, vel meus frater conſiliarius, ex acha, frater, & jahas, conſiliarius; pulchritudo fratris.

Achiman, filius Enac. *Num.* 13. 23. frater præparatus, ex manah, parare; frater dexteræ, ex jamin, dextera, ſive *qui*, ex pronomine man.

Achimelech Sacerdos. 1. *Reg.* 21. 1. frater meus Rex, ſive frater Regis mei, ex acha, frater, & articulo jod, meus, & melech, Rex.

Achimoth, filius Elcanæ. 1. *Par.* 6. 25. frater mortis, ſive frater meus obiit; frater dierum, ex jom, in plurali jomoth.

Achin, ſive Achim, filius Sadoc. *Matth.* 1. 14. ego parabo, ſive firmabo, ex cim, ſive cin.

Achinoam, uxor Saulis. 1. *Reg.* 25. 43. pulchritudo; jucunditas fratris, ex naham; aliter frater motus.

Achior Dux Filiorum Ammon. *Judith.* 5. 5. frater luminis, lumen fratris mei.

Achiram, ſive Ahiram filius Benjamin. *Num.* 26. 38. elevatio fratris mei, ex ramam, elevare; fraus fratris, exrama; quod ſonat etiam projicere, ejaculari.

Achis, Rex Geth. 1. *Reg.* 21. item filius Maoch. 1 *Reg.* 27. 2. ita eſt, ex ac, ſane, & jeſch, eſt: ut quid hoc?

Achiſamech, pater Ooliabi, Danita. *Exod.* 31. 6. frater firmitatis, vel ſuſtentationis; ſive frater meus ſubſtentaculum meum, ex ſamech, ſuſtinere, & ac, frater.

Achitob, pater Achus. 1. *Reg.* 14. 30. item pater Achimelechi. 1. *Reg.* 22. 9 frater bonitatis, ſive frater meus pulcher, ſive bonus eſt, ex tob, vel tub.

Achitophel, a conſiliis Davidis. 2. *Reg.* 15. 12. pater Eliam. 2. *Reg.* 23. 34. frater ruinæ, vel inſipiditatis, aut ſtultitiæ, ex tophel, ſive taphel.

Achobor, pater Balanan, ſeptimus Rex Edom. *Gen.* 36. 38. item filius Michai, aut Michæ. 4. *Reg.* 22. 12. mus: claudens, conterens, putei, ex ekes, claudere, & bor putei.

Achor vallis. *Joſue* 15. 7. altera ab ea, cui ex Achan nomen inditum; turbatio, ex achar, turbare.

Achſa. 1. *Par.* 2. 49. *Judic.* 1. 12. alio nomine Axa, filia Calebi; ornari, ex eches, ſive ekes, catcox, pedum ornamenta.

Achſaph,

Digitized by Google

Achſaph, urbs. *Joſue* 11. 1. alio nomine Axaph. *Ibid.* 19. 29. carcer, præſtigia, ex chiſcheph: vel conterens, ex ichapba, juxta radicem Chaldæam; labia, ſive alicujus rei ora.

Achaib, vel Achziba. *Joſue* 15. 44. & 19. 29. urbs. Vide *Achazib*, & *Mich.* 1. 14. ubi redditur mendadacium, dolus.

Acron, urbs. *Joſue* 19. 43. ſterilitas. V. *Acar*, & *Accaron*.

Ada, Altera uxor Lamechi. *Gen.* 4. 20. item filia Elam, uxor Eſau. *Gen.* 36. 2. cœtus, ſive, juxta Chaldæum, tranſiens; ornatus, ex hada; præda, ex hived; vel teſtis, ex hed, teſtis.

Adad, per alpha, vir, Idumæus. 3. *Reg.* 11. 17. ſcribitur etiam per he. *Ibid. verſ.* 14. 19. &c. mors, ſive vapor, ex hed.

Adad, per he, filius Badad, quartus Rex Edom. *Gen.* 36. 36. ſonitus, clamor, clamor nautarum; mamilla, amicitia, ex dod.

Adada, urbs. *Joſue* 15. 21. Vide *Ada*; præda ſuæ prædæ, ſive æternitas teſtimonii ſui, vel teſtis cœtus, ex hád, vel hed.

Adadezer. V. *Adarezer*.

Adadremmon, urbs. *Zach.* 12. 11. clamor mali granati, ex hedad, clamores, & rimmon, malum granatum.

Adaja, vel *Adaia*, *Adajas*, filius Ethan filii Zammæ. 1. *Paral.* 6. 41. item filius Jeroboam. 1. *Paral.* 9. 12. pater Ididæ matris Joſiæ. 4. *Reg.* 22. 1. ex ada, teſtis &c. Vide *Ada*, *Adada*; & ex Jah, Dominus, teſtis Domini.

Adalia, filius Amani filii Amathæ. *Eſth.* 9. 8. hauriens, ex dala, haurire: paupertas, ex dal: nubes, vapor, mors. Cum tamen ea vox Hebræa non ſit, inepte ex Hebræo deduceretur.

Adam, primus homo, & homo utcumque. *Gen.* 2. 19. ſive mas, ſive fœmina. *Gen.* 1. 26. item urbs dicta *Adom* in Vulg. *Adam*; *Joſue* 3. 16. homo terreſtris, ruffo, ſanguineo colore, ex adam, rufus, rubicundus.

Adama, urbs. *Gen.* 10. 19. ſanguinea, terreſtris.

Adamas, gemma; ad literam, indoctus. In Hebræo *Samir*.

Adami, urbs cognomento *Neceb*. *Joſue* 19. 33. meus homo, rufus, terreſtris, humanus.

Adan. Vide *Adin*.

Adar, & *Adad*. 1. *Par.* 1. 46. octavus Rex Edom. *Gen.* 36. 39. gloria, pulchritudo, ſplendor: habitatio, ex dur, juxta etymologiam Chaldæam, & dor.

Adar-ezer, filius Rohob, Rex Soba. 2. *Reg.* 8. 3. in quibuſdam Exemplaribus *Adadezer*; decor auxilii, ex adar, decor, & ezer, auxilium.

Adarſa, locus. 1. *Mach.* 7. 40. Græcus legit *Adaſa*: reddi autem poteſt ſol, ſurdus, arans, ſi Hebræum legamus per cheres, ſol; aut per cheriſch, ſurdus, arans.

Adazer, urbs. 1. *Mach.* 7. 45. teſtis auxilii, ex ada, & ezer, auxilium. Vide *Adarſa*.

Adbeel, filius Iſmaelis. *Gen.* 25. 13. vapor, nubes Dei. Vide *Adad*, per alpha, & El, Deus: Deum contriſtans, ex adab, contriſtari, & El, Deus.

Addar, ſive *Addara*, nomen urbis, & menſis. *Joſue* 15. & 1. *Eſdr.* 6. 3. 15. item filius Balæ. 1. *Par.* 8. 2. pallium, potentia, magnitudo, ex adar.

Addi, pater Melchi. *Luc.* 3. 28. meus teſtis, ornatus, tranſitus, præda.

Addo filius Joah. 1. *Par.* 6. 21. item pater Barachiæ, patris Zachariæ. *Zach.* 1. 1. ſuus teſtis, ſuum ornamentum.

Addon. 2. *Eſdr.* 7. 61. & *Adon*. 1. *Eſdr.* 2. 59. baſis, fundamentum, Dominus, ex adon, ſive aden.

Addus, locus. 1. *Mach.* 13. 13. novitas, ex addeſch; vel, juxta aliam lectionem, codeſch, menſis; prima dies lunæ. Græcus legit *Adida*; Syriacus, Adira.

Adeodatus, Latina vox, in Hebræo *Elchanan*. 2. *Reg.* 21. 19. Dei datum, ſive donum, gratia, miſericordia Dei, ex chanan, gratia, & El, Deus.

Welthemus, Valentinus, 92.
Weltvichius, Gerardus, 126. 140.
Wendelerus, Michael 119. 134.
Weſembergius, Jonathas, 71.
Werenfels, Samuel, 54. 69.
Wernſdorf, Gotlienus, 91.
Wheloc, Abraham, 8.
Whiſton, Guilielmus, 111.
Wigand, Joannes, 105.
Wild, Joannes Henricus, 49.
Willemer, Joannes-Helvicus, 37. 43. 45. 46. 53. 62. 74. 87.
Wollot, Henricus, 112.
Wingh, Nicolaus, 17.
Winkelman, Joannes, 40. 89. 90.
Wiſembachius 83.
Wiſſnvat, Andreas, 112.
Witzlebius, Georgius, 57.
Woergerus, Franciſcus, 57.
Woglerus, Godeſridus, 52.
Wolderus, David, 3.
Wolſius, Chriſtophorus, 52. 119. Jacobus, 86.
Wolkel, Joannes, 111.
Wolaogue, Ludovicus, 118.
Wolters, Ludovicus, 54.
Wulſerus, Joannes, 115. 127. 141.

X

XImenes, Cardinalis, 2. 3. 8.

Y

YSichius. Vide Heſychius.
Yſtella, Ludovicus de, 31. 33. 41.

Z

ZAcharias, Epiſcopus, 77. 80. 76. 89. 90. 92.
Zamora, Alfonſus, 3. 6. 7. 63. 118. 120.
Zechius, Guillelmos, 91. 103.
Zegerus. 88. 92. 98. 109.
Zehner, Joachim, 53.
Zeidlerus, Melchior, 49. 143.
Zeltnerus, Guſtavus Georgius, 132. 133.
Zentgrave, Joannes Joachim, 39. 44.
Zeppeirus, Goilielmus, 126. 132. 127. 134. Philippus, 127.
Zieglerus, Philippus, 80. Jacobus, 55. 138. 139.
Ziegra, Georgius David, 35. 37. 39. 43. 102. 129. 130.
——, Coſtaotinus, 41.
Zimmerman, Matthias, 131.
Zoega, Chriſtiaous, 144.
Zoroius, Petrus, 75.
Zvinga, Didacus de, 56.
Zvinglius, Hulricus, 13. 80.
Zuniga, Didacus, 56. Vide Stunica.
Svvallart, Joannes, 138.
Zvvingerus, Theodorus, 142.

Finis Tabulæ Nominum Authorum.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE TACTICE HEBRÆORUM,
AUTHORE
D. EQUITE FOLARD.

Diſſertatio de Re militari veterum Hebræorum R.P.D. Calmet opus eſt plane admirabile, eruditione refertum non profunda tantum, ſed & inſtruente pariter Lectorem & delectante. Late ſpatiatur Author per diſciplinam militarem ejus gentis, omnis generis arma, caſtra, profectiones, obſidiones & Urbium propugnationes, omnia hæc argumenta accurate adeo & ſtudioſe verſat, ut nihil addendum ſerundis curis relinquat. Ad Tacticem vero quod attinet, ideſt ad rationem ſtruendi agmina, prælian di, & ea præſtandi, quæ a ſcientia iſta petuntur, argumentum hoc ille quidem nimis celeriter prætervolat, & nimis etiam ſiniſtram ea in re opinionem de Hebræis ſibi formavit. Id autem in cauſa fuit, cur Animadverſiones haſce noſtras in re adeo neceſſaria ſcribendas ſuſciperemus.

Vir iſte Doctus ita nobis exhibet Iſraelitas, quaſi in ratione agminis & prælii inſtruendi barbariem penitus non exuerint; ita enim ille in ſua Diſſertatione: Illud ex-
„ ploratum eſt, veteres Orientales parum diſciplinæ in
„ præliis gerendis ſervaſse. Plus erat tunc momenti in im-
„ petu, ardore, & impavida militum virtute, quam
„ in accurata diſciplina & methodo, nihil agendo niſi ad
„ diſpoſitionem & imperium Ducis. Spectata ſunt inter
„ illos grandia virtutis & roboris facinora; quibus tamen
„ ineptus vel nullus militaris ordo detrahebat. Profecto ſi Author militem profeſſus fuiſſet, ſenſiſſet utique vim phraſium Scripturæ, quas ille paulo ſuperius producit in medium, atque aliter plane de illis & cogitaſſet & ſcripſiſſet.

Hæ ſunt igitur phraſes Scripturæ familiares (*a*): *Dirigere aciem*; *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Nonne hiſce quidem vel ad oculum demonſtratur, Hebræos non barbarorum ritu præliari, ſed ordinate & ad regulas Tactices accurate? Num opponet Textum originalem 1. *Par.* 12. 38. ferentem Davidi Saulem fugitanti adjunxiſſe ſeſe viros ſtrenuos: *Omnes viri iſti belli inſtructores aciei*? Phraſibus hiſce nihil utique minus deſignatur, quam Iſraelitas incondito agmine præliatos fuiſſe; quin & demonſtratur potius viros hoſce ſtrenuos, aciei diſponendæ peritia valuiſſe. Erant apud Hebræos ſecundarii Duces agmini deducendo inſtruendoque, & quorum erat munus ea omnia præſtare, quæ portio ſunt ſcientiæ a Græcis Tactice appellatæ: Duces iſti reſpondebant noſtris *Marechaux generaux des Logis*, parebantque ipſis milites, ceu greges paſtoribus.

Hæc genuina eſt expoſitio, qua phraſium illarum, quæ cæterarum in Scriptura recurrentium: ita cum legimus 1. Regum 15. 4. Saulem recenſuiſſe populum ſuum *quaſi agnos*; dicta hæc interpreteris, Saulem milites ſuos coram ſe ſingillatim tranſeuntes luſtraſſe, vel ita coegiſſe populum, ut Paſtor gregem ad paſcua ducturus. Ita pariter cum legimus 3. Regum 20. 27. de filiis Iſrael: *Quaſi duo parvi greges caprarum* (erant); *Syri autem repleverunt terram*; hæc perinde valent, quaſi deſignarentur copiæ Iſraelitarum in duo parva agmina diviſæ ad fulciendos pediſſequos Principum Iſrael, qui pariter & ipſi coaluerant in parvum agmen, frontem exercitus tenens; quo ſcilicet ſtarent parati, ut impetum facerent in alas exercitus Syrorum, quæ tandem in fugam verſæ ſunt. Agminis hujus diſpoſitionem habes deſcriptam verbo *Samaria*. Tandem ex his omnibus, quæ hucuſque dicta ſunt, facile quis apud ſe ſtatuat, Hebræos non incondite quidem & confuſe præliatos fuiſſe; quin & belli ordinem tenuiſſe egregium, & inſtructo agmine certaſſe.

Olim ab exordio ſoli erant in exercitu Hebræorum pedites. Per omne quidem tempus robur exercitus pedites conſtituiſſe videntur, quorum erat agmen intrepidum, committebantque ſe cum equitibus, quos minus metuebant, alacriter. Quod autem fidem ſuperat, illud eſt, peditum robur nunquam declinaſſe a Moyſe adusque excidium Jeruſalem. Voluerunt tandem Reges equites agmini adjungere; ſed illorum agmen nunquam pari gradu conſtitit cum peditibus; viciſſim autem equitatus Hebræorum imbecillis erat adeo, ut nunquam niſi raro dignum aliquod militare facinus geſſerint. Romani diutius Hebræos imitati ſunt, nonniſi ex peditibus exercitus ſuos inſtruentes, quorum robur intime adeo norant, ut legem ſibi conſtituerint de pede ſemper certandi. Nemo ab ea lege exemptus, nec ſummo Imperatori equitare fas erat; cui tamen diſciplinæ in gratiam tantum Fabii Maximi derogatum eſt (*b*).
„ Norat D. Calmet, *Davidem tam parum curaſſe equos*
„ *& currus militares, ut quos e Syriis ceperat, equos om-*
„ *nes ſubnervarit; currus vero igne diſperdiderit.*

Hebræorum exercitus e duodecim tribubus conſtabant: ſingulæ Tribus in plura agmina diſtinguebantur, agminibus e mille conſtitutis. Porro mille illi diſtribuebantur in cohortes vel centurias; hæ in duas quinquagenas militum; ac tandem quinquagenæ illæ adhuc colligebantur ex manipulis decem militum, & decem ex trium, ut duo milites tertio alteri parerent. Variis hiſce agminibus & cohortibus ſui erant Principes: Tribuni toti præerant agmini, Centuriones centuriis, Decuriones Decuriis, ac tandem Trieres illi vel *Schaliſchim* (*c*), duobus militibus ſibi ſubmiſſis imperabant. Tota hæc Præfectorum politia diſerte exprimitur in Libris Moſaicis & Machabæorum; quin & præter ſupremum Ducem alii etiam conſtituti videntur Duces generales, ſupremo illi ſubmiſſi.

Scribæ exercitus, quos appellata Scriptura, non cenſum tantum copiarum tenebant, uti Inſpectores noſtri, vel Legati bellici, ſed id muneris etiam habebant impoſitum, ut militarem diſciplinam tuerentur, ac milites exercerent. Reges per ſe gerebant bellum, raro per miſſos loco ſui Duces; plerumque ipſi per ſe imperabant copiis, decertabantque inter pedites, ſaltem prima illa Reipublicæ ætate. Contrarium tamen exemplum ſub Davide ſuppetit. Abſalom prælio fractus mulo inequitans declinavit periculum (*d*).

Antequam ad Tacticem Hebræorum gradum faciamus, animadverſiones quædam præmittendæ ſunt in arma, quibus vel injuria infertur, vel propulſatur, quamvis D. Calmet exacte adeo ea de re diſſeruit, ut argumentum exhauſiſſe videatur. Armis iiſdem fere utebantur Iſraelitæ, quibus poſtea Romani; haſtas noſſe primum non videntur quamvis obtinebant apud Ægyptios, cujus rei vadem exhibeo prælium Cræſum inter & Cyrum, in quo ſex mille auxiliarios Ægyptiorum Cræſo ſeſe adjungentes, haſtatos exhibet Xenophon. *l. 6. Geſtabant grandes clypeos cum haſtis & gladiolis.*

Mirari ſubit Moyſem, & Joſue genus id armorum recuſaſſe; vel ſaltem ne verbum quidem de illis fieri in Scriptura. Sed nec invaluiſſe apud Aſiaticos videntur. In exercitu Cræſi ſoli erant haſtati auxiliares Ægyptii; inter copias Cyri nulli. Quæ conjectura in eam me perſuaſionem inducit, Moyſem inermem ex Ægypto migraſſe; armaſſe ſe vero ex ſpoliis populorum poſt Erythræi tranſitum devictorum; parum enim ad intentum ferviſſent arma militum Pharaonis, quæ a voracibus fluctibus omnia abſorta ſunt.

„ Sub

(a) *Gen.* 14. 8. *Judic.* 20. 22. & 1. *Reg.* 4. 2. & 17. al. (b) *Plutarch. in Fab.*
(c) *Exod.* 14. 7. *Hebr.* (d) 2. *Reg.* 18. 9.

„ ſub Judicibus, ait D. Calmet, & magis etiam ſub „ Regibus, Hebræi non alia tractantes arma, quam quæ „ finitimæ gentes, exhibentur. Norant gladios, ſpicu- „ la, lanceas, miſſilia, arcus, ſagittas, inſidias. Arma ad defenſionem erant galea, lorica, clypeus, ocreæ, quæ deinde, uti jam innuimus, a Romanis adoptata ſint. Galea plerumque utebantur ænea, ut gentes pleræque. Loricarum varia erant genera, quæ habes deducta apud Commentariorum Scriptorem doctiſſimum. Illud conſtat his protexiſſe ſeſe gentes, qua late patet per Orbem fere omnes, Ægyptios, Perſas, Græcos, Romanos. Veritatem hanc teſtimonio ſuo quoad Orientales aſſerit Herodotus l. 7. qui locus eſt curioſiſſimus. Deſcribit late Author utriuſque generis arma, tam quibus infertur, quam quibus propulſatur injuria, quibus armis utebantur innumeræ illæ gentes, Xerſis exercitum componentes. Congruit per omnia Hiſtoricus iis, quæ de armis Hebræorum narrat Scriptura. Quod autem ex ea intelligimus illud eſt, eadem plane fuiſſe Hebræorum arma ac Perſarum; ſed nulla facta eſt mentio de baltis apud omnes illas gentes, quod fidem plane ſuperat. Fieri enim non potuiſſet, quin Græci per ea tempora haſtati decertantes plurimum ſibi ex iis commodi reportaſſent in prælio ad Plateam de Perſis, qui opponere pugnantibus non poterant niſi miſſilia, vel arma reliqua minus prolixa, quam haſtæ, arma cominus æque & eminus timenda. Præterquam quod varietas armorum, qua brevium, qua prolixarum, magni adeo momenti ad ſpem victoriæ, in exercitu Xerxis deſiderabatur.

Græcorum armaturæ graviores erant haſta, clypeus, galea, lorica. Haſtarum menſura referebat 16. cubitos, ſed certa cubiti hujus prolixitas ignoratur. Porro id genus armorum ut commodum eſſet, tractatu facile, excedere non poterat 18. pedes, ducto ſaltem argumento e robore hominum & armorum cognitione. Ad hæc, incertum eſt num eſſent in primo & ſecundo ordine, vel in alterutro longiores. Clypeus Phalangiſtarum, ſi magnus, fuiſſet incommodus, quidquid ſcribat Xenophon de clypeis haſtariorum Ægypti in prælio Tymbrariæ.

Totum armorum diſcrimen inter Græcos & Hebræos gravioris armaturæ illud eſt, quod poſteriores illi uti familiarius haſtis non ſolerent; id vero non auſus fuerim affirmare de lancea, quæ ſæpe adeo occurrit in Verſionibus Scripturæ. Scire vehementer optaverim, num vox Hebræa, quæ ita redditur, *lanceam* re ipſa deſignet, quod ægre admodum mihi perſuaſerim.

Inter arma, quibus utebantur ad propugnaculum, clypeus commodiſſimus omnium erat & expeditiſſimus Non ſine veri ſpecie reputaremus, indecorum fuiſſe Iſraelitæ, uti Græco erat & Romano, clypeum ſuum abjicere in certamine. Scribit D. Calmet Hebræos quatuor variis nominibus armorum genus hoc deſignare; cum autem ſingulæ illæ voces diverſum aliquid exprimant, recta inde inferendum eſt, varia fuiſſe clypeorum genera, vel in materia ſaltem, vel in figura. Diſcrimen tamen illud quid eſſet potiſſimum, vel non docet Scriptura, vel ex vi vocum originalium non aſſequimur; quamquam id parum admodum refert. Illud conſtat, clypeum ſeu ligneum fuiſſe, ſeu vimineum corio tectum. Iſaias ad populos Babylonem everſuros cap. 21. 5. *Surgite*, ait, *Principes arripite clypeum*. Hebr. *Principes ungite clypeum*. Quod primo ſenſu accipi non poteſt, niſi de clypeis corio tectis, quæ ungebantur ad nitorem, & ne plus nimio inareſcerent. De clypeis æneis, aureis, & alterius metalli Hiſtoria Sacra non ſilet: *Clypeus æneus tegebat humeros* Goliath (*a*). Reputandum eſt tamen æs illud deductum fuiſſe in laminas ligneum clypeum veſtientes; quæ noſtra eſt etiam perſuaſio de clypeis illis, quos Salomon aureis laminis ditavit & in Templo conſtituit (*b*), quibus a Seſac Ægypti Rege captis, in eorum loco Roboamus Rex æneos ſubſtituit (*c*); ideſt utique ligneos, ſed æreis laminis tectos. Ex quo judicium formandum eſt de clypeo illo Goliath, reputandumque, non e ſolido ære conſtitiſſe, ſed æreis tantum laminis obductum æs prætuliſſe; alioqui etenim aptum immani coloſſo æneum ſcutum ambigerem utique, num ipſe quidem Gigas, ne dicam ejus armiger, ſubſtentare valuiſſet.

Miſſilibus armis tractandis Hebræi maxime excellebant. In funditoribus & ſagittariis mira dexteritas erat & robur exercitus. Eadem illis pugnandi ratio ac Græcis & Romanis, ideſt eminus; nec ad manus veniebant cum hoſtibus, quare velitationes illorum potius diceres quam pugnas de re tota decidentes: magno tamen ad totam rem erant momento, tunc maxime, cum inter agmina diſpoſiti certabant. Hanc methodum non admiſerunt Romani niſi circa medium ſecundi belli Punici in Capuæ obſidione, quanquam didiciſſe illam potuerunt jam inde a tempore Punici prioris, & uſus fuit Annibal in prælio ad Trebias. Etenim Carthaginenſes rationem præliandi eandem ſemper retinuerunt ac Phœnices & Hebræi, qua in acie diſponenda, qua in armis quibus certabant.

Arcus, ſagittæ, pharetræ, fundæ, familiares erant velitibus, & in Scriptura nunquam non patent. Aſiatici ſagittariis abundabant, Hebræi magis fundibulariis, quorum tanta erat exiſtimatio & peritia, ut in obſidione Gabaa (*d*) Urbem defenderent inter cæteros ex illis 700. *Erant viri fortiſſimi, ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur*. Quod autem maxime in iis mirandum erat, illud eſt, quod hiſce verbis Scripturæ innuitur, ambidextros nempe fuiſſe, ut alterutra manu fundam ad certum ictum rotarent. Scitum eſt inter omnes quantæ fuit peritiæ & dexteritatis David, qui uno fundæ ictu gigantem Goliath dejecit (*e*). Tandem nihil erat utique admirabilius, quam dexteritatis hujus agminis velitaris; in velitationibus, obſidionibus, præliis mira ſemper & ſtupenda gerebat. Fuſius hæc de re D. Calmet, ad quem ego Lectores remitto.

En brevius deſcripta arma Hebræorum ac proximarum gentium, quibuſcum bellum ſemper detinuerunt. Alia quidem notant, ſed illa nihil habent affinitatis cum iis, de quibus agendum ſuſcepimus. Hujus generis erant militares currus, qui melius inter machinas bellicas, quam inter arma referuntur.

Porro curruum hujuſmodi origo ignoratur. Omnium, quotquot novérimus, vetuſtiſſimi ſunt quos duxit Pharao in Iſraelitas, qui ex Ægypto pedem retulerant; illos vero omnes recurrentes maris fluctus abſorbuerunt. Soli ferme iis utebantur Aſiatici; deerant Græcis Romaniſque, id genus machinæ temnentibus. Doctus Commentariorum Scriptor tradit currus ferreos vel falcatos inſtrumentum belli eſſe omnium, quotquot noverit antiquitas, terribiliſſimum. Fateor ego quidem terribiles fuiſſe machinas illas ſaltem aſpectu, ſed illis effectus non ita magnus reſpondebat. Curruum illorum genera erant duo; alii quidem unicum vehebant militem, & aurigam, cedebantque interdum in uſum Principum & ſupremorum Ducum; alii vero armabantur falcibus ad extremum utrumque axem, vel ad radios rotarum.

Scite illos depingit Diodorus Siculus l. 17. Jugum, ait ille, utriuſque equi vehentis currum efficiebatur duplici cuſpide tribus cubitis porrecto, qui contra faciem hoſtium urgebatur. Axi inſerti erant duo alii cuſpides, ad eandem partem obverſi, ſed longiores, & ad extremum deſinentes in falces. Porro curruum bellicorum plures erant figuræ, & Steuvechius in ſuis Notis ad Vegetium æri inſcidendos curavit omnes, quotquot norat. Quos diſpoſuerat Cyrus in fronte exercitus ſui in prælio Tymbrariæ ita armabantur, ac deſcripti a Diodoro; qui vero tegebant extremum lineæ exhibebant turres vel munimenta quædam inambulantia, quæ 16. boum juga trahebant.

Falcati currus conſtitui ſolebant maxime ante frontem peditum in lineam rectam, paralellam interdum equitibus. Ex his alii quatuor, alii duplici rota inſtruebantur, urgebantur in hoſtes, nec unquam ſuo effectu turbandi agmen deſtituebantur, cum ad terga linea armatorum ſuccederet. Duplex erat diſcrimini huic tollendo effugium; 1. ſi tranſitus illis aperiretur per medium agmen; alterum; ſi equi, antequam ulterius proceſſiſſent, interficerentur; tunc enim pro eo quod auxilio eſſent in hoſtea, iis, a quibus urgebantur, nocebant plurimum tum impedimento ſuo, cum etiam quod lineæ connexum ordinem rumpebant, & impetum retardabant.

Cha-

(a) 1. *Reg.* 17. 6
(b) 3. *Reg.* 10. 16. 17.
(c) 3. *Reg.* 14. 26. 26.
(d) *Judic.* 20. 16.
(e) 1. *Reg.* 17. 49.

Chananæi, quibuſcum Joſue ad aquas Meron manus conſeruit, trahebant in exercitu: *Equos & currus immenſa multitudinis* (*a*). Tribus Juda Urbes quaſdam Chananæorum in agro conſtitutas ſubmittere non valuit: *Quia falcatis curribus abundabant* (*b*). Exercitus Jabin validus erat 900. falcatis curribus (*c*). Fidem autem ſuperat incredibilis curruum Philiſtæorum numerus Saulis ætate; namque ad 30000. ſupputantur (*d*). Dabitur mihi utique ſuſpicanti de corruptione Textus permiſſio; Philiſtæi enim modicus erant populus, non intra ſpatioſum terræ tractum definiti; quomodo igitur ſoli ſufficere valuiſſent tot numero currus, quot ne tota quidem Aſia dediſſet? ut enim ſingulis curribus duo tantum homines & equorum biga aſſignetur, adhuc tamen utrique ad 60000. aſcendiſſent. Philiſtæos igitur tanto robore valuiſſe quis credat?

Quantum ea Scriptura conjicimus, nulla armamentaria vel loca ad armorum proviſionem deſtinata fuerunt Iſraelitis ante Regnum Saulis vel etiam Davidis. Hebræi omnes tunc milites erant, ſtrenui, bellicoſi, & ad expeditiones parati. Cum igitur bellum aliquod decretum eſſet, ſingulæ Urbes & oppida certum militum numerum contribuebant, militeſque illi ad defendendas gentis totius res prompti dimittebant omnia, domos, agros, uxores, liberos. Sufficiebat quiſque ſibi arma & commeatus; qua facili ratione inſtructiſſimi quique exercitus dicto citius coaleſcebant, inſtruebanturque e viris manu & animo ſtrenuis, qui cum ſemper ante oculos haberent prodigia, quibus Deus ipſis antea & nunc etiam militabat, ſpe vincendi maxime animabantur, quibus augebat impetum data illa a natura ſimultas in Religionis & fidei ſuæ adverſarios. Cæterum inſediſſe hæc alte mentibus opus erat, cum, juxta doctiſſimum Authorem, nullas haberent mercedes propoſitas, niſi ſpolia, ſi quæ cepiſſent ex hoſtibus; exceptis tamen ſingularibus nonnullis eventibus, uti enim Saul ſpopondit illi, qui Goliath pugnando deviciſſet (*e*), divitias immenſas, connubium cum filia ſua, tum & pro domo patris ipſius a tributis exemptionem: male tamen ille fidem exolvit ſuam erga Davidem, qui inſignem victoriam de Gigante reportavit.

„ Diſciplina hæc, proſequitur ille, non ſub Moyſe „ tantum, Joſue, & Judicibus invaluit; ſed perſeve„ ravit etiam poſt captivitatem ſub Machabæis uſque „ ad Simonem Principem & Sacerdotem gentis ſuæ, „ qui milites conduxit ſtipendiarios tenuitque ſub ſignis (*f*). Equidem David diu ante milites habuit ſub ſignis ſtantes; ſed eorum numerus pene incredibilis eſt; recenſentur enim 280000. virorum, & præter hos Cerethim & Phelethim, qui pariter erant milites ſtantes ſub ſignis. Singulis menſibus, ait 1. *Par.* 27. cuſtodes Regi aderant 24000. virorum. Qui illi ſucceſſit Salomon & cuſtodes illos omnes retinuit, & præter hæc *habebat quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium* (*g*); & 3. Reg. 10. 26. legimus: *Facti ſunt ei mille quadringenti currus* (bellici) *& duodecim millia equitum*. Militares iſti currus ad 12000. recenſentur in 2. Par. 9. 25. Ut vera fateamur, numerum iſtum vix animus conciperet, & diſcrepantia hæc in ſacris Scriptoribus ſatis demonſtrat, mendum aliquod in numeros irrepſiſse.

En Textus alius ex 1. Reg. 13. 22. magis etiam incredibilis: *Cum veniſſet dies prælii* (Iſraelitarum cum Philiſtæis) *non eſt inventus enſis & lancea in manu totius populi, excepto Saul, & Jonatha filio ejus*. An fieri poterat, ut tempus aliquod ſuppeteret, quo tanta eſset armorum raritas in populo ſtrenuo, intrepido, & plane bellicoſo? Facile ego quidem intelligo, privatos quoſque Judæos juſsos fuiſse providere ſibi de armis & commeatibus; nihil in hac re non conſonum rationi & hiſtoriæ: cæteroqui autem expeditiones erant breves & plerumque cum finitimis agebantur, quare nec ſumptus exigebant immenſos. Quod vero Iſraelitæ omnes carerent armis die ipſa prælii, hoc ego quidem vix in animum induco; neque enim apud Scriptores Sacros ſubodorari licet Philiſthæos adeouſque invaluiſse ſuper Iſraelitas, ut totam gentem armis expoliarent: quin potius legimus paulo ante illud tempus, quo Iſraelitæ lancea & gladio caruerunt; legimus, inquam: *Fuerunt filiorum Iſrael trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia* (*h*). *Et cum dies craſtinus veniſſet, ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina, & percuſſit Ammon uſque dum incaleſceret dies*. Poſterius autem ad hæc Saul expulit Philiſthæos e Machmas, & Jonathas cum *mille vicit propugnatores in Gabaa* (*i*). Conſtat utique grandia hæc facinora & alia plura abſque armorum ope fieri non potuiſse. Geſta ſunt autem intra biennium, id eſt ab inauguratione Saulis uſque ad bellum Philiſthæorum, ante quorum conſpectum, notat Scriptura, Hebræos terrore correptos abſcondiſſe ſeſe in cavernis timentes qua robur hoſtium, qua nuditatem ſuam, quippe qui armis carebant omnes, Saule & Jonatha exceptis. Quid igitur factum fuerat de armis, quibuſcum Iſraelitæ grandes illas expeditiones, ſupra memoratas, confecerant? An illa ſubito evanuerunt? At enim, docet 1. Reg. 13. 19. 20. *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſrael; caverant enim Philiſthiim ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim ut exacueret unuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim & ſarculum*.

Aperta ſunt iſta quidem, fateor, ſed perſeveraſſe non videntur poſt fracta cornua Philiſthæorum a Saule in Regni ſui exordio. Cæterum in Scriptura nihil eſt repugnans. Vindicat illa Sauli poſt menſem ab inauguratione ſua exercitum 300000. probe inſtructum armis, qui victores ſuos ad id uſque, Ammonitas, trucidarunt. Arma hæc omnia nullo utique rapiente reſtabant; quare nihil eſt cur tanta armorum raritas, quanta nobis oggeritur, induceretur. Reputaverim ego quidem, nihil aliud inſinuaſſe Scripturam, quam non adeo probe armis inſtructos fuiſſe, quantum opus eſſet.

Ultro conceſſerim doctiſſimo Authori, cautionem illam Philiſtinorum, adimendi ſcilicet arma Hebræis, curandique ne quis unquam faber ferrarius eſſet in regione, extraordinariam non fuiſſe. Non utique; dummodo nomine fabri ferrarii accipiamus Artifices, qui arma tantum cudebant: quod autem hoc nomine deſignatos credamus fabros ferrarios expedientes inſtrumenta colonica & ad res vitæ neceſſarias, hoc eſt utique vim inferre ſenſui Scripturæ, & producere exemplum ſervitutis a ſæculo inauditæ; ſervitutis, quæ concitat ad defectionem, adeoque commodis victorum noxiæ. Opus enim erat ut victi viverent colerentque agros, quo ſolvendis tributis pares eſſent (*k*). Spes omnis Iſraelitarum, ut ſubſiſterent, ſolverentque tributa, ex agrorum cultura petebatur; quomodo autem agros colerent ſine inſtrumentis neceſſariis? Reponet quis forte, Philiſthæos id in ſe ſuſcepiſſe, ut venderent ſarcirentque eadem inſtrumenta Iſraelitis. Petuntur hæc quidem ex Scriptura, ſed Philiſthiim non erant ubique; vixque perſuaderemur, coegiſſe Iſraelitas illos, qui plurium dierum itinere ab eorum urbibus diſtabant, ad ſe venire, ut ſarcirent, vel compararent ſibi colonica inſtrumenta. Minus eſt etiam veroſimile Iſraelitas ſtupidos fuiſse adeo, ut ne acuere quidem falces, vel ſarcire inſtrumenta bellica noſſent. Nihil ultra hac de re addam, metu ne ſim prolixus. Adeas Commentarium D. Calmet in 1. Reg. 13. Modo de ordine inſtruendi agmen prælandique agendum eſt.

Vetuſtiſſima, ſimpliciſſima & omnium perfectiſſima ratio agminis inſtruendi præliandique ea erat, ut copiæ ordinarentur in phalangem. Quidquid ſcribant Authores, de ejus origine, nihil certi traditur; perinde latet ac alia multa, quæ per ſe menti ſuccurrunt, quæque ab in-

(a) *Joſu.* 11. 4. (b) *Judic.* 1. 19. (c) *Ibid.* 4. 3.
(d) 1. *Reg.* 13. 15. (e) 1. *Reg.* 17. 25. (f) 1. *Machab.* 14. 32.
(g) 2. *Reg.* 4. 26. (h) 1. *Reg.* 11. 8. .... 11.
(i) *Ibid.* 13. 2. 3. (k) Caute lege; nam Verſiones omnes conveniunt privatos fuiſſe Iſraelitas fabris omnibus ferrariis, ut vel inſtrumenta colonica providere ſibi e vicinis Philiſthæis cogerentur. Certum autem teſtimonium hoc a coævo Scriptore latum plus valet ad perſuadendum etiam authoritate Divina præciſa, quam conjecturæ D. Equitis Folard id probantes Philiſthæos ſervitutem hanc imponendo & rebus ſuis minus provide conſuluiſſe, & cum hoſtibus egiſſe imprudenter, nam a barbaris conſentanea, & æquiora quis exigat?

ab ingenio & ratione optima ſuadente proveniunt. Ejus inventæ honorem vindicat T. Livius Macedonibus, quibus ea diſciplina erat peculiaris; appellat autem agmen quadratum, ſed melius dixiſſet agmen quadrato oblongum, & longiſſime ſeſe porrigens, uti agmina apud nos cum inſtruuntur in prælium. Sed Authoritas T. Livii perinde eſt ac nihil; nec magis fidendum Veterum & Recentiorum teſtimoniis, in iis quæ ad epocham cœptæ phalangis pertinent; id enim aſſerendum eſt nobis diſciplinam hanc diu ante Græcos & Macedonas obtinuiſſe.

Quamquam autem non admittimus phalangis originem gentibus illis vindicari oportere; fatemur tamen Macedonas perfeciſſe plurimum ordinem illum & maxime ſub Philippo patre Alexandri. Si quis tamen hiſtoriam propius inſpiciat, ſtatim intelliget, hanc perfectionem eo tantum ſpectaſſe, ut accuratior diſciplina exigeretur; & major ordo conſtitueretur inter copias, ac major tandem eſſet militum & armorum cura.

Erat phalanx agmen peditum gravioris armaturæ, in unicam lineam inſtructum, ac ſpiſſum maxime. Græci in ordines dirigebant ſex, interdum contenti erant minoribus, juxta ac res exigeret: in arctis enim regionibus phalangem duplicabant, certabantque tunc confertis adeo ordinibus, ut milites juncti inter ſe & vinculo quodam alligati viderentur. De numero militum in phalangem inſtruendorum variant ſententiæ: Sunt qui 6000. recenſeant; alii minus; reipſa tamen in numero militum nihil certi conſtituendum erat. Illud conſtat, Græcos phalangem appellaſſe agmina omnia *Oplitarum* vel gravioris armaturæ quæ 3000. vel 4000. non excedebant. Ita Arrianus pedites Alexandri Magni diſtribuit in 8. phalanges, e 4000. ſingulas, ut totus exercitus 32000. conficeret. Thucydidi & Polybio eſt phalanx corpus 4000. militum. Igitur nonniſi per errorem agmen ſex millium reputaretur: erat autem phalanx plus vel minus valida juxta potentiam Principum vel gentium.

Nomen *phalangis* nec Aſiatici nec veteres Hebræi norant; copias tamen ita inſtruebant quomodo & Græci, ideſt in phalangem, quæ tota conſtabat e pluribus minoribus agminibus, interdum magis, interdum minus validis. Jam ſupra indicavimus agmina illa diſtributa fuiſſe in cohortes e centum, & e quinquaginta, quæ pariter dividebantur in manipulos & ſemimanipulos &c. his autem omnibus ſui erant Duces conſtituti.

Igitur Diſciplina militaris veterum Hebræorum & Tactices una erat eademque ac cæterarum per Aſiam gentium; nec aliam tenuiſſe videntur Ægyptii, ſaltem in ratione inſtruendi copias & præliandi majoribus agminibus & maxime ſpiſſis. Exercitus Cyri in prælio Tymbraiæ hanc diſciplinam ſequebatur; & Ægyptii; qui præliabantur in fronte quadrata agmina formabant, plena, e decem millibus ſingula. Cum Libri Moyſis & Joſue circumſtantias præliorum non perſequantur, de Tactice ejus ætatis, quod ſciamus, nihil eſt; cœpit tamen ſub Judicibus explicari.

Levioris armaturæ milites Hebræorum primum conſtitui ſolebant maxime in fronte peditum; & cum manus utrinque eſſent conferendæ, velites iſti tranſibant inter ordines vel minora intervalla, conſtituta inter varia agmina, quæ a Tribubus formabantur, conſiſtebantque retro poſt illa, vel antea ad eorum frontem: jaciebant autem veluti grandinem ſagittarum & lapidum in hoſtes. In hoc argumentum mira quædam occurrunt in Scriptura. 1. Par. 12. v. 2. legimus: *Venerunt ad David viri fortiſſimi & egregii propugnatores, tendentes arcum, & utraque manu fundis ſaxa jacientes, & dirigentes ſagittas utraque manu.* Et ỽ. 8. *Fugerunt ad David viri robuſtiſſimi, pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtas; facies eorum quaſi facies leonis; & veloces quaſi capreæ in montibus.* Laudabant Veteres, ait D. Calmet, trucem aſpectum & vultum terribilem in milite, atque axiomate certum tenebant illud Taciti de Morib. Germanor. *Primi in omnibus præliis oculi vincuntur.* Pernicitas etiam ad curſum alia erat dos militum laudatiſſima.

Ad graviorem armaturam quod attinet tempora diſtinguenda ſunt; nam alia erat ſub Regibus, alia ſub Moyſe & Joſue. Nihil certi definiri poteſt, an ſub Moyſe & Joſue ſingulæ Tribus in plura agmina diſtributæ eſſent, & agmina in cohortes & manipulos diſtinguerentur; vel omnes unicum penitus corpus formarent. Si qua fides Rabbinis, conſtituebant Duces ſupremi retro poſt ordines alios inferiores Duces falcibus & aſciis armatos, ut omnes trucidarent qui fugam molirentur. Sed hæc ambigua ſunt maxime. Illud conſtat, Iſraelitas tunc inſtruxiſſe ſeſe in unicam lineam ſpiſſam admodum, juxta methodum Aſiaticorum, & maxime Ægyptiorum, qui certabant in ordines 300. & plus etiam fortaſſe militum in quadratum plenum, quod in fronte æque ac in altitudine ſeſe explicaret: erant autem ordines, milites, & ſtuta adeo inter ſe conſerta, ut milites nullum aliud ſpatium relinquerent inter ſe quam quod opus eſſet ut armis ſuis uti poſſent. Nihilo tamen ſecius inter ſingulas Tribus minora erant intervalla ad tranſmittenda Ducum mandata, excipiendoſque velites ac vulneratos. Enorme hoc peditum corpus ſcite adeo compactum erat, ut corpus perfectiſſimum diceres, quod ita pergeret in hoſtes, ut unico motu conſtare videretur.

Robur Hebræorum primis illis temporibus erant pedites, qui vel ipſos aggredi equites non metuebant, ac equites ipſos temnebant. Sed tandem ſucceſſu temporis equites etiam admiſerunt, & juxta methodum, quam ab ipſa origine ſua obtinuiſſe credo, rejecerunt in alas. Hanc tamen diſciplinam non ſemper ſervatam fuiſſe ex Scriptura intelligimus. Joannes filius Simonis in prælio cum Cendebæo (*a*) equites conſtituit in medio, pedites ad alas rejecit; quod ſane illi optime ſucceſſit; tum diſciplinæ novitate, tum prudentia: alæ enim in exercitu primum impetum ſuſtinent; maxime autem in patenti agro tutius eſt regere validioribus ea, quæ ſunt imbecilliora & debiliora. Conſtat utique novitatem hujus ordinis detinuiſſe primum ſtupentes pedites adverſariorum, tum & Cendebæum turbaſſe, quippe cui ſuſtinendus erat impetus totius equitatus, cum interim pedes ſuffoderet funderetque equites: ut enim jam ſupra animadvertimus, pedites Judæ committere ſe cum equitibus non metuebant, & ad victoriam reportandam ſatis erat illis intra aciem equitum penetrare: tantum habent momenti audacia, & virtus cum ordine & diſciplina. Itaque ſanciendum eſt, nullam eſſe virium inæqualitatem, ubi peritia regnat inſignis; & minor numerus probe inſtructus, & ordinatus ſemper prævalet majori, qui minus ſcite & minus callide inſtruitur.

Jam ſupra obſervandum propoſui, ſub Regibus primum Iſraelitas uti cœpiſſe equitatu. Nihil eſt in Scriptura quo inſtruamur de ratione, quam equites in certando tenerent. Cum tamen argumenta ſuppetant demonſtrantia tenuiſſe illos tacticem Aſiaticorum, nec aliam ſecutos fuiſſe finitimos illis Ægyptios: perſuadeor utique, inſtruxiſſe illos equites per agmina majora 600. vel 800. equitum, quæ tantum explicarent in fronte, quantum in altitudine, cum minoribus intervallis diſpoſitis.

Nihil hic ego de peritia & virtute majorum Ducum apud Hebræos; Lectores enim remittendos cenſeo ad varios articulos Dictionarii, quibus animadverſiones meas adjeci de tot præliis fere ſemper ſecundis, raroque adverſo Marte ab Hebræis commiſſis. Si tamen viri inſignes non deerant ſub Regibus, Machabæorum tempora frequentiora erant tamen Heroibus, ac bellicæ virtutis memorandis ſpeciminibus.

Hæc de tactice univerſa Hebræorum dicenda ſuccurrerant. Quanquam autem aſſeruimus eandem methodum retinuiſſe illos ac Aſiaticos & finitimas gentes, quibuſcum manus frequenter conferebant; id tamen non prohibet, quin interdum etiam ab illis receſſiſſe affirmemus. Machabæi equidem, quorum inſignis fuit ſemper virtus, in recepta apud ſuos præliandi methodo plurima reformarunt. Sola Scripturæ lectione diſcimus, Judam, Eleazarum, Jonatham, Simonem; quantos viros! quorum vel nomen ſolum ideam inſignium Ducum excitat in mente; ea, inquam, lectione intelligimus, Duces illos immutaſſe ſæpe pro data occaſione veterem metho-

(a) 1. Machab.

Digitized by Google

methodum præliandi receptam apud ſuos. Hæc autem prælianda fuerant illis inductis neceſſitate, quod agmen haberent rarum & debile; brevi namque interdum militum manu reſiſtendum illis erat hoſtibus validiſſimis & immani exercitu ruentibus in prælium. Quid illis ea occaſione profuiſſet Phalanx? Hanc igitur deſeruerunt, ut certarent per agmina ſeparata, ſpiſſa valde, & breviſſimæ frontis in columnam perfectam. Hæc ſervabant illi, cum agminis ſui raritas non permittebat, ut æquam frontem hoſti opponerent; valebat id autem ad ſuffodiendam per intervalla lineam; nec infauſto quidem eventu ex cuneorum illorum pondere, & extrema ordinum profunditate, cujus extrema ne oculus quidem proſpiciebat.

Axioma illud certandi per agmina ſeparata, vel plures columnas Machabæis omnium primis non ſedit, ſed pluribus ante illos ſæculis innotuit. Sub Judicibus Hebræi hanc methodum præliandi in exercitus florentiſſimos tennerunt; cujus rei exemplum ſuppeditant duo prælia Abimelech in Sichemitas (a): Et ſub Regibus ita certavit Saul ad Jabes Galaad, tribus variis in locis in caſtra Ammonitarum perrumpens (b).

Nullius quidem gentis in præliando majorem artem & peritiam præ Hebræis antiquior Cyto Hiſtoria ſuppeditat: ſpecimina apud illos admiranda occurrunt. Ex illorum Ducibus plures artem quandam inſtruendi agminis & certandi norant, quæ in nihilo concederet arti maxime inſignium Ducum Græcorum & Romanorum.

Admitans ſtupeo ad victoriam Medabæ, quam Joab de duabus fœderatis gentibus Ammonitis & Syris reportavit (c). Quis audacius aliud, exquiſitius & majori prudentia excogitavit? Totius rei geſtæ circumſtantias omnes expendi tum in ſuo Articulo, cum in tertio tomo Commentariorum meorum in Polybium, ubi prælium ad Telamonem Romanos inter & Gallos cum inſigni hoc comparavi. Galli enim in poſtremo hoc prælio medios ſe excipi ſentienses inter duos Romanorum exercitus, adeoque & coacti in duas frontes certare, copias ſuas omnes bifariam diviſerunt, ut ad utrunque latus reſiſterent. Sed caſu tantum factum eſt, ut in eas extremitates venirent, neque enim de induſtria eo ſe redegerunt. Viciſſim autem Joab præmeditato conſilio, cædere ſimul eodem prælio volens Ammonitas & Syros, ipſe ſe poſuit in diſcrimen, tantum ſibi de virtute qua militum ſuorum, qua ſua ſpondebat. Par aliud inſigne geſtum referre Hiſtoriam non credo; unicum eſt hoc in ſuo genere, & elogiis omnibus majus.

Victoria Jonathæ de Apollonio ad Azotum (d) & per ſe incomparabilis eſt, & quouſque peditum robur pertingat, veluti ſub oculis exhibet. Medium ſe exceptum ab exercitu plane immenſo equitum & peditum intelligens Jonathas, milites ſuos inſtruxit in quadratum extreme longum & ſpiſſum per omne latus faciem habens hoſtibus obverſam; & cum equites Apollonii, intermixtos ferentes pedites, breve illud agmen obvolverent, tanto impetu ruit in pedites, ut perrumperet illos trucidaretque.

En inſigne rei bellicæ ſpecimen, & ordinem præliandi plane ſingularem: quadratum illud oblongum, utpote ordinibus conſtans ſpiſſis, frangi vix poterat; ſimul autem aptiſſimum erat ad ſuffodiendos hoſtes, qua pondere ſuo, qua impetus vi. Nova ea erat Ducis diſpoſitio per eam ætatem, vel ſaltem unica eſt in Scriptura; ſimul autem ideam exhibet grandem, qua peritiæ & virtutis Authoris ſui, qua militum diſciplinæ.

Alia erat pariter Iſraelitis methodus, quam communem fuiſſe puto omnibus per orbem gentibus, & cujus originem eam antiquitatem referre credo, quam & ipſa bellica profeſſio. De allocutionibus loquor, quibus Imperator in inſtanti conſerendi manus milites ſuos animabat; plurimum conferebatur illis adjumenti ad proſperum eventum armorum, & ſæpe unicum erant momentum ad victoriam. Hiſtoriarum Græcarum Romanarumque utraque pagina allocutionibus hiſce repletur, ſed prolixiores ſunt & expolitiores, quam ut ſcriptas uti a Ducibus prolatæ ſunt reponemus. Illæ tantum, quæ in S. Scriptura recitantur, nativum colorem referunt, iiſque conceptæ ſunt phraſibus, quæ characterem veritatis, inſinuantem ſeſe in animum, exhibent: breves ſunt, vividæ, patheticæ, & pietatis ſcintillas injicientes. Mos ille alloquendi milites ad poſtrema uſque ſæcula perſeveravit. Omnium noviſſima militaris concio eſt Caroli XII. Regis Sueviæ in prælio Nervæ, cujus utique prælii ætas recens eſt adeo, ut noſtra ferme tempora contingat.

Præter orationes hasce, in fronte ſingulorum agminum denunciationes plane ſingulares intimabantur, ut reciperent ſeſe illi, quibus pavoris cauſa aliqua peculiaris ineſſe poterat; illas autem expreſſas habes ad Num. 20. 5. &c. Hiſce omnibus rite peractis, reliqua exercitus ordinabantur in prælium. Horum omnium exempla habes in Machabæis.

Signum locandi, vel movendi caſtra, atque tandem certandi diverſo tubarum ſono datur: munus id erat Sacerdotum; qui proinde tibicines omnes reputandi ſunt. Moyſes in Numeris 10. 8. *Filii Aaron Sacerdotes clangent tubis, eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Si exieritis ad bellum de terra veſtra contra hoſtes, qui dimicant adverſus vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum.*

Soli inter omnes Hebræi Sacerdotes ſuos ad id muneris deſtinarunt; cum prælium ineundum erat, cubant magno numero retro poſt lineam poſtremum ordinem formantem. Succeſſu temporis hæc deſierunt, & maxime poſt Machabæos; ſenſim ceſſatum eſt ab invitandis Sacerdotibus ad exercitum, ut tubis clangerent. Apud omnes late Gentes inſtrumentum hoc in bello adhibebatur, ſi unos excipias Lacedæmones, quorum agmina ad tibias procedebant, & ad tibias certabant. „ Confundendæ non ſunt tubæ, de quibus „ modo, ait D. Calmet, & quibus canere nemini „ alii a Sacerdotibus datum erat, cum cornibus, „ quibus utebantur Duces ad cogendos milites indicendumque receſſum.

Antequam exitum noſtræ huic lucubrationi imponamus, res utique poſtulat, ut de Machabæis peculiarius aliquid dicamus. Poſt Regnum Davidis uſque ad illos magna quidem bella Hebræos exercuerunt. Non deerat quidem in militibus virtus; ſed nemo Ducum melius defendit res populi Dei, quam Machabæi Heroes. Accurate texexit Scriptura Hiſtoriam geſtorum a viris illis ſummis, ſicut & diſciplinam inſtruendi agminis & certandi: notæ ſunt illorum profectiones agminum, prælia, receſſus, tranſitus amnium, aggreſſiones caſtrorum, valla ducta, ſubitæ irruptiones in hoſtes, prælia montana, ſtrategemata, qua in aggrediendis hoſtibus, qua in defendendis rebus ſuis, obſidiones, inſultus Urbium: ac tandem quidquid habet eximium armorum ſcientia, quidquid ſublimius, in illis totum elucet, ut rei bellicæ totius veniant in exemplum. Fruſtra adniſæ ſunt contra illos copiæ bellicoſæ & formidabiles, fruſtra periti & expertiſſimi Imperatores, fruſtra numero militum multo minori congrediendum illis cum hoſtibus fuerat, virtutem ſuam cum imbecillitate copiarum dimetiri non poterant; nihil illos remoratur, nihil ſecuritatem illorum turbat, vincunt ſemper: adeo verum eſt, virtutem, invictumque animum, & optimam diſciplinam etiam de numero majori victoriam reportare. Simul autem norant ſuſtinere ſe cauſam Domini ſui adverſus Religionis adverſarios; quare totam ſpem ſuam collocabant in Domino ſibi propitio, & impavidam virtutem militibus inſpirante.

Magnorum illorum virorum maxima geſta rara non ſunt in Scriptura; omnia vero profunda & admirabili inſtructione plena exhibentur; his ſtudere militiam profitentes, ex his proficere par eſt; multum enim ex hoc ſtudio ſibi reportabunt commodi. Eorum ætate

armo-

(a) *Judic.* 9. 30. *&c.* (b) 1. *Reg.* 11. (c) 2. *Reg.* 10. 7.
(d) 1. *Mach.* 10. 77. &c.

armorum ſcientia fere ubique florebat. Ex virtute avorum ſuorum Græci non adhuc degeneraverant, inclytos habebant Duces, non ſecus ac Romani; nec Ducibus Aſia deſtituebatur. Quod autem me ſtupentem detinet illud eſt, nimirum Polybium, Authorem coævum, de bellis illis Machabæorum, maxime in Antiochum Magnum, ne ſemel quidem verbum facere, cum res per Aſiam geſtas fuſe deſcribat. Admirationem hanc meam auget, quod memoranda ſint plura, & clades maximæ, quas ille premit ſub ſilentio; ex. gr. prælium Beth Zacharæ (*a*) inter Judam Machabæum & Antiochum Eupatorem, quomodo referentem bella trium Antiochorum Scriptorem fugit? Nec minus inſigne fuit prælium ad Emmaus, Judam inter & Nicanorem (*b*). Paria de aliis pluribus rebus inſigniter geſtis philoſopheris; ſuper hæc omnia celer adeo diſcurrit Polybius, ut ne verbò quidem indicet Machabæos, quaſi nunquam exriterint.

De Judæis quidem ſermonem habuerunt Græci; ſed Græci poſteriores Polybio, ex quorum Scriptis gentem noviſſe illos intelligimus; nec id novum cum locorum diſcrimine diſtarent parum. Quidquid ſit autem, conſtat utique intime gentem non noiſſe. Rationem de hiſce quærentibus reponi ſolet, Hebræos commercii parum detinuiſſe cum populis Occidentalibus; ignorabant inſuper totum quidquid eſt negocii, nundinarum, mercaturæ. Quibus accedebat Religio, quam profitebantur, vetans ne intimo commercio jungerent ſe cum exteris, ſub pœna Legalium ſordium contrahendarum; quare nec cibos deguſtabant, nec communicabant, niſi cum religionis ſuæ hominibus. Hæc utique reponuntur in eam rem; ſed plane non ſatisfaciunt. Quando enim admitteremus Judæos parum vel nihil commercii cum cæteris gentibus detinuiſſe; non idem tamen reputandum eſt de vicinis illis gentibus, & maxime de populis, quibuſcum manus ſæpe conſeruerunt. Gentes illas probe norant Græci, ſicut & eorum Hiſtorici, Herodotus, Thucydides, Polybius, aliique plures, apud quos illarum nomen recurrit frequens, & de rebus illorum agitur; de illis autem vix agere potuiſſe videntur, quin ſimul & Judæorum expreſſam mentionem haberent. Cur igitur omnia hæc omiſerunt, maxime Polybius, qui omnia Antiochi bella plene norat? Paradoxum eſt, quod ego libenter aliis reſolvendum permitto.

Hic autem modum imponimus noſtris hiſce Animadverſionibus, Lectorem monentes, plura eſſe a nobis omiſſa, obiter tractata plura, quod fuſius de illis actum ſit in Animadverſionibus, per totum Biblici Dictionarii Supplementum ſparſis. Quæcunque autem diximus omnia ſervire volumus ſupplementi gratia eruditiſſimæ Diſſertationi D. Calmet de re bellica veterum Hebræorum. Cæterum in eo potiſſimum ſcopum noſtrum poſuimus, ut convinceremus eos, qui adverſus hanc gentem præjudiciis erant occupati, demonſtrantes calluiſſe illos artem bellicam, ac ſervaſſe tacticem ordinatam & methodicam in omnibus illis rerum eventibus, in quibus ſervari valuit & potuit.

(a) [illegible] chab. 6. &c.
(b) [illegible] chab. 4. 3. &c.

ICONES LOCENTUR.

Mandragora, & Dudaim tabulæ duæ pag. 18
Syſtema Creationis Mundi juxta Moyſem; binæ item tabulæ. 86
Inſtrumeota Muſica. 90
Arbor Genealogica Deſcendentium Noe. 120
Tabula Paradiſi Terreſtris. 159
Tephilim, ſeu Phylacteria Judæorum. 214
Tabula Panum Propoſitionis. 243
Pectorale, ſeu Rationale judicii. 276
Summus Pontifex veſtibus pontificalibus indutus. 307
Habitus ſimplicis Sacerdotis. 307
Variis falſa Numina a Samaritanis adorata. 334
Tabernaculum. 433
Teraphim ſimulacra juxta Hebræos. 462
Nummi Judaici, tabulæ quatuor. 599

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. 5 —

Digitized by Google